9
3ME
16

Cat. inscript.

HARMONIA, SEV HISTORIA SANCTA omnium'que uerisſima, de Chriſto IESV NAZARENO, FILIO DEI AC VERO HOMINE, hominumq; ſeruatore, iuxta ſeriem atque concentum hiſtoriographorum diuinorum Euangeliſtarum quatuor.

CVI ADIECTI SVNT IN SINGVLA CAPITA COMmentarij, excerpti è multorum doctiſsimorum tum priſcorum tum neotericorum uirorum ſcriptis, ſumma qua unquam fieri potuit diligentia: loca obſcuriora ita illuſtrantes, ut omnibus pijs, præſertim Eccleſiaſtis, permagnam utilitatem adferre poſsint:

Collegij PER RENHARDUM LUTZ Romani
Erythropolitanum.

ACCESSERVNT,

EIVSDEM HOMILIAE IN EVANGELIA ET EPIſtolas, quæ tam Dominicis quàm alijs Sanctorum feſtis diebus in Eccleſia legi atque enarrari ſolent.

ITEM,

IN HISTORIAM IOBI Annotationes:
Religionis Chriſtianæ Methodus:
Confutatio aduerſus eos qui animos defunctorum dormire aſſerunt, &c. Eodem autore.

Acceſsit rerum & uerborum in his memorabilium copioſus INDEX.



Cum Cæſ. Maieſt. gratia & priuilegio.

BASILEAE, PER [redacted] Henricus Petri

1561

Bibliot. noua

REVERENDIS, ILLVSTRIBVS, ET GENEROSIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS, DECANO ET Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Argentinenſis, Dominis ſuis obſeruandiſſimis, Renhardus Lutz Erythropolitanus

S. D. P.

CVM olim uiri ingenio ſummo prꝗditi, iſtarum rerum humanarum uiciſsitudinem conſpicerent, & quàm fortunæ ac rerum uices inſtabiles, & quòd nihil perpetuum conſiſtat, ILLVSTRES AC GENEROSI DOMINI, factum eſt dono diuino, ut quidam ad res geſtas ſcriptis reponendas ſeſe appulerint, qui propterea optimè de genere humano meriti eſſe uidentur. Fuit enim hęc ratio & unica uia, qua ad res prꝗſentes ab exẽplis præteritorum adornandas & cõponendas inſtitueremur. Complectitur igitur hiſtoria ſimul omnes uirtutes, cauſasq́ꝫ, progreſſus & euentus, ſola, ut Ciceroni uiſum fuit: teſtis temporũ, lux ueritatis, uita memoriæ, & magiſtra uitæ. *Hiſtoria.* Iam uerò non multum refert, quis primus omnium, ueterum monimenta conſcripſerit. Aiunt Græci Mileſium quendam omnium primum hiſtoriam condidiſſe: uerisimilius tamen eſt, ueram ac primam hiſtoriam ſapientiſsimo Moſi aſcribendam. quem ſucceſſu temporis alij poſt alios imitati, magna cum diligentia tempora rerum geſtarum aſsignauerunt, unde poſteri deprehenderent & intelligerent quid uel uitandum uel expetendum eſſet in hoc rerũ æſtuario fluxu & refluxu. Cæterùm quamuis multorum magnificorum uirorum monimenta extent, qui hiſtoriæ ſcribendæ operam nauarunt, unde ad quemuis euentum, quæ cõducibilia eſſent, depromere liceret: tamen omniũ certiſsimi iudicandi ſunt, qui Biblicam ueritatem exquiſitè obſeruauerunt, donec eò uentũ eſt, ut quę cecinißent pij uates futura, Chriſtus uerus Dei filius tum dictis tum factis præſtiterit. Hic ſanè cum Iudæis & gentibus certamen ineundum erit, unde ſcilicet manifeſtum euadat quod Deus ſit Chriſtus. Nã ſi ad Gentilem dixero, Creauit cœlum & terram, inquit D. Chryſoſtomus, non me feret. Si dixero, Mortuos exſcitauit, dæmones fugauit: neq́ꝫ hoc accipiet. *D. Chryſoſtomus.* Deniq́ꝫ ſi dixero, quòd regnum cœleſte & ineffabilia bona promiſerit: hoc non ſolum non credet, ſed & ridebit. Vnde igitur illum inſtituemus? Non equidem aliunde, quàm ab his quæ inter nos & illum confeſſa ſunt, & quæ in dubium reuocare nequit: quòd ſcilicet Chriſtianorum genus plantauit Chriſtus in toto terrarum orbe. Et quòd hæc confecit nullis uſus armis, nullos faciens ſumptus, nullos mõuens exercitus, nulla prꝗlia committens: ſed per paucos tantũ uiros, eoſdemq́ꝫ ignobiles,

uiles, rudes & idiotas: per quos ſubuertit leges gentilium patrias, aboleuit conſuetudines eorum inueteratas, & pro illis ſuas alias implantauit. Etenim mira uirtus erat, piſcatorem nudis præceptis mortuos ſuſcitare, dæmones expellere, philoſophorum linguam mutam facere, Rhetorum ora conſtringere, Barbaris, Græcis, & omni hominum generi imperare, mortuos in uiuos mutare, peccatores in iuſtos, dum malitiam animæ expelleret, ita ut iuxta Prophetam, ab ortu Solis uſq; in occaſum nomen Chriſti glorificatum fuerit in gentibus, & in omni loco oblatum ſacrificium purum. ex his quidem patet, quis nam ſit ille Chriſtus. Non enim eſt puri hominis, in tantis rebus uniuerſum orbem atq; humanum genus, tam abſurdis moribus tantisq; malis irretitū, comprehendere & liberare. Liquet item, quāta ſit Chriſtianæ philoſophiæ authoritas, & quāta maieſtas: & quòd nulla ſit ſcientia, nulla religio, profeſsio nulla, quæ Chriſtianæ æquari poſsit. Illæ enim rebus nituntur dubijs, uanis, & uanorum hominum teſtimonijs: hæc autem undique ſibi conſtat, diuino quodam robore compacta. Eſt igitur Euangelica hiſtoria omniū ſanctiſsima, uerisſimaq;: quam ſi penitius introſpexeris & diligenter expēderis, magna cum dignitate omnes uirtutes tradit, uitiaq; demonſtrat, honeſta celebrat, & quæ pernicioſa ſunt atq; turpia arguit. Docet itaq;, ut ſobriè, piè, & iuſtè uiuamus in hoc ſeculo, expectantes beatā ſpem & aduētum gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti: qui, ut diuinus aſſerit Paulus, dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Hanc ſuam legem obſeruantibus mira certè pollicitus eſt Chriſtus, quòd ſcilicet perpetuæ memoriæ honeſtatiq; ſint conſecrandi. Hinc ſanè accendimur, planeq; propellimur ad præſtāda honeſtè facta, ut tandē ex illuſtrib. factis ad eā gloriam rapiamur. Verùm quando tam excellens præſtantiſsimaq; nobis exhibetur doctrina in Euangelio iſto Ieſu Chriſti, quod quatuor illi uiri ſancti cōdiderūt: uiſum fuit mihi, Euangelicā hāc Harmoniā, cùm priſcorum tum neotericorum ſcriptorum, pijs atq; doctis illuſtrandam commentarijs: unde elicere liceret, quæ ex uſu eſſent noſtro. Atqui ut hoc bonis auibus, ut dici ſolet, ſuceeſsit: ita in cōcilianda hiſtoria fateor me non ſemel hæſiſſe, eo quòd admodum inter ſe diſsiderent diſcreparentq; ueteres & neoterici. Auguſtinus ut uir magno iudicio in ſacris enarrandis fuit, ita peculiari ordine hiſtoriā Euangelicam ordinauit, libro De conſenſu Euāgeliſtarum. Extant deinde Canones Ammonij cuiuſdam Alexandrini, ſed, ut mihi uidetur, longe alio ordine digeſti. Habet & Petrus Comeſtor ſuum genium. Nec ubiq; concordat cum illis Gerſonis Monoteſſaron. Demum Andreas Oſiander omnium, ut puto, nouiſsimus concinnam ſcripſiſſe uidetur harmoniam, quemadmodum quoq; in Epiſtola ad lectorem

Paulus ad Titum 2.

lectorem palàm profitetur, & promittit lectori Euangeliſtarum inter ſe concordiam & conſonantiam, quam ante ipſum nemo ne ſuſpicatus quidem ſit: nec tamen credo omnibus ſatisfaciet. In tanta itaq; diſſonantia unicum illud præ oculis fuit, ut cùm dicta tum facta Chriſti integrè & fideliter texerentur. Atq; ſufficere exiſtimabam, quod quatuor illi uiri tam diuiniſsima, quaſi uno ore pronunciauerunt: (grande hoc ueritatis indicium) & quòd exquiſita eſt & diuinitus defluxa doctrina ipſorum. Item quòd ex his eorum ſanctiſsimis ſcriptis diſcimus antiquum prælium diſſolutum, diabolum confuſum, mortem uictam, & ut D. utar Chryſoſtomi uerbis, Deum noſtræ naturæ reconciliatum, Paradiſum cœleſtem apertum, exq; his ſpem firmam futurorum. Multum quoq; refert, atq; conſultiſsimum eſt diſquirere, quo pacto hunc animæ theſaurum in noſtrum uſum conferamus. Enimuerò ut omnes legant Euangelium de Ieſu Nazaræno filio Dei, ac uero homine Chriſto, ac totius humani generis Saluatore, doctiſsimo probatur Eraſmo: ſed ſobriè, ſed attentè: & quod intelligunt, ut ſumma fide complectantur: hinc quoq; tanquam pij diſcipuli affectentur per omnia Chriſtum, dicente eo, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos, &c. Cum autem, ILLVSTRES AC GENEROSI DOMINI, in confeſſo ſit, eos qui ſolerti ſtudio aliquid collectum in lucem miſiſsēt, delegiſſe uiros optimates, ornatiſsimosq;, quorū ſub pio auſpicio id euulgaretur: proinde quicquid id eſt laboris mei, hoc uniuerſum D. ueſtris dedico atq; inſcribo: hanc iam adeptum me ratus quoq; occaſionem, qua publicè teſtatam facere poſsim meā erga Dominationes ueſtras obſeruantiam. Et non poſſum non mihi optima polliceri, ac planè perſuaſus eſſe, quòd ſicut generis præclara nobilitate antecellitis, ita ſancta ſtudia uobis cordi eſſe: & hunc librum eo gratiorem fore, quòd non de rebus uanis, caducis, & ſubitò intermorituris loquitur, caſus item & euentus huius mundi deteſtandos refert, ſed totus de Chriſto ſeruatore noſtro, & ſalutari Euangelio eius, quod nobis promittit ueram beatitudinem perpetuam'que felicitatem, ſit conſcriptus. Dignentur itaq; D. ueſtræ eum, licet non exquiſita arte, ſed, ut dicitur, pinguiori Minerua elaboratum, hoc uultu, quo omnium doctorum uirorum ſcripta ſolent aſpicere, & magnorum principum more, hoc exile chartaceum munus, ueluti precioſiſsimum donum, & reputare & habere. IESVS CHRISTVS mundi ſaluator, pro ſua ineffabili miſericordia, D. ueſtras clementer reſpiciat atque conſeruet. Seleſtadij, anno à Virgineo partu 1560.

D. HIERONYMVS IN PROOEMIO.

PLures fuiſſe qui Euangelia ſcripſerunt, & Lucas Euangeliſta teſtatur dicens, Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem rerum quæ in uobis completæ ſunt, ſicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi uiderunt ſermonem, & miniſtrauerunt ei: & perſeuerantia uſque in præſens tempus monimenta declarant, quæ à diuerſis autoribus edita diuerſarum hæreſeon fuere principia: ut eſt illud iuxta Aegyptios & Thomam & Mathiam & Bartholomæum duodecimq; Apoſtolorum, & Baſilidis atque Apellis, ac reliquorum. Eccleſia autem quæ ſupra petram, Domini uoce fundata eſt, quatuor flumina Paradiſi inſtar eructans, quatuor angulos & annulos habet, per quos quaſi arca teſtamenti & cuſtos legis Domini lignis immobilibus uehitur. Primus omnium Matthæus eſt publicanus, cognomento Leui. Secundus Marcus, interpres apoſtoli Petri, & Alexandrinæ eccleſiæ primus epiſcopus. Tertius Lucas medicus, natione Syrus Antiochenſis. Vltimus Ioannes apoſtolus, qui cum à fratribus cogeretur ut ſcriberet, ita facturum ſe reſpondit, ſi indicto ieiunio in commune omnes Deum deprecarentur. quo expleto, reuelatione ſaturatus, illud procemium è cœlo ueniens eructauit: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, hoc erat in principio apud Deum.

IN SANCTAM OMNIVMQVE VERISSIMAM DE IESV NAZARAENO HISTORIAM,

Præfatio.

EVangelium dicitur bonũ nunciũ, ſiue annũciatio, qualis uidelicet afferri ſolet de parta uictoria & fuſis hoſtibus, de re qualibet fauſta & feliciter peracta. Propriiſsimè autem hiſtoria Euangelica de Chriſto & eius dictis ac factis Euangeliũ dicitur. Docet enim, quomodo diuino conſilio præfinitũ fuerit, Prophetarũ oraculis uarijs prædictum, ac multis ſeculis à ſanctis & pijs hominibus exoptatũ, ut Dei filius humanam aſſumeret naturã, ſua morte redempturus genus humanũ, ſua doctrina ſuiſq; factis inſtructurus ad pietatis ſtudiũ, & erecturus ad ſpem uitæ cœleſtis. Quare Euangeliũ, inquit Auguſtinus, inter omnes diuinas literas meritò excellit. quod enim lex & Prophetæ futurum prænunciauerunt, hoc redditũ atq; completum in Euangelio demõſtratur, tantũ ille. Conſtat autem hoc à quatuor uiris fideliſsimis eſſe conſcriptum, qui Dominũ ipſum ſaluatorẽ noſtrum Ieſum Chriſtũ in carne uiderunt præſentem: quorũ duo, Matthæus ſcilicet & Ioannes, diuinitus geſta, impoſito ſibi euangelizandi munere, generi humano annunciare curarũt. Deinde quoniã facilius uitiatur narrationis ſynceritas, primũ Matthæus & Marcus, deinde Lucas & Ioãnes quæ ſcribenda uiſa ſunt, libris ediderũt ſingulis. Matthæus hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio, cæteri autẽ græco. Verùm licet unuſquiſq; ſuũ tenuerit ordinem, tamen ſicut unicuiq; inſpiratũ fuit, nõ ſuperfluam unus alteri cooperationẽ adiunxit: ita ut ſit uerus eorũ conſenſus, & quatuor illorũ libri unam certã & continuam faciant hiſtoriã. Idem enim ſpiritus Domini Ieſu uellicauit omniũ animos. Fit ergo, ut Lucas, etſi Chriſtũ tantũ in Apoſtolis loquentẽ ſecutus ſit: tamen initiũ faciat huic ſanctiſsimę de Ieſu Chriſto ſeruatore noſtro hiſtorię. Hic fuit natione Syrus, patria Antiochenus, medicus, & probè in diſciplinis Hebræorũ inſtitutus: D. Paulo familiariſsimus, & peregrinatio-

nis

nis eius indiuiduus comes. Et quia uſus eſt Apoſtolorum ut certiſsimorum autorum familiari conſortio, totam Euangelicæ rei ſeriem ſtudioſè peruestigauit. Quamobrem Tertullianus, uetuſtiſsimus ſcriptor, uocat eum teſtem ueritatis digniſsimum, atque organum Spiritus ſancti electiſsimum. Idem ſentiunt de eo Hieronymus & Ambroſius.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM.

S. Lucæ Præfatio in Euangelium ſuum.

QVONIAM complures aggreſsi ſunt, in ordinem redigere narrationem quæ in nobis completæ ſunt rerum, ſicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi uiderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis: uiſum eſt & mihi aſſecuto omnia, à principio diligenter ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile, ut cognoſcas eorum uerborum, de quibus eruditus es, ueritatem.

COMMENTARIA.

ELEGANS eſt in primis & doctum exordium Lucæ, quo & cauſas instituti ſui, & ſummam rei quã traditurus eſt comprehendit. Extabant eo tempore, ut quidam uolunt, hiſtoriæ Euangelicæ ſecundum Matthæum, Nazaræos & Nicodemum. quas hic improbare uidetur. Significat ergo, ea quæ dicturus eſt indubitatæ fidei compertiſsima, adeoq; authentica eſſe. Cæterum omnia dixit, & intellexit potiſsima, quæ ad pietatem facere uidentur. Adiungit huic propoſitioni ueluti rationem quandam, confirmationemq́;. Ideo autem comperta polliceor, quia ea traditurus ſum quæ accepi à certiſsimæ fidei teſtibus, ijs ſcilicet qui ab initio ipſimet ſpectatores & miniſtri uerbi fuerunt. Verbi inquam, id eſt negotiorum Domini, operum Domini ſocij & adiutores, cum ipſo docẽtes populum, ſanantes morbos, patientes multa ut miniſtri eius: quorum proinde tanta autoritas, ut reijci non poſsint. Scripſit autem hæc Lucas ad utilitatem totius Eccleſiæ, quo pij euidentius & rectius earum rerum certitudinem deprehenderent, quæ hactenus uoce tantum eſſent prædicata, & recepta à multis.

CAPVT PRIMVM.

FVit in diebus Herodis regis Iudææ ſacerdos quidam nomine Zacharias de uice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela. Et non erat illis filius, eo quòd eſſet Elizabeth ſterilis, & ambo proceſsiſſent in diebus ſuis. Factum eſt autem, cum ſacerdotio fungeretur Zacharias in ordine uicis ſuæ ante Deum, ſecundum conſuetudinem ſacerdotij, ſorte exijt ut incenſum poneret, ingreſſus in templum Domini: & omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi. Apparuit autem illi angelus, ſtans à dextris altaris incenſi. Et Zacharias turbatus eſt uidens, & timor irruit ſuper eum. Ait autem ad illum angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Ioannem, & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus coram Domino, & uinum & ſiceram non bibet, & ſpiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ, & multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum: & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & uirtute Eliæ, ut conuertat corda patrum in filios,

Lucæ 1. De annunciatione Ioannis Baptiſtæ, & cõceptione eiuſdem.

lios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad angelum: Vnde hoc ſciam? Ego enim ſenex, & uxor mea proceſsit in diebus ſuis. Et reſpondens angelus, dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. & ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem quo hæc fient, pro eo quòd non credidiſti uerbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo. Et erat plebs expectans Zachariã, & mirabantur quòd tardaret ipſe in templo. Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quòd uiſionem uidiſset in templo. & ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus. Et factum eſt, ut impleti ſunt dies officij eius, abijt in domum ſuam. Poſt hos autem dies concepit Elizabeth uxor eius, & occultabat ſe menſibus quinq; dicens: Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meũ inter homines.

COMMENTARIA.

Zacharias ille ſacerdos fuit ſecundum ordinem Aaronis, miniſter Eccleſiæ & ſacrorum, doctor deniq; populi Dei. Sacerdotes per uices ſacris miniſtrabant, ut uidere eſt 1. Paral. 24. Iuſtus autem fuit, iuſtamq́; habens cõiugem. Quomodo iuſti illi, quum omnes iuſtitiæ hominũ (dicente Propheta) tanquam pannus menſtruatæ mulieris? Eſaiæ 64. Sic quidem, quia ſyncera fide credebant ſe iuſtificandos per miſericordiam Dei in ſanguine Meſsiæ. quare etiam omnibus uirtutibus operibusq́; bonis fidelem nauabant operam. Hos quidem, ſi iuſti coram Deo eſſe cupimus, imitari debemus, ut ſcilicet credamus nos iuſtificatos per ſanguinem Ieſu Chriſti. Neceſſe autẽ, ut cultum diuinum religioſe obſeruemus, diuinis præceptis inſiſtentes pro ſuo quiſque officio ad quod uocatus eſt, & ad eum modum quem præſcripſit Chriſtus in gloriam & laudem ipſius, qui uidet in corde (dicente Ambroſio) & nouit immaculatorũ uias, idem arbiter eſt mentis & facti. Apparet autem precanti illi angelus. Hinc diſcere poſſumus, quid ſacerdotes et populus in ſacris cœtibus agere debeant: nimirum precari Deum. Declaratur item, noſtras preces Deo curæ eſſe, audire eas et in tẽpore opportuno implere uota noſtra. Qui petit (inquit Chriſtus) accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur: Lucæ 11. Et ipſi angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus, ut Paulus loquitur, miſsi propter eos qui accepturi ſunt repromiſsionem: Hebr. 1. Ita angelus Gabriel Chriſti præcurſoris conceptionem atq; aduentum indicat, quem dicit fore hominem egregium atque ſanctum, Ioannem nomine, hoc eſt gratioſum, quòd rem gratiſsimã, Chriſtum ſcilicet, unde omnis gratia, ſit annunciaturus. Quamobrem repletur ſpiritu ſancto, adhuc in utero matris ſuæ. Nemo enim poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto. Ipſe hoc ſpiritu plenus, conuertit multos filiorum Iſrael ad Dominum Deum ipſorũ. Sic quoq; & nunc oportet adeſſe abundantiam gratiæ, ſi quis purè et ſynceriter annunciare uult Chriſtum, & cõuertere homines ad ipſum Deum uiuentem. Auerſi equidem ſuapte culpa, ſectantur Satanam, uoluptates & deſideria carnis. Vt conuertantur, ſolus facit Deus, cum infundit ſimul cum uerbo gratiam ſpiritus ſui, eaq́; errantes ouiculas reducit in uiam ſalutis. Sic conuerſi fuerũt Theſſalonicẽſes, quibus proinde ſcripſit Paulus: Conuerſi eſtis à ſimulachris ad Deum uiuẽtem, ut ſeruiatis illi. cap. 2. Nec fruſtra dictum puto, quòd hoc facturus eſſet Ioannes in ſpiritu & uirtute Eliæ. Scriptura enim atteſtãte, Eliæ tẽpora fuerunt corruptiſsima, cum idololatria & ſumma ſuperſtitio regnarent. Elias autem fortiter ſe oppoſuit, & ſyncerũ cultum reparauit. 3. Reg. 18. Ita & Ioannes increpans hypocritas Phariſæos, reſtituensq́; puram doctrinã, Chriſto uero & unico reformatori iter aperuit, multos cum docuit maiorum religionem recipere, & ſanctis moribus Abraham Iſaac atq; alios referre, pios patres: utq́; ſaperent, talemq́; haberent mentem, qualem decet habere prudentem et iuſtum hominem. Zacharias autem incredulus eſt, hinc fit mutus. Vnus ergo atque idem homo diuerſis reſpectibus & bonus & malus, iuſtus & iniuſtus eſt. Fit autem mutus, quia non credidit lætiſsimo Dei nuncio. Expendamus ergo quàm mala ſit diffidentia, quare fideliter credenda & tenenda quæ Deus promiſit: quia uerax eſt, fortis & potens. Quod quia olim non crediderunt Iudæi, iuſto Dei iudicio miſerè perierunt: Numer. 14. 20. Quid igitur his fiet, qui tam euidentiſsimis ſcripturis nullam fidem habent, ſed (ut Paulus inquit) filium Dei Chriſtum oſtentui habent, & ipſum quantum in ipſis eſt rurſum crucifigunt? Enimuero melius eſſet, ut Chriſtus de Iuda pronunciauit, ſi homines illi non fuiſſent nati. Porrò ut cognouit Elizabeth ſe concepiſſe, gratulatur, &

gratais

gratias agit omnipotenti Deo, & benigno patri, ut ei qui ſolus fœcundat, & ſolus conſtringit uterum. Vnde nos colligimus, omnia beneficia ad Deum tanquam autorem omnium bonorum unicum eſſe referenda, illiq; pro acceptis beneficiis gratias agendas eſſe.

CAPVT SECVNDVM.

Lucæ 1. De annūciatione Chriſti ad Mariā per Gabrielem.

MEnſe autem ſexto miſſus eſt angelus Gabriel à Deo, in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth: ad uirginem deſponſatam uiro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen uirginis Maria. Et ingreſſus angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulierib. Quæ cũ audiſset, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis iſta eſset ſalutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas Maria. inueniſti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Ieſum: hic erit magnus, & filius altiſsimi uocabitur: & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet iſtud? quoniã uirum non cognoſco. Et reſpondens angelus, dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiſsimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod naſcetur ex te ſanctum, uocabitur filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis eſt ſextus illi quæ uocatur ſterilis. quia non erit impoſſibile apud Deum omne uerbũ. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum uerbum tuum. Et diſceſsit ab illa angelus.

COMMENTARIA.

*Deſcribitur diligentiſſimè incarnatio ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, cui tutò inniti poſſumus atq; debemus: utcunq; prauas opiniones excitet atque reſtauret Satanas, per aliquot impiiſſimos homines. Principiò autem uerè miraculum magnũ eſt, et admiratione dignum, quòd æterni Dei filius homo factus eſt, aſſumpta humana natura, & unita naturæ diuinæ. Venit legatus Dei, non quilibet, ſed angelus Gabriel: ad uirginem, ſed deſpõſatam: * ut ſcilicet illa haberet curatorem, cuſtodẽ, nutricium & miniſtrũ ſine ulla ſiniſtra ſuſpicione maligni uulgi: denique ut haberet grauiſſimum ſuæ integritatis teſtem. Martyr Ignatius, teſte Hieronymo, & hãc addit cauſam: Vt partus, inquit, eius celaretur diabolo, angelus uirginem ſalutat, & ſimul exponit quid in mandatis habeat, & ait: Tu es uirgo gratiſſima facta, & inſigniter multiiugis gratiis dotata. Tu celebratiſſima illa uirgo es, quã elegit Dominus: Tu paritura es ſemen illud benedictum, quod conterat caput ſerpentis. Dominus mi ſertus tui ſua bonitate & propenſa uoluntate, gratiam ſuam, dona ſua in te effudit, amans te unicè inter omnes mulieres, ad res maximas te deſtinauit. Paries ſaluatorem magnum, qui Dominus eſt cœli & terræ, adeoq; omnium creaturarum, præſidens omnibus, inſpiciens omnia, cuncta gubernans et conſeruans, qua filius Dei optimi maximi, infiniti & æterni. Hic potens rector regnabit ſuper omnes per uniuerſum orbem, qui retinebunt fidem & religionem ſanctorum Dei patriarcharum & prophetarum: quos licet tranſire oporteat ex hoc ſeculo, ibũt tamẽ in regnum Dei ſempiternum, ubi ſub hoc filio tuo Ieſu Chriſto gaudebunt & exultabunt in æternum. ſic regni eius nullus erit finis. Exponit angelus porrò rationem, quo modo filius ille altiſſimi ſit concipiendus, nimirum ex ſpiritu ſancto: Is, inquit, hic operabitur, abſque detrimento tuæ uirginitatis. Vt igitur ſponſus non eſt Mariæ additus ut ipſam faceret matrem, ſed ut eius famæ & tranquillitati conſuleret: ita ſpiritus ſanctus hoc effecit, ut nemo hic ullam poſſit cogitare impuritatem. Et cum appellatur Virtus altiſſimi, admonemur ut cogitemus, quæ & quanta ſit uirtus Dei & potentia, quæ ut ex nihilo produxit omnia, & uirtute ſua conſeruat omnia, idq; citra negotium & difficultatem: ita nullo negotio effecerit, ut ex ſubſtantia uirginis intemeratæ uerbũ Dei aſſumpſerit ſibi uerã ſubſtantiam corporis, abſq; ullo uiri congreſſu & commixtione. Propterea autem ſpiritus ſanctus non eſt pater filij Dei, ita ut ex ſemine (honor ſit aurib.) illius factus ſit filius Dei: ſed ſic conceptus è ſpiritu ſancto dicitur, ut eo modo negetur ſemen uirile, cõmixtio, & alia quæ in conceptione hominis ſolent eſſe: & oſtendatur rem diuinam eſſe, nec aliquid humano more factum. Hinc quoque optimum atq; fortiſſimum exemplum adducit angelus de omnipotentia Dei, Nulla res eſt apud Deum impoſſibilis: ergo nec*

* S. Ambroſius.

Diuus Baſilius: Vnigeniti, inquit, ex patre generatio, ſilentio colatur. Nouit enim ipſe qui generauit, & qui genitus eſt. Hæc etenim horrenda eſt, propter naturam: altera uerò, hoc eſt humana, propter nouitatem.

lios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad angelum: Vnde hoc ſciam? Ego enim ſenex, & uxor mea proceſsit in diebus ſuis. Et reſpondens angelus, dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. & ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem quo hæc fient, pro eo quòd non credidiſti uerbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo. Et erat plebs expectans Zachariã, & mirabantur quòd tardaret ipſe in templo. Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quòd uiſionem uidiſset in templo. & ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus. Et factum eſt, ut impleti ſunt dies officij eius, abijt in domum ſuam. Poſt hos autem dies concepit Elizabeth uxor eius, & occultabat ſe menſibus quinq; dicens: Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meũ inter homines.

COMMENTARIA.

Zacharias ille ſacerdos fuit ſecundum ordinem Aaronis, miniſter Eccleſiæ & ſacrorum, doctor deniq; populi Dei. Sacerdotes per uices ſacris miniſtrabant, ut uidere eſt 1. Paral. 24. Iuſtus autem fuit, iuſtamq; habens cõiugem. Quomodo iuſti illi, quum omnes iuſtitiæ hominũ (dicente Propheta) tanquam pannus menſtruatæ mulieris? Eſaiæ 64. Sic quidem, quia ſyncera fide credebant ſe iuſtificandos per miſericordiam Dei in ſanguine Meſſiæ. quare etiam omnibus uirtutibus operibusq; bonis fidelem nauabant operam. Hos quidem, ſi iuſti coram Deo eſſe cupimus, imitari debemus, ut ſcilicet credamus nos iuſtificatos per ſanguinem Ieſu Chriſti. Neceſſe autẽ, ut cultum diuinum religioſe obſeruemus, diuinis præceptis inſiſtentes pro ſuo quiſque officio ad quod uocatus eſt, & ad eum modum quem præſcripſit Chriſtus in gloriam & laudem ipſius, qui uidet in corde (dicente Ambroſio) & nouit immaculatorũ uias, idem arbiter eſt mentis & facti. Apparet autem precanti illi angelus. Hinc diſcere poſſumus, quid ſacerdotes et populus in ſacris cœtibus agere debeant: nimirum precari Deum. Declaratur item, noſtras preces Deo curæ eſſe, audire eas et in tẽpore opportuno implere uota noſtra. Qui petit (inquit Chriſtus) accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur: Lucæ 11. Et ipſi angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus, ut Paulus loquitur, miſſi propter eos qui accepturi ſunt repromiſſionem: Hebr. 1. Ita angelus Gabriel Chriſti præcurſoris conceptionem atq; aduentum indicat, quem dicit fore hominem egregium atque ſanctum, Ioannem nomine, hoc eſt gratioſum, quòd rem gratiſſimã, Chriſtum ſcilicet, unde omnis gratia, ſit annunciaturus. Quamobrem repletur ſpiritu ſancto, adhuc in utero matris ſuæ. Nemo enim poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto. Ipſe hoc ſpiritu plenus, conuertit multos filiorum Iſrael ad Dominum Deum ipſorũ. Sic quoq; & nunc oportet adeſſe abundantiam gratiæ, ſi quis purè et ſynceriter annunciare uult Chriſtum, & cõuertere homines ad ipſum Deum uiuentem. Auerſi equidem ſuapte culpa, ſectantur Satanam, uoluptates & deſideria carnis. Vt conuertantur, ſolus facit Deus, cum infundit ſimul cum uerbo gratiam ſpiritus ſui, eaq; errantes ouiculas reducit in uiam ſalutis. Sic conuerſi fuerũt Theſſalonicẽſes, quibus proinde ſcripſit Paulus: Conuerſi eſtis à ſimulachris ad Deum uiuẽtem, ut ſeruiatis illi. cap. 2. Nec fruſtra dictum puto, quòd hoc facturus eſſet Ioannes in ſpiritu & uirtute Eliæ. Scriptura enim atteſtãte, Eliæ tẽpora fuerunt corruptiſſima, cùm idololatria & ſumma ſuperſtitio regnarent. Elias autem fortiter ſe oppoſuit, & ſyncerũ cultum reparauit. 3. Reg. 18. Ita & Ioannes increpans hypocritas Phariſæos, reſtituensq; puram doctrinã, Chriſto uero & unico reformatori iter aperuit, multos cum docuit maiorum religionem recipere, & ſanctis moribus Abraham Iſaac atq; alios referre, pios patres: utq; ſaperent, talemq; haberent mentem, qualem decet habere prudentem et iuſtum hominem. Zacharias autem incredulus eſt. hinc fit mutus. Vnus ergo atque idem homo diuerſis reſpectibus & bonus & malus, iuſtus & iniuſtus eſt. Fit autem mutus, quia non credidit lætiſſimo Dei nuncio. Expendamus ergo quàm mala ſit diffidentia, quare fideliter credenda & tenenda quæ Deus promiſit: quia uerax eſt, fortis & potens. Quod quia olim non crediderunt Iudæi, iuſto Dei iudicio miſerè perierunt: Numer. 14. 20. Quid igitur his fiet, qui tam euidentiſſimis ſcripturis nullam fidem habent, ſed (ut Paulus inquit) filium Dei Chriſtum oſtentui habent, & ipſum quantum in ipſis eſt rurſum crucifigunt? Enimuero melius eſſet, ut Chriſtus de Iuda pronunciauit, ſi homines illi non fuiſſent nati. Porrò ut cognouit Elizabeth ſe concepiſſe, gratulatur, &

gratias agit omnipotenti Deo, & benigno patri, ut ei qui ſolus fœcundat, & ſolus conſtringit uterum. Vnde nos colligimus, omnia beneficia ad Deum tanquam autorem omnium bonorum unicum eſſe referenda, illiq; pro acceptis beneficiis gratias agendas eſſe.

CAPVT SECVNDVM.

MEnſe autem ſexto miſſus eſt angelus Gabriel à Deo, in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth: ad uirginem deſponſatam uiro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen uirginis Maria. Et ingreſſus angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulierib. Quæ cũ audiſset, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis iſta eſset ſalutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas Maria. inueniſti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Ieſum: hic erit magnus, & filius altiſsimi uocabitur: & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet iſtud? quoniã uirum non cognoſco. Et reſpondens angelus, dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiſsimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod naſcetur ex te ſanctum, uocabitur filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis eſt ſextus illi quæ uocatur ſterilis. quia non erit impoſſibile apud Deum omne uerbũ. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum uerbum tuum. Et diſceſsit ab illa angelus.

Lucæ 1. De annũciatione Chriſti ad Mariã per Gabrielem.

COMMENTARIA.

*Deſcribitur diligentiſsimè incarnatio ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, cui tutò inniti poſſumus atq; debemus: utcunq; prauas opiniones excitet atque reſtauret Satanas, per aliquot impuriſsimos homines. Principiò autem uerè miraculum magnũ eſt, et admiratione dignum, quòd æterni Dei filius homo factus eſt, aſsumpta humana natura, & unita naturæ diuinæ. Venit legatus Dei, non quilibet, ſed angelus Gabriel: ad uirginem, ſed deſpõſatam: * ut ſcilicet illa haberet curatorem, cuſtodẽ, nutricium & miniſtrũ ſine ulla ſiniſtra ſuſpicione maligni uulgi: denique ut haberet grauiſsimum ſuæ integritatis teſtem. Martyr Ignatius, teſte Hieronymo, & hãc addit cauſam: Vt partus, inquit, eius celaretur diabolo, angelus uirginem ſalutat, & ſimul exponit quid in mandatis habeat, & ait: Tu es uirgo gratiſsima facta, & inſigniter multijugis gratijs dotata. Tu celebratiſsima illa uirgo es, quã elegit Dominus: Tu paritura es ſemen illud benedictum, quod conterat caput ſerpentis. Dominus miſertus tui ſua bonitate & propenſa uoluntate, gratiam ſuam, dona ſua in te effudit, amans te unicè inter omnes mulieres, ad res maximas te deſtinauit. Paries ſaluatorem magnum, qui Dominus eſt cœli & terræ, adeoq; omnium creaturarum, præſidens omnibus, inſpiciens omnia, cuncta gubernans et conſeruans, quia filius Dei optimi maximi, infiniti & æterni. Hic potens rector regnabit ſuper omnes per uniuerſum orbem, qui retinebunt fidem & religionem ſanctorum Dei patriarcharum & prophetarum: quos licet tranſire oporteat ex hoc ſeculo, ibũt tamẽ in regnum Dei ſempiternum, ubi ſub hoc filio tuo Ieſu Chriſto gaudebunt & exultabunt in æternum. ſic regni eius nullus erit finis. Exponit angelus porrò rationem, quo modo filius ille altiſsimi ſit concipiendus, nimirum ex ſpiritu ſancto: Is, inquit, hic operabitur, abſque detrimento tuæ uirginitatis. Vt igitur ſponſus non eſt Mariæ additus ut ipſam faceret matrem, ſed ut eius famæ & tranquillitati conſuleret: ita ſpiritus ſanctus hoc effecit, ut nemo hic ullam poſsit cogitare impuritatem. Et cum appellatur Virtus altiſſimi, admonemur ut cogitemus, quæ & quanta ſit uirtus Dei & potentia, quæ ut ex nihilo produxit omnia, & uirtute ſua conſeruat omnia, idq; citra negotium & difficultatem: ita nullo negotio effecerit, ut ex ſubſtantia uirginis intemeratæ uerbũ Dei aſſumpſerit ſibi uerã ſubſtantiam corporis, abſq; ullo uiri congreſſu & commixtione. Propterea autem ſpiritus ſanctus non eſt pater filij Dei, ita ut ex ſemine (honor ſit aurib.) illius factus ſit filius Dei: ſed ſic conceptus è ſpiritu ſancto dicitur, ut eo modo negetur ſemen uirile, cõmixtio, & alia quæ in conceptione hominis ſolent eſſe: & oſtendatur rem diuinam eſſe, nec aliquid humano more factum. Hinc quoque optimum atq; fortiſſimum exemplum adducit angelus de omnipotentia Dei, Nulla res eſt apud Deum impoſsibilis: ergo nec*

* S.Ambroſius.

Diuus Baſilius: Vnigeniti, inquit, ex patre generatio, ſilentio colatur. Nouit enim ipſe qui generauit, & qui genitus eſt. Hæc etenim horrenda eſt, propter naturam: altera uerò, hoc eſt humana, propter nouitatem.

nec hæc quidem. Si potuit ex nihilo omnia uiſibilia & inuiſibilia producere ad tantam rerum copiam & pulchritudinem: potuit utique & ex uirgine ſibi aſſumere carnem, illæſa eius uirginitate. Hæc eſt tanquam ſacra anchora, ad quam nobis ſemper refugiendum erit, ubi natura deficit & ratio: colligimus ſemper, apud Deum nihil impoßibile eſſe. Cui ſi pleriq; inniterentur, tam fœdè haudquaquam laberentur & impingerent. Qui ſaniores mentis ſunt, cum Paulo oculos atq; mentem ad cœlos alleuant, atque reuerenter fatentur altitudinem diuitiarum ſapientiæ Dei, & quòd tam incomprehenſibilia ſunt iudicia ipſius. Porrò uirgo filium illum Dei concipit, per fidem utiq;. Vbi enim audit ſyncera omnia eſſe, ac ſpiritum ſanctum operaturum myſteria, credidit angeli uerbis, agnoſcit Dominum ſuum cui ſeruiebat, & humiliter ſe tradidit in illius obſequium: quod equidem abſolutißimum exemplum eſt ſynceræ fidei. Ergo fides humilis & obediens eſt, totam ſeſe Deo permittens. Omnibus illa atque ſingulis Dei uerbis credit & obſequitur, atque unicè in uerbum Dei reſpicit, omnia ſecundum uerbum Dei perficiens. Demum quia uirginem hanc inſigniter prædicauit atq; laudauit angelus, nemo dubitare poteſt pius, quin & nunc felix ſit, & omni laude digniſſima. Quomodo autem laudare eam oporteat, ex Epiphanio libet audire. de benedicta uirgine ſic ſcribit ille: Impoßibile eſt aliquem in terra generari præter hominum naturam. Solum Chriſtum decuit, ſoli ipſi natura ceßit, hic ueluti plaſtes & rei poteſtatem habens, ſeipſum de uirgine ueluti de terra efformauit, qui de cœlis deſcendit, & carnem induit Deus uerbum ex ſancta uirgine: non tamen ut adoretur uirgo, neq; ut Deum hanc efficeret. Et paulo poſt: Sit, inquit, in honore Maria, Pater & filius et ſpiritus ſanctus adoretur, &c. Omnia hæc Epiphanij uerba hoc unum uolunt, ut agnoſcamus diuam Mariam pulcherrimam, ſanctam, & honoratam, quæ ex omnibus mulieribus delecta gratuita Dei miſericordia & dilectione, carnem dederit filio Dei: uirgo nihilominus perpetua, felix & Deo dilecta, atque adeò omnibus prælata diuis, at non ad adorationem.

D. Baſilius: Nõ omnia, inquit, per linguã dici poſſunt, ut ne mens uelut oculus totum ſolem intueri uolens, perdat etiam id quod habet lumen.

CAPVT TERTIVM.

Lucæ 1.
Viſitatur à uirgine Maria, imprægnata Elizabeth.

EXurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum feſtinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth. Et factum eſt, ut audiuit ſalutationem Elizabeth, exultauit infans in utero eius, & repleta eſt ſpiritu ſancto Elizabeth, & exclamauit uoce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui. Et unde hoc mihi, ut ueniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta eſt uox ſalutationis tuę in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo. Et beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominũ. Et exultauit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. Et miſericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum. Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mẽte cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham & ſemini eius in ſecula. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam.

COMMENTARIA.

Incarnationis myſterium, quod Dominus ad ſalutem totius mundi operatus eſt, noluit latère, quin ut uulgaretur per orbem terrarum uoluit. Ergo reuelat prius paulatim ac ſenſim dignis præconijs, laudatum per homines longè ſanctiſſimos, in quorum numero primas partes habent caſtißimæ & ſanctißimæ mulieres Elizabeth & Maria: quibus mox accedit Zacharias ſacerdos, accedunt cum angelis paſtores, iuſtus item ille Simeon, & Anna prophetiſſa. Quorum omniũ teſtimonijs uel ideo Dominus uſus eſt, ut credamus quia Ieſus eſt Chriſtus, dicente Ioanne: & ut credentes uitam habeamus in nomine ipſius. Ita ſaluabuntur, qui nec Chriſtum in carne docentem aut uiderunt, aut audiuerunt: edocti autem ab Apoſtolis, fideles facti ſunt. Quemadmodum et illi, ſcripturis ſacris fidem adhibẽtes, credunt Ieſum eſſe filium Dei uiui. de quibus certè hæc Chriſtũ dixiſſe, piè credendum eſt:

Beati

Beati qui non uiderunt & crediderunt. Item: Beati qui audiunt uerbum Dei, & cuſtodiunt illud. Maria autem docta ab angelo Elizabeth concepiſſe, ad eam proficiſcitur, non aliam quidem ob cauſam, quàm quòd diuina prouidentia ita inſtituiſſet incarnationem filij Dei clarius prædicare. Præterea cupiebat uirgo congratulari felicitati cognatæ, & uiciſſim ab ea conſolari & confirmari: quod quidem pietas exigebat. Vnde nobis multum commendantur bonorum amicorum doctrinæ, conſolationes & adhortationes, licet ipſi ſatis egregiè imbuti ſpiritu Dei ſimus. Verùm quòd exilijt infans Ioannes in utero matris Elizabeth, ea re primùm declaratum eſt, fœtum illum in utero uirginis illud expectatum eſſe gaudium omniũ ſanctorum Dei, ac ipſum uerum filium Dei, quem meritò colant, adorent & prædicent omnes creaturæ. Hæc autem occulta operatio Spiritus ſancti & munifici Domini gratia ſic affecit & commouit quoque Elizabeth, ut cum magna affectione Mariam laudauerit, dicens: O felix uirgo laudatiſſima inter mulieres, de qua proinde præcinuerunt uates diuini, te uenturam quæ filio Dei carnem & ſanguinem de proprio corpore ſuppeditaret. Meritò es benedicta propter benedictum illum filium, fructum uentris tui. Audi Marcion impie, ait Tertullianus. Si Maria non filium, ſed hoſpitem in utero geſtabat Ieſum: quomodo dicit, Beatus fructus uentris tui? quis hic fructus, qui nõ ex utero germinauit? Nec illud oſcitanter prætergrediendum, quòd etiam dixit Elizabeth: Vnde hoc mihi, quòd mater Domini mei uenit ad me? Certè ſic agnoſcit & confitetur, filium Dei corporis ſui ueritatem traxiſſe ex ſubſtantia huius ſemper benedictæ uirginis. Deus ergo uerus, et homo uerus eſt Ieſus Chriſtus. Laudat præterea Elizabeth uirginis fidem: Beata, inquit, quæ crediſti. Fides igitur felicitat & beat. Quemadmodum ergo diua uirgo fide mater filij Dei facta eſt, & per eandem cohors & hæres effecta uitæ æternæ: ita & nos beati erimus, ſi & ipſi crediderimus incarnatum, mortuum, & exuſcitatum pro nobis filiũ Dei, ut à peccatis abſoluti, hæredes ſimus regni Dei. Perficientur abſque dubio in nobis, quæcunque dicta ſunt de hoc per Prophetas & Apoſtolos Chriſti. Hoc autem præconio tantũ abeſt ut uirgo digniſſima extollatur, quin etiam hymno proprio gratias agat Domino Deo, huius uires, potentiam & miſericordiã extollat, quibus utitur erga ſuos cultores, & maximè uſus ſit erga ipſam. & ait: Ex animo & omnibus uiribus meis laudo & extollo Deum, & animus totus gratia Spiritus ſancti perfuſus, ineffabili gaudio exultat propter ſeruatorem meum: hoc eſt, quòd Deus ſeruare uult mundum, & ipſum mundi ſaluatorem iam in corpore meo incarnari uoluit. Et quomodo non ex animo celebrarem Deum meum, quandoquidem me pauperculam & abiectam, nihilq́; tale meritã, non deſpexit, ſed delegit ad tam prægrande myſterium incarnationis filij ſui? Ex hoc tempore beatam me dicent omnes generationes. Ea de cauſa felicem me prædicabunt, quia Deus omnipotens mihi magnifica fecit. Planè magnificum eſt, quòd creator omnium, quem cœli capere non poſſunt, in meo clauditur utero, creaturæ ſuæ. O Dei bonitatem & dona liberalia, quòd ipſe ad liberandũ hominem non horruit meum uterum. meritò igitur magnum eſt nomen eius, celebris ipſa Dei maieſtas. Illius nomen ubiq; erit ſanctum & adorandum, ad quod ſe flectet omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorum, per quod unum cõtinget ſalus uniuerſo mundo. Miſericordia & potentia ſua uſus eſt erga me magnificè Dominus ille, unde à me meritò maximis euehitur laudibus. Eſt autem miſericordia Dei, quam nobis hic commendat Maria, bonitas, beneuolentia, animusq́; erga homines propenſus, quo noſtri miſeretur, nobis fauet & benefacit: ea miſericordia eſt perpetua, omnibusq́; parata hómi nibus. Prudentiſſimè uerò addidit, Timentibus ipſum: ne abutantur Dei miſericordia homines, dum ideo quiduis licere putent, quia Dominus miſericors eſt. Cogitare oportet, Deũ ut miſericordem, ita etiam iuſtum eſſe, qui iraſcitur contemnentibus uerbum eius, & in pertinaces grauiter animaduertit. Porrò hanc potentiam ipſa uirgo teſtatur, & per facta exornat, dicens per brachium Dei, hoc eſt filium, per quem omnia abinitio operatus eſt pater, detractos potentes ac ſuperbos de ſedibus eſſe. Superbi ſunt numinis contemptores, rebelles uerbo & præceptis Dei, ſuo uiuentes arbitrio, ſua in omnibus conſilia ſequentes: quos propterea non roborat Deus, ſed diſſoluit ac diſſipat. Apparet equidẽ hoc in regibus Aegyptijs, Aſſyrijs, Babylonijs & alijs: Humilibus autem, dicente Petro, dat gratiam. Sic depoſuit Saulem ſuperbum, et exaltauit Dauidẽ humilem. Aliam porrò prædicat bonitatem Dei, nempe Eſurientes ab ipſo impleri. Sunt autem Eſurientes, qui ſpiritu Dei docti ſentiunt quàm ſint inopes et uacui bonorum omniũ, quàm nihil ſint, poſſint & habeant ex ſuis uiribus: ideoq́; de ſeipſis deſperant, & ad Chriſtum omnis boni fontem unicum properant, cum cæteros inanes dimittat, ablegetq́; ueluti fruſtratos, illos ſcilicet qui omnia ex ſeipſis promittentes inflantur, ut

cum

cum ſe putant eſſe ſapientes, iuſtos ac diuites, omnium pauperrimi ſint & uacui. Si quis eius rei exẽpla requirit, permulta inueniet in literis ſacris. Demum poſtrema uirginis uerba quò clariora fiant, ſic ordinanda erunt: Dominus recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, quam promiſit ſe Abrahæ & ſemini eius in ſecula præſtiturum, ideoq́; ſuſcepit Iſrael puerum ſuum. ut talis ſit ſenſus: Quemadmodum Deus ab initio ſua miſericordia & potẽtia uſus eſt erga homines, ita nunc maximè recordatus eſt promiſſionis ſuæ, Abrahæ et ſemini eius factæ: fore ut in æuũ miſeretur fideliũ, et his benediceret in ſemine benedicto. Quare ſub uocabulo Iſrael cõprehendit uniuerſalẽ omniũ credentiũ Eccleſiam: cũq; coniungit puerũ uel ſeruũ ſuũ, excludit rebelles, cõtumaces et incredulos. Tametſi enim omniũ ſaluator ſit Dominus: ſoli fideles tamẽ, qui ſunt ueri ſerui Dei iuxta Apoſtolũ, participes fiunt ſalutis.

CAPVT QVARTVM.

Lucæ 1. De ortu Ioannis, circumciſione ipſius, & Cantico Zachariæ.

ELizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt uicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum eſt in die octauo, uenerunt circumcidere puerum, & uocabant eum nomine patris ſui Zachariam. Et reſpondens mater eius, dixit: Nequaquam, ſed uocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognitione tua, qui uocetur hoc nomine? Innuebãt autem patri eius, quem uellet uocari eum. Et poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen eius. Et mirati ſunt uniuerſi. Apertum eſt autem ilico os eius & lingua eius, & loquebatur, benedicens Deum. Et factus eſt timor ſuper omnes uicinos eorum: & ſuper omnia montana diuulgabantur omnia uerba hæc. & poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes: Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus eſt ſpiritu ſancto, & prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia uiſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Et erexit cornu ſalutiſ nobis, in domo Dauid pueri ſui. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt, prophetarum eius. Salutẽ ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos. Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti. Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis: ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi, in ſanctitate & iuſticia coram ipſo, omnibus diebus noſtris. Et tu puer propheta altiſsimi uocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare uias eius. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſsionem peccatorum eorum. Per uiſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus uiſitauit nos oriens ex alto: Illuminare his qui in tenebris & umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in uiam pacis. Puer autem creſcebat, & cõfortabatur ſpiritu, & erat in deſertis, uſq; ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.

COMMENTARIA.

Poſtquam Euangeliſta Lucas iuxta uaticiniũ Malachiæ, tam præcurſoris quàm angeli teſtamenti, id eſt Chriſti conceptionem conſcripſit: iam, ut uerum decet hiſtoriographum, amborum deſcribit natiuitates. Ex quo primùm elucet & illuſtrior fit promittentis Dei ueritas: & colligitur inde, de nullis Dei uerbis promiſſionibusq́; uel tantillum eſſe dubitandum. Docetur & humanitas in congratulatione, quam ipſe Apoſtolus nobis his uerbis commendat: Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. In primis tamen miremur opera Dei, ipſiusq́; miſericordiã, in omnibus gratias agentes, ut idem monet. Porrò obſequuntur parentes inſtitutioni Domini, Gene. 17. & Leui. 12. tametſi intelligerent maſculum Deo charum, Spirituq́; ſancto plenum. Baptiſmus autẽ noſter circumciſioni ſucceſſit. Baptizemus ergo liberos noſtros, quoniam per uiſibilia illa ſigna conſecramur Deo in uera religione & iuſticia. De nomine autem pueri fit contentio inter cognatos & parentes. Ad fidelis obedientiæ exemplum apparet in Ioannis parentibus, quòd præceptis angeli obſequũtur, & cõſilia cognatorum non recipiunt. Ergo meritò cedit ueritati conſuetudo, quantũuis recepta & pulchra. Iam quando os muti Zachariæ apertum eſt, rurſum uidemus apertè puniri quidem iuſtos propter errores

errores & peccata ab ipſo iuſto Deo: at pœnas illas non eſſe perpetuas, ſed emendationis gratia inflictas. Et quid loquatur audiamus: Quamprimùm ſolutum fuit uinculum linguæ eius. Equidem laudes Dei, cui gratias agit: adhæc ſancta, ſalutaria & utilia: & prophetauit repletus ſpiritu ſancto. Vbiq; audimus ſpiritus ſancti gratiam. Sine hoc ſpiritu nihil fit, neq; factum eſt, neq; fiet: ut uerus ſit autor ipſe, qui in tota ſcriptura prophetica & apoſtolica loquitur per ſanctos Dei homines, tanquam per organa, dicente Chriſto: Non uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri qui loquitur in uobis. Matth. 10. Habet autem hoc canticũ quo ipſum Deum laudat, celebrat & explicat myſteria, duas partes. Principiò euidẽter exponitur, quid nobis datum ſit per Chriſtum, & quid nos illi uiciſſim debeamus. Deinde copioſe diſſerit de officio filij ſui Zacharias. Quid autem per Iſrael intellexerit ille, ex Geneſeos libro manifeſtum fiet. Iacob enim patriarcha Iſrael nomen, ſicut ille teſtatur, accepit ex luctatione facta cum angelo. Huic Iſraeli ingentia beneficia præſtitit Deus, & promiſit ſe ipſius Deum in ſempiternum eſſe uelle. Geneſis 32. Gene. 28. Et quare Deus omnibus modis ſit celebrandus, hanc cauſam adiungit, uiſitationem ſcilicet & redemptionem factam. Eſt autem uſitatę Hebræis, recordari afflictorum, curare periclitantes, & auxilium ferre. Vt ergo Deus olim uidens afflictionem populi ſui Iſraelitici deſcendit, eosq; liberauit: ita nunc quoq;, ait, capitalẽ ſententiam ſubituros. Deus ipſe carne aſſumpta uiſitauit, ita ſanè ut pro illis redimendis ſeſe impenderit capitis ſui periculo. Ergo per Chriſtum liberati ſumus & redempti à tyrannide ſatanica, & tormentis inferorum peccatis noſtris iuſticia Dei deſtinatis. Quamobrem hic propheta noſter Chriſtum cornu appellat, hoc eſt iuxta Scripturæ ſenſum, gloriam, regnum, uictoriam, & felicitatem. Pſalm. 112. Chriſtus igitur eſt ſummum bonum, ſalus, uita, & quicquid eſt in uotis ſanctorum: in domo Dauid, id eſt populi ſui. Dauid enim fuit ſingularis Domini ſeruus & cultor, cui proinde ipſe promiſſiones magnificas fecit. Pſalm. 131. Hoc cornu Chriſtum erexit Deus, cum ille congreſſus cum principe huius mundi, morte qua uicit eum, à tormentis inferorum liberauit nos, erecto in eccleſia uictoriæ trophæo, cum ſcilicet reſurrexit à mortuis, & conſedit ad dextram patris. Maximũ autem fuit hoc & grande beneficium, quod priuſquã exhiberet Deus, diuinis ſuis uatibus inſpirauit, & illi ab initio mundi non ex ſeſe locuti ſunt, ſuaq; propoſuerunt decreta, ſed Dei promiſſiones: ita quoque ſcribũt beati apoſtoli Petrus & Paulus Hebr. 1. 1. Pet. 2. Et ideo prophetæ meritò ſancti appellãtur, & ſancta eorum ſcripta, quib. credere debeamus. Hoc uerò locutus eſt Deus per illos ſuos prophetas, fore ut ſeruaremur ab inimicis noſtris. De qua liberatione ferè apud omnes prophetas aliquid inuenire licet, non quidem ſolum carnali, ſed potius ſpirituali. Quare intellexerunt illi hoſtes noſtros inuiſibiles, hoc eſt dæmones, à quorum poteſtate nos liberaret & eximeret Chriſtus. Quem ſenſum prophetarum nemo ſignificantius expreſſit, quàm Paulus apoſtolus Heb. 2. Coloſ. 2. Ex quo Iudæos toto cœlo erraſſe conuincitur, dum hæc omnia carnaliter exponunt de Romanis, Turcis, & alijs, quibus oppreſſis ipſi in ſupremam monarchiam ſublimandi ſint. Fuit autem hæc ſumma & ingens Dei miſericordia & gratia, quam meritò & iuſtè prædicamus. Etenim ſalus & omne bonũ noſtrum non ullius meriti, ſed gratiæ illius eſt. Hanc ipſam propterea tantoperè extollit Paulus in ſuis epiſtolis. Hanc quoq; exhibuit Deus pius pater & miſericors Dominus, ut ſancta fide & iuſto tempore præſtaret id quod teſtatum erat, & promiſiſſet. Teſtamentum enim pro fœdere & promiſſione, qua ſe obſtrinxit Deus ex gratia hominibus, accipitur: ita ut more hominum egiſſe uideatur, quibus in uſu eſt condere teſtamenta & inire fœdera, idq; conceptis uerbis & ſolenniter. Teſtamentum hoc uocat iam Zacharias iuſiurandum, id eſt promiſſionem & pactionẽ iureiurando Dei confirmatam, Abrahæ quidem. ſic enim ſcriptum eſt: Abraham, per memetipſum iuraui, quia non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum quemadmodum ſtellas et harenam quæ eſt in littore maris. Gene. 22. Porrò, ut beatus Paulus inquit, liberati ex iuramento illo per Chriſtum Dei filium præſtito, Ioan. 3. ſerui facti ſumus iuſticiæ. Quamobrem ſicut Chriſtus uenit ad deſtruenda opera diaboli, nosq; liberandos, & fecit hoc: ita fecit nos ſibi addictiſſimos ſeruos. Enimuerò non liberati ſumus à ſeruitute diaboli, ut rurſus implicemur uinculis diabolicis, & peccemus iam liberius & impudentius, ſed ut ſeruiamus Deo. Quomodo autem? Primùm in ſanctitate: hoc eſt, ut cuſtodiamus nos à contagio carnis & mundi. Deinde in iuſticia: ita oportet ut incedamus in omnibus mandatis & iuſtificationibus, & ſimus irreprehenſibiles coràm Deo & hominibus. Sic docuit Chriſtus potentiſſimus mundi liberator & ſaluator, necnon ſancti Apoſtoli, hãc uocationem gratioſiſſimam egregiè elegantiſſimeq; enarrãtes. 1. Theſſ. 4. Iaco. 1. 1. Pet. 1. Itaq; non accepimus

ſpiritum ſeruitutis iterum ad timorem, ſed ſpiritũ adoptionis.per quem clamamus Abba pater. Hæc uera poſteritas Abrahæ eſt, quæ per Euangelium obtemperat Deo,non uno tantũ die, ſed tota uita, omni deniq; tempore.Et hic cultus gratiſſimus eſt in cõſpectu Dei.In ſecunda parte carminis diſſerit diuinus uates de officio præcurſoris,filij ſcilicet ſui, & de uera & ſincera prædicatione ſacroſancti Euangelij. Eſt autem propheta interpres oraculorum Dei,per quem loquitur eccleſiæ ſuæ Dominus,uoluntatẽ ſuã reuelans . Porrò multa egregia officia recenſet huius prophetæ filij ſui:Docendo, inquit,uerã ueræ ſalutis cognitionem populo Dei tradet.Ea eſt cognitio remiſſionis peccatorum,per quid uidelicet remittantur nobis peccata.Ita Ioannes effecit ſua prædicatione, ut intellexerint homines,ſe eſſe peccatores,& ſibi opus medico: & cognouerint eum iam adeſſe, qui ſit largiturus ſalutẽ æternam.Idq́;,ait,continget omnibus credentibus propter exuberantem Dei noſtri miſericordiam. Significãt enim uiſcera intimam commiſerationẽ: ueluti cum mater commouetur maximè,& omnia eius intima concitantur erga filium : cuius hoc pulcherrimum exemplum Salomonis hiſtoria dabit, de filio mulieris diſſecando,3.Reg.3.Sic autem adumbratur nobis ineffabilis Dei dilectio , de qua Moſes , Paulus & Ioannes fuſiſſimè ſcripſerunt: quam Deus erga mundum ita demum oſtendit, declarauit atq; expreſſit , cum uiſitauit eum oriens ex alto.Chriſtus enim uerus ille ſol iuſtitiæ cœlitus in mundum uenit.Eraſmus putat , ſingulariter additum,ex alto,ſeu altitudine: nimirum ad differentiam corporei ſolis, qui nobis oritur ex inferis, ſurgens in altum.Chriſtus uerò ſol iuſticiæ è ſublimi exortus,deſcendit ad nos in terras. Nec hoc factum abſq; ratione dicit . Sol ille propterea exortus eſt,ideo demiſit ſe ad nos Chriſtus, & illuxit hominibus,quia in tenebris peccatorum erant,erroribus & peccatis , adeoq́; præſentiſſimæ morti impliciti.Iam ut Chriſtus ſuo in mundum aduentu orbem illuminauit , ita animorum pedes direxit in uiam euangelicam,quæ utiq; eſt uia pacis,quæ per fidem & charitatem dirimit inimicitiam, quæ eſt inter Deum et hominem. Ita ſanè docuit Chriſtus amorem mutuum,beneuolentiam atq; beneficentiam,ut ex toto illius claret Euangelio.Po ſtremo loco Lucas paucißimis perſtringit totam adoleſcẽtiam & iuuentutem Ioannis, quam docet atque oſtendit temperatiſſimam fuiſſe,cuius author & cõſeruator indicatur ſpiritus ſanctus:cuius inſtinctu Ioannes diligenter cauit,ne mundi immunditijs ſeſe pollueret , quò maiore cum authoritate poſtea mundi corruptionem increparet. Ergo modeſtiſſimè,&,ut uidetur,ſecutus Nazaræorum inſtitutum,ſe geſſit . Erat illi perpetuum cum Deo colloquium , inquit Eraſmus: donec placuit Deo, per miniſterium ipſius parare uias Chriſti ſui. Quando enim prodijt Ioannes , & munere prophetico uſus eſt , dies fuit declarationis eius apud Iſraelitas.

CAPVT QVINTVM.

Priuſquam ipſam hiſtoriæ ſeriem proſequamur,quis fuerit Matthæus,alter Euangelij ſcriptor,& qui ordine ipſum ſequitur Lucam,primum dicendum erit.Matthæus Alphæi filius fuit,& publicanus inſignis.Ita enim ipſe de ſe ſcribit. Vidit eum Dominus Ieſus in telonio ſedentem, & uocauit eum ad apoſtolatum: cuius equidem doctrinæ diligentiſſimus auditor fuit, atq; ſedulus operum mirificorum ſpectator. Cæterùm poſt acceptum ſpiritum ſanctum,initiò quidem Iudaicæ genti prædicauit. Deinde uerò cum pararet,non ſine Domini iuſſu & inſpiratione,ire ad gentes,patria lingua,hoc eſt,Hebraica ipſum Euangelium compoſuit & conſcripſit.ita enim ſcribit Euſebius, Papias,autor uetuſtiſſimus,& D. Hieronymus , cum inquit : Matthæus primus in Iudæa propter eos qui ex circumciſione crediderant,Euangelium Chriſti Hebraicis literis uerbiſq́; compoſuit : quod quis poſtea in Græcum tranſtulerit,non ſatis certum eſt. Poſtquam uerò euangelium Chriſti literis eſſet complexus,& uulgaſſet Matthæus,à Iudæa in Aethiopiam profectus,his quoq; ſumma fide et diligentia euangeliũ prædicauit,& complures ad Chriſtum conuertit.Certiſſimum eſt igitur,ipſum iam cum Domino in cœlis uiuere.& in æternum gaudere.

Matth.1. Genealogia Chriſti Ieſu.

Liber generationis Ieſu Chriſti,filij Dauid,filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas gènuit Phàres & Zaram,de Thamar. Phares genuit Eſrom. Eſrom genuit Aram. Aram genuit Aminadab. Aminadab genuit Naazon. Naazon genuit Salmon. Salmon genuit Booz,de Raab.Booz genuit Obed,ex Ruth.Obed genuit Ieſſe.Ieſſe genuit Dauid regem.Dauid rex genuit Salomonem,ex ea quæ fuit Vriæ.Salomon genuit Roboam, Roboam genuit Abiam, Abia genuit Aza. Aza genuit Ioſaphat. Ioſaphat

phat genuit Ioram. Iorã genuit Oziam. Ozias genuit Ioathan. Ioathan genuit Achaz. Achaz genuit Ezechiam. Ezechias genuit Manaſſen. Manaſſes genuit Amon. Amon genuit Ioſiam. Ioſias genuit Ieconiam & fratres eius, in tranſmigratione Babylonis. Et poſt tranſmigrationẽ Babylonis, Ieconias genuit Salathiel. Salathiel genuit Zorobabel. Zorobabel genuit Abiud. Abiud genuit Eliachim. Eliachim genuit Azor. Azor genuit Sadoch. Sadoch genuit Achim. Achim genuit Eliud. Eliud genuit Eleazar. Eleazar aũt genuit Mathã. Mathan aũt genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioſeph, uirum Mariæ: de qua natus eſt Ieſus, qui uocatur Chriſtus. Vniuerſæ itaq; generationes ab Abraham uſq; ad Dauid, quatuordecim. Et à Dauid uſq; ad tranſmigrationẽ Babylonis, quatuordecim. Et à trãſmigratione Babylonis uſq; ad Chriſtũ, quatuordecim.

COMMENTARIA.

Authoris Matthæi conſilium fuit, Hebræis demonſtrare, Ieſum, de quo ſcripturus erat, Chriſtũ, id eſt liberatorem, regem inquam & ſacerdotem illum eſſe, quẽ lex & prophetæ promiſerũt Deu. 18. Hier. 23. Fuit aũt Dauidis memoria populo Iſraelitico recens, & ſacroſancta cũ propter dignitatem regiã, tum propter promiſsiones ipſi factas, Pſalm. 131. Vnde omniũ ore celebrabatur, uenturum Meſsiam Dauidis fore filiũ. Matt. 22. Quòd aũt quoq; Abrahæ meminit, facit propter promiſsionem ipſi Abrahamo factam Gẽ. 17. 22. Verùm ut hoc commodius faceret, contexit uritim catalogũ generis Chriſti: quæ quia omnino è ueteri petitur hiſtoria, breuitati ſtudentes lectorẽ eò remittimus, potiores locos tractaturi. Et certè in quæſtionem uenit, cum Chriſtus non ſit natus ex ſemine Ioſeph, quare tamen per ipſius catalogum oſtẽdatur genus Chriſti. Equidem unanimis ſenſus & doctrina tenet, duplicem generationẽ Chriſti eſſe, unam diuinam, alteram uerò humanam. Fuit autem Matthæi inſtitutum, Chriſtum hominem demonſtrare, ſemen illud benedictum Abrahæ, & uerum Meſsiam & Dominum. Hoc autem non potuit fieri, niſi per catalogum maiorum. Erat uerò mos Hebræis, genealogias per uirorum enumerationem contexere. At iuxta latam legem, omnes uiri ducebant uxores de tribu & cognatione ſua, ut ſcilicet hæreditas permaneret in famili js, nec ſibi miſcerentur tribus. Num. 36. Cõſequitur ergo, matrem Chriſti Mariam de tribu Iuda natã, quando Ioſeph eius ſponſus de eadem fuit. Quamprimùm quoque Euangeliſta indicauit è cuius ſemine genita ſit uirgo mater, reliquit ipſum Ioſeph, non commemorans quem ipſe genuerit ut alij, ſed quẽ uirgo: ſimulac ſignificans, ſubſtantiã carnis Chriſti non ex ſemine Ioſeph, ſed ex ſubſtantia uirginis aſſumptam eſſe: Ex qua, inquit, genitus ſeu natus eſt Ieſus, qui uocatur Chriſtus. Chriſtus uocabulum Græcum eſt, quod apud Hebræos eſt Meſchiach, Latinè uerò unctus. Hinc autem originem traxit, quòd olim ungebantur apud Iudæos reges & ſacerdotes, 1. Regum 10. Exod. 30. in figuram Meſsiæ, qui futurus erat rex cœli & terræ, & ſummus ſacerdos in æternum. Vnguentum huius ſancti ſanctorum fuit Spiritus ſanctus, qui in hominem Chriſtum plenè effuſus eſt: hunc ſibi ueluti ſedem elegit. Et de hoc ſpiritu iam uerè fideles unguntur, hoc eſt gratiam accipiunt, quæ ſalutificam medelam affert uulneribus peccatorum: Lucæ 10. Cuius & ipſi templa ſunt, dicente Paulo: Neſcitis quòd templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in uobis? 1. Cor. 3. Igitur Ieſus eſt ille Chriſtus in ſcripturis promiſsus, Rex atq; Dominus uniuerſorum. Huius regis regalia munia ſunt, quòd cõtriuit caput ſerpentis, ipſum diabolum alligauit, atq; eripuit nos è poteſtate tenebrarum: Coloſs. 2. Deinde reſtituit nos in ueram libertatem, ut ei tanquam regi noſtro ſeruiamus in ſanctitate & iuſticia per omnem uitam. Hinc iuſtæ ac bonæ illius leges, ut uerè dixerit ipſe: Onus meum leue eſt, & iugum meum ſuaue. Matth. 11. Hic rex omnipotens uigilat ſuper nos, & defendit ab omni malo. ſiquidem dixit: Ecce ego uobiſcum ſum uſq; ad cõſummationem ſeculi. Eſt item Chriſtus Ieſus ſummus pontifex & ſacerdos noſter, unicus uidelicet ueritatis doctor. Malach. 2. Heb. 5. qui ſeipſum patri obtulit pro expiatione peccatorum totius mundi. Heb. 10. Cumq; iam ſedet ad dextram patris, agit aduocatum, apud eum intercedẽs pro noſtris erratis atq; peccatis. 1. Ioan. 2.

CAPVT SEXTVM.

CHriſti autem generatio ſic erat. Cum eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt habens in utero de ſpiri- *Matth. 1. De apparitiõe angeli ipſi Ioſeph.*

 tu ſan-

tu ſancto. Ioſeph autem uir eius cum eſſet iuſtus, & nollet traducere eam, uoluit occultè dimittere eam. Hæc autem cogitante eo, ecce angelus Domini in ſomnis apparuit ei dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem filium, & uocabis nomen eius IESVM. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictũ eſt

Eſaiæ 7. à Domino, per prophetam dicentem: Ecce uirgo in utero habebit, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel: quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus. Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei angelus Domini: & accepit coniugem ſuam, & non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum, & uocauit nomen eius Ieſum.

COMMENTARIA.

Docet Matthæus, Chriſtum Dominum non è ſemine Ioſeph, ſed de Spiritu ſancto purè & illibatè conceptũ eſſe in Maria uirgine: ut unà atq; eandem cum Luca, hoc eſt diuinã & miraculoſam Seruatoris noſtri conceptionẽ doceat. Ait ergo: Priuſquam conuenirent, reperta eſt grauida è ſpiritu ſancto. hoc eſt, nullum adhuc inter Ioſeph & Mariam interceſſerat commercium, nulla interuenerat cohabitatio. nondum enim eduxerat hanc è paternis ædibus. Hoc autem grande myſterium nondum intelligebat Ioſeph. Grauidam uidet, ſed congreſſum non interceſſiſſe nouit. Quia ergo ſibi probè conſcius erat, nihil ſibi rei cum puella fuiſſe, unde uterus intumeſceret, ut erat uir iuſtus, ita multa hic ſecum reputabat. Primùm, quòd fidem fallere iuſticia non pateretur, ſed potius deſponſatam domum ducere iuberet. Rurſum cum ſe ſciret non huius conceptus patrem, iam iuſticia iuberet reſcindere fidem: durum enim eſſe, domi alere quam metueret eſſe adulteram. ita docet Auguſtinus epiſtola quinquageſimaquarta. Quòd ſi uerum hoc, clamabat iuſticia non parcendum adulteræ: Deuterono. 22. Demum eadem illa iuſticia ſuggerebat, non feſtinandum ac temerè agendum, præſertim cum tales mores eſſent ſponſæ, ingenium ac fama, ut nulla ſuſpicio in eam cecidiſſet. Hic hæret animo Ioſeph, & iuxta prouerbium inter ſacrum & ſaxum ſtabat. Tandem porrò uenit ei in mentem, ne ipſa conijceretur in periculum uel uitæ uel famæ, fore conſultius ut ab ipſa diuertat, atque Deo iuſtiſſimo & ſapientiſſimo negocium totum committat. Ita quoque diuina bonitas non paſſa eſt diutius diſcruciari iuſtum ac probum uirum, imò maturè occurrit, animum' que eius maximis moleſtijs liberat, miſſo uidelicet cœlitùs angelo, qui totum negocium quod hic gerebatur, diuinitùs exponeret. Quòd uerò hoc factum fuit dormiente Ioſepho, obſeruandum erit, ſomnia alia quidem naturalia, alia autem ſupernaturalia eſſe. Naturalia, cum offeruntur imagines ijs de rebus, quas uigilantes ſæpè cogitamus: ut Claudianus inquit, Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus. Supernaturalia autem, quæ & diuina dicuntur, ſunt cogitationes quas Deus immittit mentibus uel per ſe, uel per angelos: qualia ſunt uaticinia Iacob, Geneſis 28. Danielis, capite quarto & ſeptimo: Ioſeph Gene. 40. 41. & ſimilium. Cum autem ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis, facit & ipſe ſomnia hominibus. Hinc ueneficæ uidentur ſibi intereſſe conuiuijs ac ludis, cum nihil ſint niſi phantaſiæ & ſpectra, quæ diabolus ipſis offert. Et his annis plurima audiuntur fanatica Anabaptiſtarum ſomnia. Sed de his alio loco. Quærit D. Chryſoſtomus: Cur in ſomnis apparuerit angelus, & nõ potius apertè, ſicut uirgini & Zachariæ? & oſtendit, Deum hoc modo ei, quemadmodum & alijs uiris iuſtis, ſuam mentem declarare uoluiſſe: & quòd ſciret eum, ut fidelem, manifeſtiore reuelatione non indigere. Et quare, inquit, non uirgo ei ſtatim rem expoſuit? quia nullo modo putauit ſe apud ſponſum fidem inuenturam, ſi ad eum rem nimis abſurdam referret: quinimò magis eum in iram credidit incitatum iri, quaſi illum prætextum ſuo peccato quærat. Porrò angelus, ut oportebat, animum Ioſeph parat ad res maximas memoria Dauidis, ac dicit: Ioſeph ne ſis animo uſque deiecto, neque præſentia duntaxat ſpectes: intende potius animum in prophetarum oracula, Eſaiæ ſeptimo, Hieremiæ 23. & quid tuis promiſſum ſit maioribus, Geneſis uigeſimoſecundo capite, Pſalmo 131. Pone ſuſpicionem & metum, quaſi ſponſa tua uterum gerat ex adulterio. Ex Dei mandato iubeo, ut eam recipias in uitæ conſortium. Fœtus enim quem uides cõceptum, omnino diuinus eſt: nullius hominis, ſed Spiritus ſancti, qui eum formauit. Audi ergo. ipſa pariet filiũ: at non tibi ut matres ſuis uiris, ſed toti mũdo.

D. Chryſoſto. diuerſæ eſt ſententiæ. cõſulat ipſum diligens lector.

Tu ut

Tu ut curator es, ut cuſtos huius intemeratæ uirginis à Deo cõſtitutus. Vocabis nomẽ eius Ieſum: Hic enim is eſt qui patrib. ac populo Dei promiſſus eſt, Deut. 18. ſaluator, ut eos liberet à peccatis, & è regno tenebrarũ, et eos purificatos ſanguine ſuo recipiat in regnum Dei, lucis & uitæ æternæ. Et quò maiorem adhibeat fidem his dictis, allegat uaticinium ex Iſaia propheta Matthæus, qui (ut uera narrat hiſtoria) Achaz regi Iuda iam uolenti amicitiam ambire regis Aſſyrij, ut ſe & regnum conſeruaret, ſigno euidentiſſimo oſtendit, tribum Iuda & regnum nõ fore excindendum, quemadmodum animis infeſtis concepiſſent reges Syriæ & Iſraelitarum. Quòd aũt tũc promiſit Deus Iudæis per Iſaiã, idipſum, inquit Matthæus, præſtitit in uirgine Maria. Virginem aũt concipere & parere, ita ut interim uirgo permaneat incorrupta, profectò ſignum mirificũ & contra naturã eſt: at propterea nõ impoſſibile, qa omnia ſunt poſſibilia Deo. Hinc eum Immanuel uocabũt, dixit propheta: hoc eſt, ipſum præſentiſſimũ Deũ. Deus eſt itaq; Chriſtus uerus, et qui ſemper nobiſcũ eſt, ut ſaluator et ſalus. Quãobrem ueriſſimè Ioannes dixit, uerbũ quod erat in principio apud Deum, caro factũ eſt, & habitauit in nobis. Cæterùm quia credidit angeli dictis Ioſeph, et inſpirationi, in hoc omnino apparet ipſum uirũ probum ac iuſtum fuiſſe. Adduxit ſibi uxorem ſuã, ſed tamen nunquam cognouit eam: quin ut uirginẽ accepit, ita uirginẽ cuſtodiuit. Donec enim, ut Theophylactus docet, nõ obinde poſitũ fuit, quaſi poſt partum eam cognouerit: ſed ut intelligamus, quòd nunquam hoc fecerit. Nec abſurdũ hoc, quũ & in Gen. eodẽ modo interpretetur. Gen. 8. Certè ſuper hac re olim acriter certarunt D. Hieron. & Heluidius. Hieronymus tamen cõuicit eum, omnino uindicans perpetuã uirginitatẽ Mariæ. Oportet igitur omnes quæſtiones abijcere, et pura ac ſancta cogitare, quæ ſanctè et piè tradiderũt nobis prædeceſſores noſtri S. Apoſtoli ac uenerãdi patres, ubi dicunt: Gaudia matris habes cum uirginitatis honore: Nec primam ſimilem uiſa es, nec habere ſequentẽ. Nec propterea ſequitur, alios ſubſecutos fuiſſe filios, quia euãgeliſta dicit Chriſtũ primogenitum. Primogenitus enim in lege dicitur is, qui primo partu editus eſt, tametſi nullus ſequatur alius partus. Ea propter qui Ezechielis uerba huc adferunt 44. non omnino abſurda adducere uidentur, ubi loquitur de porta Oriẽtali, & ænigmate quodam uterũ uirginis ſignificauit, ex quo prodijt ſol ille iuſticiæ Chriſtus, ut nihilominus manſerit clauſa. D. Hieronymus hunc prophetæ locum enarrans, eorum interpretationem laudat et approbat, tanquam uerã & ſanctã: meminitq; libri ſui contra Heluidium ſcripti.

CAPVT SEPTIMVM.

FActum eſt autem in diebus illis, exijt edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur uniuerſus orbis. Hęc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino: & ibant omnes ut profiterentur, ſinguli in ciuitatem ſuam. Aſcendit autẽ & Ioſeph à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quę uocatur Bethleem, eo quòd eſſet de domo & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. Factum eſt autem cum eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret: & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat locus ei in diuerſorio. Et paſtores erant in regione eadem, uigilantes & cuſtodientes uigilias noctis ſupra gregem ſuum. Et ecce angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit angelus illis: Nolite timere. Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt uobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc uobis ſignum: inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.

Lucæ 2. De natiuitate Chriſti, & quo modo paſtoribus apparuit angelus.

COMMMENTARIA.

Omnes ferè hiſtoriographi unanimiter uolunt, Octauium Auguſtum totius orbis dominum fuiſſe. Ante ipſum enim diuiſa fuerat Romanorum reſpublica cum prouincijs, ita ut Auguſto Cæſari data eſſet Hiſpania, Gallia, & Italia, totus (inquam) Occidens: Marco Antonio data eſt Aſia, Pontus & Oriens. Ergo imperatorum Auguſti & Antonij temporibus, & Auguſti

Vide Othonẽ Friſingenſem.

benedictinus. 3962

maximè, qui deuicit Antonium, cœpit Deus ille uerus cœli & terræ cõditor regnũ condere filio ſuo, quem naſci in humana carne uoluit. Auguſtus ergo ille cũ iam regnaſſet annis 42. natus eſt Chriſtus, anno à mundo condito 3984. Natus eſt autem 8 Calend. Ianuarij. Illisq; diebus, ſcribẽte Oroſio, trãs Tiberim è taberna meritoria fons olei toto die largiſsimo riuo fluxit. Rex ergo Iudææ erat Auguſtus, homo ethnicus, qui & Herodẽ regem Iudææ eſse iuſſerat. Proinde impleta iam fuit prophetia Iſraelis dicentis: Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c. Gen. 49. Egit aũt cenſum Auguſtus ſub finẽ imperij ſui per Cyrenium ſiue Cyrinũ, uirum conſularẽ, atq; peritum rerum Iudaicarum. Fiebat hoc, ut ſciretur quantum quiſq; haberet in facultatibus, ex quib. deinde tributum ſolueret: deniq; ut certus teneretur capitũ numerus. Beda presbyter non ineleganter hãc totius orbis deſcriptionem exponit, cum inquit: Totius orbis deſcriptio, quæ à terreno rege facta memoratur, opera regis cœleſtis manifeſtè deſignauit, qui ad hoc nimirum apparuit in mundo, ut de cunctis per orbem nationib. electos in unitatem fidei ſuæ colligeret, ac nomina ipſorum, ſicut promiſit, ſcriberet in cœlo. Eſt autem ſanctiſsima natiuitas filij Dei omnino ac tota humilis. At ſi ueris indicijs, ait Eraſmus, hanc rem uelimus æſtimare, plus potentiæ ac maieſtatis in ea relucet, quàm in omnibus omnium Cæſarũ pompis atq; triumphis. Nec aliquem, rurſum rogo, offendat nomẽ Primogenitus, cum oſtendat non relationem quandam ad ſecundò genitum & poſteriores, ſed ut fœtus denotet dignitatem & excellentiã: quod in Luca prius ſatis abundeq; demonſtratum eſt. Hoc uerò maximum orbis myſterium ecce paſtoribus aperitur & annunciatur. Cuius cum uariæ poſsint eſſe rationes, ſola tamen hæc Theophylacto probatur, quòd ſimplices fuerunt, innocentes, & iuſtorũ uitam imitati: quemadmodum phariſæi omnis nequitiæ receptacula. Hinc puto argumentum hauſiſſe Paulum de ſtultitia huius mundi & de uera ſapiẽtia coram Deo, 1. Cor. 1. et 2. Fiamus itaq; oportet paſtoribus ſimiles, ſi cupimus nobis illucere Chriſtum. Cæterùm hoc fecit angelus, qui cum ſplendore et luce clariſsima ipſis apparuit, ut annunciaret lucem ueniſſe in mundum, ad illuminandum omnes homines. Credamus Dei nuncio, deq; exhibito nobis ſaluatore nemo prorſus dubitet. commendaturq; his uerbis nobis authoritas Euangelicæ prædicationis, quæ nõ ab hominib. ſed angelo cœlitùs eſt allata. Annunciat aũt gaudium magnũ, uerè magnum. nam à ſeculis non erat auditum, natum ſaluatorem, qui mundum ſua morte redimeret, atq; ſaluaret. Omnibus igitur natus eſt Chriſtus, omnes homines uult is ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. nemo ergo excluditur, niſi qui ſemetipſum ſua ſe excluſerit incredulitate et rebellione. Hinc quoq; angelus felix & letum nuncium pleniſsimè exponit inquiens, natum eſſe ſeruatorem atq; ſaluatorem: quibus certè ſignificauit, multam ac magnã beneficentiã nobis in Chriſto exhibitã. Natus eſt itaq; filius Dei Chriſtus, ut perditos quæreret, inuẽtos in peccatis & morte, ſatanæ inquam captiuos liberaret, liberatos uerò demum reſtituat & cuſtodiat in felicitate & & beatitudine uera. Et hoc ipſum fecit Chriſtus Domini, facietq; poſt hoc ſeculum. Porrò ne quid dubitarent de nouo & admirando nuncio paſtores, remittit eos Bethleem uſq;, ubi inueniant iam recens natum infantulum. Poſtremò oſtendit Euangeliſta diuinam & illuſtrem gloriã Ieſu Chriſti. Et maximè hoc factum eſt propter credentes, ut non cõtemnant quem audiunt faſcijs inuolutũ, & collocatum in præſepio eſſe. Seruiunt iam ei ergo cœleſtes copiæ, hoc eſt chorus angelorum, & carmine Deum omnis boni fontem & authorem laudant ſingulari, quod meritò nos ad agnitionem beneficiorum Dei & gratiarumactionem excitare debet. Deinde hominib. ſuper terram conſtitutis ſummam pacem pollicentur, de qua pace audiendus erit Paulus Eph. 2. Officij ergo noſtri eſſet agnoſcere, pacem nobis factam per Chriſtum, ut conaremur omnibus modis ambulare in charitate non ficta. Sic aũt pleriq; interpretãtur hunc locũ, ut iſta pax quam annunciarunt angeli, non ſit ex meritis noſtris, ſed pius affectus Dei erga homines. ut ſit ſenſus: Pax contigit terræ, eo quòd erga homines propenſa ſit Deus uoluntate, adeoq; placatus ſit hominibus. Vel etiam, ut alij uolunt: hæc pax debetur hominibus qui ſunt bona præditi uoluntate, pietate imbuti & modeſtia. Hæc eſt enim uoluntas Dei, ſanctificatio noſtra.

CAPVT OCTAVVM.

Lucæ 2. Paſtores ueniunt Bethleem, & omnia inueniunt uera.

ET factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis angeli in cœlum, paſtores loquebantur ad inuicem: Tranſeamus uſque Bethleem, & uideamus hoc uerbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. Et uenerunt feſtinãtes, & inuenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitũ in præſepio. Videntes autem, cognouerunt de uerbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt

dierunt,admirati ſunt de his quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. Maria autem conſeruabat omnia uerba hæc,conferens in corde ſuo. Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant,ſicut dictũ eſt ad illos.Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, uocatum eſt nomen eius Ieſus:quod uocatum eſt ab angelo,priuſquam in utero conciperetur. Circumciſio.

COMMENTARIA.

Paſtores non fuerunt auditores ocioſi: unde mutuò ſeſe excitant & exhortantur. Ergo ubi fides eſt, ibi ſedulitas & ardor. Hæc agit quæ bona ſunt, & indagatur diligenter uera & utilia. Ex hac fide habuerũt paſtores uerbũ angeli pro uerbo Dei. Agnoſcamus et nos hodie,totũ illud quod de natiuitate Meßiæ hactenus audiuimus,Dei uerbũ eſſe,cui non credere aut reclamare piaculũ ſit. Ex hac fide relinquũt gregẽ ſuũ, ac feſtinatò ueniunt quò fuerant uocati:& nihil hic inueniũt quod mundus miretur, imò quod non egregiè contemnat. at propterea non offenduntur. æſtimabant enim hoc non ex præſenti uilitate, ſed præconio angelico. Cogitemus & nos id factum ad ſalutem hominum. Cogitemus inquam, humilib. cõiuncta ſimul eſſe excellentißima, & utriuſq; naturæ diuinæ ſcilicet & humanæ argumenta apparere. Iacet quidẽ in præſepi ut homo, humiliatus propter nos: Philip. 2. uerum idem uocib. celebratur angelorum excelſißimus. Ex hac fide paſtores ſibi nõ ſeruant, ſed prædicant liberè & apertè quæ audierant ab angelis, & repererant ita eſſe. Habet igitur uera fides confeßionem. Paſtores autem illi, ſignificauerũt paſtores populorũ. Illis itaq; ante omnia perſpecta eſſe debet Ieſu Chriſti myſterij Euãgelici cognitio. Diſcant ergo rectores animarũ, nihil aliud ouibus ſuæ fidei concreditis proponere quàm uerbum Dei, quàm uerißima & compertißima. Officium erit, ait Theophylactus, ſpiritualiũ paſtorum, quærere panem illum uiuum: quem cum uiderint, debent et illum alijs prædicare. Iam quòd illa ſic narrari à paſtoribus homines audiuerunt, & mirati ſunt, habemus etiam nos quod miremur: Domini uidelicet ueritatẽ, bonitatẽ & miſericordiã, quæ omnia relucent in natiuitate Domini. Miremur aũt non ueluti noua, ſed ut opera ſalutaria propter noſtrã ſalutem facta. Quæ quidem admiratio cũ ſit rerũ ineffabiliũ & cœleſtiũ, creſcit ſubinde in ſanctis, & exuberat in maximã gratiarũ actionẽ. Quòd diua uirgo hic facit, religioſè imitari debemus: ut ſcilicet reuelatũ Domini negocium ſanctè cuſtodiamus, cauentes ne unquã animo excidat. Neq; enim ſatis eſt redẽptionis myſteriũ ſemel audiuiſſe, collatio quoq; ut accedat neceſſe eſt, ut excutiamus et examinemus diuinũ hoc opus noſtræ ſalutis. Hoc etiã nos docent paſtores, qui ad gregẽ ſuũ reuerſi glorificauerunt Deũ: id eſt, extulerunt ingens Dei beneficiũ toti orbi exhibitũ. Diſcant itaq; Chriſtiani, memores eſſe in omnib. operib. & negociationib. Domini redẽptoris noſtri, et reſpicere ad mandatũ ipſius, quo ſic tranſeant per bona tẽporalia, ut nõ amittant æterna. Quare aũt Chriſtus circũcidi uoluerit, ex Epiphanio diſcere licet: nimirũ ut cõfirmaret circũciſionẽ, quam olim dederat. Nemo tamen hinc colligat repetendã circumciſionẽ. Quia enim cruenta fuit, per Chriſti paßionẽ abolita eſt, qui ſanguine ſuo fuſo omnẽ typicã effuſionẽ ſuſtulit. Et eius loco baptiſmus inſtitutus eſt. Cõfunditur hic quoq; Manichæus, q uoluit Chriſtũ in phãtaſmate apparuiſſe: et Valẽtinus, q dixit ipſum Chriſtum corpus è ſupnis detuliſſe. Ac legi ſubijcitur Dominus, ut nos à lege liberaret. Vide Cyprianum & Auguſtinum.

CAPVT NONVM.

ET poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius,ſecundum legem Moſi,tulerunt illum in Hieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens uuluam,ſanctum Domino uocabitur. Et ut darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini: par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo. Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non uiſurum ſe mortem niſi prius uideret Chriſtum Domini. Et uenit in ſpiritu in templum. Et cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum uerbum tuum in pace. Quia uiderunt oculi mei ſalutare tuum. Lucæ 2. Puer Ieſus in templo ſiſtitur Domino.

Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Et erant pater & mater eius mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorū in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna propheteſſa, filia Phanuel de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & uixerat cum uiro ſuo annis ſeptem, à uirginitate ſua. Et hæc uidua uſq; ad annos octoginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Et hac ipſa hora ſuperueniens cōfitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Hieruſalem. Et ut perfecerunt omnia ſecundū legē Domini, reuerſi ſunt in Galilæā, in ciuitatē ſuam Nazareth.

COMMENTARIA.

Lege præceptum erat, ut uidere eſt Exod. 13. Nu 8. ut primogenita eſſent ſancta, & dedicarētur Deo. Erat aūt primogenitus Dominus Ieſus. Proinde dedicādus erat Domino. Vnde parentes Hieroſolymam aſcenderunt, ut ſiſterent eum Domino. Alia quoq; ratio fuit, nempe purificationis legem ut adimpleret Maria: etſi ſciret ſe non ex uirili ſemine, ſed myſtico ſpiramine concepiſſe. Legē habes Leuit. 12. Obtulerunt autem pauperum munus: quia Chriſtus propter nos pauper factus eſt, ut nos cœleſtibus ditaret facultatibus. Nulla indiguit purgatione diua uirgo. Oportuit enim hunc partum et fœtum puriſsimum eſſe omnibus modis, qui deſtinabatur totius mundi ſordibus emundandis. Ergo purgationē uocat hic Lucas eas ceremonias, quibus olim puerpera & fœtus luſtrabantur poſt dies quadraginta. Habemus item hic teſtimonium illuſtriſsimum nati redemptoris: ex quo diſcemus rurſum, quid per Chriſtum orbi dederit pius pater & miſericors Dominus. Eſt autem uerum & fide dignum teſtimoniū, quia hominis ſanctiſsimi, expectantis conſolationē Iſraelis in Chriſto præſtandæ. Doctus fuit hic Simeon, & aſsiduus in lectione prophetarum: ex quibus didicerat, uaticinia de Chriſto ferè omnia finem & terminum ſuum eſſe conſecuta. Spiritus ſanctus autem ſuper ipſum manens inſpirauit ei, quòd non eſſet moriturus, niſi prius uidiſſet unctum Domini. Hoc enim ſummè deſiderabat ille, uidere ſanctum ſanctorum Regem, & liberatorem totius mundi. Cum autem eſſet ſacerdos Domini, ex more ſuſcepit in ulnas puerum Ieſum. Et nos debemus oblatum Chriſtum animo alacri recipere atq; complecti. Deinde laudat Deum pro tanto beneficio. Reſoluantur & noſtra corda & noſtræ uoces in laudes Dei. Et quia maximo cum deſiderio expectauerat Chriſtum, cum iam ipſum in ſuis manibus tenet, gratulatur ſibi maximo cum iubilo: ac carmine inſigni docet, quanta cum Chriſto dederit nobis cœleſtis pater, et ait: † Iam quieto et trāquillo animo moriar, quia ueritatem uerbi tui agnoſco. Olim extra Chriſtū omnia erāt terroris & horroris pleniſsima: unde mori timebat Ezechias rex. Nunc aūt nihil mors horroris habet, cū uideam ſaluatorē orbis Chriſtū. Mori timeat, ſed qui Chriſtū ignorat. Chriſti cognitio ſecurum ac trāquillū me facit, ut cupiā diſſolui ac dimitti. Porrò cauſam plenius et ſignificātius ſubiungit Simeō, quare tā ſecuro animo mori cupiat: propterea quòd oculis ſuis uidit ſalutare Dei. Vidit quidē Chriſtū oculis corporeis, at magis animi oculis eum inſpexit: quomodo Chriſtū Iudas & Pilatus non uiderunt, licet eū cōtrectauerint manibus. Sic quoq; nos, quia credimus in Chriſtū ut filiū Dei & mundi ſeruatorē, ſalui erimus, licet oculis haudquaquā uiderimus ipſum. Sic enim dixit ille: Beati qui non uiderunt, & crediderunt. Et hoc ſalutare dicit paratū omnibus populis: hoc eſt, Deū deſtinaſſe filiū ſuum iam incarnatū et genitum, omnib. populis, omnibus gentib. proponere. Et eò reſpicere uidetur quod Abrahā dixit Deus: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Agnoſcit item ſenex Simeō hūc puerū eſſe lucē mundi, prophetarū oraculis promiſſam: hunc eſſe ſolem quē exoriri uoluerit Deus, ut diſpelleret omniū gentiū tenebras idolatriæ, ignorantiæ ac errorum. Et haberet populus Iſrael quo meritò glorietur, quia ex ſtirpe ſua natus eſſet ſaluator mūdi. Iam ergo nō gloriamur fideles facti de Abrahā, Iſaac et Iacob: ſed ut ueri Iſraelitæ iuxta ſpiritū gloriamur de filio Dei, quē omnib. maiorē mittere dignatus eſt. Ipſi gloria in ſecula ſeculorū, Amen. Cæterùm mirantur parentes Domini, ſuper his quæ à ſene afferebātur uenerādo: non quòd nō magna ſibi de filio, tantis angelorū & hominū teſtimonijs prædicato pollicerētur, ſed quòd in momenta magnis maxima accumulari cernerēt. Simeon uerò pro ſua pietate benedicit illis, id eſt proſperum optat ſucceſſum, et beneprecatus gratulatur.

† Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, &c.

Et con-

Et conuertit ſe ad uerā pueri matrem, ac declarat quib. animis acceſſuri ſint ad ipſum homines, quodq́; alijs ſalutaris, alijs futurus ſit pernicioſus. Notauit ergo Simeon duo auditorū genera: Primùm ſunt qui ſine fide ad Chriſtū ueniunt, & ab eodem mox infideles recedunt, quando plerunq; offendūtur cruce, contēptu et humilitate Chriſti: ijs cedit quidē Chriſtus ad mortem, quod ſanè accidit ipſorum accedentium uitio, & non Chriſti culpa: ſicq; dicitur Dominus ruina & petra ſcandali. Deinde ueniūt alij fide ad Chriſtum, & hi è peccato extrahuntur, & abſoluūtur à pœna damnationis, donatur eis Spiritus ſanctus ut nouā uitam uiuant, & illis ut uerè credentibus dicitur Chriſtus reſurrectio & uita eſſe. Dicit quoq; Chriſtū futurum ſignum, ad quod iaculentur homines impij. Hoc equidē faciunt modò Iudæi, Turcæ, hæretici, et alij nequam homines. Lux Chriſtus eſt, ueritas & iuſticia. nequeunt ergo nō odiſſe eum tenebræ, mendaciū & iniquitas. Inſuper & matri acerbum dolorem uaticinatur Simeon. * Si uerò mater Domini non fuit exors crucis & dolorū, quos ſuſtinuit propter filium & ueritatem: quomodo polliceri poſſumus nobis ex Euāgelio gaudia & uoluptates? Omnes quin magis oportet ut ſimus parati, animis fortibus ferre crucem nobis impoſitam. Quòd ſi pax cōtingit, utamur ea cū timore Domini, ſemper expectātes afflictiones quib. tāquam igni probantur ſancti. Proponitur aūt Chriſtus toti orbi ad ſalutem, uerùm non omnes apprehendunt eam, cum ſcriptum ſit: Non eſt pax impijs. multi quidem cōcidunt in foueam æterni ignis, quod permittit Deus iuſtus, ut omnib. iuſtitiam ſuā probet, atq; appareat quales ſint intra ſe homines qui damnantur. Superbi enim & arrogantes humiliari nolunt, iuſtos ſe eſſe putant. Prædicatur charitas & innocentia uitæ, reclamant: hacq; ratione detegitur quàm peruerſa ſit mens ipſorum: atque apparet exinde hos eſſe iniuſtos, quos iuſtè condēnet Deus. Iam quoq; poſt hæc atq; alia teſtimonia producitur ſanctiſſimæ uiduæ Annæ teſtimoniū à diligentiſſimo ſcriptore Luca. Hæc fuit in ſcripturis docta et exercitata, perita diuinæ uoluntatis, & inſpirata à ſpiritu ſancto, & erat omnino religioſa. In tēplo enim audiebat uerbū Dei, intererat cœtib. ſacris, cōmunicans ſacrificijs, corpus exercebat ieiunijs, mētē relaxabat in preces. Hic cultus legitimus & Deo gratiſſimus erat, faciq́; ad cōmendandā teſtē, ut fidē apud nos iuſtā inueniat. Hæc ſancta uidua ingreſſa templū hora illa qua illatus Ieſus in templū à parentib. erat, ex ſpiritu ſancto cepit Dominū laudare, Deo gratias agere, & toti mortalium generi gratulari propter exhibitū ſaluatorē mundi: loquebatur aūt omnib. expectantibus redemptorē & ſaluatorē fideliū. Habemus ergo multis firmis, euidentibus & irrefragabilibus teſtimonijs hominum clariſſimorum comprobatum & confirmatum, quòd Chriſtus ſit ille filius Dei miſſus in mundū, ut ſit ſalus toti° mundi. Et poſtquā omnia ut decebat peracta ſunt ſacra, redeūt parētes Domini in Galilæā. Ibi adoleſcit puer. Tametſi enim eſſet Deus uerus: tamē admodū noſtrū et ſecundū humanā naturā creuit.

* Studioſus lector uideat, quæ hic annotauit Eraſmus.

CAPVT DECIMVM.

CVm ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudææ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente uenerunt Hieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & uenimus adorare eum. Audiens aūt Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Et congregans omnes principes ſacerdotum, & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur? At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudææ. ſic enim ſcriptū eſt per prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael. Tunc Herodes clàm uocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ quæ apparuit eis. & mittens illos in Berhleem, dixit: Ite & interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis, renunciate mihi, ut ego ueniens adorē eum. Qui cum audiſſent regem, abierunt. Et ecce ſtella quam uiderant in Oriēte, antecedebat eos, uſquedum ueniens ſtaret, ubi erat puer. Videntes autem ſtellā, gauiſi ſunt gaudio magno ualde. Et intrantes domum, inuenerunt puerū cum Maria matre eius: & procidentes adorauerūt eum. & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam uiam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

Matth. 2. Puer Ieſus Chriſtus à tribus Magis adoratur.

COMMENTARIA.

Audiuimus Chriſtū ſemen promiſſū à Deo patre exhibitum, & natum eſſe in mundum. Quando aūt hominib. natus fuit, oportuit illā natiuitatē orbi innoteſcere, atq; palàm fieri quibus ille natus ſit, ac ſalutaris. Quum autem pater cœleſtis illuſtri quadam reuelatione Chriſtum ſuum Iudæis

aperuit,

aperuit: iam gentibus quoq; natum eſſe Saluatorẽ oſtendit. Præſtabat ſanè gentium uocationem doceri apertè, propterea quòd ſancti prophetæ de illa tam diligenter docuerunt. Eſa. 60. Hiere. 16. Malach. 1. De Magis illis diſputatur à quibuſdã, quales ſcilicet fuerint. Conſtat autem Magos Perſis fuiſſe, quos Græci philoſophos ſiue ſophos appellarunt. Et in magno precio & ueneratione fuerunt illi, ita ut publica monarchia per eos gubernaretur. Eſt autem inſignis noſtræ religionis commendatio, quòd tam ſapientiſſimi & clariſſimi uiri, ex longinqua regione ueniunt adoratũ Regẽ ac Dominum noſtrũ. Ne pudeat igitur nos Regem tantum adorare. Iam & de ſtella quæſitum eſt, quæ illis apparuit in Oriente. Chryſoſtomus autem putat ſidus fuiſſe ad hunc uſum ſpecialiter conditũ: quemadmodum angeli corpora aliquando induũt, & poſt peractam functionem ea rurſus exuunt. Cæterùm cum nonnulli uelint, eos à nato Chriſto duodecimo die ueniſſe Bethleem, Epiphanius & Euſebius docent errorẽ eſſe. Et Epiphanius ſecundo anno hoc factum dicit. Euſebius uerò eorũ aduentum reijcit in tertium annum, uel obinde quòd Herodes illuſus ab ipſis iuſsit bimulos & minores occidi. At in hoc non magna ſalutis noſtræ portio continetur. Inſignem fidem oſtendunt Magi, quando liberè & apertè iam natum regem Iudæorum annunciant. Herodem certè non neſciebant, gloriam & potentiam eius non ignorabant, utpote uulgatiſſimam: eo tamen præterito, nihil metuũt de alio rege inquirere. Hoc equidem docemur, ut Chriſtum nobis natum recipiamus uerbo Dei credentes, uocantem ſequamur & confiteamur intrepidè, omnia ſuſcipiamus libenter propter ipſum: nihilq; diffidamus, ipſum propter noſtram ſalutem eſſe editũ, ipſum laudare debemus & adorare ſemper. Nec mirum nos habere poteſt, quare admodũ turbatus ſit Herodes, cum cogitamus ipſum ſuæ exiſtimationi, ſuæ dignitati & regno ſuo metuiſſe: ſed, quare urbs Hieroſolymorum turbata ſit, quæ potius ob præſtitum Meſsiam exultare debebat. Enimuerò non tantum factum fuit ex ſupina illorum negligentia, uerumetiam quòd plerique ab ipſo Herode eſſent corrupti, & timerent rebus ſuis, quando non niſi magno regum conflictu hanc rem tranſigendam crederent. Herodes autem conuocat literatos ac eruditos omnes, doctores & legiſperitos, quorũ officiũ erat reſponſa dare ex Biblijs, iuxta illud Malachiæ: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiã: ut ſciret locum ubi naſceretur Chriſtus, non quidem ob pietatẽ ac religionem, ut ſcilicet regem & ſaluatorem totius Iſraelis adoraret, ſed ut ipſum interficeret. Videmus hic diabolicam uerſutiam Herodis, quòd admodum blando ſermone Magos dimittit, laudat eorum religionẽ & pietatem, eosq; adhortatur ut ſumma diligentia inueſtigent puerum, ſimulatq; ſe eorum exemplum imitaturum. Et uiciſsim ſimplex Magorũ relucet probitas, perſeuerantia item, qui cum ex urbe proficiſcuntur, & neminem ex tota gente uident qui ſe ipſis comitem addat: tamen nõ cogitant, Deluſi eſtis, operam & impenſam perdidiſtis: ſed pergunt quod ceperũt iter, et ſeſe cõmittunt gratiæ Dei. Et Domin' omnis boni tuetur eos. Stella enim denuò apparet, et ceu digito demõſtrat diu quæſitũ et expetitum infantẽ. quem ut uiderũt, gaudio ineffabili perfuſi ſunt. Sic etenim ſancti afficiuntur, ad Dei beneficia ardent ipſorũ pectora, ſuntq; ſtrenui in ſua uocatione. Diſcamus ergo conſtantes eſſe & boni, & ſpectare Dominũ. Copioſius Magorũ fides ex illorum operib. illuſtratur. Ecce enim nihil hic illuſtre, nihil regiũ hic apparebat: nihilominus procidũt, & hunc puerũ adorant, prolatisq; muneribus magnificè honorãt. quorũ myſterium ſiue ſignificationẽ ſi quis requirit, conſulat Fulgentium, Gregoriũ atq; Bernhardũ. quibus certè placet aurum ſignificaſſe, ut credamus Chriſtũ Dominũ, totius mundi Regem ac Dominũ eſſe: Thus, ipſum uerum ſacerdotem, qui expiauit ſui corporis ſacrificio crimina noſtra: Myrrha deniq;, ut eum quẽ credimus in diuinitate ſua impaſsibilem, credamus etiam in noſtra carne fuiſſe mortalẽ. Demum uiros optimos, ſimplices & fucũ neſcientes uerſutus hypocrita Herodes intercipere deſtinarat. at Dominus pro ſuis uigilat, ut eximat è periculis, ac gratia ſua incolumes ſeruet. Inſtituit ergo eos occulto cõſilio ne redeant ad Herodẽ, ſed proximè Orientẽ repetãt. Timeamus itaq; Deũ, ambulemus in præceptis eius, credamus uerbis ipſius ex animo & firmiſsimè, et ipſe eruet nos ab omni malo. Cogitemus oportet quæ dixerit D. Petrus, Omnẽ curam & ſolicitudinem proijciendam in Deum: ipſi enim curæ ſit de nobis. Redeunt illi per uiam aliam in regionem ſuam incolumes: & nos, ubi commiſerimus nos Deo, ſeruabimus animas noſtras, ingrediemur que regionem illam quam Chriſtus promiſit, regni cœlorum ſcilicet, ubi æterna noſtra ſit felicitas.

Nicephorus libro 1. cap. 13.

CAPVT VNDECIMVM.

Matth. 2
Pueri in Bethleem & in omnibus finib. eius trucidãtur.

QVum autem receſsiſſent, ecce angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge & accipe puerũ & matrẽ eius, & fuge in Aegyptum,

& eſto

& eſto ibi, uſq; dum dicam tibi. Futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum, ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit puerũ & matrem eius nocte, & receſsit in Aegyptũ, & erat ibi uſq; ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto uocaui filiũ meum. Oſeæ 11. Tunc Herodes uidens, quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt ualde: & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu et infrà, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis. Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam prophetam, dicentem: Vox in Rhama audita eſt, ploratus & ululatus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. Ierem. 31. Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & uade in terram Iſrael: defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui conſurgens accepit puerum & matrem eius, & uenit in terram Iſrael. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire: & admonitus in ſomnis receſsit in partes Galileæ, & ueniens habitauit in ciuitate quæ uocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetas: Quoniam Nazaræus uocabitur.

COMMENTARIA.

Hac hiſtoria adumbratur, quale ſit regnũ Chriſti: nõ equidem, ut ipſe quoq; dixit, de hoc mundo, quale fuit Cyri uel Octauiani, qui armis totũ orbẽ occuparũt. Sic regnat Chriſtus in hoc mundo ut mundum calcet, & per afflictiones ingrediatur in regnum ſuum, quod ciuib. ſuis proprio ſanguine dedicauit. Itaq; cum potuiſſet Herodẽ populi ſui peſtem nullo negotio perdere, & ſalutem populi ſui ſeruare incolumem: tamen fugit eum, admirando quodã Dei conſilio. Non enim ſatis erat illi humanam carnem aſſumpſiſſe, niſi & infortunia quoq; in ſe ſuſcepiſſet. Sed illa omnia primùm noſtri gratia, ut eiectos ſcilicet paradiſo ſedib. reſtitueret beatis, pertulit. † Et nos, ut Apoſtoli dixerunt, per multas tribulationes oportet intrare in regnũ cœlorum. Hic quoq; uidere eſt, quàm nuſquã Deus ſuos negligat, quos exercet afflictionibus. Dormit Ioſeph ſecurus, & neſcius conſiliorũ Herodis: ſed Deus uigilat, & monet quomodo ſubterfugiat periculum. cui etiã uiaticum parauit, dum ſcilicet Magos aurum afferre inſtruxit. Nemo igitur diffidat Deo, qui ita ſuis proſpicit: tantũ curemus ut uerbo monitisq; eius pareamus, ut fide ſincera & obediẽtia ſancta nos Deo ſubijciamus. Atq; id quidẽ Ioſeph et Maria uirgo nos docẽt. Nõ enim accuſant iniquã ſortem ſuam, neq; obijciũt: Si is eſt ille Dei filius, tueatur nos, & uindicet ſe de hoſte ſuo: ſed ſeſe Deo, eiusq; curæ humiliter cõmittunt. Quòd euangeliſta Oſeæ prophetæ teſtimoniũ huc adducit, facit ut oſtendat, illa quæ hic gerũtur, nõ caſu, ſed prouidentia geri ipſius, qui per os ſanctorũ prophetarũ locutus eſt. Hinc certè noſtræ religionis ſumma authoritas, cũ uidelicet palàm uidemus omnia hic diuino cõſilio ac cœlitùs agi. Et ut propheta de tota Hebræorũ gẽte, teſte Hieronymo, dixit, quam in manu potenti eduxit Dominus ex Aegypto: tamen ut typus fuêre Iudæi Chriſti, ita typicῶs ad Chriſtũ tranſtulit Matthæus hoc uaticinium. Cæterùm ſubijcitur crudele ac immane Herodis facinus, qui miſsis ueſaniæ ſuæ miniſtris, occidit 144. millia infantum, qui erant in omnibus finibus Bethlehemiticis: putãs ita cautũ eſſe, ne quà poſſet elabi quem unum cupiebat extinctũ, Dominũ noſtrum. atq; hoc modo ſceleratiſsimus homo manifeſtum fecit, in quẽ finem tam diligenter cupierit à pontificib. & Magis diſcere tẽpus & locũ nuper nati regis Iudæorũ. Pulchrè aũt hæc pugna initiũ ſumit ab innocentib. pueris. Nam dicẽte Chriſto, nõ ingrediemur regnũ cœlorũ, niſi efficiamur ſicut paruuli. Neq; iniurius fuit Deus, ut D. ſcribit Chryſoſtomus, qui filiũ ſubduxit ſuũ, & inſontes illos ſiuit perimi: quoniã ereptos illos ex hoc malo & prauo ſeculo, donauit ineffabili & æterna gloria, cũ Herodes miſerè extinctus in æternũ exitiũ abiuerit. Macrobius huius ingentis facinoris mentionẽ faciens, Auguſtum, poſtq̃ hoc ipſum reſciuerit, dixiſſe recẽſet: Melius eſt Herodis porcũ eſſe quàm filiũ. Audiuerat enim, Herodis quoq; filiũ occiſum eſſe. Et Herodes in gratiã Iudæorũ ab omni carne ſuilla abſtinebat. Porrò, quòd iterũ producit teſtimoniũ propheticũ, oſtẽdere intẽdit, hũc Chriſtum uerũ eſſe in prophetis promiſſũ ſaluatorẽ. D. Hieronymus ſup hunc Ieremiæ locũ ſcribit: Rachel matrẽ Ioſeph nõ lõgè à Bethleẽ expiraſſe ex partu Beniamin. Quia igitur Rachel in Bethleẽ cõdita eſt, Gẽ. 35. flere dicitur pueros, q iuxta ſe et in ſuis regionib. interfecti ſunt. Et fletũ illũ amplificauit propheta, ubi inquit: Vox in excelſo audita eſt,

Infantium prò Chriſto occiſorum numerus.

† Actor. 14. Matthæi 18.

Quaſi

Quaſi dicat, tantus matrum eiulatus fuit, & planctus, ut in aere & cœlo intonuerit. Hic autem plãctus iam Eccleſiæ luctus eſt, lugẽtis iniuſtam cædem ſuorum membrorum, qui quidem luctus aſcendit cum ſanguine iuſti Abelis ad ſoliũ iuſti iudicis Dei: & Deus hunc gemitum ſuæ ſponſæ exaudit, & defendit iuſtum ſanguinem. Vindicat enim eum ſuo loco, ſuoq; tempore, receptis iuſtis ſiam ad æterna gaudia. Ita quoque crudeliſſimo facinori ſubijcitur mors ſæuiſſimi tyranni. Verùm quomodo mortem obierit tyrannus ille, uide Ioſephum libro 17. cap. 9. Malus coruus malum ouum, rectiſſimè dici ſolet: ita Archelaus ingenij prauitate retulit, cædibus ac turbis regnum funeſtans. Oraculo ergo admonitus Ioſeph, cum puero & matre eius (quod ſignificantiſſimè dictum uolumus, ut intelligatur Dominum noſtrum nihil habere ex Ioſeph, ſed totam ſubſtantiam ſuam traxiſſe ex ſubſtantia uirginis) ſeceſſit in Gallileæ partes, in ciuitatem Nazareth. Probè hoc obſeruandum exiſtimo, quòd Nazareth Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti dicitur, & Nazaræus ipſe appellatur. Non enim hoc ſolum quia ibidem educatus eſt dicitur, uerumetiam quod Nazir Hebræis ſanctum eſt. Omnes autem prophetæ hunc Dominum Chriſtũ ſanctum ſanctorũ appellauerunt. Si ergo appellet nos Iulianus apoſtata aut alius Chriſti hoſtis Nazarenos, inuitus uocabit ſanctificatos. Vtcunq; idcirco in nos ſæuiat ſatan, proderit id nobis omnibus quàm plurimùm, ut maneamus in uocatione & officijs noſtris, cogitantes in hoc mundo eccleſiæ Chriſti nullam prorſus pacem atque ſecuritatem eſſe poſſe: ſed cum abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſuorum electorum, tunc quidem, ait ille, neque luctus erit, neque clamor, nec ullus dolor.

CAPVT DVODECIMVM.

Lucæ 2. Baiulat ad tẽplum materq; paterq; puellum Ieſum.

PVer autem creſcebat, atq; confortabatur ſpiritu, & implebatur ſapientia, & gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Hieruſalem, in die ſolenni Paſchæ. Et cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatisq; diebus, cum redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, uenerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regreſsi ſunt in Hieruſalem, requirentes eum. Et factum eſt, poſt triduum inuenerunt illum in templo, ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant aũt omnes qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius. Et uidentes admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illũ: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quòd in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerunt uerbum quod locutus eſt ad eos. Et deſcendit cum eis, & uenit Nazareth, & erat ſubditus illis. Et mater eius conſeruabat omnia uerba hæc in corde ſuo. Et Ieſus proficiebat ſapientia & ætate & gratia, apud Deum & homines.

COMMENTARIA.

Vt connectatur ritè & ordine ipſa hiſtoria, Lucas ſcitè ac diligenter adoleſcentiam & iuuentutem Domini noſtri deſcribit. Et quod auctibus iuſtis creuit Ieſus, creſcendoq; ratione & ſapientia profecit. inde Epiphanius contra errores euidẽter colligit, Chriſto fuiſſe animam ac mentẽ. Omne enim quod creſcit, exceptis immobilibus, ex anima & corpore cõſtat. Et Dominus Ieſus ſpiritu ſancto corroborabatur, quoniam magis ac magis dona gliſcebant: & tanta in eo erat gratia, ut amaretur, ſuſpiceretur, admiraretur q; ab omnibus. Nugæ ergo ſunt, quæ alij indignè & ineptè comminiſcuntur de infantia Saluatoris noſtri. Cum autem præcepiſſet Dominus ut ter in anno inuiſeret quiſque templum Hieroſolymitanum, Exod. & Leuit. 23. Deut. 16. ſinguli deniq; inſtituerent liberos ſuos in religione, explicarentq; ſacramenta & myſteria diuinitùs inſtituta (egregium exemplũ quod imitentur Chriſtiani) Hieroſolymam proficiſcuntur ad diem ſolennem Paſchæ parentes, & adducunt puerum ſecum cum iam eſſet annorum duodecim. Eſt igitur piorum parentum, ab ipſis ſtatim cunabulis liberos ad pietatem aſſueſacere ritibus ſacris, & ſanctis ſtudijs. Diſcedentibus autem parentibus à feſto, manet in urbe Ieſus ex ſingulari quadam prouidentia, non ut affligeret parentum animos, ſed ut ſpecimen quoddam futurarũ rerum maximarum ederet. Ergo nulla hic parentum negligentia,

Epiphanius.

gligentia, ſed ſumma ſedulitas & uigilantia: quoniam anxij & celeres urbem repetunt, nullam nō adhibentes in quærendo diligentiam. Quæſitum autem eum anxiè, tandem inueniunt in templo ſedentem quidem, at non ocioſum, ſed audientem & interrogantem doctores. Hoc prognoſticon fuit rei in Chriſto maximæ, ipſum ſcilicet Chriſtum futurum doctorem totius orbis, & principem templi Domini, hoc eſt uniuerſalis Eccleſiæ. Cōmendatur quoq; ſatis laudabilis & nobis imitanda modeſtia Chriſti, quòd nihil arroganter egit, nec aliorum renuit ſententias. Vnde etiam colligitur, Dominum totum adoleſcentiæ & iuuentutis tempus ſtudijs conſumpſiſſe ſacris & honeſtiſsimis. Expoſtulant autem parentes pro iure ſuo cum filio, & non ſine commotione rogant, cur ipſos coniecerit in tantum mœrorem atq; diſcrimen: quibus ipſe filius Dei Ieſus paulo durius reſpondet. Non negat matrem ſuam, ſed diuina humanis præfert, & negocia patris ſui cœleſtis expedienda eſſe dicit. Vbi unicè obſeruare debemus, Ieſum ſe ut uerum filium Dei oſtendiſſe, ut miſſum à Deo in mundum, quo ueritatis luce omnes errorum & tenebrarum caligines diſcuteret. Sic igitur agnoſcit ipſe Mariā matrem ſuam, ut nihilominus cœleſti ſuo in primus obediat patri, eius agat negocia, operetur'q; ſalutē. Hinc non intelligunt parentes, quid ſibi uelit ſatis aſpera & inſolita pueri reſponſio. Nondum enim intelligebant arcanū illud Dei in hoc filio ſuo peragendū myſterium. Paulatim ac ſucceſsiuè hoc à ſpiritu ſancto plenius et ſignificantius didicerunt. Vt aūt hoc ipſum haudquaquam ex rebellione factū oſtenderet Ieſus, deſcendit cum eis, ipſiſq; omnino fuit ſubditus: ita docens omnes filios ac iuuenes ſuis parentibus obedire, & ſub eorum uiuere diſciplina. Maria deniq; uirgo obliuioni haudquaquam, quæ de Ieſu dicta ſiue acta cognouerat, tradidit: imò diligentius in corde retinuit, quemadmodū Beda nō tam pius quàm diligens interpres docet, ſolicitè cuncta memoriæ cōmendans. Quod aūt Euangeliſta rurſum dicit, Ieſum profeciſſe ſapientia & ætate, &c. breuiter comprehendit totam iuuētutem Chriſti, qui licet uſq; ad 30. annum nihil memorabile geſſerit, interim tamen gratiſsimus Deo & hominibus fuit. Vide Cyrillum libro Theſauri ſui 10. cap. 7. et de incarnatione unigeniti cap. 26.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

INitium Euangelij Ieſu Chriſti, filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia propheta: Malach. 3.
Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuā ante te. Vox clamantis in deſerto, parate uiā Domini, rectas facite ſemitas eius.

COMMENTARIA.

In hoc ſaluberrimo negotio, hacq; ſalutifera de Ieſu Chriſto uero Deo ac uero homine hiſtoria, ſuum iam facit officium, tertius in ordine Marcus Euangeliſta, quem putat Epiphanius Cypri epiſcopus è numero fuiſſe 70. diſcipulorum Domini. Fuit hic ciuis Hieroſolymitanus. Ipſum S. Hieronymus Petri diſcipulum & interpretem nuncupat. Euſebius libro ſecundo, capite decimoquinto: Fratres, inquit, Marcum orant precibus, uti ea quæ ille prædicabat, ad perpetuam commonitionem habendam Scripturæ traderet, quo domi foris'que in huiuſmodi meditationibus permanerent. Hactenus ille. Petrus igitur fidem eorum & deuotionem conſiderans, factum confirmauit. Quāobrem nemo pius & ſanæ mentis hunc pium ſcriptorē reijciet, ſed ſummam ſcriptis eius adhibebit fidem. Cæterùm aſſumpto Euangelio perrexit in Aegyptum Marcus, & primus Alexandriæ Chriſtum annunciauit: ubi conſtituit Eccleſiā illuſtriſsimam, & obijt à morte Chriſti anno 31.

Anno autem quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Itureæ & Traconitidis regionis, & Lyſania Abylinæ tetrarcha, ſub principibus ſacerdotum Anna & Caypha, factum eſt uerbum Domini ſuper Ioannem filium Zachariæ in deſerto. Et uenit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionē peccatorū. ſicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ prophetæ: Vox clamantis in deſerto, parate uiam Domini, rectas facite ſemitas eius: omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt praua in directa, & aſpera in uias planas: & uidebit omnis caro ſalutare Dei. In diebus autem illis uenit Ioannes baptiſta, prędicans in deſerto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Ipſe autem Ioannes habebat ueſtimentum de pilis camelorum,

Matthæi 3. Marci 1. Lucæ 3.

Baptizat Ioannes turbas, & docet pœnitētiam.

Eſaiæ 40.

rum,& zonam pelliceam circa lumbos ſuos. Eſca autem eius erant locuſtæ, & mel ſilueſtre. Tunc exibant ad eum Hieroſolymitæ uniuerſi, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane flumine, cōfitentes peccata ſua. Videns autem multos Phariſæorum & Saducęorum uenientes ad baptiſmum ſuum, & turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipſo, dixit eis: Progenies genimina uiperarum, quis oſtendit uobis fugere à uentura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Et ne cœperitis, uelitis dicere intra uos, Patrem habemus Abraham. Dico enim uobis, quoniā potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor quę non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

COMMENTARIA.

De filio Dei Ieſu Chriſto, ac de uera ſalute & felicitate mortaliū, contexitur hiſtoria. Hic naſcitur in corruptiſſimo ſeculo iā quaſi extincta integritate, tam politica quàm eccleſiaſtica. Regnabāt truculēti & ſpurciſſimi homines, imperatores Tiberius, Herodes Antipa, luxu, ambitiōe & ſanguine iuſtorū pluſquā infames. De ſummis pontificib. non eſt quod commemorem, quum ex toto Euangelio appareat, fuiſſe corruptiſſimos, & ueræ religionis peſtes, falſæ autem & mendaciorum defenſores. Atque in has tenebras illuceſcere dignatur lux ueritatis, ut meritò ſperemus de miſericordia Domini, & agamus gratias clementiſſimo patri, quòd calamitoſis temporibus miſit uerbum ſuum, peccatoribus inquam, ut ſanentur. Oremus, quò corruptiſſimis etiam ſeculis noſtris ſubuenire dignetur. Porrò ipſum Euangelium de Ieſu Chriſto ab ipſo cœpit Ioanne Baptiſta, ab ipſius natiuitate: de quo hoc ſentiendum eſt, quod permanſerit uir pius atq; ſanctus uſq; ad diem oſtenſionis ſuæ, hoc eſt prædicationis, qua ut præambulo uiam Meſſiæ Ieſu præparabat: ſicut ſcriptum erat in prophetis, Malach. 3. Eſaiæ 40. Minatus eſt autem Dominus apud Malachiam leuitis non bona fide ſuo fungentibus officio: atq; dixit, ſe alios ſibi delecturum miniſtros, qui in officio fideliores & diligētiores ſint futuri. Talis fuit ille Ioannes, tales fuerunt & apoſtoli. Ioannes natus annos triginta, ut D. Chryſoſtomus aſſerit, in eremo uitam angelicam egit, ubi Spiritus ſanctus excitauit eum, & diuino oraculo admonitus ipſe cœpit miniſterium ſibi iniunctum grauiter exequi, parare ſcilicet Chriſto uiam per prædicationem, præparans corda fidelium ad recipiendum Meſſiam, quē diuini Vates prædixerant uenturum. Tumq; noticia Dei, quæ erat deſerta, ut Hieronymus in Iſaiā ſcribit, & ab idolis tenebatur, humilis in confeſſione, erecta in ſuperbia, aſpera & intractabilis, in ueritate apparuit, et cuncta repente mutata ſunt. Et uſq; hodie Eccleſiarum clamant magiſtri, ut rectas faciamus uias & ſemitas in cordibus noſtris Deo: impleamurq́; uirtutibus, & inclinemur humilitate, praua mutemus in recta, aſpera uertamus in mollia: & ſic gloriam Domini & ſalutare Dei uidere mereamur. Hæc ille. Cæterùm multa hic diſputantur de baptiſmate Ioannis: Quid illud, & quomodo in remiſſionem peccatorū. cum hoc munus illius ſolum baptiſmatis erat quod poſtea datum fuit, hoc eſt Chriſti, de quo Apoſtolus apertè pronunciat, dicens: In hoc unà ſepulti ſumus, & uetus noſter homo tunc ſimul crucifixus eſt, &c. Equidem ante crucē nuſquā prorſus remiſſio peccatorum fuit, ubiq; Chriſti hoc ſanguini acceptū fertur. 1. Cor. 6. Cū aūt hæc ueriſſima ſint, baptiſma & prædicatio Ioannis nō remiſerunt peccata per ſe, ſed præmunierūt tantum uiam baptiſmo & prædicatiōi Chriſti. Quū enim Iudæi omnino ingrati eſſent, nec peccatorū ſuorū mordebantur reatu, imò maximis ſceleribus obnoxij, tamen audebant ſibi arrogare iuſticiā. Quia aūt non cōdēnare ſua peccata, reſilire eos à Chriſto fecit, eregiōe uerò delectorū memoria requirendi liberatoris et conſequendæ ueniæ deſiderium ſuſcitabat; proinde pœnitentiam, ut humiliores pœnitendo facti, pertæſiq́; ſcelerum ſuorum, prompti amplexentur: Sic pœnitentiam agendam uoluit, ut reſipiſcerent, ut in eam uiam redirent rectam, à qua deuiaſſent. Proinde refertur pœnitentia ad ipſum opus, ad emendationem uitæ, adeoq́; totam conuerſionem hominis. Primùm igitur in pœnitente excitari oportet timorē Dei, ut reuereamur Deū tanquam patrē in quē peccauerimus, Luc. 15. Hæc eſt agnitio peccati. Mox oportet ut agnoſcamus nos eſſe mortis mācipia. ait enim Apoſtolus: Stipendiū peccati mors eſt. Hinc dolor et humiliatio. Humiliatio aūt exprimit cōfeſſionē delicti, et deprecationē culpæ. Quia aūt pœnitentia eſt cōuerſio ad Deū, cōijcit ſe peccator in miſericordiā Dei, et nō dubitat

expro-

ex promiſsionibus, Deũ ſibi fore propitiũ. Et hæc pœnitentia nõ eſt opus paucorũ dierum, ſed perpetua uitæ cuſtodia, & æternum innocentiæ ſtudiũ. Cum aũt Ioannes prædicauit pœnitentiam, nihil aliud demõſtrauit, quàm naturam ac uitã hominũ eſſe corruptã. Non enim inſtar arrepticij hominis per uicos & urbes hæc duntaxat clamauit uerba, Pœnitentiam agite: imò iuſtas ac doctas ex ſpiritu ſancto habuit orationes. Vnde etiam docuit, Deũ propter peccata hominibus iratum, & iam deſtinaſſe eos morti æternæ. At miſericordem interim & clementẽ eſſe uelle omnib. qui conuertantur à malo ad bonũ. Ad quem uerò conuertantur, oſtendit, & quare conuerti poſſint, quoniam iam in foribus ſit regnum cœlorũ: hoc eſt, ipſum Chriſti cœleſte & ſalutare myſteriũ. Magna authoritate itaq; Ioannes docuit, ac dixit: Scitote illud, regnum iam inſtare de quo prophetæ prædixerunt, fore ut Deus ipſe in has terras ueniẽs ſuos redimat ab omnib. malis, cumulet omnib. bonis, & ad maiorẽ gloriam recipiat. Hocq; diſertè facere potuit, & euidentiſſimis legis & prophetarum teſtimonijs. Deuteron. 18. Hier. 23. Ex quibus atq; alijs locis locupletiſſimè oſtendit, Deum iam dediſſe filium ſuum in mundum, ut per ipſum uia pateat in cœlum: qui hic per fidem in ſuis regnet, ut illic uitæ æternæ habeat conſortes. Quam quidem ſanctiſſimam doctrinam uita ipſius commendabat moderata. Magnum enim illum referebat Eliam, cum ueſtis uitæ congrueret per omnia, nihil luctus aut ſplendoris habens, cuius teſtimonium certum ipſius Domini habemus. Zona cingebatur quoq; pellicea, quo iterum notatur modeſtia & temperãtia in corporis cultu, ut ſic pœnitentiam & omnem mundi contemptũ doceret: ita ſanè uictus eius fuit temperatiſſimus, quod Euangeliſta per locuſtas & mel ſylueſtre ſignificare uoluit. alioqui conſtat omnino Ioannem ut hominem bibiſſe. Habitatori ſolitudinis (inquit Hieronymus) congruum erat, non delicias ciborum, ſed neceſſitatem humanæ carnis explere. Poſtquam autem auditum eſt, qualis doctor ipſe Ioannes: nunc audire conuenit, quales fuerint auditores ipſius & diſcipuli. Adſunt frequentes Iudæi, audiunt prædicationẽ ueritatis auidè. Quid nobis faciendũ, facile expendere licet. Si ueri eſſemus Chriſtiani, proculdubiò uerbum quod annunciatur nobis, cum ſummo gaudio & diligenti intentione audiremus, quoniam hoc ipſum eſt in quo uiuunt animæ noſtræ & mentes, nec ſine fructu uerbum Dei eſſet: Eſaiæ 55. Notatur deinde fidele obſequium illorum auditorum, quòd aquam illam, quam ex diuina ordinatione tanquam ſignũ purioris uitæ, & remiſſionis per Chriſtum adiungebat, non ſunt aſpernati, ſed citra diſceptationem & contemptum monenti obtemperant. Quales igitur ſunt omnes illi, qui omnia Dei inſtituta flocci faciunt & contemnunt, quæ tamen non niſi ad noſtram ſalutem inuenta & ordinata ſunt? Additur quoq;, quòd cõfeſſi ſunt peccata ſua. Vno uerbo multa expreſſit Matthæus, indicans uidelicet, auditores corde compunctos agnouiſſe peccata ſua, & apud Deum horum remiſſionem & ueniam ſpe firma quæſiuiſſe. Porrò Dominus populũ ſuum inſtituit ab initio ad omnem pietatem. Præcepit ergo, ut ſibi uni Deo adhærerent, ſolum inuocarent, ſolum diligerent & colerẽt. Primus Hieroboam hæreticus & ſchiſmaticus hunc cultum, hancq; unitatem diſſoluit: nam uitulos in Dan & Berſabea colendos propoſuit. quare & corda populi diuiſit, ita ut neq; à Deo ſolo & lege eius penderent, neq; inter ſe eſſent concordes. 3. Regum. 12. Nam corruptam religionem ſequuntur ſeditiones & diſsidia. Deo igitur ipſos puniẽte in Aſſyriam abducti ſunt, duab. tribubus Iuda ſcilicet & Beniamin corã Domino manentibus. Vbi autem & ipſi nouum cultũ exercerent, excidit eos Chaldæorũ gladius: 4. Regum 24. Cumq; rediiſſent è Babylonia Iudæi, rurſum religioſiores extiterunt, & in ueritatis doctrina perſeuerauerunt: donec ſatana inſtigante rurſum cœperunt cogitare & altercari de maieſtate imperij. quare rurſum diffluxit religio uera, & exorti ſunt homines praui, qui ſua hypocriſi & ſuperſtitione ſacroſanctam Dei religionem obſcurarunt & oppreſſerunt. Cũ ergo Ioannes uenit, uera religio et ueritatis doctrina parũ cognita fuit. Erãt enim ſectæ ad minus tres, inter quas erat certamẽ perpetuũ: quocirca implicabatur etiã miſera plebecula, ut non modò ex his plicis ſe explicare non poſſet, ſed & ueram iuſticiam & ueram ſalutis uiam ignoraret. Ioannes itaq; exordium doctrinæ atq; orationis ſuæ, ducit à perſona accedentiũ Phariſæorum & Saducæorum, & admiratur propter mores illorum corruptiſſimos. Ideo dicit: Progenies uiperarum, id eſt, cum ſitis impijſſimi ex impijſſimis ꝓgeniti, mirũ mihi profectò uidetur, quo animo accedatis. Quomodo intelligitis iram Dei intendere uobis? Quia tamen cum reliqua turba acceditis, & pietatẽ præ uobis fertis, fructus proferte pœnitentia dignos, ut appareat uos ſeriò ſalutem ueſtram quærere. Loquitur aũt de graui ſupplicio, quod Deus ſtatuerit ſumere de ingrata et corruptiſſima gente Iudaica. Ergo non nobis ſemper polliceamur ſecuritatem. Cogitemus Deum mali ultorem eſſe, ut iuſtum iudicem: quin potius timea-

mus Dominum, & ambulemus in præceptis eius. Hunc timorem abſq; dubio ſequentur fructus ueri pœnitẽtiæ, ut à uana conuerſatione conuertamur ad Dominum, confitentes peccata noſtra, emendemus uitam, & ſeruiamus Deo in ſanctitate & iuſticia, nihil de miſericordia ipſius dubitãtes. Nam illud in primis conſolatione plenum eſt, quod Ioannes non protinus deſperat de ſalute phariſæorum, quos tamen ſciret maximis peccatis obnoxios: ſed hortatur eos, promittens ſalutarem fore pœnitentiam, ſi modo ſit uera. Nemo ergo deſperet de conſequenda uenia, cum tam clemens ſit Dominus, & multæ miſerationis: Ierem. 18. Ezech. 18. Et quo melius magisq́; perſuaderet Iudæis Ioannes, occupatione ſeu præſumptione aptiſſima uſus eſt. Quoties enim prophetæ ante Ioannem docerent, aut pœnitendũ, aut pereundum eſſe: reſpondebant iſti, ſumus populus Dei peculiaris, ſumus filij Abrahæ, cum quo percuſſit Deus ſempiternum fœdus. erit itaq; ſemen Abrahæ æternum, ut nullum nobis metuendum ſit excidium. Et has uoces iactabant quoq; cum Iohannes prædicaret de uentura ſuper eos ira. Eas autem confutabat, ac dicebat, quoniam ex Abraham iam ſenio confecto, ex quo propter grandem ætatem nemo ſemen ſperare poterat, & Sara haud diſſimili, tam copioſam produxit ſobolem: cui obſecro difficile uidebitur, Deum ſua potentia æterna, ipſi Abrahæ uel ex modicis initijs copioſiſſimũ ſemen & ampliſſimã eccleſiam excitare poſſe? Quid igitur inſoleſcitis fruſtra gloriantes? Multa egregiaq; hic nobis ſunt obſeruanda. Principiò nos eſſe uerum Abrahæ ſemen, propter fidem & pietatem quam obſeruamus & imitamur: Ioan. 8. Rom. 4. Gala. 3. Deinde diſcimus, generis prærogatiua, hoc eſt iactatione fidei, nos non eripi poſſe ab impendentibus malis, niſi ipſi cõuertamur ad Dominum, & faciamus opera pietatis. Vnde ſi nobis nunc concionaretur Ioannes, hauddubiè eadẽ inclamaret: fides quam prætenditis nequaquã uos faciet ſaluos, niſi operetur per dilectionẽ. Demũ eleganti prouerbio impellit eorum animos, metu ſcilicet diuini iudicij, ſecurim ad radicem arboris poſitã eſſe dicens. Significauit autem excidium aſtare certũ, ſumpta metaphora à re ruſtica. prius enim arborib. omnibus remedijs ſubuenitur, quàm excidãtur. Senſus ergo Ioãnis fuit: Aut euangeliũ recipientes agite pœnitentiã, aut peribitis. Certò enim uindicta Domini, quæ uos radicitùs excindet, ueſtris impendet ceruicibus. Conſtat igitur, uerè bona opera requiri ab unoquouis noſtrûm: non folia, hoc eſt ſpeciem, ſed ipſam pietatem. Præterea uindictam Dei omnib. paratã eſſe ſceleratis hominibus, eamq́; certiſſimã: & procedat ſi lẽto gradu, eo grauior quo tardior futura.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Matthæi 3. Marci 1. Lucæ 3. Ioannes prædicans pœnitentiam, baptizat Chriſtum.

ET interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? Reſpondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det unam non habenti. Et qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius quàm quod uobis conſtitutum eſt exigatis. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs ueſtris. Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus, reſpondit Ioannes dicens omnibus: Ego quidẽ aqua baptizo in pœnitentiam. Qui autem poſt me uenturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calciamenta portare, & procumbens ſoluere corrigiam calciamentorum eius. Ipſe uos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni: cuius uentilabrum in manu eius, & permundabit & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo. Et factum eſt in diebus illis, uenit Ieſus à Nazareth Galilææ ad Iordanem, ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me? Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem iuſticiam. tunc dimiſit eum. Factum eſt autem, dum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato à Ioanne in Iordane, confeſtim aſcendente eo & orante, ecce aperti ſunt cœli. Et uidit cœlos apertos, & Spiritum ſanctum Dei corporali ſpecie, ſicut columbam deſcendentem & uenientem ſuper ſe, & manentẽ in ipſo. Et ecce uox de cœlis facta eſt, dicẽs: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi.

Quod dixit Ioãnes, nõnulli interpretãtur, quaſi iniquum ſit duab. tunicis uti. Alij cõtendũt proprietatem rerũ Chriſtianis illicitam, cõmunitatẽ omnibus præceptam fidelibus. Falſam autem hãc aſſertionem eſſe, Chriſti exemplo conuincitur, et exemplo Pauli. Ioannes ergo hoc modo hiſq; uerbis beneficentiam, liberalitatem, miſericordiam, atq; ipſam charitatẽ docet atq; commendat. Hoc ergo omnibus & ſingulis præceptum eſt, ut benefici ſint in proximos. Ait enim diuina lex: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Inuicem nãq; mẽbra ſumus. Publicani autem homines fuerunt, qui colligendis tributis & uectigalibus præfuerunt, & ea redimebant à Romanis, unde non citra auctionem exigebant à populo: hinc quoq; omnib. erant inuiſi. Docet hoc Ioannes, ut præter æquũ nihil exigant. Magiſtratus igitur eſt, æquis & iuſtis legibus coercere fraudes, impoſturas & uſuras, dolum & iniuriam in emptionibus & negotiationibus, ut ſeruetur iuſticia & æquitas. Sic per Euangelicam doctrinam nemo iubetur negotiationem & opificium relinquere, emere & uendere: ſed in his iniquum & doloſum, uel hoc lege naturæ dictante & præſcribente, Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Milites autem illi legitimè à magiſtratu pro publica tranquillitate ordinati fuerunt. Itaq; hoc ſermone nequaquam defendere poſſunt ſuam mercenariam & cruentam illam militiam, qui cum omnes facultates prodegerunt, tandem nõ propter iuſticiam iuuandam, ſed auaritiam, & ut nouas habeant quas turpiter abſumant facultates, in militiam proficiſcuntur. Romani tranquillitatis ergò militũ præſidia in ipſam Syriam & Iudæam collocarunt, cum à Parthis peterentur nationes illæ, haud aliter quàm cõtra Turcas milites conſtituũtur pro defenſione prouincialium. Quocirca militiam in uniuerſum non condemnat Ioannes. eſt enim ad conſeruandam rempublicam & ad defenſionẽ innocentium militia non utilis modò, ſed neceſſaria quoq;. Non enim iubet arma deponere milites: ſed uitia, uiolentiam ſcilicet, rapinam & calumniam. hinc adhortatur eos ad pœnitentiam, ut ſcilicet peccata agnoſcant, & emendent uitam corruptam. Atq; pluribus agit Ioannes de Chriſto, teſtimoniũ dãs illi, atq; oſtendens quantus ſit, quantaq; conferat nobis. Tria igitur hic obſeruanda putamus. Primum, quòd Chriſtum ſentit potẽtiſſimum Deum, qui & poſſit & uelit ſeruare ſperantes in ſe. Hoc ergo dixit Ioãnes: Videor ego uobis in terris ſanctiſſimus eſſe mortalium: uerùm tantus eſt ille quem baptizo, ut ne illius quidem umbræ merear conferri. Docuit ergo, Chriſtum uerũ Deum & hominẽ atq; ſaluatorem mundi. Secundò, quid nobis conferat indicat: nimirũ omnes cœleſtes theſauros, omnia Dei excellentia & ſalutaria dona. Tritiſſimũ eſt in ſacris literis, & prophanis quoq;, ignẽ uſurpari pro amore. Baptizat ergo Dominus igni, id eſt, purgat nos uelut aurũ uel argentũ, confert nobis remiſſionẽ peccatorũ, & amorẽ Dei, & inter nos mutuã dilectionẽ. Deinde iterũ à metu iudicij diuini adhortatur Ioãnes ad pœnitentiã, ad hoc uſus elegãti allegoria. Proinde area mũdus eſt, in quo nulli hominũ datũ eſt per omnia inter triticũ & paleã diſcernere, cũ ſolus Dei filius Chriſtus diſcernendi facultatẽ habeat, quã in extremo exercebit iudicio. Porrò aptiſſimè tritico deſignantur pij & fideles. triticũ enim fructus eſt qui naſcitur ex ſemine: ſemẽ aũt eſt uerbũ. Lucæ 8. fructus igitur pij ſunt, qui ex uerbo Dei renaſcuntur. Atqui palea res inanis et leuiſſima eſt, quales utiq; ſunt omnes impij. Horreũ, ſedẽ ſignificat beatorũ. Ignis uerò, inferos. Habet ergo doctrina Ioannis uel hæc potiſſimũ capita: omnes ſcilicet homines peccato obnoxios eſſe, atq; ideo conuerſione ad Deũ & remiſſione peccatorum opus habere. prædicatur ergo à Ioanne Chriſtus uerus Deus & ſaluator mundi clementiſſimus, & iudex orbis iuſtiſſimus. Ideoq; ab omni quoq; impietate deterruit, & uerè opera bona docuit, nihil prorſus omittens quod ad pietatem pertinebat. Et nunc quoque non carebit fructu, ſi exẽplo illius atq; Pauli excitauerim[9] homines ad pœnitentiã. Iam aũt ſcribit Euangeliſta, & ipſum Dominũ Ieſum ueniſſe ut baptizaretur à Ioanne. Hoc factum nequaquã puto abſq; ratione. Baptiſmo aũt præmittitur utriuſq; diuinũ colloquiũ, in quo Ioãnes perſpicuũ Domino fert teſtimonium, quòd uerus Deus ſit, atq; is qui abluat peccatorũ maculas, donet ſpiritũ ſanctũ atq; uitã æternam. Credit aũt ex ſpiritu ſancto, Ieſum Chriſtum ſibi ſua gratia ſalutarẽ fore, cuius proinde baptiſmum ſummo deſiderio & ſuppliciter petit. Vnde prohibet ab initio Dominũ, nimirũ attonitus quod uideret ipſum filium Dei, ad cuius præſentiam exilierat olim in utero adhuc exiſtens. Dominus aũt Ieſus docet ſic oportere fieri, ac inquit: Deus qui omnia ſanctè & iuſtè inſtituit, hic iuſſit te baptizare, ut uel hoc modo omnes pietatis cultores in unũ corpus colligeret, à quo conſortio nolo ſeparari. Magnã ergo conſolationẽ & magnũ myſteriũ habuit baptiſmus Chriſti. quibus accedunt,

Ignis pro amore.

*quòd(ut D.Hieronymo placet) hoc facto Ioan-
nis baptiſmum uoluit cõprobare, & attactu ſuæ
mundiſsimæ carnis aquam ſanctificare, in qua cre
dentium peccata purgarentur. Deſcribitur porrò,
quomodo Dominus Ieſus patris ſui Dei diuino te
ſtimonio & reuelatione magnifica orbi ſit mani-
feſtatus & commendatus: ex qua planè intelligi-
mus quis & quantus ſit Chriſtus, ac quanta per
ipſum mundo donarit pater. Cæterùm uidetur ui
ſibile quid oculis mortalium, & in primis Ioannis
fuiſſe obiectum, & cœlos diuinã ac cœleſtem lu-
cem demiſiſſe in terras, qualis claritas uiſa fuit na
to Chriſto Lucæ 2. Viderũt & apoſtoli in trans
a Gene.6. figuratione lucidam nubem, ſolis inſtar ſplenden
tem. Matth.17. Significabatur autem, quòd hic a-
geretur negotium cœleſte diuina maieſtate plenũ,
atq; ipſum Dominum Ieſum profectum è cœlis.
Porrò columba quæ apparuit, non fuit uera & na
turalis columba: ſed(ut Auguſtinus docet) facta
ſpecies, in qua uiſibiliter oſtẽderetur ſpiritus ſan
b Roma.8. ctus, qui eſt inuiſibilis. Eraſmus egregiè explicat
1.Ioan.2. cur ſpiritus in hac ſpecie apparere uoluerit: nimi-
rum quòd hæc auis innocentiæ ſymbolum, olim
Gene.8. ramum oliuæ detulerat in arcam, iræ diuinæ pla-
catæ ſignum. Et nunc deſignat eum, in quo placa
tus eſt Deus pater. Hic cum adhuc ignotus erat
mundo et præſenti multitudini quæ de Ioanne ma
c 1. Cor.13. gnificè ſentiebat, ne uox putaretur ad Ioannem
pertinere, uiſibili hoc ſigno oſtenſus fuit: & ceu
digito demonſtratũ eſt, ad quem uox pertineret;
dicẽs: Hic eſt ille filius meus chariſsimus. Sic me
ritò nouimus Chriſtum Ieſum germanũ & unige
nitũ filiũ Dei, qui ſubſtantia unum & idem, uerus
Deus omnipotens & æternus, quemadmodũ di-
xit ille: Ego & pater unũ ſumus. Quòd uerò in-
quit, In quo mihi bene cõplacui, ſiue placatus aut
recõciliatus ſum: ut uult Chryſoſtomus, oſtendit
quàm ſedatiſsimũ mẽtis affectũ habeat in huma-
nũ genus, quib. iam omni animi cõturbatione (ut
ita dicã) ſepoſita bene uelit. Hæc uox è cœlo lap-
pſa ideo audita eſt, quoniã prius dictũ erat, Pœni
tet me feciſſe hominẽ [a]. Incãduerat prſus in gen⁹
humanum Deus, propterea quòd nihil in tota uni-
uerſitate inueniret, quàm corruptionem & abo-
minationem. Nunc uerò cum cœlitùs reſpicit fili-
um ſuum innocentiſs. & ſanctiſsimũ, remittit i-
ram pater, placaturq; nobis omnibus: quibus iam
fauet bona et propenſa uolutate, quos et pro filijs
reputat dilectus propter dilectũ illũ filiũ ſuum, &
fratrẽ noſtrũ Chriſtũ [b]. Docetur enim hac uiſio-
ne ſacroſanctũ Trinitatis myſteriũ, pater, filius, et
ſpiritus ſanctus. Teneam⁹ ergo et credam⁹ ex to-
ta mẽte, Deũ in unitate trinũ, & in trinitate unũ
eſſe: hoc eſt, tres pſonas, nõ plures ſed unicũ eſſe
Deũ. Hæc ſimpliciter credẽda ſunt, et nulla curio
ſitate agẽda. in regno illo uidebim⁹ facie ad faciẽ [c].*

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Matth.4. Marci 1. Lucæ 4. IEſus autem plenus Spiritu ſancto, regreſſus eſt à Iordane, & ſtatim ſpiritus
expulit eum in deſertum: ductus eſt à ſpiritu in deſertum, ut tẽtaretur à dia-
bolo. Et agebatur, ac erat in deſerto quadraginta diebus & quadraginta no-
Ieſus babtizatus ieiunat, tentaturq; à diabolo ſeu ſatana. ctibus, & tentabatur à ſatana: & nihil manducauit in illis diebus, eratq; cum
beſtijs. Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, con-
ſummatis illis poſtea eſurijt. Et accedens tentator diabolus, dixit illi: Si filius
Dei es, dic ut lapides iſti panes fiãt. Dic lapidi huic ut panis fiat. Et reſpondit
ad illũ Ieſus: Scriptum eſt enim, quia non in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni
uerbo Dei, quod procedit de ore Dei. Tunc aſſumpſit & duxit illũ diabolus
in ſanctã ciuitatem Hieruſalem, & ſtatuit illum ſupra pinnaculũ templi, & di-
xit illi: Si filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptũ eſt enim: q̃a angelis ſuis mã-
dauit de te, ut conſeruent & in manibus tollant te, ne fortè offendas ad lapidẽ
pedem tuũ. Ait illi Ieſus: Rurſum ſcriptum eſt, Non tentabis Dominũ Deum
tuum. Et aſſumpſit & reduxit iterum eum diabolus in montem excelſum ual
de, & oſtendit ei omnia regna mũdi, orbis terræ, in momento tẽporis, & glo
riam eorum, & ait ei: Tibi poteſtatem dabo hanc uniuerſam, & gloriam eorũ,
quia mihi tradita ſunt, & cui uolo do illa. Hæc omnia tibi dabo, & erũt tua om
nia, ſi cadẽs adoraueris me. Tũc dixit illi Ieſus: Vade ſatana. Scriptũ eſt enim:
Dominũ Deũ tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies. Et cõſummata omni tẽtatione,
diabolus receſſit ab eo uſq; ad tẽpus, & reliquit eum. Et ecce angeli acceſſerũt,
& miniſtrabant ei.

COMMENTARIA.

*Deſcribũt Euangeliſtæ ſumma fide & diligẽ
tia monomachiã Chriſti cũ principe huius mun
di ſatana, atq; triũphũ uictoris. Eſt aũt utiliſsima
hiſtoria. Principiò itaq; cõſtat, ueniſſe filiũ Dei in
hunc mundũ, ut deſtruat opera diaboli. Hic ergo
palàm oſtẽditur, poniturq; ob oculos, quas habeat*

Satanas technas, & quomodo uires ipſius con-
fractæ ſint per Chriſtum, dum eum fugauit, &
ſibi regnum & omnem gloriam ſeruauit. Pul-
chrè uerò ſalus noſtra & liberatio exordium ſu
mit à tentatione in deſerto. nam in horto volu-
ptatis à tentatione etiam cœpit miſeria & dam-
natio noſtra. Deinde obſeruandũ eſt, nequaquã
nos tutos eſſe poſſe à ſatanæ inſultibus, cum auſus
ſit ipſum Chriſtum aggredi. Baptiſmo quidẽ de-
lentur peccata, ut Auguſtinus inquit, non ut non
ſint, ſed ne imputentur. Remanet enim grauis in-
firmitas, & ad malũ inclinatio atq; fomes, qui per
ſatanam multipliciter excitatur. Neq; enim ita li
berauit nos Dominus à ſatana, ne is unquam po-
ſtea tentet: ſed ut Chriſto inſiti, ab ipſo ſatana ſu
perari non poſſimus, imò ipſum repellere quea-
mus. Ideoq; obſeruet quiſq; ſumma diligentia i-
pſum hoſtem, & iuxta conſilium D. Pauli ſumat
loricam iuſticiæ, ſcutum fidei, galeam ſalutis, &
gladium ſpiritus, quod eſt uerbum Dei: Epheſ. 6.
Ductus eſt aũt Ieſus à Spiritu ſancto in deſertũ,
quod fecit ille ut in diſcrimine rerum ſuam Chri
ſto iuxta humanitatem bonitatẽ oſtenderet. Por
rò tentari primùm eſt, periculum facere atq; ex-
plorare rem, quo cognoſcatur quid ualeat ea. Hæc
modo tentauit Deus Abrahã [a]: & Iudæos [b]. De
inde ſignificat occaſione aliqua in grauem ruinã
trahere. ita uerò tentat diabolus, & unuſquiſq;
tentatur à propria conſcientia ſua [c]. Fiunt ergo
eiuſmodi tentationes, inquit Auguſtinus, non po-
teſtate ſatanæ, ſed permiſſu Domini, ad homines
aut pro peccatis puniendos, aut pro Domini miſe
ricordia probandos & exercendos. Nemo autẽ
offendatur, quòd audit Chriſtum tentatum à dia
bolo. nihil enim eo indignũ factũ: neq; enim ulla
macula aſpergitur ſanctiſſimo, omnia hæc pro-
pter nos & propter ſalutem noſtram reparandã
facta ſunt. Præterea ut uiderent fideles tentati,
nihil noui ſibi obuenire, cum cogitant ipſum Do
minum tentatũ. Verùm quòd ieiunauit Chriſtus,
ſic nimirum uoluit typis reſpõdere, qui de eo in
lege & prophetis præceſſerant: in Moſe uideli-
cet & Elia, quorum uterq; 40. diebus & totidẽ
noctibus ieiunauit [d]. & ipſum Chriſtũ, illuſtrẽ
concionatorem Chriſtum, qui legem Euangelicã
toti mũdo prædicaret, adumbrauerunt. Vnde e-
tiam ipſe in monte Thabor inter Moſen & Eliã
apparuit medius [e]. Deinde ieiunii anſam atq; oc
caſionem præbuit ſatanæ tentandi Dominum. Et
quamuis multifariã multiſq; modis aggreſſus ſit
Dominum: tamẽ tres duntaxat deſcribunt Euan
geliſtæ cõgreſſus, eos deniq; grauiſſimos. Primò
enim tentat eum perfidia & incredulitate, cupiẽs
efficere ut Chriſtus de bona erga ſe patris uolun
tate addubitet. Sic enim inquit: Oraculũ diuinum
non multis antè diebus te Dei pronunciauit dile-
ctum eſſe filiũ. At nunc apparet ipſa re, quàm ſis
dilectus Deo. Egregi⁹ enim Dei filius ſcilicet es,
qui hic oberras in deſerto, & fame cruciaris. Si-
mili prorſus arte idem ille ſatanas Dominũ in cru
ce pendentem tẽtauit, cum dixit: Si filius Dei es,
deſcende de cruce. Quaſi diceret, quia non deſcẽ
dis de cruce, colliſis nobis omnib. qui te in crucẽ
adegimus, inde colligimus te non Dei filiũ, ſed im
poſtorem eſſe. Congruit itaq; præſens hæc tẽta-
tio cum ea, qua antiquus ſerpẽs protoplaſtos de- Geneſis 3.
cepit, uicit & perdidit: qui Deo diffidentes, dia-
bolo aũt credentes, exiſtimarunt Deum ipſis ue
ram inuidere felicitatẽ, qua perfidia à uera uita ac
ſalute exciderunt. Et certè hæc tentatio omniũ
eſt creberrima. Quoties enim uel modicè affligi
mur, adeſt aduerſarius, & rapit illam afflictionẽ
in argumentum hoſtilis erga nos Domini uolun-
tatis, qui affligat non ut ſanet, ſed ut perdat. Pro-
inde maxime hic cauendũ eſt, ne uſpiam dubite-
mus de bona Dei erga nos uolũtate. Chriſtus aũt
aduerſus ſatanã producit locũ ex Deut. 8. per col Deut. 8.
lationẽ ipſum applicãs in hunc modũ: Duxit quõ a Geneſis 22.
dam cœleſtis pater populũ ſuũ in deſertũ: eſurijt b Deut. 13.
ille, nec quicq̃ quod ederet inuenit. Cæterùm inue
nit Dominus uiã qua paſceret famelicos, quos ſic c Iacobi 1.
probare, nõ odio aut ira perdere uoluerat. Eandẽ Exod. 16.
potentiã cũ uel hodie habeat pater, nihil de eius
in me bona uolũtate dubito. Nã etſi fame me ſinat
diſcruciari, facit tamẽ ut meã exerceat patiẽtiã. ui
uã ergo in uerbo et pmiſſiõe eius per fidẽ in ipſum.
Sic inquã ſatanã uicit Dominus, & nos uincere
docuit, ſi uidelicet uerbis et promiſſis Dei adhæſe
rimus. Et uerbũ Dei animæ cibus eſt, qui editur,
cũ auditur & creditur. Secundũ congreſſũ mul-
ti factũ putant nõ corporaliter ſeu uiſibiliter, ſed
in uiſione, quemadmodũ & prophetis in uiſione
permulta ſunt reuelata. Gregorius autem diſertè
indicat quomodo facta & geſta ſint, ubi inquit:
Cum dicitur Deus homo Chriſtus uel in ſanctã
ciuitatẽ uel in montẽ excelſum ductus à diabolo, d Exodi 34.
hoc quidẽ audire aures expaueſcũt. Verùm nõ in 3. Regum 19.
credibilia narrari cognoſcem⁹, ſi in illo et alia fa-
cta pẽſitauerimus. Certè iniquorũ omniũ diabo-
lus caput eſt, & huius capitis mẽbra ſunt omnes e Matthæi 17.
iniq. An nõ mẽbrũ diaboli fuit Pilatus? An nõ mẽ
brũ diaboli Iudæi perſequẽtes, et milites crucifigẽ
tes eũ? Quid ergo mirũ, ſi ſe ab illo pmiſit in mon
tem duci, qui ſe pertulit à mẽbris illius crucifigi?

&c. Dicta eſt autem Hieroſolyma ciuitas ſancta, partim propter promiſsiones, partim propter res ſanctas quas in ipſa operatus eſt Dominus.

Tentauit autem Dominum ſatanas, hoc ſecundo congreſſu audaci & temeraria in Deum fiducia, quando eum in diffidẽtiam & incredulitatẽ pertrahere nequiuit: Proinde quia tibi certum ſtat, inquit, te omnino eſſe Dei filium, qui tui habeat curam, & per quem omnia poſsis: age liceat nũc poteſtate tua diuina uti, Hinc te præcipitem è ſublimi dato. Et non eſt ut ullum hic metuas periculum. de te enim ſcriptũ eſt, quòd angelos habeas tibi deſtinatos in miniſteriũ. Addidit ille ſcripturas, quoniam è primo certamine intellexerat Dominum omnia ſua ad ſcripturas referre. Breuis eſt reſponſio Domini, ſed ualida, qua proſtratus corruit ſatanas. Sumpſit autem Dominus locum ex Deut. 6. ubi ſic legis: Non tentabitis Dominum Deum ueſtrum. hoc eſt, nolite præteritis præceptis ac medijs à Deo inſtitutis, Dei abſolutam potentiam extra ullam neceſsitatẽ pro libidine ueſtra & cõfidentia expoſcere. Iam ergo Dominus ſatanæ in hanc ſententiam reſpondet: Tametſi nihil de bonitate Dei diffidam, imò certiſsimè credã, Deum mei curam agere, angeliſq́; de me præcepta dediſſe: tamen non debeo illa mea fide abuti, & Dei potentiam temerè prouocare, quin potius in præceptis eius ambulare, & uti ijs medijs quibus alij. Ergo nihil mihi opus eſt præcipitio. Porrò quia mundus nihil aliud eſt quàm omnium malorum lerna, & exercitium peſsimarũ & turpiſsimarum rerum: in hoc ultimo certamine ſatanas gloria mundi, id eſt luxu, pompa, uoluptate, & omnis generis malis & ſceleribus Dominum tentauit. Quòd autem tanta Domino Ieſu pollicetur, cuipiam forſan quaſi dominium habere uideri poſſet. Princeps quidem mundi dicitur & Deus huius ſeculi, non tamen aliam ob rationem, quàm quòd defectores à uero Deo ſub ſe habet, à quibus diligitur, quia quæ carnis & harum uoluntatũ ſunt ſequuntur. Verùm ſatanas tale quid dicere uidetur: Deus cultores ſuos uarijs exercet malis, dũ nunc inedia hos excruciat, iam uerò illos grauiſsimis morbis diuexat. Ego uerò mei nominis ſtudioſos dito, & feliciſsimos reddo, dum eos nullis moleſtis legibus premo, ſed quemuis liberum pro ſua libidine uiuere iubeo. Ergo difficile eſt Deo, mihi aũt facillimum ſeruire. Poſthæc audet apertè diuinos honores poſtulare more ſuo, hoc eſt impijſsimo. Quem propterea abigit Ieſus, totus diuino commotus zelo. Deinde adducit iterũ ſcripturas, quibus ipſum conuellit, cum inquit: Tu temetipſum iactitas uniuerſorum eſſe Dominũ, qui tuis cultorib. bona cõferre & mala auferre poſsis: at uerbũ Dei docet, unũ eſſe Deum qui bona det, maláq́; depellat, qui ſolus ſit adorandus, metuendus atq; colendus. Abi ergo impoſtor mendaciſsime & impuriſsime. Tu diuinos depoſcis honores: at nunquam mihi perſuadebis quod ſuades. Veri Dei cultor ſum, & ideo te falſum Deum non agnoſco. Non eſt niſi unus Deus ſuper omnia, benedictus in ſecula, creator & gubernator omnium rerum. Hæc autem Chriſti cum diabolo pugna docet nos accuratè uigilare, nullumq́; in uita hominis supereſſe tẽpus in quo non ſit expectandus hoſtis, quemadmodũ elegãtiſsimè ſcripſit ac docuit S. Dei martyr Cyprianus, 4. de immortalitate ſermone. Orandus ergo nobis Dominus precib. ardẽtiſsimis, ut liberet nos à malo. Victo aũt impuriſsimo dæmone accedũt angeli ad Chriſtũ, & miniſtrant ei, ut uictori. Accedunt aũt & cum magna copia et mirifico cum applauſu, Chriſtũ Deum ac Dominũ ſuũ agnoſcẽtes. Hæc uidelicet imago nos docet, inquit Eraſmus, ut in rebus triſtibus ſpe lætiorũ fulciamus animum, Dei bonitate freti.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Ioannes Euangeliſta.

Hactenus diuiniſsimam hiſtoriam de Ieſu Chriſto Domino noſtro à Matthæo, Marco, & Luca, tribus illis Euangeliſtis inceptam, ſuo ordine ac uera diſpotione audiuimus. Vt ergo perfectiſsimam ipſam habeamus, Ioannes ſuam nobis modò locabit operã. Hic fuit uerus & dilectus diſcipulus Chriſti (quare etiam in cœna recubuit ſupra pectus Domini) & Galilæus urbe Bethſaida oriundus, conſtantiſsimus in fide ac religione Chriſtiana. Acta namq; teſtantur, quanta cõſtantia & eloquentia Hieroſolymis primùm coram Iudæis defenderit eam. Deinde Petro comite Samariam ingreſſus, credentes confirmauit in fide, incredulos uerò erudiuit atq; ad fidem conuertit. Tandem uerò apud præſulem delatus, & in uincula coniectus, Romã mittitur. Vbi à Domitiano in feruentiſsimũ oleũ demerſus, cũ nihil pateretur, in Pathmos inſulã fuit relegatus, in qua ſcripſit Apocalypſim. Teſtes huius rei ſunt uetuſtiſsimi ſcriptores, Irenæus atq; Tertullianus. Interfecto aũt Domitiano & actis eius à Senatu reciſsis, Epheſum redijt. Epiſcopi aũt Aſiæ cum ſcirent quàm impiè Cherinthus & Ebionitæ aſſererent, Chriſtũ ante Mariam non fuiſſe, rogarunt eũ ut de æterna Chriſti diuinitate ſcriberet. Adiecit ergo reliquis tribus Euangeliſtis ſuum Euangelium ceu abſolutiſsimum colophonẽ. Poſtremò graui confectus ſenio, 68 poſt Chriſti mortẽ anno, mortuus iuxta eandẽ urbẽ ſepultus eſt.

In prin-

IN principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deū, & Deus erat uerbum: hoc erat in principio apud Deum. omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. In ipſo uita erat, & uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non cōprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. hic uenit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux uera, quę illuminat omnem hominem uenientem in hunc mūdum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria uenit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uolūtate uiri, ſed ex Deo nati ſunt. Et uerbum caro factū eſt, & habitauit in nobis. Et uidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti à patre, plenum gratia & ueritate.

Ioannis 1. Chriſtus Deus & homo.

COMMENTARIA.

Qui aliquid ratione certa & cum fructu inſigni exponere uolūt, expoſitioni ſuæ ſummā totius rei exponendæ præfigunt: in quam auditores intēdentes, ſciant quò pertineant omnia quæ dicuntur, & quis eorū ſit uſus. Hoc ipſum facit S. Iohannes noſter, cū dictis & factis Chriſti totū redemptionis noſtræ myſteriū proponit. Verbū Dei, inquit, id eſt filius Dei Chriſtus, de quo dicturus ſum, ab æterno erat apud patrē, et eſt uerus Deus, per quē omnia ſunt cōdita, etc. Hoc initiū Euangelij etſi anguſtiſſimū ſit, tamē arduū eſt & prægrāde, quoniā hoc ipſo cōfutantur & cōuelluntur impia hæreticorū dogmata. Indiget itaq; multa ac exquiſita expoſitiōe. At ut ad alia trāſgrediamur, & qa prolixæ ſunt aliorū explicationes, paucis expediemus illa. Omnia habent principiū, ſolus Deus eſt abſq; principio, et ultrà aſcendere nō licet. Sunt aūt hæc uerba ualde obſcura, quoniam natura diuina in immenſum ſuperat imbecillitatē humani ingenij, nec ſenſib. noſtris pcipi poteſt, nec uerbis explicari, utcunq; contēplemur, nulla tamē ſimilitudo duci poteſt à reb. illis cōditis, ſiue ſpectes angelos ſiue cœlorū machinā. Itaq; rationib. humanis ſcrutari uelle Diuinæ naturæ cognitionē, temeritas eſt: loqui de his quæ nullis uerbis explicari poſſunt, demētia eſt: definire, impietas. Quid ergo? Sufficiat, unū eſſe Deum: & principiū abſq; principio omnium exiſtentiū: huncq;, antequam terra fieret, & cum nō eſſent abyſſi, hoc eſt, ab æterno genuiſſe filiū uerum & æternū Deum eiuſdē eſſentiæ. Hunc equidem filiū ſuum Chriſtū Ieſum ſcilicet, miſit Deus ubi uenit plenitudo tēporis, factū ex muliere, ut D. Paulus inqt, & ipſe lux quippe hominū fuit. qui ſua genuina ui lucebat in craſſiſſimis tenebris, infidelitatis ſcilicet, ignorātiæ & uitiorū: Ro. 1. Eſa 9. ut reuiuiſcerēt homines, atq; uiderent æternæ ſalutis uiā. Verùm mundus excæcatus peccatorū ſordib. noluit aſpicere lumen hoc. dilexerunt enim magis tenebras quàm lucem. Ipſe tamen nihilominus manſit lux undiq; pura, atq; illibata. quemadmodū Sol ille ſemper lucet, utcunq; homines lippi atq; cæci ſint. Certè nihil ab ipſo Deo factū non eſt, ut uita reſtitueretur omnibus. Itaq; nō contentus hac admirabili fabrica & creaturis, ex quibus, ut diuinus loquitur Paulus, potuiſſent cognoſcere creatorē: Rom. 1. *prophetis item, & lege: quin miſit etiā uirum ipſis excellentiorem, ut teſtimoniū perhiberet de lumine illo diuino, hoc eſt filio Dei Chriſto. Erat quidem ille Ioannes, lux quædam lucens uitæ ſanctimonia,* Ioannes Baptiſta. *ſed non illa lux quæ toti mundo uitam adferret. Hæc enim fuit filius ille unicus patris cœleſtis, illuminans omnem hominem, ut peccatorū abſterſa caligine fidei, lumen in cordibus ſuis haberent, per quod cognoſcerent Deū patrem ſolū colendum ac diligēdum, & huius unicū filium Ieſum Chriſtum. Semper hic filius Dei in mundo fuit, per ea quæ mirificè condita fuerant. At mundus eum non cognouit, tanta erat caligo mentium. quare factum, ut homines mutarint gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, uolucrum & quadrupedum, & ſerpentium. Miramur ſanè hanc cæcitatem hominum. at illud magis mirandum, quòd ad ſuam gentem uenit, cui tot prophetarum oraculis fuerat promiſſus: quæ uidit edentem miracula, & tamen non eſt ab ea receptus. Quam Iudæorum incredulitatem Antiochiæ Paulus & Barnabas cōſtanter ipſis Iudæis improperauerunt: ac fore dixerunt, ut gentibus per uerbum ſalus innoteſcat:* Galat. 4. *etiamſi legis et prophetarū ſint rudes: quemadmodū per prophetā ſignificatū ſit, Acto. 13. Iſai. 49. Quocirca, inquit Ioānes quoq;, cuiuſcūq; nationis atq; cōditionis receperūt hūc filiū Dei, his uiciſſim hoc dignitatis contulit, ut per fidem ac baptiſmum fierent*

fierent & ipſi filij Dei, adoptiōe ſcilicet, quod ipſe eſſet per naturam, qui non per carnalem generationem, ſed per fidem naſcuntur ex Deo. * Et quomodo mirum eſſe poteſt, ſi homo transformetur quodammodo ad diuinæ naturæ conſortiū, cum ſermo diuinus ſeſe hac gratia demiſerit ut noſtram carnem, hoc eſt mortale corpus aſſumeret ex uirgine, totam naturam hominis, cuius ut certam faceret fidem diu uerſatus eſt in terris? Neque tamen diuina carebat maieſtate. Ipſi enim uidimus, inquit Ioannes, diuinam illius gloriam ut unigeniti Dei, quæ nec angelorum cuiquam nec prophetarum ulli exhibita eſt. quibus etſi Deus largas gratiæ ſuæ ac ueritatis dotes impartitus ſit: tamen hunc filium ſuum ita glorificauit pater, ut eſſet plenus diuinis dotibus omnibus, & irrefragabili ueritate. * Vt autem Ioannes egregiè diſſeruit de diuina Chriſti Ieſu natura & generatione: ita Lucas conſequenter, Matthæum quodammodo imitatus, genealogiam atq; ætatem Domini recenſet, atq; indicat: quam quia apud Matthæum ſatis dilucidè tractauimus, ſuperuacaneū exiſtimamus excuſſa repetere, præſertim quòd ipſe Lucas multorū tantū nomina ponat, quorū expoſitionem ſcire nō admodū refert. Docti uideant ac legant Eraſmum de ijs doctiſſimè diſputantē in ſuis Annotatiōibus.

* Et ipſe Ieſus incipiebat agere annum circiter triceſimum, ut putabatur, filius Ioſeph. Lucæ 3.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Ioannis 1.

ET reuerſus eſt Ieſus in uirtute ſpiritus, & Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat dicens: Hic erat quem dixi, qui poſt me uenturus eſt, ante me factus eſt qui prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia: quia lex per Moſen data eſt, gratia & ueritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Deum nemo uidit unquam: unigenitus Dei filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Et hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & leuitas ad eum, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit: & confeſſus eſt, quia nō ſum ego Chriſtus. Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, Non ſum. Propheta es tu? Et reſpōdit, Non. Et interrogauerunt eum, Quis es, ut reſponſum demus his qui miſerunt nos? Quid dicis de te ipſo? Ait: Ego uox clamantis in deſerto, dirigite uiam Domini, ſicut dixit Iſaias propheta. Et qui miſſi fuerant, erant ex phariſæis. Et interrogauerunt, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neq; Elias, neq; propheta? Reſpondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua, medius autem ueſtrûm ſtetit quē uos neſcitis, ipſe eſt qui poſt me uenturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius non ſum dignus ut ſoluam eius corrigiam calciamenti. Hæc in Bethabara facta ſunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

Ioannes interrogatus, liberè fatetur ſe non eſſe Chriſtum.

COMMENTARIA.

Hucuſq; ueluti præfatus Ioānes tradidit, qua de re ſit ſcripturus: præparatis aūt ſic animis fideliū, cōtexere nunc incipit ipſam Euangelij hiſtoriam, auſpicās hanc à S. Ioanne Baptiſta, ac teſtimonio eius de Chriſto, ſicut reliqui tres Euangeliſtæ fecerūt. Ipſum aūt non ſolū teſtificatū eſſe dicit, ſed clamaſſe: hoc eſt, ut D. docet Chryſoſtomus, fidēter, liberè & omni abiecta formidine Meſſiæ filij Dei aduentū prædicaſſe. Cæterùm ipſe Ioan. Baptiſta refert, ſe ad ſuperiores ſuas cōciones, quibus haud dubiè de Chriſto diſſeruit copioſius, quas repetēs oſtendit Chriſtū Ieſum quidem ob prædicationē & natiuitatē temporalem poſteriorem, ſed reuera anteriorem dignitate & gloria. Nam iuxta diuinitatē ab æterno eſt, patri per omnia æqualis. Itaq; Chriſtus uerbum incarnatū fons eſt aquarū uiuentium, in quo donauit nobis pater omnia ea quæ ad perfectā beatitudinem ſunt neceſſaria. Omnes ergo tam prophetæ quàm apoſtoli, omnes deniq; ſancti, Chriſti beneficio et gratia uiuūt et ſancti ſunt: cum ipſe, docente Chryſoſtomo, bonorū diuitias in uniuerſos diffundat. & propterea dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiā uos, Matt. 11. Et iterum: Si quis ſitit, ueniat ad aquas, ad me inquā, & bibat. Ioan. 7. Verùm fons ille ſemper plenus permanet, neq; aliorū ſatietate minuitur. Cumq; omnes bonis ſuis implet, in eadē tamē permanet perfectione. Dixit aūt præcurſor: Gratiā pro gratia. Hæc uerba Auguſtin. ſic interpretatus eſt, ut pro hac gratia qua ex fide uiuim⁹, recepturi ſimus aliā, nempe uitam æternam. Theophylactus aūt per gratiā intelligit, gratiā ueteris teſtamēti, eo q, & Iudæi gratia in filios adoptati et recepti fuerunt. Per ſecundā uerò, gratiā noui teſtamēti. Et hæc interpretatio aptior eſſe uidetur, cū ſequitur: Quia lex per Moſen data eſt, gratia aūt

per

per Ieſum Chriſtũ. Enimuerò nouũ teſtamentũ iu ſtè ac meritò gratia nominatur. In hoc enim Deus nõ ſolũ peccatorũ remiſsionẽ nobis largitus eſt, ſed et filiorũ adoptionẽ. Veritas aũt, quia quæcũq; pat tres olim in figura uelulderũt, uel locuti ſunt, clarè et aptè in nouo teſtamẽto prædicata fuerunt. Per legẽ ira, indignatio et maledictũ orbi innotuit: per Chriſtũ aũt gratia, benedictio & condonatio. per legẽ facta eſt promiſsio, in Chriſto omnia fidelib. ſunt præſtita: Ro. 8. Gal. 3. Deinceps utitur occu patiõe quadã, qua reſpõdet ipſe Baptiſta præuius nõnullis dicẽtibus: Quis retulit Deũ in Chriſto fi lio ſuo orbi placatũ eſſe? Si ipſe orbi prædicauit, er go uiſibilis eſt, et ſenſibilis. et ait: Scio Deũ ſubſtã tia et natura ſua planè inuiſibilẽ eſſe, nec loq eo quo nos ſolemus modo. Ideo unigenitũ ſuũ filiũ in mun dũ miſit, quo is uerus homo fact*, nobiſcũ agere poſ ſet, et loq. ut Deũ et ipſius diuinã uoluntatẽ rectius caperem*. Ergo nemo Deũ uidere poteſt in his ter ris. reſeruatur enim ea gloria in æterna patria agẽ tib. cũ ipſo Deo. 1. Ioã. 3. 1. Cor. 13. Ergo quod alì bi de patriarchis et prophetis legimus, uidiſſe ipſos Dominũ, Gẽ. 33 Eſa. 6. id quidẽ intelligendũ eſt de ſpecie quadã oculis eorũ obiecta, & de modo co gnoſcẽdi omniũ familiariſsimo, qui in his terris à Deo uſurpari ſolet. Vidit propheta, ait Theophyla ctus, quidẽ Deũ: at nõ ipſam ſubſtantiã, ſed ſimilitu dinẽ quandã et apparentiã, ſicut capere poterat. Eſt aũt eximius fructus, quem ex aduentu filij in hunc mundũ percepimus, quòd ſcilicet per filiũ inſtitui mur in cœleſti ſapientia. Tradit ſanè nobis diuina ſcriptura de Deo, quòd ſit pater noſter bonus, po tens, benignus et miſericors, qui omnino cultorib. ſuis bene uelit. Iſta aũt quis unquã intellexiſſet & credidiſſet plenè, niſi patrib. noſtris unigenitũ pro miſiſſet, nobis aũt pollicitũ præſtitiſſet, Deũ uerũ & hominem, ueram uitã atq; ſalutem fideliũ om niũ? Quapropter in incarnatione eluceſcit ineffa bilis Dei ſapiẽtia. atq; ſumma eius bonitas: in mira culis Chriſti intelligitur Dei admirabilis omnipo tẽtia: in morte uerò tã atroci apparet Dei iuſticia, quæ nõ potuit placari niſi tãta uictima. Et ſumma erga genus humanũ dilectio, q̃ nec filio quidẽ uni co pepercit Deus, ſed p̃ nobis tradidit illũ, ut D. Paulus inqt. proinde in filio & per filiũ mũdo ſeſe aperuit Deus ſignificãtiſsimè, cùm ipſe quicqd ſcire oportet de Deo, & quicquid eſt cœleſtis et ſaluta ris ſapiẽtiæ, nobis enarrauit. Vnigenitus aũt Dei fi lius appellatur Chriſtus, quia de ipſa patris ſubſtã tia unic* natus eſt, idẽ exiſtẽs quod pater, Deus de Deo, lumẽ de lumine, à quo nos oẽs illuminamur. Quid aũt ſit, eſſe in ſinu patris, D. Cyrillus elegã ter exponit dicẽs: Quẽadmodũ in Pſalmis, Ex u tero ante luciferũ genui te, à ſimilitudine hominũ poſuit, ex uẽtre: nanq; prodeunt quæ generãtur ſic ineffabilẽ generationẽ per ſinũ patris Ioannes in tellexit. Auguſtinus: Quid eſt, inqt, in ſinu patris? In ſecreto patris. non enim Deus habet ſinũ, ſicut nos habemus in ueſtib. etc. Ergo in ſinu eſſe, accipi tur pro eo quod eſt in arctiſſima cõiunctione eſſe. Audiẽs, inquit Theophylactus, ſinũ paternũ, ne ſu ſpiceris aliquid corporale de Deo. Euãgeliſta enim uolẽs nobis indicare, filiũ patri eſſe coæternũ, uerũ et inſeparabilẽ, huius nominis meminit. Et tantum de inſigni atq; illuſtri cõcione Ioannis, quã habuit de filio Dei Ieſu Chriſto, ſaluatore ac ſeruatore no ſtro. Quantũ uerò attinet ad legationem illã miſ ſam ad Ioannẽ, certũ eſt, quòd ſacerdotũ collegiũ Hieroſolymã magno cũ faſtu occupãs, uendicarit ſibi cenſurã in doctrinã religionis. Proinde ſi quis fuiſſet exortus nouus doctor religiõis, protinus e uocabatur ad examẽ in urbẽ regiã: uel mittebãtur inquiſitores, qui diſcuterẽt negociũ illud nouæ do ctrinæ. Fuit præterea alia cauſa huius legationis. Ipſa tẽpora & res geſtæ teſtabãtur, Meſsiã iã præ ſentẽ eſſe, de regno uidelicet ad aligenienã trãſ lato, iuxta uaticiniũ Iſraelis. Decurrerat quoq; ad iuſtum terminũ ſupputatio hebdomadũ Danielis. Cum aũt Ioannes nouã uitã inſtituiſſet & uiuẽdi modũ, præterea mirã docẽdi grauitatẽ in eo cõſpi cerẽt Iudæi, miſerũt legatos, qui et dixerũt, Nũ te pro Meſsia uenditas? So ſagt ers frey herauß, und uerleugnets nit, ac in quit: Non ſum ego Chriſtus. Sicq; falſam de ſe ſuſpicionem, quæ Chriſti gloriæ apud plebẽ poterat officere, repulit. Videte cõſtan tẽ et inſignẽ uirũ. impoſtores enim, miſeros homi nes naſo circũducunt. Rogãt adhæc legati, nũ ſit Elias, præambulo uidelicet, de quo Malachias. Hoc ipſum quoq; negauit. Nõ enim erat Elias ille curru igneo raptus, et uẽturus in ſecũdo Domini aduẽtu teſtãte Domino: ſed ſpiritu et uirtute ſaltẽ, eodẽ di cẽte: et quẽadmodũ Zachariæ dixerat angelus in tẽplo. Quare aũt ſe prophetã eſſe negat, cũ Domi nus dixerit eũ eſſe plusq̃ prophetã? Reſpõdet Chry ſoſtomus: Quia iterũ pcontantiũ animos inſpexit. Exiſtimabãt enim prophetã eximiũ uenturũ, iuxta quod Moſes patrib. oſtendiſſet. Hic aũt erat Chri ſtus. Cũq; urgẽt ardẽtius ut ediſſerat quis ſit, quò collegio ſacerdotũ certũ referre poſsint reſpõſum, reſpõdet ille: nũquid legerũt Eſaiã prophetã de uo ce in deſerto ſcribẽtẽ, clamãte quidẽ ut homines re ctè ambulẽt in uijs domini. de quo nõnihil ſuprà in Matthæũ attigim*. Actã diſertũ reſpõſum dedit ba ptiſta, quo teſtificat* eſt ſe nõ eſſe Meſsiã, ſed ipſius

Gene. 49.
Daniel. 9.
Malach. 4.
Lucæ 1.
Rom. 8.
Deut. 18.
Eſaiæ 40.

Meſſiæ præcurſorem ac miniſtrum, Ieſu uidelicet Chriſti, ac totius mundi ſaluatoris. Et ubi ſatis edocuit Ioannes, quis tunc plenius oſtendit quis ſit ille, ſcilicet Ieſus, cui ferret teſtimonium? Didicerāt autem Iudæi ex libris prophetarum, Meſſiam ſalutari lauacro purgaturum ſordes omnium iniquitatum. Sic enim legebant apud Ezechielem: Effundam ſuper uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis ueſtris. cap. 36. Hinc cur baptizet interrogant. Ioannes uerò occaſione inde accepta, pleniſſimè diſſerit de maieſtate Chriſti, aſſerēs ipſum eſſe filiū Dei omnib. in orbe præferendum: ſe uerò miniſtrū eius: quare tantū aqua tingat. Purgat ergo Deus peccata noſtra ſanguine filij ſui et ſpiritu ſancto, cuius purgatiōis ſymbolū eſt aqua. Cæterùm Bethabara elegit ſibi Ioannes, propter traiectū, et hominū frequentiā. Fuit enim celebris locus, de quo ſi placet conſule Cyrillum.

Ezech. 36.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Ioannis 1. Ieſum mundi ſaluatorē prodromus Ioannes digito ſuo notat.

ALtera aūt die uidit Ioannes Ieſum uenientem ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt de quo dixi: Poſt me uenit uir qui ante me factus eſt, qui prior me erat, & ego neſciebam eum: ſed ut manifeſtaretur Iſrael, propterea ueni ego in aqua baptizans. Et teſtimonium perhibuit Ioannes dicens: Quia uidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum, & ego neſciebā eum. ſed qui miſit me in aqua baptizare, ille mihi dixit: Super quem uideris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego uidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei. Altera autem die ſtabat iterum Ioannes, & ex diſcipulis eius duo, & reſpiciens Ieſum ambulantem, dixit: Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum. Conuerſus autem Ieſus, uidens eos ſequentes ſe, dixit eis: Quem quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatū, Magiſter) ubi habitas? Dicit eis: Venite, & uidete. Venerunt, & uiderunt ubi maneret, & apud eum manſerūt illo die. Hora aūt erat quaſi decima. Erat aūt Andræas, frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerāt eum. Inuenit hic primùm fratrem ſuū Simonē, & dixit ei: Inuenimus Meſsiam, quod eſt interpretatum Chriſtus, & adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus, dixit: Tu es Simon, filius Ioāna: tu uocaberis Cephas, quòd interpretatur Petrus. In craſtinū uoluit exire Ieſus in Galilæam, & inuenit Philippum, & dicit: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethſaida, ciuitate Andrææ & Petri. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit: Quem ſcripſit Moſes in lege, & prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. Et dicit Nathanael: À Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni & uide. Vidit Ieſus Nathanael uenientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce uerè Iſraelita, in quo dolus nō eſt. Dicit ei Nathanael: Vnde me noſti? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Priuſquam Philippus te uocaret, cum eſſes ſub ficu, uidi te. Reſpondit ei Nathanael, & dixit: Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Iſrael. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Quia dixi tibi, uidi te ſub ficu, credis: maiora his uidebis. Et dicit eis: Amen amen dico uobis, uidebitis cœlum apertum, & angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis.

COMMENTARIA.

Ad probandam ueritatem de Ieſu filio Dei ac uero homine, Ioānes colligit teſtimonia Baptiſtæ: quorum primum fuit, quod tulit in promiſcua & frequentiſſima turba, apertè teſtans ipſum eſſe unigenitum patris. Secundum legatis dixit Hieroſolymitanis, eruditione & ſanctimonia illuſtribus. Iam tertium producit, quod equidem dedit ille coram doctis & frequenti turba, ipſo Chriſto coràm aſtante, illuſtre & celeberrimum. Hucuſque tantum docuerat, Meſſiam orbi eſſe præſtitum, eum ipſum protinus affuturum: eſſeq; hunc uerum ueri Dei filium, mundi ſaluatorem. atq; ideo ab omnibus reſipiſcentia præparatis recipi oportere. Ea prædicatione multorum animos excitauerat, ut iam nihil magis cuperent quàm illum Meſſiam coràm uidere. Atq; hic diuina diſpoſitione factū eſt, ut in ipſam Ioannis concionem prodiret Ieſus. quo uiſo Ioannes manu extenta in Ieſum, dicebat: Hic ille eſt promiſſus ueſter Meſſias, quē hic coràm cernitis ſtare. Ecce eum. quo deſignauit quem uelit,

ſimul

ſimul & auditorum animos excitauit ad attentionem & obſeruationem. Agnum autem appellat Chriſtum, reſpiciens ad figuras & prophetarum uaticinia. Figuram habes, Nume. 28. ubi ſic præceptum fuit: Hoc eſt ſacrificium quod ſacrificabitis Domino, agnos anniculos, integros, duos unoquoq; die in holocauſtum continuum, agnum unum facies mane, alterum uerò inter ueſperas, &c. Agno integro Chriſtus ſignificatus eſt, ut ſacrificium & hoſtia expiatoria, expurgans omnes fideles à peccatis, ideoq; continua hoſtia ut eſſet. Itaq; licet ſemel oblatus ſit Chriſtus, ſemper tamen ſufficit. Oblatus eſt autem manè & ueſperi, quandoquidem ipſe expiauit peccata ueteris et noui populi omnium hominum ab orbe cõdito ad finem uſq; mundi. Eôdem pertinent quæ in Exodo legimus de agno Paſchali, qui omnium conſenſu typũ geßit Chriſti immaculati agni. Exod. 12. 1. Pet. 1. Eſaias uerò apertè Chriſtum agno comparat, cum inquit: Omnes nos quaſi oues errauimus, unuſquiſq; in uiam ſuam declinauit, & poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium noſtrorũ. Oblatus eſt, quia ipſe uoluit, & non aperuit os ſuum. Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. Eſaiæ 53. Proinde baptiſta noſter ſic dixiſſe uidetur: Scitote Ieſum quem hic uobis digito oſtendo, illum eſſe agnũ Dei uerũ, uobis in lege & Prophetis præfiguratum: id eſt, illum à Deo miſſum hoſtiam pro expiatione peccatorum totius mundi, quæ penitùs tollat, nulla labe aut culpa relicta, quæ ulla alia ratione expurgetur. Diuus Chryſoſtomus diligenter annotauit uerbum Tollit. at enim: Non dixit, Qui tollet, aut tulit: ſed, Tollit peccata mũdi, ut quotidie tollere ea intelligatur. Non enim cum paſſus eſt, ſolùm noſtra abſtulit peccata: ſed ex illo hactenus tollit. Non ſemper crucifigitur. unum nanque pro peccatis noſtris tulit ſacrificium, ſed ſemper per illud nos purgat. Et uériſsima hæc ſunt ipſius uerba. Ioannes enim inquit: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum, iuſtũ, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. 1. Ioan. 2. Quoties itaq; cum publicano Dei imploramus miſericordiam, per meritum paßionis Chriſti: fidelis eſt Deus, ut remittat nobis peccata noſtra: et emundet nos ab omni iniquitate, quod alias haud eſſet facturꝰ. ſed propter hunc agnum facit, qui occiſus eſt, & redemit nos Deo, in ſuo ſanguine. Apocalypſis 5. Videamus ergo maieſtatem Chriſti. Cæterùm quod ipſum Ioãnes Virum uocat, oſtendit quia uerus homo ſit Dominus noſter. At ne purum hominem eum credidiſſe intelligatur, mox diuinitatem tribuit; ubi inquit, Chriſtũ priorem fuiſſe, & anteceßiſſe ut digniorem & præſtantiorem, ſecundũ utiq; naturã diuinã. Nec porrò dicit hic, aliquid dolo aut ex compoſito fit: hactenus enim mihi ignotus fuit Ieſus, utpote qui in Galilæa huc uſq; uixit, me in deſertis Iudææ degente: hactenus nunquam uidi aut ſalutaui eum. Aliàs minimè neſciuit Chriſtum Ioannes Baptiſta, quem certè adhuc in utero materno exiſtens cognouit, quẽ deinde uidit, baptizauit, & demum audiuit patris reuelationem. Quamobrem quoq; multis alijs uerbis proſequitur ſuũ de Chriſto Ieſu teſtimonium, oſtendens Iudæis, atq; apertè ediſſerens unde hauſerit teſtimonium illud quod perhibeat Ieſu, nimirum à patre cœleſti, ac inquit: Cum docerẽ, Deum patrem orbis miſertum dediſſe filium, et ex diuino inſtinctu natum ipſum iam in mundum atteſtarer, neſciebam quis eſſet ille filius Dei. Mox pater cœleſtis, qui & docere & baptizare iuſſerat, mihi eum reuelans dixit: Quanquam nondũ uideris quem prædicare iubeo, adducã tamen illum tempore ſuo, quo tu illum cognitum toti populo demonſtres. Hoc aũt ſignum erit, quo ipſum cògnoſces eſſe filium meum unigenitũ, & mundi Saluatorẽ: Spiritus ſuper eum cœlitùs deſcendet ſpecie uiſibili, & manebit ſuper eum. Hoc ego uidi: Cum enim aliquanto tempore docuiſſẽ pœnitentiam & remiſsionẽ in nomine Chriſti uenturi, en adeſt tandem ipſe, cupiens à me baptizari. Baptizo ipſum, & ſtatim diffunduntur cœli, circũfulgurat nos illuſtris gloria, & deſcendit è cœlo in caput eius ſpiritus ſanctus ſpecie columbæ. Auditur præterea & uox è cœlo, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo placabor. Tanta cum uidiſſem ac audiuiſſem, protinus ueritatem intellectam cõfeſſus ſum, & teſtificatus, hunc eſſe filium Dei et mundi ſaluatorem. Habetis unde hauſerim doctrinam meã de Ieſu Chriſto, &c. Nunc fortaſſe dicet aliquis, cur nõ crediderũt tam apertè teſtimonium Ieſu ferenti? Reſpondendum, eo quòd obtenebratũ erat inſipiens illorũ cor. quo factum item fuit ut nec eum ſtupenda miracula facientẽ crediderint. Poſtremò tulit quoq; Ioannes teſtimoniũ Chriſto Ieſu, coram dilectis diſcipulis ſuis. Iſto aũt facto ſuo oſtendit Ioannes, huc omnẽ doctrinã ſuam pertinere, ut omnes homines ipſius audiẽtes teſtimonia & prædicationẽ, omnib. rebus abnegatis, ſoli Chriſto totos ſeſe cõſecrent. Habemus ergo in diſcipulis Ioannis ſanctißimũ exemplum, ut Chriſtũ ſequamur, tanquam fontẽ omniũ gratiarum, & unde hauriamus ſalutares animæ latices.

Hinc etiã ſcriptura cõmemorat, quàm amicè ad ſe
Chriſtus omnes inuitet, dicens: Venite ad me
omnes qui laboratis et onerati eſtis, etc. Matt. 11.
Cæterùm Baptiſta ſuo defunct⁹ munere ad quod
diuinitùs fuerat uocatus, omnes ad Chriſtũ rele
gauit: Dominus aũt deligit et recipit aliquos, ut i-
pſos cœleſti ſapiẽtia imbuat, tandẽq; in orbẽ able
get prædicatũ gratiam atq; regnũ cœlorũ. Quòd
aũt interrogat, non quẽ quærant, ſed quid: oſtẽdit
atq; admonet, ut animũ excutiãt quo affectu ueni
ant ad Chriſtũ, et quid ab ipſo petant. Reijciũtur
enim alibi in Euãgelio, qui apud Chriſtũ terrena,
honores uidelicet et opes quærebãt. Proinde me
minerim⁹ nos qua mẽte, quo fine, et ob quã cauſam
Chriſtũ ſequamur: ut ſcilicet acquiramus iuſticiã,
innocentiã ac immortalitatẽ. Sic uerò recipit Do
minus quærẽtes ſe animo benigno ac ꝓpenſiſſimo
ad benefaciendũ. Diſcipuli illi Chriſtũ præcepto
rem & doctorẽ multæ eruditionis & ſciẽtiæ ap-
pellant, ſignificãtes ſe ipſius fore diſcipulos, ac po
ſtulare ab ipſo uerã in pietate et de uera felicitate
inſtitutionẽ: quamobrẽ quoq; ubi habitet interro
gãt, quo plenius myſteriũ redẽptionis cognoſcãt.
Hoc diligẽter conſideremus oportet, quoniã Chri
ſtus ſolus nos docet uerã ſalutis doctrinã: & libẽ
ter, cũ ſit munificus, ſe totũ offert, et omnia ſua o-
mnib. ita ſe quærentib. Iam Andreas ex Ioannis
indicio, ſed multo magis ex domeſtico Ieſu collo
a Eſaiæ 7. & 9. quio, cum certũ cõperiſſet, illũ eſſe eũ agnũ cœle
Hierem. 23. ſtẽ qui ſolus tolleret peccata mũdi, ipſum eſſe Chri
ſtũ à prophetis promiſſũ, et tot iam ſeculis expe-
ctatũ, tam certæ cognitionis felicitatẽ cõmuniecat
fratri ſuo Simoni Petro. D. Chryſoſtomus: Hoc,
inqt, uerbũ Inuenimus, animæ eſt maximè eius ad
uentũ deſiderãtis, et cœlitùs ueniã expectãtis. Et
ueriſimile eſt, quòd multo tẽpore deſiderarint eũ,
b Gene. 28. et meditati fuerint quærere illũ. Rurſus demõſtra
tur, q̃ benignus ſit Dominus erga omnes eos q ad
ipſum ueniũt, quãdo tã benignè Petrũ recipit. Nec
emphaſi caret quod ſcribitur, Intuitus eũ Ieſus. Nã
Cyrillus: Reſpicit, inquit, ut Deũ decet q corda et
renes ſcrutatur: uidetq; qui nihil ignorat, ad quantã
et fidẽ & uirtutẽ diſcipulus peruẽturus ſit. Quia
igitur nõ ſolùm faciẽ hominis cõtemplatus eſt, ſed
animũ potius colũbina ſimplicitate præditum, &
ob hanc aptũ Euangelicæ gratiæ: propterea di-
xit, Tu es Simõ, id eſt obediẽs: filius Ionæ, id eſt,
c Philip. 2. gratiæ. Tu uocaberis Cephas, hoc eſt, ubi fides i-
ſta robur collegerit, aduerſus omnia ſatanæ tẽta-
mẽta cõſiſtere poteris, ueluti petra uel ſaxũ. Poſt
hæc Dominus pari animo, hoc eſt ꝓpenſo Philip
pũ uocat, et aſſumit in diſcipulũ. Philipp⁹ uerò Na
thanaelẽ ad Chriſtũ inuitat. Nec mirũ cupiã ui-
deatur, quòd ipſe Philippus rudis alioqui & impe
ritus ſcripturarũ, Moſen citat & prophetas: ſi-
quidem Moſen & prophetas polliceri Saluatorẽ,
uulgatiſſimũ erat. Cum aũt Ieſum Nazarenũ di
cebat, Nathanael, utpote in lege diligẽtior, cogno
ſcebat ex ſcripturis, quod à Bethleẽ oporteret uenĩ
re Chriſtũ. Philippus aũt cõſtanter perſeuerat, ut
qui minimè dubitaret Ieſum eſſe Meſſiã. Vocat i-
taq; Nathanaelẽ cum ſuis quæſtionib. ad Chriſtũ
dicẽs: Ipſe rem omnẽ experire. Et ecce rurſum ad-
mirandã quandã Chriſti benignitatẽ et humani-
tatẽ, amiciſſimè Nathanaelẽ recipientis. cui mox
probat ſe uerũ eſſe Dei filiũ, dum oſtẽdit ſe corda
abſtruſa & abſentia noſſe. De Deo enim Salomõ
dixit: Tu ſolus noniſti corda cunctorũ filiorũ ho-
minũ. Ex quo igitur Ieſus pectoris inſpector &
cordiũ animorũq; conſcius ac iudex erat, idcirco
dicit: Nathanaelẽ eſſe uirũ ſinceri animi, qui inge
nio ac morib. pulchrè exprimeret patriarchã illũ
Iacob, deinde Iſraelem appellatũ. Cumq; hũc Do
mini ſermonem admiraretur Nathanael, certis
quibuſdã circũſtãtijs Ieſus declarauit ſemetipſum,
ut inde colligeret Nathanael quẽ coràm uideret,
nẽpe omniſciũ et uerũ Meſſiã, qualẽ certè oportu
it eſſe Chriſtũ, quò uidelicet omniũ cogitatiões et
uota ſcire, audire, adeoq; implere poſſit. Nathana
el aũt auditis illis, ſentire cœpit magnitudinẽ Do
mini, quantũ tũc poſſibile erat. Et fatetur illũ filiũ
Dei et regẽ Iſraelis à Deo promiſſũ [a]. Inſignis ue
rò eſt hæc Nathanaelis cõfeſſio, & memorabilis
nobis eſſe debet, quò prõptiorib. animis Chriſtũ
recipiamus, et in ipſum figamus cordis noſtri fidu
ciã. Poſtremò uidetur Dominus alluſiſſe ad illud,
quod de Iacob ſcribitur dormiẽte ſuper lapide, et
uidente ſcalã quandam porrigi in cœlũ, perq; hãc
angelos Dei aſcẽdere & deſcendere, porrò ſum-
mitati ſcalæ Deũ inniti [b]. Ergo quod Dominus di
cit, tantũ eſſe uidetur: Intelligetis me doctore &
magiſtro cœlũ, per peccata in Adamo occluſum,
mea diſpẽſatiõe recludi: & me eſſe ſcalã et uiã illã
in cœlos, qua aditus patet ad patrẽ: et ꝑinde ange
los mihi eſſe ſubiectos, tanq̃ Deo uero ac nomine
regi omniũ uiſibiliũ et inuiſibiliũ creaturarũ. Hæc
inquã apertiſſima fiẽt ex doctrina mea, ex ſignis
ſiue miraculis, ex morte terrifica, reſurrectiõe ite
glorioſa, et magnifica in cœlos aſcẽſione. Ita Chri
ſtus erit rex ac Domin⁹ noſter, in cuius meritò o-
mne genu flectetur [c]. Per hũc cœlũ nobis apertũ
eſt, qui ipſe nos Deo patri recõciliauit, et fecit nos
hæredes uitæ æternæ. His diſcipulos Chriſti o-
portet imbui, & in his per omnẽ uitã exerceri. In
his potiſſima noſtræ religionis capita
continentur.

CAPVT

CAPVT DECIMVMNONVM.

ET tertia die nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem Ieſus ad nuptias, & diſcipuli eius. Et deficiente uino, dixit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Et dixit ei Ieſus: Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum uenit hora mea. Dicit mater eius miniſtris: Quodcunq; dixerit uobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationē Iudęorum, capientes ſingulæ metretas binas uel ternas. Dicit eis Ieſus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas uſq; ad ſummum. Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autē guſtauit architriclinus aquam uinum factam, & non ſciret unde eſſet, miniſtri autem ſciebant qui hauſerant aquam: uocat ſponſum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt: tu autem ſeruaſti uinum bonum uſq; huc. Hoc fecit initium ſignorū Ieſus in Cana Galilęæ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius. Poſt hæc deſcendit Capernaum ipſe, & mater eius, & fratres eius, & diſcipuli eius, & ibi manſerunt non multis diebus. Et fama exijt per uniuerſam regionem de illo. Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & glorificabatur ab omnibus.

Ioannis 2.
Ieſus honorat nuptias.
Bis ternis guttis laticem immutauit Iacho:

COMMENTARIA.

† *Chriſtus, ut putabatur, filius Ioſeph (ita ſanè plerіq; exiſtimabāt ipſum purū eſſe hominem) eapropter ſignis & miraculis oſtendit ac declarauit ſe eſſe omnipotentis Dei omnipotentem filium. Quod uerò nuptias attinet, ſua præſentia clariſſimè atteſtatus eſt Dominus, honorabiles eſſe illas. Porrò edit ac bibit Dominus Ieſus, & publico cō uiuio intereſt, ut oſtēdat, uſum rerū temporariarū quæ ad corporis curam pertinent, nequaquā damnandum, luxum tantū et intemperantiā fugiendā. Deficiente autem uino compellat mater filium ex commiſeratione quadā, cupiens ut ipſe ſponſi inopiæ ſua omnipotentia ſubueniat, quam multis iam argumentis fuerat experta. At ille durius reſpondit, non ut eam contemneret (ſicut quidam, teſtante Auguſtino, hinc probare contendunt, & euincere uolunt, Mariam reuera non fuiſſe matrem Chriſti) ſed ut oſtenderet, negocium patris nō ex arbitrio, non ex præſcripto gerendum, nec opus eſſe interpellatione, cum tempore congruo ultrò facturus ſit, quod res ipſa poſtulat. Quare etiam dixit, Nondum uenit hora mea: hoc eſt, opportunum tempus nondum adeſt. Quo minus rectè ſenſit Arius, monſtrans Dominum horis & temporibus ſubditum fuiſſe. Quomodo hoc dicere potuit de factore temporum & ſeculorum? Lapideæ autem hydriæ ad purificationem Iudæorum aderant. Iudæi enim, inquit Theophylactus, fermè ſingulis horis abluebantur, et ſic comedebant. Videntur autem hydriæ illæ immobiles fuiſſe, quas minoribus uaſis impleuerunt. Iam uerò non legitur Dominus quicquam dixiſſe, ſed qui olim dixit & facta ſunt, mandauit & extiterunt uniuerſa, occulta ſua uirtute aquam conuertit in uinum. Miraculum hoc, ait Auguſtinus, quòd Chriſtus de aqua uinum fecit, non eſt mirandum eis qui nouerunt quia Deus fecit. Ipſe enim fecit uinum in illo die, qui omni anno hoc facit in uitibus. Sicut enim quod miniſtri miſerunt in hydrias, in uinum conuerſum eſt opere Domini: ſic & quod nubes fundunt, in uinum conuertitur, eiuſdem opere Domini. Tantum ille. Conſideremus itaq; opera Dei, quibus adminiſtratur & regitur hic mundus, & demus gloriam atq; laudē creatori & conſeruatori omnium rerum. Architriclinus quare non miniſtros, ſed ſpōſum interrogarit, hāc reddit Theophylactus rationem: ut ſcilicet inde colliqueſceret, hoc uinum à ſponſo non aliunde eſſe inuectū, aut paratum. Omnia hæc iuxta diuinam prouidētiam facta. Porrò non ſimpliciter fecit uinum, ſed & optimum. Hæc enim quæ per miracula Chriſti facta, multo meliora his quæ per naturam fiūt. Hoc autem facto Dominus Ieſus auſpicatus eſt miraculorum geſtionem, manifeſtās gloriam ſuā. nullus enim adhuc opinionem talem habebat de Chriſto: quare nunc quidem crediderunt in eum diſcipuli eius. Iam enim fidem ampliorem & firmiorem acceperunt, ipſum eſſe Meßiam filiū Dei, & regem Iſraelis. Cæterum neminem offendat, quòd fratres Chriſtus dicatur habuiſſe: quaſi Maria non manſerit uirgo, ſed iterum pepererit. S. enim Auguſtinus multis oſtendit atq; probat, fratres poni pro conſanguineis. Neq; id contra ſcripturam: ſiquidem gente uocātur fratrer, ſicut om*

† Beda.
Tatiani & Martiani, cæterorūq; qui nuptiis detrahunt, perfidia quàm ſit damnata, in ſinuat, &c.

nes Iudæi, Deuter. 17. Cognatione item, qui ſunt de una familia, quemadmodum Abrahã & Loth, Gen. 13. Deniq; affectu & mente, quomodo omnes deberent eſſe Chriſtiani. Poſtremò locus deſignatur, in quo doctor ueritatis doctrinã ſuã Euangelicam aperuit, expoſuitq́; ſynagoga uidelicet, ubi omnes conueniebant. Quare apertam & manifeſtam oportet eſſe doctrinam euangelicam, & ex ſpiritu Chriſti. Niſi enim in doctoribus exerat ſe & operetur uirtus Spiritus ſancti, nihil eſt reuera quod ad bonum commoueat auditores. Glorificatus eſt Chriſtus propter tam inſignem doctrinam. Bene quidem. Digna eſt enim ipſa ueritas ut laudetur & prædicetur. Hinc uerò, inquit Lactantius, nec adulari licet (pernicioſa eſt enim ac deceptrix adulatio) ſed ubiq; cuſtodiamus ueritatem, quæ licet ad præſens ſit inſuauis, tamen cum fructus eius atq; utilitas apparuerit, non odium pariet, ut * poeta ait, ſed gratiam. Hæc ille.

* Terentius.

CAPVT VIGESIMVM.

Ioannis 2. Pellitur è templo mercator & rauca columba ſacro.

ET propè erat Paſcha Iudæorum. Et aſcendit Ieſus Hieroſolymam, & inuenit in templo uendentes boues, & oues, & colũbas, & numularios ſedentes. Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo: oues quoq; & boues, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit. Et his qui columbas uendebant, dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domum negociationis. Recordati uerò ſunt diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hęc facis? Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo ei Iudæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis ſui. Cum ergo ſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat: & crediderunt ſcripturę, & ſermoni quem dixit Ieſus. Cum autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha, in die feſto, multi crediderũt in nomine eius, uidentes ſigna quę faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quòd ipſe noſſet omnes, & quia opus non erat ei ut quis teſtimonium perhiberet de homine. Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.

COMMENTARIA.

Templum hoc diuinitùs inuentum & inſtitutum fuit, ut ad unius ueri Dei cultũ uiſibiliter præſtandum populus colligeretur, atq; abſtraheretur ab omni idololatria & peregrino cultu. 3. Reg. 9. Exod. 32. Verſabatur aũt ille cultus Dei circa doctrinam legis & prophetarum, ſacrificiorũ exercitium, & preces publicas. Dominus autem Hieroſolymis iuxta legis præſcriptum, Exod. 23. Paſchæ celebritatẽ peracturus, offendit illic non tẽpli, ſed fori ſpeciem, quam ſacerdotes, teſte Hieronymo, excogitauerant, propter ipſorũ inſatiabilẽ auariciam, quodq; cultus uerus eſſet corruptus, et tantũ humanæ quædam docerentur traditiones. Has ſordes tãquam impias uerus ſacerdos noſter Chriſtus è templo eiecit, non uerbis duntaxat, ſed manu & facto: quod ut faceret, non odium et inuidia ipſum exaſperauit, ſed zelus domus Dei, quod Dauid olim præuiderat futurum, Pſal. 69. Porrò Iudæi oppoſuerunt ſe Domino, cupientes ſuam defenſam auariciam, atq; dicunt: Aſſeris maniſeſtiſſime, domum illam Dei patris tui eſſe domum. Si ergo Deus pater tuus eſt, & ſi patris contumeliam uindicas, æde miraculum aliquod, ut intelligamus te patris authoritate hæc facere. Ieſus autem promittit eis ſignum, ſignum ſcilicet mortis & reſurrectionis ſuæ, quo euidentiſſimè oſtenſum fuit, ipſum eſſe filium Dei, Chriſtum & ſaluatorem orbis. Templum itaq; ipſum, Domini corpus fuit: deſtruere, occidere: erigere, ex mortuis excitare. Optimè etiam hoc annectitur, quomodo ſcilicet diſcipuli crediderunt ſcripturæ & ſermoni Ieſu: nobis utiq; in exemplum, ut quemadmodum illi cum ſcripturis dicta & facta Chriſti contulerunt, & fidem ipſi habuerũt: ita nos Chriſti dicta et facta cum ſcripturis conferentes propheticis, credamus Ieſum eſſe Dei filium, & mundi ſaluatorem. Quid autem effecerit Chriſtus ſua doctrina & ſignis ſuis ſubſequentibus, ſatis indicatur uerbis. Certum enim eſt, Dominum frequẽtes habuiſſe ſermones ad populum, quibus fidem docebat, & charitatem. Deinde oſtenditur, multos quidẽ credidiſſe, ſed animo ficto & ſimulato. Hoc minimè neſciuit Chriſtus, quãobrẽ cauit ſibi quàm diligẽtiſſimè ab eis, ab illorũ hypocriſi & ſuauiloquentia, quia nouit omnes intus et in cute, ut dicitur, utpote uerus Deus, cui corda hominũ

D. Hieronymus in Matth. capite 21.

ſunt perſpicaciſſima, Heb. 4. Vero Deo, inqt Cyrillus, ſolūmodo nec ulli creaturarū hæc dignitas attribuitur, qui finxit ſigillatim corda illorū, qui omnia opera illorū intelligit. Ita Cyrillus ſanctus.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

ERat autem homo ex phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorū. Hic uenit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabbi ſcimus quia à Deo ueniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi Deus fuerit cum eo. Reſpō dit Ieſus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt uidere regnum Dei. Dixit ad eum Nicodemus. Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? Numquid poteſt in uentrem matris ſuę iteratò introire, & renaſci? Reſpondit Ieſus: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris, quia dixi tibi, oportet uos naſci denuò. Spiritus ubi uult ſpirat, & uocem eius audis, ſed neſcis unde ueniat, aut quò uadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod uidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis: quomodo ſi dixero uobis cœleſtia, credetis? Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentē in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei. Hoc eſt autem iudicium, quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. erant enim opera eorum mala. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non uenit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifeſtentur opera eius, quia in Deo facta ſunt.

Ioannis 3. Cœlum, quò ſcādāt renouati, pneumate natus Siderea ſummi uenit ab arce patris.

COMMENTARIA.

Ecce uirum alioquin religioſiſſimum, ſed qui pro ingenij humani prauitate miſerè ſibi metuit, ne quid odij ſibi conflaret ex conſortio Domini. Ideo noctu uenit ad ſaluatorem. In hoc autem mira relucet Chriſti bonitas, quòd tanto laborantem affectu, et huic ſeculo implicitum, non auerſatur, ac ut deſipientem increpat, imò de uera iuſtificatione hominis ipſum inſtruit atque informat. Ergo Nicodemus iſte, inquit Auguſtinus, ex his erat qui crediderant in nomine eius, Chriſti ſcilicet, uidentes ſigna & prodigia quæ faciebat. Colligit autem Nicodemus ex ſignis, Ieſum cœlitùs eſſe miſſum orbis doctorem, proque ſua ignorantia nihil amplius de eo quàm de propheta ſentit, & ualde humilem de Chriſto habebat opinionem. Proinde dicit ei Dominus: Tu adhuc carnalis es, propterea neceſſe eſt ut ſpiritualis fias. Illud habeto pro certo, neminem beatum fore, niſi ſpiritualiter renaſcatur. Colligimus ex his, duplicem eſſe hominū natiuitatem: unam naturalem, qua in mundum naſcitur homo. Et hæc quidem nihil confert ad conſequendam ſalutem, imò totus homo obnoxius eſt damnationi, mancipium peccati & ſatanæ, Pſalmo quinquageſimo, ad Romanos quinto, ad Epheſios ſecundo capite. Alteram uerò ſpiritualem, ubi Deus pro ſua bonitate & miſericordia, corruptam naturam noſtram per peccatum, gratia & donis ſuis reſtituit, planèque nouum hominem facit, qui ſpiritu cœleſti ducitur, ut uelit quæ bona ac iuſta eſſe intellexit, & credat ſe propter Chriſtum patri eſſe reconciliatum. Quod egregium de renaſcentia dogma, cum craſſus Nicodemus non intelligeret, dignatus eſt Dominus clarius ei rem exponere, ac dicere: Ego loquor de noua quadam & prorſus aliena natiuitate, & diuerſa ab illa ueſtra uulgari & corporea, qua eodem corpore manente animus mutatur, adeóque to-

Duplex hominis natiuitas.

tus homo alius, ac nouus quidam fit homo. Ergo iuxta Diui Cyrilli interpretationem, regenerationem quæ per Spiritum ſanctum fit, naſci deſuper Dominus appellauit. Vt etiam ex hoc diſceremus, idcirco nos Dei fieri participes, quoniam ſpiritum qui ſubſtantialiter ex Deo procedit, per baptiſmum acquirimus: quo in priſtinam pulchritudinem reformati, & ad nouam uitam renati, à Deo in filios adoptamur. Vtitur autem Dominus aptiſſima ſimilitudine, ab ipſo uento deſumpta. Hic enim uentus, inquit Theophylactus, nequit comprehendi uel prohiberi: ſed naturali poteſtate in quemcunque fertur locum, per omnia ſeſe diffundit, nec uidetur ueniens, nec quò ſe proripiat abiens. Si hic ſpiritus comprehendi non poteſt, multo minus Spiritus ſanctus, à quo arcanis afflatibus mentes hominum rapiuntur & transformantur. Et licet Deus ſimpliciſſimus ſit ſpiritus, procúlque ſemotus ab omnibus ſenſibus corporeis: tamen hic aer quo uegetamur, & cuius tantam uim & utilitatem ſentimus, quoniam ad noſtra corpora collatus ſubtilior eſt, ſpiritus dicitur. Porrò ipſa re & ueluti experimento quodam oculis obiecto declaratur, nondum regeneratos, quantumuis uideantur pollere ſapientia, nihil intelligere myſteriorum cœleſtium. Nicodemus enim uir tantus, & poſt lucem tantam, adhuc ignarus dicit: Quomodo poſſunt hæc fieri? ut ſcilicet per aquam & ſpiritum regeneretur homo. O miſeram plebem, inquit Chriſtus, cuius curam agit paſtor, rerum diuinarum tam imperitus. Habétque hæc ſententia Domini indignationem quandam erga phariſæos, poſtquam mox aſſerit, atque commendat ueritatem, & certitudinem ſuæ Euangelicæ doctrinæ, dicens: Quod ſcimus loquimur, & cætera. Hoc loquitur pluratiuo numero, quoniam, ut Cyrillus docet, patrem & ſpiritum in ſeipſo naturaliter habet Saluator, plurali numero perſonas teſtantium protulit, ut quodammodo ſecundum legem Moyſi, in ore duorum uel trium omne uerbum firmetur. Terrenam autem hanc natiuitatem nominat, inquit Theophylactus, quòd ſuper terram facta ſit, in beneficium hominum. Quamuis enim cœleſtis ſit, ſecundum gratiam & honorem: at baptizamur, cum ſuper terram ſumus. Ita grauius craſſitiem gentis Iudaicæ accuſat, innuens quanta ſit hominum cæcitas, propter peccatum inflicta: & quoniam à terrenis exemplum datum non intelligant, quomodo intellecturi ſupercœleſtem natiuitatem, qua unigenitus filius à patre natus eſt? Cæterùm quia magiſtrum & prophetam Dominum nominabat Nicodemus: Ne putes me, inquit, quaſi prophetam qui de terra eſt, à Deo miſſum doctorem, ſed è ſupernis ſcias me deſcendiſſe, ut uerum filium. Nullus igitur prophetarum aſcendit in cœlum. Ego ſolus aſcenſurus ſum, qui & deſcendi. Vel, inquit, nullus hominum aut angelorum tantus fuit, ut aſcenderet in cœlum, cœleſtia contemplaturus, & ipſam diuinam naturam, ut eſt, coràm aſpecturus. Nemo prorſus aſcendit in hoc cœlum, niſi filius hominis qui è cœlo deſcendit in terras, qui idem iam uerſatur in cœlis, nunquam à diuinitatis contemplatione ſecluſus, licet interim humilis & obſcurus uideatur in terris. Vel certè hic eſt ſenſus eorum quæ dicit: Quia nondum intelligis Nicodeme, quid doceam: en alia aggrediar uia, quò rectius ſalutis negocium intelligas. Doceo, hominem ſua natura alieniſſimum eſſe à regno Dei. Hactenus enim à mundi exordio repertus eſt nemo, qui propter uirtutes ſuas meruerit ingredi cœlum, & in regnum Dei, ſolus Dei filius dignus repertus eſt qui inhabitet cœlum, quippe ſanctus, & diuinæ exiſtens naturæ. Hic autem Dei filius, ideo de cœlis deſcendit, & incarnatus eſt, ut poſt litam hoſtiam rurſus in cœlos aſcendens, quàm plurimos ſecum fratres abduceret in æternam beatitudinem. Quòd autem typum ex lege petitum ſubnectit Ieſus, facit, ut ſignificantius exprimat aduentus ſui in mundum cauſam. Simul autem oſtendit, quomodo iuſticia, ſalus & uita nobis natura mortuis & damnatis obueniat, nempe per fidem. Iam ad typum. Numeri uigeſimoprimo, Dominus miſit in populum murmurantem ſerpentes urentes, qui populum mordebant, & mortuus eſt ex Iſraele populus multus. Cum'que rogatus Moyſes oraret pro populo, iuſſus eſt in ſublime ſuſpendere ſerpentem æneum, quem quiſquis intuitus fuiſſet, ſanaretur. Vide autem, oro, inquit Theophylactus, figuram: & confer cum ueritate. Illic ſerpentis ſimilitudo formam quidem habet beſtiæ, uenenum autem non habet: ita & hoc loco homo Dominus, ſed à peccati ueneno liber. Et tunc quidem uidentes euadebant mortem corporis: nunc autem qui uident, mortem animæ. Tunc quidem ſuſpenſus, ſerpentium ictus ſanabat: nunc autem ſpiritualis draconis plagas curat Chriſtus. Hæc ille. Suſpenditur autem ſerpens æneus in ſtipite, quo omnibus eſſet conſpicuus. Erigitur in crucem

expanſus

expanſus Dominus Ieſus, ut pro omnibus guſtaret mortem, omnibus eſſet ſalutaris & expoſitus, hoſtiáque ſui corporis expiaret omnia peccata totius mundi. Sequitur enim: Vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Non uult benignus Dominus perire quenquam, ſed omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Hoc maximum beneficium mundo exhibitum, copioſius exponendum eſt. Miretur quis, quid huc impulerit Deum, ut mitteret unigenitum ſuum in hunc mundum. Audiat ille Ioannem ſic loquentem:* In hoc apparuit charitas Dei, quòd filium ſuum unigenitum miſit in hunc mundum, ut uiuamus per eum. In hoc eſt charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, ſed quòd ipſe dilexerit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Quis autem, niſi mente captus, non intelliget ex perſpicuis his Apoſtoli uerbis, omnia diuinæ redemptionis, qua aſſerti ſumus, referenda eſſe ad gratuitam gratiam Dei? Mundi uerò uocabulo nominantur nec unus ætatis aut ſexus, uel etiam ordinis homines, ſed omnes omnium ætatum homines in mundo uerſantes, & peccato obnoxij. Hócque longè efficacius eſt quod ait, Vnigenitum datum. Sic enim innuit dilectionis præſtantiam. Porrò cum hæc ſit ſuprema & uerè beata felicitas, redire cum ſummo Deo in gratiam, & tandem in æterna patria illius beatiſsimo frui conſortio, & in æternum uiuere: hanc ipſam felicitatem parauit nobis incarnatione & morte ſua ſolus Dei filius Ieſus Chriſtus. Deinde nobis apertius explicatur hæc charitas Dei, cum audimus Chriſtum ueniſſe, non ut iudicem & uindicem, ſed aſſertorem clementiſsimum. Ergo nũc tempus acceptabile, quia tempus eſt gratiæ & miſericordiæ, unde nobis bene ſperandum & confidendum, quoniam recipimur in gratiam. Duo itaque ſunt aduentus Chriſti. Primus omnibus ſaluandis factus eſt. Omnes enim peccauerunt, dicente Apoſtolo, & opus habebant gratia Dei. Secundus uerò erit, ut omnes iudicet, & unicuique ſecundum opera ipſius faciat. Demum coram iuſto tribunali Domini omnes condemnantur. Nullus enim hominum manet in omnibus, quæ lege Dei præcipiuntur.

At hic interpoſuit ſe Dei filius Chriſtus, in ſe ſuſcipiens maledictum & ſupplicium, & pro omnibus ſatisfecit: 1. Ioannis ſecundo. Qui igitur credunt in eum, non adiudicantur ſupplicio, ſed propter Chriſtum abſoluuntur. Quid hoc eſt, inquit Theophylactus? Nunquid ſi immundam egerit uitam, non iudicatur? Maximè quidem. Non enim uerè fideles ſunt eiuſmodi. Deum, inquit Paulus, fatentur ſe noſſe, factis autem negant: ad Titum primo. Veruntamen hoc loco dicit, quòd propter ipſum credere non iudicatur, dabit autem graues pœnas malorum operum. Propter incredulitatem autem, quam non habet, non punietur: ſemel enim credidit. at qui non credidit, iam iudicatus eſt. Primùm quidem, quoniam & ipſa incredulitas condemnatio eſt. Eſſe enim extra lucem, maximum ſupplicium eſt. Deinde quamuis hic Ge- 1.Ioan. 4.
hennæ non ſit traditus, tametſi non ſententia iudicis condemnetur: natura tamen rei condemnatus eſt. quemadmodum Adam die quo comedit de ligno mortuus fuit, quamuis uiueret. Et huius condemnationis cauſa apponitur: eo quòd in unicum orbi datum Saluatorem non credat, unigenitum ſcilicet Dei filium, qui hominum in ſe ſuſceperit peccata, atque aboleuerit diuina ſua uirtute maledictionem atque condemnationem. Extra Chriſtum itaque non eſt ulla ſalus. unde conſequens eſt, quòd impij infideles peccatis, maledictioni & morti obnoxij, hinc migrantes, mox ſupplicio traduntur, non producendi in iudicium, iuxta illud: Non reſur- Pſalm. 1.
gent impij in iudicio. Indigni enim erunt ut rationem dent, ſicut cæteri immiſericordes & peccatores, qui (ut ſanctus aſſerit Petrus) 1. Pet. 2.
poſt agnitionem iuſticiæ & ueritatis coinquinationibus huius mundi rurſus implicati, ſuperati ſunt, & retrorſum conuerſi à ſancto illis tradito mandato. Illis quidem dicetur: Ite maledicti in ignem æternum. Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare. Dicat aliquis, cuius obſe- Matthæi 25.
cro culpa tot homines in malicia & impietate perſeuerare, & in æternum perire uidemus? Reſpondet Dominus Ieſus: Nemo culpa Dei perit, ſed homines pereunt ſuo uitio & ſua culpa: quia ueritatis lucem, ipſum Dei filium non recipiunt. Rom.3.
Deus qui uult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, exhibito ſuo proprio filio, ſuum utique fecit officium: atqui homines magis dilexerunt tenebras, quàm cœleſtem lucem. Quid autem ſunt tenebræ? Concupiſcentia carnis, impietas, immundicia, & alia huius notæ uitia uel flagitia. Sequitur enim: Erant mala eorum opera. id eſt, quicquid uel cogitabant, uel faciebant, prauum erat, atque corruptum. Iamq; mores impiorum diſtinctius pingit ſuis coloribus Dominus: Hoc omnes, inquit, impij proprium habent, quòd cum fœdiſsimè peccant,

nolunt tamen propter ſcelera corripi, & in lucem protrahi. Quiſquis operatur impietatem, tantum abeſt ut admittat lucem filij Dei, ut extremo quoque proſequatur odio: quemadmodum noctem amant qui rem dedecoroſam patrant. Denique declarat Chriſtus, quale ſit fidelium Chriſto credentium ingenium, docens fidem non eſſe inanem iactationem, ſed uiuam, bonorúmque operum operatricem. Nam ſicut incredulitas omnis malitiæ ac prauorum operum fons eſt: ita fides radix eſt omnis iuſticiæ & ſanctitatis. Operatur autem ueritatem, qui ſtudet & operam dat integritati: Epheſiorum quinto. Hic ſibi bene conſcius prodit in lucem, non quòd ſibi quicquam tribuat. Deo enim omnem gloriam tranſcribit, cuius uirtute fecit, quicquid iuſtum & bonum fecit. Nam Deus gratuito fidem donat. Porrò fides iuſtificat. Iuſtificatus iam operatur iuſticiam: ergo iuſtus dono & uirtute operatur iuſticiam.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

Ioann. 3. Ad quæſtionē diſcipulorū Ioannes uerū & ut iuſtū erat, reſpondet.

POST hæc uenit Ieſus in Iudæam terram; & diſcipuli eius: & illic morabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Ennon, iuxta Salim, quia multæ aquæ erant: & multi ueniebant, & baptizabantur. Nondum enim fuerat miſſus Ioannes in carcerem. Facta eſt ergo quæſtio ex diſcipulis Ioannis, cum Iudæis, de purificatione. & ueniebant ad Ioannem, & dicebant ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes ueniunt ad eum. Reſpondit Ioannes, & dixit: Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo. Ipſi uos mihi teſtimonium perhibetis, quod dixerim, Ego non ſum Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt: illum oportet creſcere, me autem minui. Qui de ſurſum eſt, ſuper omnes eſt: qui è terra eſt, terrenus eſt, & de terra loquitur. Qui de cœlo uenit, ſuper omnes eſt. Et quod uidit & audiuit, hoc teſtatur, & teſtimonium eius nemo accipit. Qui autem accipit eius teſtimonium, ſignauit quia Deus uerax eſt. Quem enim miſit Deus, uerba Dei loquitur. Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui autem incredulus eſt filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

Auguſtinus: Quantū ad homines attinet, terrena loquūtur: ſi autem loquūtur aliqua diuina, illuminati ſunt. unde Apoſtolorum doctrina planè cœleſtis fuit.

COMMENTARIA.

Dominus Ieſus urbe egreſſus, per oppida & agrum terræ Iudææ prædicabat Euangelium regni, & baptizabat interim. Baptizabat & docebat Ioānes, ſed Chriſto: ad quē, ut audiuimus, ablegabat omnes & ſingulos, dicens ipſum Ieſum eſſe agnum Dei, & mundi ſalutem. Ad utrumq; ergo ingens uis confluebat, ſed maior ad Chriſtum baptizantem per diſcipulos. Orta eſt igitur quæſtio atq; cōcertatio inter diſcipulos Ioānis, & Iudæos quoſdā Chriſto adhærentes, de baptiſmo & ablutione, ſiue mūdatione peccatorū: his quidem cōtendentibus Chriſtū purificare: illis uerò cōtrà rixātibus, Ioannē Chriſto præſtantiorē eſſe, eo quòd nuper Ieſus ab ipſo Ioanne fuiſſet baptizatus, ueluti illius diſcipulus. Adierūt diſcipuli Ioannem, altercationem & querelā hanc ad illum deferentes, exiſtimantes illum indignè laturum hanc æmulationem. Ioannes aūt grauiter, nō quod illi libenter audiſſent, ſed quod ſanctum, uerum & iuſtū erat reſpondit. Et principiò eximit diſcipulis ſuis prauam de ipſo conceptam contra Chriſtum opinionem, generali & uulgari ſententia, quòd nemo plus ſumere debeat, quàm ſibi cœlitùs à diuina conceſſum ſit gratia. quare negat ſe eſſe Meſſiam, ſed ipſius prophetam & præcurſorem. Et ne quid difficultatis remaneret in animis diſcipulorum ſuorum, parabolam maximè conuenientem proponit, oſtendens Chriſtum uerū eſſe ſponſum populi fidelis, ipſumq; populū eſſe ſponſam. Et quemadmodū, inquit, is qui tantum ſpōſi amicus eſt. ſponſo nec inuidet eam felicitatē, imò gratulatur potius, ceſſiſſe feliciter: ita ego cùm Chriſti ſim præambulo, nec inuideo illi gratiā tantam, ſed etiā atq; etiā gaudeo, illum me

in diem

in diē uixiſſe, quo oculis hiſce cerno, feliciter meam prædicationem ceſsiſſe. Hactenus meis concionibus omnes ad Chriſtum inuitaui; & uideo omnes ad ipſum accelerare, utpote fontem omnis gratiæ largiſsimum & inexhauſtum. Hoc ingens gaudium meum impletū eſt. In ſinu enim gaudebam, ueniſſe filium Dei cœlitus in terram, docere iuſticiam, cōſolari puſillanimes, adhortari ad pietatem, & fidelib. polliceri uitā æternam. Nil igitur porrò reſtat, quàm ut ille ſolus uiuat, creſcat ac regnet, rurſus nomen meum ut miniſtri minuatur. Minuatur aūt dixit, quia ipſi honores diuinos tribuebant diſcipuli. alioqui gloriam & honorem ſuum in Eccleſia meritò retinet Ioannes, ueluti bonus & fidelis teſtis filij Dei. Poſtquam aūt Ioannes ſiniſtram diſcipulorū de ſe opinionem remouit, ſententiā iam ſuam de Chriſto dicit: hunc uidelicet eſſe Deum uerum, et Dominū uniuerſorū. E' terra erant Ioannes, & omnes alij, licet ſancti Dei homines, quorum mater & origo terra fuit: Chriſtus aūt, ut uerus Dei filius, è cœlo uenit in hunc mundum, aſſumpta uera humana natura ex Maria uirgine, cooperāte Spiritu ſancto. Quantū igitur inter ſe cœlū & terra diſtāt, tanto interuallo poſt ſe relinquit Chriſtus non ſolū Ioannem, ſed omnes diuini uerbi miniſtros, patriarchas, prophetas & apoſtolos, & eſt ſupra omnes, qui iuſticiam diuinā cum patre & ſpiritu ſancto præſtat, & dominatur omnib. Heb. 1. Coloſſ. 1. Ergo uerus Deus & uerus homo Chriſtus: de quo qui plura cupit, petat ex lib. 3. cap. 32. S. Irenæi, Valentini & ſimilium hæreſes conuincentis. Oſtendit item Ioannes, iuxta Chryſoſtomū, ea quæ Chriſtus doceat certa eſſe, explorata & compertiſsima: quoniā quod uidit & audiuit, teſtatur, utpote ipſa patris ſapiētia. Per hos duos ſenſus omnia certè cognoſcimus, et digni uidemur quib. credatur. & iuſtè quidē cōqueritur Ioannes, quòd licet certiſsima ſit Chriſti doctrina, ut ueri Meſsiæ, Dei & hominis: tamen nō accipiatur. Equidē opponebant ſe illi pōtifices & ſacerdotes, & tergiuerſabatur populus: nōnulli tamen adhærebant Chriſto, quos proinde laudat, ac ipſis multa bona promittit, dicens: Qui credit ex animo uerbis Chriſti, teſtantis ſe in mundū eſſe à patre miſſum, ut omnis qui credit in ipſum, nempe quòd à Deo datus ſit ſapientia, iuſticia, redemptio, non pereat, ſed ab ſolutus ab omnibus peccatis ſuis, hæres ſit uitæ æternæ. Qui inquā ſic credit Chriſto, is in corde ſuo per ſpiritum ſanctum ueluti ſigillo quodā obſignatum habet, Deum eſſe ueracem, fidelē & benignum, qui præſtito nobis filio omnia ea præſtiterit, quæ olim in prophetis promiſit. Hic orbi datus eſt, doctor et magiſter, cui tutò credere licet, cum cœleſtem & indubitatam ueritatem proponat. Non enim Deus huic ad menſuram dedit ſpiritum, ſed largiter & cumulatim. Et quid multis opus? Dominus Ieſus, de quo dixi, uobis omnium rerū Dominus eſt, & omnium poteſtatē habet, tam in cœlo quàm in terra, cum ſit æternus & uiuus Dei filius, quē pater cœleſtis ut ſuæ ſubſtātiæ naturæq; filiū diligit impenſè & ineffabiliter: cui proinde tam uiſibilia quàm inuiſibilia in manū dedit, in poteſtatē utiq, poſſeſsionemq; propriam, in adminiſtrationem & gubernationē. Verùm hæc uerba ita accipienda erunt, ut ſecundū humanam naturā intelligantur. iuxta diuinā enim nunquam caruit illis, habuit utique ea prius quàm hic mundus eſſet. Cū eſſet in forma Dei, ait Apoſtolus, nō rapinā arbitratus eſt, ſe eſſe æqualē Deo: ſed ſemet ipſum exinaniuit, forma ſerui ſumpta, humiliatus ad mortē crucis uſq;: ideo exaltauit eū Deus. Philip. 2. Cæterùm & clariſsimè illuſtrauit gloriam Chriſti Ioānes, ita cōſtanter ac ſeriò prædicat, ut quiſq; credat huic filio, id eſt, ſe totū & ſalutē ſuā credat ipſi, in animo ſuo perſuaſum habens, hunc filium Dei ſibi incarnatum eſſe. Et hic, inquit, habet uitam æternam. Verùm uita opponitur morti & condemnationi. Qui ergo in hunc filium non credit, non uidebit uitam, ſed ira manet ſuper eum: id eſt, omnis miſeria & calamitas, mors denique, ſupplicium & tormenta. S. Auguſtinus: Non dixit, ait, ira Dei ueniet ad eum, ſed manet ſuper eum. Omnes enim qui naſcuntur mortales, habēt ſecum iram Dei. Quam iram Dei? Quam excepit primus Adam. Et poſt pauca: Crede in Chriſtum, factum propter te mortalem, ut illum capias immortalem. Quando enim eius cœperis immortalitatē, nec tu eris mortalis. Viuebat, moriebaris: Mortuus eſt, ut uiuas. Attulit gratiam Dei, abſtulit iram Dei. Deus bibit mortem, ne mors biberet hominem. Iſta ſancti uiri uerba pijs omnibus ſincero pectore repetenda ſunt, quò uiua Chriſti cognitio ſana ſit, & integra permaneat.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Ioan. 4. Colloquium Chriſti cum Samaritana.

VT ergo cognouit Ieſus, quia audierūt phariſæi, quòd ipſe plures diſcipulos faceret & baptizaret quàm Ioannes (quanq̃ Ieſus nō baptizaret, ſed diſcipuli eius) ſeceſsit, reliquit Iudæā, & abijt iterū in Galilæā. Oportebat aūt eū trāſire per Samariā. Venit ergo Ieſus in ciuitatē Samariæ quæ dicit̃ Sichar,

iuxta

iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo. Erat autem ibi fons Iacob. Ieſus autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem (hora autē erat quaſi ſexta) uenit mulier Samaritana haurire aquam. Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere (diſcipuli autem eius abierant in ciuitatem, ut cibos emerent) Dicit ergo mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cum ſis, à me bibere poſcis, quę ſum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam uiuam. Dicit ei mulier: Domine, neq; in quo haurias habes, & puteus altus eſt, unde ergo habes aquam uiuam? Nunquid tu maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum iſtum, & ipſe ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in uitam æternam. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, neq; ueniam huc haurire. Dicit ei Ieſus: Vade uoca uirum tuum, & ueni huc. Reſpondit mulier, & dixit: Non habeo uirum. Dicit ei Ieſus: Bene dixiſti, quia non habeo uirum. Quinq; enim uiros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus uir, hoc uerè dixiſti. Dicit ei mulier: Domine, ut uideo propheta es tu. Patres noſtri adorauerunt in monte hoc, & uos dicitis: Quia Hieroſolymis eſt locus, ubi oportet adorare. Dicit ei Ieſus: Mulier crede mihi, quia uenit hora, quando neq; in monte hoc, neq; Hieroſolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus: Quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed uenit hora, & nunc eſt, quando ueri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & ueritate. Nam & pater tales quærit, qui adorēt eum. Spiritus eſt Deus: & eos qui adorant eum, in ſpiritu & ueritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quia Meſsias uenit, qui dicitur Chriſtus. cum ergo uenerit ille, annunciabit nobis omnia. Dicit ei Ieſus: Ego ſum, qui loquor tecum.

COMMENTARIA.

Non inuidebant Domino Ieſu, ac inſidiabantur ipſi duntaxat Ioannis diſcipuli: ſed ſacerdotes & phariſæi indignè ferentes, præterito ſanctiſſimo Leuitarum ordine, cōcurſum à promiſcua plebe fieri ad hominem ferè prophanum et idiotam. Et ſolet quidem plerunq; gloriam comitari inuidia, quam in præſenti Dominus diſceſſu ſuo declinare uoluit. De baptiſmo ita ſcribit ſanctus Auguſtinus: Baptizabat Dominus, & nō baptizabat. Baptizabat, quia ipſe mundabat: non baptizabat, quia ipſe non tingebat. Præbebant diſcipuli miniſterium corporis, præbebat ipſe adiutorium maieſtatis. Ergo Dominus Ieſus adhuc baptizat: & quò uſq; baptizādi ſumus, Ieſus baptizat. Porrò Sichar regia ſiue metropolis urbs fuit, ſita ſub monte Garizim, itinere diei diſtans à Hieroſolymis. Huius ager optimus erat ad paſcua ouium. Ideo conſedit hic Iacob cum filijs ſuis, & reſtaurauit fontem. uide Geneſ. trigeſimotertio capite, & quadrageſimooctauo. Fatigatus autem Dominus ex itinere, ſedit: ut declararet ſe uerum eſſe hominem, nobis per omnia peccato excepto ſimilem, qui poſſet compati noſtris infirmitatibus. Valde egregia annotauit hoc loco Diuus Cyrillus, contra Arianos. Sedit autem apud fontem Chriſtus, quo declararet ſe eſſe fontem aquæ uiuæ, qui inareſcentes omnium peccatorum animos non refrigeret modò, ſed omni bono ſaturaret, ita ut anima fidelis in Chriſto ſolo omnia ea habeat, atq; poſſideat, quæcunq; ſunt felicitatis beatæ. Videmus etiam, quàm hominem anticipent miſerationes miſericordis Dei, uocantis electos ſuos ex mera gratia, ut laudetur gloria gratiæ ſuæ. De Samaritanis autem, & odio Iudæorum in eos, odij item origine, legis 4. Regum decimoſeptimo. in libris item Eſdræ & Nehemiæ. D. Chryſoſtomus ſcribit, Samaritanos ex Aſſyria ueniſſe, & partem gentilitatis & impietatis exuiſſe primùm: deinde cultu idolorum abiecto, Dei cultū ſuiſſe complexos. non tamen omnes ſcripturas recepiſſe, ſed Moyſi tantum. Hinc mulier illa miratur, Ieſum à ſe potum poſcere. ab habitu enim & alia corporis forma cognoſcebat eum Iudæū eſſe. Iudæis aūt quomodo iuxta præſcriptum legis non liceret cum Samaritanis mutuam uitæ conſuetudinem habere, Exodi uigeſimotertio capite, & Deuteronomij ſeptimo habetur. Aperit ergo ſe Dominus mulieri, ei que theſaurum cœleſtem exponit, ac inquit:

Si noſſes,

Si noſſes quantũ beneficiũ orbi exhibuiſſet Deus, poſteaquam me filiũ ſuum unigenitũ mũdo donauit, totum tuum deſiderium in me cõuerteres. Et rectiſſimè Dominus ſe donũ uocat, quia gratuitum eſt Dei beneficium, quòd filius uenit in mundum, Ephe.2. Iam quod inquit, Ego dediſſem tibi aquã uiuam: gratiam illam ſpiritus uiuificantem, iuxta D. Cyrillum, intellexit, per quam humana natura ab ariditate infœcunditateq́;, qua diaboli artibus infecta fuerat, depulſa, ad priſtinam pulchritudinem ac uiriditatem irrigata recurrit, magno uirtutum numero flores & charitate erga Deum ſuauiſſimos fructus producens. Eſt igitur metaphora, à uiſibili fonte ducta ad inuiſibilẽ Dei gratiam. Ita ſanè eleganter & breuiter expoſuit Chriſtus, quis ſit, & quid conferat ſuis fidelibus, nimirum omnem plenitudinem uitæ & felicitatis. Hanc autem cœleſtem doctrinã animalis mulier, & nõdum ſpiritu Dei renata, non intelligit, pro more tamen eius gentis honeſtiſſimè agit cum Domino. Cumq́; Samaritani niterentur, ſe in Iudaicã inferre nobilitatem, ad Abraham progenitorem genus ſuum referentes, utpote qui Chaldæus fuiſſet: mulier iſta Iacob patrẽ ſuum facit, atq; acceptam fert ei hanc aquam. Dignatur ergo Dominus Ieſus, plenius ſuam ſententiam de aqua exponere, ſignificans ſe de longè præſtantiori aqua loqui, cœleſti nimirum & ſpirituali: cui duo præcipuè attribuit, & quòd ſanet bibentem, ita ut non ſitiat amplius, & quòd fiat in eo qui bibit fons ſaliens in uitam æternam. Ergo quiſquis uerè in Chriſtum credit, ſpiritusq́; Chriſti particeps factus eſt, eius anima nunquam ſitiet, cum in ſe habeat fontẽ, hoc eſt gratiam largiſſimè profluentem & reficientem. Porrò fides illa atq; gratia non eſt otioſa, quinimo profert fructus pietatis, & opera iuſtitiæ & charitatis. Et hoc indicium eſt, quòd rectè hãc aquam, id eſt Chriſtum imbiberint. Nam Chriſtus, qui uerus fons eſt aquæ uiuæ, habitat per fidem in cordibus fidelium: in quorum animis quia uiuit, facit ut riuos bonorum operum profundant. Saliũt autem iſti fontes tandẽ in uitam æternam. Poſteaquam enim ſancti in præſenti ſeculo ſatis fuerint decorati uirtutibus, migrant ex hoc ſeculo ad Chriſtum, ipſam uiam, ueritatem & uitam: & propterea dicentem, Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternũ. Ioan.11. Cæterùm quia Samaritana illa, peccata ſua nondum ſentiebat uel cognoſcebat: Chriſtus retegit ipſi uulnera peccatorum, ſi fortè uel ſic ſitire, & aquam à Saluatore poſcere uelit uiuificam, omnibus modis conſulere cupiens mulieri, & oſtendẽs ſe eſſe medicũ animarũ. Quamobrẽ cũ iuſtus Dominus peccata noſtra arguit, fit hoc ut agnoſcamus morbũ, & curramus ad ſe medicũ, atq; ſanemur. Ita ſanè mulier illa adeò non irritatur, ubi audit ſua domeſtica probra, ut magis etiam in Ieſu admirationem rapiatur & inflammetur, ipſumq́; dicat uirum diuinum & ueridicum. Diſcamus Samaritidis huius exemplo, cum per uerbum & ſpiritum Dei uera illa media, quibus nos ad ſe allicit Deus, aperiuntur nobis peccata noſtra, ingenuè confiteri ipſa. nam qui impatienti animo exiliunt, nullam nec gratiam nec condonationẽ merentur, ſed potius indurantur. Quapropter ſi confiteamur, inquit Ioannes, peccata noſtra, fidelis eſt Deus, & iuſtus, ut remittat nobis ea, & emundet nos ab omni iniquitate noſtra: 1 Ioan.1 Et qui ſic ſe adduci ſinunt, abundantiori gratia ſubinde magis magisq́; locupletantur. Cæterùm cum eſſet inter Iudæos et Samaritanos magna controuerſia & diſceptatio; Nũ in monte Garizim uel Hieroſolymis adorandus eſſet Deus, ipſum autem Chriſtũ mulier opinatur eſſe prophetã: de adorando Deum quæſtionem mouet, petitq́; ut ediſſerat, qui rectius colãt Deum, quis uerus Dei cultus, & quæ ſit uera adorandi ratio. Hic mulieris animum diuerſitate opinionum diſtractum Chriſtus recolligit: Si credis, inquit, me prophetam eſſe, meis uerbis fidem adhibe. Breui futurũ eſt, ut neq; Samaritico more, neque Iudaico amplius colatur Deus. Abolebitur utraq; religio: ꝑinde neutra te iuſtificabit. In hoc tamẽ nos Iudæi, quòd Deũ uerum per doctrinã legis & prophetarũ cognitũ adoramus, eumq́; ſolum colimus, uobis præſtamus: uos aũt nihil firmitatis in ſcripturis habentes, adoratis quidẽ Deum, ſed quem nondum rectè cognouiſtis: quare ipſa ſalus exiſtit ex Iudæis. Iudæorum eſt adoptio, & propter promiſſiones ex ipſis eſt Chriſtus ſaluator mundi. Iam adeſſe illud tempus ſcias, quod euaneſcentib. iſtis reb. externis partim ſuperſtitioſis, partim ueluti umbra & figuris, illuſtris & ueræ religiõis ac ueri cultus lux ſuccedẽs rutilet. Ita uerè religioſus, uerus Dei cultor erit, quiſquis per ſpiritum Dei renatus, fide uera & ſpe firma Deo inhæret, ſpiritu ſuo & conſcientia ſincera Deo ſupplicat. Et quoniam ueritas opponitur umbræ, uerè religioſus erit, qui ipſis reb. cœleſtibus ſignificatis per typos, ipſi inquã Chriſto, in quem ipſa lex & omnes prophetæ intenderunt, inhærebit. Tales utique uult ac iubet Deus eſſe adoratores, Deuter.10. Eſaiæ 1. Mich.6. Iere.7. Quid enim, inquit Theophylactus, Deus ſpiritus eſt:

hoc eſt,

hoc eſt incorporeus: oportet ipſum adorare incorporaliter, uidelicet in anima, & per puritatem mẽtis. Quia ex natura & ſubſtantia incorporeus eſt Deus, afficitur tantum rebus puris, ſinceris, & ſpiritualibus. Vidit hoc ipſum gentilis ille Cato, quando dixit:

Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.

Hoc Ieſu ſermone tam diuino obſtupefacta Samaritis, & in corde ſancti ſpiritus uirtute attacta, ſuſpicari uidetur Ieſum eſſe Chriſtum. Obiecta itaq; mentione Chriſti, uerum ac certum ab eo, quem promptiſsimum ad docendum eſſe uidebat, uoluit elicere: Non ignoro, inquit, uenturum Chriſtum à Deo promiſſum, & multis iam ſeculis expectatum, is pleniſsimè explicabit nobis hæc omnia. Vnde ueriſimile eſt, Samaritanos quoque ex Moſis promiſsione prophetam illum eximium expectaſſe, oriundum ex ſemine Dauid & Abrahæ, de cuius aduentu iam multa & frequens erat Iudæis mentio. Porrò Ieſus delectatus mulieris credulitate, & cognoſcendi ueritatis ſtudio, apertiſsimè profitetur ſe eſſe Meſsiam, hoc eſt eum de quo Iacob, quem iactarent ipſorũ patrem eſſe, uaticinatus fuiſſet. Habent autem uerba Ieſu emphaſim quandam. Quid enim aliud eſt, Ego ſum Meſsias: quàm ſi dixiſſet, ego ſum fons aquæ uiuæ, reficiens in me credẽtes, ac prouehens in uitam æternam? Ego ſum ſcrutator ille cordium, quem nihil latet, retecta ſunt oculis meis omnia. Ego ſum doctor ille ueritatis, ueræ religionis, & ueri cultus. Ego ſum ſalutaris illa hoſtia, emundans mundum à peccatis. Qui mihi credit, præſentem uitam ſanctè uiuet, & poſthac transferetur ad æternum felixq; beatiſsimi Dei conſortium.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Ioannis 4. Chriſtus diſcipulos ex occaſione cibi prouocat ad Euangelizandi ſtudium.

ET continuò uenerunt diſcipuli eius, & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit, quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & uidete hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipſe eſt? Exibant de ciuitate, & ueniebant ad eum. Interea rogabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem uos neſcitis. Dicebant ergo diſcipuli eius ad inuicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Ieſus: Meus cibus eſt, ut faciam uoluntatem patris mei, qui miſit me, ut perficiam opus eius. Nonne uos dicitis, quia adhuc quatuor menſes ſunt, & meſsis uenit? Ecce dico uobis, leuate oculos ueſtros, & uidete regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructũ in uitam æternã, ut & qui ſeminat ſimul gaudeat, & qui metit. In hoc enim uerum eſt uerbũ, quia alius eſt qui ſeminat, & alius qui metit. Ego miſi uos metere, quod uos non laboraſtis. Alij laborauerunt, & uos in labores eorum introiſtis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter uerbum mulieris teſtimonium perhibentis, Quia dixit mihi omnia quæcunq; feci. Cum ueniſſent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, ut ibi maneret. Et manſit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt in eum, propter ſermonem eius. Et mulieri dicebãt: Quia iam non propter tuam loquelam credimus. ipſi enim audiuimus, & ſcimus quia hic eſt uerè Saluator mundi. Poſt duos autem dies exijt inde.

COMMENTARIA.

Adſunt ex urbe diſcipuli, & conſpicati illum, quòd cum muliere Samaritana loqueretur, admirati ſunt. alioqui enim fuit Domino familiaritas cum mulieribus honeſtis, quarũ etiam beneficentia & liberalitate uiuebat. Quòd autem nemo diſcipulorum aliquid dixit, inde erat, quòd iam multis argumentis didicerant, ipſum nihil temerè & ſine ratione agere. Samaritis magnificè Chriſtũ prædicat, & commendat ciuibus, nec diſſimulat quòd omnia peccata ſibi ob oculos reuocarit. Ex ea re, quòd arcanorũ cordiumq; ſcrutator ſit, omnibus æſtimandum relinquit, quis & quantus ſit fortè Meſsias ille promiſſus, & expectatus huc uſq;. Audiunt eam ciues, & ipſa re experiuntur, quem ampliſsimè uerbis prædicauerat. Diſcipuli autem exiſtimantes iam fame diſcruciari Dominum, inuitant ipſum ut cibum emptum in ciuitate ſumeret. Ieſus tametſi eſuriret iuxta humanam

naturam,

naturam: habebat tamen famem longè maiorē ſeruādi homines, ac pelliciēdi diſcipulos ſuos ad prædicandi functionem. Itaq; ſicut mulierem ex mentione aquæ pellexerat ad cognitionem diuinæ gratiæ: ita nunc diſcipulos ex occaſione cibi prouocabat ad ſtudium euangelizandi: Mihi, inquit, alius eſt cibus cordi, quàm iſte ſit quem uos affertis: ſalutem hominum eſurio. Craſſi autem diſcipuli hoc non intelligunt. exiſtimant ergo eum loqui de cibo corporali. quamobrem per collationem quandam occultam ſententiam ſuam ipſis explicat, & ait: Quod cibus eſt corpori eſurienti, id animo meo eſt uolūtas Dei patris. Latrans ſtomachus nunquam non exaturari petit. neque ergo aliud perinde cupio, quàm ut faciā uoluntatem patris. Hæc eſt autem uoluntas patris, ut omnes homines ueniant ad agnitionem ueritatis, & credentes in me habeant uitam æternam. Salus itaq; hominum meus eſt cibus delicatiſsimus. Hoc dicebat, cognoſcens ingētem turbam ex urbe uenire, cupientem audire ueritatem Euangelicam. Vtq; apoſtolos ſuos, orbis magiſtros, ad fidem eximiam & diligentiam in Apoſtolico munere præſtādam incitaret Dominus, ſubiūgit ſatis conuenientē allegoriam, & inquit: Quemadmodū ipſa ſeges iam flaueſcens falcem & meſſorū operam quaſi flagitat: ita ſi ſuſtuleritis oculos ueſtros, & obſeruaueritis humanarū mentiū ſegetem, etiam apud Samaritanos & Ethnicos properantiū ad euangelicam ueritatē atq; doctrinā, intelligetis regiones undique uelut albeſcere ad meſſē euangelicā, & operam ac ſtudium noſtrum flagitare. Quòd ſi ſpes fructus prouocat meſſorē ad operam: quanto magis oportet uos alacres eſſe ad hanc meſſem colligendam patri, quæ & meſſori præmiū in cœlis ampliſsimum parabit, & Deo colliget animas homirū in uitam æternam. Prophetæ ſuis laboribus ſubegerunt arua, et mundū adhuc intractabilem ſua doctrina præpararunt Euangelio: uos nunc in eorū laborem ſucceditis, mundo iam ultrò ſe præbente cœleſti doctrinæ, &c. Ita ſanè ſalutis humanæ ſeminatores fuerūt prophetæ, meſſores aūt apoſtoli. Porrò Samaritani ex eo perſuaſi, quòd peccatrix magna conſtantia & certitudine teſtaretur, Ieſum ſibi occulta uitæ aperuiſſe, crediderunt ipſum Meſſiam eſſe. Idcirco cum iam exoptatū inueniſſent, nihil offenduntur uili & contēptibili eius ſpecie, & comitatu nihil regij præſeferente: quin potius inuitant illum, ceu maximum bonorū latorem, rogantq; ut urbis ſuæ hoſpitio dignaretur uti. Et Dominus protinus ad ipſos concedit, omnibus nobis hoc ipſo exhibens egregium ſpecimen ſuæ erga nos promptiſsimæ uolūtatis, ſi modò ipſam ſincero pectore ambierimus. Quid aūt biduo egerit, facile eſt coniectari ex eo quod ſequitur: Ac multo plures crediderūt propter ſermonem ipſius. Ergo docuit ipſos. Hac excellenti Chriſtus doctrina ita imbuit, inſtituitq; eos, ut palàm profeſſi ſint, ſe ipſius planè uirtutes diuinas ſenſiſſe, ac propterea credere, eum illum non Iudæorum modò, ſed & totius mundi eſſe Saluatorem.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

Herodes autem tetrarcha cum corriperetur à Ioãne, de Herodiade uxore Philippi fratris ſui, quia duxerat eam, & omnib. malis quę fecit Herodes, dicebat illi Ioãnes: Non licet tibi habere uxorē fratris tui. Adiecit & hæc Herodes ſuper omnia, quòd tenuit Ioannem, & alligauit, & poſuit eum in carcerem, propter Herodiadē uxorē fratris ſui. Herodias autem inſidiabatur Ioanni, & uolebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, ſciens eum uirum ſanctum & iuſtum. Et uolens occidere eum, timuit populū, quia ſicut prophetam eum habebant. Cuſtodiebāt itaq; eum, auditoq; eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

Matth. 14. Lucę 3. Marci 6.

Ioannes quia Herodē corripit, incarceratur.

COMMENTARIA.

Obſeruandum eſt illud præcipuè, quòd Ioannes ferociam & potentiam regis impijſsimi non metuit, ſed ſancta libertate dicendi ſcelera illius corripuit: primū quidē nuptias inceſtas, deinde uerò & alia eius flagitia. Non enim dubiū, quin expilarit plebē miſerā, libertatē populi Dei oppreſſerit. Diſcant hinc cōcionatores ſancti, nō tacere ad principū uirorū ſcelera. Alioqui enim requiret pereuntiū ſanguinē iuſtus Dominus è manu canis illius muti, qui metu cōpreſſis faucib. clamare nō uult. Non neſciuit ſanctus Dei ppheta, quali ingenio præditꝰ eſſet Herodes: nō ignorauit, quātū odij ſibi cōſciſceret: ſed prodit, & manifeſtè ſcelus opprobrat: Inceſtæ, inquit, nuptiæ ſunt, quæ inter te & uxorē uiui fratris tui coierūt. Indigniſsimū eſt regē, caput & principē populi, qui uirtutis exemplar eſſe debebat, fœdiſsimū proſtare exemplum. Proinde ſi iuſtā rē facere uolueris, repudiabis illā quā fœdo tibi coniugij uinculo copulaſti. Et factū eſt, ut impijſsimus tyrannus uiro inſonti & optimè me-

Quidam uolūt, Ioannem coniectum in uincula in Macherunta caſtello, ut ſuis nihilominus liber pateret acceſſus.

mè merito ſtruxerit capitales inſidias. Primùm animi libidine corruptus in uincula coniịcit: nec illa tyrannide ſatiatus, inſuper & ſanctiſſimum uirum occidere ſtatuit. Quòd aũt fidelem Chriſti miniſtrum non occidit, protinus id quidem Dei factum eſt prouidentia, ſuum iſtum amicum integerrimum ad certum tempus fideliter tuente. Vnde metuit Herodes turbam, de Ioanne magnificè ſentientem. Metuebat autem, ne illam in ſe concitaret, ſi crudelius quippiam in Ioannis caput decreuiſſet. Videmus hic, quanta humani ingenịj prauitas & corruptio, imò & malitia, ut nolit increpari aut retrahi à malo cœpto, ſed omnino cupit perrumpere. Videmus etiam amicos Dei curæ eſſe Deo, ac tyrannos non poſſe uitam miniſtris Dei eripere, quoties libet, cum iuſtòrum animæ in manu Dei ſint, de quorũ capitibus non cadit capillus ſine uolũtate Dei. Pịj itaq; ſemper cũ caſtiſſima aiũt Suſanna: Melius eſt incidere in manus hominũ, quàm peccare in cõſpectu Domini.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

Lucæ 4. Dæmone con uictore recitantẽ uerba prophetæ Liuida turba uicit per iuga ſumma Deum.

CVm audiſſet Ieſus, quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſsit, & uenit Nazareth, ubi erat nutritus. Et intrauit ſecundũ conſuetudinem ſuam die ſabbati in ſynagogam. Et traditus eſt illi liber Iſaiæ prophetæ. & ut reuoluit librum, inuenit locum, ubi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, & prædicare captiuis remiſsionem, & cæcis uiſum, dimittere confractos in remiſsionem, prędicare annũ Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum complicuiſſet librum, dedit miniſtro, & ſedit: & omniũ in ſynagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus ueſtris. Et omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in uerbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & dicebant: Nonne hic eſt filius Ioſeph? Et ait illis: Vtiq; dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura te ipſum. Quanta audiuimus facta in Capernaum, fac et hic in patria tua. Ait autem: Amẽ dico uobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua. In ueritate dico uobis: multæ uiduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quãdo clauſum eſt cœlum annis tribus & menſibus ſex, quando facta eſt fames magna in omni terra, & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sareptam Sidonię, ad mulierem uiduam. Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo propheta, & nemo eorum mundatus eſt niſi Naamã Syrus. & repleti ſunt omnes in ſynagoga ira, hæc audientes. Et ſurrexerunt, & eiecerunt eum extra ciuitatem, & duxerunt illum uſq; ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas eorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipſe autem tranſiens, per medium illorum ibat.

Matthæi 13. Docebat eos in ſynagoga, ita ut mirarentur, & dicerẽt: Vnde huic ſapientia hæc? Nonne hic eſt fabri filius? Nõne mater eius dicitur Maria? & fratres eius, Iacobus & Ioſeph, & Simõ, & Iudas? & ſorores eius omnes apud nos ſunt? Vnde ergo huic omnia iſta? & ſcandalizabantur in eo, &c.

COMMENTARIA.

Dominus Ieſus coniecto iam Ioanne in carcerem, in ſynagogis Iudæorum docuit: in primis uerò die ſabbatorũ, quòd hæc ſacris cœtibus, doctrinæ & cultui deſtinata eſſet. Imitatus eſt aũt Chriſtus modo & docendi ratione Nehemiam, de quo conſtat, quòd è loco edito librum apertum legerit in conſpectu totius populi. Cũ aũt ſabbata Iudæorũ euangelica prædicatione ſint abolita, reſtat ut ferijs ab Eccleſia receptis diligenter proponatur doctrina ex lege, prophetis, euangeliſtis, & apoſtolis. Explicat librum Chriſtus, atq; locũ quærens idoneum inſtituto ſuo, inuenit non ſine ſtudio & diuina prouidentia uaticiniũ Eſaiæ 61. quem primùm recitauit, ac deinceps uel in hunc modũ enarrauit: In hoc cap. uaticinatur ꝓpheta de rege & pontifice ſummo, & oſtẽdit à quo ſit unctus ſeu deſignatus; & in quid uocatus et miſſus uenerit, & quæ attulerit fidelib. dona. Loquitur autem propheta ſub perſona Meſsiæ & ſaluatoris, & ait: Dominus uniuerſorum me regem & ſacerdotẽ conſecrauit, & declarauit non oleo typico, ſed ſpiritu ſuo ſancto, qui ſuper me manet, ut poſſim eſſe ple nitudo omnium credentium, ex qua hauriant omnia uitæ & ſalutis munera. Deinde docet uates diuinus, ad quid Meſsias ille miſſus ſit, ut ſcilicet pauperibus annunciet nuncium liberationis et uitæ reparatæ, utq; ſanet cõtritos corde. Cõtriti corde ſunt, quos piget ac pudet uitæ contra Deum & legẽ eius admiſſæ. Hi, cum nihil cui fidant inueniunt, cõtrito ſpiritu Deum accedunt, in huius ſperantes miſericordia: horum uulnera obligat ille medicus Meſsias. Ita captiuis hominib. peccati & ſatanæ prædicat liberationẽ. Cæci ſunt ſuperſtitioſi, impietatib. errorib. & mendacijs

mendacijs impliciti, quib. idcirco abſcondita eſt lux ueritatis. His lucem profert, & diſpulſis tenebris oculos animi aperit. Idem Meſſias confractos dimittit: hoc eſt, qui omni genere malorũ à ſatana contriti ſunt, hos reſtituit priſtinæ libertati. Et hic erit uerus annus iubilæus, quo reſtituũtur eiecti poſſeſſionibus ſuis æternis. Prodidit Moſes annum priſtinæ libertatis inſtauratorem: uerùm is non ſuccurrebat niſi Iſraelitis, & hoc ipſum quod largiebatur, corporale erat & temporarium. Hic autem annus Domini, omnibus quicunq; culpis obærati ſunt diabolo, adfert perfectam libertatem & integritatem. Quòd autem Dominus Ieſus adiunxit, dicens, Impleta eſt autem hodie hæc ſcriptura in aurib. ueſtris: modeſtè ſignificauit, ſe eſſe eum de quo promitteret Eſaiæ uaticinium. Cæterùm præcellit Dominus Ieſus omnes alios homines dicendi ſuauitate & gratia. de eo ſiquidem ſcriptum erat: Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea quòd benedixerit tibi Deus tuus. Hinc illo concionante omnium oculi in eum defixi fuerunt, & mirati ſunt. Erãt tamẽ inter hos, apud quos generis et familiæ humilitas nonnihil eleuaret autoritatem doctrinæ cœleſtis. Omnes credebant eum eſſe filiũ Ioſeph & Mariæ. demirabantur ergo, unde tanta uis miraculorum, unde tam admirabilis diuinorũ uoluminum cognitio, unde tanta cum authoritate facundia. Nos autem ſcimus patrem cœleſtem, & unctionem Spiritus, & quòd pater per filium operatus ſit. Porrò cum Ieſus lõgè pauciora miracula proderet in Nazareth, quàm in alijs ciuitatibus prodidiſſet, eoq; cognati quidam indignarentur, ac ſugillarent eum, tum inquit: Scio uos non mirari doctrinam meã de pœnitentia & remiſſione peccatorum, ſed percupere ſignorum multiplicationem: idq; iure quodam uidemini uobis à me poſtulare, qui ſim conciuis ueſter: ideoq; dicitis, Ea beneficia quæ alienis et peregrinis Capernaitis præſtitiſti, eadem tuis exhibeto ciuibus, medicando ipſorum morbis. Atqui reſpõdeo uobis, mihi uſu uenire, quod & alijs prophetis euenit. Cum enim miracula in hoc edantur, ut mentes hominũ percellant, et ad credendum commoueant: ego uerò nullam apud uos fidem merear, quorſum ederem miracula? Cum ſub Achab rege fame affligeretur ſuperſtitioſus populus, impiusq;, Elias propheta eius tẽporis fideliſſimus ſuo honore in patria caruit, ita ut locum nõ inueniret in quo tutò ageret. Mittitur ergo in Sareptã, ad uiduã, quæ ipſum recipiens paſcitur diuina beneficentia. Affligimini & uos fame, nõ corporum, ſed animarum. Venio ego ad uos propheta ille, panem uitæ ſuppeditaturus: ſed paucos inter uos inuenio, quibus curæ ſit animarũ alimentũ. Veſtra ergo culpa, non prophetæ, intereunt animæ ueſtræ. Rurſus, etſi multi leproſi eſſent Eliſæi temporibus, nullũ tamẽ legitis Iſraelitam mundatũ: ſed Syrũ duntaxat gẽtilem. id quod nulla culpa prophetæ factũ conſtat, ſed eorum potius uitio, qui prophetã proprium nullo dignabãtur honore. Ita & nunc fit. eſtis immundi pariter omnes: ueni ego purgaturus ſordes ueſtras peccatorũ. Cæterum apud gentes ſunt, quibus cordi eſt ea mundatio: apud uos fortiter illa contẽnitur. Hæc audiẽtes diſſecabantur cordib. ſuis, & ſtridebant dentibus ſuis in eum. O' ciues impios, quib. Ieſus propter ueritatem purè & liberè propoſitam, in patriam iniurius & impius eſſe uidetur: præſertim quòd ethnicos prætuliſſet populo Dei, & ſeuerius increpaſſet incredulitatẽ eius. In furorem ergo uerſi ſuppliciũ de eo ſumere, & præcipitem è rupe dare cogitant. Sed non data eſt prauæ uolũtati facultas. nondum enim uenerat tẽpus, quo nobis expediebat mori Ieſum: qui uenerat moriturus pro nobis, ſed ſuo tẽpore, quod illi præfinierat pater: & eo genere mortis, quod delegerat. Lucifer præcipitatus eſt ob ſuperbiam, et idcirco ſollicitat alios ad ruinam: Dei filius aũt ſponte ſeſe demiſerat in terras, ut exaltatus in crucem, omnia attraheret ad ſeſe, & ſuo exemplo per humilitatẽ ſubueheret in cœlũ, quos ille ſuperbiæ princeps per arrogantiam & incredulitatem præcipitare conabatur in tartara. Placebat Domino Ieſu ſabbatũ Paſchæ, quo decebat immolari agnũ liberatorẽ orbis. Nec illi ſacrificio peragendo cõueniebat Nazareth, ſed Hieroſolyma. Hinc uſus eſt Dominus diuina potentia & uirtute, & abiuit: & illi excæcati, eum amplius nõ uiderunt. Abeant itaq; in malam crucẽ, qui dicunt eum magum uel præſtigiatorem fuiſſe.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

ET abijt Ieſus in Galilæam. ipſe enim Ieſus teſtatus erat, quòd propheta in patria ſua honorem non haberet. Cum ergo ueniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, quum omnia uidiſſent quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto. nam & ipſi uenerant ad diem feſtum. Venit ergo Ieſus iterum in Cana Galilææ, ubi fecerat ex aqua uinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum, Hic cum audiſſet, quòd Ieſus adueniret à Iudæa in Galilæam,

Regulus adit Canam, ad Chriſtum, pro puero ſuo.

Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum ut deſcenderet, & ſanaret filium eius. incipiebat enim mori. Dixit ergo Ieſus ad eum: Niſi ſigna & prodigia uideritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine deſcende, priuſquam moriatur filius meus. Dicit ei Ieſus: Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus, & ibat. Iam autem eo deſcendente, ſerui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius uiueret. Interrogabat ergo horã ab eis, in qua melius habuerat. Et dixerunt ei, quia heri hora ſeptima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Ieſus, Filius tuus uiuit. & credidit ipſe, & domus eius tota. Hoc iterum ſecundum ſignũ fecit Ieſus, cum ueniſſet à Iudæa in Galilæam.

COMMENTARIA.

Hoc præclariſſimo miraculo in Cana Galileæ facto, in quam ſe receperat Ieſus, poſtquã à Nazareth aufugiſſet, demõſtratur atq; approbatur, Ieſum eſſe filiũ Dei, Meſſiã et ſaluatorem mundi, uitæ & mortis potentiſſimũ Dominũ. Et hic regulus, iuxta Hieronymi ſententiã, palatinus fuit officialis uel œconomus Herodis regis, agens in ædibus regijs Capernaum: qua relicta profectus eſt Canam, ut inde ſecũ abduceret Ieſum Capernaũ, quò filium, quẽ reliquerat iam animã agentem, retineret in uita. Exemplũ pietatis, quam præſtare debent parentes liberis ſuis: uel maximã curã gerere, ne moriantur illi morte animæ & ſpirituali.

Quòd aũt ille arbitratur filiũ non poſſe ſanari, niſi Dominus corporaliter deſcendat ad ægrotũ, toto cœlo, ut dicitur, errat. Rectius de Domini maieſtate, uirtuteq; ſenſit centurio ille, qui cõfitebatur nulla opus eſſe corporali præſentia, cum diuina uoluntate & uirtute Dominus efficere poſſet, quod ipſe poſtulaſſet. Iuſtè ergo regulus iſte increpatur, quòd non niſi uiſis ſignis crederet. Ipſe aũt hæc minimè curat, intentus periculo filij. Inſtat itaq;, & urget Dominũ ut properet. Hac ſua nobis improbitate poſtulãdi exẽplũ præbuit, ne deſinamus precari Dominum, donec deſiderata uota noſtra extorqueamus. Quid aũt fecit Dominus? Reipſa oſtẽdit, ſe lõgè plus poſſe, quàm ille ſe poſſe conſideret, nempe animã retinere è corpore euolaturam, & elapſam reuocare: hoc eſt, qui poſſit uiuificare, ſeq; uitæ & mortis Dominũ eſſe. Nam ipſe rerum declarabit euentus, diuina Chriſti uirtute filium reguli ſeruatum eſſe inuiſibiliter. Hæc ergo Chriſti Domini uirtus eſt, ut quod uult poſſit, fiat item quodcunq; dixerit uel præceperit. Confirmant hæc fidem, non leuiter. Tametſi enim nunc quoq; Dominus Ieſus iuxta corporis humani proprietatem in cœlis agat: uiuit tamen in ſuis ſuper terram totus, & operatur in eis ſalutẽ efficaciter, iuuat & ſeruat ſe inuocantes. Et fide efficimur participes donorũ Dei. Credidit enim regulus ille, priuſquam accederet ipſum Dominum. Neq; enim ad eum ueniſſet, niſi ſpem aliquam egregiam de ipſius uirtute & beneuolentia concepiſſet. Nunc autem audita promiſſione firmius credit: quare etiam domum reuerſus, reperit filium incolumitati redditum. Porrò tempus & hora reſtitutionis diligentiſſimè perquiruntur: ne fortè caſui aut fortunæ aſcribatur beneficium, imò integrum Chriſto patratori integrũ maneat. His appenditur, quòd patrisfamiliâs exemplum imitata tota familia, crediderit & ipſa in filium Dei, ad ſalutem perpetuam obtinendam.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

Matthæi 4.
Marci 1.
Ieſus uocat diſcipulos, & curat dæmoniacos atque infirmos.

ET relicta ciuitate Nazareth deſcendit, uenit & habitauit in Capernaum, ciuitate Galileæ maritima, in finibus Zabulon & Nepthalim: ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetã: Terra Zabulon & terra Nepthalim, uia maris trans Iordanem Galileę gentium, populus qui ambulabat in tenebris uidit lucem magnam, & ſedentibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis. Exinde cœpit Ieſus prædicare euangelium regni, dicens: Quoniam impletum eſt tempus, pœnitentiam agite, & credite euangelio, appropinquabit enim regnum cœlorum. Ambulans autem Ieſus, & præteriens iuxta mare Galileę, uidit duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus, & Andręam fratrem eius, mittentes rete in mare. Erãt enim piſcatores. Et ait illis Ieſus: Venite poſt me, faciam uos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Et progreſſus inde puſillum, uidit alios duos fratres, Iacobũ Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui, cum Zebedæo patre eorum, reficientes, componentes retia ſua. Et ſtatim uocauit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus,

tibus, & patre ſuo Zebedæo in naui cum mercenarijs, ſecuti ſunt eum. Et ingrediuntur Capernaum, & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam, docebat eos, & ſtupebant ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ. Et circumibat totam Galilæam Ieſus, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & ſanans omnem morbũ, & omnem languorem in populo. Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, uarijs languoribus & tormentis cõprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos. & ſecutæ ſunt eum turbæ multæ à Galilæa, ac Decapoli, & Hieroſolymis, & de Iudæa, & de ripa trans Iordanem.

COMMENTARIA.

Dominus Ieſus uidens in ſummis periculis uerſari gregem patris ſui, magno ſtudio ipſum paſcere instituit. Quamobrē relinquit Nazareth patriā ſuam, ut minus celebrē: & confert ſe in frequentiſſimū emporiū, Capernaū Galilææ. Hoc aūt, inquit Euangeliſta Matthæus, quod nūc agitur, ſic agitur à Domino, quoniā ita prædixit Eſaias propheta: ut oſtendat magnā autoritatē Euāgelij: quod, tametſi noua doctrina uideri poſſet, reuerà tamen omniū antiquiſſima eſt: quippe quæ ex ſcriptis petita prophetarū, ijs deniq; confirmatur. Locus aūt petitus eſt ex 9. cap. Eſaiæ, ubi diuinus uates loquitur de bellis per Aſſyrios illatis. Hūc locum per collationem aptat Matthæus præſenti rei, ac inquit: Quemadmodū olim rex Aſſyrius Galilæam gentium primò deprædatus eſt, et captiuam abduxit: ita Dominus Ieſus eam Galilææ partē diabolo abſtulit, ac ſuo ſubdidit dominio. Et ſicut olim ſedētib. in umbra mortis, ac interitum iamiam expectantibus, lætus illuxit populo ſuo Deus: ita nunc toti orbi ob peccata commiſſa dānato, per illuſtrem lætamq; Euāgelij prædicationem illuceſcit Deus. Inde uerò occaſione ſumpta Chriſtus prædicauit euāgeliū regni Dei: id eſt, quomodo hic regnet & uiuat in nobis Deus, & quomodo poſt hanc uitam perueniamus in regnum Dei. Principiò itaq; docuit, tempus promiſſionis eſſe impletum: adeſſe enim eum per quē regni Dei participes efficimur, & per quem cœlum ipſum aperitur. Deinde quomodo participes facti miſericordiæ Dei, recipiamus nobis oblatā gratiā: nimirum ſi in noſmetipſos deſcendamus, cōuerſi ad Deum, & agnoſcamus quales reuerà ſumus, corrupti ac dānati peccatores. Inde uerò ſi credamus euangelio, hoc eſt, ſi in peccatis noſtris nō deſperemus, ſed diuinæ fidamus bonitati, quæ filiū unigenitū pro peccatis dedit noſtris, ut ipſius merito remiſſionē conſequamur peccatorum, & uitam æternā, omnes qui credimus hunc filiū nobis datum, natum & crucifixū. Cæterùm doctrinam illā cœleſtem, per quam homines uenirēt ad agnitionē ueritatis, fierētq; ſalui, Chriſtus propagare ſolus, quantum ſcilicet humanā attinet naturā, non potuit. Quamobrē delegit ſibi uiros quos familiares haberet, teſtes omniū quæ faceret & diceret, & per quos deinceps totū mundū erudiret. Viros aūt non humana ſapientia turgidos, uel generis nobilitate ſtolidè gloriātes delegit: ſed humiles, probos, ſimplices, laboribuſq; aſſuetos. Illiterati, inquit Hieronymus, mittuntur ad prædicādum, ne fides credentiū non uirtute Dei, ſed eloquentia atq; doctrina fieri putaretur, &c. Itaq; ipſum ſpectandū expendendūq; eſt, quod ſuis effectum laborib. reliquerunt. Non enim ſimplices illi piſcatores ſolùm Græcas gentes, ſed Romanos & barbariſſimas gentes, Scythas, Indos, Aethiopas, & ipſos Germanos et Gallos, ſumma, omne genus hominū, nationeſq; omnes induxerunt, crucifixi Chriſti leges accipere: nō armis uſi, nō uerborū exquiſita elegantia, ſed ſimpliciſſima prædicatione euangelij Ieſu Chriſti. Hos aūt uocat ſimpliciter, dicens: Sequimini. Eſt autem ſequi Dominū, ipſum obſeruare, illius ſe fidei & curæ cōcredere, & in illum reſpicere perpetuò. Poſtulat ergo Dominus à ſuis diſcipulis, ut ſe totos componant ad uoluntatē, doctrinā, & exemplum ſuū. Et faciam, inquit, uos piſcatores hominum. Allegoria eſt. Loquitur enim de doctrina, qua hominum mentes captæ, Deo ſeſe cōſecrant. Hi ſunt piſcatores, qui Euangelij ſancta doctrina & prædicatione ineſcāt & capiunt homines, ut liberati à diabolo, ſerui & captiui ſint Deo. Vnde D. Paulus dicebat: Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, ad demolitionē munitionū, quibus cōſilia demolimur, et omnem celſitudinē quæ extollitur aduerſus cognitionē Dei, & captiuam ducimus omnē cogitationē ad obediendum Deo, &c. Et nunc quoq; finis doctorum in Eccleſia talis eſſe debet, quàm plurimas animas Chriſto lucrifacere, quas ex ampliſſimo huius mundi Oceano ſagena euangelica Chriſto attrahant. Porrò cōmendatur nobis prōptiſſima Apoſtolorum obedientia.

dientia. Ipſorum exemplo docemur, alacres diuinā obire uocationē, ſpretis quibuslibet quæ à uocatione Dei retrahunt. Deſcribitur hic quoq; & aliorum duorum maximorum Apoſtolorum uocatio, Iacobi ſcilicet, & Ioannis. Fuit hic Iacobus, quem gladio feriri iuſsit Herodes, Act. 12. uirum multæ libertatis, pietatis & conſtantiæ. Ioannes autem is eſt, cuius hodie Euangelium in omnibus legitur eccleſijs. Quòd autem illi non ſolùm nauem, uerumetiam patrem iam grandæuum reliquerunt, propterea non fuerunt impij. Sic enim illos formauerat Ioannis prædicatio, ſic illos attraxerat afflatus ſpiritus Chriſti: & res ita flagitabat, potius deſerere patrem & alia, quàm Chriſtum. Diſcamus & hoc exemplo fideliter ſeruire Chriſto. Videre hic quoq; licet indefeſſum Saluatoris noſtri ſtudium, multumq; laborem quo omnibus palàm ſalutarem proponit doctrinā, illisq; fauſta annunciat, quòd ſcilicet Deus uelit regnare in ſuis, in terris: poſt hanc uitam aūt transferre illos ad ſe in ſedes beatas, & æternum regnū. Hanc illuſtrem prædicationem ſparſit in ipſis ſynagogis, ubi religionis ergò et propter lectionem legis frequens populus confluebat. Doctrinæ porrò adduntur miracula, reuera mera Dei beneficia, quibus atteſtatur atq; approbat Dominus, talem ſe eſſe qualē uerbis prædicat. Venerat in hūc mundum teſtis diuinæ erga nos gratiæ, & ſaluator. prædicat itaque, Deum generi mortalium bene uelle: idq; iam collatis in omnes beneficijs innumeris palàm oſtendit, dum omnibus omnium morbis medetur. Ergo & nos ad Chriſtum deferamus noſtros ægrotos, qui uirtute cœleſti & animo promptiſsimo incurabilibus morbis affectos ſanare poteſt. Indicatur demum, quanto cum fructu prædicarit Dominus. Illi homines incitant nos ad ſtudium uerbi Dei. ipſi ſemel atque iterum concionantem Dominum ſecuti ſunt: nos autem longè ampliora per Apoſtolorum prædicationem uidemus & audimus. Ergo ſequamur fide ipſum ſaluatorem, ne iudicent nos illi, & meritò damnemur, ſi tam beneuolum ſpreuerimus Seruatorem.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

Matthæi 5.
Enarrantur octo beatitudines.
Lucas ſcribit, Dominum de monte deſcendiſſe, ac ſtetiſſe in loco campeſtri, deinde eleuatis oculis in diſcipulos ſuos, dixiſſe: Beati pauperes, quia ueſtrū eſt regnū Dei, etc.

Videns autem Ieſus turbas, aſcendit in montem: & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius. & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regum cœlorum. Beati mites, quoniam ipſi poſsidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſticiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſticiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorū. Beati eſtis cum maledixerint uobis homines, & perſecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum uos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, qunniam merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Sic enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante uos. Verun tamen uæ uobis diuitibus, qui habetis conſolationem ueſtram. Væ uobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Væ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ, cum benedixerint uobis omnes homines: ſecundum hæc

Lucæ 14.

enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum. Vos eſtis ſal terræ. quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum ualet ultrà, niſi ut mittatur foràs, & conculcetur ab hominibus. Vos eſtis lux mūdi. Non poteſt ciuitas abſcōdi ſupra montem poſita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnib. qui in domo ſunt. Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent patrem ueſtrum qui in cœlis eſt.

COMMENTARIA.

Qui ubiq; in ſacris literis introducitur clemēs, benignus, miſericors, & qui poſsit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum: is promptiſsimo nunc animo prodit, fideliſsimè totum pietatis negotium exponit, omnes illos erudit, atq; uerbo uitæ ſatiat. Quòd aūt docturus montem aſcendit Chriſtus, inſinuauit ſe nihil humile terrenūq; traditurum, ſed ardua cœleſtiaq; omnia. Præterea conſedit cōcionaturus Dominus, oſtendens animum requiri attentum & pacatum, & minimè oberrātem & tumultuantē per omnia, ſi quis uelit audire uerbum. Et accedunt in primis Apoſtoli diſcipuli,

puli, tanquam doctrinæ ueritatis teſtes, qui poſteris tradere poſſent quod uiua uoce & ex ſacratiſsimo ore excepiſſent. Et ipſe Dominus modeſtiſsimè agit, apparatuq; prorſus diuino diuinam exornat doctrinam de æterna felicitate atq; uita beata: quā ut doceret, cultoresq; ſuos bearet, uenerat in mundum. In primis autem arbitratur uulgus illos eſſe beatos, quibus ampliſsimæ ſuppetunt opes. At Dominus noſter illos potius beatos pronunciat, qui pauperes ſunt ſpiritu: id eſt, humili et ſubmiſſa mente præditi, quæ nihil præſidij in opibus aut huius mundi ſtrepitu collocat, ſed in cœleſtib. Hi reuerà in his terris felices ſunt, et poſt hāc uitam in cœlis omnibus modis abſolutiſsimam beatitudinem hæreditabunt. Et quamuis abſoluta beatitudo felicitasq; demū nobis obueniat in alio mūdo: attamē ſancti in hoc quoq; mūdo beati & felices eſſe dicuntur, eo quòd coniunguntur Deo per fidem & ſpiritum ſanctum, in quo iam uiuunt & exultant, expectantes (ut diuinus ait Paulus) beatā ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei & ſaluatoris Ieſu Chriſti. Vulgò item illi putantur eſſe beati & felices, uictorijs & regnis illuſtres. Ab ea felicitate olim commendati ſunt Aſsyrij, Perſæ, Medi, & Romani. Dominus autem contrarium pronūciat, nimirum mites eſſe beatos. Sunt autem mites, Auguſtino docente, qui cedunt improbitatibus, non reſiſtunt malo, ſed uincunt in bono malum, ueluti clementes & manſueti. Loquitur autem Chriſtus non de ea terra, docente Hieronymo, quæ tribulos profert & ſpinas, quā crudeliſsimus quiſq; poſsidet: ſed de ea, de qua pſalmiſta, Credo (inquit) uidere bona Domini in terra uiuentium. Itaq; Dominus: Rixētur, ait, filij huius ſeculi pro imperijs & regnis, ſint illuſtres, & titulis clari, quibus capitur & delectatur mundus: uos autem qui mei uultis eſſe diſcipuli, ueram in hoc conſtituetis beatitudinem, quòd gratia Dei hæredes æternæ uitæ delecti eſtis. Habentur & à mundo beati, qui nihil quod angat habent, quos nihil excruciat. Veriſsimè uerò Chriſtus lugētes beatos pronunciat, eos quidem qui dolent & deplorant peccata commiſſa, et neglectum diuinarum rerum: qui item tanguntur alienis malis & infortunio fratrum, ingratitudine & perfidia mundi. Et hi conſolabuntur. nam remittit illis Deus peccata, conſolatur & confirmat corda illorum, excitans in eis uerum gaudium in ſpiritu ſancto, optimo illo conſolatore. Cæcus hic mundus, fœdiſsimis immerſus cupiditatibus, beatos quoq; arbitratur, qui iuxta prouerbium Sybariticis ſaginantur menſis, & omni uoluptate ſeſe oblectant. Atqui falſam opinionem illam refutans Saluator, eos beatos dicit, qui in ſtudio iuſticiæ ſeſe quàm ardentiſsimè exerceant. Eſuriendi enim & ſitiendi uocabulis, ſignificauit ingens deſiderium et ſtudium iuſticiæ. Nam nulla corporis affectio, cupiditas nulla ita adurit & urget hominem, ſicut fames uel ſitis. Illud autem obſeruandum, quòd dicit, Eſuriunt, & non, eſurierunt: ne uſpiam ceſſent, aut ſocordes inueniantur: quin imbecillitatem ſuam ſentientes, ſemper ad altiora eluctentur. Diligenti & uerè pio homini ſemper, ait Chryſoſtomus, aliquid ſupereſt, quod ſcilicet abſoluendum ſibi eſſe uidet. Eſt autem iuſticia duplex: una fidei, qua uidelicet homines Chriſti merito iuſtificantur, id eſt remiſsionem peccatorum conſequuntur, ſic'que efficiuntur hæredes uitæ æternæ: altera uerò quæ ex fide naſcitur. Qui iuſtus eſt, inquit Ioannes, iuſticiam operatur: hoc eſt, omnis generis uirtutes. Hanc igitur iuſticiam bipartitam qui eſuriunt & ſitiunt, ſaturantur à Deo. Nam ipſis augentur uirtutes in hoc ſeculo, & recipiuntur tandem in beatas ſedes, ubi nec eſurient, nec ſitient amplius. ſed fiet quod per Prophetam dictum eſt: Edent pauperes, & ſaturabuntur: laudabunt Dominum, qui requirunt eum: uiuet cor ſiue anima eorum in perpetuum. Arbitrantur etiam homines mundani beatos illos, qui theſauros congerunt, ac in poſterum proſpiciunt ſumma tenacitate, ſibiq; ac ſuis tantum uiuunt. At longè aliter uidetur Chriſto. Beatos enim illos eſſe dicit, qui benigni ſunt, & benefici in alios, ut eorum inopiam ſubleuent, cogitantes ſe tantum bonorum diſpenſatores eſſe. Et illis Dominus uiciſsim præſtat miſericordiam, tam in hac uita, quàm in futura: Eſaiæ quinquageſimo octauo, & Pſalmo quadrageſimoprimo. Iudicantur præterea in hoc mundo feliciſsimi eſſe, quibus ſunt elegantes liberi, formoſa uxor, amplæ & ſplendidæ ædes, & circùm tales omnia munda, ornatiſsima'que. At Dominus magis eos beatos prædicat, qui mundo & expurgato corde ſiue animo præditi ſunt. Nam hi, inquit, non ſpecioſa huius mundi, ſed ipſum Deum, opificem omnium rerum, cuius pulchritudinem nemo exprimere poteſt, uidebunt: id eſt, Dei conſortio, ubi hinc ſoluerint, perfruentur. Ponitur enim uiſio Dei non rarò in ſacris ſcripturis pro beata uita, & æterna gloria. Cæterùm cum ſcriptum ſit, Prauum eſt cor hominis, Ieremiæ decimoſeptimo: &, Quis dicet, Mundaui cor meū, & purus ſum à peccato? meritò quæritur.

ritur, quis ſit mundo corde inter filios hominũ.
Enimuerò iuxta naturam quiſq; impurus eſt, quũ
ſit corruptiſsima. Quòd ergo puri ſunt ſancti,
confertur ipſis cœlitùs, & paratur fide in Chri-
ſtũ. Tametſi enim innocẽtia noſtra nunquã omni
ex parte perfecta ſit: imputat tamẽ Chriſti perfe
ctiſsimã munditiã nobis Dominus, & ex gratia
propter Chriſtũ ceu mundos nos reputat & re-
cipit. Eph. 5. Errat & in hoc mũdus, quòd felices
iudicat eos, qui reb. ſuis compoſitis ex animi ſen-
tentia, nullis ſeſe diſsidijs & rixis miſcẽt, nec eos
mouet quid alij agant. Dominus enim beatos pro
nunciat pacis conciliandæ ſtudioſos inter diſsidẽ-
tes. Sumus enim inuicẽ membra & fratres, & de
cet ut omnes tranquillã & honeſtã inter nos uitã
uiuamus. Sic beati erimus, & filij Dei: qui & ipſe
nõ diſsidij, ſed pacis Deꝰ eſt. Demũ mũdus in hac
uita miſerrimos eſſe credit patria extorres. ſpolia
tos facultatib. & omni miſeriæ expoſitos. At Do
mino ſunt feliciſsimi, modò perſecutionẽ illam &
afflictionẽ ſuſtineãt propter ipſum atq; iuſticiam.
Eſt enim perſecutio, quæ à iuſtis propter iniuſti-
tiã uel puniendã uel excindẽdã infertur prauis &
ſceleratis hominib. 1. Petri. 14. Si igitur probris
afficiuntur in nomine Chriſti, id eſt affliguntur
homines pietatis ergò, et iuſticiæ odio, beati erũt.
Nam munificus Dominus daturus eſt eis pro ab-
latis facultatibus, pro amiſſa patria patriã cœle-
ſtẽ, & bona ſempiterna. Quòd ergò Dominus
ſubiungit dicens, Beati eſtis quũ probra iecerint
in uos, &c. copioſius perſecutionis ſpecies expri
mit. Deinde uerò ad diſcipulos ſuos conuerſus, pe
culiariter animat ipſos ad patientiã, cõfirmatq; in
uirtutis ſtudio: Si, inquit, dolet uobis infamia, &
quòd reb. ueſtris plurimùm hoc ſeculo decedit, co
gitate quæſo, quantum increſcat in futuro ſeculo
gloria ueſtra. Neq; uerò uos ſoli eſtis, qui male au-
ditis in hoc mundo. Euenit hoc ipſum ſanctiſsi-
mis prophetis. Ecce Moyſi non eſt inuentus ſimi
lis propheta in Eccleſia Dei: at hunc quantis one
rarunt conuicijs? quoties hũc petierunt ſaxis? Sa-
muel ex animo amauit plebem, & hanc feliciſ-
ſimè æquo adminiſtrauit imperio: uerùm ab ad-
miniſtratione fideliſsima amouit eum populus. 1.
Regum 8. Elias nullibi tutus eſt, & exulem agit,
qui erat pater patriæ, decus & gloria: 3. Regum
19. Ita Iſaias ſectus eſt, Ieremias & Zacharias
lapidibus obruti occubuerunt. Ipſorum autem
animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tor
mentum malitiæ. Viſi ſunt oculis inſipientium
mori, illi autẽ ſunt in pace. Apparet autem ex his
poſtremis, ea quæ diſeruit Dominꝰ de felicitate et
infelicitate, pertinere quidem ad omnes homines,
ſed ad miniſtros uerbi ſingulariter: quippe in hoc
prolata, ut confirmentur in ueritate, & contem-
nant mundum cum ſuis laudibus, opibus & uo-
luptatibus. Pergit quoq; Dominus diſcipulos ſuos
in pietatis officio confirmare, & ait: Non mirum
ſi uos odiat & perſequatur mundus. eſtis enim
ſal mundi. At non poteſt nõ odiſſe delicatus mun
dus, ea quæ mordẽt. Cæterùm nõ oportet propter
odia mundi à fide deficere: imò hoc uos acriores
eſſe conuenit, quo ille eſt inſipidior. Eſt aũt hic ſer
mo allegoricus, à natura ſalis deſumptꝰ: quã Pli-
nius ſcribit eſſe igneã, in medendo uerò morden-
tem, adurentẽ ac repurgantem. Ita oportet mini-
ſtros Euangelij & doctores ueritatis igni ſancti
ſpiritus ardere, mundi mordere uicia ac repurga
re, ne propter ea computreſcat. Indicat quoq; Do
minus, quanta pericula et incommoda ueniant, ſi
ſal ſit fatuum: hoc eſt, doctores uiuido ſpiritus fer
uore careãt, ac iuſtam agẽdi dicendiq; conſtan-
tiã nõ obſeruẽt. Veniũt primùm in damnũ atq; pe
riculũ illi, quorũ ſal ipſos eſſe oportebat. Deinde
ueniũt & doctores iſti ſua inſulſa fatuitate in ex
tremũ hominũ contẽptũ: ex quo cadit ſumma &
myſteriorũ diuinorũ authoritas. Quod ut Chri
ſtus efficacius inculcaret, imprimeretq; diſcipulo
rũ animis, ſimilitudine alia docuit quod nã ſit pa
ſtorũ officiũ. Et cũ luce nihil ſit illuſtrius, utilius
nihil: idcirco rectè per lucẽ adũbrauit Eccleſiæ
doctores, adeoq; cœleſtẽ et Euangelicã doctrinã.
Dicit ergo: cõſtitui uos eo loco, ut ueluti lux ſplẽ
dida præluceatis toti mũdo. Talis ſit itaq; uita do
ctrinaq; ueſtra, ut omnib. eã intuẽtib. ſit dux re-
gulaq; rectè uiuẽdi. Vnicus eſt ſol huius mũdi: ſed
is eſt tam efficaci & copioſo lumine, ut omnibus
terram incolentibus è longinquo luceat. Sic uos
in edito collocaui, ut quod loquimini, quod faci-
tis, non poſsit nõ per uniuerſum orbem diſpergi.
Si ſolẽ obducant nubes, unde lumẽ mortalibus? Si
ueſtra doctrina caligabit erroribus, ſi ueſtra uita
humanis cupiditatibus erit obfuſcata, quæ res di-
ſpellet caligmẽ multitudinis? Vos eſtis ueluti ci-
uitas in edito mõte ſita, longè lateq; conſpicua uia
toribus: ita doctrinam ueſtram cœleſtẽ, & uitam
maximè illuſtrem & integram eſſe oportet. In-
terea admonentur diſcipuli fortitudinis & cõſtan
tiæ, dum aſsimilantur oppido in mõte extructo.
Præterea ait Chriſtus: Ideo noctu lucernã accẽ
dunt in ædib. ut luceat omnib. qui in domo uerſan
tur: & ideo non condũt accenſam ſub modio, ſed
imponũt candelabro, quò lumẽ eius magis ad oẽs
perueniat. Quando igitur uos elegi, ut lucernam
uerbi

uerbi mei accendatis in domo Domini, & fulgeatis omnibus in Eccleſia uerſari uolentibus: iniquum eſt, ut quicquam celetis aut obſcuretis meæ lucis & ueritatis: imò euangelicam doctrinam manifeſtiſſimè omnibus annunciate, ac uitam ueſtram ita inſtituite, ut ea doctrinam meam illuſtret. Sic luceat uita ueſtra, ut uideant homines ueſtra opera bona, fidei fructus. Non ut uos laudent, próque dijs adorent: ſed ut Deum laudent, ei'que ex animo ſeruiant, ab ipſo pendeant, & in ipſum unicè reſpiciant. Ita demum eritis ueri mei diſcipuli.

CAPVT TRICESIMVM.

NOlite putare, quoniam ueni ſoluere legem aut prophetas: non ueni ſoluere, ſed adimplere. Amen quippe dico uobis: donec trãſeat cœlum & terra, iota unum aut apex unus non præteribit de lege, donec omnia fiant. Qui ergo ſoluerit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum. Dico autem uobis, niſi abundauerit iuſticia ueſtra plus quàm ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis: Quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum. Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es cum eo in uia, ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.

Matth. 5. Et euãgelicæ perfectiones.

Lucæ 12.

COMMENTARIA.

Hactenus de uera felicitate diſſeruit Dominus: deſcendit nunc ad ipſam legem illuſtrandam, ac repurgandam à traditionibus Phariſaicis, quibus genuinum uſum & ſenſum corruperãt. Cum autem perſuaſum eſſet pleriſq;, doctrinam Chriſti in ſubuerſionem diuinæ legis uergere, ac religionis totius: disertè in præſentiarum pronunciat ipſe falſam hanc perſuaſionem. Veniſſe enim ſe, ut legem compleat, non autem ut quicquam eius diſſoluat. Cæterùm ubi uaria traduntur de lege, lex tamen nihil aliud eſt quàm perpetua & optima Dei uoluntas; in hoc per Moſen uulgata, quo omnes homines Dei uoluntatẽ cognoſcãt, & cognitã faciant: id eſt, ut Deus præſcripſit, uiuant. Hãc aũt docendi gratia ſacri doctores diuiſerunt in Moralẽ, Iudicialẽ, & Ceremonialẽ. Porrò lex moralis inſtitutio eſt morũ ac uniuerſæ uitæ noſtræ, comprehenſa Decalogo, et huius compẽdio, dilectione inquã Dei & proximi. Lex iudicialis docebat iuſticiam publicã, humanitatẽ, beneficẽtiam, & tranquillitatem publicam conſeruabat. Hanc duplicẽ legẽ omniũ perfectiſſimè præſtitit Chriſtus, eam'que uniuerſis commendatam & obſeruandam uoluit. Idcirco Apoſtolus inquit: Scimus, quoniam bona ſit lex, ſi quis ea utatur legitimè, illud ſciens quòd iuſto lex non ſit poſita, ſed iniuſtis & inobſequentibus, impijs & peccatoribus. Proinde non eſt quòd quiſquam credat, per aduentum Chriſti & euangelicam prædicationem per omne genus flagitiorum graſſandi facultatẽ eſſe conceſſam, neq; Euangelium magiſtratus ordinationẽ damnare ciuilem, & politias. Verùm ceremoniæ traditæ fuerũt de ritib. eccleſiaſticis, de cultu Dei externo, deq; perſonis & reb. ad cultũ illum pertinentib. Quia uerò hæ res non niſi ad tempus erant inſtitutæ, donec ſcdicet ueniret Chriſtus: Euangelio iam publicato, abrogatæ ſunt, cum pro figuris & umbris ipſa res ſit repoſita, Ioann. 1. Heb. 10. Iam uerò prophetæ fuerunt fideles miniſtri Dei, ac legis diuinæ interpretes, clarius et copioſius de regno & reb. Meſſiæ prophetantes. Quorum ſcripta igitur adeò nõ luxauit Chriſtus, ut fecerit quæcunq; iſti uates diuini futura dixerunt. Hoc dixit ad diſcipulos ſuos, cum iam reſurrexiſſet à mortuis: Hæc ſunt uerba, inquiens, quæ locutus ſum ad uos, cum adhuc eſſem uobiſcum: quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis, & pſalmis de me: Lucæ ult. Quanobrem hic quoque per collationem rerũ maximè firmarum

&

*& immotarum(cœlum enim & terra firmiſsima
ſunt elementa) ſignificauit legis & prophetarum
conſtantiam ſiue permanentiam. Et per Hyper-
bolen aggrauauit eam ſententiam. Per iota enim
& apicem, ſignificauit minutiſsima in lege. Præ-
terea contra impiam & falſiſsimam de ſua doctri
na conceptam opinionem, quaſi contrariam legi,
hoc quoq; dicit Chriſtus: Tantum abeſſe ſcitote,
ut uel ipſe contemnam & negligam legem Dei,
uel negligendam eſſe tradam, ut magis aſſeuerem
illum in regno cœlorũ fore uiliſsimum, qui uel mi
nimum legis ſoluerit, uel alios negligere docuerit:
rurſus illũ fore honoratiſsimũ, qui legem & præ-
ſtiterit, & præſtandã docuerit. Et ita totam no-
bis legem integram, & nulla ſui parte diminutam
commendauit Chriſtus, eamq; uult magno à no-
bis obſeruari ſtudio. Iam ad ipſam legem. Hære-
bant phariſæi in cortice & externo opere legis,
ad medullam non penetrabant, neq; ſpiritum &
ipſum legis genuinum ſenſum capiebant: idcirco
iuſtos ſeſe arbitrabantur, ſi legem ſecundum lite-
ræ tenorem præſtitiſſent, de mente ſeu animo ni
hil ſolliciti, unde potius hypocritæ erãt, quàm iu-
ſti. Iuſticiam ergo Chriſtus (ut Theophylactus
aſſerit) hic dicit omnem uirtutem. Qui ergo de
iuſticia Chriſtianorũ loquuntur, dicunt noſtram
iuſticiam Chriſtum eſſe, & eam iuſticiam nobis
communicari per fidem. Simul autem, inquiũt, per
fidem datur nobis ſpiritus Chriſti, quo regenera
mur. Regenerati uerò operantur opera filiorum
Dei, ambulantes in charitate Dei. Et quia ſciũt,
Deum ipſum cor, ſpiritum, & intima hominis re
quirere: non iam foris ſimulant religionẽ, ſed ex
animo deſeruiunt. Porrò quia omnis error phari-
ſæorum erat ortus ex lege ſiniſtrè intellecta, pro
inde iam Dominus indicat, quis ſit genuinus ſen-
ſus legis, ut ſcilicet ſecundũ pietatis affectũ obſer
uetur. Et quò dilucidiora ſint omnia, exẽplis è le-
ge ſumptis ſingula demonſtrat. Primùm, quod è le
ge producit exemplum de homicidio, phariſæi ita
interpretabantur, ut eum legi ſatisfeciſſe dicerẽt,
qui uiolenter ac palàm occidiſſet neminem: atque
hunc iuſtum prædicabant, uiuit animus interim
arderet ira, odio & inuidia. Contrà uerò Domi-
nus oſtendit, legem non tantum opus prohibere
externum, ſed animum potius requirere ab omni
affectu iræ ac odij alienum, criminibus quãdẽ mi-
nime leuibus. Sunt enim impotentiſsimæ animi cõ
motiones, & ulciſcendi cupiditas. S. Auguſtinus,
Racha Hebræis interiectionis inſtar eſſe, eáq; uo
ce nihil certi, ſed tantùm animi indignationẽ ſigni
ficari admonet. Deinde Eraſmus, Chriſtũ intelle
xiſſe conſeſſum iudicũ, qui de grauiß. ſolebant cõ
ſultare cauſis. Illũ ergo qui fratri dixit Fatue, præ
ſentandũ iudicibus, quò decernãt de ſupplicij ge-
nere ac modo. Porrò Gehennæ incendium, om-
nium maximũ intelligitur eſſe ſuppliciũ: undéq;
Gehennæ uocabu lũ ſuum originem habeat, ſtu-
dioſus lectór cõſulat ipſum D. Hieronymũ, docen
tem excelſum quoddam fuiſſe in ualle Hinnom,
in quo filios ſuos Iudæi Moloch dæmoni cuidam
immolarint. Poſtquam aũt Dominus Ieſus in ad-
uerſam partẽ diſputauit, colligit lege præcipi, non
tantũ ne cui noceam⁹ in corpore, fortunis, uitaq;:
ſed etiã ut beneuoli ſimus erga omnes, utq; bene-
faciamus etiam hoſtibus, per omnia ſtudentes cõ
cordiæ & unanimitati. oſtẽdit quoq;, quanti faci
at Deus beneuolentiã & concordiã mutuã, dum
ſacrificio quo apud illos homines nihil credeba-
tur uel maius eſſe, uel ſanctius, præfert concordiã,
atq; adeò ut illud ſine hac nihil prodeſſe manife-
ſtè pronunciet. Quibus etiã quæſtuoſam de expiã
dis peccatis traditionem phariſæorũ confutat (il-
li enim nunquã non adhortabantur plebẽ ad offe
renda opima ſacrificia, quibus animi labes ac ſce-
lera ſanctificare ſua debeant) & docet, fide &
charitate, animiq; renouatione opus eſſe. Præte-
rea ſi apud Deũ tanti eſt hominum concordia, ut
patiatur inter ſe fraudari munere parato, modò il
la ſarciatur: quanto iuſtius eſt, hominẽ, cuius inter
eſt, rei ſuæ diſpendio pacẽ & amicitiã redimere?
Eſt igitur hæc narratio Domini imago quædam
parabolica, qua nos (ut S. placet Hieronymo) dũ
in iſtius ſeculi uia currimus, ad pacem & concor
diam cohortatur. Theophylactus in hunc locũ cõ
mentans: Nonnulli, inquit, putãt aduerſariũ dici
diabolũ, uiam aũt uitam. Dominũ uerò admone-
re, ut quamdiu in hac uita es, deſciſcas à diabolo,
ne poſtea poßit te de peccato arguere, quaſi ali-
quid de ſuo habentem, nuncq; pœnæ tradaris uſq;
ad ultimum quadrantem pro peccatis corrigen-
dus. At tu intellige, q; de aduerſarijs qui hic ſunt,
dicat: per hoc admonẽs, ne iudicio cõtendas, et ita
à diuinis operib. auellaris: Etiãſi iniuria affectus
fueris, inquit, ne abeas ad tribunal, ſed in uia litẽ
ſolue, ne ob potentiã aduerſarij grauiora patiaris.*

Matthæi 5.
Edicit ueteris quæ ſit ſententia legis,
Datq; inſtrumenti ſancta ſtatuta noui.

CAPVT TRICESIMVM PRIMVM.

AVdiſtis, quòd dictum ſit antiquis: Non mœchaberis. Ego aũt dico uo-
bis, quia omnis qui uiderit mulierem ad cõcupiſcendum eam, iam mœ-
chatus eſt eam in corde ſuo. Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue
cum

eum, & proijce ab te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in Gehennam. Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcide eam, & proijce abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in Gehennam. Dictum eſt autem: Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, det illi libellum repudij. Ego autem dico uobis, quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non peierabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico uobis, Non iurare omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius: neque per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt magni Regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem ſermo ueſter, Eſt eſt, Non non. quod autem his abundantius eſt, à malo eſt. Audiſtis, quia dictum eſt, Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico uobis, Non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariauerit mille paſſus, uade cum illo & alia duo. Qui petit à te, da ei: & uolenti mutuari à te, ne auertaris. Audiſtis, quia dictum eſt; Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico uobis: Diligite inimicos ueſtros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus uos, ut ſitis filij patris ueſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Si enim diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaueritis fratres ueſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo uos perfecti, ſicut & pater ueſter cœleſtis perfectus eſt.

COMMENTARIA.

Secundum è lege paradigma eſt de ſanctimonia uitæ, atque fide coniugali ſanctè cuſtodienda. Phariſæi ſanctum & iuſtum arbitrabantur eum, qui ſua uxore contentus, nō abſtinuiſſet à complexu alienæ: de impuris fœdisq; cogitationibus ac dictis exigua erat cura. Dominus ergo docet hoc præcepto, prohibitam eſſe omnē immūdiciam & concupiſcentiam in corde: et iniuſtos eos, qui animo concupiſcunt alienā coniugem. Hi coram Deo adulteri ſunt, tametſi concubitu nunquam perfruantur, eo quòd Deus corda intuetur, & ipſi malum perfecerunt in corde: quiq; malū perpetraſſent, ſi potuiſſent. Sicut enim in bonis deſtinata imputatur uoluntas, ut in Abraham uidere licet, uolente Domino filiū immolare propriū: ita ſanè Deus uoluntatem deſtinatam in opus prauum, damnat pro opere prauo. Tranſit autem Dominus à corpore ad animam, tali collatione utens: Quemadmodū ubi totus homo periclitatur, præſtabilius eſt, unius membri iactura totius reliqui corporis ſalutē redimere, quàm ſeruato membro totius corporis ſalutem in diſcrimē coniicere: ita conducibilius, reſecare affectū aliquem, & uoluptatem aſpernari, quàm hac momentanea ſemel & iterum frui, interim uerò obnoxiū fieri æternæ damnationi. Neq; enim hoc ſenſit Chriſtus, ut quiſquam ſibi ipſi membrū aliquod corporis amputet: ſed membrum animi, hoc eſt, malos illos affectus, inuitantes ad omnem immundiciam. Hi enim protinus reſecandi, id eſt, reijciendi ex animo. Porrò cum pharisæi multum ſibi permitterent, repudiorum permiſſione freti: Dominus docet de adulterijs ui, necnon ſanctè & illibatè fidem coniugij cuſtodire: confutans nimiam illorum licentiam, quòd uidelicet quamuis ob cauſam abijcerent uxores, oſtendit'que illa coniugia nihil diſtare ab adulterijs. Non tamen prorſus inhibet diuortia. ait enim, ob ſtuprum diuortium fieri poſſe. Id ad unam, adulterij cauſam aſtringit: non quòd non ſint alia flagitia adulterio ſceleratiora, ſed quòd adulterium tota ratione pugnet cum coniugio. Matrimonium è duobus unum facit. eam copulam diſſecat adulterium.

Adiungit

Adiungit quoq; Chriſtus præceptum de ſanctificatione nominis Dei, de conſtantia uerborum, & iuſta moderatione linguæ. Phariſæi enim, quia Dominus iuramentum in uotis, ac aliàs permiſerat, omnibus iuramentis frena laxabant: quo nomine abierat in contemptũ ſacroſanctum Dei nomen, iurabatq; Iudæorum uulgus uanè & impunè. Dominus ergò legem repurgans, docet pios omnino non iurare, ad euitandam leuitatem, & ut nõ abuterentur nomine Dei: oſtendit etiã deierationes per creaturas, uergere in diuini nominis cõtumeliam. Ergo hoc uult Chriſtus, ut in animo ſanctificemus nomen Dei. ita quiſque linguam ſuam cõponat, ut quod affirmat, uerè affirmet: & quod ſe facturũ negat, ne faciat. Deierationes autem & execrationes omnino uitemus, quoniam ex malo ueniant. Verùm hæc nihil ad iuramenta, iuſtas ob cauſas magiſtratui præſtanda. Ritus enim celebris eſt pro utilitate hominum, & ex neceſſitate quadam humanæ infirmitatis conceſſus, ad obedientiam ſtipulandam, uel teſtimonia dicenda. Diſtinguere itaque oportet inter iuramenta priuata, proficiſcentia ex leuitate & affectu prauo: & inter ſolennia, quæ ex iure præſtantur, in iuſticiæ & tranquillitatis publicæ conſeruationẽ. Ita enim ſcribit D. Auguſtinus: Multo tutius eſt, quantum ad nos attinet, ut nunquam iuremus, ut ſit in ore noſtro, Eſt eſt, Non non, ſicut Dominus monet: non quia peccatum eſt uerum iurare, ſed quia grauiſſimũ peccatum eſt falſum iurare: quò citius cadit, qui conſueuit iurare. Quartum quod producit Dominus, exemplũ de lege talionis eſt. Voluit quidem Dominus Deus ea lege cauere in populo ſuo, ne quis temerè noceret alteri, idq; metu per legem talionis incuſſo, & non uoluit nocẽdi ſtudium propagare. At phariſæi huius legis finẽ non probè obſeruantes, iræ populari & cupiditati uindictæ permittebant nimium. Ideo Dominus mentẽ legiſlatoris demonſtrans: Adeò, inquit, debent animi à nocẽdi cupiditate eſſe remoti, ut nec laceſſiti iniurijs cogitetis de uindicta inferenda. Idque explicat per ſubiectas aliquot ſpecies, quibus omnia noſtra conſilia, labores, ſtudia & auxilia comprehendiſſe uidetur, quæ alijs impẽdamus pro uirili noſtra. Deniq; iſta præcepta magis ad præparationẽ cordis, quæ intus eſt, pertinere uidẽtur, ita ut per maxillã alteram percutienti obuertendam hyperbolicè intellexerit Dominus nõ aliud quàm ſummã patientiam, animiq; moderationem, ut teneatur in ſecreto animi patientia cum beneuolentia: in manifeſto autem id fiat, quod eis uidetur prodeſſe poſſe, quibus bene uelle debemus. Quod hinc liquidò oſtenditur, quia ipſe Dominus Ieſus, ſingulare exemplum patientiæ, cum percuteretur in faciem, reſpondit: Si malè dixi, exprobra de malo: ſi aũt benè, quid me cædis? Nequaquam igitur præceptũ ſuum, ſi uerba ſua intueamur, impleuit. neq; enim præbuit percutienti alterã partem: ſed potius prohibuit, ne qui fecerat iniuriã augeret. & tamen paratus uenerat, non ſolùm in faciem percuti, uerùm etiam pro his quoq; à quibus hæc patiebatur, crucifixus occidi, pro quibus ait in cruce dependens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Hæc ferè ad uerbum Auguſtinus. Demum phariſaica quoque traditio erat, odiſſe inimicum: inde nimirum ſumpta, quòd Dominus in lege Cananaicas gentes iuſſerat extirpare. Quamobrem Dominus Ieſus, inſignis legis reparator, quoniam diſertis uerbis ſcriptum erat, Non odies fratrem tuum in corde tuo, ſed arguendo redargues proximum tuum, neque ulciſcaris, neq; retineas uindictã contra filios populi tui, ſed diligas proximũ ſicut teipſum, Leuit. 19. dilectionem docet erga quoſcunq;, ſiue ſint amici, ſiue inimici, omnibus ex æquo benefaciendum & cõſulendum, iniuriam nulli inferendam, remittendum lædenti, cõdolendum peccanti. Quod ut libenter ſui faciant diſcipuli, ſtimulos Chriſtus admouet, quibus incitet eos ad perficiendũ illud pietatis factum. Et primò inuitat ſuos exemplo patris cœleſtis, & dignitate illa præcellenti qua filij Dei appellanur, dicitq;: Cœleſtis ille pater ueſter ex æquo benefacit omnibus tam bonis quàm malis, cõferens ipſis cœlitùs dona & beneficia uaria, lucem uidelicet, opes & ſanitatem. Hunc patrem imitamini, ut etiam in hoſtes & malè de uobis meritos beneficia conferre uelitis. Cum hoc durum & difficile factu uidetur, cogitate quàm oporteat uos beneficentia ſuperare publicanos, id eſt, homines improbos, infames, & rebus prauis addictos. Equidem illi diligentes ſe diligunt, & beneficis bene faciunt, & ut conemini omnibus totiſq; uiribus exemplum & imaginem cœleſtis patris exprimere: & ad imaginem eius reformati perfecti ſitis, quemadmodum ipſe perfectus eſt. Quid hic audimus? Quis quæſo eſt, qui non ſentiat per omnem uitam ſuam in carne non modò imperfectionẽ, ſed & corruptionẽ omnib. modis deploratiſſimam? Quapropter S. Paulus: Video, dixit, aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ. O' me miſerum hominem, quis me liberabit? Et reſpondens ſibi ipſi: Gratia, inquit, Dei p Ieſum Chriſtũ Dominũ noſtrũ. Ergo nullius eſt hominis corrupti & peccatis obnoxij,

ad tan-

ad tantam perfectionem peruenire. Quid igitur facturi? Hoc equidem quod D. Bernhardus docet, cum inquit: Amemus aduerſarios noſtros, & nihilominus præſtemus eis beneficia, ut ſimus perfecti pro modulo noſtro perfectione gratiæ, ſicut & pater cœleſtis perfectus eſt perfectione naturæ. Hoc modo ſanè omnia interpretari poſſunt.

CAPVT TRICESIMVMSECVNDVM.

Math. 6.

Quomodo eleemoſyna dáda, ieiunandū, orádū, & Deo ſeruiendum.

ATtendite, ne iuſticiam ueſtram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem ueſtrum qui in cœlis eſt. Cum ergo facis eleemoſynā, noli tuba canere antè, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & in uicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico uobis receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito: & pater tuus qui uidet in abſcondito, reddet tibi. Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis & in angulis ſtantes orare, ut uideantur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuū in abſcondito: et pater tuus qui uidet in abſcondito, reddet tibi. Orantes autem, nolite multum loqui, ſicut ethnici faciūt. Putant enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſsimilari eis. Scit enim pater ueſter quid opus ſit uobis, antequā petatis eum. Sic ergo uos orabitis: Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat uoluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos à malo. Amen. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater ueſter cœleſtis delicta ueſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, neq; pater ueſter dimittet uobis peccata ueſtra.

Lucæ 11.

Et factum eſt, cum eſſet in loco quodam orans, ut ceſſauit, dixit quidam ex diſcipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, quemadmodū & Ioannes docuit diſcipulos ſuos. Dixit autem: Quando oratis, dicite: Pater noſter.

COMMENTARIA.

Dixerat paulo antè Dominus: Niſi abundauerit iuſticia ueſtra plus quàm ſcribarū & Phariſæorum, non ingrediemini in regnum cœlorū. Quia uerò potiſsima iuſticiæ opera ſunt, miſericordia, oratio, & ieiunium: ea iam demum Chriſtus incipit exponere & declarare. Et quia hæc quoq; defœdarat Phariſæorum hypocriſis: ideo ſicut legem reſtituit ſuo nitori, ita etiam nunc indicat, quomodo eleemoſyna, preces & ieiunium rectè fiāt. Hypocritæ igitur ſimulatores ſunt, qui ficta perſona fabulam agunt apud populum. Metaphoricōs autem dicuntur illi, qui quod nō ſunt, uideri tamen & eſſe uolunt. Et hypocriſis pro ficta & ſimulata ſanctimonia cœpit uſurpari. Ergo eleemoſynæ illorum non ſunt uirtutes, ſed uitia: quia non elarguntur propter Dominum, aut ex commiſeratione & dilectione fratrum: quin potius ex cupiditate inanis gloriæ, ut dicantur iuſti & ſancti apud plurimos. Hæc ut conſequerentur Phariſæi, præſtabant eleemoſynam in cœtibus publicis, ubi frequens populi erat turba. Et ſignificanter dicitur, Coram hominibus: id eſt, in gratiam hominum. Alioqui licet dare pauperibus etiam in publico, modò animus tuus Deum ſpectet, fraternamq; charitatem, non homines & hominum gloriam. Tuba canere, prouerbiali figura dicitur, pro eo quod eſt inſolenter & arroganter beneficia iactare, nimioq; præconio uenditare palàm. Qui ad hunc modum elarguntur eleemoſynam, non eſt quod quicquam expectent præmij, pro ſua illa beneficētia à patre. Chriſtus itaq; docet, quomodo ritè præſtetur eleemoſyna. Eſt autem prouerbialis locutio, quod ait: Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Quemadmodum ergo dexter oculus bonus intelligitur affectus, ſiniſter uerò prauus & intētio mala, Math. 20. ita dextra manus ſymbolum eſt operis boni, ſiniſtra uerò operis mali. Videtur ergo hoc dixiſſe Dominus: Cauete, ne, cum affectu bono, id eſt propter Deum, & ex charitate præſtatis eleemoſynam, ſurrepat uobis affectus ſiniſter, ut ipſum opus corrumpatur arrogantia. In occulto præſtetur, id eſt animus gloriationis affectu careat, & ipſum ſolum Deum ſpectet. Tunc uerò pater cœleſtis, qui ſobrio & pio delectatur affectu, palàm in ipſa die iudicij, in magno illo cœtu

omnium hominum, rependet tibi tuam beneficentiam. Iam & de Oratione tractat Christus, taxatq; uitia orationis Phariſaicæ, atq; ita falſam iſtorum iuſticiam carpit. Vitium in oratione idem eſſe uidetur, quod in præſtanda eleemoſyna. Notauit ergo orare, non ex pio in Deum affectu, et pro neceſſitatibus uel proprijs uel alienis: ſed ut uidearis ſanctus, & lauderis ab hominibus. Ita orabant Phariſæi, nō in receſſibus, ſed in frequentia hominum, quibus hoc modo uolebant eſſe conſpicui. Oſtēdit ergò Chriſtus, quomodo uerè & rectè oremus: Quiſquis, inquit, piè & religioſe orare uoluerit, ingrediatur in cubiculum ſuum, atq; ibi ſibi et Deo ſoli loquatur. Quid igitur (ait Theophylactus) in Eccleſia nō orabo? Omnino. ſed recto animo, et citra oſtentationē. locus enim non nocet, ſed modus & intentio. Vel hoc cubiculum eſt, ut oraturus mentem eleues è terrenis ad cœleſtia. ita enim ſcribit D. Cyprianus: Cum ſtamus ad orandū, uigilare & incumbere ad preces toto pectore debemus, cogitatio omnis carnalis et ſecularis abſcedat, nec quicquā tunc animus quàm id ſolum cogitet quod precatur. Ex quibus ſancti uiri uerbis facilè conijcere poſſumus, orandum eſſe pectore ſincero, & mente ab affectibus tranquilla, & ita concluſa, ut nec carnis nec diaboli ſuggeſtio ſeſe ingerat. Et hoc alibi dixit Chriſtus, Orare in ſpiritu & ueritate. Teſtatur etiam Dominus orationi & ſuum præmiū eſſe paratū, cū ait: Pater cui probatur animus humilis et pius, non ſuperbus & arrogās, declarabit in die illa iudicij, fuiſſe te uerū adoratorem, & Dei cultorē. Docet item, errorem, uitium, & ethnicum eſſe, ſi quis credat ſe ob multiloquium exauditū iri. Nō enim (ut quidā opinati ſunt) Deus humanū habet affectū, ut ſcilicet inſtar hominū, blanditijs et inſtructa copioſaq; oratione flectatur. Sanè nulla opus erit apud ipſum expoſitione moleſta, cum ipſe ſciat quibus rebus opus ſit nobis. Quid igitur opus (aiunt) oratione & uerbis? Enimuerò nō exponimus ipſi uota noſtra ut neſcienti, aut ut ignorantē doceamus. Nos non ſumus narratores, inquit Hieronymus, ſed oratores. Aliud enim eſt narrare ignoranti, aliud ſcientē petere: in illo indicium eſt, in hoc obſequium. Ibi fideliter indicamus, hic miſerabiliter obſecramus. Proinde, etſi Deus promittat ſe noſtrum per omnia futurum, nihilominus uult orari, et iubet nos perpetuò orare: unde nec prohibet orare prolixiùs, ſed fiduciā damnat multiloquio innixam. Nam de Domino noſtro ſcriptum eſt, quòd pernoctarit in precib. Porrò, quamuis liceat hoc in quouis loco: tamen publicæ preces in tēplis & publicis locis fieri debent, ad quas libenter & frequenter accedit, quiſquis uerā fidem habet. Sit autem humilis ante omnia oportet, qui oraturus aduenit, idq; faciat cum publicano illo. Agnoſcat quiſq; ſuā miſeriā, & quòd diuino egeat auxilio. Nec refert, Auguſtino docente, quomodo corpus conſtituatur ad orandū, dummodo animus Deo præſens peragat intentionē ſuam. Nam & ſtantes orauerūt, ſicut ſcriptū eſt: Publicanus de longè ſtabat, hæc apud ſe dicens: Deus eſto propitius mihi peccatori. Et fixis genibus, Act. 20. Et ſedentes, ſicut Elias 3. Reg. 19. Niſi autē & iacentes oraſſent, non ſcriptum eſſet in Pſalmis: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrimis meis ſtratū rigabo. Cæterùm cum præter Deum uerum & uiuū, & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, neminē prorſus adorare liceat, quandoquidem ipſe ſolus nouit corda hominū, ſolus poteſt omnia, qui ubiq; præſens eſt, ſolus bene uult hominibus, in ipſius autē conſpectum prodire nemo hominum dignus ſit: idcirco interuenit Chriſtus, ut ipſius ductu & interceſſione ad patrē perueniamus, tradiditq; miro compendio & certa precandi formula, quomodo & quæ petamus. Hæc ſemper apud omnes ſanctos, & inter omnes orandi formas optima præſtantiſſimaq; indicata ac habita eſt. Nam ſi per omnia, ait Auguſtinus, precationum ſanctarum uerba diſcurras, quātum exiſtimo, nihil inuenies, quod non iſta Dominica contineat & concludat oratio, quæ ſic habet: Pater noſter, qui nos ſemel infeliciter genitos ex Adam, rurſum cœlo genuiſti, ubi nobis à terrenis rebus ſubuehendis regnū & æternā hæreditatē paraſti, ipſe in cœlis agere dictus: quod quum impleas omnia, nihil habes fecis aut infirmitatis terrenæ: fac ut per nos tuo beneficio puros & integros, inter homines fiat inclytum & glorioſum nomen tuum. Non enim eſt noſtrū, quum tui muneris ſit, quicquid à nobis rectè geritur. Aboleatur tyrannis Satanæ, ut indies magis ac magis inualeſcat regnū tuum: quod non opibus & ſatellitio, ſed modeſtia, pudicitia, lenitate, tolerantia, fide, charitate conſtat: ut profligatis uitijs unà cum malis cupiditatibus, uim ſuam exerant inter homines tuæ uirtutes cœleſtes: fiatq; tandem, ut quemadmodum in cœlis pacata ſunt omnia, nec eſt ulla creatura quæ nō obediat tuis iuſſis: ita in terris nemo ſit, qui non obtemperet tuæ ſanctiſſimæ uoluntati: cunctis, quantum patitur imbecillitas humanæ naturæ, iā hoc meditantibus, quod perfectè continget in futura uita. Ale pater, quod genuiſti: proſpice nobis, ne nos

deficiat

deficiat panis ille tuus doctrinæ cœleſtis, ut eo quotidie ſumpto cõfirmemur & adoleſcamus, ue getiq; reddamur ad tua iuſſa perficienda. Ac ne quando noſtris delictis offenſus, alienes animum tuum à nobis, ſed pro tua clemẽtia ignoſce nobis delicta, quæ per infirmitatẽ in te committimus, ut tecum pacẽ habeamus: quemadmodum et nos inter nos inuicẽ condonantes, ſi quid alius in alium deliquit, mutuã alimus concordiã. Te propitio nihil timemus, & cõcordia fulti firmiores ſumus ad uerſus hoſtem cõmunem: cui, quæſumus, ne tuos tradas tentandos, ſi fieri poteſt. Nouimus enim illius maliciam, nouimus improbitatem & uerſutiam. Quòd ſi patieris nos incidere in tentationẽ, ut explores animi noſtri conſtantiã, tu pater optime libera nos ab illo peſſimo. Hæc uota tua bonitas rata eſſe uelit. Iam quæ ſub finẽ orationis huius ante uoculã Amen, à quibuſdam adijciuntur, Quia tuum eſt regnum, & poteſtas, & gloria, &c. teſtatur Eraſmus, illa uerba non reperiri in ullo uetuſto exemplari latino, in Græcis quidem exemplaribus omnibus uideri adiecta. Quòd uerò Chriſtus redit ad id quod dixerat, Et remitte nobis debita noſtra, &c. ac grauiſſima quadã cõminatione inſtat: facit, ut excitet in ſuis cultorib. ſtudium cõcordiæ ac charitatis, probè noſcens, omnẽ orationẽ citra dilectionẽ frigere. Hunc imitatus præceptorem diſcipulus Paulus, ipſe haud ueritus eſt, fidẽ quoq; & omnia aliàs pia opera, eius qui charitatem ipſam non habeat, reijcere.

CAPVT TRICESIMVMTERTIVM.

CVm autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes. Exterminãt enim facies ſuas, ut appareãt hominibus ieiunantes. Amen dico uobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuã laua, ne uideatis hominibus ieiunans, ſed patri tuo qui eſt in abſcondito: & pater tuus qui uidet in abſcõdito, reddet tibi. Nolite theſaurizare uobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate aũt uobis theſauros in cœlo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, & ubi fures nõ effodiunt, nec furanẽ. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si aũt oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt? Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Ideo dico uobis, ne ſolliciti ſitis animæ ueſtræ, quid manducetis: aut corpori ueſtro, quid induamini. Non'ne anima ueſtra plus eſt quàm eſca? & corpus plus quàm ueſtimentum? Reſpicite uolatilia cœli, quæ non ſerunt, neq; metunt, neque congregant in horrea, & pater ueſter cœleſtis paſcit illa. Non'ne uos magis pluris eſtis illis? Quis autem ueſtrûm cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Et de ueſtimentis quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neq; nent. Dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua ſic coopertus fuit, ut unũ ex iſtis. Si aũt fœnũ agri, quod hodie eſt, & cras in clibanũ mittitur, Deus ſic ueſtit: quãto magis uos modicæ fidei? Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicẽtes: Quid mãducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirũt. Scit enim pater ueſter, quia his omnib. indigetis. Quærite ergo primùm regnũ Dei, & iuſticiã eius, & hæc omnia adijcienẽ uobis. Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinũ. Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibijpſi. ſufficit diei malicia ſua.

Matth. 6.
Ieſus rerũ temporaliũ nimis anxiam curam prohibet, præcipitq; in diẽ uiuere, more auium.
Lucæ 12.
Lucæ 11.
Lucæ 16.
Lucæ 12.
Conſiderate coruos, &c.

COMMENTARIA.

Eodem progreditur Dominus ordine in tractando ieiunio, quo hactenus in eleemoſynæ & orationis explicatione eſt progreſſus. Ergo initiò uitium ieiunij taxans, Phariſaicam detegit iniuſticiã. Deinde uerò, quomodo uerè ieiunemus, indicat. Ieiunium quidem ueterib. & ſanctus Dei cultoribus in hunc uſum & finem uſurpatum exercitumq; fuit, ut ſtudium rerum diuinarũ arderet magis, minus corporis torpore frigeſceret. At Phariſæi abutebantur ieiunio ad quæſtum, & ad conciliandam ſibi ſanctimoniæ opinionem, quo apud imperitũ uulgus maiori in precio eſſent. Hoc dam

nat Chriſtus. ſimulatq; docet, quale debeat eſſe diſcipulorum ſuorum ieiunium: ſi uidelicet diſſimulent apud homines ſe ieiunare, tantũ Deo ieiunantes. Loquitur aũt Dominus ſecundũ ritũ terræ Paleſtinæ, in qua unguentorũ uſus talis fuit, qualis apud nos ablutionis, & aquæ odoriferæ: quẽ tamen Dominus per ſe hic nõ præcipit, ſed figuratè ſignificat, tunc maximè diſsimulandũ eſſe ieiuniũ, cum ieiunamus. Cõſueuerunt olim ueteres publica inſtituere ieiunia, Ioelis 2. Ionæ 3. Durauit is ritus adhuc Apoſtolorũ tẽporibus, prout ipſorũ acta docẽt, cap. 13. 14. 27. Certumq; eſt, priuatos priuatim recepiſſe & exercuiſſe ſponte ſua ieiunia, tanquã corporis caſtigationẽ, quo ſpiritui parẽret, atq; magis arderet pietatis affectu oratio eorũ. Vnde ieiuniũ quidẽ nõ eſt opus per ſe abſolutũ, ſed adiuuat ſpiritũ, eſtq; ueluti adminiculum quoddã alijs omnib. uirtutib. Ita enim ſcribit D. Baſilius de ieiunio: Nõ ſufficiens eſt per ſe ipſam abſtinẽtia ciborũ ad laudatũ illud ieiuniũ: ſed ieiunemus ieiuniũ acceptabile, cõplacẽs Deo. Verum ieiuniũ eſt, abalienatio à malo, cõtinentia linguæ, iræ inhibitio, cupiditatũ ſeparatio, itemq; detractationis, mẽdacij, & periurij. Abſtinẽtia ab his uerum eſt ieiuniũ, &c. Verè ergo & Chriſtianè ieiunat, qui illis claret uirtutibus, quæ promouentur ieiunio. Ieiunare itaq; iubemur, & piũ erit Chriſtiani hominis ieiunium. Sic quoq; uita Chriſtiana perpetua eſt ſobrietas, Tit. 2. Poſtquã autẽ Dominus feliciſsimè diſſeruit de lege, et eius ſenſu germano, deq; iuſticia uera, & in his ueram pietatẽ tradidit: iam uitia & cõtraria pietatis indicat, quò cognita nihil efficere queãt. Quoniã uerò auaricia & habendi ſtudiũ in primis à uera pietate abſtrahit, & in omnẽ impietatẽ atq; iniuſticiã hominẽ demergit: idcirco ipſam rerũ temporaliũ nimis anxiã curã pectorib. ſuorũ diligenter eximit, optimè noſcẽs, quantum & quàm noxium hoc hominib. malũ, imò radicẽ omniũ malorum, iuxta Paulum. Ita enim inquit: Eſt aũt quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundũ, haud dubium quia nec auferre quid poſſumus. Habẽtes autẽ alimẽta, & quib. tegamur, his cõtenti ſimus. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationẽ, et in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorũ eſt cupiditas. Nec tamẽ propterea malæ ſunt diuitiæ. Et diuites fuerunt multi ſancti, Abrahã, Loth, Dauid, &c. Reſpicit itaq; Dominus ad mores diuitum inſatiabilium, qui per phas & nephas nummos & bona cõgerunt, in hisq; ſummã uoluptatis ſuæ collocãt. Oſtendit etiã quàm inſtabiles ſint opes, & parũ tutæ. Quamobrẽ docet, ueros theſauros in cœlo recondi, & nõ in terra. Diuites itaq; Paulum audire poſſunt, ſic piè docentẽ: Diuitibus huius ſeculi præcipio, nõ ſublime ſapere, neq; ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo uiuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, cõmunicare, theſaurizare ſibi fundamẽtum bonum in futurum, ut apprehendãt ueram uitã. Quod autẽ addit Dominus, Vbi theſaurus tuus, ibi eſt et cor tuum: religioſa ſententia eſt, oſtendẽs, corda noſtra uni Deo tanquã precioſiſsimo & ſummo bono cõſecranda, ut unum amemus, illum ſolum cogitemus. Quòd ſi igitur opes & diuitiæ hominibus ſummi boni loco erunt, certè retrahentur ab illo uerè ſummo bono. Cæterùm ubi oſtendit Chriſtus, quàm ſit inutile theſauros habere ſuper terram: ad affectum cupiditatis expurgandũ deſcendit. Inde enim exiſtit congerendi ſtudium: ac indicat, corrupto animi affectu, ſimul omnia hominis ſtudia & opera corrupta & uitioſa eſſe. Id autem demonſtrat ſimilitudine, ab oculo corporis ſumpta. Lippientes, inquit Hieronymus, ſolent lucernas uidere numeroſas: ſimplex oculus & purus, ſimplicia intuetur & pura. Hoc totum transfert ad ſenſum. Quomodo enim corpus, ſi oculus nõ fuerit, totũ in tenebris eſt: ita anima, ſi principalem fulgorẽ ſuũ perdiderit, uniuerſus ſenſus in caligine cõmorabitur, etc. Ex his uerbis hæc quidem colligimus: quod eſt oculus in corpore animãtis, id eſſe affectũ in animo cuiuſuis. Ita ſanè, ſi affectus hominis ſincerus eſt, nulla deprauatus cupiditate, omnis hominis operatio, quæ ex mẽte ceu fonte emergit, integrior erit. Rurſus, quomodo impeditiſsima ſunt omnia quæ agunt oculorũ uitijs laborantes: ita ſi mens hominis affectibus prauis & cupiditatib. ceu tenebris fuerit inuolutus, nihil mirũ ſi hominis eiuſmodi tum dicta tum facta ſcateant dolis & rebus peſsimis. Et quòd ſi excæcata mens indicat eſſe felix, quod eſt calamitoſum, id expetendũ, quod maximè cõtemnendum: in quas tenebras totum hominẽ rapiet ambitio, libido, auaricia, reliquæq; perturbationes animi, quæ ſuaptè natura caliginẽ habent? Iam quia ſcopus orationis Chriſti eſt, nõ congerendũ eſſe in terris theſaurum: nouam modò inducit è uulgo petitam ſententiam. Vulgus indicat, neminẽ poſſe dominis ſeruire duobus, diuerſa ſectantibus ſtudia, & rectè indicat: ita nemo, inquit, ſimul & ſemel Deo ſeruiet, & Plutoni uel diuitijs, quib. ille

præeſt,

præeſt. Deus enim prohibet dolos, fraudes, et impoſturas: Satanas uerò, ut opes conſequaris, omnia licere ſuadet. Ergo qui pectus ſuum Deo dedicauit, & ipſum diligit ex toto corde, ex tota anima: odit et inſectatur iniuſtas opes et poſſeſſiones. Annotauit hic S. Hieronymus, Dominum nō dixiſſe, Qui habet diuitias: ſed, Qui ſeruit diuitijs. Qui enim diuitiarū ſeruus eſt, inquit, diuitias cuſtodit ut ſeruus: qui autem ſeruitutis excuſsit iugū, diſtribuit eas ut dominus. Audiat hoc auarus, audiat qui cenſetur uocabulo Chriſtiano, nō poſſe ſe ſimul diuitijs & Chriſto ſeruire. Ergo Elias hic denuò omnib. fortiter clamat: Quouſq; claudicatis in utrunq; latus? Si Dominus eſt Deus, ſequimini illum: Si Baal eſt Deus, ſequimini ipſum. Verùm hic habēt auariciæ dediti, quod opponant. Prætexere ſolent ſuæ cupiditati ineuitabilem neceſsitatem, quodq; fami & nuditati conſulere oporteat. Quam occupationem Dominus Ieſus prorſus ſubruit, ubi uetat hominum ſollicitudinem: curā autem & ſollicitudinem illam, quæ prouenit ex diffidentia, ne tantum ſuperſit unde uiuāt. De moderata enim & fideli ſanctorū cura, quam gerūt pro familia ſua, nequaquā locutus eſt Dominus. Neq; enim putādum eſt, quod ociū & ocioſos homines cōmendarit Dominus, inutilia ligna, natoſq; cōſumere fruges. Cùm autem ethnicus quidam dixit, Auri ſacra fames quid nō mortalia pectora cogis? ualidiſsimis argumentis hūc morbū, illamq; diffidentē ſollicitudinē eximit Chriſtus è pectorib. ſuorū diſcipulorū: Qui, inquit, maiora præſtitit, profectò minora nō negabit. Præſtitit autē Dominus cuilibet homini animam, inter omnes creaturas longè præſtantiſsimam, utpote ſpiritum uiuentem, rationalē & immortalē. Quomodo igitur nō dabit homini uel cibum uel ueſtitū: quæ ad animā collata, nullius momenti uidentur? Vt hoc fortius probet Chriſtus, producit tale exemplū: Vertite, inquit, oculos ad uolucres cœli, quia nihil exercēt quo uictus parari ſolet, nihil de futuro ſunt ſolicitæ: & tamē aluntur. A quo autē? Certè à nemine alio quàm patre illo cœleſti, ab ipſius bonitate et munificētia. Iam uero uos lōgè præſtātiores eſtis omnibus auibus: quippe in quorū gratiā ac miniſteriū, nō aues modò, ſed quicquid egregiū in mundo eſt, creatū eſſe cōſtat. Gen. 9. Pſal. 8. Simpliciter ergo accipiendum, quòd ſi uolatilia abſq; cura & ærumnis, Dei aluntur prouidētia: quæ hodie ſunt, & cras nō erunt, quorū anima mortalis eſt, & cum eſſe ceſſauerint, ſemper nō erūt: quāto magis homines, quibus æternites promittitur, Dei regūtur arbitrio? &c. Ergo quemadmodū eam menſurā, quā præſcripſit Deus, nec prouehit, nec cōtrahit quantūuis ingēs ac diſcruciās ſollicitudo: ita nihil ægritudo illa animi proficit. Quæ enim opus habemus ad uitæ ſuſtentationē, diuina prouidētia, & nō diſcruciante cura noſtra nobis parātur. Porrò à uictu deſcēdit ad ueſtitū Chriſtus, ut oſtēdat patris noſtri cœleſtis erga nos bonitatē & beneficentiam. Nā ſi Deus ita lilia & alios flores ornat, qui ut ornētur nulla neceſsitas exigit: quāto magis penuriā noſtrā in ueſtib. ſupplebit, quib. ipſe corpus & animā formauit? Meritò itaq; exclamat: O parum fidentes. tenuē enim in eo fidem eſſe neceſſe eſt, qui tam manifeſtis naturæ exēplis nō cōmouetur. Quod quæſo ſericū, quæ regū purpura, quæ pictura textricū poteſt florib. cōparari? Quid ita rubet, ut roſa? Quid ita cādet, ut liliū? &c. Porrò ſi tanta cura gramē agri ornat, & ueſtit Deus: Ethnicorū, & nō Chriſtianorū eſt, totos ſeſe in terrena iſta demergere, & ſollicitudine anxia ac nimia ſeſe macerare, quaſi iſta hominib. obueniāt ex humana prouidētia. Alij enim ex iſtis nō credunt eſſe Deū: alij quidē Deum eſſe fatētur, nō tamen credūt illum curam gerere mortalium. Deinde ad quid opus eſt, inquit, tanta ſolicitudine, quādo pater cœleſtis prouidentia ſua cuncta gubernat, & peroptimè nouit iſtis rebus ad uitam neceſſarijs nos indigere? Et cum patrem appellat, ipſum Deum inſinuat, benignum & beneuolum, & liberaliſsimè nobis tanquam filijs ſuis proſpicientem. Iam ne quis colligere poſſet, quaſi omnis abijcienda ſolicitudo, & quòd omnino ſecuros nos eſſe oporteat: Vide, inquit Ieſus, ut ante omnia Deum reuerearis, ac in præceptis eius ambules, & ipſe abſq; dubio te enutriet. Quærunt ergo regnum Dei & iuſticiam eius, qui totam uitā ſuam ita componunt, ut in ipſis uiuat Deus: & ipſi quoq; ad nutum & uoluntatem Dei uiuant, ut iuſticiam exerceāt erga omnes homines, nemini imponant, nemini ſua rapiant. Quare placet ipſi Deo, ut tranquilla mente fruantur, ſemper in Domino gaudentes.

CAPVT TRICESIMVMQVARTVM.

NOlite iudicare, & nō iudicabimini. Nolite cōdemnare, & nō cōdemnabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur uobis. Quid autē uides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non uides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Frater,

Matthæi 7. Fac alijs fieri, quod cupis ipſe tibi. Grandem deme trabem.

ſine eijciam feſtucã de oculo tuo: & ecce trabs in oculo tuo? Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc uidebis eijcere feſtucam de oculo fratris tui. Nolite ſanctũ dare canibus, neq; mittatis margaritas ueſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant uos. Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur. Aut quis

Lucæ 11. eſt ex uobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidẽ porriget ei? Aut ſi piſcem petierit, nũquid ſerpentẽ porriget ei? Si ergo uos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs ueſtris: quanto magis pater ueſter qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe? Omnia ergo quæcunq; uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Hæc eſt enim lex & prophetæ. Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpacioſa uia eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta & arcta uia eſt, quæ ducit ad uitam: & pauci ſunt qui inueniunt eam.

COMMENTARIA.

Cum de iudicibus uaria extent in lege diuina, & in Deuteronomio *expreſſum ſit, quales uelit eſſe* Deus *iudices ſuos, ſynceros ſcilicet & probos, non declinantes in alteram partem, non accipientes perſonam, nec munera: certum eſt, quòd his uerbis nõ prohibet* Dominus, *ordinatis à* Deo *iudicibus cauſas iudicare.* Neq; *uerò de increpatione fraterna loquitur* Dominus, *quam ubiq; cõmendat nobis uerbum* Dei: *ſed illud, quod multi ſolent ex affectu prauo dicta uel facta aliorum carpere, non ut proximum corrigant, ſed ut inuidiæ cupiditatiq; ſatisfaciant.* Hanc *ſuam ſententiã* Dominus Ieſus *allegoria exponit clarius, indicans quod nam accuſet, damnetq; iudiciũ:* Non, *inquit, damno iuſtas et fraternas bonorum uirorum, aut qui id ex officio faciunt, obiurgationes: ſed temeritatem & hypocriſim quorundam, qui cum omnibus inquinati ſint ſceleribus, aliorum tamen errata uel leuicula perſequuntur acerbè, interim ad propria illa ſcelera talpa ſunt cæcutiores.* Quid *igitur?* Videat *quiſq;, ut ea uitia quæ in alijs accuſat, ipſe prius in ſemetipſo accuſet atq; emendet: præſertim ſi maioribus ipſe obnoxius, minora in alijs delicta cupiat emendata.* Inquirat *quiſq; primum in mores proprios, deinde uerò cenſuram ſibi ſumat de alienis: idq; faciat, non calumniandi nocendi'ue libidine, ſed ex fraterna charitate, ut errantem reducat.* Quòd *autem mox addit* Ieſus, *ſanctum canibus neutiquam dandum: non equidẽ* Euangelium *ſpargendum ſanctiſſimum inhibuit.* Iuſſit *enim iam aſcenſurus cœlum, ut irent in mundum uniuerſum, prædicatum* Euangelium *omnibus hominibus.* Admonuit *ergo, ut cautè agant: & quid futurum, ſignificauit.* Cum *ergo canibus putrida cadauera iucundiora ſint omnibus aromatis, à quibus ſi abigere tentes, inſilient in te, & lacerabunt dentibus: ita typum gerunt prophanorum hominum, omni ſenſu ſano tam religionis quàm humanitatis carentium: quos ſi coneris retrahere ab impietate & re turpi, conuicijs laceſſent, perſequentur, & nocebunt.* Et *porcus, impuriſſimorum hominum, qui ſeſe totos obſcœnis immerſerunt uoluptatibus, mores ac ingenium nobis refert.* Quemadmodum *enim ille uolutabris cœni magis delectatur, quàm margaritis: ita hi ſanctam & puram ueritatis doctrinam impuriſſimis pedibus & ſcommatis conſpurcant.* Sicq; Dominus Ieſus, *diuinus ille doctor, de ſingulis doctiſſimè diſſeruit, iuſſitq; ut ſeruemus præſcripta.* Verùm *quis hæc perficere ualet, cum ſimus homines ad omne malum inclinati? nequaquam hoc ex nobis ipſis, aut uiribus noſtris.* Itaq; *docet* Chriſtus, *illud ipſum petendum à* Domino Deo, *& inquit:* Petite. *Quo ſignificauit, orationem oportere proficiſci ex imo cordis deſiderio.* Deinde, *Quærite, dicit: quo notauit orationis diligentiã.* Poſtremò, Pulſate, *inquit: ut oſtendat, orationem perſeuerantem eſſe debere, fortem in fide, & indefeſſam.* Ideo, *inquit* Chryſoſtomus, *clauſa eſt ianua, ut tu conſtanter pulſare cogaris.* Exauditurum *autem ſe preces noſtras promittit* Chriſtus: *qua ſanè ueriſſima promiſſione, ut precemur, nos adhortatur atq; excitat, quò mente alacri petentes accipiamus donum* Dei, *& quicquid ad pietatis perfectionem pertinere uidetur.* Proponit *hoc per elegantem collationem* Dei *& hominis, patris cœleſtis ac terreni, deniq; filiorum ſpiritualiũ & carnalium.* In *utroq; patre affectus eximius, uterq; cupit tueri ac prouehere liberos: ſed hoc beneficiendi ſtudiũ in patre cœleſti longè eſt abundantius.* Nam *patres terreni aliquoties liberos odio proſequuntur, & inſectantur: at* Deus *cum*

ſuapte natura bonus ſit, eſt ab omnibus affectib. quàm alieniſsimus, ſemper cupiēs beneficus eſſe, & ut filij ſui eius bonitate abundātiſsimè fruātur. Hinc iam erigit in ſanctorū pectoribus fidem, & precandi fiduciā: Si, inquit, patres aliquando mali bona dare poſſunt munera liberis ſuis, multo magis facturus eſt hoc Pater cœleſtis, qui ſuapte natura bonus ac benignus eſt. Et hoc bene attendendum, ꝗ homini non niſi bona largitur Deus. Petitis, ait Iacobus, & non accipitis, eo quòd malè petatis. Et ea quidē (ut S. ſcribit Auguſtinus) poterant nobis etiam non orantibus dari: ſed oratione noſtra nos uoluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia: ab ipſo nimirum Deo, à quo omne datum optimum, et omne donum perfectū, qui dat omnibus uitam & inſpirationē, in quo uiuimus, mouemur, et ſumus. Quia uerò ut fideliſſimus mundi doctor, Chriſtus Dominus, hactenus multis egit de expetendis & fugiendis: tandem omnia in breuem colligit ſummam, eamq; nobis omnibus inculcat, ut ſcilicet tales alijs præſtemus nos, quales alios nobis eſſe uolumus: Atque hoc eſt, inquit, quod uniuerſa lex & omnes prophetæ docent, quò omnia ſcripturæ tendunt. Dilectio equidem totius Scripturæ compendium eſt. Eſt igitur axioma elegantiſsimum, nec tantum Chriſti diſcipulis probatum, quin & ipſis Ethnicis. Scribunt enim Aurelium Alexandrū imperatorem, hanc Chriſti ſententiam uſq; adeò dilexiſſe, ut in Palatio & publicis operibus præſcribi iuberet: Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Vide, tanti fecit Domini uerba prophanus princeps: quanti quæſo à nobis fieri debēt, qui Chriſti nomen gerimus? Inſcripſit ille auream ſententiā Palatio, & operib. publicis: inſcribamus nos eandem pectoribus noſtris, omnia uitæ noſtræ ad ipſam exigentes. Porrò, ut ille ait, omnes à natura procliues ſumus ad malum: uoluptas itaq; & ſtudium uitiorum multos abripit in ſummam perniciem. Quare monet diſcipulos ſuos Dominus, atque hortatur, dicens: Videtis, maximam hominū partem ſeculi uoluptatem appetere et ſectari. Verùm hoc nequaquam animos ueſtros cōmoueat. Vobis magis ſpectandum erit, quis finis ſit uirtutum, & quis uitiorū fructus. Duæ ſunt uiæ, per quas progrediūtur homines: in eam uos declinate uiam, nō quæ à pluribus, ſed quæ ab optimis teritur. Hæc enim fert in cœlum, illa uerò ad inferos deducit. Fuit etiā (ut Lactātius ſcribit) frequentiſsima huius biuij apud ethnicos ſcriptores mentio: & quidē alterā uirtutū, alterā uitiorū eſſe uoluerūt uiā: & uirtutū primo aditu eſſe arduam & confragoſam, in qua ſi quis difficultate ſuperata in ſummū eius euaſerit, habere eū deinceps planū iter, & laborū ſuorū capere fructus uberes & iucundos. Sic ecōtrà, uitiorū uiā primo ingreſſu eſſe amœnā, in qua propterea multi ambulent: at cū in eam paulo ulterius proceſſerint, amœnitatē eius repētè ſubduci, et exoriri uiā aſperā, obductā ſentibus, & torrentib. rapidā, unde laborare, hærere, & demū cadere ſit neceſſe in eum equidē locum, ubi ſempiternus horror inhabitat. Quæ omnia eò proferūtur, ut appareat, in uirtutib. capiendis labores eſſe maximos, in præceptis aūt maximos fructus, & ſolidas atq; incorruptas uoluptates. Vitia uerò q̄buſdā delinimētis illicere animas hominū, & maniū iucunditatū ſpecie captos, ad acerbas amaritudines miſeriasq; ducere.

CAPVT TRICESIMVMQVINTVM.

Attendite à falſis prophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouium: intrinſecus aūt ſunt lupi rapaces. A' fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis uuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neq; arbor mala fructus bonos facere. Bonus homo ex bono theſauro cordis ſui profert bonum, & malus homo ex malo theſauro cordis ſui ꝓfert malū. ex abundātia enim cordis os loquitur. Omnis arbor quæ nō facit fructū bonū excidetur, & in ignē mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Quid aūt uocatis me, Domine Domine, & nō facitis quæ dico? Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorū: ſed qui facit uoluntatē patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnū cœlorū. Multi dicēt mihi in illo die, Domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo multas uirtutes fecim⁹? Et tūc cōfitebor illis, Quia nunquā noui uos. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatē. Omnis ergo qui audit uerba mea hæc, & facit ea, aſsimilabit̄ uiro ſapiēti, q̄ ædificauit domū ſuā ſupra pe-

Matthæi 7.

Verùs ille propheta Christus deuitandos docet pſeudoprophetas.

tram, & deſcendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerũt in domum illam, & non cecidit. fundata enim erat ſupra petram. Et omnis qui audit uerba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit uiro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam: & deſcendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna. Et factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus uerba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ & phariſæi.

COMMENTARIA.

Hieronymus, nec nõ Theophylactus, docent atq; uolunt, hæc Dominũ de hæreticis dixiſſe ua fris, & impoſtoribus. Blandiloquentiã enim prætendũt, prætexũt, et uitã ſimulãt ſanctã: intrinſecus uerò animũ uenenatũ habentes, ſimpliciorũ fratrum corda decipiũt. Nec diuerſum ab his ſentit uetuſtiſsimus ſcriptor Tertullianus, quando dicit: Quæ nam iſtæ ſunt pelles ouium, niſi nominis Chriſtiani extrinſeca ſuperficies? Qui lupi rapaces, niſi ſenſus et ſpiritus ſubdoli, ad infeſtandum gregẽ Chriſti intrinſecus deliteſcentes? Vnde, dicat aliquis, difficile eſt lupum ouilla pelle tectum agnoſcere cuilibet. huic reſpondet Dominus: Quælibet arbor ſuæ ſpeciei & generis fructus profert, ita quilibet doctor talem profert doctrinam, qualem omnino cõcepit ſpiritum. Ex doctrina æſtimãdus eſt doctor, num ſcilicet ea ſpectet ſolius Dei gloriam. deniq; an doctrina eius, doctrinæ Prophetarum & Apoſtolorum ſit conformis, quæ ad omnẽ pietatẽ homines inſtituebat. A' fructu, inquit Theophylactus, cognoſcuntur: operũ ſcilicet, & uitæ. Cum itaq; propheta uir diuinus ſit, ac diuinæ mentis cõſcius, adeoq; Dei apud homines interpres, ut uoluntatẽ ipſius eis annunciet, & ad illam faciendam urgeat: profectò Pſeudopropheta erit, qui talis omnino uideri cupit, & huius tamẽ nihil penitus habet: & licet ad tempus ſimulet, proditur tamẽ ſucceſſu temporis. Vide Epiphanium, Auguſtinũ, ac reliquos. At nõ impune lupi illi dilacerãt gregem Chriſti. Indicat enim Dominꝰ, ſupplicium atrox ipſis paratũ eſſe: ſignificãs, æternis ignibus excruciandos eos qui uel alios falſa doctrina ſeducunt, uel ſanctis operib. uerã animi fidẽ nõ exprimũt. At dicat aliquis, ſanctè diſſerũt de diuino nomine, aſſerũt ſe nõ aliud q̃ ſolius Dei gloriã quærere. reſpõdet Dominus: Regnũ Dei nõ eſt in ſermone, ſed in uirtute. Vera mihi probatur animi ſimplicitas et puritas, quæ ut in uoluntatẽ patris unicè intendit, ut iuxta hanc omnia ſua componat: ita alijs quoq; eandem cõmendare omni doctrinæ genere ſatagit. Conſiſtit aũt uoluntas Dei in fide & ſanctificatione noſtra. Iſta enim nõ tantum de Pſeudoprophetis dicta ſunt: ſed de omnibus hominibus, quibus nihil proderit corã Deo ſpecies externa pietatis, & de religione gloriatio, niſi charitate in proximũ non ficta, & ſancto innocentiæ ſtudio declaremus, nos uerè credidiſſe Domino. Docet nos Dominus, ait Theophylactus, ſi fidẽ abſq; operibus habuerimus, nihil nobis eam profuturam. Nam dicendo, Qui facit uoluntatem: non dixit, qui fecit ſemel, ſed qui uſq; ad mortẽ facit. Cæterùm poſtquã ſatis præmonuit Chriſtus de cauendis Pſeudoprophetis, oſtendit quid illi atq; alij olim dicturi ſint: Iactabũt, inquit, in die nouiſsimo falſi homines, ſeſe egregios doctores ac interpretes ſcripturarum in Eccleſia præſtitiſſe, atq; ſuas uirtutes prædicabunt, quas fecerint in nomine meo, & propter gloriam meam propagandam. At fruſtra. nam ingenuè dicam: Non agnoſco uos pro meis. His porrò addit aliud longè grauius: Diſcedite à me. Quod eſt repellentis, & prorſus condemnantis decretũ. Non autem dixit, inquit Hieronymus, Qui operati eſtis iniquitatem: ne uideretur tollere pœnitentiã. ſed, Qui operamini: hoc eſt, qui uſq; in præſentem horam, cum iudicij dies aduenerit, licet non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis affectũ. Ita concludit diuiniſsimum hunc ſermonem Ieſus elegantiſsima parabola, omniũ oculis proponẽs ac demonſtrãs, non ſatis eſſe audiſſe uerbum Dei, niſi opere quoque compleas. Dicit ergo eum uerè pium, & piè in fide et religione ſancta inſtitutum, qui libenter audit uerbum Dei. Deinde etiam credit uerbo Dei, conſeruat illud in pectore ſuo, & actiones ſuas omnes inſtituit ad præſcriptum uerbum Dei: & in operibus iuſtitiæ adeò firmus eſt, atq; ita in petram Chriſtum fide & dilectione firma innititur, ut nulla tentatio eum inde depellat. Iam quò omnia ſint uiuidiora, magiſq; commoueant auditores: contrarium huius parabolæ membrum adiungit Dominus. Quemadmodum igitur uir prudens ſapienter res ſuas diſponit, & diuina inſtructus ſapientia cauet mala, bona uerò ſectatur: & uirtute Chriſti, cui innititur, contra uaria pericula firmus & immobilis perſiſtit: ita ille, ait

Theo-

Theophylactus, qui credit quidem, non autem operatur, ſuper arenam ædificat, ignauiter operatur, propterea et à tentationibus deijcitur. Irruit, hoc eſt impingit in eum tentatio, & cadit. Libet & hic ſubſcribere S. Hieronymi uerba: Fundamentũ, inquit, quod Apoſtolus architectus poſuit, unus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Super hoc fundamentũ ſtabile et firmũ, & per ſe robuſta mole fundatũ, ædificatur Chriſti Eccleſia: ſuper arenã uerò quæ fluida eſt, & coagmentari nõ poteſt, nec in unã copulã redigi, omnis hæreticorũ ſermo ad hoc ædificatur, ut corruat. Hæc ille. Quandoquidẽ autem oratio Chriſti uiuida erat, et ad mouendum auditorum animos efficax: ita cum magno applauſu, admiratione & reuerentia fuit accepta. Nec mirum. erat enim hic doctor ille cœleſtis, unigenitus à patre. præterea ijs quoq; utebatur rationibus, quibus orationi conciliatur authoritas. Scribæ de lauandis manib. ante cibũ, de decimis perſoluẽdis, de ſacrificijs offerẽdis diſputabãt, et admodũ frigidè docebãt populũ, quæ ſcripta erãt in lege Moyſi, et prophetis: Domin⁹ Ieſus uerò de beatitudine, lege, iuſticia, & rebus cœleſtibus diſſerebat, idq; cũ affectu religioſo, cũ eſſet ſanctus ſanctorum, & liberè dicere poſſet, Quis ex uobis arguet me de peccato? Chriſt⁹ ergo q̃a pur⁹, et ſanctis erat morib⁹, ideo ualebat, et plurimi fiebat doctrina ei⁹ apud optimos quoſq;.

CAPVT TRICESIMVMSEXTVM.

CVm autem deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Et ecce leproſus, plenus lepra, ueniens adorabat eum, dicens: Domine, ſi uis, potes me mundare. Et extendens Ieſus manũ, tetigit eum dicẽs: Volo, mundare. Et cõfeſtim mundata eſt lepra eius. Et ait illi Ieſus: Vide, nemini dixeris: ſed uade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus tuũ quod præcepit Moſes in teſtimonium illis. Et deſcendit Capernaum, ciuitatem Galilææ. Centurio autem quum audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorũ, rogãs eum, ut ueniret & ſaluaret ſeruũ eius. At illi cum ueniſſent ad Ieſum, rogabãt eum ſolicitè, dicentes: Quia dignus eſt, ut hoc illi præſtes. Diligit enim gentẽ noſtrã, & ſynagogã ipſe ædificauit nobis. Ieſus autem ibat cum illis. Et cum iam nõ longè eſſet à domo, miſit ad eũ Centurio amicos, rogãs eum, & dicẽs: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego ueniã, & curabo eum. Et reſpondẽs Centurio, ait: Domine, noli uexari: nõ ſum dignus ut intres ſub tectũ meum, ſed tantum dic uerbũ, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic, uade, & uadit: & alij, ueni, & uenit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Dico autem uobis, quòd multi ab oriente & occidente uenient, & recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Et dixit Ieſus centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, ita fiat tibi. & ſanatus eſt puer in illa hora.

Math. 8. Lucæ 7. Ieſus leproſum mundat. Centurionis puerum ſanat. Lucas.

COMMENTARIA.

Secutæ ſunt Dominum à monte deſcendentẽ turbæ, ut & nos Chriſtũ ſequendũ eſſe docerẽt. Adeſt aũt leproſus, omnium typus peccatorum: à quo diſcere licet, quomodo accedamus ad Chriſtum, ut ipſius gratiæ fiamus participes. Leproſus ad Chriſtũ properat: ita fidelis rectà feſtinet ad Chriſtũ, huic ſoli exponat animi dolores, et labores. Adorat leproſus Dominũ, procidẽs in genua: humiliemur etiã nos cõrã Domino Ieſu Chriſto. Orat deinde Dominũ leproſus, nihil dubitans de eius potentia: oremus itaq; & nos cum fiducia, nihil hæſitantes, omnia interim diuino arbitrio permittentes, cum ſolus Deus ſciat quid cõducat nobis. Hunc leproſum Dominus prolata manu attingit, qui certè citra attactum mundare eum potuerat. Fecit ergo ut atteſtaretur, ſe ad porrigendum manũ, hoc eſt ſubueniendũ paratum eſſe. et ait, Mundare: pro eo quod eſt, mundus eſto. Ita cũ uota et preces inuocantiũ ſe Dominus exaudiat, uera fide accedamus eum, precantes illum, ut noſtri miſertus purget nos ab omnibus cùm animi tum corporis inquinamentis & contagionibus. Porrò fugiẽs gloriã, iubet ut nulli dicat, ſed oſtendat ſe ſacerdoti. Nam niſi ſacerdos, ait Theophylactus, mundum pronunciaſſet, extra ciuitatẽ illi manendum fuiſſet. Præcepit quoque Ieſus, ut

offerat donum in teſtimoniũ Iudæis: hoc eſt, quando me arguunt ut deſtructorem legis, tu mihi teſtis eris, qui nunc iuſſus es à me, ut offeras ea quæ in lege præcipiuntur. Extant autem leges de leproſis uariæ apud Moſen, Leuit. 13 & 14. D. Hieronymus: Varias, inquit, ob cauſas mittit eum ad ſacerdotem. Primùm propter humilitatem, ut ſacerdotibus honorem deferre uideatur. Deinde, ut mundatum uidentes leproſum, aut crederent ſaluatori, aut non crederent: Si crederent, ſaluarentur: ſi non crederent, inexcuſabiles fierent. & ſimul (quod in eo ſæpiſſimè criminabantur) ne legem uideretur infringere. Cum autem intraſſet Ieſus Capernaũ, acceſſit ad eum Centurio. Aiunt hunc Romanorum præſidio præfuiſſe, quod contra Parthorum incurſiones aliquot urbib. impoſuerant, & fortè huic Capernaũ, quando una ex celebribus eius gentis urbibus fuerit. Fuit ergo publicæ iuſticiæ miniſter, pacis ac tranquillitatis defenſor. Id in homine ante omnia commendandũ occurrit, quòd famulo ſuo miſero atq; ægroto omnẽ humanitatẽ exhibet: ac nunc quoque ut ipſi conſulat, Chriſtũ accedit, et tanquã in ſuo ipſius corpore morbũ ſentiens, ſuppliciter poſcit auxiliũ ab ipſo Domino Ieſu. Cumq; ſeſe beneuolũ exhiberet Dominus, atq; uenturũ polliceretur: renuit ille. Erat enim ille alioqui uir religioſiſſimus. unde præclarũ fidei donũ à diuino accepit ſpiritu: quo doctore, uirtutẽ quam de Chriſto prædicari audiuerat, altius cõdidit pectori. Credebat ergo fide uera et indubitata, Chriſtũ in omnes eſſe beneficũ, & omniũ rerum potentẽ. dicit itaq;: Domine, nõ eſt neceſſe ut ad ægrotũ meum deſcẽdas: ſatis fuerit, ſi tantũ dixeris uerbũ, ſi uel modicũ exerueris uirtutẽ tuã: noui illã eſſe tantã, ut abundè ſatis eſſe queat reſtituẽdæ ſanitati puero meo. Et ut uirtutẽ Chriſti euidentiori illuſtraret collatione, addidit: Mihi peccatori et abiecto homini obtemperant mei famuli, qui regis ſeruus ſum: quanto magis tibi rerum Domino omnes obedient creaturæ, ut ſatis ſit uelle tuum, tu multo magis imperare potes morbis & morti. Quapropter D. Hieronymus in illo nobis commendat fidem, humilitatem, & prudentiam. Fidem in eo quòd credidit, ex Gentibus paralyticum à Saluatore poſſe ſanari: humilitatem, quòd ſe iudicauit indignum, cuius tectum Dominus intraret: demum prudentiam, quòd intra corporis tegmen diuinitatem latentem uiderit, ſciens non id ſibi profuturum, quod etiam ab incredulis uidebatur, ſed id quod latebat intrinſecus. Et hanc quidem præclaram fidem Centurionis, Dominus Ieſus quoq; exprimit ampliſſimis uerbis, ac dicit, ſe non tantam fidem inueniſſe in Iſrael. De præſentibus autem loquitur, inquit Hieronymus, et nõ de omnibus retrò patriarchis. His quoq; uerbis arguit incredulitatem, duritiamq; populi ſui: attingitq; ipſorum repudium, & uocationem Gentium. Ab oriente autẽ dixit, & occidente: pro eo quod eſt, ab omnib. mundi partibus, & ex omni natione quæ ſub cœlo eſt. Non enim ſolũ Iudæi, uerumetiã quicunq; credũt in nomine unigeniti filij Dei, cum Abraham, Iſaac, et Iacob, diuis illis patribus, quib. promiſſus olim Chriſtus et mundi Saluator, uenient in regnũ Chriſti et uitam æternam. Filij regni propriè Iudæi ſunt, eo quòd ipſis factæ ſunt promiſſiones, palamq; populus Dei & hæredes regni Dei in ſcripturis appellantur. Cæterùm tenebræ extremæ figurant inferni pœnas: ita & ploratus, & ſtridor dentiũ, denotant damnatorũ ſupplicia, et maximos cruciatus. Alluſit aũt Dominus ad magnatũ cõuiuia, quib. adhibẽtur quos maximè honoratos uolũt principes. Nec enim diui accumbẽt in cœlis, ut ſplendidis recreentur cõuiuijs. tantum itaq; adumbrare uoluit iucunda ac æterna bona, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Minus uerò admodũ grauiſſimis Iudaicã gentẽ nequaquã in deſperationẽ præcipitẽ dare cupit, ſed è tenaci incredulitatis luto extrahere: ſimul autẽ gentiũ cateruas ad ſe pellicere ſtudet, qui uenerat Iudæos ac gentes ſeruaturus. Quia aũt tantam fidẽ habuit cẽturio, ut crederet Dominũ poſſe et uelle ſanare ſeruũ ſuũ decumbentẽ, ſanauit ipſum Dominus. Itaq; fides habuit ſuũ effectũ. Efficit & noſtra fides, ut quod ſecundũ uerbũ Dei credimus, hoc diuina potẽtia operãte accipiam⁹.

CAPVT TRICESIMVMSEPTIMVM.

Matth. 8. Marci 1. Lucæ 4. Chriſtus docet in ſynagoga, eijcit dæmonia: ſocrum Petri à febre, atq; alios infirmos curat.

ET ingrediuntur Capernaũ. & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam, docebat eos, & ſtupebant ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ. Et erat in ſynagoga eorum homo, habens dæmoniũ immundum. & exclamauit uoce magna, dicens: Sine, quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? ueniſti perdere nos? ſcio quis ſis: ſanctus es ille Dei. Et increpauit illũ Ieſus, dicẽs: Obmuteſce, & exi de homine iſto. Et cũ proieciſſet illũ dæmoniũ in mediũ, exclamaſſetq; uoce magna, exijt ab illo,

ſilo, nihilq́ illi nocuit. Et factus eſt pauor in omnibus, & mirati ſunt omnes, ita ut conquirerent inter ſe, dicentes: Quid eſt hoc? quis ſermo hic eſt? Quæ'nam doctrina hæc noua? quia in poteſtate & uirtute imperat immundis ſpiritibus, & obediunt ei, & exeunt? Et proceſsit rumor eius ſtatim in omnem regionem Galilææ, in omnem locum regionis. Surgens autem Ieſus de ſynagoga, introiuit in domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & decumbebat. Et ſtatim rogauerũt illum pro ea: & ſtans ſuper illã, imperauit febri. Et accedẽs, eleuauit eam apprehenſa manu eius: & cõtinuò dimiſit eam febris, & ſurgẽs miniſtrabat eis. Veſpere autem facto, cum occidiſſet ſol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes. Et erat tota ciuitas congregata ad ianuam. At ille ſingulis imponens manũ, curabat eos qui uexabantur uarijs languoribus, ut impleretur quod dictũ erat per Eſaiã prophetã, dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit. Et dæmonia multa eijciebat, & exibant à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei. Et increpãs, nõ ſinebat ea loqui, quia ſciebãt ipſum eſſe Chriſtũ.

COMMENTARIA.

Hactenus uiua & dilucida doctrina docuit Dominus, ſe Saluatorem eſſe, & ſeruare omnes in ſe credentes. Hoc ipſum porrò factis declarat, oſtendens quoq; ſe Dominum & uictorem diaboli. Pellitur enim uirtute Chriſti ſatanas, qui ut ex ſubſtantia ſpiritus eſt, ita ex moribus impuris, & quia (ut Theophylactus inquit) omnibus fœdis delectatur operibus, immundus eſt. Hic ſpiritus egregia de Chriſto loquitur: Tu es, inquit, ille ſanctus. Multi enim prophetæ ſancti fuerunt: quamobrem dixit adiectione articuli Ille, unicus ſcilicet in lege et prophetis promiſſus, ſanctificãs totum genus mortalium. Chriſtus uerò obmuteſcere eum facit: ut diſcamus, dæmones etiam uera dicentes cõfutandos, & non audiendos: & ut inde colliqueſcat, Dominũ nihil habere conſortij cũ ſatana, neq; illius ulla in re egere auxilio. Vbi autem uidet ſatanas, ſe uel aliqua in parte hærere non poſſe, rurſus redit ad ingenium, ingentiq́; clamore uociferans diſcerpit hominẽ, in mediũ eorũ proijciens illũ. Hoc autẽ, Theophylacto docẽte, permiſit Chriſtus, ut homines, uiſa mali magnitudine, per miraculũ credãt. Obſtupuerũt ergo ad grande miraculum turbæ attonitæ, ac colligunt, Chriſtum amplius quiddam eſſe quàm hominem (quemadmodũ reuerà Deus erat) & doctrinam eius eſſe diuinã, quandoquidẽ nõ precibus, nõ incantationibus, ſed propria authoritate & potẽtia ſpiritus immundos cogeret, eijceret, & calcaret. Emanauit rumor tãti miraculi in uicinas Galilææ nationes, ut iam etiã gentiles admirarẽtur doctrinã et opera Domini. Hæc itaq; in hoc facta ſunt, ut totus orbis admiretur bonitatem & potentiã Dei et Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ut ad ipſum protrahamur omnes, et credamus in ipſum, quòd uenerit ad deſtruendum regnũ & opera diaboli, excitaturusq́; regnũ Dei in hoc ſeculo, ex quo tandẽ nos transferat in regnũ patris ſui æternũ. Hoc publico beneficio innotuit Dominus. Inde uerò, hoc eſt è ſynagoga ſurrexit, & introiuit in domũ Simonis, ut & ibi per beneficium innoteſcat. Socrus enim Petri febricitabat. Quòd ergo ipſam ſtatim uerbo curat, uel ſolo nutu, hinc apparet, Chriſtũ eſſe uerũ animæ et corporis medicũ, qui proinde in Scriptura ait: Ego percutiã, et ego ſanabo. Inprimis itaq; ipſe quærẽdus & inuocandus, ut noſtros ſanet morbos atq; languores. Quòd aũt rogauerũt Dominũ pro ea, cõmendat nobis mutuã ſolicitudinẽ atq; curã in afflictionibus, ut cum unũ membrũ patitur, cætera compatiãtur, dicẽte Apoſtolo. Diuina ergo uirtus Chriſti hic nobis declaratur, quæ et protinus omnem affectionẽ depulit, atq; eã priſtinæ integritati reſtituit, adeò ut iam miniſtrare poſſet, nihilq́; ægritudinis ſentiret amplius. Porrò quòd Dominus Ieſus recipit omnes quotquot ei offeruntur, & ſanat omnes: euidenter hoc modo approbatur, ipſum eſſe omniũ potentẽ, deniq; benignum. Eijcit aũt immundos ſpiritus denuò, ut oſtendat turbatores totius mũdi, principes tenebrarũ diabolos. Cum igitur nos, qui in Chriſto ſumus, cernamus confractas & conculcatas ſatanæ uires à Chriſto Domino: nõ eſt quod metuamus eum. Quòd uerò Euangeliſta addit, id factum eſſe ut adimpleretur quod dictum fuerat, Ipſe infirmitates noſtras curauit, &c. Certum eſt, dictum hoc intelligi de animi morbis, hoc eſt peccatis, quæ ſanguine ſuo abluit Dominus,

dum pertulit ea, ut Petrus ſcribit, in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, iuſticiæ uiueremus, &c. Ergo corporei morbi animi morbos, hoc eſt peccata deſignauerunt. Noluit etiam Dominus Satanæ teſtimoniũ recipere: uel quia nõdum uenerat tẽpus, quo Dominus palàm omnib. eſſe uoluit, ſe eſſe Meſsiã filiũ Dei: & ſi uoluiſſet, noluit impuros ſpiritus ſuæ gloriæ præcones. uel quia periculum erat, ne ſi pondus habere cœpiſſet illorum teſtimonium in re tanta, in cæteris quoq; fidem inuenirent, in quib. mendacio fallere gauderent. Demum compeſcuit illorum clamores, ac minis additis impoſuit ſilentiũ Ieſus: quò doceret, quàm nõ oporteat eos qui ſe ſemel ſancto ſpiritui cõſecrarunt, quicquã habere cõmercij cum impuris ac impijs ſpiritibus.

CAPVT TRICESIMVMOCTAVVM.

Marci 1. Lucæ 5. Chriſti cõcio ex naui. Exi, Petrus ait, de Chriſto maxima ſentiens.

ET diluculo ualde ſurgẽs, egreſſus abijt in deſertum locum, ibiq; orabat. Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant. Et cum inueniſſent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te. Et ait illis: Eamus in proximos uicos & ciuitates, ut & ibi prædicem: ad hoc enim ueni. Facto autem die turbæ requirebant eum, & uenerunt uſq; ad ipſum, & detinebant illum, ne diſcederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo miſſus ſum. Et erat prædicans in ſynagogis Galilææ, & dæmonia eijciens. Factum eſt autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent uerbum Dei: & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth, & uidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum. Piſcatores autem deſcenderant, & lauabant retia. Aſcendens autem in unam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum reducere à terra puſillum. Et ſedens, docebat de nauicula turbas. Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia ueſtra in capturã. Et reſpondens, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in uerbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Rumpebatur autem rete eorum: & annuerunt ſocijs, qui erant in altera naui, ut uenirent, & adiuuarent eos. Et uenerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita ut penè mergerentur. Quod cum uideret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicẽs: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piſcium quam ceperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem, filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonẽ Ieſus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiẽs. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.

COMMENTARIA.

Theophylactus: Poſtquam ſanauit ægros, inquit, ſeceſsit: docens nos, ne quid ad oſtentationẽ faciamus: ſed etſi quid boni fecerimus, ſtudeamus illud occultare. Precatur autem, oſtendens Deo offerendum, ſi quid boni fecerimus: & dicendũ, quod omne bonum & glorioſum, datum optimũ, & donum perfectum, deſcendat à patre luminũ, apud quem non eſt tranſmutatio, nec uiciſsitudinis obumbratio, ut Iacobus ait. Neq; enim ipſe oratione indigebat. Cum autem quærerent ipſum turbæ, & deſiderarent: non difficilem ſe reddit, ſed approbat eorum deſiderium: ſurgit ab oratione, & ad prædicandum ſe confert. Inde colligimus, prædicationis Euangelicæ præſtantiam, neceſsitatem, & utilitatem maximam: & quòd Chriſtus cœlitus in terras uenerit, ut uerbo ueritatis orbem errorum tenebris inuolutũ illuſtraret. Ideo frequentiſsimè docuit. Et nunc quoq; docendum per omnes Eccleſias Euangelium Chriſti fideliter, ad expellendum ſatanam ex pectoribus improborum hominum. Capernaitæ ex ſtudio erga prædicationem ueritatis, cupiebant Dominũ apud ſe retinere diutius: uerùm non annuit ipſorum uotis, ſed amicè ſe excuſat, ac dicit ſe miſſum omnibus erudiendis, ſaluandiſq;. Quòd autẽ Domino Ieſu frequentiſsima turba ex omni hominum genere collecta, deſiderio audiendi uerbi iminet, & ipſum quaſi comprimit & urget: docemur, quanto cum feruore ad audiendum uerbum Dei accedere debeamus: per quod Deus reuelat nobis uoluntatem ſuam ſanctam, iuſtam & bonam, quam ſequamur in omni uita noſtra. Eſt au-

tem

tē re uera ſcriptura canonica, uerbū Dei. Quare cōciones ex uerbo Dei petitæ, pro uerbo Dei habendæ, licet proponātur per homines. Porrò Dominus ex neceſsitate loci, reiq́; occaſione nauim pro cathedra ſibi elegit, ex qua prædicaret Euangelium regni Dei. Nec dubium, quin inſignem atque egregiam orationem habuerit, de gratia Dei uidelicet, & remiſsione peccatorū, emendatione itē prioris uitæ, et ſtudio ſanctæ uitæ. Porrò peracta cōcione Euāgelica, inſigni quidē facto declarat, ſe eſſe uniuerſorū Dominum, cœli, terræ, marisq́; potentē. Ad cuius miraculi amplificationem illud pertinet, quòd rete rumpitur, quòd implent naues utraſq;, & quòd ita implent ut iam mergerentur. Erudiuntur hic admirandis certè reb. ſancti omnes, nihil unquā defuturū Euangelicæ doctrinæ ſtudioſis, & Deum amantibus. In Petro aūt apparet, quomodo oporteat ſanctos Dei affectos eſſe ad beneficia Dei, cùm temporalia, tum æterna. Petrus exhorreſcit totus ad miraculi magnitudinē, & Domini potentiā. in ſe primùm deſcendit, ut ſeſe excutiat: deinde expendit & beneficium. Ea cōſideratione perculſus, colligit ſe indignū eſſe Chriſti conſortio, et nihil in ſe eſſe quod tantū mereatur beneficiū. Ergo quod exclamat, Exi à me Domine, quia homo peccator ſum: uox eſt humiliantis ſeſe, & cōſiderantis infirmitatē et peccata, in Chriſto aūt diuinā potentiā & adorandā maieſtatē. Reſpondēs aūt Ieſus Petro, ait: Ne metuas. ego opere meo hoc mirabili, uolui uobis declarare meā potentiā. Mihi adhæretis, homini quidē uero, ſed omnipotenti quoq; Deo, cuius nutui parent cuncta: demonſtrare itē, ad quid uocarim uos. Hactenus fuiſtis piſcatores, piſciculos in lacu captantes: futurū eſt, ut relicto hoc lacu, prædicatione Euangelica homines ex toto mundo cōuertatis ad meam religionē, attrahentes illos ad meā nauē Eccleſiā, in qua & mihi inſerantur, & per me in uera fide uiuāt perpetuò. Quod Dominus locutus eſt Petro, id omnes intellexerunt & ſibi dictū eſſe. Mox itaq; ſubductis in terrā nauibus, atq; inibi relictis omnib⁹, ſecuti ſunt Ieſum, uacui ſolicitudine rerū tēporaliū, ac totis animis in hoc intenti, ut fierent piſcatores hominum.

CAPVT TRICESIMVMNONVM.

Videns autem Ieſus turbas multas circum ſe, iuſsit ire trans fretum. Et accedens unus ſcriba, ait illi: Magiſter, ſequar te quocunq; ieris. Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos. Filius aūt hominis non habet ubi caput ſuū reclinet. Alius aūt de diſcipulis eius ait illi: Domine, permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum. Ieſus aūt ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Et aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus: ipſe uerò dormiebat. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus. Et dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens imperauit uentis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porrò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic? quia uenti & mare obediunt ei. Et cum ueniſſet Ieſus trans fretum, in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo, habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſæui nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per uiam illam: unus ueſtimento non induebatur, neq; cathenis illum quiſquam potuit ligare, &c. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis & tibi, Ieſu fili Dei? Veniſti huc, ante tempus torquere nos? Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Interrogauit illum Ieſus, dicens: Quod eſt tibi nomē? At ille dixit, Legio: quia multi ſumus, &c. Erat autē non longè ab illis grex multorū porcorū paſcens. Dæmones aūt rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis, Ite. At illi exeuntes, abierunt in porcos. & ecce magno impetu abit totus grex, præceps in mare, & mortui ſunt in aquis. Paſtores autem fugerunt: & uenientes in ciuitatē nunciauerūt hæc omnia, & de ijs qui dæmonia habuerant. Et ecce tota ciuitas exijt obuiā Ieſu. Et uiſo eo rogabant eum, ut tranſiret à finibus eorum. Cum'que aſcenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio uexatus fuerat, ut eſſet cum illo. & non admiſit eum, ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis, quanta fecerit tibi Dominus, & miſertus ſit tui. Et abijt, & cœpit prædicare Decapoli, quanta ſibi feciſſet Ieſus: & omnes mirabantur.

Matth. 8. Scriba non ſincerus petit fieri diſcipulus Ieſu. Glandiuorax in mare porcus abit. Marci 4. Lucæ 8. Lucas. Vbi eſt fides ueſtra? Marcus. Marcus. Marcus.

Animus ſcribæ iſtius non fuit ſyncerus. Cum enim uideret, Chriſtum magna apud uniuerſam plebem authoritate pollere, ac uirtutes edere ſtupendas, laborabat ut eum ſequi poſſet, ſperans ex Chriſti conſortio fieri poſſe, ut magnam gloriam ac quæſtum ſibi cōpararet. At Dominus, cordiū ſcrutator, improbum hominis inſtitutum ſubodorans, ad animum, nō ad uerba quæ ſatis erant religioſa reſpondet, ac inquit: Scio, ad quid ueneris aſtutiſſime. Cupis tibi ex mea profeſſione opes atque gloriam parare: erras tu, pauper ſum, & contemptum rerum humanarum doceo. & hac quidem parte longè præſtabilior eſt animaliū quorundam conditio, cum habeant ſuas cauernas, quibus abdant ſeſe, & nidulos, atque umbracula ſua in quibus conquieſcant: ego uerò non habeo, ubi caput reclinem. Hoc locutionis genere omnium rerum penuriam, & extremam tenuitatem notauit. Filium autem hominis appellat ſe Dominus perfrequenter in Euangelio. Ita enim ſignificat, ſe eſſe uerum ex homine natum hominem ſecundum carnem: ac exprimit, neceſſe eſſe ut omnes miſerias humanas, peccato excepto, communes habeat nobiſcum. Cum autem alius diſcipulus audiſſet, quæ Scribæ obiecerat Dominus, de inopia & paupertate: humani aliquid paſſus, quærit anſam elabendi à diſciplina Domini. prætexit ergo pietatem in parentes, ac dicit: Permitte mihi quæſo Domine, ut priuſquam me tuo inſtituto conſecrem totus & prorſus, abeam ad patrem meum, illiq́; in ſenectutem proſpiciam, eumq́; iuſtè ſepeliam. Hic quidem affectus neque prauus fuit, neque damnandus. Quæſiuit enim alijs prodeſſe, & non rebus ſuis conſulere, quemadmodum ille ſcriba. Quare etiam non repellitur, ſed attrahitur à Domino. Eſt autem iucunda alteratio, in ſignificatione uocabuli Mortuus. Initiò enim mortuos uocat, mundo quidem uiuentes, ſed Deo & pietati uerè mortuos: quales ſunt omnes increduli, impij, & impuri homines. Mox mortuos appellat, morte extinctos temporaria. Sicq́; non inhibuit pietatem parentibus præſtandam, ſed quod præſtabilius docuit ac uoluit Dominus (inquit Chryſoſtomus) non quia deſpiciendi ſint parentes, abire uetuit diſcipulum: ſed quia diſcere nos hinc uoluit, nihil eſſe utilius, magiſq́; neceſſarium nobis doctrina cœleſti, quæ tanto ſtudio obeunda eſt, ut etſi magna ſint quæ abire urgeant, incumbere tamen omni diligentia, atque inuigilare debeamus. Ergo potiſſima ratio habenda, quomodo uiuamus coram Domino, & ne unquam æterna morte extinguamur. Videtur autem hic diſcipulus non fuiſſe unus ex duodecim, ſed alius quiſpiam auditor Chriſti, & qui ſe dedicarat doctrinæ Chriſtianæ. Ab initio enim prædicationis Chriſti, non duodecim duntaxat Apoſtoli dicti ſunt diſcipuli, ſed omnes auditores Euangelij, & ſtudioſi nominis Chriſti, à quo ceu à præceptoris imperio pendebāt. Porrò, ut Chriſtum ipſum filium Dei plenius ac perfectius cognoſcamus, alia multa et egregia Chriſti Domini miracula ſiue beneficia deſcribuntur: inter quæ primum locum obtinet ſæuiſſimæ tempeſtatis diſcuſſio, qua diſcipulos à naufragio & præſentiſſima morte liberauit. Deſcribitur autem maxima tempeſtas orta, aquarum undique ſeſe in altum extollentium, procellarum magno cum fragore ſe inuicem collidentium, ita ut iam nauis ferè operiretur fluctibus. Et Chriſtus dormiebat. O` res mirabilis & ſtupenda: inquit Origenes, is qui nunquam obdormit, dormit. Dormiebat quidem corpore, ſed uigilabat diuinitate. Hac tempeſtate autem non tam diſcipulos in timorem mittere uoluit Dominus, ut ſuum auxilium, tanquam eius in quo unica & extrema uitæ ac ſalutis ſpes eſt, poſtularent: quàm ſignificare, ſemper exorituras in Eccleſia tempeſtates, & pericula grauiſſima: ſed illam habere in puppi dormientem quidem, & diſſimulantem ſe noſtra noſſe diſcrimina Dominum, uerùm in hunc finem, quò ipſius auxilium intenſius conſtantiuſq́; inuocemus. In tanto autem turbine, tantiſq́; periculis diſcipuli ad uerum illum Saluatorem cōfugiunt, altum iam ſomnum dormientem, cum nullum uiderent conſilium, quo rebus conſulerent afflictis. Ipſo hoc facto docentes nos, unde petendum ſit auxilium in his tempeſtatibus quas Eccleſia patitur, ubi eam obruunt tentationum et perſecutionum procellæ, non aliunde quidem quàm ab ipſo Chriſto. Erant autem illi modicæ fidei. quare hanc ipſam exiguitatem culpat Dominus in hoc, ut doceat in periculis non oportere in fide uacillare, ſed conſtanter de optimo Saluatoris auxilio ſperare. Ait autem ad eos: Vos, tot conſpectis miraculis, auditaq́; doctrina mea, non oportebat ulla re terreri, quaſi uos uſquam deſtituat auxilium Dei, ſi modo uos non defecerit fiducia, quam nondum in uobis tantam uideo, quantam oportet eſſe. Sic admonitus diſcipulis ſuis Ie-

ſus

ſus ſurrexit. Et ut oſtenderet, ſeſe elementorum omniũ Dominũ, imperauit uentis & mari, continuoq; tempeſtas illa conquieuit, & ſecuta eſt mira tranquillitas: quo magis eſſet perſpicuum, hæc nõ geri uiribus humanis, ſed uirtute diuina. Cæterum quòd homines hoc uidentes mirati ſunt: S. Hieronymus exiſtimat, non diſcipulos, ſed nautas cæterosq; qui in naui fuerunt, fuiſſe. Si autem quis contentioſe (inquit) uoluerit, eos qui mirabantur, fuiſſe diſcipulos: reſpondebimus, rectè homines appellatos, qui necdum nouerant potentiam ac maieſtatem Saluatoris. Habeãt ergo gentiles ſuos deos, uel Aeolum, uel Neptunũ: quem nos colimus, præcepit illis, atq; hi protinus obediunt ei. Proinde Deus Chriſtianorum, omnium deorum Deus eſt, omnipotens, maximus, & æternus. Quapropter in hunc unum ac ſolum reſpicere debemus, huic omnem gloriam tribuere, & pro beneficijs maximas agere gratias. De dæmoniacis autem illis quærit D. Chryſoſtomus, cur nam in ſepulchris, & non potius alijs in locis ſint uerſati. Et reſpondet: Quia uidelicet pernicioſam opinionem ingerere hominibus conantur, quòd hominum qui abierunt animæ, dæmones fiant, quod etiam à cogitatione noſtra procul abſit. Nam ſi eſt in corporibus impoßibile, ut unquam hominis corpus in aſini corpus tranſmutetur: quanto minus inuiſibilem animam in ſubſtantiam dæmonis transformare poßibile eſt? Quare uetularũ hæc uerba temulentarũ ducẽda ſunt, & puerorũ terriculamenta. Nec enim poteſt anima à corpore ſeparata, in his regionibus errare. Iuſtorum enim animæ in manu Dei ſunt. Nam et Stephanus ait: Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritũ meũ: Actorum 7. Quòd uerò nec peccatorum animæ hic commorari poßint, diuitem illum audias, qui enixè eã rem petit, nihil tamẽ impetrat. Quòd ſi poſſent animæ hominum hic conuerſari, ueniſſet ipſe ut cupiebat, & ſuos de tormentis inferni feciſſet certiores: Lucæ 16. Quo ex loco ſcripturæ etiam illud patet apertè, quòd poſt exitum à corpore in locum quendam certum animæ deducuntur, unde redire ſponte ſua non poſſunt, ſed terribilem illum iudicij diem ibi expectant. Hactenus ille. Quòd autem uociferati ſunt dæmones, ſe torqueri: in hoc planè oſtenderunt, ſe longè fortiorem adeſſe. dolent itaq;, ac ſuam ſortem accuſant. Cum tentaret in monte Dominum Satanas, Matth. 4. ſpirabat neſcio quid magni: iam uerò prodit ſuam impotentiam, & fatetur ſe torqueri Domini præſentia, imò acerbiora ſibi ſentiens parata ſupplicia, dilationem optat. Miſerè metuebant dæmones illi, iam inſtare diem illum, quo omnes mali ſpiritus in profunda tartari ſunt ablegandi. Confitentur quoque Chriſtum eſſe filium Dei. ſuſpicabantur enim, inquit Hieronymus, eum filium Dei eſſe. Quia uerò extorta, non ex animo pio proficiſcens eſt confeßio, ipſis nihil prodeſt, nec recipitur à Chriſto. Quales uerò ſint dæmones, iam apparet, quòd non petunt à Domino uel ueniam, uel gratiam, ſed fœdum & immundum domicilium, ut ſcilicet in gregem porcorum liceat demigrare. Hoc ipſum quoque arguit, quàm nihil ex ſe poteſtatis habeant in quenquam. Quicquid habent, permittitur illis iuſto Dei iudicio. Maximoperè ergo curandum, ut Deum habeamus amicum & protectorem. Præterea ſolet diſputari de hoc Chriſti facto: iure'ne factum ſit, an iniuria. Certè in dictis & factis Domini nihil eſt erroris, nihil iniuriarum. Non eſt enim iniquitas apud Deum. Solus iuſtus, ſolus bonus: imò ipſa iuſticia, ipſa bonitas eſt. Et maius quidem beneficium præſtitit Geraſenis, quàm intulerit damnum. Cum enim eſſent ſupra modum ſæui dæmones ſeu dæmoniaci, ità ut prorſus intuta eſſent itinera, & metus grauiſſimus uexaret omnes iſtius regionis homines: ab hoc ſimul & alijs incommoditatibus liberauit ipſos Saluator. Præterea docuit hoc facto, unius & alterius hominis uitam ac ſalutem pluris eſſe faciendam, quàm omnem huius ſeculi ſubſtantiam. Cæterùm quòd Geraſeni rogant Dominum, quò à finibus ipſorum abſcedat: Theophylactus exiſtimat, præ triſticia affectos illos feciſſe, ac exiſtimaſſe, ſe grauius quiddam paſſuros. D. uerò Hieronymus ſic territos autumat eos, quemadmodum S. Petrus timuiſſe legitur, ac dixiſſe: Exi à me Domine, quia peccator ſum: ex humilitate nimirum, qua ſe præſentia Domini indignos iudicabant. Vtcunq; autem, Dominus acquieuit eorum petitioni.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Matth. 9. Marci 2. Lucæ 5.

Curantur uarij morbi, dicitq; Ieſus: Languide tolle thorum.

ET aſcendẽs in nauiculam Ieſus transfretauit, & uenit in ciuitatem ſuam Capernaum. Factum eſt autem una dierum, & ipſe ſedebat docens. & auditum eſt quòd in domo eſſet, & conuenerunt multi, ità ut non caperet neque ad ianuam, & loquebatur eis uerbum. Et erant phariſæi ſedentes, & le-

giſ doctores, qui uenerant ex omni caſtello Galilææ, & Iudææ, & Hieruſalem. Et uirtus Domini erat ad ſanandum eos. Et ecce offerebant paralyticũ iacentem in lecto, qui à quatuor portabatur. Et quærebãt eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes qua parte eum inferrent præ turba, aſcenderunt ſuper tectum, nudauerunt tectum, ubi erat: & patefacientes, ſubmiſerunt eum in lecto, in medium ante Ieſum. Videns autem Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Fili, homo confide, remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare ſcribæ & Phariſæi, dicentes intra ſe: Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Vt autem cognouit Ieſus in ſpiritu, in ſpiritu ſancto, cogitationes eorum, reſpondens dixit ad illos: Vt quid cogitatis mala in cordibus ueſtris? Quid eſt facilius, dicere paralytico, Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere, Surge, tolle grabbatum tuum, & ambula? Vt autem ſciatis, quoniam filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Et confeſtim coram illis ſurgens, tulit lectum ſuum in quo iacebat, & abijt in domum ſuam. Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum, & glorificauerunt, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Et repleti ſunt timore magno, dicentes: Quia uidimus mirabilia, & nunquam ſic uidimus.

COMMENTARIA.

Iam oſtendit Chriſtus, ſe uerum eſſe Dei filium, qui credentibus in ſe peccata remittit, cum remittere peccata ſit ſolius Dei. Venit autem Ieſus in ciuitatem ſuam, hoc eſt Capernaum. Dicta fuit ea ciuitas Chriſti, iuxta Theophylactum, quòd in ea frequentius habitaret. Magnam autem hic uidemus tam ſpem quàm fiduciam, non ſolum paralytici, uerumetiam portatorum, de potentia atque bonitate Chriſti conceptam. Quali equidem fide firma & conſtanti præditus ſit oportet, qui cupit aliquid impetrare à Domino Ieſu. Hanc fidem eorũ ut uidit Chriſtus, iubet illum bono animo eſſe, eumq; filium appellat. O mira humilitas, inquit Hieronymus: deſpectum & debilem, totiſq; membrorum compagibus diſſolutum, filium uocat: quem Sacerdotes non dignabantur attingere. Declarans autem, quòd paralyſis ex peccatis eſſet, primũ peccatũ ſoluit. Et uidentur hæc Domini uerba ad paralyticũ dicta innuere, q. hic ſuã ſortẽ, peccatũ & miſeriam, effuſis precibus ac querelis ad Dominum, deplorarit. Porrò uocabulũ remiſſionis peccatorum ſignificat, condonationẽ eſſe liberã & gratuitam: metaphora deducta à debitoribus, quibus tum debitum remittimus gratuitò, cum alioqui nõ ſunt ſoluẽdo. Et huius rei ueſtigia inuenire ac cernere licet Matth. 18. Lucæ 7. ac Rom. 4. Cæterùm quia ſcribæ legebant in Propheta, Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me, atq; ſolum hominẽ putabãt Ieſum, & uerba Dei nõ intelligebãt: arguũt cõſequenter eum blaſphemiæ. Eſt autem blaſphemare, Auguſtino teſte, quãdo aliquis attribuit Deo, quod ei nõ cõuenit: uel de eo negatur uel detrahitur, quod ei cõuenit. Quã blaſphemiam cum falſò atq; impiè Chriſto impingerent Scribæ, audiuerũt: Solius ſanè Dei eſt, corda hominum et renes ſcrutari, ut ipſi noſtis ex Pſal. 7. Hiere. 17. Ego aũt cognoſco mala quæ cogitatis in cordibus ueſtris. Eadẽ itaq; maieſtate et potentia, qua cogitationes ueſtras intueor, poſſum & hominibus peccata dimittere. Videor uobis id mihi uſurpaſſe, quod ſolius Dei eſt. Iam itaq; ut uobis manifeſtiſſimè demonſtrem, mihi eſſe poteſtatem remittendi peccata, quamuis humanam aſſumpſerim naturam: ſanabo paralyticum hunc, & ita uerè ei remiſſa eſſe peccata probabo. Ita murmur ſcribarum præbet Domino occaſionem confirmandi id quod in hac hiſtoria primum eſt ac potiſſimum: nempe ſe remittere peccata credentibus. Conuerſus igitur ad paralyticum, dixit: Surge, tolle lectũ tuum, & ambula. Vtrum ſint paralytico peccata dimiſſa, ſolus nouerat qui dimittebat. Surge autem, & ambula, tam ille qui conſurgebat, quàm hi qui conſurgentem uidebant, approbare poterant. Fit igitur, ut D. Hieronymus ait, carnale ſignum, ut probetur ſpirituale: quanquam eiuſdem uirtutis ſit, & corporis & animæ uitia dimittere. Habemus hic irrefragabilia argumenta, Chriſtum uerum & ſubſtantialem Deũ eſſe. Primũ eſt, quod nouit cogitationes hominum reconditas: ſecundum uerò, quòd hominibus remittit peccata. Et datur nobis intelligen-

tia, propter peccata pleraſq; euenire corporũ debilitates. Et idcirco prius dimittuntur peccata, ut cauſis ablatis ſanitas reſtituatur. Proponitur demum exemplum uulgi imitãdum, nempè ut etiam nos glorificemus Deum, & gratias ei agamus pro præſtitis nobis beneficijs. Notatur quoq; uulgi craſsities, quòd nondum ex tantis uirtutibus intelligere uoluit, Chriſtũ uerũ eſſe Deum. Chriſtum igitur mirabantur ut hominẽ diuina præditum uirtute. Nos uerò agnoſcere debemus Chriſtum ut uerum filium Dei, pro nobis incarnatũ, crucifixum, mortuum & reſuſcitatum, ut ipſius ſanguine purgaremur à peccatis noſtris, & per ipſius mortẽ uiueremus: pro quibus, ſi certè pij ſumus, agimus perpetuas gratias, & glorificamus ſemper Saluatorem noſtrum.

CAPVT QVADRAGESIMVMPRIMVM.

ET poſt hæc egreſſus eſt rurſus ad mare, omniſq; turba ueniebat ad eum, ac docebat eos. Et præteriens Ieſus illinc, uidit hominem publicanum, nomine Leui, Alphæi filium Matthæum, ſedentem in telonio. Et ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum. Fecit autem ei conuiuium magnũ Leui in domo ſua. Et factum eſt, diſcumbente eo in domo ſua, ecce multi publicani & peccatores uenientes, diſcumbebant cum Ieſu & diſcipulis eius. Erant enim multi qui ſequebantur eum. Et uidentes phariſæi & ſcribæ, quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, murmurabant, dicentes ad diſcipulos eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magiſter ueſter? & uos manducatis & bibitis? Et reſpondens Ieſus, ait illis: Non egent qui ſani ſunt, medico, ſed qui malè habent. Euntes autem diſcite quid eſt: Quia miſericordiam uolo, & non ſacrificium. Non enim ueni uocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Et erant diſcipuli Ioannis & phariſæi ieiunantes, & ueniunt, & dicunt ei: Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, & precationes faciunt, ſimiliter & phariſæorum: tui uerò diſcipuli non ieiunant, ſed edunt & bibunt? Et dixit illis Ieſus: Nunquid poſſunt filij ſponſi & nuptiarum, quamdiu cum illis ſponſus eſt, ieiunare & lugere? Quanto tempore ſecum habent ſponſum, non poſſunt ieiunare. Venient autem dies, quando auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt in diebus illis. Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos: Nemo immittit cõmiſſuram panni rudis in ueſtimentum uetus: tollit enim plenitudinem eius à ueſtimento, & peior ſciſſura fit. Neq; mittunt uinum nouũ in utres ueteres: alioquin rumpuntur utres, & uinum effunditur, & utres pereunt: ſed uinum nouum in utres nouos mittunt, & ambo conſeruantur. Et nemo qui biberit uetus, ſtatim uult nouum: dicit enim, uetus melius eſt.

Matth. 9.
Ad Apoſtolatum uocat Matthæum publicanum, uindicatq; à calumnia ſuos diſcipulos.

COMMENTARIA.

Nouo exemplo docemur hic, Chriſtum Dominũ remittere peccata obſequentibus, ſiue credentibus. Quia ex mera gratia tantum ad ſe uocat Chriſtus peccatorem Matthæũ. Conſiderandum autem in hoc, qualis fuerit ille. Nulla equidẽ erant in homine merita, quibus prouocata Domini iuſticia optimè meritum uocaret ad gloriæ participatũ. Peccator erat, nec uulgaris: ſed inſignis, Telones ſcilicet. Erãt enim ex Iudæis quoq; auariſsimi, qui à Romanorũ magiſtratib. redimebant uectigalia, quò liberius liceret miſerã excoriare plebeculam, ac ingentes colligere theſauros. Vocatur igitur improbus impoſtor, & uſurarius inſignis. cui illud quoq; accedit, quòd ipſum reperit Domin⁹ ſcelere quoq; implicatũ. quod Matthæus minimè diſsimulat, ſed ſimpliciter ſimplicẽ ueritatẽ exponit, docens nos ingenuè confiteri peccata admiſſa: utq; oſtẽdat, Hieronymo docẽte, legẽtibus, nullũ debere ſalutẽ deſperare, ſi ad meliora cõuerſus ſit. Ait aũt Dominus ei, Sequere me: hoc eſt, relinque hanc ipſam impietatẽ, in qua hæres: Mihi, inquã, adhæreto, ut quod ego iubeo facias, & totũ ad me exemplũ cõponas. Atq; is cõtinuò ſurgẽs, ſecutus eſt Chriſtũ. Hoc certè effecit occulta potẽtia et uirtus Domini, cor ipſius interius tangendo. D. Hieronymus aũt exiſtimat, in uultu Chriſti reſplenduiſſe quandam maieſtatem, qua hominum animos commouerit. ita enim ſcribit ille: Certè fulgor ipſe, & maieſtas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex

primo ad ſe uidentes trahere poterat aſpectu. Si enim in magnete lapide & ſuccinis hæc eſſe uis dicitur, ut anulos & ſtipulas & feſtucas ſibi copulent: quanto magis Dominus omnium creaturarũ ad ſe trahere poterat, quos uolebat? Vocantur hodie pari modo ac ratione omnes, quotquot cõcedunt in diſciplinam Euangelicam. Foris enim prædicatur uerbum, ac uocatio Dei omnes ad uitam æternam exhortans: in animo uerò operatur ſpiritus potentia, qua commouentur corda ad fidem. Credidit autem uocãti Chriſto Matthæus, & ideo reliquit turpia, honeſta autem & ſancta complexus eſt. Tanta, tamq; mirifica uirtus Dei eſt, erga peccatores quos in gratiã recipit, ipſisq; peccata remittit. Quòd autem Dominus in ædes Matthæi concedit, quòd accumbit, & cum ipſo conuiuatur familiariſsimè, atq; cum alijs publicanis & peccatoribus: hoc indicat facto, ſe cum peccatore illo prorſus rediſſe in gratiam: & ſi fortè alios poſſet à fœdis ſuis abſtrahere ſtudijs. Neq; enim fuit helluo Chriſtus. Hoc non intelligentes phariſæi, tanquam impium calumniãtur. Non intelligentes gratiam Dei, ſiniſtrè de rebus diuinis iudicant, et ſeſe iuſtiſsimos eſſe arbitrantur. Chriſtus uerò defendit & ſuum & Matthæi factum, demonſtrans manifeſtiſsimè, gratiã Dei pertinere ad omnes peccatores reſipiſcentes, quando dicit: Miramini phariſæi, quòd peccatoribus me intermiſceam, ac his me præbeam familiarem. Sed ubi quæſo ageret medicus, niſi inter ægrotos? Vituperandus magis uidetur medicus, qui ægrotantium fugit commercia. Ego uerò in has terras medicus animarum à patre meo miſſus ſum, ut ſcilicet peccatorũ morbis medear. ergo nihil pecco cum eis accumbẽs, ſed facio ex officio, quod ſummo Deo placet. Verùm ne hanc argumentationem ceu infirmam, & nullis ſcripturis ſuffultam irriderent, ſubiungit propheticum teſtimonium, quo eos ut imperitos arguit atq; ſuggillat. Ite, inquit, & diſcite, priuſquam doceatis, quòd Deus maioris facit miſericordiam in peccatores, quàm ſacrificiũ. Feci ergo opus multò præclarius, quia gratiam et miſericordiam exhibui miſeris, afflictis, & peccatoribus, quàm ſi ſacrificaſſem: qui ſupremus uobis uidetur eſſe cultus. Quòd autem dicit, Non ueni uocare iuſtos: ironicè dictum putat Theophylactus, tanquam dixiſſet: Vos, qui iuſtificatis uoſmetipſos, non ueni uocare. Phariſæi enim, quoniã ſe credebant abſolutos eſſe, & ſeſe uenditabant pro iuſtis, non putabant ſibi ulla Domini gratia quicquam ad ſuam illam perfectionẽ addi poſſe. ergo Domini miſericordiam non implorabant. Huiuſmodi ergo iuſtos non uenit uocare Dominus: non quòd ipſe, quantum ſcilicet in ipſo eſt, repellat quenquam, ſed quòd tales iuſti ſua ſponte recedant à Chriſto, cuius gratia ſibi minimè opus fore exiſtimant. Hinc etiam addit: Veni autẽ, ut uocem peccatores ad pœnitentiam, eos inquã qui de propria diffiſi iuſticia, ſentiũt ſe corruptos & peccatores, atq; ideo gratia & miſericordia Dei opus eſſe. Ponit autem hic pœnitentiam pro toto Euangelij myſterio, quod fide in Chriſtum et mutatione morum abſoluitur. Venit ergo Chriſtus, ut peccatoribus per fidem ſuo merito ac gratis remittat peccata. Deinde uerò eoſdem per ſpiritus ſui uirtutẽ, ſtudio innocentiæ, charitatis, & ſanctimoniæ conſecret. Obſeruent hæc, qui putant ſe prædicatione Euangelij non ad pœnitentiam uocari, ſed licentiam. Obſeruent deniq; hæc uerba cuncti cultores & amici Chriſti. Porrò quòd diſcipuli Ioannis quærunt de ieiunio, occaſionem quærendi acceperunt ex eo, quòd Dominus cum diſcipulis ſuis frequentius inuitatus conuiuijs intereſſet, & iam rediret ex ædibus Matthæi, in quibus medius inter publicanos & peccatores accubuerat. Ioãnes quidem baptiſta idem doctrinæ genus ſuĩs tradidit quod Chriſtus, nec quicquam fuit diſcriminis inter utriuſq; religionẽ, niſi quòd illius ſeuerior erat uitæ conuerſatio quàm huius. Adhæſit autem Ioanni magna diſcipulorum turba. Verùm hos omnes à ſe ad Chriſtum ablegauit, & qui ſanioris erant iudicij & purioris religionis ad Chriſtum concedebant: qui uerò pluris faciebant externam ſanctimoniæ ſpeciem, phariſæis ſeſe iungebant, ſectantes ſeuerum quoddam uitæ genus, ceu ab Ioanne traditũ. Atq; hi adoriuntur hic Dominum, ac quæſtionem obijciunt. Superba, inquit Hieronymus, iſta eorum eſt interrogatio, & plena ſupercilio phariſæorum. Certè, ut alia non dicamus, reprehendenda ieiunij iactantia. Nec poterant diſcipuli Ioannis non eſſe ſub uicio, qui calumniabantur eum quem ſciebant Magiſtri uocibus prædicatum, & iungebantur Phariſæis, quos à Ioanne nouerant condemnatos. Reſpondet itaq; Dominus illis, dicens: Noviſtis, quod nam præceptor ueſter de me tulerit teſtimonium, me uidelicet ſanctæ Eccleſiæ unicũ ac uerũ ſponſum eſſe. meritò igitur ipſa in me modò tanquam ſummo bono gaudet & lætatur. Præſens tempus, tempus gaudij eſt, quamdiu cum diſcipulis ſum: quemadmodũ apud nullam gentem receptũ eſt, ut qſquã triſtetur, ac ieiunio ſe maceret in nuptijs. Cũ ego paſſus fuero, et aſſumptꝰ in cœlũ, filij thalami, hoc eſt diſcipuli mei, ieiunabunt,

ſane

fame & ſiti perſecutionem patientes. Ieiunaſſe autem Apoſtolos frequentius, uel ipſa eorum acta teſtantur. Quamprimùm ergo nos ſentimus frigere fidem, opprimi ſpiritum, & inſoleſcere carnem: certè opus erit abſtinentia, ieiunijs, & ardentibus precibus. Ita ſanè ieiunia atq; caſtigatio corporis, exercitia ſunt pietatis. Cæterùm obiter & per occaſionem oſtendit Dominus, qui capaces ac idonei ſint auditores negocij ac prædicationis Euangelicæ. Facit autem hoc per ſimilitudines à re ſarctoria uinariaq; petitas: Nondum, inquit, facti ſunt diſcipuli fortes, ſed opus habent indulgentia: neq; grauis moles illis imponenda mandatorum. Aut iuxtà Hieronymum ita dixit eis: Donec renatus quis fuerit, & ueteri homine depoſito per paſſionem meam nouum hominem induerit, non poteſt ſeueriora ieiunij & continentiæ ſuſtinere præcepta, ne per auſteritatem nimiam, etiam credulitatem quam nunc habere uidetur, amittat.

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

Matthæi 9. Mulier fluxu ſanguinis laborans curatur: Iayri filia reſurgit, ſanatq; Ieſus duorum lumina cæca. Deinde uerò loquitur mutus. Marci 5. Lucæ 8.

HAec eo loquente, ecce princeps unus de archiſynagogis, nomine Iayrus, ueniens adorabat eum, procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multùm, dicens: Filia mea modò defuncta eſt: ſed ueni, impone manum tuam ſuper eam, ut ſalua ſit, & uiuat. Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius, & turba multa. Et ecce mulier, quæ fluxum ſanguinis paſſa erat duodecim annis, & multa perpeſſa cum medicis pluribus, & erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec quicquam profecerat, nec ab ullo potuit curari, ſed magis deterius habebat, cum audiſſet de Ieſu, uenit in turba retrò, & tetigit fimbriam ueſtimenti eius. Dicebat autem intra ſe: Si tetigero tantum ueſtimentum eius, ſalua ero. Et confeſtim ſtetit fluxus, & ſenſit corpore quia ſanata eſſet à plaga. Et Ieſus ſtatim agnoſcens uirtutem quæ exierat de ipſo, conuerſus ad turbam, ait: Quis me & ueſtimenta mea tetigit? Negantibus autem omnibus, Petrus & qui cum illo erant, dixerunt: Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt: & tu dicis, Quis me tetigit? Dixit Ieſus: Aliquis me tetigit: nam & ego noui uirtutem de me exiſſe. Et circumſpiciebat, uidere eam quæ hoc feciſſet. Videns autem mulier, quia non latuit eum, tremens, & ſciens quod factum eſſet in ſe, uenit & procidit ante pedes eius: & ob quam cauſam tegiſſet eum, indicauit coram omni populo, & quemadmodum confeſtim ſanata ſit. At Ieſus conuerſus, & uidens eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit: uade in pace. Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora. Adhuc eo loquente, uenerunt nuncij ad archiſynagogum, dicentes: Quia filia tua mortua eſt, quid ultrà uexas magiſtrum? Ieſus autem reſpondit patri puellæ: Noli timere, tantummodo crede, & ſalua erit. Et cum ueniſſet Ieſus in domum principis, non admiſit quenquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius. Et ut uidit flentes & eiulantes multùm, & tibicines, dixit illis: Nolite flere, quid turbamini & ploratis? recedite, non eſt mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum, ſcientes quòd mortua eſſet. Ipſe uerò eiectis turbis, aſſumit patrem & matrem puellæ. Et ingreſſus ubi puella iacebat, apprehendit manum eius, & clamauit: Tabitha cumi. hoc eſt, puella tibi dico, ſurge. Et reuerſus eſt ſpiritus eius, & ſurrexit continuò, & ambulabat. & iuſsit ei dare manducare, & obſtupuerunt ſtupore magno parentes eius. Et exijt fama hæc in uniuerſam terram. Et diſcedente illinc Ieſu, ſecuti ſunt eum duo cæci clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri fili Dauid. Cum autem ueniſſent in domum, acceſſerunt ad eum cæci, & dixit eis Ieſus: Creditis quòd poſſum hoc facere uobis? Dicunt ei: Vtiq; Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem ueſtram fiat uobis. Et aperti ſunt oculi eorum. Et comminatus eſt eis Ieſus, dicens: Videte ne quis ſciat. Illi autem exeuntes, diffamauerunt illum per totam terram illam. Egreſsis autem illis, ecce obtulerunt

tulerunt illi hominem mutum, habentem dæmonium: & eiecto dęmonio, locutus eſt mutus. Et miratæ ſunt turbæ, dicentes: Nunquam apparuit ſic in Iſrael. Phariſæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et circumibat Ieſus ciuitates omnes, & uicos, docens in ſynagogis illorum, & prædicans Euangelium regni, & ſanans omnem morbum, & omnem languorem in populo.

COMMENTARIA.

Octauum ſignum eſt, ait D. Hieronymus, in quo princeps Iayrus ſuſcitari poſtulat filiam ſuam, nolens de myſterio ueræ circumciſionis excludi. Indicat autem hiſtoria hæc, Dominum Ieſum dominum eſſe uitæ & mortis: qui uidelicet mortem, ſicut Apoſtolus ait, aboleuit, uitam autẽ in lucem produxit, ac immortalitatem per Euangelium, idq; omnibus in ſe credentibus. Videtur uerò Iayrus ille fidem habuiſſe, quamuis non magnam. Obſecrat enim Ieſum, non ut ſolùm uerbum dicat: ſed ut ueniat, & manum imponat. Defunctam autem dicit eſſe filiam, ut coniectans, eo quòd reliquerat eam iam extremum exhalantem ſpiritum: uel ut augens malum, quò ad miſericordiam prouocaret Chriſtum. Cæterùm mulier quædam in tranſitu accedit. Et accedens tangebat fimbriam ueſtimenti eius, bona ſpe & certa fide, quòd ſi tantum contingeret, ſaluaretur. Quæ autem aut qualis fuerit illa, non admodum conſtat. Euſebius ſcribit eam Cæſareæ urbis ciuem fuiſſe, commemoratq; hiſtoria dignum, quòd ſtatuam Domino fecerit, ad cuius pedes naſcatur herba quædam noua ſpecie, uires ad depellendos omnes morbos languoresq; conquirens: libro 7. cap. 14. Verùm ſicut hiſtoria paralytici, ita hæc quoq; fluxu ſanguinis laborantis fœminæ docet, nihil tam eſſe deſperatum ac deploratum, quod non poſſit Chriſti uirtus curare. Quòd ergo apud Marcum & Lucam circumſtantiæ paulo copioſius attinguntur, nempè quòd opes omnes & omnem ſuam ſubſtantiam erogauit in medicos, nec tamen quicquam interim ſenſit auxilij, imò grauius laborauit: facit ad ornandam amplificandamq; Chriſti Domini uirtutem & gloriam. In primis autem depingitur memorabilis & inſignis huius mulieris fides. Tantam ſibi perſuaſionem ex operibus beneficijsq; Chriſti, tam auditis quàm uiſis, per ſpiritum Dei parârat, ut iam planè nihil dubitaret, umbram uirtutis Chriſti omnibus medicamentis longè efficaciorem eſſe. Dixerat enim intra ſe: Si tantum tetigero ueſtimentum eius, ſalua ero. Videns autem quòd non latuiſſet Chriſtum, & ſciens quod factum eſſet in ſe, timens ac tremens uenit, dixitq; ei omnem ueritatem coram toto populo, ob quam cauſam ſcilicet tetigiſſet eum, & quemadmodum confeſtim ſanata eſſet. Quòd autem rogauit Dominus, & prodidit eam: non ut neſcius harum rerum, & amans gloriæ fecit, ait Theophylactus: ſed ut fidem illius declararet ad noſtram utilitatem, & ut archiſynagogo cæteriſq; Iudæis plenæ fidei exemplum ſtatueret ob oculos. Confide autem dicit ei, & filiam uocat, ut fidelem oſtendat: item quòd niſi habuiſſet fidem, neutiquam recepiſſet beneficium, quamuis ſanctas contigiſſet ueſtes. Porrò priuſquam perueniſſet Dominus ad ædes archiſynagogi, adeſt nuncius patri dicens, Mortua eſt filia tua: unde non eſt quòd amplius uexes Dominum ſeu magiſtrum. Sentiebant enim de Chriſto ut peritiſſimo medico, ac homine quodam diuino. Quòd uerò Dominus dicit, Non mortua eſt puella, ſed dormit: id quidem propter conſequentem mox reſuſcitationem dicit, & quòd apud ſe mors ſomnus eſſet. Hac quidem ratione mors omnium ſanctorum dicitur ſomnus: & Scriptura eos dormire ait, qui mortui ſunt. Nam corpora mox ad iudicij diem excitabuntur, & animæ nunc uiuunt apud Deum. Cæterùm quòd deriſerunt eum, ne mireris. nam teſtimonium dant amplius miraculo, quòd uerè mortuam ſuſcitarit. Ne quis enim diceret, quòd in exceſſu quodam eſſet, idcirco in confeſſo erat apud omnes eius mors. Et quia increduli erant, nihil egit Dominus, niſi prius eiectis illis, ut indignis qui uiderent mirifica Domini opera. Quòd autem ſimul cum dicto ſurrexit puella: probauit Chriſtus, ſe & uitæ & mortis Dominum eſſe, ut nemo in ipſum uerè credens poſthac mortem metuat: imò cogitet, fideles è morte in uitam perennem tranſponendos, dicente Chriſto: Ego ſum reſurrectio, & uita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternũ. Hæc porrò ſtupenda miracula ubiq; inclareſcebant. quapropter duo cæci, qui rumorẽ miraculorũ acceperãt atq; ex eo conceperant ſpem adipiſcendæ ſanitatis, præſertim cum audiſſent, illius beneficentiam nulli non patère quantumuis humili, ſecuti ſunt Chriſtum Dominum, cum iam relictis archiſynagogi

ædibus

ædibus domum ſuam repeteret. Ingenti igitur clamore, quem ſanitatis amor & ardor fiduciæ exprimebat, procul appellant Ieſum, eumq́; nominant filium Dauid. Celebre enim erat apud Iudæos, Meßiam è ſemine Dauid uenturum. Porrò cum uentum eſſet in ædes Ieſu, admißi ſunt cæci, à quibus ipſe ſtipulatus eſt prius fiduciam. Illis autem incontanter reſpondentibus, Credimus Domine: dixit Ieſus, Vti creditis, ita fiat uobis: nō ſibi uindicans redditi luminis officium, ſed ipſorum fiduciæ imputans: ita quidem declarans, incredulitatem præcipuè nos indignos reddere beneficentia diuina, alioqui nulli non expoſita promptaq́;. Verùm mox ut locutus eſt Ieſus, aperti ſunt oculi cæcorum, ita ut clarè uiderent. Et Dominus propter humilitatem fugiens iactantiæ gloriam, præcepit cæcis, ne cui prædicent acceptum beneficium. At illi propter memoriam gratiæ, non poſſunt tacere beneficium, quin diuinum facinus quàm latißimè ſpargunt. Sicq́; docent, omnem gloriam Deo tribuere, & gratiam pro beneficijs rependere. Quum autem illi egrederentur, adduxerunt illi hominem mutum, non ex natura quidem, ſed à dæmone obſeſſum. Adducunt autem eum ad Ieſum deprecaturi, eo quòd dæmon eius linguam uinxerat, ut per ſe ipſum Dominum orare non poſſet. Vnde neque fidem exigit Ieſus ut prius, ſed ſtatim curat, eiecto dæmone mutum loqui prohibente. Quo denuò ſignificatum eſt, Ieſum Chriſtum Dominum & uictorem Satanæ eſſe. Et nunc quoq́; aliquando in hominibus auditum præcipuè occupat, ut ea quæ ſunt uera, ſalutaria & recta, audire nolint. Inde uerò & lingua impeditur, corrumpiturq́; ſermo. At Dominus gratia & potentia ſua eijcit Satanam, & aures, corda ac ora illorum in laudem ſui nominis reſerat. Porrò indicat Euangeliſta, duo fuiſſe hominum genera: alterum quidem ſimplex, bonum ac probum, ab hypocriſi & inuidia alienißimum, quare etiam miratur opera Domini, ac ingenuè fatetur, Iſraelitico populo tantam nunc gratiam diuinitùs eſſe conceſſam, quantam unquam à gentis huius origine: unde nimirum Deo gratias egerunt, & Chriſtum magno cum deſiderio ſunt amplexi. alterum uerò hypocritarum eſt, qui quoniam propria ſanctitatis iuſticiæq́; opinione inflati erant, Domini gratiam aſpernabantur. Huiuſmodi autem fuerunt Phariſæi, qui cum miracula Domini prorſus diuina inficiari non poſſent, conuertuntur ad calumnias, & eam potentiam ac gratiam tribuunt diabolo. Sed ut iniquiſſimi, ita ſtultißimi illi. Nullus enim, ut Theophylactus inquit, dæmon eijcit dæmonem: nec dæmonis ingenium tale eſt, ut homines uelit ſeruatos, & peccatores conuerſos ad pœnitentiam. Solus Deus dicit: Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur & uiuat. Quòd uerò ſequitur, circumiuiſſe Ieſum ciuitates omnes & uicos: exhinc planè liquet, quanta illius fidelitas, diligentia & æquitas, quòd æqualiter (ut D. Hieronymi uerbis utar) magnis & paruis, nullo reſpectu habito, nec ut conſiderans nobilium potentiā, ſuum diligenter prædicarit Euangelium: hoc habens operis quod mandauerat pater, & hanc eſuriem, ut doctrina ſua ſaluos faceret infideles, nec non fidelium ſuorum promoueret ſalutem. Docebat ergo in uillis & ſynagogis Euangelium regni, & poſt prædicationem atq́; doctrinam curabat omnem languorem & omnem infirmitatem: ut quibus ſermo non ſuaſerat, opera perſuaderent.

CAPVT QVADRAGESIMVMTERTIVM.

POſt hæc erat dies feſtus Iudæorum: & aſcendit Ieſus Hieroſolymam. Eſt autem Hieroſolymis in Probatica, piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Betheſda, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Hunc cum uidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam. Dum uenio enim ego, alius ante me deſcendit. Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Erat autem ſabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi, illi qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet

Ioan. 5.
Paralyticum ſanat Ieſus Hieroſolymis, apud Probaticam piſcinam.

tibi tollere grabatum tuum. Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum & ambula? Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. Ieſus enim declinauerat à turba, conſtituta in loco. Poſtea inuenit eum Ieſus in templo, & dixit ei: Ecce ſanus factus es, noli poſthac peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

COMMENTARIA.

Quòd Dominus Ieſus ad diem feſtum Pentecoſten, ut Theophylactus opinatur, celebrandum Hieroſolymam aſcendit: fecit partim ne uideretur eſſe aduerſarius legi, partim ut plures per ſigna & doctrinam alliceret, & maximè turbam ſimplicem. Solebant enim conuenire & ruſtici & opifices, qui in ciuitatibus & alijs diebus erant occupati. Probatica autem dicebatur piſcina, eo quòd oues illic ad ſacrificandum congregabantur, & inteſtina eorum abluebantur. Hanc aquam tempore opportuno deſcendẽs angelus turbabat, & ſanatiuam illi uirtutem indebat. nuſquam enim iſta natura aquæ eſt uel fuit ut per ſe ſanare poſſet, alioqui hoc perpetuò fieret: ſed totum in Angelo ſitum erat, quicquid erat efficaciæ. Ita & apud nos, aqua baptiſmatis aqua eſt ſimpliciter: quum autem acceſſerit Spiritus ſancti gratia, propter inuocationem Dei morbos ſoluit animarum; quam uirtutem, & quod maximum donum, utpote purificans peccatum, & uiuificans animas, ipſe Deus præfigurauit in his rebus Iudaicis. Porrò ſtupenda paralytici illius conſtantia eſt, inquit Theophylactus: annos habebat triginta octo, & quotannis liberari à morbo expectans aſsidebat, & impediebatur à potentioribus præuentus; nec tamen deſtitit, neque deſperauit. Nihil hic maledixit, nihil obmurmurauit, nec Deo ullum præſcripſit tempus. ideo & Dominus interrogat eum, uolens monſtrare nobis fortitudinem hominis. Non enim interrogat quaſi diſcere quippiam uellet, aut ignorans eius deſiderium: ſed ut excitet in ipſo preces, ardentiusq; ſanitatis deſiderium: utq; monſtretur nobis, hominis patientia. Quid igitur ille? manſuetè & placidè reſponſum dat, tametſi neſciret quis nam eſſet qui interrogabat. Dominus uerò declarare uolens, ſe illum eſſe cui ſeruiant angeli, cuius ui turbetur aqua, ægrotantibusq; conferatur ſanitas, ſe item eſſe qui ſolo nutu ſuo animorum & corporum morbos tollat, blandè loquitur, ac dicit: Surge, tolle lectum tuum. Iubet tolli lectulum, uolens credibilius fieri miraculum quod faciebat, ne putaretur eſſe phantaſma quoddam. Neque ſuo caruerunt effectu uerba Domini. mox enim atque eueſtigio reſtitutus eſt ægrotus. Sic autem declarauit Chriſtus ſuam diuinam potentiam uniuerſo populo. Non enim eſt hominis tanta poteſtas & uirtus, ait D. Cyrillus: ſolius Dei proprium eſt, ut ſic imperare poſsit. Non enim orat ut homo curetur, ne de Prophetarum numero aliquis eſſe uideatur: ſed ut uirtutem omnium Dominus, fieri quod uult imperat. Videntes hoc Iudæi, peruerſa religione & præpoſtoro uſu ac intellectu dementati, illicitum putant, ſabbato grabatum geſtare, quod ſcriptum ſit: Nullum opus ſeruile facietis in eo. At ille prudentiſsimè atque breuiſsimè Iudæorum criminationes repellit. Nam quoniam ut tranſgreſſorem accuſabant, non licere dicentes in ſabbato hæc onera ferentem ambulare: ad illum totam rem refert, qui ſanitatem ei largitus eſt: & magna quaſi uoce dicere uidetur, illum potius quàm ſabbatum honorandum, cui tanta uirtus tantaq; gratia ineſt, ut diuturnum hunc morbum ſolo uerbo fugauerit. Iam ueriſimile eſt, Phariſæos euidentiam orationis intellexiſſe, ac ſubodoraſſe; autorem rei tantæ Ieſum eſſe, quem non ignorabant maxima hucuſque deſignaſſe miracula. mira tamen calliditate id diſsimulantes, & ueneꝛnum inuidiæ tegentes rogant: Quis ille homo ſit, qui iuſſerit tollere grabatum? At Ieſus ſe ſubduxerat. Primùm quidem, ut abſente ipſo teſtimonium ſanitatis illius ſuſpicione magis careret: & ne uideretur gratificari ei, ſed ueritatem teſtari. Inſuper ut ne Iudæorum inuidiam magis accenderet (ſolet enim & aſpectus eius cui inuidetur, non paruam inuidiæ flammam immittere inuidentibus) propterea permittit eos de miraculo inquirere per ſemetipſos. Quòd autem Dominus Ieſus reperit eum in templo: magnæ profectò, ait D. Chryſoſtomus, & reuerentiæ & pietatis ſignum eſt. In templum uenit, ut gratias ageret Domino Deo. hinc uerſatur in eo, non quidem ſine gratitudine. Et quamuis Iudæorum

imperium

imperium & maledicta expectaret: nihilominus tamen à templo non diſcedit. Deinde uerò quod Dominus dixit ei, Ecce ſanus factus es, &c. diſcimus, morbos corporis plerunq; oriri è uicijs animi. Quin hic & illud diſcimus, quòd licet grauem luamus pro primis peccatis pœnam, & deinde iterum in eadem incidamus peccata, iterum grauiora patiemur. idq; meritò. qui enim non emendatus eſt, ad maiora tormenta ducetur, tanquam inſenſatus & contemptor. Et quare non omnes ſic puniuntur? inquit Theophylactus. Etenim multos uidemus improborum benè ualentes corpore, & in delicijs & proſperitate uiuentes. Verùm quòd illi nihil hic patiuntur, uiaticum eis erit ad ſupplicium, quod alibi ferent. Cæterùm quia ex propria excæcati malitia Phariſæi, ſcripturas perperam intelligebant: ita reum mortis æſtimabant ſeu iudicabant Ieſum, ueluti ſabbati uiolatorem. Legebant enim, ſabbatis colligentem ligna, præcipiente Domino, lapidatum. Dominus uerò tuetur factum ſuum exemplo patris, & operum ſimilitudine, demonſtrans ſe non uiolaſſe ſabbatum, ac inquit: pater meus cœleſtis (cuius uos uideri uultis religioſi cultores) quemadmodum ob religionem ſabbati, quo dicitur ab opificio mundi conquieuiſſe, non deſinit quotidie benefacere mortalibus, ac rebus creatis omnibus: ita ego, qui filius illius, ab eo & poteſtatem & exemplum benefaciendi habens, & operandi, quæ faciunt ad generis humani ſalutem, non impedior religione ſabbati, quo minus ea perficiam quæ pater mandauit. Quomodo autem adhuc operetur Deus, quòd ſi diſcere uolumus, uideamus oportet diſpenſationem rerum, & diſcamus opera prouidentiæ: ut Solem orientem, mare, fontes, flumina, animalia, & ſimpliciter omnes facturas: & uidebimus creaturam opera ſua operari, imò operationem recipere, & moueri ineffabili prouidentiæ uerbo.

CAPVT QVADRAGESIMVMQVARTVM.

ABijt ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Ieſus eſſet qui fecit eum ſanum. Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc faciebat in ſabbato. Ieſus autem reſpondit eis: Pater meus uſq; modò operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolùm ſoluebat ſabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Reſpondit itaq; Ieſus, & dixit eis: Amen amen dico uobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod uiderit patrem facientem. quæcunq; enim ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit: & maiora his demonſtrabit ei opera, ut uos miremini. Sicut enim pater ſuſcitat mortuos, & uiuificat: ſic & filius quos uult, uiuificat. Neq; enim pater iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui miſit illum. Amen amen dico uobis, qui uerbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam: & in iudicium non uenit, ſed tranſit à morte in uitam. Amen amen dico uobis, quia uenit hora, & nunc eſt, quando mortui audient uocem filij Dei: & qui audierint, uiuent. Sicut enim pater habet uitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio uitam habere in ſemetipſo: & poteſtatem dedit ei, & iudicium facere, quia filius hominis eſt. Nolite mirari hoc: quia uenit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient uocem eius, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem uitæ, qui uerò mala egerunt in reſurrectionem iudicij. Non poſſum ego à meipſo facere quicquam. Sicut audio, iudico, & iudicium meum iuſtum eſt: quia non quæro uoluntatem meam, ſed uoluntatem eius qui miſit me.

Ioan. 5.
Oſtēdit Ieſus, ſe unigenitum Dei filium, patri per omnia æqualem.

COMMENTARIA.

Non intelligebant Iudæi, uerbum Dei uitam ex patre fluētem, unigenitum ſcilicet eius filium, per quem propriè atq; uerè Deus & dicitur & eſt pater, hominem propter nos eſſe factum. idcirco ad maiorem incitantur crudelitatem illorum animi: & iam non tantum ipſi Ieſu intendebant

uiolationem

uiolationem ſabbati, ſed & blaſphemiam, ob quã planè dignum exiſtimabant, qui capitis afficeretur ſupplicio, qui quoq; opera ſua conferret cum operibus Dei, qui Dei ſe iactaret filium, adeoq; æqualem Deo per omnia. Vocauit ergo Ieſus Deum patrem ſuum modo quodam ſingulari, uidelicet quòd ex patre naturaliter proprius et naturalis filius ſit genitus, patri per omnia coæqualis, eiuſdem uidelicet eſſentiæ, gloriæ, & poteſtatis. Quod etiam S. Auguſtinus obſeruans: Non quomodocunq;, ait, patrem ſuum dicebat Deum, ſed quid? Aequalem ſe faciens Deo. Alioqui omnes dicimus Deo, Pater noſter qui es in cœlis. Legimus & Iudæos dixiſſe, Cum tu ſis pater noſter. Ergo non hinc iraſcebantur, quia patrem ſuum dicebat Deum: ſed quòd longè alio modo quàm homines. Quum ergo oportebat eos uerbis Chriſti ad melius commutatos fuiſſe, in cædem eius incenduntur. At ille ſolidis argumentis probat, ſe naturalem Dei eſſe filium, genitum, non factum, genitum de ſubſtantia patris. Vnde illum ſic commendat Apoſtolus: Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, &c. hoc eſt, non uſurpauit æqualitatem Dei, ſed erat in illa in qua ante luciferum genitus fuerat. Cæterùm nemo turbetur, ut D. Cyrillus inquit, quoniam filius nihil ſe facere poſſe ait, niſi quod uiderit patrem facientem. Nam quia ſerui formam aſſumpſit, propterea diſpenſando ita loquitur, ut Deum & hominem ſimul deceat: et hæc quidem ratio uera eſt, illa uerò etiam acutior. Quum enim dicitur, non poſſe filium à ſe quicquam facere, nõ imbecillitatem aliquam filius ſibi atteſtatur: ſed ſtabilem operationem naturæ, quæ aliter ſe habere non poteſt, ſignificat. Ex his itaq; intelligere licet, eandem eſſe poteſtatem ac diuinitatem patris & filij. Quare filius nihil nouum uel alienum habet à patre, ſed per omnia ſimilis eſt patri: neq; aliam habet ſubſtantiam, ut & aliam uirtutem habeat, & conſequenter aliã operationem. ſed quia eandem habet ſubſtantiam, eandem habet & uirtutem, & propter hoc etiã eadem operatur, & non poteſt aliud quid facere præter id quod pater facit. Quid autem eſt, Et maiora his oſtendet? Quia uidelicet ſanatus eſt homo, inquit Chriſtus, qui morbo uexabatur annos triginta & octo, unde oportebat meam diuinitatem intelligere: uerùm quoniam illo opere magis exaſperati non creditis, multò maiora uidebitis: ac mirabimini in me tantam eſſe ſitam poteſtatem, qui mortuos queam excitare, quæ uirtus & gloria ſoli Deo congruit. Iam ex actis ſiue operatione euidentius probat, ſe & patrem æquales in diuinitate. ac inquit: Proprium eſt ſupremæ ſubſtantiæ, excitare à mortuis, conſeruare, & uiuificare. Excito autem mortuos, conſeruo res, & uiuifico: non ſum itaque alienus à ſubſtantia patris. Huic mox ſubiungit aliud quoddam diuinum & præcipuum argumentum, quo ſe natura & uerè Deum eſſe oſtendit. Cui enim orbem terrarum alij iudicare conuenit, quàm ſoli Deo? quem ſolum ad iudicandum diuina ſcriptura uocat, dicens: Exurge Deus, iudica terram. Datum autem ſibi à patre ait iudicium, non quia poteſtatem hanc ipſe naturâ non habeat: ſed per diſpenſationem, ut homo, in diuina poteſtate ſita eſſe docet uniuerſa. Quare in quantum quidem uerbum Dei & Deus eſt, hanc poteſtatem naturaliter habet: in quantum autem homo factus eſt, accepiſſe hanc ſe poteſtatem apertè profitetur. S. Auguſtinus: Quia hominibus, inquit, in iudicio non apparebit niſi filius, pater occultus erit, filius manifeſtus, propterea filius ita loquitur: In quo autem erit filius manifeſtus? In forma qua aſcendit. Nam in forma Dei cum patre occultus eſt, in forma ſerui hominibus manifeſtus, &c. Qua igitur de cauſa hæc omnia dicta ſunt? Vt omnes, inquit, honorent filium, ſicut honorant patrem. Nam ſi omnia ipſe eſt quæ pater eſt, quantum ad deitatis maieſtatem pertinet: quomodo par non erit, æqualiter illum cum patre honorari, cui ad identitatem ſubſtantiæ nihil prorſus deeſt? Proinde non ſolus pater erit honorandus, adorandus atque colendus, ſed filius quoque: & honore quidem æquali, cum ſit patri coæqualis. Quòd autem mittitur filius, diſpenſationis eſt, non imbecillitatis. ſed & miſit uerbum ſuum, ut in ipſo nobis manifeſtaretur Deus. Quid calumniam uis facere, quia ille miſit, hic miſſus eſt? ait Auguſtinus. Sol radium ſpargit, & non ſeparat: luna ſplendorem mittit, & non ſeparat: lucerna lumen fundit, & non ſeparat. Video ibi miſſionem, & nullam uideo ſeparationem. Chriſtus porrò proponit ſe ut uerum mundi doctorem ac ſaluatorem, ac promittit auditoribus ſuis attentis uitam beatam. Fide ergo in uerbum Chriſti conſtat animarum uita atque ſalus. Primum autem in ordine ſalutis & iuſtificationis eſt, audire ſermonem Chriſti iuſtificatoris & ſaluatoris. Hic autem ſermo qui uerbum Dei eſt, promittit remiſſionem peccatorum, reconciliationem cum patre, iuſtificationem & uitam æternam.

nam. Quare etiam dixit Chriſtus, Et credit ei qui miſit me. Nam patri credendum eſt, quòd generi mortalium bene uelit, & quòd ideo filium miſerit, ut ſuam erga homines gratiam & miſericordiam declararet. Credentes autem non uitæ tantummodò participes affirmat futuros, ſed iudicij quoq; periculum aſſerit euaſuros: ita iuſtificatum iri eos comprobat, & formidinem ſpei commiſceſcet. Etiamſi naturalem & temporalem non effugiant mortem, non tamen ſuſtinebunt æternam mortem, neq; ulli ſubijcientur pœnæ, neq; ulla tormenta patientur, quin protinus à morte corporea traducentur in uitam æternam, Heb. 11. Poſtquã autem dixiſſet, Quòd qui non honorat filium, nõ honorat patrem: ſublimia quædam de ſe locutus, ut ne uideantur per arrogantiam & inanem gloriam dicta, adiungit & demonſtrationem per opera, dicens fore, quando mortui audient uocem filij, hoc eſt meam, qui uobiſcum conuerſor: & qui audierint, uiuent. Hoc dicit de his quos ſuſcitaturus erat: ut de filio uiduæ, de Lazaro, & alijs. Quibus omnibus ceu irrefutabilibus argumentis demonſtrauit Chriſtus, ſe eſſe Dominum uitæ et mortis, Deum utiq; uerum, & patri æqualem per omnia, qui ut animam poteſt uiuificare & ſeruare, ita corpus quoq; exanime & mortuũ animare, & ex mortuis excitare ualet. Deinde & rationem affert dictorum demonſtratiuam, dicit enim: Sicut pater uitam habet in ſemetipſo, ita dedit & filio uitam habere in ſemetipſo, ut uiuificet audientes uocem eius. Pater, inquit, nõ alibi habet uitã, ſed in ſemetipſo. Viuere quippe ſuum in illo eſt, & non aliunde, ipſe ſibi uita eſt. Quòd autem dicit, patrem filio dediſſe uitam: S. Auguſtinus de æterna intelligit generatione. ait enim: Quid dedit filio uitam habere in ſemetipſo? Breuiter dixerim, genuit filium. Neq; erat ſine uita, & accepit uitã, ſed naſcendo uita eſt. tanquam diceret: Pater qui eſt uita in ſemetipſo, genuit filium qui eſſet uita in ſemetipſo. Quid ergo filio dedit? Dedit ei ut filius eſſet, genuit ut uita eſſet, &c. Subijcit Dominus poſthæc aliud argumentum, quo aſtruit naturam ſuam diuinã. Dicit enim, ſe accepiſſe iudicandi & puniendi poteſtatem à patre, quæ quidem poteſtas nulli competit creaturæ puræ, ſed ſoli & uero Deo. Sæpe autem in medium affert ſermones de iudicio, ait Theophylactus, ut auditores excitet. Cui enim perſuaſum eſt, quòd ſuſcitandus ſit, recepturus delictorum pœnas, omnino currit ad ipſum, placatq; ut ſuum futurum iudicem. Hæc ille. Particula autem adiecta, Quia filius hominis eſt: non accipienda eo modo quo eam intellexit impius Samoſatenus, docens inde Dominum Ieſum purum eſſe hominem. Emphaſim enim habet, & ex uaticinio Danielis petita uidetur. Nam Danielis 7. ita legimus: Aſpiciebam in uiſione noctis, et ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis ueniebat. Et uſq; ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem & honorem & regnum. Et omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſeruient. poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnũ eius, quod non corrumpetur. Huiuſmodi ergo quiddam dicit Dominus: Quem putatis eſſe antiquum dierum? Vtiq; Deum omnipotentem. Filiũ uerò hominis non niſi ipſius uerum ac unicũ filium, cui proinde iudicandi & uniuerſorũ poteſtatem dedit æternam, & quæ nullo fine claudetur. Sicq; dixit Dominus, ſibi eſſe poteſtatem plenariã uiuificandi, excitandi mortuos, & orbem iudicandi. Id uerò nouũ uidebatur Iudæis, nihil in Domino agnoſcentibus niſi humanam naturam. ait ergo: Nolite mirari, quòd mihi & uiuificandi & iudicandi poteſtatẽ uendicaui. Venit enim dies ultima mundi. In illa die longè maiora quàm patrarim hucuſque, deſignabo. Nam non iam ut filius hominis duntaxat, ſed etiam ut uerus Dei filius tunc præcipiam omnibus, ab initio mundi ad finem uſq; mortuis, ac nunc quidem in monumentis agentibus, aut etiam reſolutis in puluerem & cinerem, ut reſumptis corporibus & animabus reſurgant, ac plenè uiuant. Vbi obſeruabis, ſignificanter dici à Domino, Qui in monumentis ſunt: & non, Qui mortui ſunt. Nam expreſſè, ut Auguſtinus dicit, ſic locutus eſt, quò calumniã hæreticus, negator reſurrectionis corporum, non inueniat. Quid enim euidentius, quid expreſſius, quàm quod dicit: Omnes qui in monumentis ſunt? Corpora ſunt in monumentis, animæ non ſunt in monumentis, nec iuſtorum nec iniquorum. Iuſti anima in ſinu Abrahæ fuit, iniqui anima apud inferos torquebatur: in monumento non erat, nec hæc, nec illa. Sed & illud notandum quod dicit, Omnes. Omnes enim nos manifeſtari oportet corã tribunali Chriſti, ut referat unuſquiſq; propria corporis, prout geſſit ſiue bonum ſiue malum. Nec inefficax & inanis erit uox Chriſti, id eſt uirtus, imperium, et iuſſio filij. Audient enim uocem illam qui in monumentis agunt: nec audient modò, ſed prodibunt etiam uiui, reſumptis animabus, ac in ſuis proprijs conſtituti corporibus, quæ uox filij Dei è puluere per omnipotentiam excitauit. Excitabit autem, uel ad uitam, uel ad mortem & pœnam. Iudicium enim, ut Auguſtinus inquit, pro pœna poſuit. &

erit diremptio, non qualis modò eſt: nam & modò ſeparamur non locis, ſed moribus, affectionibus, deſiderijs, fide, ſpe, charitate. ſimul enim cum iniquis uiuimus, ſed non una uita eſt omnium. In occulto dirimimur, in occulto ſeparamur. Tunc autem aperta erit ſeparatio, ſicut morum, ſicut uitæ, ſicut ſapientiæ: ita & corporum. Eunt qui benè fecerunt, uiuere cum angelis Dei: qui malè egerunt, torqueri cum diabolo & angelis eius. Ita conditio uitæ impiorum, infelix erit & miſera. Viuent enim corpore & anima ſicut ſancti perpetuò, ſed non eadem conditione. Torquebuntur enim illi perpetuò, ſicut hi abſq; dolore iubilabunt ſemper. Videntur autem hæc omnia Domini uerba ex Danielis prophetæ uerbis: Qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, hi ad uitam æternam, illi uerò ad probra & contemptum æternum. Et ex Iſaia dicente: Quoniam uermis eorũ non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Daniel. 12. Iſa ult. Et fortaßis ſuaſit ſic Dominus Iudæis, fidem in ipſum recipiant, ne propter incredulitatem aliquando corporibus & animabus demergantur in tartara. Cæterùm poſt illam probationem & confirmationem diuinitatis ſuæ, tale quid colligere uidetur. Videor ego uobis ueſtri ſimilis, infirmus & miſer eſſe homo: ſed animi ueſtri uos fallunt. Non enim poſſum ex me ipſo, id eſt ex mera infirmitate mea humana tanta patrare opera, quanta me poſſe patrare cernitis. Quid ergo reſtat aliud, niſi me non tantum hominem eſſe innoxium & ſanctum, ſed & filium Dei uerum & naturalem, & patri per omnia æqualem? Sicut igitur audio, ita iudico: id eſt, omnia mea inſtituo ſecundum diuinam potentiam et gloriam: unde quicquid loquor & facio, iuſtum eſt. Si pater uult, & ego uolo: ſi quid ego, & pater. & quemadmodum nemo reprehendit patrem iudicantem: ita neque me. Voluntas mea cum illius congruit uoluntate: quo magis abeſt, ut meam purè humanam, corruptam, & legi Dei aduerſam quæram. Ita probauit Christus diuinitatem ſuam, & quòd patri per omnia æqualis ſit filius.

CAPVT QVADRAGESIMVMQVINTVM.

Ioan. 5. Moſi ſcripta probãtur. Qui credit Moyſi, ait Chriſtus, credet & ille mihi.

SI ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimonium non eſt uerum. Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me: & ſcio quia uerum eſt teſtimonium eius, quod perhibet de me. Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit ueritati. Ego autem non ab homine teſtimonium accipio: ſed hæc dico, ut uos ſalui ſitis. Ille erat lucerna ardens & lucens: uos autem uoluiſtis ad horam exultare in luce eius. Ego autem habeo teſtimonium maius Ioannis. Opera enim quæ dedit mihi pater ut perficiam, ea ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia pater miſit me. & qui miſit me pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me. Neque uocem eius unquam audiſtis, neque ſpeciem eius uidiſtis, & uerbum eius non habetis in uobis manens: quia quem miſit ille, huic uos non creditis. Scrutamini ſcripturas, quia uos putatis in ipſis uitam æternam habere: Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, & non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Claritatem ab hominibus non accipio. Sed cognoui uos, quia dilectionem Dei non habetis in uobis. Ego ueni in nomine patris mei, & non accipitis me: ſi alius uenerit in nomine ſuo, illum accipietis. Quomodo uos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quę à ſolo Deo eſt, non quæritis? Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim uos apud patrem: eſt qui accuſat uos, Moſes in quo ſperatis. Si enim crederetis Moſi, crederetis forſitan & mihi. de me enim ille ſcripſit. Si autẽ illius literis non creditis, quomodo uerbis meis credetis?

COMMENTARIA.

Quia Iudæi obijcere Chriſto poterãt ex ſcriptura, Prouerb. 27. Laudet te alienus ſiue proximus tuus, & non os tuum: per occupationem reſpondens dicit: Si homo duntaxat eſſem, & omnia mea humano more agerem, meritò fateor poſſet teſtimonium de falſitate eſſe ſuſpectum. nunc autem cum ſim Deus uerus, & ipſa humana natura ſit purgatißima, ut Propheta dixerit, nullum dolum aut errorem in ore meo inuentum: non poterit non eſſe uerißimũ & infallibilę meum teſtimonium.

moniū. Illa particula, inquit Chryſoſtomus, Non eſt uerum: non temerè legenda eſt, ſed ad illorum opinionem referenda: hoc eſt, uobis non eſt uerum. Non enim authoritate ſua, ſed pro auditorū ſuſpicione loquitur, quam arguit, eorum adducēs obiectionem. Cæterùm quòd apponit, Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me: exponi poteſt de teſtimonio patris, qui in lege, Prophetis, & demū cœlitùs teſtificatus eſt, Ieſum Chriſtum eſſe ſuū illum prædilectum filium, per quem uitam & ſalutem conferat toti mortalium generi. Et omnes uerè pij & fideles quibus datus eſt Spiritus ſanctus, obſignans eorum corda, ſciunt uerum eſſe teſtimoniū iſtud. Nec hoc ſolùm fecit pater: quin & ipſe Ioannes, cum ad ipſum miſerunt Iudæi, ſacerdotes et leuitas à Hieroſolymis. Ait ergo Chriſtus: Non poteſtis tergiuerſari, leue pondus habere apud uos Ioannis teſtimonium, quo teſtificatus eſt me eſſe agnum illum Dei qui tolleret peccata mundi, & uitam daret mundo: et ueritatem profeſſus eſt, dicens me filium Dei uerum, ac patri coæqualem. Ego autem quod ad me pertinet, non opus habeo commendari hominis teſtimonio: ſed Ioannis teſtimonium de me uobis propterea ingero, ut uos, apud quos tanta eſt Ioānis authoritas, credentes ei de quo ille teſtificatus eſt, uitetis incredulitatis condemnationem, et per credulitatē aſſequamini ſalutem. Magnus quidem erat Ioannes: ſed lux illa promiſſa mundo non erat. tantum erat lucerna de noſtro igni ardens, de noſtro lumine lucens. Vos autem, cum illius doctrina debuiſſetis properare ad lucem ueram, maluiſtis ad breue tempus in illius luce gloriari, quàm ueram amplecti lucem, quæ gloriam largitur perennem, nec unquam obſcuratur, occidit'ue. Et ita, ut ait Cyrillus, oſtendit, nullius hominis teſtimonio ſibi opus neceſſariò eſſe, cum à ſplēdore ac gloria naturæ Deus demonſtretur. Amplius teſtatus (inquit) quidē eſt de me Ioannes, ueruntamen quia uerisimile eſt, fore quoſdam qui fortaſsis dicēt: Et quid ad nos, ſi Ioannes tibi gratificari uoluerit? et propterea blandiora quædam atteſtatus ſit: proinde maiorem teſtem uobis affero, cuius ſplendor mentis ueſtræ oculos ita perſtringet, ut nihil omnino dicere poſsitis: opera uidelicet mirabilia, quæ nemo alius fecit. Et hæc certum atq; neceſſarium teſtimonium ſunt, utpote quæ nullus præter Deum facere poteſt. Quomodo igitur non erit palàm, quòd eandem naturam cum patre poſsideam, & deitatis reſplendeam perfectionibus? Accepiſſe autem à patre (inquit Cyrillus) opera hæc affirmat: aut humilius propter diſpenſationem carnis de ſe loquens, aut conſenſum patris in faciundis miraculis dationis nomine appellās. hoc enim modo etiam miſſus eſſe dicitur, quia humiliauit ſeipſum propter nos: humiliaſſe uerò ſeipſum non aliter quàm propter aſſumptionem hominis intelligitur, qua factum eſt, ut plerumq; ut homo loquatur. Porrò per omnem Scripturam, tam per legem quàm per prophetas teſtatus fuit Deus de filio ſuo Chriſtò: Sed uos, inquit, neque uocem eius audiſtis, patris mei inquam, neq; ſpeciem eius uidiſtis: ideo omnibus modis incognitus eſt uobis, ideo & ſermonem eius non habetis in uobis manentem. hoc eſt, ſcripturas quæ de me teſtantur neſcitis, tametſi uideamini ſcire, & gloriari in eloquijs Dei quæ uobis concredita ſunt. Hinc autem manifeſtum fit uos neſcire ſcripturas, quia ei quem ille miſit non creditis. Igitur ſicut neq; uocem eius audiuiſtis (non enim habet Deus uocem ſenſibilem) neq; ſpeciem eius uidiſtis (ſpecie enim & figura caret) ita neq; ſermonē eius (ſcripturas dico, quæ de me teſtantur) habetis in uobis. Hæc Theophylactus. Non'ne palàm fatemini, ex ſcripturis diuinis uitā peti, non mortem: ueritatem, non falſitatem: beatitudinem, non miſeriam: adeoq; in ea contineri pleniſsimè, quæcunq; ad piā, ſanctā, rectè inſtituendā in terris uitam, & in cœlis conſequendā pertinēt? At illas ſi cōſulatis diligēter, accuratéq; ſcrutemini: reperietis, eas apertè de me teſtari quòd Dei ſim filius, uerus redemptor atq; Saluator totius mundi. Pſal. 2. Eſa. 7. 9. Hier. 23. Micheæ 4. Vnde miraculum maximè, cùm illæ apud uos tantum ualeant, ac illæ ipſæ nihil aliud quàm de me teſtentur ac diſſerant: qui fiat, quòd non credatis ipſis, ac credentes me recipiatis, quò in æternū uiuatis. Iſtis omnibus, quib. demōſtraui me eſſe filiū Dei, patri æqualē per omnia, nō quæro (quod ſuſpicari poteratis) gloriā & laudē humanā, qua admodum afficiuntur ambitioſi huius ſeculi homines. Gloriā Dei patris, & ueſtrā omniū incolumitatē quæro. Quid uerò ſurdis narro fabulā, quid rebellibus offero pacē & ſalutē? Experior etenim, nullam in uobis eſſe dilectionē Dei: id eſt, nullū timorem, nullā fidem, nullā religionem, aut ullū deniq; pietatis ſtudiū. Hoc quidē inde liquet, quòd patris nomine ueniens, gratis uitā & ſalutē offero, nec aliud ago quàm ille præſcripſit: totas meas uires intendo in hoc, ut in me glorificetur Deus. at hæc conantē & agentē repellitis. unde cōſequens eſt, nihil in uobis ipſis ſupereſſe pietatis, timoris ac dilectionis Dei, præſertim cum tanta ſit ueſtra illa corruptio, ut quemlibet aliū ſitis recepturi, quan-

tumuis ueſtræ ſalutis & gloriæ Dei negligentem, ſuisq́; ſtudentem rebus. Et certè innumeros illi receperunt ſeductores, ad uindictam ſuæ perfidiæ repellentis Chriſtum, qui ſuo in nomine uenerunt: hoc eſt, neglecto Deo, & neglecta omni pietate ſeipſos quæſiuerũt, gloriam uidelicet, opes et uoluptates. Quòd nõ creditis doctrinæ meæ, hinc eſt, quòd contempta uera gloria, quam ſolus confert Deus, iuſtificans uos & ſanctificans, hæredesq́; æternæ uitæ faciens, perituram ab hominibus gloriam, honores, opes, & eiuſmodi friuola quæritis, inuicemq́; defertis. Nolite putare, quòd ego cupiens ulciſci contemptum mei, uos delaturus ſim apud patrem. Moſes ipſe uos deferet, cuius authoritatem apud uos ſacroſanctam fingitis, & in quo ſummam fidem collocatis, habentes pro oraculo quicquid ſcripſerit ille. Etenim cum maiores ueſtri, offenſi terribili uoce Dei & igni pernicioſo deprecarentur, ne poſthac Dei uocem audirent, aut ignem formidabilem experirentur: Deus approbauit poſtulationem ueſtram, ac promiſit Moſi, ſe ſuſcitaturum de fratribus ueſtris eximium prophetam ipſi ſimilem, cuius uocem placidam ac mitem, nec territantem minis, ſed ad ſalutem inuitantem oporteret audire. Cæterùm huius dictis non obtemperanti pœnam comminatus eſt, dicens: Qui autem non audierit uerba eius, quæ loquetur in nomine meo, ego ultor exiſtam. Nemo igitur alius uos magis accuſabit apud Deum, quàm Moſes amicus ueſter, cuius ſcripta contemnitis. Ille me promiſit placidum, mitem, & omnia quæ Deus uoluerit loquentem. Talis adſum, & repellitis. Si autem uerbis illius non creditis, qui tantæ apud uos authoritatis eſt: quid ſperem mihi credituros, qui nulla apud uos authoritate polleo?

CAPVT QVADRAGESIMVMSEXTVM.

Matth. 12. Marci 2. Lucæ 6.

Diſcipulos excuſat Ieſus, leuantes ſpica reuulſa famé.

ET factum eſt in illo tempore, in ſabbato ſecundo primo, cum ambularet Ieſus per ſata, & diſcipuli eius eſurientes cœperunt progredi, & uellere ſpicas: & manducabant confricantes manibus. Phariſæi autem uidentes, dicebant eis: Quid facitis, quod non licet in ſabbatis? Et Phariſæi qui uiderant, dicebant ei: Ecce quid faciunt diſcipuli tui ſabbatis, quod non licet? Et reſpondens Ieſus, dixit ad eos: Nunquam legiſtis quid fecerit Dauid, quando neceſsitatem habuit, & eſurijt ipſe, & qui cum eo erant? quomodo introiuit in domum Dei ſub Abiathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis ſumpſit & manducauit, & dedit his qui cum ipſo erant: quos nõ licebat manducare, niſi ſolis ſacerdotibus. Aut non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum uiolãt, & ſine crimine ſunt? Dico autem uobis, quia templo maior eſt hic. Si autem ſciretis quid eſt, Miſericordiam uolo, & non ſacrificium: nunquam condemnaſſetis innocentes. Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbatum. itaq; Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati.

COMMENTARIA.

Phariſæi ſiniſtrè legem interpretantes, quia diſcipuli fame extimulante uellebant ſpicas, manibusq́; confricantes excerpebant grana, & comedebant: ipſum Dominum adoriuntur, religionisq́; & officij admonent, dicentes: An non oportebat te, ſiquidem is eras qui uideri cupis, diſcipulos coercere, ne cum tanto offendiculo omnium contra manifeſtam Dei legem peccarẽt? Non ſcis legem præcipere, opus ſeruile non facietis in ſabbato, Leuit. 23. Quos aduerſarios ſuos Dominus refe-

1. Reg. 21 de Achimelech mentio fit: aut igitur is binominis fuit, aut Achimelech filius.

rit contrarijs è ſcriptura diuina & legibus & exemplis inter ſe collatis, defendẽs ſuorum factũ, & legem Dei de ſabbato exponens, & dicit: Si & Dauid ſanctus eſt, & Abiathar pontifex duobis non reprehenditur, ſed legis uterq; mandatũ probabili excuſatione tranſgreſsi ſunt, & fames in cauſa eſt: cur non eandem famem probatis in meis diſcipulis, quam probatis in cæteris? Deinde producit exemplum alterũ, magis cauſæ præſenti appoſitum: Lex iubet, inquit, ne quis ullũ in ſabbato opus ſeruile faciat. Sacerdotes autẽ Domini, & ueſtri pontifices, non in ſyluis aut agris, in macello aut priuatis ædibus, ſed in ipſo Domini templo, & tota ſpectante Eccleſia ſabbatum uiolant. Nam iugulant pecudes, detrahunt pelles, diſſecant membra, lauant, aliaq́; his ſimilia opera multa faciunt: & tamen ſunt inculpabiles. Quòd ſi reſpõderitis, ſacerdotes excuſari religione templi, & quòd etiam iſtis operibus ſacra exerceant: hoc uobis oppono, quòd hic ſit Dominus templi,

maior utiq; ipſo templo. Seruiunt ſacerdotes ueſtri templo, ſeruiunt diſcipuli mei templi Domino. Et miniſterio quidem ſacro excuſantur illi ſacerdotes: excuſet et meos miniſterium Euangelij ſanctum, in quo nunc uerſantur. Cæterùm quòd de religione ſabbati, imò rebus omnibus ad religionem pertinentibus perperam iudicatis: id potiſsimùm in cauſa eſt, quòd nimium inhæretis rebus externis, interim negligentes internam ueramq; pietatem. Si eſſetis curabiles, poſſet uel unicus Oſeæ locus rectè expenſus uos reuocare in uiã, ac rectè informare iudicia ueſtra. Quid enim docet hoc loci uates ille? nimirũ quid placeat Deo, & quem cultum approbet ipſe, internum ſcilicet, qui conſiſtit in fide, innocentia, & charitate ſiue beneficentia. Si miſericordiam cõprobaſtis Achimelech, eo quòd fame periclitantem refocillarit Dauid & pueros eius: quare diſcipulos meos condemnatis, qui nihil tale fecerunt? Ita ergo res ſeſe habet, quòd Deus legibus omnibus hominis incolumitatem ſpectauit, quæſiuitq;: ita hac quoq; lege de ſabbato lata hominem ſeruare, non perdere uoluit. Præterea ſummus ille rerum opifex propter hominem ſabbatum fecit ſiue inſtituit, & uoluit ipſum ad incolumitatem hominum pertinere. Sicq; repurgauit Dominus ſabbatum à ſuperſtitione Iudaica, & docuit ſecundum regulam fidei ac charitatis diſpenſare poſſe fideles circa ſabbatum. Tradunt ergo, duplex eſſe ſabbatum: Spirituale et Corporale. Eſt autem Spirituale ſabbatũ, perpetuum pietatis ſtudium, dum ſumma aduigilamus diligentia, ut omnia in nobis operetur Dominus, & totus in nobis uiuat: Corporale uerò eſt ordinatio externa, in hoc tradita, ut religio ſiue Dei cultus in eo exerceatur. Nec tamen diẽ obſeruamus ſeptimũ, ſed proximè ſabbatum Iudaicum inſequentem diem, quem Apoſtoli appellarunt diem Dominicum, id eſt Chriſto Domino conſecratum: Apocal. 1. De reliquis autem ferijs aut feſtis, uide Tripartitam hiſtoriam libro nono, capite 38. Diuum item Auguſtinum Epiſtola 118.

CAPVT QVADRAGESIMVMSEPTIMVM.

Factum eſt autem & in alio ſabbato, ut intraret in ſynagogam. & erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida. Obſeruabant autẽ ſcribæ & phariſæi, ſi in ſabbato curaret, ut inuenirent unde accuſarẽt eum. Et interrogabãt eum, dicentes: Si licet ſabbatis curare? ut accuſarent eum. Ipſe uerò ſciebat cogitationes eorum, & ait homini qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit. Ait autem ad illos Ieſus: Licet ſabbatis benefacere, an malè facere? animam ſaluare, an perdere? At illi tacebãt. Ipſe autem dixit illis: Quis erit ex uobis homo, qui habeat ouem unam, & ſi ceciderit hæc ſabbatis in foueam, non'ne tenebit & leuabit eam? Quanto magis melior eſt homo oue: itaq; licet ſabbatis benefacere. Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, dixit homini: Extende manum tuam. & extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera. Ipſi autem repleti ſunt inſipientia, & colloquebantur ad inuicem, quid'nam facerent Ieſu. Exeuntes autem Phariſæi, ſtatim cum Herodianis conſilium faciebant aduerſus eum, quomodo perderent eum. Ieſus autem cum diſcipulis ſuis receſsit ad mare, & multa turba à Galilæa & Iudæa ſecuta eſt eum, & ab Hieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem: & qui circa Tyrum & Sydonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, uenerunt ad eum. Et dixit Ieſus diſcipulis ſuis, ut nauicula ſibi deſeruirent propter turbam, ne comprimerent eum. multos enim ſanabat, ita ut irruerent in eum ut illum tangerent, quotquot habebant plagas. Et ſpiritus immundi cum illum uidebant, procidebant ei, & clamabant, dicentes: Tu es filius Dei. & uehementer comminabatur eis, ne manifeſtarent illũ. ut impleretur quod dictum eſt per Eſaiam prophetam dicentem: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo benè complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neq; clamabit, neq; audiet aliquis in plateis uocem eius: arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eijciet ad uictoriam iudicium, & in nomine eius gentes ſperabunt.

Matthæi 12. Marci 3. Lucæ 6.

Cæmentario manus arida ſanatur: communicatoq; consilio Iudæi cũ Herodianis Ieſum perdere ſtituntur.

In Euangelio quo utũtur Nazareni & Ebionitæ, & quod uocatur à pleriſq; Matthæi autenticum (inquit Hieronymus) homo iſte qui aridã habet manum, cæmentarius fuiſſe ſcribitur, & iſtiuſmodi uocibus ab ipſo Ieſu auxiliũ precatus: Cæmentarius eram, manibus uictum quæritans: precor te Ieſu, ut mihi reſtituas ſanitatẽ, ne turpiter mendicem cibos. Hinc Phariſæi, undiq; uenantes grauem aliquam accuſandi anſam, interrogarunt, liceat' ne ſabbatis curare? Dominus uerò illorum ſentiens maliciam, oppoſita quæſtione ſimul & reſpondit apertè, licere benefacere: & coarguit ipſos auariciæ, crudelitatis & impietatis: Homo, inquit, adeò omnibus præſtat & antecellit animantibus, ut nulla inter ſe poßint collatione conferri. At ſabbatis ſi periclitantur uel pecora uel iumenta ueſtra, omnes cõfertim adeſtis, iuuatisq́; ſtrenuè ne pereant: quanto magis oportet incolumitati hominum proſpicere, haud quicquã ſabbati religione impediente. Cæterùm animam ſeruare aut occidere dixit, iuxta ſanctæ linguæ proprietatem: pro eo quod eſt, hominem ſeruare uel occidere. Qui autem perire ſinit quem ſeruare potuit, occidit. Rurſus uerò ingens beneficium conferens miſero Dominus, declarat quàm ſit potens & beneficus. Quam quidem beneficentiam non ferentes huius mundi tenebræ, hoc eſt impij Phariſæi, Domino moliuntur inſidias, idq́; ex nimio liuore. Quid enim fecerat, ut Phariſæos ad interfectionem ſui prouocaret? Extenderat homo manum. Egregium factum, inquit Hieronymus. Quis enim Phariſæorum in die ſabbati non extendit manum, portans cibos, calicemq́; porrigens, & cætera quæ uictui neceſſaria ſunt? Si ergo manum extendere, & alimenta ſubleuare, uel potum in ſabbato, non eſt criminis: cur hoc in alio arguunt, quod ipſi facere coarguuntur? Propter quam ſanè maliciam ualde excandeſcẽs Dominus, iratoq; uultu ipſos intuẽs, ac tacitus ueluti eos increpans ſignificabat, quàm ipſi doleret inſanabilis malicia. Herodiani uerò uidentur fuiſſe magiſtratus Galilææ, ab Herode ordinati, nobiles, potentes, & rebus præfecti moderandis. Et illi, quia doctrinam Euangelicam quam ſentiebãt ſuis aduerſam moribus, odio plus quàm Vatiniano perſequebantur: libenter operam ſuam impendunt Phariſæis, ut communi conſilio & auxilio excindatur Euangelica ueritas. Ieſus autem ingratitudinem & ueſaniam impiorum hominum olfaciens, non conijcit ſe temerè in periculum: ſed ſecedit ad tempus, melioribus ſe ſeruans rebus, ſuisq́; exemplum ſuppeditans inſidias hoſtium declinandi, tum maximè cum ipſorum periculo nec hoſtes fieri poſſunt meliores, neq; ipſa ueritas reddi uel amplior uel illuſtrior. ueniensq; ad mare, ut benignus ac diues in omnes, ita neminem à doctrina ſua nec à ſanitatis beneficio ſubmouebat. Tantus autem erat ardor multitudinis ob auiditatem ſanitatis, ut alius alium protruderet, ac ui in eum irrumperent. Procidunt etiam coram ipſo immundi ſpiritus. Ipſe autem non ferens ab impijs prædicari ſpiritibus, aut ante tempus reuelari: interminatur illis ut taceant. Cæterùm quòd tanta Dominus Ieſus manſuetudine illorum impiorum hominum ueſaniam excepit, ne quis aſpernaretur, aut eius offenderetur longanimitate: prophetico teſtimonio apertè oſtendit Matthæus, ita conſtitutum eſſe diuinitùs. Deſcribit autem uates Iſaias capite 42. Chriſtum, & qualis ſit docendo futurus, ipſumq́; Dominum ſeruum uocat. Matthæus autem filium: ſed in idem recidit. filius enim Dei uerus ut erat, ita humiliauit ſe, formam ſerui accipiens, & habitu inuentus ut homo: Philip. 2. Hũc filium præ cæteris elegit ſibi Deus, & impertitus eſt illi ſpiritum ſuum manſuetum & lenem, cuius inſtinctu iudicium annunciaret, non ſolùm Iſraelitico populo ob ſatis omnibus ſpectatam ipſorum pertinaciam: uerumetiam omnib. gentibus, quod antea neſciebant. Non hoc autem aget (inquit Deus pater per prophetam) per tumultum aut uim. Non enim litigabit, neq; uociferabitur aduerſus contentioſos (erit enim mitis atq; manſuetus) Non erit oſtentator aut iactator, qui in ſuo miniſterio uideri & laudari cupiat: ſed fugiet omnem applauſum & oſtentationem. Præterea cunctis placabilis erit, & ueniam dabit peccatoribus. Non aſpernabitur imbecilles, neque infirmos, in quibus erit aliquid bonæ ſpei reliquum: hos fouebit potius, quàm opprimet. omnes enim conabitur ad ſalutem adducere, donec progreſſu temporis per ſe uincat ueritas: eoq́; ſua culpa proruperit ueſania impiorum, ut omnes intelligant, illos meritò repulſos & abiectos. Aderit aliquando uictor iudex, qui nunc adeſt humilis & benignus doctor: tunc gentes amplectentur illius doctrinam à Iudæis ſpretam, & in eo collocabunt ſpem ſuam, cui Iudæi fidere recuſarunt.

HARMONIAE EVANGELICAE
LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

VIDENS autem Ieſus turbas, miſertus eſt eis, quia erãt uexati, & iacentes ſicut oues non habentes paſtorem. Tunc dixit diſcipulis ſuis: Meſsis quidẽ multa, operarij aũt pauci. Rogate ergo Dominum meſsis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Factũ eſt aũt in illis diebus, exijt in montem orare: & erat pernoctãs in oratione Dei. & cũ dies factus eſſet, uocauit diſcipulos ſuos quos uoluit ipſe, & uenerũt ad eum: & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit, ut eſſent cum eo, & ut mitteret eos prędicare. Et conuocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatẽ. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc: primus Simon, qui dicitur Petrus: & Andreas frater eius: Philippus, & Bartholomæus: Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius: Thomas, & Matthæus publicanus: & Iacobus Alphæi, & Thaddæus: Simon Chananæus, & Iudas Iſcariotes, qui & tradidit eum. Hos duodecim miſit Ieſus, præcipiens eis, & dicens: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: ſed potius ite ad oues quæ perierunt, domus Iſrael.

Matth. 9.
Marci 3.
Lucæ 6.
Chriſtus prædicat turbis, & diſcipulos inſtituit.

COMMENTARIA.

CHriſtus priuſquam magiſtros & paſtores populi deſignet & emittat, indicat quantopere referat habere fideles paſtores. Et non leuiter quidẽ afficitur erga tantã calamitatẽ: quòd ſcilicet uideret, populũ diuini uerbi ſale & moderatoribus uitæ deſtitutum. Quod equidẽ factum ſciebat Phariſæorũ et Iudaicorũ ſacerdotũ incuria, qui patrũ ſuorũ exempla imitantes, ſe paſcebant, nõ gregẽ, ut de ipſis uerè dixerit Ezechiel: Væ uobis paſtoribus Iſrael, &c. cap. 34. Porrò meſſem uocat magnitudinem miniſterij quo egebant, inquit Theophylactus: operarios autem, eos qui docere debebant: quales tunc non erant in Iſrael. Significat item, permultos eſſe euangelicæ doctrinæ cupidos. Vtitur autem allegoria. Nam per meſſem intelligit populum ueluti maturum, id eſt ſitientem uerbum Euangelij: per Meſſores uerò, prædicatores regni Dei, idoneos qui poſsint rectè erudire in pietatis negotio, ac regni Dei myſterio. Addit porrò, doctores fideles cœlitùs à Deo deſtinari hominibus, & idcirco ardentiſsimis precibus poſtulandos eſſe à Domino Deo. Et quod hic præcipit Apoſtolis ſuis Ieſus, adeò omnibus ætatibus ac ſeculis, hominibus' ue præceptũ eſt, ut niſi ſic orent, ſalua integraq; eſſe nequeat Eccleſia. Et ipſe quidẽ Dominus Ieſus cumueniſſet in mundũ ſaluãdis omnib. per totũ orbẽ peccatoribus, auſpicatur rem illã deſignãdi legatos eos à precibus, & ab ardentiſsimis quidem. Orat aũt patrem ut homo uerus: ſed idem adoratur ab hominibus, ut Deus uerus, Heb. 1. pernoctans item in precibus, nõ tam arduũ oſtendit negotiũ, quàm perſeuerantiã in orãdo: et quàm oporteat diuinas & ardentiſsimas noſtras orationes eſſe. Porrò delectum agit Dominus, nõ quoſuis cõſecrans atque deſignans Apoſtolos: ſed optimos quoſq;. Electione itaq; et delectu opus eſt in Eccleſia. Quãquam autem eſſent præcellentiſsimi (de Iuda Iſcariothe nil dicimus, & quare tantũ nebulonem aſciuerit Dominus ad tam ſanctiſsimã functionẽ) oportebat tamẽ eos, tanquã primos Euãgelij concionatores, magna ſignorũ uirtute inſtructos eſſe: ut quemadmodũ Moyſes legẽ promulgãs multis prodigijs ac miraculis ſibi fidẽ parauit, ita illi ſibi authoritatẽ pararent ex uirtutibus. Nam doctrina quã afferebãt, uidebatur noua: ipſi uerò doctores, quamuis iam diu inſtituti eſſent à Domino, apud imperitum tamen uulgus idiotæ erant, unde nullam authoritatem habebant apud populum. Rectè uerò monuit S. Hieronymus, multam eſſe diſtantiam inter habere & tribuere, donare & accipere. Dominus quodcunq; agit, poteſtate propria agit: Apoſtoli ſi quid faciunt, imbecillitatem ſuam & uirtutem Domini confitentur,

dicentes: In nomine Ieſu ſurge, & ambula. Porrò duodecim Apoſtolorum catalogus ponitur, ut extra hos qui pſeudoapoſtoli futuri ſunt, excludantur. Et horum Apoſtolorum ordinem atq; meritum, illius quidem fuit diſtribuere, qui cordis arcana rimatur. Principiò autem coniunguntur duo fratres germani, & carne & ſpiritu fratres: Simon uidelicet, cognomento Petrus, quod à petra quam confitebatur, aſſecutus eſt: & Andræas. Secundò connectuntur filij tonitrui duo, maximo cum impiorum horrore uerba Euangelij tonantes: Iacobus ille ſenior, quem poſtea rex Herodes occidit gladio: & Ioannes, diſcipulus ille dilectus Ieſu, & Euangeliſta. Tertiò numerantur Philippus & Bartholomæus, graues ac illuſtres Apoſtoli: quamuis ipſorũ non multa fiat mentio in ſacris. Quartò nectuntur Thomas ille didymus, et Matthæus qui fuerat quondam publicanus, cui quidẽ crimen minimè nocuit, quod ſincera eluerat pœnitentia: qui propterea ſe publicanum appellat apertè, ut oſtendat, ubi abundauit iniquitas ſuperabundaſſe & gratiã. Quintò coeunt iterum duo fratres: Iacobus iunior & Alphæi filius, & Iudas Thaddæus, cuius dicitur eſſe epiſtola quæ ultimo loco ponitur inter canonicas. Vltimo nexu committũtur Simõ Cananæus, et Iudas Iſcariotes: cuius quidẽ cognominis triplicẽ originẽ ſiue cauſam aſsignauit Hieronymus. Vel enim à uico in quo natus eſt, uel ex tribu Iſachar, uel ex facinore nomẽ accepit. Nam Iſachar ſonet Hebræis mercedem: & pro mercede quidem iniquitatis uendidit hic Dominum atq; magiſtrũ ſuum Ieſum Chriſtum.

Vide autem, nõ coinquinat hic nebulo integritatẽ ſanctorum, neq; miniſteriũ ipſum, quanquã eſſet turpiſsimus. Teneamus ergo, doctrinã ueritatis & ſacratiſsima Sacramenta non eneruari ex indignitate miniſtri. Hos uerò non ſimpliciter miſit: ſed cum mandatis, ac ſolenniter. Et quòd tanta fide diligentiaq; miniſteriũ uerbi, ac miniſtros inſtituit: certè atteſtatur, uerbum ſalutis mundo fideliter annunciandum, quo ſaluus fiat, & in hoc potiſsimùm ſe miſſum eſſe. Quandoquidem autẽ primùm quidem promiſſa fuerat ſalus à Deo per prophetas: proinde ne quam calumniandi anſam præberet Dominus eis, & ne iuſtam excuſationẽ haberent, dicentes ideo ſe Dominũ reieciſſe, quia ad gentes & ad Samaritanos Apoſtolos miſerit: diligentiſsimè curat, ne cui per initia niſi Iudæis, regni filijs, & promiſsionum hæredibus, annunciaretur regnum Dei. Vnde non eſt contrarius locus iſte ei præcepto, quod poſtea dicit: Euntes docete omnes gentes. Et: Ite in mundum uniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Hoc enim dixit, cum iam ſatisfactum eſſet genti pertinaciſſimæ, obſtinatiſsimæq;, atq; illa maiori ex parte repuliſſet uerbũ ſalutis, dicentibus Apoſtolis Antiochiæ: Vobis oportebat primùm loqui uerbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce conuertimur ad gentes. Igitur præſens mandatum ad certum tempus promulgatum eſt à Domino. Porrò perditas oues Iſraelis appellauit populum Iſraeliticũ: quem perditum dicit, quia eum peccatis corruptũ, & iuſtis atq; fidelibus uidebat deſtitutum paſtoribus.

CAPVT SECVNDVM.

Matth. 10. More ouium mittit laceran dos dente luporum.

EVntes autem prædicate dicentes, Quia appropinquabit regnum cœlorum. infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite: gratis accepiſtis, gratis date. Nolite poſsidere aurum, neq; argentũ, neq; pecuniã in zonis ueſtris: non perã in uia, neq; duas tunicas, neq; calciamenta, neq; uirgam. Dignus eſt enim operarius cibo ſuo. In quamcunq; enim ciuitatem aut caſtellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus ſit: & ibi manete donec exeatis. Intrantes autem in domũ, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et ſiquidem fuerit domus illa digna, ueniet pax ueſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax ueſtra reuertetur ad uos. Et quicunq; non receperit uos, neque audierit ſermones ueſtros: exeuntes forãs de domo uel ciuitate, excutite puluerẽ de pedibus ueſtris. Amẽ dico uobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Ecce ego mitto uos, ſicut oues in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Cauete autem ab hominibus. tradent enim uos in concilijs, & in ſynagogis ſuis flagellabunt uos: & ad præſides & ad reges ducemini propter me, in teſtimoniũ illis & gentibus. Cum aũt tradent uos, nolite cogitare, quomodo aut qd loquamini. dabitur enim uobis in illa hora qd loquamini. Non enim eſtis uos q loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri qui lo-

Infra Math. cap. 23. Lucæ 11.

qui loquitur in uobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficiẽt. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit. Cum autem perſequentur uos in ciuitate iſta, fugite in aliam. Amen dico uobis: non conſummabitis ciuitates Iſrael, donec ueniat filius hominis. Et exeuntes prędicabant, ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabantur.

Marci 6.

Theophylect.[a] Quòd unxerunt Apoſtoli oleo, ſolus Marc[us] narrat, quod & frater Domini Iacobus in catholica epiſtole dicit: Infirmetur quis inter uos; aduocet ſeniores Eccleſiæ, & orent ſuper illum, ungentes eum oleo. Eſt igitur oleum & ad labores utile, & lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum, ſignificatque miſericordiam Dei, & gratiam ſpiritus, per quã à labore liberamur, & lucẽ ac gaudium & hilaritatem ſpiritualem accipimus. Hæc ille.

COMMENTARIA.

Iubet prædicare Apoſtolos, quod ipſe prior prædicarat: pœnitentiam uidelicet, & remiſſionẽ peccatorum. Omnibus autem neruis intenſis fecerunt hoc Apoſtoli. Ad quem certè ſcopum collimare debent etiam hodie ſermones ſuos, omnes qui Chriſtũ prædicãt. Porrò ne hominibus ruſticanis (ait Hieronymus) et abſq; eloquij uenuſtate indoctis & illiteratis nemo crederet, pollicentib. regna cœlorũ: dat poteſtatẽ infirmos curare, leproſos mundare, dæmones eijcere: ut magnitudinem promiſſorum probet magnitudo ſignorũ. Et quia ſemper dona ſpiritualia, ſi merces media ſit, uiliora fiunt, adiungitur auaritiæ condemnatio. ait enim: Ego magiſter & Dominus ueſter abſq; precio hoc uobis tribuo, & uos ſine precio date, ne Euangelij gratia corrumpatur. Porrò cum ipſe Dominus binis tunicis cinctus fuerit, idem & peram & æs in zona, imò quæſtorem ærarium habuerit: perinde eſt quod hic dicit, ac ſi dixiſſet: Nolo uos eſſe ſolicitos de eo, quomodo paretis uobis uictum & amictum, aliaq; ad hanc functionẽ ſuſtinendam neceſſaria: nolo ut iſtarum rerum cura anxia uos impediat & remoretur. Erunt enim ubiq; homines cordati & benigni, qui ipſa regula naturæ (quæ dictat quemlibet operariũ ſua mercede eſſe dignum) docti intelligent, indigniſſimum eſſe, ut quis ſuis militet ſtipendijs: ac idcirco uobis quoq; grauiter in uinea Domini laborantibus ſuppeditabunt uitæ neceſſaria: uos tantum eſtote ſeduli, alacres, ac ſtrenui in functiõe ueſtra. Atq; hunc locum non aliter intellexit etiam ipſe apoſtolus Paulus, quando ſcripſit ille: An neſcitis, quòd ij qui in ſacris operantur, aut ſacrario aſſiſtunt, cum ſacrario partem accipiunt: ſic & Dominus ordinauit, ut qui Euangelium annunciant, ex Euangelio uiuant: 1. Cor. 9. Chriſtus uerò nõ ad omnes iuſſit ire diſcipulos, ne mixti indignis arguantur: nec ut diuertãt in diuerſoria meritoria, ſed ingreſſi primùm inquirant, num quis ſit illic probitate uitæ commendatus, & auidus regni cœleſtis, cui mundus hic tædio ſit, qui pijs querimonijs ſubinde ſuſpiret promiſſum Meſchiam, qui ſimplicitate morum, beneficentia in pauperes, maioris etiam profectus ſpem de ſe præbeat. Per ſalutationem autem quam dicant, atq; pacem, benedictionẽ (ait Theophylactus) intellige, quæ apud ſolos dignos manet. Et dicere iubet iuxta morem Syrorum Salomlach: id eſt, pax tecum. Sunt qui hoc de prædicatione Euangelica intelligant & exponant. ut ſit ſenſus: Salutate domum illam, id eſt ſalutem prædicate familiæ iſti. At ſalus noſtra, pax, & redemptio Chriſtus eſt. Chriſtum itaq;, hoc eſt ſeipſum Dominus iubet. Et proinde ita dixerunt Apoſtoli: Dominus huic familiæ certò erit propitius, ipſaq; pax, ſalus & incolumitas ad uos peculiariter pertinet, ſi credideritis. Hac autem pacis ſalutiſq; prædicatione, uoluit Ieſus ſuos indagare Apoſtolos, explorareq;, idonea ſit domus illa ſuſcipiendo Apoſtolum, an minus. Nam ubicunq; corda in hominibus honeſta ſunt, ibi oblatam ſibi mox honeſtatem agnoſcunt, & recipiunt: Et qui receperint, inquit, age uolo ut ueniat pax ueſtra, id eſt ſalus à uobis prædicata, ſuper ipſos. Rurſus ſi non receperint uerbum ſalutis à uobis repromiſſum ipſis, nihil uobis peribit de ſalutatione ueſtra. Quod enim aſpernantur illi, redibit ad uos: imò uobis ſalutare erit, quod uos ueſtro eſtis officio functi fideliter, ac quantum in uobis erat, uoluiſtis communem illis communicare ſalutem. Præcipit item Dominus, adeò nihil commodi terreni ab his uenari quibus ueniſſent prædicatum Euangelium, ut ne puluerẽ quidem uiliſſimum, pedibus adhærentem, ſibi uelint uendicare. Deinde ut palàm teſtificentur, ipſos ſuapte culpa perire, & nulla moroſitate Dei: ſic que adumbrent impiorum interitum, qui (ut propheta ait) diſijciuntur à facie Domini, ut ſolet puluis à facie uenti. Cæterùm malè cedet illis. Non impunè, inquit Dominus, aſpernabuntur uos miniſtros meos. Veritatem certiſſimam dico uobis, quia multo clementius ſupplicium de Sodomitis ſumptum eſt, quàm ſumetur de illa ciuitate, quæ Euangelium repulit meum per uos annunciatum ac prædicatum, ubi aduenerit illud ipſum tempus quo pœnas exigam commeritas. Sub hæc exponit diſcipulis Ieſus pericula,

Gene. 19.

pericula, quibus ob ueritatis præconium inuoluendi illi. ac conſolatur ipſos: Ecce, inquit, rem nouam, uobiſq; inexpectatam ſum expoſiturus, unde non oportet animis conſternari. Ouibus nihil eſt ſimplicius, innocentius, & magis imbelle: lupis uerò nihil eſt uoracius, & crudelius. Cum ergo ego uos ſimplices ac probos ablego in mundum, prædicatum Euangelium de regno Dei, perinde eſt, ac ſi quis ouiculam emittat in medium luporum: inter hos non eſt quod aliud expectet, quàm ſui ipſius lacerationem. Ita uos quoq; nihil aliud in mundo ex ueſtro miniſterio uobis polliceamini, quàm flagitioſorum hominũ odia et perſecutiones. Cum hæc ita ſe habeant, eſtote prudẽtes ſicut ſerpentes, qui arte magis quàm uirib. ſuã tuentur incolumitatem. Sic autem iubeo uos Apoſtolos meos cautè ambulare, ac prudenter in omnibus agere, ut interim quoq; ſimplices ſitis: hoc eſt ſinceri, & abſq; omni malitia, nullumq́; offendentes. Prudenter inquã, uos gerite, & cauete ab illis quos prius dixi lupos, per prudentiã deuitantes eorum inſidias. Tradent enim uos in conſeſſus iudicũ & ſenatorũ, ac in cœtibus in quibus dogmata à uobis aſſerta diſcutientur, ea damnabũtur ceu erronea & ſeditioſa, eáq; propter flagris uos cædent. Et uerum dixit. Hoc enim factũ, actateſtantur cap. 5. 12. et alibi. Et hæc quidem uincula Apoſtolorũ ceſſerunt tam Iudæis quàm gentibus, in teſtimoniũ eius rei, quòd Dominus Deus ipſis miſit uerbũ ſuũ, ac eos ſanare uoluit, ipſi uerò renuerũt: unde iam hæret in ipſis culpa perditionis eorũ. Rurſum piè admodũ, fideliterq́; alloquitur Chriſtus ſuos diſcipulos, ita dicens: Dixi, in ſynagoga diſputabitur de doctrina et concionibus ueſtris. Quoniam uerò uos idiotæ ac diſputandi arte parum inſtructi, cum Rabinis Iudæorum eruditiſsimis, exercitatiſsimiſq́; in omni diſciplinarũ genere philoſophis committendi, metu ſollicitudineq́; tenemini, ueluti impares tantæ rei: ecce conſolationem ueſtram. Non eſt humanum negotium quod geritis, ſed diuinum: cuius uos non autores eſtis, ſed organa. Nec enim uos illic loquimini, ſed Spiritus ſanctus, ſpiritus patris ueſtri loquetur per ora ueſtra. Hinc quoq; colligere licet, ad quẽ autorẽ referamus doctrinam Apoſtolicã: non utiq; ad Apoſtolos ceu homines, ſed ad ipſum ſanctum Spiritum. Deinde uerò ait: Miri in orbe motus ob prædicatum Euangelium exorientur, in quibus homines ueluti beſtiæ rabidæ, omnis pietatis omniſq; neceſsitudinis obliti inſanient in Euangelicæ pietatis ſtudioſos, fratres, conſanguineos, & affines ſuos. Cauſa uerò horum motuũ, & huius odij, nomen meum erit: non quòd ego ſim ullius diſsidij autor, ſed hominum malitia rebellioq́; turbas has excitabit, quia hanc purã cœleſtemq; doctrinã ferre nequit impurus hic mundus, libidine cæteriſq; terrenis cupiditatibus undiq; corruptiſsimus. Porrò ne quis ob magnatum totiuſq́; mundi dira odia diuino ſeſe miniſterio ſubduceret, aut in medio concideret curſu, appoſuit ingens & magnificum præmium Chriſtus: Qui ſuſtinuerit, inquit, uſq; in finem, hic ſaluus erit. En mercedem laborum ueſtrorum, ipſam ſcilicet beatitudinem, qua nihil iucundius excellentiuſq́; unquam homini contingere poterit. Erit enim gloria uitæ ac immortalitatis perpetuæ. Eò reſpiciens olim D. Paulus: Certamen, inquit, bonum certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: quod ſupereſt, repoſita eſt mihi iuſticiæ corona, quam reddet mihi Dominus in die illo, qui eſt iuſtus iudex: non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui diligũt aduentum ipſius. Cæterùm ut modus eſſet in conſtantia, ratioq́; certa & iuſta in perſeuerantia, ne uidelicet hæc abiret in audaciã quandam: monet, ne temerè ſeſe conijciant in pericula, ac inquit: Licebit ſaluti ueſtræ fuga conſulere. Itaq; ubi indicijs & experimentis ſatis efficacibus deprehenderitis, uos gloriam meam porrò nihil promouere poſſe: concedite liberè ad alias ciuitates. Et fecerunt hoc Apoſtoli, in primis Paulus. Hic uerò obiecerit aliquis: Sed deerit tandem locus tuus, in quem fugiant. Reſpondet Dominus: Priuſquam uos eiecerunt ex omnibus locis ſuis Iudæi, aderit filius hominis. Id quod in malam partem interpretandum eſt. Venit enim filius hominis, nõ tantum cum ſuis fert auxilium, ſed cum etiam ſuos hoſtes punit. Quidam ſic expoſuit: Nunc breue tempus eſt, et properandum. In proximo enim eſt regnum Dei. Illud cõfirmo uobis, priuſquã uos perambulaueritis omnes ciuitates Iudææ, iã filius hominis ſe proferet, et aderit uobis periclitantibus, ac ſuo conſpectu ſolabitur.

CAPVT TERTIVM.

Matth. 10.
Admonet atq; crucem tollere quemque ſuam.

NOn eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, nec ſeruus ſuper Dominum ſuum: ſufficit diſcipulo ut ſit ſicut magiſter eius, & ſeruus ſicut domin' eius. Si patrẽfamiliâs Beelzebub uocauerũt, quãto magis domeſticos ei'? Ne ergo timueritis

mueritis eos. Nihil enim opertum eſt quod non reueletur, & occultũ quod non ſciatur. Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure audìtis, prædicate ſuper tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animã autem non poſſunt occidere: ſed potius eum timete, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Non'ne duo paſſeres aſſe uæneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre ueſtro? Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis uos. Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis eſt: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis eſt. Nolite arbitrari quia pacem uenerim mittere in terram. non ueni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filium aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis, domeſtici eius. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam plus quàm me, non eſt me dignus: & qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui inuenit animã ſuam, perdet eam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet illam. Qui recipit uos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. Et quicunq; potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine diſcipuli: amen dico uobis, non perdet mercedem ſuam.

Cum autẽ conueniſſet innumera turbæ multitudo, adeò ut ſe inuicem conculcarent, &c. Lucæ 12.

Lucæ 12.

Comitabãtur autem illũ turbæ multæ, & conuerſus dixit illis: Si quis uenit ad me, nec odit patrẽ ſuum, & matrem, &c. Lucæ 14.

COMMENTARIA.

Sequitur elegans conſolatio Chriſti, mixta adhortatione, huc ſpectans, ut ſui omnibus perſecutionibus & iniurijs & quibuſlibet periculis contemptis, conſtanter pergant ueritati Euangelicæ ferre teſtimonium. Profert ergo Dominus ſuum exemplum, ac ipſum aptat per comparationem, ſic inquiens: Videte quid mihi uſueniat, qui ſum ueſter Dominus atq; magiſter: & cum talis ſim, ſanctus uidelicet, probus ac innocẽs, appellant me tamen Beelzebub. Quòd ſi uerò me patremfamiliâs tam indignis contumelijs affecerunt, ut ſpurciſsimi & impuriſsimi dæmonis nomen impoſuerint, mihi inquam filio Dei: quid mirum, ſi idem audebũt in uos, ſeruos meos & domeſticos? Scio graue malum uideri infamiam, ac propemodum morte acerbius: ſed laus eſt, non infamia, quæ ob Euangelium infertur ab impijs. infracto itaq; animo eſtote, conſtanter ueritatem profiteamini, nihil metuentes curanteſq; illorum conuicia probroſa, & infames delationes. Hoc uerò conuicij genus, Chriſti & Apoſtolorum ſeculo omnium fuit ignominioſiſsimum. Semel enim hac uoce complexi ſunt, quicquid eſt impuritatis & nequitiæ ſatanicæ. Beelzebub autem ſignificat Deum muſcarum: Coluit ipſum Paleſtina, fortaſsis contra inſectarum omnium diuexationes. Et ex principio 4. lib. Regum colligere licet, Beelzebub quæſitum edidiſſe miracula. Vnde certum eſt, Iudæos per conuicium iſtud intellexiſſe hominem diabolicum magum, & propterea Deo & hominibus abominabilem. Vtitur præterea Dominus prouerbiali locutione, qua etiam uſum uidemus Tertullianum in Apologetico ſuo: Tempus, dicentem, omnia reuelat. Quod autem prouerbio celebratur, idipſum ueriſsimum eſſe, rerum euentus experientiáque comprobat. Apoſtoli enim & multæ Martyrum chiliades, ab Imperatoribus principibúsque damnatæ ſunt pro impijs & conſceleratiſsimis: Nunc uerò tempus ipſam ueritatem aperuit, ut rectiſsimè uidere ac iudicare queamus, miniſtros Chriſti fuiſſe innoxios, & de republica Chriſtiana optimè meritos: aduerſarios uerò ipſorum fuiſſe homines impios, ac totius reipublicæ peſtẽs. Præterea ſanctos Chriſti Martyres per temporariam ignominiam perueniſſe ad æternam gloriam, & immortalitatem: perſecutores uerò illos protinus à morte corporea in tartara, ſempiternamq; pœnam præcipitatos. Tantum itaque dixit Ieſus: Dicent uos eſſe magos & ſeditioſos, ſed hæc ignominia poſtea uertetur in gloriam. Eluceſcet tandem orbi ueſtra ſinceritas, quam omnes laudibus uehent: execrantes eos qui uos falſa fœdarant infamia. D. Hieronymus opinatur, hæc de futuro ſeculo intelligenda, quando

iudicabit

iudicabit Deus abſcõdita hominum. ut ſit ſenſus: Nolite timere perſecutorum ſæuitiam, & blaſphemantiũ rabiem: quia ueniet dies iudicij, in quo & ueſtra uirtus, et eorum nequitia demonſtrabitur. Quamobrem quod audiſtis in myſterio, apertius prædicate: quod didiciſtis abſconditè, loquimini publicè: quod uos erudiui in paruulo Iudææ loco, in uniuerſis urbibus & in toto mundo audacter dicite. Ergo in tectis prædicare, paraphraſtica quadã notatione ponitur, pro eo quod eſt: palàm in uulgus ſpargere commiſſum, & quàm latiſſimè euulgare concreditum. Quid uerò illum metuere oportet, qui non poteſt, quantumuis potens ſit, aliud quàm ærumnoſum illud, & infinitis obnoxium morbis malisq́; corpus occidendo eripere: animam uerò, utpote ſpiritum immortalem, & in ſolius Dei potentiſſimus manibus conſtitutum, occidere non poteſt? Deum magis timete, qui, ſi ab eius receſſeritis religione atq; præceptis, primum quidem morte corporea uos abripere: deinde uerò & animam in tartara excruciandã præcipitare: poſtremò & mortuum cadauer excitare, animaq; reducta uiuificare, & utraq; iam coniuncta in æterna ſupplicia ſine fine torquenda proijcere poteſt. In his pauciſſimis Domini noſtri Ieſu Chriſti uerbis, maxima fidei & religionis noſtræ capita comprehenduntur: animarum uidelicet immortalitas, corporum reſuſcitatio, demum æterna gaudia, & ſupplicia æterna. Cum igitur dura & acerba uidetur homini mors: cogitandum eſt, hominẽ conſtare anima & corpore: & altera quidem ſui parte mortalem, altera immortalem eſſe. Moritur corpus, cum ab anima deſeritur: Anima uerò tametſi immortalis ſit, & poſtquam cœpit Dei beneficio uiuere, nunquam deſinit uiuere, etiam à corpore ſeparata: eadem tamen dicitur mori & occidi, quando ipſius ſummi Dei, in quo ſupremum bonum conſiſtit, cõſpectu deſtituitur. manet autem in ſupplicijs ut maximis, ita nunquam terminandis. Iuſtorum autem animæ ediuerſò in manu Dei ſunt, dicente Scriptura, Et non tanget illas tormentum malitiæ. Viſi ſunt iuſti oculis inſipientium mori: illi autem ſunt in pace. Abeant itaq; in malam crucem, Epicurus, ſtulti philoſophi, & hæretici impoſtores. Ait porrò Chriſtus diſcipulis ſuis: Si parua animalia et uilia abſq; Deo autore non decidunt, et in omnibus eſt prouidentia: & quæ in his peritura ſunt, ſine Dei uoluntate nõ pereunt: uos qui æterni eſtis, non debetis timere quòd abſq; Dei uiuatis prouidentia. Quòd autem ait, Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt: immenſam Dei erga homines oſtendit prouidentiam, & ineffabilem ſignat affectum: quòd nihil noſtrũ lateat Deũ, etiã parua et otioſè dicta eius ſcientiã nõ fugiãt. Huc ergo tendit cõſilium Domini, ut ſuos animet atq; confirmet, ne uel mortẽ metuãt præproperã: quæ quanquam eſt uiolenta, nõ ueniet tamen ante diẽ: quandocunq; ueniet, nõ ueniet abſq; prouidentia diuina. Non patietur Deus ſuos occidi, niſi cum maximè expediet eos mori. Et præſertim, quòd multo pluris ſint paſſeribus. Huc igitur uitæ mortisq́; noſtræ cura relinquenda. Et conſolari nos poſſunt hæc uerba in maximis periculis, quòd uidelicet citra Dei uoluntatem ac prouidentiam nihil eueniat: ac Deũ patrẽ omnia agere in utilitatem et gloriã filiorũ ſuorũ, ipſum nuſpiã dormire nec ceſſare: ſed ubiq;, & ſemper, et in omnib. ſalutem procurare liberorũ. Iam uerò Dominus Ieſus ſuos illos Apoſtolos ad conſtantẽ adhortãs Euangelicæ ueritatis prædicationẽ, quam liberè & intrepidè toti mundo annunciẽt, cõtemptis omnib. uitæ huius periculis: ſui nominis cõfeſſionem exigit apertã. Et quò uehementius cõmoueat, addit ingentem præſtantiſſimi præmij promiſſionẽ, ac rurſus abnegantibus extrema quæque mala minatur. Significat aũt Confiteri hic, ingenuè profiteri ueritatẽ Euangelicã: hoc eſt, cõſtanter fateri Ieſum Chriſtũ uerũ Deum & hominem unicam eſſe orbis ſalutem, per quem ſolùm iuſtificentur fideles, & in quo habeant omnem plenitudinem. Enimuerò talem nominis Chriſti confeſſionem primus fecit Petrus apoſtolus, cum coram ſenatu & collegio ſacerdotum Hieroſolymitano dixit: Hic eſt lapis ille, qui reiectus eſt à uobis ædificantibus, qui factus eſt caput anguli, nec eſt in alio quoquam ſalus. nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, &c. Ita ergo expreſſè & ſignificanter Chriſtum confiteri oportet, ut omnes intelligãt, nos in hoc uno, et nõ in alio quoquã ſummã et omne præſidiũ ſalutis noſtræ cõſtituere. Confitenda eſt aũt cum Petro ingenuè et apertè uera ac naturalis eius diuinitas & humanitas. Porrò cõfitentibus pollicetur beneficium ingens & præſtantiſſimum, quòd uidelicet hos pro ſuis uelit agnoſcere corã patre ſuo cœleſti. Hoc ſanè maximum erit, ac glorioſiſſimũ, ubi Chriſtus in cõſpectu patris, & in corona omnium angelorum, & ſanctorum omniũ, aliquem pro fideli miniſtro agnouerit, & eius fidem, confeſſionem, ingenuam uirtutem et cõſtantiam prædicabit. quemadmodũ turpiſſimum ignominioſiſſimumq́; erit, ubi dicturus eſt quibuſdam Chriſtus: Neſcio uos: diſcedite

à me

à me omnes qui operamini iniquitatem, quia nunquam noui uos. Quamobrem olim pij homines ingenti uoce exclamauerunt, ſe non ſacrificaſſe idolis: ſed eſſe Chriſtianos, quibus nephas ſit prophanis communicare ſacris: cuius rei tale apud Eutropium extat exemplum. Cum multa excogitaret Iulianus apoſtata, quibus paganorum ritus extolleret: inuenit modum, qui plurimis Chriſtianis militibus claræ uirtutis coronam dedit. Cum uenisset itaq; tẽpus, quo imperialia milites ſolent dona percipere: iuſſit ut unuſquiſq; ad manus Imperatoris accedentium, ab officijs admonitus primò incenſum offerret (erat enim ante ipſum thus poſitum, & ara) ſecundum antiquam Rom. conſuetudinem. Tunc alij quidem licenter ſuam oſtenderunt fortitudinem, & neq; incenſum ferre, neque donum accipere paſſi ſunt: alij uerò occaſione legis & antiquitatis neq; mente perceperunt quod commiſere peccatum. Plurimi ſiquidem per ignorantiã decepti, dum inter cibos (ut aſſolet) et pocula inuocarent in alterutros Chriſtum, reſpondens quidã dixit: Quid patimini inuocantes Chriſtum, quem antè paululum denegaſtis, dum donũ ab imperante percipientes thus in ignem mitteretis? Cumq; hoc milites audiſſent, & quod geſſerant agnouiſſent, ſtatim exilientes publicè currebant, atq; impetu facto clamabant: Deumq; ſuum & cunctos homines teſtabantur, ſe Chriſtianos eſſe. Et poſt pauca: Cum, inquit, Iulianus talia audiſſet, furore commotus præcepit, capita eorum incidere. Et cum ducerentur ad mortem, ſequente populo, & mirante uirtutem eorum pro pietate ſuſceptam: uenerunt ad locum, quo rei puniri ſolent. Tunc ſpiculatorem rogauit ſenior omnium, ut ante omnes caput cuiuſdam nomine Romani, adhuc adoleſcentis, abſcinderet, ne dum aliorũ reſpiceret mortem, frangeretur. Cumq; ille genua fixiſſet in terra, & ſpiculator gladium euaginaſſet: uenit repentè nuncius, clamore prohibens necem. Porrò iuuenculus ille occiſione priuatus ait: Non fuit Romanus dignus, ut Chriſti martyr appellaretur? Ecce quanta conſtantia atque uirtus Chriſtianorũ, pro pietate ſuſcepta. Quòd porrò legimus, uaria diſſeruiſſe Chriſtum de diſſidijs, perſecutionibus, ac ferenda cruce: Apoſtoli more aliorum Iudæorum non intelligentes, pollicati ſibi ſunt neſcio quid carnalis ſecuritatis, in regno Meſſiæ. Subiungit ergo nunc Dominus, dicens: Nolo quiſquam meorum putet, me ideo ueniſſe, ut talem inter homines concordiam faciam, qualem optat mundus, ſecuram & luxurioſam, & qua pulchrè conueniat animis, iiſdem morbis uitijsq; laborantibus: ſed immiſſurus ſim potius gladium uerbi Dei, quo corruptelæ illæ mundanæ amputentur, & ad uiuum reſecentur à malis boni. ita enim uſta inter Deum & hominem, & hominum optimorum inter ſe ſperanda eſt concordia. Sic quoque Chriſtus princeps pacis eſt, & regnum Chriſti pacis regnum, qua bene nobis cum Deo conuenit, quem credimus propter Chriſtum nobis eſſe placatum: atque idcircò ambulamus in præceptis eius, fugimus & execramur mundanas concupiſcentias, conuenimus cum bonis omnibus, diſſentimus à prauis atque peruerſis. Cæterùm ſequentibus per enumerationem exponit Chriſtus, quomodo uenerit gladiũ miſſurus in mundum, & ait: Omnibus offero ſalutem, quam ſi amplectantur omnes, nullum erit diſſidium. Per ſe quidem Euangelium res eſt pacifica: ſed aliorum uitio concitatur ſeditio. Ergo cum filius Euangelium recipit, errores abijcit, & ſcelera fugit: Pater uerò ijs adhuc innexus, & corruptelæ mundi adhuc addictus, non poteſt non odiſſe filium, quem uidet ſecus animatum, ac diuerſa ſectari ſtudia: res'que illa huc recidet, ut qui olim fuerunt domeſtici, hoc eſt amici intimi, coniunctiſſimiq;, porrò futuri ſint inimiciſſimi, alieniſſimiq;. Sicq; auditores ſuos Dominus commonuit, pios magna prudentia & cautione uerſari inter homines cæteros, apud quos nihil erit tutum, ut hic maximè oporteat ad diuinum confugere auxiliũ, dicente Michea: Ego uerò ad Dominum ſpectabo, & ſperabo in Deum ſalutis meæ, exaudietq; me Deus meus. Iam ne quis pietatem obtendat, ac reuerentiam parentum præferat fidei & obedientiæ Euangelicæ: plenius inſtruit pios, quo animo in huiuſmodi diſſidijs erga parentes, præſertim autem erga Deum eſſe oporteat affectos. ac dicit: Omnia aſpernanda ſunt propter ueritatem Euangelicam, quæcunque in hoc mundo chara, precioſa, & magna eſſe uidentur. Porrò ſignificanter dixit, Supra me. Non enim iubet ſimpliciter contemnere parentes, ſed cum conditione. Ita ſanè ama poſt Deum patrem, inquit Hieronymus, ama matrem, ama filios. Si autem neceſſitas uenerit, ut amor parentum ac filiorum Dei amore comparetur, & non poſſit utrumque ſeruari: odium in ſuos, pietas in Deum eſt. Quemadmodum autem Chriſtus contempta hac uita temporaria contendit ad æterna: ita ſanè nemo prorſus idoneus Chriſti philoſophiæ diſcipulus erit, niſi ſemetipſum prorſus abneget, adeo'que totum ſe cruci & morti conſecret. Iam uerò ne ad grauia ac dura iſta

Vide Theophylactum in Luce caput 14.

prorſus animo conciderent, et uitam potius quàm cruces & mortes eligentes ab Euangelio deficerent: indicat Chriſtus, uitam iis amitti rationibus, quibus mundus retinere contendit: teneri uero iis, quibus putat deperdi. Qui igitur abnegato Chriſto & uiuo eius Euangelio carcerem effugit, & mortem euaſit, uidetur quidem uitam lucrifeciſſe: ſed reuera perdidit. excidit enim uita cœleſti, incidit'que in mortem æternam. Qui uerò intrepidè Chriſto adhæret, & conſtanter Euangelicam confitetur ueritatem, & propter hanc fortiter occumbit: uidetur quidem hominibus interiiſſe, cum is demum uere uitam lucrifecerit. nam in æternum ſeruabitur. Poſtquam autem ſuos diſcipulos ita ad conſtantiam & in functione perſeuerantiam extimulauit: addit per gradationem, ipſos ſuſcipiendos qui ita mittantur. Miſit quidem pater cœleſtis, uniuerſorum conditor, Dominum Ieſum: Dominus Ieſus miſit Apoſtolos: & Apoſtoli rurſum alios. Colligitur ergo inde, Deum ipſum toties contemni, quoties eius miniſtri contemnuntur. Magna eſt ergo miniſterii uerbi Dei dignitas, cum apertiſſimè audiamus, miniſtros illos Chriſti legatione fungi, ut Apoſtolus loquitur: imò Deum & ipſum Chriſtum hortari, & rogare homines per ora ac uerba miniſtrorum. Vnde non eſt ſpectanda miniſtri perſona: ſed ipſe potius Dominus, cuius uerba proferuntur. Iam & præmium copioſe exponit & ornat, quo donare eos uelit qui ſuos legatos recipiunt: mercede nimirum prophetæ. Eſt autem merces prophetæ illud ipſum, quod atteſtatur ſiue confert propheta: quòd ab ipſo Deo, cuius nomine ille uenit, expectatur: gratia uidelicet, peccatorum remiſſio, & uita æterna. Porrò poterat, ait Hieronymus, occulta eſſe credentium reſponſio: ergo & pſeudoprophetas debemus recipere, & illis alimoniam miniſtrare. Hoc Dominus antè procurans dicit, non perſonas ſuſcipiendas eſſe, ſed nomina: & mercedem nõ perdere ſuſcipientes, licet indignus fuerit qui ſuſceptus ſit. Et ſi quis cauſari uellet, ac dicere: Paupertate prohibeor, tenuitas me retinet, quo min⁹ hoſpitalis eſſe poſſim: ſic diluit, ut præcipiat calicem aquæ frigidæ & nõ calidæ porrigendum, huicq; mercedem eſſe paratam.

CAPVT QVARTVM.

Lucæ 7. Suſcitatur à Chriſto filius unicus matris uiduæ.

ET factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus præcipiens duodecim diſcipulis ſuis, tranſiit inde ut doceret, & prędicaret in ciuitatibus eorũ. Et factũ eſt deinceps, ibat Ieſus in ciuitatẽ, quæ uocatur Naim: & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ: & hæc uidua erat. & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum uidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſsit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, ſteterunt. Et ait: Adoleſcens tibi dico, ſurge. & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deũ, dicentes: Quia propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus uiſitauit plebem ſuam. Et exiit ſermo hic in tota Iudæa de eo, & in omni finitima regione.

COMMENTARIA.

Dominus non ocio ac quieti ſe addicit, quòd plures ad prædicandum ablegaſſet: ſed ipſe quoq; nihilominus pergit & docere & prædicare. Docere quidem colloquiis priuatis: prædicare uerò palàm ac publicè. Proficiſcebatur autem per Galilæam, ut in oppidulis et locis celebrioribus prædicaret euangelium regni. In ea uerùm profectione appropinquabat etiam Naim oppido. Sequebatur autem Dominum ſatis copioſa uerè credentium turba. Et illi homines initio prædicationis Euangelicæ appellati ſunt Diſcipuli Ieſu, mox etiã (ut Acta teſtãtur) Chriſtiani. Secuta eſt quoque promiſcua turba, excitata fama Ieſu, & admiratione miraculorũ quæ fiebant à Domino. Cæterùm hoc cum comitatu dum ueniret ad portam Naim, diuina prouidentia efferebatur funus (fuit enim priſcis ſepeliendi mos extra oppidorum mœnia, in loco aliquo amœno et decoro) magna hominum concomitantiũ frequentia. Funus erat flebile. Primùm, quòd adoleſcẽs in ipſo uitæ flore eſſet mortuus: deinde, quòd uiduæ filius, & unicus quidem, in quem mariti ſolatio orbata totam uitæ ſpem collocarat. Eam aũt officii gratia ingẽs hominum turba comitabatur, exemplo ſuo cõmendans humanitatẽ, quam etiã defunctis debemus. Videns eam Dominus plangentem, ex imis com-

* Optimus lector uideat Chryſoſtomũ in 1. caput Epiſtolę ad Philippenſes. Item in 15. prioris ad Corinthios.

miſeretur

miſeretur uiſceribus, conſolatur'que illam, ac bono animo eſſe iubet, ſua ſponte ex mera gratia & miſericordia beneficium conferre uolens, ſuámque declarare potentiam diuinam. Accelerat ergo ad loculum, & hunc attingit, & ſua poteſtate mera utens imperat mortuo, & morti. Et hæc quidem uox atque uirtus præcipientis Chriſti efficaciſſima fuit. Reſedit enim protinus qui mortuus fuerat adoleſcens, ruptis lethi uinculis. Et ne quis putaret ſpectatoribus præſtigio aliquo præſtringi oculos: non reſedit mortuus tantùm, ſed loquitur etiam, ſurgit & inambulat pedibus proprijs; quem modò quatuor bauli extulerant. Proinde nemo diffidat uerbis & promiſſis eius qui mortuos in uitam reuocat, & uiuentes in uita conſeruat. Cæterùm ex nimio hoc Chriſti beneficio exoritur timor, & reuerentia in populo erga benefactorem & Dominum potentiſſimum, ut iam de ipſo præclarè ſentire inciperent. Vt enim Deum omnis boni fontem glorificant, laudant; eiq; omnem gloriam tribuunt: ita agnoſcunt eundem uiſitaſſe populum, & miſſo propheta egregio (nondum enim agnoſcebant in Chriſto diuinitatem) utilitatem atque ſalutem populi curare & prouehere. Hoc beneficium Chriſtus non uult paucis eſſe notum: ſed commune omnibus in terra hominibus. Ideo famà de Chriſto primùm in Iudæàm, mox in circumiacentem regionem, poſtremò in uniuerſum delata eſt atq; diffuſa: ut pij inde diſcant Ieſum eſſe Chriſtum, filium Dei, & ut credentes uitam habeant in nomine eius.

CAPVT QVINTVM.

ET nunciauerunt Ioanni diſcipuli eius de omnibus his. Ioannes autem cum audiſſet in uinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui uenturus eſt, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus, ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis, & uidiſtis. Cæci uident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt: (in ipſa enim hora multos curauit à languoribus ſuis, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donauit uiſum) pauperes euangelizantur, & beatus quicunque non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum uidere? arundinem uento agitatam? Sed quid exiſtis uidere? hominem mollibus ueſtimentis indutum? Ecce qui in ueſte precioſa ſunt & delicijs, in domibus regum ſunt. Sed quid exiſtis uidere? Prophetam? Vtique dico uobis, & plus quàm prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Amen dico uobis, Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta. Qui autem minor eſt in regno cœlorum, maior eſt illo. A' diebus autem Ioannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Omnes enim prophetæ & lex uſq; ad Ioannem prophetauerunt. Et ſi uultis recipere, ipſe eſt Elias, qui uenturus eſt. Qui habet aures audiendi, audiat.

[Matth. 11. Lucæ 7.]

[Lucas: Cum ueniſſent ad eum uiri, dixerunt, Ioannes Baptiſta miſit nos ad te, dicens, &c.]

[Præconium Ioannis.]

COMMENTARIA.

Dominus Ieſus ecce quàm benigniſſimè recipit, quos non ignorabat inuidia & infinitis ſcatere erroribus. quàm blandis enim utitur uerbis, cum ad propoſitam quæſtionem ita reſpondet: Non opinor, inquit, multis uerbis aut proprio meo amplius opus eſſe teſtimonio. Ipſi teſtes eſtis rerum, quæ à me geruntur. Reuocate iam in memoriam, quid prophetæ de futuris Meſſiæ temporibus prædixerint. & quoniam hæc hodie palàm per me compleri cernitis, colligite, & confitemini me eſſe expectatum hactenus Meſſiam, nec alium poſt me expectandum. Vaticinia autem ad quæ hic alluſit Dominus, præcipua ſunt apud Eſaiam capite trigeſimoquinto, & ſexageſimoprimo. Cæterùm multo firmior eſt hæc breuis Chriſti reſponſio factis diuinis, teſtimonio item prophetarum conſtans, quàm ſi uerbis etiam copioſiſſimis & diſputatione maximè ſubtili eſſet tradita. Porrò Dominus non tantum teſtari uoluit ſe eſſe Meſſiam, Saluatorem mundi: ſed adijcere inſuper, quomodo mundo ſit ſalutaris futurus, ſi in ipſum credant homines, & non offendantur exinanitione, incarnatione, humilitate & cruce. Quo denuò alluſit ad uerba prophetarum, uaticinantium plurimos Chriſti temporibus futuros, qui ſint in hunc lapidem

grauiter impactūri. Locum habes Eſaiæ octauo. Poſtquam uerò piè admodum ac fideliter Ioannis diſcipulos inſtruxit, docuitq; Dominus ampliſſimè: porrò prædicat laudē ac uirtutes Ioannis baptiſtæ, digreſſis illis, ut uel ſic demonſtraret conſtantiam in perhibēda ueritate uiri iuſti. Quia enim legati, magiſtri ſui nomine palàm, & audiēte cūcto populo, quæſtionē ceu dubiā de Meſſiæ aduentu propoſuerāt: potuit ſuſpicari populus, Ioannem mutaſſe in carcere ſententiā de Chriſto, ac in dubium uocare, ſit' ne Ieſus Chriſtus ille Domini benedictus, Agnus ille Dei qui tollit peccata mundi. Neceſſariò itaq; ornat Dominus Ioannis miniſteriū à conſtantia, & ab alijs propheticis uirtutibus, ac inquit: Si leuis & incōſtans erat Ioānes, cur tam longis & laborioſis itinerib. è Hieroſolymorū urbe, totaq; Iudæa in deſertū, in quo prædicabat ipſe, cōtendiſtis? Accurſu itaq; ueſtro, tam frequēti ac crebro teſtati eſtis ipſi, agnoſcere uos Ioannem pro uiro diuino, ac propheta Dei cōſtantiſſimo. Hoc autem argumentum figurauit Dominus parœmia admodum eleganti. Arundine enim ad quemlibet ſe uenti impulſum, nunc huc nūc illuc inclinante, ſignificatur leuiū & inconſtantiū hominū ad quamlibet occaſionem uacillatio. Voluit aūt Dominus populum ex illis colligere, Ioannē in doctrina & teſtimonijs ſuis olim de Chriſto pronunciatis, perpetuò ſui ſimilem eſſe, & ne nūc quidem in carcere quicquā ſuæ ſententiæ de Chriſto mutaſſe. Quod ut latius ꝓbaret, laudat ipſum Ioannem ab illa quoq; multum laudata temperantia: Age, inquit, quid exiſtis ut uideretis? hominē delicatulum? Haud credo. Noſtis enim, Ioannem uitæ fuiſſe cōtinentiſſimæ, nec ullo uſum luxu uel in ueſtitu, uel in uictu. Oportuerat uos abijſſe in palatium regis alicuius, aut in aulam potentis principis, non in deſertum: ſiquidem ſpectare libebat uel pompam aliquam magnificam, uel ueſtibus indutos ſumptuoſis. Sancta itaq;, temperans, & innocens uita Ioannis euocauit uos in deſertum. Iterum ergo teſtes eſtis, Ioannem idoneum & ſanctū eſſe teſtē. Vidiſtis in ipſo ſeueritatē et grauitatem. quomodo igitur facere potuiſſet quicquam in cuiuſquam hominis gratiam, uel per ſimulationē aut aſſentationem: cui uitio alioqui molles & delicatuli homines obnoxij eſſe ſolent. Conſtat ergo uel ex ueſtris ipſorum teſtimonijs, in deſertum uos ad Ioannem prodijſſe, tanquam ad prophetam, ad uirum diuinum & teſtem ueritatis. Vnde iam conſtat, me eſſe Meſſiam hactenus expectatum. Id enim de me teſtatus eſt Ioannes: & proinde omnibus prophetis excellētior, quoniam non ut illi, prædixit aduentū Meſſiæ: ſed iam adueniſſe & præſtò eſſe palàm profeſſus eſt. Is itaq;, de quo Malachias olim uaticinabatur, dicens: Ecce ego mitto nuncium meum, & repurgabit uiā ante me, &c. Et amplius quiddā adijcit Chriſtus, maiorem ſcilicet non natum de mulieribus Ioanne illo: unicū ſemetipſum excipiens *. Nam in regno cœlorum, in ipſa inquam adminiſtratione Euangelica, et regni Dei myſterio, per initia Chriſtus Dominus Ioanne reputabatur à pleraq; populi turba minor, qui tamen reuera maior erat. Cui enim aliquando dictum eſt, ut Apoſtolus ait: Tu es filius meus, ego hodie genui te? His itaq; omnibus conſtat, Dominum demonſtrare uoluiſſe, Ioannem omnium qui à condito orbe hactenus in mūdo Dei teſtes fuerint, præſtantiſſimum & uerè maximū eſſe. In hoc porrò tam pio negocio progrediēs Dominus inquit: Prædixerunt Chriſtum futurū prophetæ deſiderium & expectationē gentium, peccatorum, miſerorū, & maximè afflictorū hominū: itaq; huiuſmodi in aduētu & reuelatione Meſſiæ, magno cum ardore ad regnum Dei ceu rapiēdum, non tantùm recipiendū acceleraturos. Sic enim apud Micheā legitur: Futurum eſt in nouiſſimo dierū, & erit mons domus Domini præparatus in uertice montiū, eleuabiturq; ipſe ſupra uertices, & cōfluent ad eum populi. Ibunt gētes multæ, & dicent: Venite, & aſcendemus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob. Videtis hoc fieri ab eo tēpore quo Ioannes cœpit prædicare, uſq; nunc. Siquidē peccatores, publicani, & calamitoſiſſimi homines, ceu inſtructa acie ac impetu quodam facto irruunt, ut hauriant Euangelicam gratiam. Et ut manifeſtius quod ſentio explicem, ſcitote non aliam prophetiam expectandam de futuro Meſſia: quandoquidem omnes typi quibus lex deſignarat Meſſiam uenturum, & omnia uaticinia prophetarum de ipſo, ſimulatq; Ioannes uenit, deſierunt. Ioannes enim manifeſtiſſimè atteſtatus eſt, me Dei eſſe filium, & illum Dei agnū qui tollit peccatum mundi. Hoc fortaſſe uobis mirum ac nouū uideri poſſet: ſed ſi omnia probè expenderitis, ipſi concedetis, Ioannem hunc Heliam eſſe, quem propheta Malachias dixit præceſſurum aduentum Meſſiæ. Iam ergo pluribus uerbis non arbitror opus eſſe, cum hactenus ſatis & abundè ueritas in hac cauſa omnis ſit expoſita. Nihil certè aliud ſupereſt, niſi ut auribus percipiant homines ipſam ueritatem. Si quis autem hic aures ſuas obdurarit, ſibi ipſi, non mihi imputet exitium.

* D. Hieronymus: His ergo (inquit) præfertur hominib. qui de mulieribus nati ſunt, & de concubitu uiri: & non ei, qui eſt natus ex uirgine & Spiritu ſancto.

CAPVT.

CAPVT SEXTVM.

ET omnis populus audiens,& publicani iuſtificauerunt Deum,baptiza Matthæi 11.
ti baptiſmo Ioannis.phariſæi autem & legiſperiti conſilium Dei ſpreuē- Lucæ 7.
runt in ſemetipſos,non baptizati ab eo.Ait autem Dominus:Cui ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualib. dicunt:Cecinimus uobis,& non ſaltaſtis:lamentauimus uobis,& non planxiſtis. Venit enim Ioannes neq; manducans,neq; bibens: & dicunt,Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans,& bibens:& dicunt, Ecce homo uorax,& potator uini, publicanorum & peccatorũ amicus.Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis.Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus ſunt factæ plurimæ uirtutes eius, quia non egiſſent pœnitentiam: Væ tibi Coroſain,uæ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent uirtutes quæ factæ ſunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Veruntamen dico uobis: Tyro & Sidoni remiſsius erit in die iudicij, quàm uobis. Et tu Capernaum,nunquid uſque in cœlum exaltaberis? Vſque in infernum deſcendes. Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent uirtutes quæ factæ ſunt in te,fortaſſe manſiſſent uſque in hanc diem. Veruntamen dico uobis,quia terræ Sodomorum remiſsius erit in die iudicij,quàm tibi. In illo tempore reſpondens Ieſus, dixit: Confiteor tibi pater,Domine cœli & terræ,quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.Ita pater: quoniam ſic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Et nemo nouit filium niſi pater: neque patrem quis nouit, niſi filius:& cui uoluerit filius reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis,& ego reficiam uos.Tollite iugum meum ſuper uos,& diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus ueſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt,& onus meum leue.

COMMENTARIA.

Sequitur uehemens Chriſti increpatio, cuius occaſionem & cauſam hanc fuiſſe audimus. Vbi audiſſet populus, Ioannem, à quo erant inſtituti & baptizati aqua, prophetam eſſe maximũ, diuinum & ueracem: agnouerunt Deum eſſe iuſtũ, ſe uerò peccatores, iuſtificandosq; per Chriſtum, quemadmodum docuerat Ioannes. Laudarunt inſuper Deum, quòd baptizati eſſent baptiſmo Ioannis, cui tanta tribuebat Dominus. Hoc uerò ſpreuerunt phariſæi, & legiſperiti Iudæorum. Nam ut peccata ſua non agnouerunt, ita Chriſtũ peccata mundi expiantem non receperunt: ſecretiſſimum illud conſilium Dei, quod ſcilicet erat, uelle Deum per Chriſtũ in fide ſaluos facere peccatores. Proinde & Ioannem baptizantem in Chriſtum ad remiſſionem peccatorum, unà cum baptiſmo contempſerunt. Id quod ipſis cedit in perniciem & exitium ſempiternum. Acerbè quamobrem nunc inuehitur Dominus in contumacem ipſorum perfidiam, accuſans grauiter inuincibilem eorum duriciam, ac dicit: Sed quid hæc induratis uobis occino, cum norim his me parum apud uos impetrare? Nam uideo uos ſimiles eſſe pueris iſtis moroſis & contumacibus, quibus ſtudia & inſtituta ſuorum ſodalium nunquam probantur. Ergo ſi illis placeat lætum aliquid agere, clamant hi, malle ſe nunc lugubria: porrò ſi eligant illi lugubria, mox diſplicent his quæ placuerant modò, maluntq; lætiora. Prodijt Ioannes ueluti lugubri cantu nationem ad pœnitentiam ac fidem excitaturus, atque ideo inſignis ſobrietate uitæ fuit, & ſanctimonia illuſtris: ſed num recepiſtis eius doctrinam, & teſtimonium ubi pœnitẽtiam docuit, & me ſaluatorem mundi hactenus expectatum eſſe oſtendit? Num permouit uos uita hominis inſigniter ſancta? imò Dæmonium habet dixiſtis: tantum abeſt; ut uel tantillum ſitis commoti. Magiæ eum inſimulaſtis, ueritatem inuincibilem ita calumniantes. Adeſt porrò filius hominis, quia alia rem tentat uia, quandoquidem hæc non ſucceſſerat: hic facilem ſe præbet omnibus, neminem aſpernatur, conuiuia peccatorum & publicanorum non refugit, ueſcitur quibuſlibet: & non aſpero, ſed uulgari utitur ueſtitu: & rurſus generatio illa inuenit quod calumnietur. Nam dicit illum eſſe liguritorem,

& hominem comedonem. Excuſata eſt ergo diuina ſapientia, quæ tanta fide & prudentia tentauit omnia: excuſata inquam à filijs ſuis, qui iam propria ſtulticia, nulla autem Dei moroſitate pereunt. Nam Deus uoluit illos ſaluare: ipſi uerò ſalutem oblatam reſpuerunt. Iam quoque Dominus non paucorum aliquot hominum, ſed multarum pariter urbium peruicacem impœnitentiam accuſat. Huiuſmodi uerò duris & incredulis hominibus horrendum uæ intonat. In qua uoce non tam animi quàm corporis, facultatum, & fortunæ mala comprehendit: quibus omnibus ſubijciendos fore minatur, quotquot audito ſalutari præconio uerbi Dei, impœnitentem nihilominus uitam uiuunt. Fuerunt autem Chorazaim & Bethſaida, non ignobiles urbes, ad lacum ſitæ Genezareth. His Dominus diligentiſſimè prædicarat regnum Dei, & ingentia miracula, ut certè ſanctæ doctrinæ teſtimonia deſignarat: omnia in eum finem, ut uitam emendarent, crederent'que Euangelio. Verùm ſurdis (quod dici ſolet) narrabatur fabula: quòd non potuit non peſſimè illis cedere. Hinc Dominus per collationem harum urbium peccatum amplificat, cum gentibus peregrinis & barbaris, quibus Euangelium nondum erat prædicatum: atque oſtendit Iudæorum peruicaciam omnino damnabilem, quæ tanto tempore, tanta docentis fide & diligentia, tantis'que denique uirtutibus non potuit commoueri à ſuo inſtituto, & uita corruptiſſima. Cilicium uerò de quo hic loquitur Dominus, ueſtis erat ſtrictior, & fiebat ex hircorum & caprarum pilis: à Cilicibus ita dictum, apud quos (ut inquit Varro) primùm confecta ſunt. Hac ueſtiri olim ſolebant lugentes, ac pœnitentes: Geneſis capite trigeſimoſeptimo, Ioelis ſecundo. Eodem quoque modo accuſat & Capernaum. Ea ciuitas quidem propter hoſpitem Chriſtum, & propter Euangelij prædicationem illuſtriſſimam, maximáque ac ſtupenda prorſus miracula apud remotiſſimas Syriæ gentes facta, fuerat laudatiſſima: uerùm ingrata diuinis beneficijs uitæ probitate non reſpondebat, & propterea contrario modo iudicata eſt uſque ad infernum. Ex his autem liquidò colligitur, quod nam grauiſſimum ſit peccatum quod urbes euertat, & regna: contemptus uidelicet reuelati uerbi Domini, & uita impia. pœnitentiæq́; neſcia. Rurſus quis ſit finis prædicationis Euangelicæ: ui uere ſcilicet ſecundum Euangelium, hoc eſt mutare prauum uiuendi genus, uiuere porrò ſanctè.

Cæterùm ut nouit Chriſtus probè diuinum illud myſterium: ita mox ſermonem ad patrem ſuum dirigit. Confeſſio autem non ſemper pœnitentiã ſignificat (inquit Hieronymus) ſed & gratiarũ actionem, ut in Pſalmis ſæpiſſimè legimus. Hoc autem ſuo exemplo docet Dominus, omnẽ boni operis feliciorem ſucceſſum Deo acceptum referre, & agere gratias. Quem Dominum cœli & terræ appellat ideo, quòd eius imperio omnia ſubiecta, eiuſdem prouidentia pulchrè reguntur, ac diſponuntur omnia. Deinde oſtendit idoneos philoſophiæ Euangelicæ auditores: nõ eos certè qui animo ſunt turgido & elato, atq; in uerborũ elegantia, aut in re externa, uel hominum opinionibus, uerum, iuſtum, & bonum conſiſtere autumant: ſed qui nihil ſibi arrogantes humanæ & ſecularis ſapientiæ, in ipſa Dei ſummi cognitiõe uirtutumq́; ſtudio ſummum bonum eſſe ſentiunt. Quòd uerò cœleſti illa ſapientia hominibus iſtis de ſe modeſtè ſentientibus, nihilq́; ſuis uiribus aſcribentibus reuelatur, & hi ipſam recipiunt: id in ſolidũ tranſcribendum eſt natiuæ Dei bonitati beneficium. Cauſa ergo reuelationis Euangelij, & illuminationis piorum, eſt fauor & propenſiſſimus Dei in genus mortalium affectus, mera & pura Dei gratia. Et hic rerum omnium Dominus, Deus uerus, æternus, omnipotens, omniſq́; boni fons inexhauſtus, ſuum filium miſit in hunc mundum, ut ſaluetur mũdus per ipſum. Nihil ergo uel in cœlo, uel in terra eſt, quod non ſit ſubiectum Chriſto. Nihil eſt, quod ille non poſſit. Poterit itaq; ille liberare à malis omnibus, & præſtare quæcunq; promittit, & uotis ſuis poſcunt fideles: quoniam eadem ipſi poteſtas, uirtus, & gloria eius, quæ & patri. Tradita uerò dicit, propter aſſumptam humanam naturã: ut D. docet Athanaſius. Alioqui enim apud Ioannem ad patrem orans, ait: Pater, glorifica me apud temetipſum, gloria quam habui priuſquã hic mundus eſſet. Ioannis 17. Enarrat autem ac docet quantum nobis de Deo noſſe ſatis eſt non quantũ ipſe nouit. Reddimur quidem & ipſi unum cum Deo, per ueram Dei cognitionem: ſed longè alia ratione quàm iſti unum ſunt. Nam ipſi eſſentia, æternitate, potentia & bonitate unum ſunt: nos gratia cum ipſis coimus in concordiam, & dignatiõe hæredes efficimur uitæ æternæ. Ex quibus obiter diſcimus, Deum per filij myſteriũ uelle innoteſcere mundo: imò non amplius de Deo nobis reuelari poſſe, niſi quantũ nobis in filij myſterio eluceſcit. Ideo uerò & filium incarnari oportuit, ut omnia Dei myſteria per ipſum intelligeremus rectius. Pijſſimus itaq; Dominus Ieſus uocat

ad ſalu-

ad ſalutis huius myſterium, non unum atque alterum: ſed omnes cuiuſcunque nationis, profeſſionis, ſexus & ætatis homines, neminem prorſus excludens. Verùm dicat aliquis: Miſer, calamitoſus ac peccator ſum: non auſim in conſpectum prodire filij Dei. Addit ille: Qui laboratis & onerati eſtis, uenite ad me. Quaſi dicat: Non eſt quòd ullis à me retrahamini grauaminibus atque peccatis. Nam hoc potiſſimùm nomine aduenì, ideo uos uoco, quòd laborare, atque oneribus uos premi cernam. Ad me ergo concedite: quicquid uos urget, apud me deponite. Proinde duob. illis uerbis complexus eſt, quicquid eſt curarum, afflictionum, & uitiorum, quo homines uel animo uel corpore diſcruciari ſolent. Sed ad quid uocat ſuos, aut quid ipſis uult præſtare? Ego, inquit, requiem à laboribus præſtabo, æſtum que animi laborantis recreabo. Poſtquam autem uocauit omnes homines Christus ad participatum ſuæ gratiæ, & omnium cœleſtium bonorum: exponit quid uiciſſim ab illis poſtulet, quibus ſe totum impendit, hæredesq́; æternæ uitæ conſtituit: ut ſcilicet ipſi ſeruiant, ipſumq́; colant perpetuò. Seruiant autem humilitate, beneficentia, benignitate, & innocentia. Id quò fiat animis promptioribus: ſubindicat uaniſſimos fructus inde exorituros: tranquillitatem uidelicet in omni uita. Et ſanè, ſi inuicem conferamus, quæ mundus imponit, & quæ Chriſtus: hauddubiè inueniemus, uiuere ſecundum Euangelium Chriſti non modò conducere ad conſequendam uitam æternam in futuro ſeculo, ſed in præſenti quoque uitam noſtram reddere iucundam. Indulgere uerò uoluptatibus huius ſeculi, optimam & ſuauiſſimam uitæ noſtræ partem corrumpere, & irreparabilibus nos implicare calamitatibus.

CAPVT SEPTIMVM.

Rogabat autem illum quidam de phariſæis, ut manducaret cum ipſo. Et ingreſſus domum phariſæi, diſcubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, ut cognouit quòd Ieſus accubuiſſet in domo phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retrò ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat: & oſculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Videns autem phariſæus, qui uocauerat eum, ait intra ſe, dicens: Hic ſi eſſet propheta, ſciret utique, quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum: quia peccatrix eſt. Et reſpondens Ieſus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus autem illis, donauit utriſque. Quis ergo eum plus diliget? Reſpondens Simon, dixit: Aeſtimo, quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicaſti. Et conuerſus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem. Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intraui, non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non unxiſti: hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te ſaluam fecit: uade in pace.

Lucæ 7. Colluit Domini pedes peccatrix.

COMMENTARIA.

Crimini dederunt aduerſarij Domino, quòd edat & bibat cum hominibus parum integræ famæ: quaſi conſors ſit ſceleris, & faueat ſceleratis. ergo ut appareret toti mundo, quomodo conuerſari ſolitus ſit cum publicanis & peccatoribus: Lucas egregiũ eius rei exemplũ proponit. Producitur iam in medium peccatrix, pœnitentium & uerè fidelium typus. Nomen mulieris non exprimitur, id quod uarias peperit opiniones. Ego autem exiſtimo audiendum Theophylactum, ſuper hac re diſſerentem: Ego illis credo, inquit, qui dicunt tres eſſe mulieres: unam qui-

dem apud Ioannem ante ſex dies paſchæ, quæ & ſoror fuit Lazari: aliam autem apud Matthæũ & Marcũ an, te duos dies Paſchæ: et tertiam illã, de qua nunc Lucas, quæ in media Euangelij prædicatione Dominum unxit. Hæc ille. Cæterùm ſiue duæ fuerint, ſiue tres, ſiue una, parum aut nihil accedit & decedit dogmatibus fidei. Hoc maximè attendendum, quod proponitur nobis pœnitentiæ & fidei imitandum exemplum eius peccatricis. Ante omnia autem hanc fidem, eamq; firmã habuiſſe, certum eſt. alioqui enim non acceſſiſſet, & mulier quidem, recumbentem in frequenti uirorum omnium opinione iuſtiſſimorum peccatoresq; auerſantium conuiuio. Excitarant illam & dicta & facta Saluatoris, qui hactenus neminẽ à ſe repulerat, omnis generis morbos curauerat, omnibus benefecerat, recipiens omnes. Sperat ergo ſe quoque recipiendam clementer, nec indonatam dimittendam. Ex hac fide, et quia credebat uera eſſe quæ in corruptos huius ſeculi mores dicebat Dominus, indoluit propter peccata commiſſa, nec dignam ſe exiſtimauit quæ in conſpectum ſancti ſanctorum prodiret. A' tergo igitur procumbit ad pedes Domini, prorſus humiliata et deiecta. Porrò peccatorũ commiſſorum agnitio, ſenſus & dolor, exprimebat lachrymas, uſque adeò largas, ut uelut imbre rigaret pedes Domini. pedibus autem inhærens figebat oſcula, & abſtergebat, crinibus his ad eum modum iam Chriſto ſeruiens, quibus mundo hucuſq; conſueuerat ad uoluptates inſeruire. Habes ergo hic egregium exemplum ueræ pœnitentiæ, quæ fide ſe conijcit in miſericordiam Dei, ex fide autem operatur digna pœnitentiæ opera. Videns hæc phariſæus obmurmurat, cõdemnans in hoc tam Ieſum quàm mulierem, cum ſciret Magdalenam hanc publicum eſſe ſcortum, & ſe quidem more aliorum hypocritarum non agnoſcens, imò iuſtiſſimum eſſe cum arbitraretur, alto deſpiciebat ſupercilio, atque intra ſe cogitauit: Hic ſi eſſet talis ſicuti habetur ab omnibus, ſciret utiq; illam eſſe plus quàm infamem. Declarat ergo Simoni Ieſus, ſe non tantum prophetam uerum, ſed & Deum uerum eſſe, dum quæ animo ille cogitauit, palàm coram omnibus reuelat, atq; confutat parabola ſatis perſpicua & eleganti, qua primò quidem arguit etiam Simonem eſſe peccatorem, qui ſuis uiribus nõ poſſit ſatisfacere pro peccatis. deinde oſtẽdit, peccatrici gratis condonari peccata. Duo igitur debitores ſunt, peccatrix illa, & Simõ. fœnerator uerò & largitor omnium bonorũ Deus ipſe, liberalis, clemens & longanimis. Iam uerò cum non eſſent ſoluendo debitores illi, donauit debitum utriſq;. Remiſiſſet enim & Simoni debitum, ſi ſe debitorem agnouiſſet: quemadmodum peccatrici confitenti peccata ſua, condonauit omnia delicta. Quorſum uerò pertinet, quòd Dominus conuerſus ad peccatricem, iterum repetẽs ait: Remittuntur tibi peccata? An non ſatis eſt, ſi ſemel Deus peccata condonet? Dubium certè nõ eſt, quin protinus receperit in gratiã peccatricem Dominus, ſimulatque ingreſſa fide, digna fidei opera facere cœpit. Ergo quòd rurſum ait, Remittuntur tibi peccata tua: non tam pertinet ad certam confirmationem quòd peccata uerè ſint remiſſa peccatrici, quàm ad declarationẽ diuinæ poteſtatis & maieſtatis. Cæterùm uidebatur conuiuis, non tantum ſibi tribuere nimium Chriſtus, ſed & blaſphemias contra Deum loqui. non enim agnoſcebant diuinitatem in ipſo: ſciebant autem neminem niſi Deum remittere peccata. Dominus uerò oſtendens ſe eſſe Deum, ad mulierem conuerſus dicit: Vident te ô mulier iſti, & abhorrent, teq; criminantur atq; condemnant tanquam prophanam atq; abominabilem. At murmurent licet illi utut uelint, & diſputent quantũ libet: tu fidem habes, tu multa in me contuliſti dilectionis officia, & intelligis me cœlitùs demiſſũ in terras, ut agnoſcẽtib. cõdonẽ peccata, & iuſtificẽ eos. Tu igitur ſalua es facta, liberata inquã à peccatis, & recepta in numerum ſanctorũ. Abi ergo iam, & ſis ſecura mente: nihil porrò iuris eſt uel ſatanæ uel morti in te: uade in pace, et ſis tranquillo animo. Qualem uerò ſe hic geſſit Chriſtus, ita et ad finẽ uſq; ſe geret erga omnes eos qui peccata admiſſa deflent, ac deteſtantur, pleniſſimè enim & ipſos iuſtificaturus eſt. Habemus itaque hic uiuũ exemplum de remiſſione peccatorum & uera iuſtificatione, & quàm nemo de Dei miſericordia deſperare debeat.

CAPVT OCTAVVM.

Marci 3, Lucæ 8. Liberatur dæmoniacus, ſed ſcribæ dicunt principis eſſe Zebul.

ET factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per ciuitates & caſtella, prædicans & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatib. Maria quæ uocatur Magdalenæ, de qua ſeptem dæmonia exierant, & Iohanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ quæ miniſtrabant ei de

faculta-

facultatibus ſuis. Et ueniunt ad Dominum, & conuenit iterum turba, ita ut
non poſſent neque panem manducare. Tunc oblatus eſt ei dæmonium ha-
bens, cæcus & mutus: & curauit eum ita ut loqueretur, & uideret. & ſtupe
bant omnes turbæ, & dicebant: Nunquid hic eſt filius Dauid? Et cum audiſ-
ſent ſui, exierunt tenere eum. Dicebant enim: Quoniam in furorem uerſus
eſt. Et ſcribæ qui ab Hieroſolymis deſcenderant, dicebant: Quoniam Beelze
bub habet, & quia in principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Phariſæi autem
audientes, dixerunt: Hic non eijcit dæmones, niſi in Beelzebub principe Matthæi 12.
dæmoniorum. Ieſus autem ſciens cogitationes eorum, dixit eis: & cum Lucæ 11.
conuocaſſet eos, in parabolis dicebat: Quomodo poteſt ſatanas ſatanam
eijcere? Omne regnum diuiſum contra ſe, deſolabitur: & omnis ciuitas
uel domus diuiſa contra ſe, non ſtabit. Et ſi ſatanas ſatanam eijcit, aduerſus
ſe diuiſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum eius? Et ſi ego in Beelze-
bub eijcio dæmones, filij ueſtri in quo eijciunt? Ideo ipſi iudices ue-
ſtri erunt. Si autem ego in ſpiritu Dei eijcio dæmones, igitur peruenit in uos
regnum Dei. Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & ua
ſa eius diripere: niſi prius alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiet.
Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit. I-
deo dico uobis, omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: ſpiri- Deſtruitur his
tus autem blaſphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit uerbum contra fi uerbis, error
lium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit uerbum contra Spiritum, non Nouati.
remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro: non habet remiſsionem
in æternum, ſed reus erit æterni delicti. quoniam dicebant, Spiritum immun-
dum habet. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite ar-
borem malam, & fructum eius malum: ſiquidē ex fructu arbor cognoſcitur.
Progenies uiperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Ex abū
dantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono theſauro profert bo-
na, & malus homo de malo theſauro profert mala. Dico autem uobis, quoni-
am omne uerbum ocioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem
de eo in die iudicij. Ex uerbis enim tuis iuſtificaberis, & ex uerbis tuis con-
demnaberis.

COMMENTARIA.

Sanctus Lucas ſingulari diligentia deſcribit, quòd Dominus ſubinde mutauit locum, perq́; oppida & uicos annunciarit Euangelium. Nam eius rei gratia è cœlis deſcenderat, ut errantes reduceret in uiam ſalutis, & ſectatores ſuos è terris ſecum ſubueheret in cœlos. Docuit autem, quomodo hic regnare uelit in nobis Deus per ſpiritum ſuum, qui nos ſubducat regimini ſatanæ, mundi, & cupiditatum. Comitantur Dominum Apoſtoli, utpote teſtes dictorum & factorum eius, deſtinatiq́; omnium nationū doctores. Comitantur etiam ipſum aliquot mulieres, religionis pietatisq́; cauſa. Senſerant enim illæ maximam uim Chriſti, à quo & acceperant ingentia beneficia, tum corporalia tum ſpiritualia. Numerantur illæ, & præcipuè Magdalena, eo quòd fuerat animo & corpore prorſus obnoxia ſatanæ, & infeſtata omnigena nequitia, à cuius tyrannide iam ipſam liberauerat Dominus. Hæ mulieres quia opulentiſſimæ erant, de ſuis facultatibus neceſſaria Domino ſubminiſtrarunt, nec dedignatus eſt ipſe illarum quaſi ſtipendio uiuere. Iam autem ubi ad locum deſtinatum uentum fuit, pergit Dominus benefacere quibuſlibet: ſimulac oſtendere, ſe eſſe regem illum & ſacerdotem, in lege ac prophetis promiſſum: itaque ueniſſe, & ſimul cum eo reuelatū eſſe regnum Dei. Hoc aūt probatur miraculoſo illo beneficiò, calamitoſo homini illi præſtito. Neque aliud ex diuino facto colligunt etiam turbæ, dicentes: Quis tam cæcus & iudicij inops fuerit, qui nolit ex tantis colligere uirtutibus, hunc illum Dauidis eſſe filium, quem in ſolio patris regnaturū prophetarunt ſancti prophetæ? Eam porrò rem longè aliter intelligentes cognati Domini, exierunt ut comprehenderent eum. Non enim intelligentes quæ docebat, & quæ in diem faciebat miracula, diuinæ in ipſo eſſe naturæ: furori cuidam tribuerunt. Et

*cum cognati eſſent,putabant ſui eſſe officij,mentis impotem,& à ſpiritu quopiam arreptum, uinculis coërcere,ne ſibi uel alijs nocere poſſet. Sunt qui uelint, Dominum labore confectum domum rediſſe, ut hic nõnihil reſpiraret, ac cibum capiens nouis ſeſe repararet laboribus. Vbi autem ingens populi animaduertit deſiderium audiendi de diuinis ardua, neglecto cibo ad docendum ſe contuliſſe: hic cognati retraxerint eum à labore, uulgo tumultuanti reſpondentes: laboribus fractus nimijs, mente alienari poterat, ac in ſyncopen cadere. Cæterùm ubi hæc phariſæi plusquàm Vatiniano odio in Chriſtum perciti audiſſent, ipſius omnia tum dicta tum facta calumniantur: Vos itaq; (inquiũt ad plebem, rectè de Chriſto ſentientem) arbitramini, Ieſum iſtum eſſe Chriſtum Dauidis filium, idq; colligitis ex factis eius miraculoſis: ſed erratis multùm. Cum enim uerus Meſſias germanus Dauidis filius ueniet, diuina uirtute inſtructus ueniet. ergo quæcunq; deſignabit opera, uirtute digitoq; Dei faciet, quemadmodum Moſes olim in Aegypto. Hic uerò ueſter ille Ieſus quæcunq; facit, non Dei, ſed Satanæ uirtute facit, quem familiarem habet. Ieſus autem ad hæc minimè obticuit: imò argumento ſatis efficaci oſtendit, ſe diuina adeoq; propria uirtute facere atq; patrare miracula. Nam manifeſtiſſimum eſt, regnũ, urbes, & domos etiã priuatas concidere, ſi inteſtinis diſſentiant contentionibus. Si igitur ſatanas, inquit, loco pellit ſatanam: mutuo à ſeipſis diſſidẽt diſſidio. Vnde iam neceſſariò conſequitur, ſatanæ cecidiſſe regnum, nec ullas amplius habere uires. Porrò ſi nullas habet uires, quomodo ueriſimile eſt, me diaboli uirtute, quæ tamen nulla eſt, diabolum exturbare? En diſcipuli mei, qui ueſtri ſunt filij, è uobis prognati, eijciunt dæmones, & ipſos hactenus non eſtis calumniati. Quòd ſi expulſio dæmonum in filijs ueſtris Deo & non dæmonib. deputatur, quare in me idem opus non eandem habet cauſam? illos hactenus non eſtis calumniati. eijcio igitur & ego ſatanam non ſatanica, ſed diuina uirtute. Ergo ipſi pronunciabunt, uos iniquè iudicare de meis operibus, qui in illis probatis quæ in me calumniamini. Si itaq; in ſpiritu Dei eijcio dæmonia, quare non potius colligitis, diabolum iam in orbe deuictum, & mihi tãquam Chriſto relinquere regnum tanquam uictori, atq; ideo iam ueniſſe regnum Dei, quod uolebatis? Quid amplius expectatis? Ego ſum uerum regnum illud Dei, uia, ueritas & uita. credito te uerbis meis, & recipiet uos pater ille cœleſtis in ſuam ueram, & à uobis iam diu exoptatam beatitudinem. Hactenus tyrannidem Beelzebub exercuit in homines peccatis obnoxios, maliſq; cupiditatib. addictos: Ego ſublatis hominum peccatis Beelzebub principem cum ſuo ſatellitio protero: & quos ille per iniuſticiam poſſidebat, per innocentiam Deo uindico. Mundus hic, domus eſt Beelzebub. In hoc, quoniam totus ſeruiebat ambitioni, luxui, auariciæ, liuori, cæteriſq; cupiditatibus noxijs, per quas ille potens eſt, regnum quoddam ſibi uindicabat. Ego ut uir fortior ingreſſus ſum illius regnũ, eoq; ſuperato quod ille iniuſtè poſſidebat, uero principi cœleſti nimirum patri meo aſſero. Eſt igitur regnum Chriſti, liberatio à peccatis, iuſticia, pax, innocentia in præſenti ſeculo, & perpetuum gaudium in futuro. Ciues huius regni ſunt homines fideles, qui in Chriſtum omne ſuum præſidiũ collocant, ſatanæ reclamant, & Chriſto in ſanctitate & iuſticia ſeruiunt. Cæterùm ut impiam nouit Dominus illorũ blaſphemiã: ita porrò ex cõtrarijs ſtudijs & operibus euincit, ſatanam non ſocium & amicum eſſe, ſed infenſiſſimum aduerſarium: quippe qui omnibus uiribus id demoliri cogitat, quæ Dominus extruit. Cum ergo Chriſtus cupit nos nexu indiſſolubili conſtringere cũ Deo, ſatan ſumma cura & diligentia nos à Deo auellere ſatagit: cum Chriſtus præcipit beneficentiã, pacem, iuſticiam, & omnem ſanctimoniã, ſatanas inſpirat ſuis contraria, & urget eos ad auariciam, inclementiam, diſſidia, atq; omnem libidinem. Deinde uerò apertè indicat Dominus, quàm grauiter peccent qui opera ipſius & doctrinam blaſphemant, eiſq; ſe cõtumaciter opponũt, ac dicit: Hæc cum ita ſe habeant, iamq; multis & irrefragabilibus argumẽtis conſtet, tam dicta quàm facta mea non à diaboli uel conſortio uel auxilio, ſed à diuina proficiſci potentia: hoc uobis pro certo indico, quod ſi uel uos uel alij ueſtri ſimiles ita perrexeritis diuinæ & reuelationi & operationi obſtrepere, nunquam ad ſalutem & uitam æternam peruenturi ſitis, ſed æterno condemnandi ſupplicio. Hocq; uocat peccatum in Spiritum ſanctum. Amplificatur autem peccatum ſiue conuicium in Spiritum ſanctum comparatione quadam, cum omnibus alijs peccatis quæcunq; ſunt & fiunt in mundo: & indicatur illud tam graue eſſe, & excellens, ut cum omnia mereantur ueniam, ſolùm hoc nulla in æternũ uenia dignum uideatur *. Quemadmodum ergo Iudæi, cum uiderunt Chriſtum operari miracula, & arguerunt, dicentes hoc dæmoniacum eſſe, blaſphemauerunt Spiritũ ſanctũ: ita & nunc quoq; blaſphemant Spiritum ſanctũ, qui non ſolùm opera doctrinamq; Chriſti flocci faciunt,*

Digitus, Spiritus Dei. Vide D. Cyrillum Theſauri lib. 13. cap. 2.

* Hieronymus in Matth.

faciunt, uerumetiam præſumptuoſe ac abiecta omni iuſticiæ timoriſq; diuina ratione peccant, ſic'q; diuina miſericordia abutũtur. †Horum meminit D. Paulus Roman. 2. cum inquit: An diuitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis Dei contemnitis? &c. Sicut & illi, qui omnem ſpem impetrandæ apud Deum ueniæ abijciunt: quomodo peccauit Cain, & Iudas proditor Domini Ieſu. Et peßimi illi impie'q; faciũt, quum nulla nimis ſera ſit pœnitentia, eo quòd immenſa ſit Dei miſericordia: ut uidere eſt in latrone illo, qui in cruce pendens, & in ipſo ſupplicio Chriſti ingentem gratiam & cœleſtem gloriam eſt conſecutus. Demũ huic peccato quoq; obnoxij fiunt, qui non ex ignorãtia (ut multi olim ex Iudæis, & ut Paulus quoq;) ſed malicia & ſtudioſe ueritatem fidei oppugnant & inſectantur: quales futuros D. Petrus oſtendit magiſtros, obinde mendaces illos appellitans, qui non uereantur introducere ſectas perditionis: 2. Petri 2. Ita ſemper ueniæ locus eſt atq; erit, & non æterno iudicio obnoxij fiunt, niſi qui peccatorum admiſſorum rationem nullam habent: ſed obſtinatè & pertinaciter pergunt, & gloriantur in rebus peßimis. Theophylactus in hunc locum: Iudæi, inquit, quando uiderunt Chriſtum manducantem, bibentem, & conuerſantem cum publicanis & meretricibus, aliaq; omnia more filij hominis facientem: & deinde arguerunt eum, in hoc erant uenia digni. uidebantur enim rationabiliter offendi. quando autem uiderunt eum operari miracula, & arguerunt dicentes, Hoc dæmoniacum eſſe: quomodo remitteretur hoc peccatum, niſi pœnitentiam egiſſent? Et proinde Acta teſtantur, Petrum Iudæis compunctis corde primùm ſuaſiſſe pœnitentiam. Porrò impios illos homines Dominus ſyllogiſmo ineuitabili conſtringens, inquit: Si bona ſunt quæ facta cernitis, ſequitur ut non ſit diabolus qui ea facit. diabolus enim malus eſt, & bona opera facere non poteſt. Neq; enim fieri poteſt, ut ex malo bonum, aut ex bono oriatur malum: quum iuxta communem ſenſum ex fructu dinoſcatur arbor. Cur uos arborem calumniamini, quum fructum non approbare non poßitis? Miracula quæ facio, ſubleuant miſerias hominum, neminem lædunt, nec adhibentur ad inanem oſtentationem aut quæſtum, ſed ad beneficentiam & opitulationem. Hoc eſſe bonum nemo poteſt inficias ire, gratis benè mereri de afflictis. Quòd ſi igitur facta mea talia ſunt, ut non poßitis nõ fateri bona: nolite quæ bona ſunt, tribuere autori malo. Quod quia non bono accipiebant, oſtendit illos (ait Hieronymus) arborem malam & tales afferre fructus, blaſphemiæ redundantes, qualia habeant ſemina diaboli, & dicit: Peßimi eſtis ſatanæ filij: tales ergo ſermones profertis, nempe diabolicos & blaſphemos. Si homo pius eſt & ſapiens, pia loquitur & ſapientia: ſi uerò ſtultus, malus, & impius, ſtulta, mala & impia loquitur. Pari ratione ſi homo aliquis operatur ſancta, diuina & ſalutaria: non'ne ex ſuis operibus iudicatur eſſe homo ſanctus, diuinus, & ſalutaris? Præterea ſi quis operatur noxia, impura & impia: non'ne iudicatur homo eſſe noxius, impurus & impius? Cum ergo oratio unumquemq; prodat, & opus cuiuſq; qualis ſit oſtendat: diiudicate & dicta & facta mea, quid in ipſis ſit impuritatis, damni, impietatiſ'ue. Si nihil inuenietis (ut reuerà uel diligentißimè inueſtigantes nihil reperietis) agnoſcite me Meßiam eſſe, patribus expectatum, uobis autem exhibitum ad ſalutem. Et quando ſermones ueſtri blaſphemi ſunt, & opera ueſtra impia: neceſſe eſt, uos eſſe homines blaſphemos & impios: & eos quidem, qualem me calumniamini. Modò blaſphematis liberè, & quæcunq; in buccam ueniunt impudenter expuitis: uerùm ſcitote, non impunè uos conuiciaturos perpetuò. Reddetis enim rationem ſupremo & iuſtißimo iudici Deo. Iam à pleriſque de uerbo ocioſo diſputatur, quidnam per illud intellexerit Dominus. D. autem Hieronymus ocioſum uerbum eſſe dicit, quod ſine utilitate dicitur & loquentis & audientis: ſi omißis ſerijs de rebus friuolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Propterea dicit Ieſus: Si uerbum quod nequaquam ædificat audientes, nõ eſt abſq; periculo eius qui loquitur, & in die iudicij redditurus eſt unuſquiſq; rationem ſermonum ſuorum: quanto magis uos qui opera ſpiritus ſancti calumniamini, & dicitis me in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia, reddituri eſtis rationem calumniæ ueſtræ? Cogitet itaq; quiſq;, quid ſe, id eſt hominem Chriſtianum deceat, & quid ædificet auditores. Cogitandum prius in quem finem ſis dicturus. Quod ſi ſermo tuus plus officiat quàm proſit: præſtat cum fructu ſilere, quàm calamitoſe loqui. Ideo enim & S. Iacobus: Sit omnis homo, ait, uelox ad audiendum: tardus autem ad loquendum. Videant quoque qui ſcurrilia replicant, & cachinnis ora diſſoluunt, & quæ turpitudinis ſunt, proferunt. Hi enim non ſolùm uerbi ocioſi, ſed etiam criminoſi tenebuntur rei: ait D. ille Hieronymus.

† Auguſtinus, de uerbis Domini.

De lingua elegantiſsimum librum ſcripſit De. Eraſmus.

CAPVT NONVM.

Matth.12. Marci 3. TVnc reſponderunt ei quidam de ſcribis & Phariſęis, dicentes: Magiſter, uolumus à te ſignum uidere. Qui reſpondens ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & cōdemnabunt eam: quia pœnitentiam egerūt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quàm Ionas hic. Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia uenit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hinc. Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, unde exiui. Et ueniens inuenit eam uacantem, ſcopis mundatam &
Lucæ 11. ornatam. Tunc uadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouiſsima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic peſsimæ. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater e-
Marcus: Miſerunt ad eum, uocantes eum. ius & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te. At ipſe reſpondens dicenti ſibi ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manus in diſcipulos ſuos dixit: Quicunq; enim fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt.

COMMENTARIA.

Demonſtrauit euidentiſsimè Dominus noſter, quòd dicta & facta ſua non ex Satana, non ex ulla arte impura proficiſcantur: ſed ex diuina potentia, qua ipſe ceu uerus Meſsias inſtructus uenerit annunciaturus regnum Dei, ac liberaturus mundum à tyrannide diaboli. At non potuit ſermo quantumuis efficax corda permouere Phariſæorum & ſcribarum: qui tametſi eſſent uicti, nolebant tamen uel credere ueritati, uel uicti uideri. Ideo nouam nunc quæſtionem contexunt mira uafricie, iam pollicentes nonnihil credituros ſe: ſi modo editis ſignis probet Dominus quod dixerat ſe eſſe Meſsiam, ac dicunt: Quòd ſi uerum eſt quod dicis, cœlitùs te nobis miſſum eſſe: age ſignū aliquod cœleſte nobis exhibe, quò certius colligamus, è cœlo te nobis eſſe datum. Cupiebant autē fortaßè uel in morem Eliæ ignem de ſublimi uenire, 4. Regum 18. uel in ſimilitudinem Samuelis contra naturam ſereno tonare cœlo, coruſcare fulgura, imbres decidere, 3. Reg. 12. uel aliquid huiuſmodi fieri. At tentabant illum, nouas nimirum petentes calumniandi occaſiones. potuiſſent enim & illa (ut D. ſcribit Hieronymus) calumniari, & dicere ex occultis & uarijs aeris paſsionibus accidiſſe, atq; Magos in Aegypto multa ſigna feciſſe de cœlo: Exod. 7. & 8. Proinde nulla Dominus ipſis exhibet ſigna talia, qualia poſtulabāt, ſed grauiter ipſorum perfidiam accuſans ait: Pij et ſinceri homines non quærunt ulla amplius ſigna, cum abundè ſatisfactum ſit eis. Vobis nōdum eſt ſatisfactū, quia degeneres eſtis. Adulterina eſtis ſoboles, minimè reſpondēs uel Deo ipſi, uel Abrahæ, quos iactatis eſſe patres ueſtros. refertis autem ingenio & affectionibus diabolum, genuinū nimirum patrem ueſtrum. Vos quæritis ſignum: quaſi quæ uideritis, ſigna non fuerint. En uobis ſignum Ionæ prophetæ. Hoc ſignum proponam omnibus gentibus. ex illo diſcent, me uerum Deum & hominem, totius orbis redemptorem & Saluatorem, qui hoſtia ſui corporis expiarit peccata: reſurrectione autem uitam reſtituerit mortuis, & aſcenſione in cœlos aperuerit ſedes beatas. Noſtis enim, Ionam poſt triduum è ceti faucibus diuina poteſtate ereptum, & quaſi ex mortuis ſuſcitatum. Porrò occaſione accepta à Iona ſupplicium denunciat Iudæis Dominus, paratum perfidiæ ipſorum, ac inquit: Niniuitæ gens erat à Dei cultu aliena. Ionas ignotus & humilis ad eos uenit: nullus illum commendarat, aut aduentum illius prædixerat, nulla edebat miracula, neminem beneficijs ſibi conciliabat, nihil magni promittebat: tantum comminabatur exitium, nec diutius quàm triduo prædicabat. Ego promiſſus prophetarum oraculis, toties commendatus teſtimonio Ioannis, teſtimonio patris, tanto iam tempore doceo uos, tot miraculis teſtificor non eſſe uanam

dcēt, inam,

doctrinam: & non intono ſæuas minas, ſed ultrò polliceor remiſsionem omnium peccatorum, offero regni cœleſtis hæreditatem æternam: & ecce appetor capitalibus inſidijs, tantum abeſt ut flectamini ad pœnitentiam. Quid porrò dicam? Regina Auſtri mulier erat gẽtilis, erat præterea ſublimis, diues, & in ſumma agens uoluptate et gloria: hæc tamen omnia cum regno deſeruit, & multo cum periculo, ingenti cum labore, & maximis ſumptibus Hieroſolymam *profecta eſt, ad audiendam duntaxat* Salomonis *ſapientiam. Vos autem populus* Dei *peculiaris, non* Salomonem *aliquem, hominem duntaxat mortalem & ſapientem, habetis hic: ſed ipſum Dei filium, uerbum & ſapientiam patris, non aliud quidem iubentem quàm fœdas relinquere cupiditates, & de ignominia concedere ad gloriam, ita ut fide tantum adeundus proponatur. Et hunc audire non uultis, ſed contemnitis, et ſalutem uobis oblatam repudiatis. Illi homines condemnabunt uos. Vbi enim uos ingrati uidebitis in die iudicij, ipſos tanta fide & diligentia minora perſecutos: facile colligetis, uos merito ueſtro maximo condemnandos, qui maiora, ipſum inquam* Dei *filium, & cœleſtes theſauros, contumaciter contempſeritis. Cæterùm quò prorſus eſſent inexcuſabiles* Iudæi *illi: proponit nunc apertiſsimè iudicium, &* Iudaicæ *genti impendens, & omnibus ijs paratum quicunque diuinam ſapientiam, & ipſum regnum* Dei *ſibi oblatum aſpernantur atque reijciunt: ſuos interim affectus & errores ſectantur. Adhibet autem ſimilitudinem hominis à malo dæmone obſeſsi, qui poſtquam ſemel liberatus eſt, & ſuæ menti redditus, poſtea uerò ſua ignauia dæmoni redeundi feneſtram aperit: iam longè grauius laborat, quàm laborarat prius. & ait:* Veni *ut expellam ex uobis Satanam: ipſe in uobis regnem. Quòd ſi nolueritis me regnare ſuper uos, redibit Satanas, & deſideratus uobis rex regnabit: uerùm ſuo more, ut uobis interim miſerè ſit pereundum.* Hæc uerè dixit Dominus. *uſuuenit enim ipſis in famoſo illo lachrimabiliq; urbis & gentis per* Romanos *excidio: & iuſtè. ſicut enim excæcatio ipſorum excreuerat, ut ſolito eſſet maior ſeipſa ſeptuplo: ita oportebat ipſos malis extingui cumulatiſsimis. Iam ubi tam acerrimè oppugnabat* Iudæorum *blaſphemiam, ueſaniamq;* Dominus: *adeſt ipſius mater unà cum conſobrinis, ac filij petit colloquiũ. Quid illud ſit, quod uel colloqui uel impetratum uoluerit, non exprimitur, neque magnopere ſcire refert. At ipſam unà cum illis repellit, & ait: Quid hic mihi matrem & fratres obtenditis? In negotio regni* Dei *exequendo non oportet ullam carnis neceſsitudinem ſpectare: imò ueritati & regno* Dei *poſthabere omnes affectus. Et cum probè noſceret, iſtum qui nunciauit, non fortuitò & ſimpliciter nunciaſſe, ſed ex inſidijs: utrum ſcilicet ſpirituali operi carnem & ſanguinẽ præferat* Dominus: *non quòd negaret matrem & fratres, exire contempſit, ſed quod reſponderet inſidianti, extendens manum in diſcipulos, ait: Iſti ſunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant. Iſti ſunt fratres mei, qui faciunt opera patris mei. Non ergo iuxta* Marcionem *&* Manichæum *(ut* S. *inquit* Hieronymus *) matrem negauit, ut natus de phantaſmate putaretur: ſed* Apoſtolos *cognationi prætulit, ut & nos in comparatione dilectionis carni ſpiritum præferamus. Vnde hoc dicere uidetur: Si uerè cognatos noſſe uultis, eos'que qui mihi ſunt chariſsimi: nullum hic ſexus aut ætatis diſcrimen, nulla propinquitatis ratio. Quicunque paret uoluntati patris mei qui in cœlis eſt, ut quiſque illius uoluntati maximè obtemperat: ita mihi coniunctiſsimus eſt, & chariſsimus.*

Spirituum affinitatem magnifacio, non corporum.

CAPVT DECIMVM.

IN die autem illo egreſſus Ieſus è domo, ſedebat iuxta mare. Et iterum cœpit docere iuxta mare. Cum autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus ad eum, dixit per ſimilitudinem. Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita ut in nauiculam aſcendens ſederet, & omnis turba ſtabat in littore, & locutus eſt eis multa in parabolis, dicens: Audite. Ecce exijt qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus uiam: & conculcatum eſt, & uolucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas: & ſimul exortæ ſpinæ, ſuffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens cla-

Matth. 13. Marci 4. Lucæ 8. Plura docet Chriſtus: Scribis ut in Pſalmis ſanctæ prophetæ tuis.

mabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Et accedentes diſcipuli, dixerunt: Quare in parabolis loqueris eis? Interrogabant autem eum, quæ eſſet hæc parabola? Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: cæteris autem in parabolis. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis: quia uidentes non uident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, ut adimpleatur in eis prophetia Eſaiæ dicens: Auditu audietis, & non intelligetis, & uidentes uidebitis, & non uidebitis. incraſſatum enim eſt cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant: & conuertantur, & ſanem eos. Veſtri autem beati oculi, quia uident: & aures ueſtræ, quia audiunt. Amen quippe dico uobis, quia multi prophetæ & iuſti cupierunt uidere quæ uidetis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Vos ergo audite parabolam ſeminantis.

COMMENTARIA.

Confluxerat ingens hominum multitudo, nimirum ut à Domino uerbum Dei audiret. Dominus ergo quò audiretur & intelligeretur rectius à tota multitudine, conſcendit nauim, & turbæ in littore, ſinu quodam ambiente nauim, ſtanti concionatur. Proponit autem ipſis parabolam huc pertinentem, quòd non omnes promiſcui uerbi Dei auditores Deo probentur: eſſe enim diuerſa auditorum genera: ſed probari duntaxat illos, qui fructibus Deo dignis ſe diuinum ſemen pectoribus ſuis concepiſſe oſtendunt. Frequenter autem Dominus uſus eſt parabolis: ſiue quòd hoc orationis genus familiare ſit prophetis, ſiue quòd accomodatiſſimum eſt ad docendum, & ad flectendos animos populi: quòd collatio ſumpta à rebus omnium etiam idiotarum ſenſibus notiſſimis, ſtatim permoueat unumquemlibet: ſiue quòd hæc admonitio nullum traducens, ſed tacitè per imaginem taxans cuiuſque conſcientiam, minus offendere ſolet. Diſcipulis autem interrogantibus: Vobis, inquit, & ueſtri ſimilibus, amantibus uidelicet, ſitientibúſque ueritatem, pijs, religioſis, & diligenter inueſtigantibus, datum eſt noſſe myſteria. Illis autem parum curantibus ueritatem, ſuam potius quàm Dei gloriam, ſua magis compendia terreſtria quàm animæ cœleſtes theſauros ſitientibus, torpentibus, & frigidè myſteria regni Dei inquirentibus, non eſt datum. Vos lumen illud uobis inditum cœlitùs non extinguitis, & ueritas uobis cordi eſt, quam cupitis augeri & quotidie fieri perſpicaciorem. Iſti uerò quia ueritatem parui faciunt, nihil inquirunt: donum illud, ſibi conceſſum Domini gratia, non locupletant: ideo ſua culpa & inertia, alioqui ſatis intelligibilia non intelligunt, ita tandem excæcantur. Hoc autem dictum Chriſti non parua caligine obductum eſt, inquit Chriſoſtomus: & ineffabilem diuinæ maieſtatis iuſticiam aperit. Tale namque eſt quod dicitur: Cum enim quiſpiam deſiderat, ait, & magno ſtudio atque cura uirtutem inquirit, tunc ei ex Deo cuncta præſtabuntur: cum autem nullo ſtudio atque uoluntate ad rectè faciendum pronus eſt, tunc ei diuinum auxilium non conceditur, & quod etiam habet, auferetur ab ipſo. Non aufert certè Deus, ſed non præbet indignus fauorem & patrocinium ſuum. Hæc ille. Pergit uerò Chriſtus, ac ideo (inquit) ſermones mei illis mera uidentur inuolucra, quia in clara luce cæcutiunt, & quæ uident uidere nolunt, & audita non expendunt, neque ea reponunt in animos ſuos: quinimò occludunt oculos ſuos, ne manifeſtam ueritatem agnoſcere cogantur. Oſtendit autem Euangeliſta, in eis compleri quod uaticinatus eſſet Eſaias propheta, dicens: Prædicabitur quidem ipſis uerbum Dei, & ſigna ſpectabilia cernentibus eis edentur: uerùm non credent, neque recipient ea quæ eis proponuntur uerbo & ſignis. Ratio, quia incraſſata, hoc eſt uitiata, non Dei quidem culpa, ſed corruptione & malitia humana, corda habent. Ac ne fortè arbitremur, craſſitudinem cordis & grauitatem aurium naturæ eſſe, non uoluntatis (ait D. Hieronymus) ſubiungit culpam arbitrij: & dicit, Et oculos ſuos clauſerunt. Porrò quemadmodum Dominus inobedientes & rebelles pronunciauit eſſe miſeros, induratos, & excæcatos: ita econtrariò felices & beatos eſſe pronunciat fideles, ac inquit: Vos beati eſtis, quia ſana ratione utimini, gratiam Dei non aſpernamini: ſed uerbo & ſignis

Dei

Dei creditis. Et ſenſibiles quidem Apoſtolorũ oculi et aures beatitudine digni, quòd agnouerũt Chriſtũ, quòd ipſum corporaliter uiderunt: in hoc præferendi iuſtis & ſanctis Dei hominibus. Tametſi enim ſpiritu ac fide Chriſtum uiderint & audierint: cupierunt tamen ipſum Dominum noſtrum in carne uenturum ſpectare, feliciſſimosque eos crediderunt, quibus id contigit. Certè Simeon iuſtus in hoc nomine ſibi uehementer gratulatur, quòd ipſum daretur cernere & ulnis complecti Dominum. At ut hoc illis conceſſum non eſt: ita praecelluerunt prophetas ac alios Apoſtoli: corporaliter ſcilicet uidendo, & ſpiritualiter intelligendo diuina myſteria. Cæterùm quia diſcipuli animum habebant diſcendi cupidum: Dominus dignatur ipſos docere, inuolucrumq́; aperire. Videamus ergo beneficum Dominum, idemq́; expectemus ab eo, quotquot ipſum quærimus ex animo ſyncero. Docemur præterea, non modò uerbum Domini, ſed uerbi quoque ſenſum & intellectum ex Dei gratia profluere, & hanc perpetuis fatigandam uotis, quò ſubinde in cognitione myſterij regni Dei, ac omni pietate ditiores efficiamur. Ait autem illis: Semen de quo locutus ſum, eſt uerbum Dei. Sicut enim ſemen in hoc ſeritur, ut ſui generis fructum proferat: ita & uerbum Dei ideo ſeminatur, id eſt prædicatur, ut fructum proferat in animis hominũ, quemadmodum ſemen in terra. At quòd fructum non profert in omnium pectoribus, id non uerbi uitio fit: ſed terræ, id eſt hominis, cui inijcitur & prædicatur. Nam quemadmodum reperire licet in re ruſtica diuerſi generis arua, quæ ſemen ſibi concreditum uel fertile uel ſterile reddunt: ita uaria ſunt auditorum genera, quæ uerbum Dei ac uirtutem eius uel ad fructificandum proliciunt, uel penitùs corrumpunt. Itaque Dominus quatuor diuerſiſſima inter ſe auditorum genera recenſens, dicit: Tria ſunt hominum genera, in quibus ſemen Euangelici ſermonis aut nullum edit fructum, aut non perficit quod exortum eſt. Primùm ſunt homines, qui oſcitanter audiunt uerba doctrinæ cœleſtis, nec demittunt in animum ſuum ut illic radices agat: ſed ad quamlibet occaſionem ſinunt proteri conculcariq́; quod ſeminatum eſt. Id ſentiens ille malus, omnis leuitatis author diabolus, protinus immittit in animum curas aliquas uolaticas, quæ perdant ſemen priuſquam herbeſcat, aut radices agat, ut nihilo meliores ſint quàm ſi non audiſſent uerbum. Rurſum ſunt alij qui ſermonem Euangelicum ueluti ſemen accipiunt auribus, atque auidè demittunt in animos ſuos, ſecum meditantes ad illius regulam instituere uitam, fouent ſemen acceptum donec in herbam exeat, ac ſpem quandam præbeat Euangelicæ pietatis: abſtinent à magnis uitijs, ac uirtutibus mediocribus eniteſcunt. Verùm ſi quæ fuerit orta procella perſecutionum, & ob Euangelij profeſſionem intentetur exilium, carcer, ſupplicia, mors, aliáque quæ firmum & inconcuſſum animi robur deſiderant: tum uelut ad æſtum ſolis uehementem exareſcunt & deficiunt. Rurſus ſunt alij, qui & auidè audiunt ſermonẽ Euangelicum, & ſatis altè demittunt in animos ſuos, diúque retinent: ſed perplexis huius mundi curis, præſertim diuitiarum, irretitus animus ueluti ſpinis quibuſdam denſiſſimis obrutus, non poteſt quod amat liberè ſequi: quare perit & hic quoque fructus iacti ſeminis. Et ſignificanter dixit, Sollicitudo huius ſeculi, & fallacia diuitiarum. Non enim omnes diuitiæ damnantur (Iob enim, & Abraham, & multi alij uiri ſancti citrà maculam diuites fuerunt) ſed illæ maximè, quæ ex deceptione colliguntur atque abuſu, & nimia ſui admiratione hominem ſeducunt. D. Hieronymus: Eleganter, inquit, addit, Fallacia diuitiarum ſuffocat uerbum. Blandæ enim ſunt diuitiæ, & aliud agentes & aliud pollicentes. Porrò ſemen exceptum à terra bona, ſignat illos qui & audiunt ſermonem Euangelicum, quíque ſecum repetunt & infigunt cogitationi, ſicq́; tranſfundunt in affectus animi ſui, ut nec morte uelint ab eo deficere: quamobrem ſemet explicant ab affectibus, & ſordidis curis diuitiarum, quæ non ſinunt animum eſſe liberum: & totos ſe præbent auræ cœleſti. Et ita docuit nos Dominus, quo ſtudio ſit accipiendus ſermo diuinus et doctrinæ cœleſtis, ſi cupiamus ex eo fructum exoriri. Deinde breuem, ſed euidentiſſimam adhortationẽ ſubijcit ad ſtudium uirtutis, ne fruſtra audiamus uerbum Dei, néue diſpenſent uerbum Dei malignè, qui ad functionem prædicandi ſunt uocati, ac inquit: Nunc quidem multa celamus multitudinem, quoniam nondum eſt capax: & ſi eſſet, nondum aduenit tempus. uerùm ubi tempus aduenerit, nihil eſt inter uos tam abſconſum, quod tum non ſit patefaciendum: neque quicquam tam arcanum, quod non ſit palàm omnibus pronunciandum. Si parci uerbi mei diſpenſatores fueritis, parcus ero in donis diſpenſandis: ſin largiter effuderitis uobis concreditum, munificus ero in conferendis donis ampliſſimis. Qui enim habet, nec habet ſibi tantum, ſed alijs impertit quod habet: ei tanquam bonæ fidei diſpenſatori adijcie-

tur, ut abundet. Qui uerò non habet (non habet autem, qui theſaurum defoſſum apud ſe ſeruat) non ſolùm non erit ditior, uerùm etiam hoc ipſum quod uni ſibi uidebatur habere, tolletur ab eo. Qui igitur aures audiendi habet, audiat.

CAPVT VNDECIMVM.

Matth. 13. Marci 4. Parabola de inimico homine, & zizanijs.

ET dicebat: Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die: & ſemen germinet & increſcat, dum neſcit ille. Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Et cum ex ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſsis. Aliam parabolam propoſuit eis, dicens: Simile factum eſt regnum cœlorum homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo: cum autem dormirent homines, uenit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania, in medio tritici, & abijt. Cum autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet: tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem ſerui patrisfamiliâs, dixerunt: Domine, non'ne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus & colligimus ea? Et ait: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſsis dicam meſſoribus: Colligite primùm, & alligate ea in faſciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. Aliam parabolam propoſuit eis dicens: Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cum autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut uolucres cœli ueniant, & habitẽt in ramis eius. Aliam parabolam locutus eſt

Lucæ 13. eis: Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.

COMMENTARIA.

Regnum cœlorum in præſenti non ſignificat uitam, & felicitatem beatam qua perfruemur in futuro ſeculo: ſed totum myſterium ſiue negotium Euangelij, ac regni Dei. Huc uerò pertinet parabola: Semen uerbi Dei non tantum infeſtari & ſuffocari craſsis uitijs, aut inertia & ignauia eorum qui exceperũt ſemen uerbi in animos ſuos: ſed corrupto quoque uerbo, & hæretica doctrina. Et hoc innuit parabola illa apud Matthæum. Marcus uerò per collationem Chriſtum docuiſſe ita commemorat: Non protinus, inquit, ſimulatque ſeminatum eſt ſemen enaſcitur, & in ſegetem aſſurgit: ſed auctibus ſiue incrementis quibuſdam. Sic fructificat etiam uerbum Dei, iactum atque ſuſceptum in cordibus fidelium. Deinde ereſcit & fructificat ſemen abſque opera agricolæ, ſolius Dei uirtutis, dantis incrementum. Exurgit enim ſeges, neſcio agricola, ipſo interim dormiente. Ita Apoſtolus: Non eſt aliquid, inquit, qui rigat, aut qui plantat, ſed qui incrementum dat Deus. Oſtendit porrò Chriſtus, & uirtuti et bonis fructibus ſuum paratum eſſe præmium. Ait enim, meſſem fore in qua colligantur fructus. Meſsis illa iudicium, in quo colligentur fideles in æterna tabernacula: paleæ uerò tradentur exurendæ igni inextinguibili. Mox huic aliam haud minus piam atque elegantem ſubiungit parabolam, qua æquè depingit ipſam prædicationem de regno Dei inſtitutam. Hæc initiò, inquit, parua & contempta eſſe uidetur, adeó que nulli philoſophiæ generi conferenda. Verùm ſi quis ſpreto ſplendore ſeculari ipſam rem penitius inſpiciat, & corde ſyncero ſingula æſtimet: admirabilem uim atque uirtutem inueniet. Ad hanc namque uirtutem atque doctrinam, ceu ſummam & abſolutiſsimam ſapientiam amplexendam, optimi quiq; in mundo homines accelerant, quemadmodum olim dictum fuit per Eſaiam dicentem: Adducent filios tuos in ſinu, & filiæ tuæ ſuper humerum portabuntur: erunt' que reges alumni tui, & reginæ eorum nutrices tuæ: facietenus coram te in terram procident, & puluerem pe-

dum

dum tuorum lingent. Cæterùm ramos quos creuiſſe de grano ſinapis ait, putat D. Hieronymus dogmatum eſſe diuerſitates, in quibus animæ hominum, & fortitudines Dei ſeruitio mancipatæ requieſcunt, ac inquit: Aſſumamus & nos pennas columbæ, ut uolitantes ad altiora poſſimus habitare in ramis huius arboris, & nidulos nobis facere doctrinarum, terrena'que fugientes ad cœleſtia feſtinare. Iam & aliam parabolam propoſuit de fermento. Fermentum quidem aliàs in Scripturis ſacris in malam uſurpatur partem, ut ſemel & iterum apud Paulum: hic autem in bonam accipitur partem. Fermenti uerò portio modica mulieræ impoſita farinæ totam fermentat, in'que ſuum conuertit ſaporem. Hic autem ſapor quamuis acidus ſit: reddit tamen panem gratiorem, ſuauiorem'que, qui alioqui ſine fermento futurus erat inſipidus. Rurſus exerit illud tum maximè ſuam uirtutem, cum maximè uidetur abſorptum. Pari modo & Euangelica doctrina: quamuis & ipſa appareat uilis & aſpernanda, mundo tamen propoſita, ex inſipido & fatuo efficit ſapientiſſimum, adeò'que totum in ſuam naturam transformat. Increpat illa grauius ſcelera, uidetur'que ſtolido mundo obiurgatio illa acerba ſatis, & minimè ferenda: ſed niſi talis eſſet Euangelij doctrina, computreſceret haud dubiè in ſuis ſordibus hic mundus. Præterea perſequitur idem ille mundus Euangelium, quod omni ſtudio ſublatum & extinctum cupit, eo quòd ſuis aduerſetur ſtudijs, & cupiditatibus prauis. Serpit nihilominus tamen uirtus Euangelica, diuina planè per pectora hominum, & regnat tunc maximè in mundo ueritas, cum uicta & oppreſſa uidetur, inſinuat ſe hominum animis, ac ſenſim ijs illabens, ex corruptiſſimis integerrimos reddit. Iam uerò obiter indicat Euangeliſta, cur Dominus adeò parabolis uſus ſit: quòd uidelicet uetus ſit inſtituendi ratio, & facilis & idonea ad erudiendum populum. Vnde compleri hic dicitur, quod denuò fit, ut ſit ſenſus: Quod in pſalmis fecit Aſaph in erudiendo populo, commendandis'que Dei operibus: idem nunc facit Dominus, uarijs parabolis commendans ſuis uerbum Euangelij. Eructauit autem Dominus, quæ abſconderat à conſtitutione mundi. Ipſe enim manifeſtauit nobis myſteria, quæ pater ille cœleſtis diuino conſilio mundo perdito reuelanda deſtinarat.

CAPVT DVODECIMVM.

TVnc dimiſsis turbis uenit in domum, & acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui reſpondens ait: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis: Ager autem, eſt mundus. Bonum uerò ſemen, hi ſunt filij regni. Zizania autem, filij nequam. Iniquus autem qui ſeminauit ea, eſt diabolus. Meſsis uerò, conſummatio ſeculi eſt. Meſſores autem, angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni conburuntur: ſic erit in conſummatione ſeculi. Mittet ergo filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius uadit, & uendit uniuerſa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum ſimile eſt regnum cœlorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem una precioſa margarita abijt, & uendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum ſimile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Quam cum impleta eſſet educentes, & ſecus littus ſedentes elegerunt bonos in uaſa, malos autem foràs miſerunt. Sic erit in conſummatione ſeculi. Exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamiliâs, qui profert de theſauro ſuo noua & uetera.

Matth. 13.
Lucæ 8.

Diſcipuli de grano & fermento nihil addubitant. clarè enim intelligebant, illis adumbrari latentem & ingentem uim uerbi Dei. In parabola Zizaniorum erant quædam, quæ non uſquequaque aſſequebantur. rogabant ergo Dominum, ut is agat interpretem. Iuxta ipſius itaq; interpretationem Ager mundus eſt: hoc eſt, homines in mundo exiſtentes. Qui uerò ſeminat, æterni & supremi Dei filius, ipſe Ieſus Chriſtus, ad hoc cœlitùs miſſus, ut doctrina ſua cœleſti, uera & ſalutari omnes imbuat, & conſortes faciat uitæ æternæ. Hoc illud ſemen ſeminauit ille filius Dei in pectora hominum, quando annunciauit pœnitentiam & remiſſionem omnium peccatorum. Inde uerò enati ſunt ipſi filij regni, in quorum animis regnat Chriſtus fide, charitate, omni'que iuſticia & uirtute: & ipſi fragrant coram Deo odore gratiſſimo, & ueluti ager plenus ſuauiſſimis pulcherrimis'que fructibus. Id ſubinuido cernens animo, nec ferre potens inimicus Dei & ſalutis noſtræ, omnis'que iuſticiæ Satanas, apparat & ipſe ſemen ſuum: doctrinam uidelicet erroneam & impiam, ac inſtructis ſuis ſeminatoribus pſeudoapoſtolis & hæreticis, zizania quæ ſpecie quadam bonum tritici ſemen referunt, impiam inquam doctrinam, inter tritieum, id eſt pios illos ſerit: unde mox enaſcuntur filij diaboli, impij & ſcelerati. Excreſcit autem infelix hoc lolium unà cum ſemine bono tritici, hoc interim uenenato ſuo amplexu ferè enecans. Prauis enim hæreticorum colloquijs, & continua aſſuetudine & collatione corrumpitur ferè integritas bonorum hominum. Hoc autem accidit plerumque, cum dormiunt homines: hoc eſt (ut D. placet Hieronymo) magiſtri Eccleſiarum, per quorum negligentiam Satanas ſerit hæreticorum dogmata. Conatus enim ipſius omnis aduerſus nos eſt. cauſa uerò atque origo ut nos impugnet, ab odio quo in maieſtatem diuinam fertur, profecta eſt. Quando autem germinauit (ait) fœnum, & fructum fecit, tunc apparuerunt zizania. Id certè moris eſt (inquit Chryſoſtomus) apud hæreticos, ut obumbrent ſeipſos, atque occultent in principijs, quouſque maiorem fiduciam capiant, & quodam fauore multitudinis iuuentur. tunc enim contagioſa uenena intrepidi effundunt. Hoc uerò nocentiſſimum lolium duabus rationibus, ut idem docet, prohibuit Dominus. Altera, quia frumentis parum nocerent: altera, quia niſi ſanarentur, extrema ſupplicia non euaderent. Non prohibet ergo conciliabula hæreticorum diſſipare, ora obſtruere, libertatem loquendi concidere: uerùm interficere, ac trucidare. Neque tamen iſti impunè oppugnabunt ueritatem perpetuò, neque pij fruſtra ſeruient Deo. Veniet enim omnium rerum finis, conſummatio uidelicet ſeculi: quo quidem tempore Angeli Dei colligent homines obnoxios hæreſibus atque ſceleribus, & colligatos præcipitabunt in tartareum ignem (quemadmodum zizania in meſſe colliguntur à meſſoribus, & igne cremantur) ut in eo ardeant ſemper, necnon frigore torqueantur intolerabili. His enim duabus ſpeciebus comprehendit grauiſſima quæque ſupplicia, & ineffabilia tormenta. Rurſus exponens gloriam & præmium, obſequentibus uerbo Dei paratum: Tunc, ait, iuſti fulgebunt ut Sol in regno patris ſui. Id quod petijſſe uidetur ex 12. Danielis capite, ubi ſcriptum eſt: Multi dormientes in terræ puluere euigilabunt, alij in uitam æternam, & alij in opprobrium, ut uideant ſemper. Quod quia ſatis arduum & horribile dictu, propterea diligenter admonet audientes, hæc ſecum ut expendant exactius, magis'que eligant ſtudium iuſticiæ, quod ſequitur ſalus & illuſtris corporum clarificatio, quàm ſtudium impietatis, quod conſequitur pernicies & ignominia perpetua. Adiungit porrò duas alias parabolas Dominus, quibus uult adumbrare, negotio regni Dei, adeo'que uerbo Euangelij non eſſe ullum in orbe precioſiorem aut præſtantiorem theſaurum: unde iam omnibus conandum ſit, uel omnium bonorum noſtrorum iactura, hunc theſaurum continentem omnia bona ut aſſequamur. Quòd autem ſequitur, Quem cum inuenerit homo, abſcondit: idcircò dicitur (ut Hieronymus ſcribit) non quòd hoc de inuidia faciat, ſed quòd timore ſeruantis & nolentis perdere abſcondat in corde ſuo, quem priſtinis prætulit facultatibus. Theſaurus enim hic non patet omnibus, neque palàm eſt expoſitus: ſed in agro abſconſus, ut ſumma ſit inquirendus cura. Theſauro autem comparatur negotium ſalutis, uerbum'que Euangelij, quod per Euangelium cognoſcitur Deus, ac filius eius Ieſus Chriſtus. At Scriptura in multis locis appellat theſaurum, ſufficientiam'que bonorum omnium. Ideo uerò & Paulus loquens de Domino noſtro Ieſu Chriſto: In eo, inquit, ſunt omnes theſauri ſapientiæ et ſcientiæ recōditi. Porrò qui hunc reperit theſaurū, uehementer gaudet.

Sentit enim in hoc haberi omnia quæ ad ueram pertinent felicitatem. Eapropter S. Hieronymus hic ſacras intelligit ſcripturas, in quibus repoſita eſt noticia Saluatoris: quem cum quis in eis inuenerit, debet omnia iſtius mundi emolumenta contemnere, ut illũ poſsit habere quem reperit Chriſtum, extra quem nihil felicitatis ueræ eſſe poteſt: ac cogitare, eos omnibus numeris feliciſsimos eſſe, qui Deum uerè cognoſcunt, & ipſum in ſe habent regnantem. Ad hoc argumentum, & ſtatum eundem, pertinet & conſequens Margaritæ parabola. Bonæ margaritæ quas quærit inſtitor, lex et prophetæ ſunt, ait Hieronymus, & noticia ueteris inſtrumenti. Vnum autem eſt precioſiſsimum margaritum, ſcientia Saluatoris, & ſacramentum paſsionis illius, & reſurrectionis arcanum. Quod cum inuenerit homo negociator, ſimilis Pauli apoſtoli, omnia legis prophetarumq; myſteria & obſeruationes priſtinas, in quibus inculpatè uixerat, quaſi purgamenta contemnit & quiſquilias, ut Chriſtum lucrifaciat. Non quòd inuentio nouæ margaritæ, condemnatio ſit ueterum margaritarum: ſed quòd comparatione eius, omnis alia gemma uilior ſit. Quam deinde annectit parabolam Chriſtus, ſatis (ut Theophylactus inquit) terribilis eſt. Oſtenditur enim, quòd licet credamus, non habeamus autem uitam bonam, in ignem proijciemur. Sagena ergo eſt doctrina piſcatorum Apoſtolorum, quam incipientes contexere prophetæ & Chriſtus, illi confecerunt. Contexuerunt enim ſibi ex ueteri & nouo teſtamento ſagenam Euangelicorum dogmatum, & miſerunt eam in mare huius ſeculi, capientes de ſalſis & amaris gurgitibus quicquid inciderit: id eſt, & bonos homines & malos. Multi enim dixêre, Domine domine: at illis reſponſum fuit, Neſcio uos, diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Et hæc ſagena uſq; hodie in medijs fluctibus tenditur, capiens optimos piſces & peſſimos: ut D. Hieronymus loquitur. Cum autem uenerit conſummatio & finis mundi, tunc ſagena extrahetur ad littus, & uerum ſecernendorum piſcium ſignum demonſtrabitur: & per miniſteriũ angelorum ſeparabuntur mali à bonis, & mancipabuntur illi quidem perpetuis cruciatibus, hi uerò congregabuntur cum capite ſuo Chriſto, cum quo quaſi in quietiſsimo portu regnabũt, uiuentq; in æternũ. Iam quærit Chriſtus, intellexerint'ne hæc omnia. Hac quidem quæſtione monet, in quẽ finem has produxerit parabolas, & quid in ipſis obſeruare oporteat. Et ad Apoſtolos propriè ſermo eſt, quos non uult audire tantùm, ut populum: ſed intelligere, ut magiſtros futuros. Sicq; quemlibet doctorem populi ſeu Eccleſiaſten confert prudenti & opulento patrifamiliâs, qui ſibi theſaurũ quendam parauit de omni genere frugum, ac inde hoſpitibus ſuis omnis generis fructus delectiſſimos pro cuiuſq; palato proferre poteſt. Ita ſanè debet Euangeliſtæ pectus ceu penu quoddam eſſe ſapientiæ diuinæ, è quo in auditores dimanet ſuauis & inſtructiſsima pietatis doctrina, illuſtrata ſententijs optimis, reliquisq; elocutionis ſpeciebus, pro auditorum captu & ingenio. D. Hieronymus: Inſtructi erant, inquit, Apoſtoli, ſcribæ, & notarij Saluatoris, qui uerba illius & præcepta ſignabant in tabulis cordis carnalibus, regnorum cœleſtium ſacramentis, & pollebant opibus patrisfamiliâs, eijcientes de theſauro doctrinarum ſuarum noua & uetera, ut quicquid in Euangelio prædicabant, legis & prophetarum uocibus comprobarent. Videat qui uelit concionem D. Petri ad Iudæos, Actorum cap. 2.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

CVm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ. Cumq; intraſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet in medio, & placuiſſet Herodi, ſimulq; diſcumbentibus: ait rex puellæ: Pete à me quiduis, & dabo tibi. Et iurauit illi: Quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quę cum exiſſet, dixit matri ſuę: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis baptiſtæ. Cumq; introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regẽ, præmonita à matre ſua: Da mihi uolo, inquit, protinus hic in diſco caput Ioannis baptiſtæ. Et contriſtatus eſt rex, propter iuſiurandum tamen, & ſimul diſcumbentes, noluit eam contriſtare: ſed miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput Ioannis in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ. Quo audito, diſcipuli eius uenerunt, & tulerunt corpus eius: & poſuerunt, ac ſepelierunt illud in monumento. Et uenientes nunciauerunt Ieſu. quod cum audiſſet Ieſus, ſeceſsit inde in nauiculam, in locum deſertum ſeorſum.

Marci 6.

Ioannes ſanctiſsimus ab impijſsimo necatur Herode.

Scribit Ioſephus hiſtoricus, Herodem Romam uocatum, & in domo Philippi fratris ſui exceptum: iamq́; Herodiadis uxoris ipſius amore captum, de nuptijs ineundis miſcuiſſe ſermonem. Qua pacta ſuſcipiente, eam fratri ereptam, ſibi per inceſtas copulaſſe nuptias. Hoc grande peccatum, & diuinæ & naturali legi repugnans, ſanctus Ioannes liberè & publicè carpebat.

Quod cum peſsimè haberet impuriſsimum ſcortum Herodiadem, ſanctus uir capitur, ac conijcitur in carcerem. Quum autem Herodes ethnico more diem celebraret natalem, obſeruauit opportunitatem lupa Herodias, in qua res ſuas pro animi libidine conficiat: conuiuium uidelicet luxurioſum. In conuiuio hoc enim nihil unquam probè factum eſt, cùm temulentia & delicijs conſtaret maximis, imò turpiſsimis, ita ut maximam haberet ſimilitudinem cum luxurioſo Baltazaris Babylonici regis conuiuio, cuius mentio fit Daniel. 5. Primùm in conuiuio cui præerat iniquiſsimus rex, fuit dubio procul regalis apparatus, crapula, & compotatio ſpurca. Deinde ſpectatores omnes corruptiſsimi, quibus protinus erepta ratio fuit, ne amplius eſſent homines, eaq́; ipſis impenſe placerent quæ ſana utentibus ratione abominanda uidentur. Vnde totum illud ſpectaculum Satanæ erat, quo inſtigante impudica puella ſaltat. Placet autem regi ſtulto, ebrio & impuro, hæc impura & impudica ſaltatio. Nam pollicetur laſciuæ puellæ uel dimidium regni ſui: id eſt præmium uerè magnificum, & munus per omnia regium. Verùm puella ne tantam perderet occaſionem, & protinus regij pectoris libidine abuteretur, matrem conſuluit, quid nam eſſet petendum. Illa uerò ne quando Ioanni reconciliatus regis animus, dirimeret inceſtas nuptias, ſuaſit filiæ, ne quid peteret niſi ut abſq; mora ſibi daretur in diſco caput Ioannis baptiſtæ. Illa igitur ex matris ſceleratæ conſilio prodijt in conuiuium, ac impudentiſsimè quaſi de dapibus loqueretur, ſic ſacrum illud atq; beatum caput in diſco afferri poſtulat. Audiens hoc rex impijſsimus, contriſtatus eſt, non quidem ex animo, ſed ſolùm ſimulauit parricida dolorem, quo poſſet commodius & honeſtiore cum prætextu manus ſanctiſsimo mortalium inferre. Prætexit item iuris illis iurandi religionem, quò peccet honeſtius. Et uidentur quidē omnes principes conſenſiſſe in necem innoxij, quòd nullus in tanto reperitur numero, qui funeſtiſsimo ſeſe oppoſuerit facinori: ut de illis ueriſsimè dictum ſit, Princeps qui aduertit uerba mendacij, huius cuncti miniſtri ſunt impij. Fuit autem illis temporibus receptiſsimus mos, homines condemnatos militum opera occidere. Cadit ergo obtruncatus Ioannes, per impias cruentiſsimorum militum manus. Hinc in patinam ponitur caput, & datur in manus turpis & crudelis puellæ. Quis hic quæſo non miretur ſtupenda Dei iudicia, permittentis ut pro uoluntate & cupita libidine res omnes gerant impij? Diſsimulat enim Deus tam ſacrilegum parricidium, non eripit è cruentis manibus fideliſsimum ſeruum ſuum, neque cœlitùs immiſſo igni luxurioſum concremat conuiuium, aut terræ hiatu abſorbet. Ideo uerè, ut iuſtus ille fulgentiores coronas conſequeretur, & qui poſtea iniuriam paſſuri eſſent, hoc exemplo corroborati, æquiori animo cuncta perferrent. Longanimis quoque eſt Deus, & multæ miſerationis, longa uel impijſsimis pœnitentiæ ſpacia concedens. Quòd ſi uerò illi perpetuò ſui ſimiles eſſe perrexerint, condignas quoque commeritasq; incutit pœnas. Ita quoque impœnitentem hunc nebulonem puniuit: miſerabiliter ſiquidem & turpiter, maximo animi cum tormento, in exilio extinctus eſt. Cæterùm diſcipuli poſtquam pro humanitatis officio ſanctiſſimi uiri corpus ſepelierunt, uenientes necem tam iniquam nunciant Saluatori: qua audita, Dominus Ieſus ſeceſsit in locum deſertum: non equidem, ut quidam arbitrantur, timore mortis: ſed parcens inimicis ſuis, ne homicidio homicidium iungerent, ut D. inquit Hieronymus: uel in diem paſchæ interitum ſuum differens, in quo propter ſacramentum immolandus eſt agnus, & poſtes credentium reſpergendi. Siue ideo receſsit, ut nobis præberet exemplum uitandæ ultrò tradentium ſe temeritatis: quia non omnes eadem conſtantia perſeuerant in tormentis, qua ſe torquendos offerunt. Ob hanc cauſam & in alio loco præcipit: Cum uos perſecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam. Eleganter quoque Euangeliſta, non ait, Fugit in locum deſertum: ſed, Seceſsit: ut perſecutores uitauerit magis, quàm timuerit. Hactenus doctiſsimus Hieronymus noſter.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

ET reuerſi Apoſtoli conuenientes ad Ieſum, renunciauerunt ei omnia quę egerant, & docuerant. Et ait illis: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Et aſſumptis illis, ſeceſsit ſeorſum in locum deſertum, qui eſt Bethſaida. Erant enim qui ueniebant & redibant multi, & nec ſpacium manducandi habebant. Et aſcendentes, in nauim abierunt trans marè Galilææ, quod eſt Tiberiadis, in deſertum locum. quod cum audiſſent turbæ, ſecutæ ſunt eum, abeųntes pedeſtres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos. Et exiens Ieſus uidit turbam multam: & miſertus eſt ſuper eos, quia erant ſicut oues non habentes paſtorem: & excepit illos, & loquebatur illis de regno Dei. Et cœpit illos docere multa, & curauit languidos eorum. Sequebatur autem eum multitudo magna, quia uidebant ſigna ſuper his qui infirmabantur. Abijt autem in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis (erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Iudæorum.) Veſpere autem ſacto, acceſſerũt ad eum diſcipuli, dicentes: Deſertus eſt locus, & hora iam præterijt, dimitte turbas, ut euntes in caſtella, uillasq́ꝫ quæ circà ſunt diuertant, ut inueniant eſcas, & emant cibos quos manducent, quia in loco deſerto ſumus. Ieſus autem dixit eis: Non habent neceſſe ire, date illis uos manducare. Et cum ſubleuaſſet oculos Ieſus, & uidiſſet quia multitudo maxima ueniſſet ad eum, dixit ad Philippum: Vndè ememus panes, ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum. ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, ut unuſquiſque modicum quid accipiat. Et dixit eis: Quot panes habetis? Ite, & uidete. Dixit ei unus ex duodecim, Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer unus hic, habens quinque panes ordeaceos, & duos piſces: ſed & hæc quid ſunt inter tantos, niſi fortè eamus & emamus in omnem hanc turbam eſcas? Dicit ergo Ieſus: Facite homines diſcumbere, per conuiuia quingentos (erat autem fœnum multum in loco) Diſcubuerunt ergo uiri quaſi numero quinque milia in partes, per centenos & quinquagenos. Accepit ergo Ieſus panes, & intuens in cœlum benedixit, & fregit: & cum gratias egiſſet, dedit diſcipulis ſuis ut ponerent ante eos: Diſcipuli autem dederunt turbis. Similiter autem & de piſcibus diſtribuit diſcumbentibus, quantum uolebant. Vt autem impleti ſunt omnes, & ſaturati, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus ordeaceis & duobus piſcibus, quæ ſuperfuerant his qui manducauerant. Manducantium autem fuit numerus quinque milia uirorum, exceptis mulieribus & paruulis. Illi ergo homines quum uidiſſent quod fecerat ſignum Ieſus, dicebant: Quia hic eſt uerè propheta, qui uenturus eſt in mundum. Ieſus autem cum cognouiſſet, quòd uenturi eſſent ut raperent, & facerent eum regem, fugit in montem iterum ipſe ſolus orare. Veſpere autem facto, ſolus erat ibi.

COMMENTARIA.

Non poteſt non feliciter cadere, quod timore Dei in obedientia & fide ſecundum uerbum Dei inſtituitur. Ceſsit ergo feliciſsimè legatio ſuſcepta ab Apoſtolis. Redeuntes enim magno cum gaudio fructum exponunt prædicationis, & ſucceſſum miraculorum feliciſsimum iactant. Dominus autem modeſtiam ipſis commendaturus, corporaq́ꝫ refecturus honeſto ocio, ſubducit reuerſos in deſertum. Audiunt hoc turbæ, & ardentiſsimo ſtudio audiendi uerbum Dei Dominum ſequuntur. Et Dominus quidem qui ſeceſſerat ad tempus, ad huiuſmodi fideles auditores prodit denuò, boniq́ꝫ paſtoris officio fungens cõſolatur afflictos doctrina, et medetur morbis ægrotantiũ: iſtis declarans,

clarans, ſe omnino delectari ſedula & docili auditorum mente. Porrò turbæ quæ hic uerſabantur in deſerto, nullum ſecum aduexerant commeatū: adhæc remoti erant à uicis, imminebatq; nox: & omnes diuexabat fames. Atq; hæc quidem præſens neceßitas commouet benignum Dominum, ut iam accingatur nonnullam laborantibus requiem præſtare, ac fame confectos reficere. Et tametſi non ignoraret quid facturus eſſet: tamen rogat diſcipulos, ueluti ambigens quid ageret; quò experiretur uel fidem illorum, uel fidei imbecillitatem: & ut hac ratione illuſtraret miraculi magnitudinem & integritatem. Antequàm autem occulta ſua uirtute iſtos panes & piſces ſibi oblatos Dominus mirificè multiplicaret, ſuſtulit in cœlos oculos ſuos, & benedixit: id eſt, orauit (ſic enim utitur Benedicendi uocabulo & Moſes Gen. 1. cap.) Hoc certè nobis prætulit exemplum, docens etiam nos orare Dominum pro uictu, & pro accepto beneficio agere gratias, & ubiq; agnoſcere quòd à Dei manibus conferuntur nobis omnia dona quibus fruimur. Quòd porrò omnes ſaturati ſunt, pertinet ad miraculi commendationem, atq; demonſtrationem quòd opera Domini & beneficia eius ſunt perfectißima. Indeq; liquet, quòd diues eſt Dominus, & diuitias ſuas ſuis abundantißimè communicat, adeò ut his etiam multum ſuperſit. Porrò qui ſaturati fuerant, cœperunt magnificè prædicare de Ieſu. Hoc eſt autem plebis ingenium, citius ſentit uentris quàm mentis beneficium. Viderant maiora miracula, nec tamen unquam tam magnificum elogium illi tribuerunt. Saturitas hanc uocem extorquere potuit. Iamq; ut erant rudes et craßi, Meßiam in hoc expectantes ut regnum mundanum ſibi uendicaret: conſultarunt inter ſeſe ut Ieſum raperent, ſibiq; regem conſtituerent: ubertatem rerum, opes, uoluptates, & gloriam mundi, cæteraq; huius mundi commoda ſibi pollicentes, ſi talis rex contigiſſet. Ieſus autem qui longè aliud regnum ambiebat, quiq; in hoc uenerat, ut nos doceret, opes, uoluptates, & gloriam mundi contemnere: non ignarus quid agitarent, rurſus ſubduxit ſe in montem. Chriſtus itaq; rex eſt cœleſtis, è cœlo uidelicet, regnans ſuper omnes terras & ſuper omnes homines, habens omnis generis & ordinis ſubditos, qui ipſi pro ſua quiſque uocatione ſeruiunt. His dominatur, hos fouet & regit, & tandem transfert in regnum patris ſui æternum.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

ET ſtatim compulit Ieſus diſcipulos ſuos aſcendere in nauim, ut præcederent eum trans fretum à Bethſaida, dum ipſe dimitteret populum. Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Vt autem ſerò factum eſt, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare. & cum aſcendiſſent nauim, ueniunt trans mare in Capernaum: & tenebræ iam factæ erant, & non uenerat ad eos Ieſus. Mare autē uento magno flante exurgebat: nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. Erat autem uentus contrarius eis: & uidit eos laborantes in remigando. Cum ergo remigaſſent ſtadia quaſi uigintiquinq; aut triginta, circa quartam uigiliam noctis, uenit ad eos ambulans ſupra mare, & uolebat præterire eos. At illi ut uiderunt eum ambulantem ſupra mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt præ timore. Omnes enim uiderunt eum, & conturbati. Statimq; Ieſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam. Confidite: ego ſum. Nolite timere. Reſpondens autem Petrus dixit: Domine ſi tu es, iube me uenire ad te ſuper aquas. At ipſe dixit: Veni. Et deſcendēs Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquas ut ueniret ad Ieſum. Videns autem uentum ualidum, timuit. Et cum cœpiſſet mergi, clamauit dicens: Domine, ſaluū me fac. Et continuò Ieſus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Voluerunt ergo eum recipere in nauim. Et cum aſcendiſſet in nauim, ceſſauit uentus, & multo magis intra ſe ſtupebant (non enim intellexerant de panibus: erat enim cor eorum occæcatum) Qui autem in nauicula erant, uenerunt & adorauerunt eum, dicentes: Verè filius Dei es. Et ſtatim nauis fuit ad terram, ad quam ibant. Et cum transfretaſſent, uenerunt in terram Genezareth, & appulerunt. Cumq; egreſsi fuiſſent de naui, continuò cognouerunt eum: & percurrentes per uniuerſam regionem illam, cœperunt in grabbatis eos qui malè habebant

transferre

transferre, ubicunque audiebant eum eſſe. Et quocunque introibat in uicos, uel in uillas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut uel fimbriam ueſtimenti eius tangerent. Et quotquot tangebant eum, ſalui facti ſunt.

COMMENTARIA.

Compulit diſcipulos Dominus, ut conſcenderent nauim: quò uidelicet ipſos periculis obijceret, fidem ipſorum exerceret, tandem & eriperet, atq; hoc paradigmate totum mundum erudiret. Interea orat Chriſtus, docens quàm omnes debeant ad futura ſeſe pericula precibus indefeſſiſq; obſecratione præparare. Orauit item ut ſummus pontifex pro nobis, pro noſtris peccatis atq; delictis. Porrò ſolus orauit, quòd uera oratio amota ſit ab omni turba, & ſtrepitu mundano. Apoſtoli autem quaſi inuiti, & retractantes, à Domino receſſerunt, ne illo abſente naufragia ſuſtinerent. Et quod timuerunt, ferè accidit. Domino enim in montis cacumine commorante, ſtatim uentus contrarius oritur, & turbat mare, & periclitantur Apoſtoli. Et tamdiu imminens naufragium durat, quamdiu Dominus Ieſus abeſt. Quarta autem uigilia, id eſt diluculo uenit ad eos. Nec tamē ſimulatq; laborantes uidet, mox eripit à periculis: ſed ſimulat ſe periclitantes præteriturum. Et illi malis circumuenti, Dominum non agnoſcunt: unde uiſo eo dicunt, Spectrum eſt ſiue phantaſma. Certè ſpectra ſiue uiſa obijci hominibus, non uana eſt opinio. Obijciuntur uerò non citra iuſtum Dei iudicium, per miniſterium bonorum malorumq; ſpirituum: ut erudiant admoneantq;, aut ut imponant incredulis, & tenebras amantibus. Hinc Ouidius 2. Faſtorū: Perq; uias urbis (canit) latosq; ululaſſe per agros Deformes animas, uulgus inane ferunt. Scribit & Plinius epiſtola ad Suram, horribilia dictu de lemure quodam Athenis uiſo. Suetonius uerò, in ea domo, ſcribit, in qua impius occubuit Caligula, nulla nox ſine aliquo terrore tranſacta fuit. Scribit & Plutarchus M. Bruto uiſum ſpectrum, cui dixerit ille: Quis hominum aut deorum es? Quid tibi uis? Et quòd infauſta dixerit ei. Vulgò ergo receptum eſt, ſpectra apparere hominibus: & quia ea non rarò nocuerunt ijs quibus apparuerunt, idq; propter fidei ipſorum imbecillitatem, ideo plerique ſibi à ſpectris metuunt. Vnde etiam Apoſtoli hic ſpectrum ſe uidere autumantes, per humanam imbecillitatem, & præ formidine clamant. Verùm audi, quàm benignè metu propè malorum exanimatos conſoletur, & contra omnia mala tueatur Dominus: Bono animo eſte, inquit: Ego ſum: Dominus ſcilicet & Deus ueſter omnipotens, & benignus erga omnes qui inuocant me in ueritate. Quòd autem Dominus molli inambulat undæ, declarat ſe Dominum eſſe omnium elemētorum, ac omnia quæcunq; ambit circulo ſuo cœlum, ſuis pedibus eſſe ſubiecta. Et fuit in Petro fidei ardor: Alioqui enim non concupiuiſſet ſe in apertum conijcere diſcrimen: hoc eſt, deſerta naui ſeſe marinis committere fluctibus. Fuit autem infirmata fides per obiecta terriculamenta. Videns enim uentum ualidum, conſternatur animo. quemadmodū nos quoq; fidem habemus, dum extra teli iactum conſiſtimus: at ubi in nos irruunt undique mala, concidimus & fide & animo. Quoniā uerò non omnem prorſus fidem reiecerat Petrus, adeſt continuò inuocanti Dominus: ſic tamen, ut ipſius interim modicam increpet fidem, dicens: O parum adhuc mihi fidens, quare uacillabas? Non enim ſatis eſt, habere fidem uehementem & temporariā: ſed oportet habere perpetuā & conſtantem, neq; diſpicere quantum ſit periculi, aut quid tuæ uires poſſint ferre, ſed quid ego fidenti poßim præſtare. Quid ergo nobis dicendum eſt (inquit Hieronymus) qui huius modicæ fidei ne minimam quidem habemus portiunculam? Eſt autem egregius locus, docens omnes nos in periculis clamare ad Chriſtum: Domine, ſerua nos: & tunc omnium ardentißimè, quando ſentimus fidē nobis per metum infirmari. Porrò ut omnia elementa ſeruiunt Chriſto: ita ipſo in nauim conſcenſo, ſtatim fit tranquillitas. Ex diuino autem opere colligunt diſcipuli, ipſum homine quoddam maius eſſe: nempe ueri Dei uerum filium: ac idcircò adorarunt. Diſcamus etiam nos ex operibus, & fateri diuinitatem Chriſti, atq; adorare glorioſum illum Dei filium coæternum, & conſubſtantialem patri, & potentißimum. Cæterùm ut omnium Saluator eſt Chriſtus: ita non tantum liberat Apoſtolos, periclitantes in lacu procellis obortis ſæuiēte: ſed medetur etiam omnium morbis, omnium inquam qui ipſum accedunt per fidem. Porrò innotuerat beneficium mulieri ſanguinis profluuio laboranti à Chriſto præſtitum. Iam ergo cupiunt omnes, fimbriam ſaltem ueſtimenti contingere. Quotquot autem contingebant, ſanabantur, quocunq; genere morbi tenebantur. Illi fidentes contingebant fimbriam

fimbriam ueſtis, & leuabantur morbis corporum: quanto magis adnitendum eſt omnibus, ut Ieſum ipſum contingant animo, & ſanentur à morbis animorum. Nudum Ieſu corpus contrectabant, qui impegerunt alapas, qui uinciebant, & ſuffigebant in crucem: neq; cuiquam profuit contigiſſe, quia nihil ualet contactus ſine fide. Quamobrem quiſquis ſincera fiducia Euangeliũ Ieſu legit, uel legentem audit, contingit Ieſum ipſum, & ſanatur. Sed deprecandus eſt Ieſus, ut liceat contingere. fruſtra contingit (ait quidam) quem ille non contingit prior.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

AVdiuit autem Herodes tetrarcha famam de Ieſu, & omnia quæ fiebant ab eo (manifeſtum enim factum eſt nomen eius) & hæſitabat: eo quòd diceretur à quibuſdam, quòd Ioannes ſurrexit à mortuis: à quibuſdam uerò, quòd Helias apparuit: ab alijs autem, quòd propheta unus de antiquis ſurrexerit. Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui, quis eſt iſte de quo ego talia audio? & quęrebat uidere eum. & ait pueris ſuis: Hic eſt Ioannes baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis, & uirtutes operantur in eo: quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis ſurrexit.

COMMENTARIA.

Varius rumor, & uaria de Chriſto erant iudicia, eo quòd diceretur à quibuſdam, Heliam apparuiſſe, iuxtà Malachiæ uaticinium: ab alijs uerò, prophetam aliquem ex antiquis ſurrexiſſe. Quòd autem dicit Herodes, Ieſum eſſe Ioannem qui reſurrexerit à mortuis: quidam interpretantur, quaſi Herodes crediderit, animam Ioannis in corpus remigraſſe Saluatoris. Pythagoram enim aiunt nonnulli, neſcio quid huius tradidiſſe: migrare ſcilicet animas de corporibus uetuſtate ac morte confectis, & inſinuare ſe nouis ac recens natis, & eaſdem ſemper renaſci: ut Lactantius ſcribit, modò in homine, modò in pecude: & hac ratione immortales eſſe, quòd ſæpe uariorum ac diſſimilium corporum domicilia commutent. Vel potuit Herodes quàm ſimpliciſsimè crediſſe mortuorũ reſurrectionem, prout Phariſæi docebant: atq; ideo exiſtimauit, Ioannem diuina uirtute excitatum rediſſe, & nunc maiori uirtute inſtructum inclareſcere: uel conſueto loquendi more, Ioannem à mortuis reſurrexiſſe, dicit Ioannes, cuius mores & ingenium totiusq; uitæ habitus in Saluatore noſtro ceu renata reparataq; conſpiciuntur, quæ tamen in Ioanne extincta uidebantur. Cõſpiciebatur enim in Saluatore talis gratia, libertas docendi, dicendiq;, & ſanctimonia uitæ, qualis olim fuerat in Ioanne. Atq; hic ſenſus uidetur omnium eſſe ſimpliciſsimus, ab ipſo quoque Matthæo ſuppeditatus, dicente: Et ideo uirtutes agunt in illo. Et cupidè quidem Herodes Dominũ uidere deſiderabat: nõ exhibuit tamen ſe ipſi Dominus uidendum, aut audiendum. Non enim expediebat. ſciebat enim omnem operam & impenſam eſſe perditam.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

ALtera autem die, turba quæ ſtabat trans mare, uidit quia nauicula alia non erat ibi, niſi una. Et quia non introiſſet Ieſus cum diſcipulis ſuis in nauim, ſed ſoli diſcipuli eius abijſſent. Aliæ uerò ſuperuenerunt naues à Tiberiade, iuxta locum ubi manducauerant panem, gratias agentes Deo. Cum ergo uidiſſent turbæ, quia Ieſus non erat ibi, neq; diſcipuli eius: aſcenderunt nauiculas, & uenerunt Capernaũ, quærentes Ieſum. Et cum inueniſſent eum trans mare, dixerũt ei: Rabbi, quando huc ueniſti? Reſpondit Ieſus, & dixit: Amen amen dico uobis, quęritis me, non quia uidiſtis ſigna: ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Operamini non cibũ qui perit, ſed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis uobis dabit. hunc enim pater ſignauit Deus. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille. Dixerunt ei: Quod ergo tu facis ſignum, ut uideamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres noſtri manducauerunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis mãducare. Dixit ergo eis Ieſus: Amen

amen

amen dico uobis: Non Moyſes dedit uobis panem de cœlo, ſed pater meus dat uobis panẽ de cœlo uerũ. Panis enim Dei eſt, qui deſcendit de cœlo, & dat uitã mundo. Dixerũt ergo ei: Domine, ſemper da nobis hunc panẽ. Dixit aũt eis Ieſus: Ego ſum panis uitæ. qui uenit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet unquam. Sed dixi uobis, quia & uidiſtis me, & non credidiſtis. Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet: & eum qui uenit ad me, non eijciam foràs: quia deſcendi de cœlo, non ut faciam uoluntatem meam, ſed uoluntatem eius qui miſit me. Hæc eſt autem uoluntas eius qui miſit me patris, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet, Ego ſum panis qui de cœlo deſcendi. Et dicebãt: Nonne hic eſt filius Ioſeph, cuius nos nouimus pátrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo deſcendi? Reſpondit ergo Ieſus, & dixit eis: Nolite murmurare inuicem. Nemo poteſt uenire ad me, niſi pater meus qui miſit me, traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Eſt ſcriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me: non quia patrẽ uidit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo, hic uidit patrem.

D. Cyrillus in Ioannem libro 3. cap. 37. Quid igitur Chriſtus pollicetur? Quid credentib. affert? corruptibile certè nullum, ſed benedictionem, quã communicatione corporis & ſanguinis Chriſti aſſequimur: unde ad eã incorruptionem integrè reducemur, ut cibo & potu corporali non indigeamus. uiuificat enim corpus Chriſti, & ad incorruptionem ſua participatione reducit. Non enim alterius cuiuſdam, ſed ipſius uitæ corpus eſt, uirtutẽ incarnati uerbi retinens, & plenum poteſtate illius, quo uniuerſa uiuunt & ſunt, &c.

COMMENTARIA.

Quòd commemorat turbam uidiſſe, nullam illic fuiſſe nauim præter unam, qua tranſmiſerant Apoſtoli: quos cum à littore ſoluere uiderit, certũ habuerit, Ieſum eam nauim non fuiſſe ingreſſum: facit ad commendationem eius miraculi, quod aquæ inambulauit Dominus. Et turba teſtimonium dedit, Chriſtum abſque nauicula lacum tranſiſſe. Deinde admonet Ioannes, à Tiberiade aduectas eſſe aliquot, quibus impoſita turba tranſierit, & tranſmiſſo lacu peruenerit Capernaum. Proponunt autem quæſtionem Domino Ieſu, non ſine adulatione quidem: ſubindicantes ſcilicet, nonnihil ſe ſuſpicari de nouo illo ſuo modo traijciendi. At Dominus nihil ad ea reſpondet, utpote humilis, & nihil curans populi applauſum: ſed obiurgatione ſatis ſeuera corrigit affectum multitudinis, non ſolùm incõſtantẽ, ſed craſſum quoq;, minimeq́; dignũ doctrina Euangelica, cum inquit: Deſignaui hactenus ſtupenda aliquot miracula, quibus ueſtros animos ad ſublimiora ſubuehere uolui, ut à me peteretis cœleſtia et perpetua bona. At uideo, uos heſterna ſaturitate magis commoueri, quàm ullis quantumuis admiranda uirtute editis diuinis facinoribus. Venter uobis potiſsimùm curæ eſt. Turpe eſt autem atq; impium, bonis cœleſtibus & æternis contemptis, ſumma cura & diligentia colere uentrem. Quapropter alium quærite cibum, non eum qui lapſus in uentrem, & breui uos uoluptate afficiẽs, per aluum tandem emiſſus perit: ſed cibum ſpiritalem, qui corda confirmat, & in uitã æternam perducit. Hunc cibum uiuificum ego uobis ſuppeditabo, uidelicet me ipſum. Nec eſt quòd hic quicquam addubitetis. Nam pater meus cœleſtis fide indubitata uult me eſſe huiuſmodi cibum, ac ſalutem totius mundi. Nec eſt mihi difficile, permanentem cibum uobis largiri, quo ad æternæ uitæ delicias deducemini. Nam etſi homo ſum, ut unus ueſtrûm: unctus tamen à Deo patre, ſignatusq́; ad incommutabilem eius identitatem (nam ego in patre, et pater in me, naturaliter cernimur) eam uirtutem habeo, qua poßum omnia ut Deus efficere, nec ullo modo uirtus mea minor quàm patris eſt. Quæſierũt ergo illi, quo pacto opera Dei operari poßint? Hæc interrogatio (ut D. docet Cyrillus) non ex bono animo, nec ex diſcendi cupiditate, ſed ex arrogantia potius prodijt. quaſi enim omnia ſcirent, ac nihil ſibi diſcendum reſtaret, ita rogarunt. Dicunt ergo: Satis nobis præcepta Moſis ſunt: non minus ſcimus, quàm oporteat illos ſcire qui Dei opus facere uolunt. quid igitur nouum & inauditum ipſe docere nos poteſt, quod in Scriptura dictum non ſit? Hæc Cyrillus. Cum autem illi ita impiè ſpernerent doctrinam Saluatoris, ſatisq́; ad ſciendum opus Dei, legem Moſeos eßе putarent: ſubaperit Dominus, longè eos à uero cultu Dei eßе, nihilq́; ſcire ipſos docet, & inquit: Non eſt opus Dei, quod uos putatis, umbras ſolummodo legis atq; figuras reſpicientes: ſed illud, ut credatis in eum quem miſit ille. Fides enim ſalutem affert, & gratia iuſtificat: mandata uerò legis condemnant magis. Hunc ſanè intellexit turba, quòd fidem ab eis poſtulaſſet, ac diceret ſe orbi datum à Deo patre, ut credentes in ipſum haberent uitam æternam. Tale ergo quiddam obijciunt: Magnifica quidem de te prædicas Ieſu, quaſi uidelicet in orbem è cœlo mißus ſis ad redimendum genus mortalium. Quòd ſi is es, qui uideri & haberi cupis, demonſtra id nobis aliquot cœ-

leſtibus ſignis, quibus ceu irrefragabilibus conuicti argumentis, tutò iam te recipiamus, & tibi tanquam Dei filio ac Saluatori orbis credamus. Non dices opinamur, poſtulationem noſtram eſſe ſuperuacaneam, cum nõ ignores eum eſſe Dei morem, ut prophetas quos mittit editis commendet ſignis. Exemplum ſit Moſes, qui editis ſignis declarauit ſe miſſum à Deo. Præcipuè uerò quum pauit ille ingentem populi multitudinem manna in deſerto Hic obſeruanda uidetur carnis uafricies. Extabant multa & memoranda ſigna, ſed nullum his occurrit, niſi illud quod faciebat ad farciendum uentrem. Dominus autem non neſciens quàm turpes eſſent illorum affectus, nihil reſpondet ad ſignum poſtulatum: ſed diſſimulata plebis ruditate, inconſtantia & malicia, conatur ipſam pura ſimplicitate perducere in ueram ac plenam myſterij fidei cognitionem. Et principiò negat, ſe quicquam in præſentiarum loqui de tali cibo, qualem Moſes Deo authore ſuppeditauit populo. & ait: Dedit Moſes corporalem cibum, qui corpora alebat, non animos, uitam conſeruans animalem, nil conferens uitæ ſpirituali. Pater uerò cœleſtis ex ſua ſubſtantia genuit ſibi per omnia ſimilem & æqualem filium ab æterno. Hic uerus panis eſt. Hunc è cœlo miſit in terras pro ſalute hominum perficienda. Cæterùm dicit, ſeipſum uerum panem (ut ſcribit Theophylactus) non quòd manna falſum fuerit, ſed quia illud figura fuit & umbra, non ipſamet ueritas. Propriè enim manna unigenitus Dei filius factus homo uerbum, & auditio obſtupeſcere faciens, nam manna interpretatur. Quid hoc? Iudæi enim uiſo illo obſtupefacti, omnes interrogabant ſe inuicem: Quid hoc? Dominus igitur factus homo filius Dei, ipſe eſt mãna, quod obſtupefacit omnes, ita ut dicant, Quid hoc? Quomodo filius Dei & filius hominis? Quomodo ex duobus diuerſis una perſona? quod hoc myſterium? Hic igitur panis, uita ſecundum naturam exiſtens, utpote uiuentis patris filius, facit quod ſibi proprium eſt. Viuificat enim omnia. Igitur ſicut qui ex terra panis infirmam naturam carnis continet, non ſinens illam corrumpi: ita & Chriſtus per ſpiritus operationem animam uiuificat, & in uita conſeruat, ne morte ſecunda moriatur. ita Chriſtus uitam dat mundo: id eſt, hominibus ex mundo recipientibus fide Dominum.

Ad hæc dixerunt illi, petentes panem illum, ita animum denudantes. Patet etiam, non poſſe Chriſtum mentiri. Non enim quia ſigna uiderunt ſequuntur, ſed quia uſque ad ſaturitatem comederunt. de quorum ignorantia opportunè dixerim: Ecce populus fatuus, atque uecors: oculi ſunt ipſis, & non uident: aures ſunt ipſis, & non audiunt. Dominus Ieſus autem ut excuteret Iudæis ſomnium cibi corporalis, apertius eis explicat, ſe non loqui de pane qui dentibus manditur, & per gulam in ſtomachum traiectus corporis famem ad tempus ſedat: ſed de pane cœleſti. ait' que: Ego ſum panis ille, uitæ largitor æternæ: qui hunc eſuriens ad me uenerit, eum'que in animæ uiſcera per fidem traiecerit, non eſuriet rurſum, recurrente poſt ſaturitatem famis moleſtia: ſed permanebit in eo qui ſumpſit, uſque in uitam æternam. Et ſermo meus fontem habet aquæ ſpiritualis, quæ per fidem hauritur, animo, non corpore. Itaque qui credit in me, non ſolùm non eſuriet, uerùm ne ſitiet quidem in æternum. Sed quid fruſtra hæc tam multis & claris inculco uobis uerbis? Olim opprobraui uobis inuincibilem ueſtram incredulitatem, eandem etiam nunc in uobis experior. Tametſi enim heri uideritis atque ſenſeritis beneficium ingens & ſtupendum, & antea ſæpe uideritis maiora præſtantem quàm ſi uos manna pauiſſem: permanetis tamen perpetuò in ueſtra incredulitate, unde & perpetua diſcruciamini fame. Sub hæc obiter indicat Dominus, unde ſit beneficium fidei, de qua tanta prædicat: ex mero nimirum patris cœleſtis dono, non ex uiribus hominis. Quicunque enim filio dantur à patre, ueniunt ad filium. Dantur autem à patre, qui illuminantur, trahuntur, atque docentur. Illi ueniunt ad filium: id eſt, credunt. Interim euidentiſſimè demonſtrat, idem eſſe patris & filij conſilium, eandem item uoluntatem in ſaluando mundo. Porrò nec abdicabitur ait, aut inglorius eijcietur, nec erit expers meæ benignitatis, qui uenit ad me: ſed, recondetur in horreum, & in cœleſtes manſiones diuertet, ingredietur'que quò mens hominum nequaquam cogitauit. Quum autem dicitur (inquit Diuus Cyrillus) Non eijciam foràs uenientem: illud profectò dicitur, Non tradam iudæo fidelem, qui diuina gratia munitus eſt. Et ut euaſurum ab æternis ſupplicijs integra uenientem fide populum demonſtrat: ita remotis à pietate minari mihi uidetur, niſi uerè ſincerè'que credant, procul à ſe omnes proijciendos, nolentes'que ab eo receſſuros. Demum ut toti mundo appareret, quod'nam ſit conſilium & decretum patris & filij, quæ uoluntas: ſubijcit, quòd uelit pater omnes credentes ſeruari, atque ita ſeruari, ut reſuſcitet ipſos filius in nouiſſima die. Nouiſſima au-

tem

tem dies eſt cuiuſque hora illa fatalis, qua è uiuis excedit. Reſuſcitat filius, quando in ipſo mortis articulo gratia ſua & uirtute diuina animas morientium in uita conſeruat, neque morte æterna extingui ſinit. Itaque uoluntas patris eſt, ut anima morientis pij & fidelis hominis per Chriſtũ uiuat, & in cœlos transferatur. Rurſus nouiſſima dies, eſt ultima illa iudicij dies, quo omnis caro iudicabitur. Equidem reſuſcitabit filius in illo die tam bonos quàm malos, reſtituens cuiq; ſuum corpus, & ſuo cuiq; corpori ſuam animam: ac fideles reſuſcitabit ad uitã ac gaudia ſempiterna, ut totus homo corpore et anima ſaluetur, & uiuat in æternum. Hoc cum audierunt Iudæi, murmurarunt non tam apud ſeipſos commoti indignatione, quàm altercantes inter ſe. Erant enim hauddubiè boni & fideles multi, qui adhærebant firma fide Domino: quos impugnabant, quibus potior erat error, & mundi deceptio. Siquidem nõ credebant, Ieſum eſſe Chriſtum, Dei uiui filium: hominem duntaxat ſuſpicabantur, Ioſeph patre ex Maria natum, hominem uilem atq; contemptũ. Expectabant illi Meſſiam magnificum & uictorioſum, qui Salomonis inſtar, aut Cyri, ſeu Alexãdri, regũ, eſſet regnaturus. Itaq; aſpernabantur Chriſti humilitatem, non intelligentes, quomodo uilis hic homo deſcenderit de cœlo. Nos autem qui fide percepimus, uerbum carnem factum, nimimè murmuramus, ſcientes, hoc uerbum Chriſtum deſcendiſſe de cœlo, & conceptum, & natum ex uirgine Maria, uerum Deum & uerũ hominem. Et quia murmur contra Deum & ueritatem, diſſidiaq; in religione ſupra modum Deo diſplicent: Dominus turbis optimè uolens conſultum, hortatur ne ſic murmurent & altercentur: ſed potius agnoſcant, fidem ſolius Dei eſſe beneficium atq; donum: itaq; renũcient omnibus affectibus, & ſe Deo patri præbeant docendos. Nemo ergo poteſt credere, inniti Chriſto, & ab eo unicè pendere, niſi pater cœleſtis diuina potentia intellectum & uoluntatem eius commouerit. Vnde S. Auguſtinus in hũc locũ: Magna eſt, inquit, gratiæ commendatio. Nemo uenit niſi tractus. Quẽ trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat: noli uelle iudicare, ſi non uis errare. Semel accipe, & intellige. Nõ traheris, ora ut traharis. Et cum audis, Nemo uenit ad me niſi quem pater attraxerit: noli cogitare, te inuitum trahi. Trahitur animus & amore. Si enim Poetæ dicere licuit, Trahit ſua quemq; uoluptas: non neceſſitas, ſed uoluptas, nõ obligatio, ſed delectatio: quanto fortius nos dicere poſſumus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur ueritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſticia, delectatur ſempiterna uita: quod totum Chriſtus eſt. Sic ille. Cæterùm quo plus fidei inueniret apud eos hæc doctrina de illuminãte patre, atq; ſecretis inſpirationibus trahente, illuſtrat Dominus, atq; cõfirmat quod dixerat prophetarum teſtimonijs, qui (Eſaiæ 54.) prædixerunt à Deo patre dignis hominib. ineffa (Ierem. 31. Ioelis 2.) bili doctrina filium reuelatum iri: ſimulq; ignoran (Ezechielis 36.) tiam eorum denudat, & ora obſtruit. non enim poterant etiam uocibus prophetarum ſeſe opponere. Porrò quod appendit, Omnis ergo, clarius oſtendit rationem qua trahit ſiue inſtituit pater. Quo ordine, Audire primum obtinet locum, & refertur ad præeuntem patris inſpirationem. Pater enim foris uerbo ueritatis per miniſtros ut organa ſua docet, intus inſpiratione ſua rapit & incendit. Hic opus eſt, ut docilis ſit diſcipulus, qui diſcat. Diſcit autem, qui mentem applicat, monenti obſequitur, nec repellit inſtitutionem doctoris. Quicunque uerò tales ſe patri diſcipulos præbẽt, uerbo & ſpiritu patris imbuuntur, & proximà ad Chriſtum contendunt, quem ex patris inſtitutione intellexerunt uerum Deum & uerum hominem eſſe, atq; unicum orbis Saluatorem.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

AMen amen dico uobis: Qui credit in me, habet uitam æternam. Ego ſum panis uitæ. Patres ueſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducauerit, nõ moriatur. Ego ſum panis uiuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi uita. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicẽtes: Quomodo poteſt is nobis dare carnem ſuam ad manducandum? Dixit ergo eis Ieſus: Amen amen dico uobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro enim mea uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt

potus. Qui mãducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem: & qui manducat me, & ipſe uiuet propter me. Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit. Non ſicut manducauerunt patres ueſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, uiuet in æternum. Hæc dixit in ſynagoga, docens in Capernaum. Multi ergo audientes ex diſcipulis eius, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli eius, dixit eis: Hoc uos ſcandalizat? Si ergo uideritis filium hominis aſcendentem, ubi erat prius? Spiritus eſt qui uiuificat, caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego locutus ſum uobis, ſpiritus & uita ſunt. Sed ſunt quidam ex uobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent credētes, & quis traditurus eſſet eum. Et dicebat: Propterea dixi uobis, quia nemo poteſt uenire ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo. Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Ieſus ad duodecim: Nunquid & uos uultis abire? Reſpondit ergo ei Simō Petrus: Domine, ad quē ibimus? Verba uitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognoſcimus, quia tu es Chriſtus filius Dei. Reſpondit eis Ieſus: Non'ne ego uos duodecim elegi, & ex uobis unus diabolus eſt? Dicebat autem de Iuda Simonis Iſcariotis. Hic enim erat traditurus eū, cū eſſet unus ex duodecim.

Dixit hoc, inquit D. Cyprianus, ſeruās legem qua homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio ꝓprio conſtitutus, ſibimetipſi uel mortē appetit, uel ſalutem. lib. 1. Epiſtola 3.

COMMENTARIA.

Poſtquam murmur populi indignantis nōnihil cōpeſcuit Dominus Ieſus, oſtēdendo unde fides, et q, ea precibus à patre poſtulāda, diligentiq; uerbi Dei auſcultatiōe cōparāda ſit: redit denuò ad inſtitutū ſuū, ac iterum illis fidem cōmendat, ſic inquiens: Ianua & uia in uitā fides eſt, & recurſus quidam atq; reductio à corruptione ad immortalitatem. Hic mirari decet diſpenſationē (inquit Cyrillus) qua in his uerbis utitur. Nam quoniā inſenſatos omnino uidet, & prophetarū etiā uerbis parū ex imperitia credentes: imbecillitatē eorum ad fidem quaſi iureiurando erigit, præmia credentib. præcipua quibus ad ſe trahat proponēs. Ita nolentes firma præmij ſpe ad fidem impellit. Quid enim melius aut ſuauius, mortem & corruptionem timentibus, quàm uita æterna? Quum aūt ipſe ſit uita, & uita æterna, ſeipſum credentib. daturū pollicetur: quod eſt, ut in cordibus noſtris per fidem inhabitet. Quocirca omnibus orationis uelaminibus remotis, apertè ſeipſum dicit eſſe panē uitæ: ut diſcerent, ſi mortem effugere uellent, neceſſe eſſe illo pane participare qui mortē ſolus & interitum poteſt deſtruere: quod equidē manna, quod deſiderabant, præſtare nō potuit. Ad breue tēpus famē corporis tantùm pepulit, mox recurſurā: non aūt præſtitit eis immortalitatē, nullā inde uitæ perpetuæ uirtutē acceperunt. Mortui enim ſunt, qui māna manducauerūt. Hic ergo panis uerè deſcēdit è cœlo, ac cœleſtē à Deo uim habet efficiēdi, ut ſi qs eo ueſcatur, totus uiuat in æternū, nec unq̄ morti ſit obnoxi⁹. Nihil aūt uerbis noſtris officit: nec idcirco mētiri uidebimur, q a fideles qui Chriſto participarūt, corpore moriuntur. Nā etſi hac cōmuni omniū morte cadere uideātur: uiuūt tamē Deo, ut Paulus ait. Ait porrò illis Ieſus: Nō eſt neceſſe, ut ullū māna flagitetis è cœlo, quū panē habeatis uerè cœleſtē, præſentē ac paratū uobis, qui uitā æternā largitur, ſi modò illū per fidē uelitis ſumere. Nā ipſe ego ſum panis ille, uitæ immortalis largitor, q ſolus de cœlo deſcēdi, quē uos offenſi corporis huius infirmitate, nihil aliud eſſe putatis quàm Ioſeph & Mariæ filium. Sum enim uerbū Dei patris, cui qui crediderit, uitā habebit immortalē. Nam morior pro omnib. ut per me ipſum omnes uiuificē, & caro mea omniū redemptio fiat. Morietur enim mors morte mea, & ſimul mecum natura hominum reſurget. Factus enim homo ſum ex ſemine Abraham, ut in omnibus fratrib. ſimilis ſim. Hinc diſcimus, Chriſtū ſuam carnem pro mūdi uita dediſſe, & (ut D. Apoſtolus dicit) deſtruxiſſe eum qui mortis imperiū habebat, id eſt diabolum. Non enim poterat mors aliter deſtrui, & mortis princeps deponi, niſi Chriſtus ſeipſum in redemptionē pro nobis tradidiſſet. Nam taurorum hircorumq; ſanguis, & iuuencarum cinis ad ablutionem peccatorum non ſufficiebat, nec brutorū unquā animaliū cædes mortē potuit deijcere. Chriſtus igitur pro omnibus pœnas luit, & delicta noſtra ipſe corpore ſuo in lignū tulit, crucifixus ꝓ omnib. ut morte unius in ipſo omnes uiuam⁹. Ipſius (ut ꝓpheta dicit) liuore ſanati ſumus, nec amplius poſſibile fuit à morte atq; interitu uitā noſtrā detineri. Theophylactus uero his uerbis, Caro mea uerè eſt cibus, etc. Dominū promiſiſſe aliquando ſe daturum

ueram

ueram ſuã carnem ad manducandũ oſtendit. Ait enim: Attende autem, quòd panis qui à nobis, in myſterijs manducatur, non eſt tantum figuratio quædam carnis Domini, ſed ipſa caro Domini. Non enim dixit, panis quem ego dabo, figura eſt carnis: ſed, Caro mea eſt. Trãsformatur enim arcanis uerbis panis ille per myſticam benedictionem, & acceſſionem ſancti Spiritus, in carnem Domini. Quia ergo Iudæi cum audiuiſſent de eſu carnis Domini, diſcredunt: oportet nos cum audiuerimus, Niſi ederitis carnem filij, non habebitis uitam, in ſumptionibus diuinorum myſteriorum indubitatam retinere fidem, & non quærere quo pacto. Nam animalis homo, hoc eſt, qui ſequitur cogitationes humanas & animales, non eſt capax eorum quæ ſunt ſuper naturam, & ſpiritualium. Atque ita & ſpiritualem eſum carnis Dominicæ non intelligit, cuius qui non ſunt participes, non erunt participes æternæ uitæ, eo quòd non ſuſceperunt Ieſum, qui eſt uita æterna. Non enim nudi hominis caro eſt quæ manducatur, ſed Dei: & quæ deificare ualet, utpote contemperata deitati. Hæc ille. Et D. Cyrillus haud abſona habet. ait enim: Sanctum uerò Chriſti corpus, ad immortalitatem & uitam æternam nutriens cibus eſt: & uerè potus eſt ſanguis Chriſti, quo radicitùs mors euertitur atque deſtruitur. Non enim hominis ſimpliciter ſanguis eſt, ſed eius qui naturali uitæ coniunctus, uita effectus eſt. Propterea corpus & membra Chriſti ſumus, quia per hanc benedictionem myſterij ipſum filium Dei ſuſcipimus. Verùm hæc res non tam pia quàm ardua, & fide magis quàm alio modo recipitur: ideóque multis atque uarijs modis mirabilem eius utilitatem Dominus exponit, fundamentum & baſim fidem eſſe confirmans. Hoc eſt ergo (ut Sanctus docet Auguſtinus) manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum in ſe manentem habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubiò nec manducat ſpiritualiter carnem eius, nec bibit eius ſanguinem, licet carnaliter & uiſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ aliquis non dignè ſumit, niſi qui mundus eſt. de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. Neceſſe eſt itaque, ut pias ſuſcipiamus cogitationes, ſtudioſe ſanctè que uiuamus, & benedictione participemus illa, quæ non mortem ſolùm, uerùm etiam morbos omnes depellit. Pollicetur porrò Chriſtus pijs cunctis uitam perennem. ait enim: Vt ego uiuam propter patrem: id eſt, ad illum tanquam maiorem referam uitam meã, exinanitio mea fecit, in qua me miſit. Vt autem uiuat quiſquam propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaq; humiliatus uiuo propter patrẽ, ille erectus uiuit propter me. Habebitis ergo, de quo locutus ſim hactenus, pane. Nam ego ipſe ſum panis ille, uita & ſuſtẽtatio mundi: qui ideo de cœlo deſcendi, ut uiuificem eum. Cæterùm Euangeliſta ut uerum agat hiſtoriographum, diligenter annotat locum in quo hæc geſta & dicta ſunt, ad indicandam ſcilicet rei indubitatam ueritatem ac certitudinem. Hic autem uideamus inſipientiam illorum, qui ſequebantur in ordine, diſcipulorum. Nam debebant interrogare, & diſcere ea quæ ignorabant: tunc reſiliunt illi, et nihil ſpiritualiter exponunt, ſed omnia ut uidebantur. Quia enim carnem audierant, putabant quòd eos carnis & ſanguinis fieri cogeret deuoratores. Ieſus autem pro ſua manſuetudine mederi cupiens illorum offendiculo, & errori fœdo: Arbitramini, inquit, indignum eſſe, ut cum homo ſim ueſtri ſimilis, dicam me deſcendiſſe de cœlo, atq; uim habere uiuificandi? Fruſtra ô uos propter uerba mea conturbamini. Quòd ſi credere non uultis, uitam uobis à corpore meo dari: quid facietis, quando in cœlum me uolare conſpicietis? Si putatis carnem meam uitam uobis afferre non poſſe: quomodo tanquam uolucris in cœlum aſcendet? quomodo per aera uolabit? hoc enim ſimiliter generi humano impoſſibile eſt. Quòd ſi præter naturam caro mea in cœlum conſcendet: quid prohibet, ne ſimiliter præter naturam uiuificet? Natura carnis ipſa per ſe uiuificare non poteſt. Spiritus eſt qui uiuificat. Vnde nec ſola in Chriſto eſſe intelligitur (inquit Cyrillus) ſed habet filium Dei ſibi coniunctum, qui conſubſtantialiter uita eſt. Quando igitur uiuificam Chriſtus ipſam appellat, non ita illi, ut ſibi, ſiue e proprio ſpiritui, uim uiuificandi attribuit. Nam propter ſeipſum ſpiritus uiuificat, ad cuius uirtutem per coniunctionem caro conſcendit. Quomodo autem id fiat, nec mẽte intelligere, nec lingua dicere poſſumus, ſed ſilẽtio atq; firma fide id ſuſcepimus. Corpus ergo eſt non cuiuſuis hominis, cuius caro prodeſſe quicquam poteſt (non enim Pauli, Petri, aut cæterorum) ſed ipſius uitæ & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti corpus, in quo deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc poteſt. Quapropter caro non prodeſt quicquam. Sed quomodo illi in-

tellexerunt (ait Auguſtinus) carnem? Quippe ſic intellexerũt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello uenditur, non quomodo ſpiritu uegetatur. Et propterea dicit Chriſtus: Putatis me dixiſſe uiuificum natura ſui terreſtre hoc eſſe corpus? Ego uerò de ſpiritu, & de uita æterna ſum locutus. Nõ enim natura carnis uiuificũ reddit ſpiritũ: ſed ſpiritus uirtus uiuificum carnem efficit. Verba ergo quæ uobis locutus ſum, ſpiritus, id eſt ſpiritalia: & de ſpiritu & uita, id eſt, de uiuifica & naturali uita ſunt. Diuus Athanaſius in libello De peccato in Spiritum ſanctum: Hic, inquit, Dominus de utroq;, carne ſcilicet & ſpiritu ſuo, locutus eſt, & ſpiritum à carne diſcriminauit, ut non ſolùm in eo quod oculis apparebat, ſed naturã quoq; inuiſibilẽ credentes, diſceremus ea quæ loqueretur non carnalia eſſe, ſed ſpiritualia. Quot enim hominibus ſuffeciſſet corpus ad eſum ſeu cibum, ut uniuerſi mundi alimonia fieret? Sed propterea aſcenſionis ſuæ in cœlum mẽtionem fecit, ut eos à corporali intellectu abſtraheret, ac deinde carnem ſuam de qua locutus erat, cibum è ſupernis cœleſtem & ſpiritualem alimoniam, & ab ipſo donandam intelligerent. Quæ enim locutus ſum uobis, inquit, ſpiritus eſt & uita. Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Corpus meum quod oſtenditur & datur pro mundo, in cibum dabitur, ut ſpiritualiter unicuiq; tribuatur, & fiat ſingulis tutamen præſeruatioq; ad reſurrectionem uitæ æternæ. Cæterùm ubi Chriſtus uidit craſſum & incredulum uulgus: Multa, dixit, diſſerui uobis hactenus de uera ſalutis ratione, quomodo iuſtificentur & uiuãt homines: uerùm uideo multos ex uobis iſta non magnifacere, quia non habent fidem. Et hos quidem minimè ignorauit Dominus pro diuino ſuo ingenio. Quod cum monuit Ioannes, fecit ad amplificandam Chriſti authoritatem, maieſtatemq;. Oſtenditur item & fidei & incredulitatis cauſa, cum dicitur, eos quidẽ credere qui trahuntur à patre, & non credere qui non trahuntur à patre. Trahit autem pater per gratiam, non opponentes ſe ueritati, ſed obſequentes & induſtrios diſcipulos. ita non trahuntur cõtemptores uerbi, atque calcantes omnem doctrinam cœleſtem. Ex quorum numero certè hi ſunt, quibus ut inſipientibus, quæ ſapienter dicta, dura uidentur: quibus haud aliter euenit, atq; ægrotis. His enim ſolaris lux officere ſolet: tenebroſa uerò loca prodeſſe uidentur: ſic ægrotãtes animo perfectiorem aſpernantur diſciplinam, & plenam bonis orationem abijciunt: friuola uerò ac inutilia, quaſi plena iocunditatis amplectuntur. Hac igitur ratione Iudæi, cũ magna eis myſteria Chriſtus exponeret, tantam rem, tamq; admirabilem doctrinã abominantur & reſpuunt, & in dementiam ſuam delapſi retrò abeunt, neq; amplius cum ipſo ambulant. Rogat ergo Dominus duodecim, num & ipſi diſceſſionem meditentur? non quòd ignoret quid cogitent, aut quid facturi erant: ſed ut fidem eorum proliceret alijs imitandam: ſimul autem indicaret, ſpontaneas mentes non coactas in religionis negocio poſtulare. Et illi (ut Cyrillus docet) per unum qui præerat, omnes reſpondent, ſanctam profectò, ſanctiſq; congruentem diſciplinam optimè conſeruantes, & poſterioribus prudentiæ atq; modeſtiæ laudabilia præbentes exẽpla. Ad quem igitur ibimus? inquit Petrus: id eſt, Quis nos docere ſimilia poterit? uel apud quem meliora inueniemus, quũ tu non dura, ut illi dicũt, uerba, ſed æternæ uitæ habeas: id eſt, quæ conducere credentibus poſſunt ad uitam incorruptibilem. Diſcedant alij, & eligant ſibi præcellẽtia huius mundi gaudia: nos omnia præ te contẽnimus. ergo credimus fide indubitata, & cognouimus iam ex multis cùm ſermonib. tum factis diuinis, te eſſe panem uitæ: filium inquam uiuentis Dei, uiuificatorem, redemptorem, ac ſaluatorẽ orbis, à quo ſolo ſperanda ſit omnibus æterna ſalus.

Hanc tam magnificam Petri de ſe prædicationẽ, nec admiratus eſt Ieſus, ne laudibus hominum capi uideretur: nec reſpuit, ne quod uerum erat, abnegaret: ſed omnes adhortans, ut in ea profeſſione perſeuerarent, quam Simon omnium edidiſſet nomine. Poſthæc diligentiores facit, periculo ante ipſos poſito, ubi ait: Videmini habere conſortium integrum & probum: ſed eſt inter uos nebulo (dicebat autem de Iuda Iſcarioth) rapuit unum ueſtrûm auaricia deceptum diabolus. Ex illo autem & hoc diſcimus, quòd non coactione & ui quadam facere meliores conſueuerit Deus, neque electio eius cogat uoluntatem nòſtram, cum ſit mala, ut fiat bona: ſed electio quidẽ fit à Deo, qui adhortatur nos ad bonum, & ſuam nobis impertit bonitatem. In mente autem noſtra & uoluntate ſitum eſt ſaluari, & dignè ad electionem ambulare, uel ediuerſò. Hæc Theophylactus. Demum admonet hoc exemplum, ut ſobrij ſimus, & uigilemus. Nam ſi ei qui in ſanctum chorum connumeratus erat, qui tantum donum conſecutus ut ſigna faceret, dæmonium impoſuit, & omnia beneficia aditus ad ſupplicium fuerũt: quid nobis altum ſomnum dormientibus, accidere poſſit?

CAPVT DECIMVMNONVM.

TVnc acceſſerunt, & peruenerunt ad eum ab Hieroſolymis ſcribæ & Phariſæi. Et cum uidiſſent quoſdam de diſcipulis eius, communibus manibus, & non lotis, manducare panem, uituperauerunt. Phariſæi enim, & omnes, niſi crebrò lauent manus, non manducant, tenentes traditiones ſeniorum. Et à foro redeuntes, niſi baptizentur, non comedunt. Et alia multa quæ tradita ſunt illis ſeruare: baptiſmata calicum, urceorum, & æramentorum, & lectorum. Et interrogabant eum Phariſæi & ſcribæ, dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur, & non ambulant iuxta traditiones ſeniorum? Non enim lauant manus ſuas, cum panem manducant: ſed communibus manibus manducant panem. Ipſe autem reſpondens, ait illis: Quare & uos mandatum Dei tranſgredimini, propter traditionem ueſtram? relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, & baptiſmata urceorum, & calicum, & alia ſimilia his facitis multa. Et dicebat eis: Bene irritum feciſtis mandatum Dei, ut ſeruetis traditionem ueſtram. Nam Deus dixit, & Moyſes: Honora patrem tuum, & matrem. Et qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri: corban, hoc eſt donum quodcunque ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & ultrà non dimittitis eum quicquam facere patri ſuo, aut matri, reſcindentes uerbum Dei per traditionem ueſtram, quam tradidiſtis, & multa ſimilia huiuſmodi facitis. Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Eſaias, dicens: Scriptum eſt, Populus hic labijs me honorat: cor autem ipſorum longè eſt à me. In uanum autem & ſine cauſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Et conuocatis iterum ad ſe turbis, dixit: Audite me omnes, & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: nihil eſt extra hominem, introiens in eum, quod poſsit eum inquinare: ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt quæ coinquinant hominem. Si quis habet aures audiendi, audiat. Et cum introiſſet à turba, accedentes diſcipuli eius interrogabant eum parabolam, & dixerunt ei: Scis, quia Phariſæi audito hoc uerbo ſcandalizati ſunt? At ille reſpondens, ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Sinite illos: Cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem, ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. Reſpondens autem Petrus, dixit ei: Ediſſere nobis parabolam hanc. At ille dixit: Adhuc & uos ſine intellectu ſic, & imprudentes eſtis? Non intelligitis, quia omne extrinſecus introiens in hominem, omne quod in os intrat, non poteſt eum coinquinare: quia non intrat in cor eius, ſed in uentrem uadit, & in ſeceſſum emittitur, purgans omnes eſcas: quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea conquinant hominem. Ab intus enim de corde hominum, malę cogitationes procedũt: homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, auariciæ, nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus, ſuperbia, ſtulticia. Omnia hæc mala ab intus procedunt: & hæc ſunt quæ conquinant hominem. nõ lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

COMMENTARIA.

Hieroſolymitana academia inquiſitores cenſoresq́; doctrinarũ habuit, qui in præſenti dicuntur ſcribæ: id eſt, literati, eruditi, & interpretes legis. Veniũt aũt ab Hieroſolymis, quẽadmodũ inde quoque legati ad Ioannem, inquiſituri in doctrinam illam nuperam. Quæſtionem autem magno cum ſupercilio proponunt, dicentes: Quare diſcipuli tui maiorum noſtrorum inſtituta, traditiones, ſiue decreta non ſeruant? Morem autẽ habebant Iudæi, non comedere illotis manibus: idq́; ex patrũ traditiõe. Rurſus ut ſubinde lauarẽtur urcei, æramẽta, ſellæ, lecticæ, reliquaq́; ſuppellex, cuius uſus erat

quotidianus. Has igitur traditiones ut uidiſſent non obſeruari à diſcipulis, putauerunt illos contemnere ſeniores. Occultè autem ipſum quoque diſcipulorum magiſtrum Chriſtum taxant. Et ſanè Dominus ipſas patrum traditiones neq; ſeruabat ipſe, neque uel diſcipulos ſuos uel plebem illas ſeruare docebat, quod quidem non parum dolebat ſacerdotibus: quippe cum in diem & authoritati ſuæ & quæſtui decederet multum. Quid ad hæc Dominus Ieſus? Si diſcipuli, inquit, mei peccarunt tantoperè, leges maiorum ſiue patrum transgrediendo: quantopere obſecro delinquunt, qui diuinam legem præuaricantur? Non'ne præcipit lex palàm, ut quiſque parentes, à quibus proximè poſt Deum uitæ beneficium habet, honoret, foueat, & ſi neceſſe ſit alat? Vos autem docetis liberos, pietatem ſummam eſſe, donarijs locupletare templum. Itaque parentibus officium poſtulantibus à liberis, hos ita docetis reſpōdere: Quod munus in templum offero, tibi collatum puta, ô pater: ſiquidem quod ſummo Deo patri impendo, filius tuus, non tam meo quàm tuo nomine impendo: ut iam non minus tibi impenderim cum Deo offero, quàm ſi in tuam neceſſitatem inſumpſiſſem. Hoc autem modo non honorant liberi parentes, quemadmodum honorare debebāt, & lex Dei exigit, non præcipiens templo offerre, ſed parentum neceſſitatibus ſubuenire. Hinc conſequitur id uerum eſſe, ueſtris traditionibus legem Dei diſſolui, ac conculcari. Porrò quo plus roboris & authoritatis haberet increpatio, & aſſertio hæc ſua, uerbis utitur prophetæ Eſaiæ dicentis: Miſit, inquit, Dominus Deus ueſter, uobis prophetas, qui uobis ſalutarem traderent doctrinam: uerùm hos unà cum uerbo ac conſilijs meis ſpreuiſtis, nam non agitis mecum ex corde & animo ſincero: ſed hypocritæ eſtis, qui multa garriunt de gloria mea, animo autem ab omni pietate abhorrent. Præterea quicquid inter uos eſt cultus, id uniuerſum petitum eſt non ex uerbo meo, ſed ueſtris traditionibus. Caretis ergo fide, et fruſtrà me colitis. Hæc diuini Vatis uerba Iudæis Dominus ob oculos ponit, & quàm ipſis prorſus conueniant oſtendit, dicens: Et uos repudiatis uerbū Dei, quod pater per me ad uos miſit, corrumpitis ſcripturam legis & prophetarum, negligitis legem Dei, & ueſtras traditiones populo proponitis, nomen diuinum ore largo deprædicatis: at animo & ſpiritu eſtis prorſus alieniſſimi ab omni pietate. Proinde uanus eſt cultus ueſter, & diſplicet Deo. Quid autem effecit Chriſtus his, apud doctos illos? parum, utpote incurabiles humanarū traditionum aſſertores. Ad ipſum itaque ſimplicem populum conuerſus, oſtendit ſummam iuſtarum legum, ſanæ' que doctrinæ: nimirum huc tendere omnes leges bonas, ut cor rectè ſit inſtitutum, rectè ſapiat, recta uelit, et efficiat: hoc eſt, ut animi pietas uigeat. Quia ergo Phariſæi arguerant diſcipulos, quòd illotis manibus comederent, Dominus (inquit Theophylactus) de cibis dicit, quòd nullus cibus coinquinet hominem, uel impuret. Et ſi cibus non impurat, multo minus illotis comedere manibus. Per quæ uerba latenter eos notat: ſiquidem mundorum uerba dicentes, coinquinabantur. Offenduntur ergo Phariſæi, ac quiritantur, ſimul ſubuerti omnem honeſtatem, & indigniſſimè reijci patrum inſtituta religioſa. Hoc cum audiſſet Dominus, ſententiam ſuam contra illorum conſtitutiones confirmat robuſtius, & effert clarius metaphora à re ruſtica ſumpta, & ait: Plantauit pater cœleſtis quod è uerbo Dei enaſcitur, ac Spiritus ſancti gratia uirtuteq; irrigatur. Non autem plantauit quod ex hominibus profectum, è uerbo Dei non petitum, ſpiritu humano & hypocriſeos uegetatur, conſeruatùrque. Talis eſt autem doctrina illa Phariſæorum, tales ſunt & ipſorum conſtitutiones. Quod autem pater ille cœleſtis non plantauit, eradicabitur: quapropter ſinite illos. Et appellat eos duces cæcorum. Monſtrare enim debebant uiam ſimplici plebeculæ, ipſi autem cæci facti, non uidebant uiam ueram. Quis autem exitus falſæ doctrinæ & ſeductionis? Certus certè impendet interitus tam ſeductis quàm ſeductoribus. Id ipſum non intelligentes diſcipuli, per Petrum uerborum interpretationem efflagitant. Eam craſſitiem obiurgās Dominus accuſat: plenius tamen exponit confutationem illam ſuam ſuperiorem, docens ex corrupto animo proficiſci omnem contaminationem: idcirco hominem nulla re externa pollui poſſe, ſi animus ſit integer. & ait: Non intelligitis, quòd cibus qui manibus ſiue lotis ſiue illotis ſumptus intrat in os, demittitur in ſtomachum: deinde quod craſſius eſt, per aluum in ſeceſſum reijcitur. Corporalia ſunt hæc, nec afficiunt niſi corpus. Animum nec iuuāt, nec lædunt, niſi quis abutatur. Vt autem abutaris, non ciborum ſit uitio, ſed abutentis. Cæterùm quæ progrediuntur ex ore, ſunt ea quæ loquuntur homines. Oratio naſcitur non ex uentre, ſed ex corde. Porrò quod eſt in corde hominis, id aut uerè purum eſt, aut impurum. illic enim fontē ſuum habent noxiæ cogitationes, quib. fratri ſtruunt inſidias. Hæc etiamſi non prodeant per os, tamen impurum reddunt hominem, & abomi-

abominandum in oculis Dei. Si autem prorumpunt, uelut è putri cloaca peſtilens halitus: ut declarant hominem eſſe impurum, ita contagio afflatuq; ſuo etiam alios inquinant. Porrò ſiue lotis manibus cibum capias, ſiue illotis, modò ad uſum naturæ ſumas, non reddit hominem immundũ. Nec potus ex illoto calice ſumptus inquinat hominem, modò modicè ſumas, ad uſum, non ad luxum.

CAPVT VICESIMVM.

ET inde ſurgens, egreſſus ſeceſsit: & abijt in partes, in fines Tyri & Sidonis. & ingreſſus domum, neminem uoluit ſcire, & nõ potuit latêre. Et ecce mulier Cananæa, ſtatim ut audiuit de eo, cuius filius habebat ſpiritum immundum, egreſſa à finibus illis intrauit, & clamauit, dicens ei: Miſerere mei Domine, fili Dauid: filia mea malè à dæmonio uexatur. Qui non reſpondit ei uerbum. Et accedentes eum diſcipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt, domus Iſrael. At illa uenit & adorauit eum, & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier gentilis, Syrophœniſſa genere. Et rogabat eum, ut dæmoniũ eijceret de filia eius, dicens: Domine adiuua me. Qui reſpondens ait: Sine prius ſaturari filios. Non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa reſpondens, dixit ei: Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorũ ſuorum, & comedunt de micis ſub menſa puerorum. Tunc reſpondens Ieſus, ait illi: O' mulier, magna eſt fides tua. fiat tibi ſicut uis. Propter hunc ſermonem uade, exijt dæmonium de filia tua. Et ſanata eſt filia eius, ex illa hora. Et cum abijſſet domum ſuam, inuenit puellam ſedentem ſuper lectum, & dæmonium exijſſe.

COMMENTARIA.

*In præcedentib. docuit hucuſq; Dominus, gentem Iudaicam ſpretis traditionibus humanis inutilibus, colere uerum & æternum uerbum Dei. At malè grata & indurata gens, maluit ſua ſtudia impendere cultui uanitatis quàm ueritatis: unde iuſta indignatione commotus Dominus, Iudaica religione relicta ad gentes concedit. Nam abijt in confinia Tyri & Sidonis: & ingreſſus domũ, neminẽ uoluit ſcire, attamen latêre non potuit. Adeſt enim * Cananæa illa gẽtilis, cuius filia habebat ſpiritũ immundum, anxiè et inceſſanter ſupplicãs Domino: atque ſibi certò perſuadet, & poſſe & uelle Dominũ facere quod petitura uenit. Magnificè aũt ſentit de ipſo Chriſto, quem & Dominũ ſalutat, & filium Dauidis. Vnde etiam cum uerecũdia & reuerẽtia ad pedes ipſius procũbit. Verùm ad ſupplicationẽ eius tam ardentem ac humilem, non reſpondit Dominus uel ullum uerbum. Nequaquam autem hoc fecit de ſuperbia Phariſaica, neq; ex ſcribarum ſupercilio, ait D. Hieronymus; ſed ne ipſe ſententiæ ſuæ uideretur eſſe contrarius, per quam iuſſerat, In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Nolebàt enim occaſionem calumniatoribus dare, perfectam' que ſalutem gentium paſsionis & reſurrectionis tempori reſeruabat. Cæterùm diſcipuli grauatim ferentes clamorem mulieris, obſecrabant ut ablegaret illam à ſe. Hoc autem faciebant, non tanquam immiſericordes: ſed magis uolentes perſuadere Domino, ut miſereretur. Quid uerò Chriſtus? Non ſum, inquit, miſſus, niſi ad oues perditas Iſraelis. Hoc dixit, non quòd & ad gentes non miſſus ſit: ſed quòd primùm miſſus ſit ad Iſrael, propter promiſsiones patribus factas confirmandas. Illis autem non recipientibus Euangelium, iuſta fieret ad Gentes transmigratio. Indé que liquet, quanti fecerit Deus populum ſuum Iſraeliticum, cui tántam conceſsit prærogatiuam, ut hic filius Dei diceret, ad eum ſe miſſum eſſe peculiariter. Vide autem memorabilem & perſeuerantem mulieris fidem. Tametſi enim Dominus ipſa prætérita proficiſceretur: inſerit tamen illa ſe comitatui, & clamat pro auxilio inceſſanter. At ad feruorem tantum adhuc durus & inexorabilis perſtans Dominus: Non, ait, commodum neque honeſtum eſt, panem liberis deſtinatum, liberis quidem præripere, & proijcere canibus. Per allegoriam hæc dixit. Intellexit enim per canes, gẽtes ſiue ethnicos omnes, eo quòd illi caninam, hoc eſt impuram agerent uitam, & in ſanguine idolis immolatorum uerſarentur: per filios uerò, Iudæos. Ad hæc porrò mulier ualde ſapienter & magno intellectu reſpondit, ita dicens: Quãuis Domine, & canis ſim, & indigna quæ panem accipiã: hoc eſt, uirtutem aliquam, & ſignũ magnũ: da ſaltẽ hoc, quod paruum quidem, quantum*

* Phœnicia regio fermè maritima, contigua Galilææ, in hac fuit oppidum Cana, maior cognominata. Hinc illa Cananæa.

tum ad uirtutem tuam attinet: mihi autem magnum fuerit. ſicut & qui panes comedunt, non magnifaciunt ſi micas canibus dent, canes autem benè ex his paſcuntur. His reſpondens Dominus Ieſus, manifeſtat cauſam, propter quam ſanationem primùm ſuſtulerit: nempe ut fides & prudentia mulieris clareſcat. propterea non ſtatim ab initio annuit Chriſtus, ſed magis illam à ſe amandauit. nunc ut fides & prudentia eius manifeſtentur, laudat eam dicens: Magna eſt fides tua. Hoc autem quod dicit, Fiat tibi ſicut uis: oſtendit, quòd niſi fidem habuiſſet, nihil fuiſſet aſſecuta. Vide autem Dominum (inquit Theophylactus) quomodo non dixerit, Virtus mea ſaluauit te: ſed quid dicit? propter ſermonem hunc, hoc eſt, propter fidem tuam, uade: mundata eſt enim filia tua.

CAPVT VICESIMVMPRIMVM.

ET iterum exiens de finibus Tyri, uenit per Sidonem ſecus mare, quod eſt inter medios fines Decapoleos: & adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, ut manum illi imponat. & imponens illi manum, & apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculam eius, & expuens tetigit linguam eius. Et ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait, Epheta: quod eſt, adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt uinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & de eo amplius admirabantur, dicentes: Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui. Et aſcendens in montem, ſedebat ibi. Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, & claudos, debiles, cæcos, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius: & curauit eos, ita ut turbæ admirarentur, mutos loquentes, & claudos ambulantes, cæcos uidentes. & magnificabant Deum Iſrael.

COMMENTARIA.

Aliud additur à Sancto Marco beneficium, quo declaratur uirtus & bonitas Chriſti: commendatur & fides ſtudioſis, qua participes efficimur bonorum cœleſtium. Vide autem, quòd non moratur Dominus diu in Gentilium locis, ſed ſtatim tranſit: ne, ſicut dictum eſt, daret occaſionem Iudæis dicendi, quòd præuaricetur legem, gentilibus ſe miſcens. Decedens igitur à finibus Tyri & Sidonis, uadit in Galilæam, & adducunt illi hominem ſurdum & mutum. Miſer ille diaboli potentia, permiſſioneq; Dei in eam inciderat calamitatem, in qua nunc diuexabatur. Quòd uerò precantur Dominũ Ieſum, ut manũ illi imponat, nõ tam humanitatis quàm charitatis illorum indiciũ eſt. Iam quòd de turba ſeorſim apprehendit illũ Ieſus: factũ eſt, Theophylacto autore, quòd nõ erat arrogãtiæ ſectator, quin ſe humiliaret ad noſtrã uſq; inopiam. Quum uerò expuiſſet, tetigit linguã illius: ut oſtenderet, omnes partes ſuæ carnis ſanctas & diuinas eſſe. Deinde ſuſpexit in cœlum, ac ingemuit, miſericordia erga humanam naturam tactus: quo pacto ſic tradita eßet diabolo, qui illi ſic illuderet, & à quo tanta pateretur. Verbum autem quo uſus eſt Dominus, uidetur relictum à S. Marco: ut intelligeremus, Dominum in curandis morbis nullis conceptis incantatorum more uerbis, ſed maximè uulgaribus eße uſum. Vnde iam colligimus, uirtutem ſanandi non fuiſſe uerborum, ſed uirtutis & potentiæ Chriſti, qui propria ſua ui iubet, & quod iubet, ſimul etiam effectum præbet. Quòd autem interdixit eis, ne cui dicerent, oſtendit ſe non plauſus uel celebritates ex beneficijs quærere. Ergo quòd beneficium & potentiam Domini tantoperè prædicant, nihil peccant contra uerbũ Chriſti, qui alibi gratitudinẽ poſcit, & nos uirtutem & beneficia Dei prædicare iubet. Eximia uerò laus & ſoli Deo competens eſt, omnia benè facere, perfectè atque abſolutè, ut nihil deſit prorſus. Eximia uis eſt, cui nihil quantumuis potẽs ſit, obſtiterit, quo minus quod uult efficiat. Hæc uerò cuncta declarant, Chriſtum Dominum æterni & omnipotentis Dei patris æternum & omnipotentem eſſe filium. Cæterùm multo propenſior fuit Dominus erga populum ſuum, quàm fuerit erga alienigenas. Nam inter gentes unicum modò beneficium Ethnicæ contulit: iam uerò inter Iudæos innumera beneficia diſtribuit. curat enim omnes aduerſa ualetudine laborantes. Quo ſanè rurſum beneficio declarauit ſuam uirtutem Dominus noſter, atque oſtendit, ſe animarum & corporum uerum medicum eße.

Siquidem

Siquidem igitur iſti ex his Domini operibus Deũ glorificauerunt Iſraelis: ita pietas iubet, etiam hodie glorificare Deum uerè credentium: hoc eſt, Ieſum Chriſtum.

CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

CVm autem turba multa eſſet cum Ieſu, nec haberent quod manducarent, conuocatis diſcipulis ſuis, ait illis: Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent, & perſeuerant mecum, nec habent quod manducent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia: ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in uia. quidam enim ex eis de longè uenerunt: Et reſponderunt ei diſcipuli: Vnde illos quis poterit ſaturare panibus in ſolitudine? Vnde nobis panes in deſerto tot, ut ſaturemus turbam tantam? Et interrogabat eos, dicens: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem, & paucos piſciculos. Et præcepit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, gratias agens fregit, & dabat diſcipulis ſuis ut apponerent. & appoſuerunt turbæ, & dederunt populo. Et habebant piſciculos paucos: & ipſos benedixit, & iuſsit apponi. Et manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt. Et ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis, ſeptem ſportas plenas. Erant autem qui manducauerant, quatuor milia hominum, extra paruulos & mulieres, & dimiſit eos. Et dimiſſa turba aſcendit in nauiculam cum diſcipulis ſuis, & uenit in fines Magedon, partes Dalmanuthæ. Et exierunt, & acceſſerunt ad eum Phariſæi & Saducæi, tentantes ut rogarent eum: & cœperunt diſputare cum eo, quærentes ab eo, ut ſignum de cœlo oſtenderet. At ille reſpondẽs ait illis: Facto ueſpere dicitis, Serenum erit: rubicundum eſt enim cœlum. Et mane, Hodie tempeſtas erit: rutilat enim triſte cœlũ. Luce 12. Hypocritę, faciem cœli dijudicare noſtis, ſigna autem temporũ non poteſtis? Generatio praua & adultera ſignum quærit. Amen dico uobis, non dabitur generationi huic, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Et relictis illis, aſcendit in nauim, & abijt trans fretum.

COMMENTARIA.

Declarat hoc beneficio Dominus, ſe eſſe paſtorem illum animarum fidelem, qui ſuos paſcat, & nunquam deſerat. Declarat item, quàm ſit in omnes animo propenſo, quódque noſtra tangatur afficiatúrque miſeria, & promptus ſuccurrat. Quòd ſi uerò hæc à corporali cibo ad ſpiritualem deflectere libet, Felix conuiuium eſt, ubi famelica turba diſcumbit iuſſu Ieſu, id'que ſuper terram. Compoſitis affectibus huc ueniendum eſt, ut teipſum agnoſcas oportet, ac te deijcias in terrã, unde prodiſti: nec confidas his rebus, in quib. non eſt ſalus. conquieſcant in te cupiditates carnis, & ſatiaberis cibo Chriſti. Porrò cum nõ ſit efficax hominis ſermo, niſi prius cõtrectatus Chriſti manibus: neceſſe equidẽ erit, ut cõcionator ingeniũ, cognitionem, eloquentiam, & quicquid habet, prius tradat manibus Chriſti conſecrandum & frangendum: iámque non uelut ſuum, ſed ab ipſo Chriſto acceptum & traditum, apponat populo. Quiſquis igitur ad quæſtum, ad humanam gloriam, & ad alias cupiditates humanas docet Euangelium, non accipit panes à Chriſto fractos. Vt autem ſaturi diſcedamus ab Euangelico conuiuio, faciant doctores quod fecerunt Apoſtoli: faciátque populus, quod fecit illa multitudo. Quid fecerunt Apoſtoli? ſicut acceperant à Domino, ſic apponunt, nihil hæſitantes, nihil diſputantes. Multitudo item quieta nihil obmurmurans accipit, boni'que conſulit quod datur. Eſt & hoc aliquid, feliciter diſcedere à conuiuio Ieſu. Sic autem dimittuntur, qui gratias agunt, qui ipſius beneficia recondunt in animo, & concoquunt quod acceperunt, qui domum reuerſi ueluti ſaginatiore corpore factis exhibent, quod didicerunt. Cæterùm tametſi Phariſæi & Saducæi dogmatis prorſus diſsiderent: nihilominus tamen contra Chriſtum conſpirarunt, & aggreſſi tale quiddam uidentur dixiſſe: Miro ſanè tenemur Meſsiæ deſiderio: ideo uerò te non grauatim reciperemus Ieſu, ſi certò conſtaret nobis, te illum eſſe Meſsiam uerum, quem promiſerunt prophetæ. Quia ergo uides, nos eſſe promptos auditores: iam ſignis aliquot ſupernaturalibus & à cœlo petitis, doce te illum eſſe,

ſicq;

ſicque mentes noſtras confirmat. Hæc dicunt (inquit Theophylactus) quia exiſtimabant, quòd ſigna quæ ſuper terram fiebant, diabolica uirtute & in Beelzebub fierent. Ignorabant enim inſipientes, quòd & Moſes in Aegypto multa ſigna ſuper terram fecerat: & ignem è cœlo deſcendiſſe ſuper pecora Iob, à diabolo erat: atque adeò non omnia quæ è cœlo, à Deo, neque quæ in terra, omnia à dæmonibus. Dominus ergo ut doceret, eos non ſimplices, quemadmodum prætexebant, eſſe, ſed merè malicioſos, & uerè hypocritas: Ea uobis, inquit, eſt facultas, ut ex unico ſigno poſsitis iudicare de futura tempeſtate: quare hic quoque quod uerum ſit, non colligitis, pronunciatis que ex ſignis? Si quæritis, Ex quibus ſignis? prophetas interrogate: & in primis Eſaiam. Nunquid non ait ille: Ecce Deus ueſter. ueniet, & ſaluabit uos. tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum reſerabuntur: tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus, & in laudem prorumpet lingua muti? Ecce ſigna: Ac inde colligite, me eſſe illum Deum qui in mundum uenturus erat. Quia uerò inde neque colligere neque cognoſcere uultis, me uerum eſſe Meſsiam: planum eſt, in uobis eſſe maliciam & cæcitatem. Vt ergo quod uerum eſt fatear: Hypocritæ eſtis, foris ſtudium religionis ſimulantes, in animo autem fouentes rebellionem, & extremam impietatem. Quantum uerò & quàm maximum uitium ſit incredulitas: illud maximè euincit, quòd Dominus propter illam toto ingemiſcit ſpiritu. Eſt enim amator hominum Deus, & uult omnes homines ſaluari, & ad agnitionem ueritatis uenire. Deinde ut probè nouit quales eſſent: Quia eſtis, ait, natio & gens deprauata & adulterina, à fidelibus degenerans parentibus, ideo præterita prædicatione ueritatis requiritis ſigna. Dabitur autem tempore ſuo uobis ſignum. Ionas fuit tribus diebus & tribus noctibus in uentre ceti: ita filius hominis erit tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ. His dictis abijt Ieſus, & illos contemptores uerbi ſui deſerit, & ſuorum ipſorum affectibus & erroribus permittit, in quibus omnino implicantur, & pereunt tandem.

CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

ET cum ueniſſent diſcipuli eius trans fretum, obliti ſunt panes recipere: & niſi unum panem non habebant ſecum in naui. & præcipiebat eis, dicens: Intuemini, & cauete à fermento Phariſæorum & Saducæorum, & fermento Herodis. At illi cogitabant intra ſe dicentes: Quia panes non accepimus. Quo cognito, ait illis Ieſus: Quid cogitatis intra uos, modicæ fidei? quia panes non habetis. Nondum cognoſcitis, nec intelligitis, adhuc cæcatum habetis cor ueſtrum? oculos habentes, non uidetis? & aures habentes, non auditis? nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque milia hominum, & quot cophinos fragmentorum plenos tuliſtis? Dicunt ei, Duodecim. Quando & ſeptem panes in quatuor milia, quot ſportas fragmentorum tuliſtis? Dicunt ei, Septem. Et dicebat eis: (quomodo nondũ intelligitis, quia non de pane dixi uobis, Cauete à fermento Phariſæorum & Saducæorum. Tunc intellexerunt, quòd non dixerit cauendum à fermento patrũ, ſed à doctrina Phariſæorum & Saducæorũ. Et ueniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum: & rogabant eum ut illũ tangeret. Et apprehenſa manu cæci, educit eum extra uicum, expuens in oculos eius. impoſitisq; manibus ſuis interrogauit eum, ſi quid uideret? Et aſpiciens, ait: Video homines uelut arbores ambulantes. Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos eius, & cœpit uidere: & reſtitutus eſt ita, ut clarè uideret omnia. Et miſit illum in domum ſuam, dicẽs: Vade in domum tuam; & ſi in uicum introieris, nemini dixeris.

COMMENTARIA.

Conſtat ex ijs quæ hactenus de phariſæis tradita ſunt, homines illos fuiſſe hypocritas, perfidos, & inſignes contemptores uerbi Dei: imò hoſtes fidei ueræ conſceleratiſsimos. Vnde facilè intelligi poteſt, qualis fuerit talium hominum doctrina. Dominus ergo noſter Ieſus Chriſtus, doctor cœleſtis, & aſſertor ueritatis, iubet diſcipulos ſuos cauere à doctrina Phariſæorum & Saducæorum, & Herodis ſiue Herodianorum. Erant autem illi rectores & magiſtratus Galilææ, qui in doctrina Saducæis reſurrectionem negantibus adhærebant. Quod dogma non grauatim

grauatim recipiebant illi, quum eſſent aliàs homines impij, impuri, & fœda portenta. Ab ijs igitur ut ſibi attendant diſcipuli, fideliter ac piè monet Dominus, adeoq; ab omni doctrina praua certante cum uerbo Dei. Hanc autem appellat per tropum, fermentum. Fermentum enim, docente Hieronymo, hanc uim habet, ut ſi farinæ mixtum fuerit, quod paruum uidebatur, creſcat in maius, & ad ſaporem ſuum uniuerſam conſperſionem trahat: ita & doctrina hæretica, ſi uel modicam ſcintillam in pectus tuum iecerit, in breui ingens flamma ſuccreſcit, & totam hominis profeſſionem ad ſe trahit. Quemadmodum ergo in primis in Eccleſia Chriſti curandum, ut ſana doctrina uigeat: ita maximopere cauendum, ne falſa doctrina ſerpat, & plurimos ſerpendo perdat. Porrò obiter quoq; indicatur uſus ac fructus præcedentium hiſtoriarum de panibus: nempe omnem curam diffidentem eſſe ponendam, & omne uitæ præſidium collocandum in Dominum, cui cura eſt de nobis, nec ſinit fame iuſti animam contabeſcere, dicente propheta: Nunquam uidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Et Dominus: Primum quærite, inquit, regnum Dei, & cætera omnia adijcientur uobis. Hinc nunc quoque ualde ſuccenſet diſcipulorum ſtupiditati: Quid, inquit, ſolliciti eſtis, quòd panes non parauiſtis in uiaticum? Tot præceptis inſtituti, tot exemplis edocti, nihildum intelligitis. Mirum eſt in tanta Euangelij luce uos adhuc habere mentem occæcatam, tenebriſq; inuolutam. Bis ſaturaui ingentem populi multitudinem pauculis panibus: an non inde oportebat colligere, nihil unquam defore rerum neceſſariarum pijs? Qui ergo fit, ut toties & tot modis edocti nondum intelligatis, curam iſtam de uictu & rebus corporalibus, & inanem eſſe, & parum piam? Facto uerùm hoc illuſtri rurſum declarat Dominus Ieſus, ſe illum eſſe, qui & corporis & animæ cæcitatem tollat. Expuit autem (inquit Theophylactus) in oculos cæci, & manus imponit: ut diſcamus nos, quòd ſermo diuinus efficax eſt. Manus enim operationis ſymbolũ eſt: ſputum autem ſermonis, eo quòd ſit ex ore: ut ſuprà quoq; oſtenſum fuit. Cæterùm Dominus Ieſus, qui nutu poterat ſanare quemlibet cæcum, non ſtatim reſtituit hominem: ut diſcipulis ſuis formam exhiberet, quantopere laborandum ſit, priuſquam ad ueri cognitionem queant adduci, qui in errore iam inueterauerunt. Qualis erat Gentium cæcitas, quæ tot ſæculis ſimulachrorum cultum pro magna pietate fuerant amplexæ: qualis erat Iudæorum, qui ſuperſtitionem à maioribus acceptam, cui tot annos aſſueuerant, non poterant relinquere. Prohibet autem Dominus, ne ingrediatur in pagum ſuum, qui uiſum iam receperat: eo quòd increduli erant homines, & animæ eius nocuiſſent. Sed neque Chriſtus hoc de ſe dici uult, ut ne in incredulitate ſua illi perſeuerantes, in grauius inciderent iudicium Dei.

CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

ET ingreſſus eſt Ieſus, & diſcipuli eius, in caſtella. Venit autem in partes Cæſareæ Philippi. & factum eſt, cum ſolus eſſet orans, & diſcipuli eius cum eo, & in uia interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe filium hominis? quem me eſſe dicunt turbæ? Qui reſponderunt illi, dicentes: Alij Ioannem baptiſtam, alij Eliam, alij uerò Hieremiam: alij, quaſi unum de Prophetis: alij, quia propheta unus de prioribus ſurrexit. Tunc dixit illis Ieſus: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus, filius Dei uiui. Reſpondens aũt Ieſus, dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cœlis. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Et increpans eos comminatus eſt, & præcepit eis ut nemini dicerent, quòd ipſe eſſet Chriſtus. Exinde cœpit Ieſus docere eos, & oſtendere illis, quia oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati, & reprobari à ſummis ſenioribus, à ſcribis & Matth. 20.
principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere. Et palàm uerbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit illum increpare, dicens: Abſit à te, non erit tibi hoc. At ille conuerſus, & intuitus diſcipulos ſuos, comminatus eſt Petro, dicens: Vade retrò poſt me Satana. ſcandalum es

mihi : quia non ſapis ea, quæ Dei, ſed ea quæ hominum ſunt.

COMMENTARIA.

Viuente Chriſto, & iuxta diſpenſationem potenter operante ſalutem noſtram, erant qui putarent ipſum eſſe Ioannem Baptiſtam, iam à mortuis reſuſcitatum: erant qui Eliam eſſe crederent, præcurſorem Meſſiæ: alij uerò arbitrabantur Ieremiam eſſe, aliorumq; Prophetarum nominibus ornabant, quòd ijs eſſet functione & actione quàm ſimillimus. Huiuſmodi quidem erant uulgi iudicia, multum quidem honoris Chriſto tribuentia: ſed non tantum, quantum tribuere iubet uera religio. Propterea: Audio, inquit Chriſtus, quæ ſint uulgi iudicia: ſed ea nihil moror. ad uos conuertor, diſcipulos meos, quos poſt auditam Euangelij doctrinam, poſt conſpecta tot miracula, poſt ſuſceptum Baptiſmum, & data mihi nomina ueſtra, decet certi, firmi, & magni aliquid de me ſentire. Fateamini quæſo quid ſentiatis atque credatis de me, quis ſim ego. Et reſpondens Simon Petrus: Tu, ait, es unctus ille Domini, ſalus & uita: qui patrem nobis placas, qui nos uiuificas, qui nos Spiritus ſancti gratia inungis: Ille, inquam, in lege & Prophetis promiſſus, unctus autem non ut alij ſacerdotes & reges, ſed ut uerus filius Dei uiui, uerus & naturalis. Hac confeſſione ut nihil eſt breuius: ita nihil illuſtrius, plenius, abſolutiùſque. Vera ergo, Chriſtiana, & orthodoxa confeſſio, quæ ab unoquouis noſtrûm requiritur, huiuſmodi eſt, ut corde ſinceriter credamus, & ore diſertè confiteamur, quia Ieſus Chriſtus eſt uerus Deus & homo, à patre nobis datus, ut ſit Dominus, rex & ſacerdos, noſter liberator & Saluator, per quem unum & ſolum ſanctificantur, iuſtificantur, & uiuificantur quotquot in nomen eius credunt. Huic porrò egregiæ piiſſimæq; confeſſioni reſpondens Dominus, dicit: Beatus es Simon fili Ioannis. iſtam uocem non tibi ſuppeditauit affectus humanus: ſed pater cœleſtis, afflatu ſecreto ſuggeſſit animo. Nullus enim dignè ſentit de filio, niſi patris inſtinctu, qui ſolus nouit filium. Atque ego uiciſſim, ne gratis me tam magnifico ornaris teſtimonio, illud affirmo, te uerè Petrum eſſe: hoc eſt, ſolidum lapidem, non huc aut illuc uacillantem uarijs opinionibus uulgi: & huic ſaxo tuæ profeſſionis ſuperſtruam Eccleſiam meam. Remunerat (inquit Theophylactus) Petrum Ieſus, mercedem illi dans magnam, quòd ſuper eum ædificauit Eccleſiam. Quia enim confeſſus erat eum Dei filium Petrus, dixit quòd hæc confeſſio quam confeſſus eſt, fundamentum erit futurum credentium, ita ut omnis homo extructurus fidei domum, hoc iacturus ſit fundamentum. Nam licet innumeras condimus uirtutes, non habeamus autem fundamentum, rectam confeſſionem, inutiliter ædificamus.

Quum autem dixit, Eccleſiam meam: oſtendit ſe Dominum uniuerſi. Deo enim ſeruiunt omnia. Portæ autem inferi, temporales ſunt perſecutores, qui ad infernum mittere conantur Chriſtianos. Et hæretici quoque portæ ſunt ad infernum ducentes. Multis igitur perſecutoribus, & multis hæreticis præualuit Eccleſia. Cæterùm de clauibus quas promiſit Chriſtus Petro, ita ſentiunt plerique, ut cum duo ſint regna, ſic de unó ad alterum eſſe ingreſſum. Eſt igitur regnum cœleſte, Eccleſia: regnum uerò diaboli, mundus. Ab hoc non eſt quòd quiſquam metuat, modò Petro ſit ſimilis. Et eſt quidem interim iſtud regnum cœlorum in terris: ſed commercium habens cum cœlo, unde pendet. Proinde qui peccatis adhuc obſtrictus eſt, ad regnum pertinet inferorum, nec poteſt ingredi in regnum cœlorum. Ait ergo ad Petrum Chriſtus: Hæc mea poteſtas peculiaris eſt, condonare peccata: ſed hanc poteſtatem quadantenus impartiam, ut tu meis clauibus uel intromittas, uel excludas. Claues autem intelligas, quæ ligant & ſoluunt delictorum uel indulgentias, uel pœnas. Ingredietur ergo, ſi profeſſus quod tu profiteris per baptiſmum, ſoluatur à peccatis: atque ita te duce, teq; fores reſerante, ingredietur regnum cœlorum: contrà, quem tu in terris excludes, & ipſe à regno perpetuò excludetur. Comprobabit enim Deus tuum iudicium, ab ipſius ſpiritu profectum. Puto hic uerba Theophylacti ſubſcribenda: Habent, inquit, poteſtatem remittendi & ligandi, qui, ſicut Petrus, Epiſcopatus gratiam aſſecuti ſunt. Quamuis enim Petro ſoli dictum ſit, Dabo tibi: omnibus tamen & Apoſtolis conceſſæ ſunt. Quando? quum dixit, Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittuntur eis. Sedenim oportet conſiderent illi, quid Hieronymus diuus ille literarū ſacrarum ſcripſerit: Iſtum locū, inquit, & presbyteri nō intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut uel damnēt innocētes, uel ſoluere ſe noxios arbitrētur, cū apud Deū non ſentētia ſacerdotum,

ſacerdotum, ſed reorum uita quæratur, &c. Hæc uerò locutus Ieſus, præcepit diſcipulis ſuis, ut hanc magnificam de ſe opinionem adhuc apud ſe ſeruarent, neq; cuiquam aperirent quòd ipſe eſſet Meſſias. prius enim erat peragendum ſacrificium crucis, & declaranda naturæ humanæ ueritas: deinde per reſurrectionem & ſpiritum ſanctum declaranda diuinitas. Porrò quanquam diſcipuli optimè de Chriſto erant confeßi: tamen adhuc ſomniabant regnum quoddam, non omnino dißimile mundano: ideoq; reuocat eos ad myſterium crucis & mortis ſuæ, quo regnum illud cœleſte erat parandum deuicto diabolo, & abolitis peccatis. Agnouerunt quidem diſcipuli, Dominum eſſe liberatorem, redemptorem ac ſaluatorem populi Iſraelitici: uerùm modum & rationem redemptionis nō intellexerunt. Cumq; audirent Chriſtum multis malis affligendum Hieroſolymis à ſcribis & primarijs ſacerdotibus, deniq; & occidendum eſſe: iudicarunt hæc indigna eo qui tot miraculis declaraſſet ſe filium Dei eſſe. Non auſi ſunt tamen interrogare Dominū, quid ſibi uellet mori & reſurgere. Petrus itaq;, quem præcipuus quidam amor erga præceptorem ſemper fecit cæteris audaciorem, abducit eum à reliquis Apoſtolis, quaſi familiarius aliquid dicturus: & increpans illum, atq; abominans mortis & afflictionum mentionem: Propitius, inquit, eſto tibi Domine: nō contingēt iſta tibi: ne tam duro & inhumano in temetipſum ſis affectu, ut qui Dominus es, ac pro tua uirtute omnipotenti crucem & mortem ſubterfugere potes, ſponte tua te conijcias in acerbæ mortis periculum. Hoc minimè æquo ferens animo Dominus: Abi, dixit, Satana. Satanas (inquit D. Hieronymus) interpretatur aduerſarius, ſiue contrarius. Tantum itaq; dixit Ieſus: Deſine aduerſari, uoluntati patris mei obſiſtis, nunc impedire ſtudens quod ob ſalutem humani generis & pater uult fieri, & me facere decet. Cupis eſſe ſocius regni, & obſiſtis ad crucem ultrò properanti, quò regnum hoc afferam patri. Tu nondum ſapis ea quæ ſunt Dei: ſed humanis affectibus ductus, repugnas uoluntati diuinæ. Quin potius abi poſt me, et ad mea potius dictata et imperata ſpectato.

CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

ET uocata turba cum diſcipulis ſuis, dicebat ad omnes: Si quis uult poſt me uenire, & me ſequi, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui enim uoluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam ſuam propter me & Euangelium, ſaluam faciet eam, & inueniet eam. Quid enim prodeſt homini, ſi uniuerſum mundum lucretur, animæ uerò ſuæ detrimentum patiatur, ſemetipſum perdat, & detrimentum ſui faciat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Filius enim hominis uenturus eſt in gloria patris ſui, cum angelis ſuis: & tunc reddet unicuiq; ſecundum opera ſua. Qui enim me confeſſus fuerit, & uerba mea, in generatione iſta adultera & peccatrice, & filius hominis confitebitur eum, cum uenerit in gloria patris ſui cum angelis ſuis. Nam qui erubuerit me & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet, cum uenerit in maieſtate ſua & patris & ſanctorum angelorum. Et dicebat illis: Amen dico uobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec uideant regnum Dei uenientis in uirtute, filium hominis uenientem in regno patris ſui.

COMMENTARIA.

Poſt Chriſtum ſequitur non ſolùm is qui confitetur illum filium Dei, ſed & qui per omnia grauia tranſit, & illa ſuſtinet, Chriſto adhæret, eius dicta & facta diligenter obſeruat, & obſeruata quàm fieri poteſt proprijßimè exprimit, tam in dictis quàm factis. Et abnegare ſemetipſum aliud non eſt, quàm ſibi ipſi renunciare, mortificare ueterem Adamum cum concupiſcentijs, & renouari ſpiritu mentis, obliuiſci ac negligere mundum, hoc eſt, mundanis renunciare uoluptatibus. Idem ille iam paratus eſt tollere crucem ſuam. Crux omnis eſt calamitas, miſeria, & afflictio, qua ſolet Dominus exercere hunc mundum. Sub crucis ergo titulum pertinent labores, curæ, anxietates, morbi, ægeſtas, perſecutio, & ſi quæ alia ſunt malorum & infortunij genera. Intelligit autem, qui ſemetipſum abnegauit, nihil mali ſibi euenire præter meritum, flagella item illa ſeu crucem ſibi immitti diuinitùs ad eruditionem ac caſtigationem, & proinde eam pertinere ad utilitatem & ſalutem ſuam. Adijcit porrò Dominus ſen-

tentiam. pulchrè ea oſtendens, quomodo uerè homo ſemetipſum abneget, crucemq́ ferat: rurſus quam hæc utilitatem habeant, ac inquit: Quiſquis uult uerè felix & ueræ beatitudinis particeps eſſe, is perdat animam ſuam: id eſt, ſpernat uoluptates, & omnia ea contemnat, in quibus ſtultus hic mundus collocat felicitatem & beatitudinem, mortificet carnem ſuam cum concupiſcentijs eius, & ipſe ueram uitam inueniet: ſecuram in hac uita conſcientiam, & poſt hanc ærumnoſam uitam gaudia ſempiterna. contrà uerò perdet & enecabit uitam ſuam, qui ſepoſita religione & omni diſciplina, ſecundum dictata cupiditatum uarijs exaturatur uoluptatibus.

Theophylactus: *Ad martyrium, inquit, adhortatur nos. inuenit enim animam ad præſens: hoc eſt ſeruat negans, qui & poſtea perdit. Perdit autem animam, ſed propter Chriſtum, qui de eo teſtificatur: qui & inueniet eam in incorruptione & uita æterna.* Vt *autem hoc perſuadeat ſuis* Dominus Ieſus, *uilitate rerum temporariarum & incomparabili animi precio ſibi mutuò oppoſitis atque in medium prolatis indicat, quanto ſit præſtabilius, contempto mundo carnem mortificare cum concupiſcentijs, ac æternùm demum uiuere, quàm carne quidem probè curata, tandem æternùm damnari. Quid enim, inquit, prodeſſet homini, ſi non tantum aliquam huius mundi portionem, ſed ipſum quoque mundum uniuerſum, & quæcunque in mundo ſunt eximia, in ſuam redegerit poteſtatem, ita ut ijs utatur iam pro libidine & uoto: tandem uero præpropera morte è medijs rapiatur uoluptatibus, & abducatur in æterna ſupplicia, ſine fine paſſurus tormenta ineffabilia. Poſt hæc precium item amplificat animæ, quæ ſi ſemel pereat, nulla re quantumuis eximia homo eam redimere poſsit. Idcirco ſtudendum erit nobis omnibus diligentia ſumma, ut contemptis rebus perituris amplectamur æterna. Iam etiam minas & promiſsiones producit* Dominus, *dicens: Nunc quidem apud multos nulla habetur beatæ felicitatis ratio. plerique enim fallacem mundi deceptionem & falſa gaudia ſectantur: ſed ueniet aliquando tempus, quo uellent iſti ſe & temperantiores & religioſiores fuiſſe. Quamuis enim quidam nullum credant fore iudicium, quo inquiratur tam in bene quàm male facta: certo tamen imminet rerum omnium finis, & iudicium inſtat iuſtiſsimum, quo omnibus & ſingulis hominibus rependet pro factis ſuis diuina iuſticia commerita præmia.* Ait *autem* Dominus, *ſe uenturum in gloria patris: ne quis fortè putet, huius iudicis uires exiliores eſſe, propter imbecillitatem humanam aſſumptam, quàm quæ toti orbi & tyrannorum crudelitati ſufficiant domandæ.* E*iuſdem enim eſt cum patre maieſtatis, ſubſtantiæ, & gloriæ, cui proinde angeli ſeruiunt, in hoc conditi ut faciant uerbum ipſius. Quorum quanta ſit ex* Deo *uis & potentia, ex eo colliqueſcit, quòd unus angelus potentiſsima Aſſyriorum caſtra fudit.* Porrò *ſi unus hoc potuit, quid facturi, ubi omnes coniunctis copijs ac uiribus cum* Domino *uenerint in iudicium?* De*inde uerò promittit ipſe Chriſtus rem maximam eſſe, ſcilicet in corona diſcipulorum certos aliquot quibus ſuam gloriam etiam in terris oſtendere uelit, quantum ſcilicet mortales oculi percipere poſſunt. Significat autem iuxta* Theophylactum, *obſcurius hoc loco,* Petrum, Iacobum, & Ioannem, *quos in montem aſſumpſit, & oſtendit illis regnum* Dei: *hoc eſt, futurum ſtatum, in quo uenturus eſſet ipſe, & iuſti fulſuri. Dicit igitur, quòd quidam hic ſint qui non morientur, donec uiderint me transfigurari. Quæ quidem grandis & ſummi precij res eſt, quam tantopere expetiuerunt omnes ſancti.* Et *Guſtare mortem, idiotiſmo linguæ ſanctæ nihil aliud ſignificat quàm mori: ut ſit alluſio quædam ad uetus illud factum protoplaſtorum, qui uetitum cibum guſtantes, toti mundo mortem induxerunt. Poſtremò uenientem in regno ſuo dixit, pro eo quod eſt: Videbunt me eo habitu & gloria, quali uenturus ſum ad iudicium.*

CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

FActum eſt autem poſt hæc uerba ferè dies octo, aſſumpſit Ieſus iterum Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos, ut oraret. Et transfiguratus eſt ante illos. Et facta eſt, dum oraret, ſpecies uultus eius altera, & reſplenduit facies eius ſicut Sol: ueſtimenta autem eius facta ſunt alba & candida, ſplendida nimis, uelut nix, & fullo non poteſt condida facere ſuper terram. Et ecce duo uiri apparuerunt eis, Moyſes & Elias. cum eo loquentes uiſi,

uiſi, in maieſtate, & dicebant exceſſum eius quem completurus erat in Hieruſalem. Petrus uerò, & qui cum illo erant, grauati erāt ſomno. Et euigilantes uiderūt maieſtatem eius, & duos uiros qui ſtabant cum illo. Et factum eſt, dum deſcenderent illi ab ipſo, reſpondens Petrus dixit ad Ieſum: Domine Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe: ſi uis, faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum. Non enim ſciebat quid diceret. erant enim timore exterriti. Adhuc autem illo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos: & timuerunt, illis in nubem intrantibus. Et ecce uenit uox de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Et audientes diſcipuli eius, ceciderūt in faciē ſuam, & timuerūt ualde. Et acceſsit Ieſus, & tetigit eos, dixitq́ eis: Surgite, nolite timere. Et dum fieret uox, leuātes oculos, & circumſpicientes, neminē uiderūt amplius, niſi Ieſum ſolum unà cum ipſis. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Ieſus, dicens: Nemini dixeritis uiſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat. Et ipſi tacuerunt, ac uerbum hoc cōtinuerunt, inter ſeſe diſputātes, quid eſſet A' mortuis reſurgere: & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex illis, quæ uiderant. Et interrogauerunt eum diſcipuli eius, & dicebant: Quid ergo dicūt ſcribæ & Phariſæi, quia Eliam oportet uenire primùm? Qui reſpondens ait illis: Helias quidem uenturus primùm eſt: & cum uenerit, reſtituet prius omnia: & quomodo ſcriptū eſt in filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur. Dico autem uobis, quia Elias iam uenit, & non cognouerunt eum: ſed fecerunt in eo, quæcunq; uoluerunt: ſicut ſcriptum eſt de eo, & filius hominis paſſurus eſt ab eis. Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Ioanne baptiſta dixiſſet eis.

COMMENTARIA.

Deligit Dominus Ieſus tres ex toto Apoſtolorum collegio, quibus gloriam ſuā demōſtret. Hos tres abducit ſecū in montem excelſum, ut ipſa loci cōditione ſubmoneret, expectanda eſſe ſublimia, & animos eleuandos ad meditationem rerum cœleſtium. In hoc autem monte ſancto ſpecimen ſuæ gloriæ exhibiturus diſcipulis Dominus, orat primùm: deinde uerò qualis futurus eſt tempore iudicandi, talis apparuit Apoſtolis. Quod autem Euangeliſta dicit, Et transfiguratus eſt ante eos: nemo putet Dominum priſtinam formam & faciem perdidiſſe, uel amiſiſſe corporis ueritatem, et aſſumpſiſſe corpus uel ſpirituale uel aerium. Subſtantia Chriſti, ueraq́; corporis eius eſſentia, ſoliditasq́; manſit illæſa: formæ tantùm ipſius quædam acceſſerunt, quæ conſuetam mutarunt. Transformationem audiens (dicit Theophylactus) ne putes, quòd tunc corpus abiecerit: ſed manſit corpus in ſuo habitu. faciem enim ipſius audis, et ueſtem. Fulgidior apparebat, deitate paruos quoſdam radios ſuos declarante: & hos, ſicut uidere poterant. propterea & regnum Dei ſuperius dixit transfigurationem, eo quòd ineffabilis eius poteſtas ibi refulſerit, & quòd germanus patris filius eſt, uiſus ſit, & quòd dignitas ſecundi aduentus in ſplendore faciei ineffabili claruerit. Cum aūt dixit Dominus Ieſus, quòd uiſuri ſint diſcipuli ipſum in eo habitu, quo ipſe uenturus eſt ad iudicium: proculdubio iam in ipſa cœlorū regia ſedet. quod etiam Tertullianus uetuſtiſsimus ſcriptor docet: ad dexterā patris homo, etſi Deus: Adam nouiſsimus, etſi ſermo primarius: caro et ſanguis, etſi noſtris puriora: idem tamen & ſubſtantia & forma qua aſcendit, etiam deſcenſurus (ut angeli affirmant) agnoſcendus ſcilicet eis qui illū conuulnerauerunt. Qui leget D. Auguſtinū, ferè eadem inueniet. ſic enim ad Dardanum ſcribens inquit: Noli dubitare ibi eſſe Dominum Ieſum, unde uenturus eſt. Sic aūt uenturus eſt (illa angelica uoce teſtante) quemadmodū ire uiſus eſt in cœlū: id eſt, in eadem carnis forma & ſubſtantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturā non abſtulit, &c. proinde planè impij ſunt, & contra Scripturā atq; orthodoxam fidem docent, qui uolunt carnem Chriſti in gloria deificatā. Docuit hoc olim Eutyches hæreticus, cuius peſtiferam quidem doctrinā glorioſus martyr Virgilius refutauit acerrimè. Porrò duos illos uiros, Moſen uidelicet & Eliam, uerè apparuiſſe in monte, communis & unanimis doctorum eſt ſententia, ſic Domino Deo diſponēte. Quare aūt Moyſes & Elias ex omni ſanctorum numero comparentes aſsiſtunt? Vt oſtendatur (ait Theophylactus) quòd Ieſus ille & legis et prophetarum ſit Dominus, uiuentiumq; ac mortuorum.

Elias quidem eſt propheta, & uiuit adhuc: Moſes autem legislator, & mortuus eſt. Quin & ut appareat, quòd non ſit legi aduerſarius. Non enim Moſes aſtitiſſet ſuo aduerſario: neque Elias tantus zelotes, ipſum tuliſſet. Præterea, ut ſuſpicionem tollat eorum qui ipſum Eliam uel unum ex prophetis dicebant. Et ſi quæritur, quomodo agnouerint eos diſcipuli. Videtur quidem, non à lineamentis facierum, ſed ex ſermonibus quos tunc inter ſe conferebant, agnitos fuiſſe. Fortaßis enim alter, nempé Moſes quidem, dicebat: Tu es, cuius ego paßionem præfiguraui agno occiſo, et perfecto paſcha. Alter autem: Tu es, cuius reſurrectionē ego præfiguraui in uiduæ filio: et talia quædam. Hic Petrus omnium quæ ſunt in mundo obliuiſcitur. unde omnibus ſepoſitis ſuis curis, Chriſti et ſanctorum conſortio contentus, in ea beatitudine permanere cupit. Eſt enim Tabernaculum figere, periphraſtica notatio eius, qui in loco manere ſtatuit. Quod autem Lucas ait, diſcipulos ſomno grauatos: ſomnum hîc uocauit magnam reſolutionem uiriū, quæ ab illa uiſione facta fuit. Nam oculi ipſorum ueluti ex nimio fulgore obtenebrabantur. Splendoris ergo excellentia imbecillitatem oculorum aggrauabat. Erant quoq; expauefacti, ita ut Petrus neſciret quid loqueretur, præ gaudiorū ſcilicet immenſitate: & quòd hæreret, ad gloriam Seruatoris immenſam obſtupefactus. Porrò nondum ſermonē finierat Petrus, ecce nubes lucida obumbrauit Apoſtolos, ne ſublimitate ſpectaculi abſorberetur. Et uox patris de nube ſonuit, iiſdem uerbis teſtificans de filio, quibus teſtimonium præbuerat apud Iordanem baptizato: Hic eſt filius meus unicè charus, in quo ſibi complacet animus meus: ipſum audite. Quibus ſanè uerbis demonſtratur Chriſtus eſſe uerus uiui Dei filius, Meßias & Saluator totius orbis, necnon cœleſtis ueritatis ueræq; beatitudinis doctor abſolutiſsimus. Hoc enim uult uox illa patris cœleſtis è nube emiſſa. Audimus autem ipſum filium Dei Chriſtum, cum doctrinam eius audimus, obſeruamus, facimus, cum nos totos ipſi impendimus, totiq; & in omnibus ab eo dependemus. Vbi uerò poſt mirificam et planè diuinam reuelationem Apoſtoli audiuerunt omnipotentis & in ſecula benedicti Dei uocem, diuinæ maieſtatis plenam, nec ferendam humanis auribus: procidentes in facies ſuas, maiorem in modum extimuerunt. At Dominus Ieſus poſita ſpecie glorioſa, & recepta priore, cõtigit eos manibus, ne ſuſpicarentur eſſe ſpectrum, ac uoce conſueta notaq; conſolatus eſt eos, dicens: Surgite, neque metuite quicquā. Porrò cum receptis animis attollerent oculos ſuos, neminem uiderunt illic, præter ſolum Ieſum, talem qualis uenerat in montem. Rationabiliter hoc (inquit D. Hieronymus) ne ſi Moſes & Elias perſeueraſſent cum Domino, patris uox uideretur incerta, cui potißimùm daret teſtimoniū. Vident ergo Ieſum ſtantem ablata nube, & Moſen & Eliam euanuiſſe. Myſterio item quodam factum fuiſſe ipſi uidetur, ut poſtquā legis & prophetarum umbra diſceſſerit, quæ uelamento ſuo Apoſtolos texerat, omnia in Euāgelio reperienda. Ipſis porrò deſcendentib. de monte, prohibet Dominus, ne cuiquā de uiſione ipſis exhibita in monte dicant. A` reſurrectione enim rectius intellexerunt gloriam eius Apoſtoli, tum ex Spiritus ſancti quem acceperunt inſtitutione: ac ideo melius etiā perfectiusq; ipſam tunc tradere potuerunt. Quū autem legiſperiti & ſcripturarum interpretes, populiq; doctores ex traditione ac uaticinio Malachiæ docerēt, Eliam præceſſurum aduentū Meſſiæ: idcircò Apoſtoli dicunt, Ex potentißimis uirtutibus tuis Domine, maximè uerò ex uiſione nobis in monte exhibita luculenter uidemus, Deum fidem ſuam liberaſſe, & te in orbem miſſo præſtitiſſe quod patribus promiſit. Nam agnoſcimus & confitemur te eſſe Meßiam, in lege & prophetis promiſſum, qui omnes ſeruet credentes. Vnus reſtat adhuc ſcrupulus, ut uidelicet explices nobis, quomodo ſcribæ doceant, Eliam aduentum Meſſiæ præceſſurum. Nam manifeſtè uidemus, te illū eſſe Meßiam: non autem uidemus, quis te præceſſerit Helias. Quibus Dominus: Rectè hoc tradūt ſcribæ, inquit: non autem rectè iudicant de Elia. Elias quidem Theſbites ille igneo curru in cœlum ſublatus uenturus eſt, & iuxta prophetiam Malachiæ præcurret aduentum meum, ac reſtituet omnia, conuerſis ad Euangelium Iudaicæ gentis reliquijs, ne condemnetur tota natio: Verum is aduentus erit olim, quum rurſus adero cum poteſtate patris, redditurus unicuiq; pro ſuis factis præmia. Quanquam & hunc meum aduentum præceßit Elias quidam, quem pro ſua libidine tanquam ueritatis hoſtē perſecuti ſunt, & oppreſſerunt. Idem mihi quoq; eueniet. Dum enim Meßiam expectāt qui carnaliter regnet, meam humilitatem aſpernantur, neq; mitius ab illis tractabitur filius hominis. me enim tanquam religionis hoſtem, ſeductorem ac latronem ſuffigent in crucem. Tunc intellexerunt diſcipuli, quòd Ioannem baptiſtam diceret Eliam, ob uitæ ſimilitudinem, & in carpendis omnium uitijs libertatem.

CA-

CAPVT VICESIMVMSEPTIMVM.

FActum eſt autem inſequenti die, deſcendentibus illis de monte, & ueniens ad diſcipulos ſuos, occurrit illis turba multa, & uidit turbam magnã circa eos, & ſcribas conquirentes cum illis. Et confeſtim omnis populus uidens Ieſum ſtupefactus eſt, & expauerunt. Et cum ueniſſet ad turbam, occurrentes ſalutabant eum, & interrogauit eos: Quid inter uos conquiritis? Et ecce uir unus de turba acceſsit, genibus prouolutus ante eum, & clamauit, dicens: Magiſter, attuli ad te filium meum huc, habentem ſpiritum mutum, qui ubicunque apprehenderit eum, illidit eum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit. Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur. Nam ſæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam: obſecro, reſpice filium meum, quia unicus eſt mihi. Ecce ſpiritus apprehendit illum, & ſubitò clamat, & uix diſcedit dilanians eum: & obtuli eum diſcipulis tuis, rogaui, & dixi ut eijcerent eum: & non potuerunt curare eum. Reſpondens autem Ieſus, ait: O' generatio incredula, infidelis & peruerſa, uſquequò ero apud uos? & quamdiu uos patiar? Afferte huc illum ad me. Adduc huc filium tuum. Et attulerunt eum. Et cum accederet, & uidiſſet eum, ſtatim ſpiritus ſeu dæmonium turbauit illum, eliſit & diſsipauit, & eliſus in terram uolutabatur ſpumans. Et interrogauit patrem, dicens: Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit? Et ille dixit: Ab infantia. & frequenter eum in ignem & in aquam miſit, ut perderet. Sed & ſi quid potes adiuua nos, miſertus noſtri. Ieſus autem ait illi: Si potes credere: omnia poſsibilia ſunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri, cum lachrimis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Et cum uidiſſet Ieſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, & increpauit eum dicens: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans & multum diſcerpens illum, dæmonium exijt: & factus eſt ſicut mortuus, ut multi dicerent quia mortuus eſſet. Ieſus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & ſurrexit, & curatus eſt puer in illa hora: & reddidit illum patri ſuo.

COMMENTARIA.

Diſceptant pharisæi cum diſcipulis, abſente Domino, præſente uix hiſcere audent. Populus quoque obſtupeſcit, & occurrit aduenienti Domino ſalutatum: tanta erat eius authoritas, tanta reuerentia. Et acceſsit ad eum homo, cuius filius erat lunaticus. Non autem luna cauſa erat morbi (ait Theophylactus) ſed diabolus obſeruans plenilunium, quo illi inſidiabatur. Modis autem multis exponitur, qualis fuerit ille miſer & afflictus puer. Hoc ad laudem gloriæ uirtutis'que Chriſti uictoris facit. Videmus in iis hoc quoque, magnam ſcilicet eſſe diaboli uirtutem: ſed tum demum, cum conceſſerit Dominus. Porrò ut omnium incredulitati mederetur Dominus, uelut indignabundus exclamat: Quàm diu feram mores ueſtros intractabiles? Tot miraculis editis nihil proficio? Quò autem miraculum redderet omnibus magis conſpicuum & inſigne, iuſsit puerum adduci. Quumq; adductus eſſet, & à Ieſu conſpectus, protinus ibi in oculis omnium corripuit eum ſpiritus, & eliſus in terram uolutabatur ſpumans. O' miſerabile ſpectaculum. Tunc Ieſus, quo magis etiam illuſtraret magnitudinem mali, percontatus eſt patrem, quantum eſſet temporis quòd huiuſmodi malo uexari cœpiſſet? Pater reſpondens, moram atrocem eſſe, adiungit: ut ſi quid poſsit, opituletur. Ieſus uerò palàm exigit fidem à patre. Non à patre autem duntaxat pueri, ſed à ſingulis nobis, in negotijs ſalutis & diuinis. Optimè uult Chriſtus generi humano: ſed interim adijcit illud, Si poteſtis credere: Omnia ſunt poſsibilia credenti. Iam'que pater pueri fatetur ſe credere: ſed quia ſentit animi ſui imbecillitatem, quæ obſtabat quo minus tam ſolidè crederet quàm credendum intelligebat, deprecatur culpam, poſcens humiliter & cum lachrimis fidei augmentum, & Chriſti Domini

miſericordiam. Et ſtatim iraſcitur bonus & hominum amans Dominus, immundo ſpiritui: hominis miſeretur, atque imperio ſuo eijcit illum dæmonem: nec tantum eijcit, uerùm etiam præcludit ei uiam, ne unquam in illum poſt hac redeat.

CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

ET cum introiſſent domum diſcipuli eius, acceſſerunt ad eum ſecretò, & dixerunt ei: Quare nos non potuimus curare eum? Dixit illis Ieſus: Propter incredulitatem ueſtram. Amen dico uobis: Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, & dicetis monti huic, Tranſi hinc: & tranſibit, & nihil impoſſibile erit uobis. Hoc autem genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & ieiunio. Et illinc profecti prætergrediebantur, & iter fecerunt per Galilæam, & non uoluit ut quiſquam ſciret. Conuerſantibus autem eis in Galilæa docebat diſcipulos ſuos, & dixit illis Ieſus: Ponite in cordibus ueſtris ſermones iſtos. Filius enim hominis tradendus eſt in manus hominũ, & occident eum, & occiſus tertia die reſurget. At illi ignorabant uerbum iſtud, & erat abſconditum ab eis, ut non intelligerent illud: & timebant eum interrogare de hoc uerbo, & contriſtati ſunt uehementer. Et cum ueniſſent Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter ueſter non ſoluit didrachma. Et ait: Etiam. Et cum intraſſet in domũ, præuenit eum Ieſus, dicens: Quid tibi uidetur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, uel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? Et dixit ille: Ab alienis. Et dixit ei Ieſus: Ergo liberi ſunt filij? Vt autem non ſcandalizemus eos, uade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem: illum ſumens da eis, pro me & te.

COMMENTARIA.

Timuerunt Apoſtoli ne perdidiſſent datam ſibi contra dæmones gratiam: propterea perplexi animo, ſeorſum eum interrogant. Dominus autem arguit eos, ut imperfectiores, dicẽs: Si feruentem & ardentem haberetis fidem, etiamſi parua uideretur, perficeretis utiq; magna. Eſt enim granum ſinapis contemptum & minutum, tamen attritum exerit acrimoniam naturæ ſuæ, et humo conditum emergit in arborem ſpacioſam. Porrò cum Theophylactus exiſtimet, Dominũ de reali monte locutum: uidetur tamen illis uerbis iuxta hyperbolen intellexiſſe res quaſlibet in orbe grandes, firmas & immobiles, quas oporteat cedere huic fidei. D. uerò Hieronymus hunc locum enarrans: Montis, inquit, tranſlatio non eius ſignificatur, quem oculis carnis aſpicimus, ſed illius qui à Domino tranſlatus fuerat ex lunatico. Quod enim ait, Dicetis monti huic, tranſi & tranſibit: de dæmone intelligitur. Sub hæc Dominus apertè diſcipulis eam rem exponens, ait: uaria Satanæ malitia, immundicia & tentatio non ſuperabitur, niſi probè inſtructi ſitis abſtinentia, & precibus ardẽtibus. Poſtquam autem illinc egreſſi ſunt celeriter & in tranſcurſu, ne impediretur accedentium et ſemper aliquid poſtulantium frequentia, per Galilæam iter fecerunt: iterum repetit & inculcat mortem & reſurrectionem Dominus. Oportuit enim diſcipulorum mentes præmuniri contra ſcandalum crucis. Subinde (ait Theophylactus) memoriam facit paſſionis, ne exiſtiment quòd inuitus patiatur: & interim hoc agit, ut exerceat eos, & ne terreantur, ſi hoc inexpectatum eueniat. Coniungit autem triſtibus læta: ſcilicet quòd reſurget. Porrò quòd contriſtantur, & uehementer quidem, non de infidelitate uenit, iuxta D. Hieronymum: alioquin ſcierant & Petrum eſſe correptũ, quare non ſaperet ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum: uerùm quia pro dilectione magiſtri, nihil de eo ſiniſtrum & humile patiuntur audire. Diſcruciabat ergo animos illorum mirum in modum hic ſermo. ſic enim adamabant Dominum ſuum. Quòd uerò iſti non intelligunt prædicationem longè manifeſtiſſimã, inde eſt, quòd de Meſſia & regno ipſius neſcio quam carnalem conceperant in mentibus opinionem. Metuebant autem, ne & ipſi exciperentur acerbius. Cum autem ueniſſent Capernaum, qui didrachma accipiebant, ex more poſcunt tributum. Poſt enim Cæſarem (ut Hieronymus teſtatur) Iudæa facta eſt tributaria, & omnes cenſi capite ferebantur. Non audent aũt repetere, ſed pro ſignorum magnitudine, hi qui exigebant, diſcipulum conueniunt. Aut

forſan malitioſè interrogant, utrum reddat tributa, an contradicat Cæſaris uoluntati. Verùm quod exactores cum Petro erant collocuti, non ignorabat Dominus per diuinam omniſcientiam. Quare prius quàm uel uerbum de cenſu protuliſſet Petrus, præueniens ipſius expoſitionem interrogatur, à quibus exigatur tributum? Petro autem reſpondente: A plebeijs, non à regum liberis, concludit Dominus, immunem ſe eſſe à tributo: obſcurè ſubindicans, ſe terræ maris'que, & omnium rerum Dominum ac Regem eſſe. Porrò ut non reputemur, inquit, contemptores & deſpectores legis, & offendamus eos, aut ullam excitemus turbam: abi protinus, & quod ipſis debetur, expende. Quòd ſi quis modò roget, quare Dominus cenſum hunc non ex loculo potius quàm fluctibus marinis penderit: arbitror quidem, illud non carere myſterio. Voluit itaque hoc miraculoſo facto demonſtrare ſuam præſcientiam, & potentiam: quod'que omnes creaturæ ipſi obediant, ut filio Dei.

CAPVT VICESIMVMNONVM.

IN illa hora intrauit in eos cogitatio, quis eorum uideretur eſſe maior. At Ieſus uidens cogitationes cordis eorum, cum domi eſſet, interrogabat eos: Quid in uia tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in uia diſputauerant, quis eſſet illorum maior. Et cum conſediſſet Ieſus, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Quis, putas, maior eſt in regno cœlorum? Et ait illis: Si quis uult primus eſſe, erit omnium nouiſsimus, & omnium miniſter. Et apprehendens paruulum, ſtatuit eum ſecus ſe in medio eorum, & complexus eum dixit illis: Amen dico uobis, Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cœlorum. Et qui ſuſceperit unum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. Et quicunque me ſuſceperit, non ſolùm me ſuſcipit, ſed eum qui miſit me. Nam qui minor eſt inter uos omnes, hic maior. Qui autem ſcandaliſauerit unum de puſillis iſtis minimis qui in me credunt, bonum eſt & expedit ei magis, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo, & proijciatur in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis. Luc. 17. Neceſſe eſt enim, ut ueniant ſcandala: ueruntamen uæ homini illi, per quem ſcandalum uenit. Si autem manus tua ſcandaliſat te, abſcinde eam, & proijce abs te. bonum eſt tibi, debilem introire in uitam, quàm duas manus habentem mitti & ire in gehennam, ignem æternum inextinguibilem, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et ſi pes tuus ſcandalizat te, amputa illum. bonum eſt tibi, claudum intrare in uitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Bonum eſt tibi luſco cum uno oculo uitam intrare & regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim igne ſalietur, & omnis uictima ſale ſalietur. Bonum eſt ſal. quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis? Habete in uobis ſalem, & pacem habete inter uos. Videte ne contemnatis unum ex his puſillis. Dico enim uobis: quia angeli eorum in cœlis ſemper uident faciem patris mei, qui in cœlis eſt. Venit enim filius hominis ſaluare quod perierat. Quid uobis uidetur? Si fuerint alicui centum oues, & errauerit una ex eis, non'ne relinquit nonagintanouem in monte, & uadit quærere eam quæ errauerat? Et ſi contigerit ut inuenerit eam, amen dico uobis, quia gaudet ſuper eam magis quàm ſuper nonagintanouem quæ non errauerunt. Sic non eſt uoluntas ante patrem ueſtrum qui in cœlis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis.

COM-

Inter ſe diſputauerant diſcipuli in itinere, quis eſſet maior: quia uiderant, quòd cenſum Dominus Ieſus non pro ſe tantum, ſed & pro Petro ſoluerat. Et quoniã ſomniabant, tales in regno Chriſti dignitates futuras, quales uidemus in regum et principum aulis: ſuſpicãtur, Petrum omnibus alijs fore præferendum in regno Chriſti: quod iniquis ferunt animis. Accedunt ergo Dominum, ac dicunt: Quis nunc obtinet primatum in adminiſtratione noſtra? Aut, Quis ex Apoſtolorum tuorum numero primas obtinebit, cum regnare cœperis in mundo? Hic Dominus, quò tolleret ex illorum cordibus ambitionis malum, ut quod impediret et obturbaret pietatis negotium, & inſereret humilitatem & modeſtiam: puellum accerſitum ſtatuit in medium concertantium atq; quærentium: mox item adhibitis uerbis, quid paradigmate puelli effectum cupiat oſtendit, dicens: Contenditis de primatu. At ego uobis pro certo dico, niſi ab huiuſmodi ambitioſis, faſtumq; ac pompam ſpirantibus diſputationibus mentes ueſtras auerteritis, & religioſè fueritis conuerſi, adeò non efficiemini in regno meo magni & illuſtres, ut ne pro diſcipulis quidem meis uos agnoſcere poſſim. D. Chryſoſtomus: Rectè, inquit, ante oculos monſtratione paruuli totam rem poſuit, ipſo aſpectu eos conuertens atq; perſuadens, ut abſq; ſimulatione aliqua humilitatem amplectantur. Paruulum ergo ætate, & quidem mea ſententia ualde paruulum, qui ab omnibus paſsionibus eſſet liber, in medio ſtatuit. Illa enim ætas omni arrogantia, omni gloriæ inanis furore, omni liuoris inſania, omni contentionis cupiditate, cæteriſque huiuſmodi immunis eſt. Cumq; præcipuis muniatur uirtutibus, ſimplicitatis ſcilicet, & humilitatis, de nulla iſtarum ſuperbit: ita duplici philoſophia ornatur. Nã & hæc bona poſsidet, & nihil ſibi præter hæc arrogat. his de cauſis paruulũ in medio ſtatuit. Hæc ille. Cæterùm non ſolùm, inquit Chriſtus, oportet uos humiles eſſe: ſed etſi alios humiles propter me in honore habueritis, mercedem accipietis. me enim accipitis, quando pueros, hoc eſt humiles ſuſcipitis. Deinde & à contrario inquit: Qui offenderit, hoc eſt, iniuria affecerit unum ex his qui ſe humiliant, & paruos putant, tametſi magni ſint: multis ſupplicijs obnoxius erit. Loquitur autem Dominus (*docente* D. Hieronymo) *ſecundum ritum prouinciæ, quòd maiorum criminum iſta apud ueteres Iudæos pœna fuerit, ut in profundum ligato ad collum ſaxo demergerentur. Tantumq; dicit: Multo melius eſt pro culpa breuem recipere pœnam, quàm æternis ſeruari cruciatibus. Eam porrò rem exclamatione ſubita, & prorſus pathetica exaggerat, ſimul & uaticinans quid futurum ſit.* Dicit ergo: *Multæ erunt in mundo calamitates, peſsimeq; habebunt res hominum propter offendicula, dum uidelicet impuri & corruptiſsimi quique homines non ceſſabunt ſimplices uexare, offendere, et contemnere. Interim autem peribunt iuſti, atq; ideò iuſtiſsimus Deus non ceſſabit ſcandala ponentes punire. Scandala autem ut ueniant * neceſſe eſt, inquit: quia nunquã in mundo defuturi ſunt homines maligni, qui perpetuò ſpretis optimis, & ſumma cum bonorum offenſione pergent ſuas cupiditates prauas perſequi, & ſeſe rebus peſsimis exaturare. Ne quis autem putaret, ſe immunem fore, ſi cupiditates ſuas expleat, & quoſlibet offendat: dura ſupplicia et infenſiſsimam Dei iram minatur offendiculum præbentibus: ita tamen, ut ſub parabolico ſermone tradat rationẽ, quomodo poſsit à nobis caueri & uitari offenſio, ne uel ipſi impingamus, ne' ue alijs occaſionem ruinæ præbeamus. Non ſenſit itaque Chriſtus, aliquod corporis membrum amputandum: ſed affectus omnes amputandos, qui nos ad res prauas impellunt, ac uel ipſi faciamus quibus offendantur alij, uel praua aliorum facta imitemur, atq; ita excludamur à regno cœlorum, & proijciamur in ignem illum qui non extinguetur, & ubi uermis non morietur.* D. Hieronymus *in ultimum caput Eſaiæ, unde hæc uerba deſumpta uidentur:* Vermis, *inquit, qui non morietur, & ignis qui non extinguetur, à pleriſq; conſcientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in ſupplicijs conſtitutos. cuius etiã meminit* D. Aurelius Auguſtinus. *At quid ipſe de hac re ſentiat, † apertè pñũciat his uerbis: Qui uerò pœnas & animæ & corporis in illo ſupplicio futuras eſſe non dubitant, igne uri corpus, animam autem rodi quodammodo uerme mœroris affirmant. Quod etſi credibilius dicitur, quia utiq; abſurdum eſt, ibi dolorem aut corporis aut animæ defuturum: ego tamen facilius æſtimo, ut ad corpus dicam utrunq; pertinere, quàm neutrum: & ideo tantum in illis diuinæ Scripturæ uerbis, animi dolorem. quomodo conſequens eſſe intelligitur, etiamſi non dicatur, ut in corpore ſic dolente animus quoq; ſterili pœnitentia crucietur. Legitur quippe & in ueteribus ſcripturis, uindicta carnis impij ignis & uermis. Potuit breuius dici, Vindicta impij. Cur ergo dictũ eſt, Carnis impij? niſi*

* Vide Chryſoſto: Eſtque hæc neceſsitas non abſoluta, ſed conſequẽtiæ.

† lib. 21. cap. 19. de Ciuitate Dei.

niſi quia utrumque, id eſt & ignis & uermis pœna erit carnis. Hactenus ille. Porrò quamobrem puelli, & qui his ſimiles ſunt infirmi homines, non offendendi, hanc quoque Chriſtus adducit rationem: quia ſcilicet tanti ſunt precij apud Deum, ut cuilibet eorum proprium addiderit miniſtrum, atque cuſtodem. Docet D. Hieronymus, magnam dignitatem animarum noſtrarum eſſe, ut unaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui delegatum angelum: quò uidelicet tranquilliori animo ſimus in omnibus aduerſitatibus. Angeli ergo æternùm beati, ſunt ſic dati nobis cuſtodes & miniſtri, ut nihilominus Dei perfruantur iucunda familiari que præſentia. Demum inquit Dominus, ſe omnibus ſeruandis ueniſſe. Ergo omnes perierunt? Vtique uniuerſum genus hominum perierat, in Adamo patre noſtro: uerùm Deus noſtri miſertus, filium ſuum miſit unicum, qui perditum ſeruaret: & filius quidem Dei uenit in mundum, & cruci affixus, morte & reſurrectione ſua uitam nobis reſtituit. Iam ut ingens Dei patris ſtudium ſeruandi homines, filij que dilectionem ardentiſſimam, qua genus humanum complectitur, ob oculos reuocaret: ſubijcit parabolam paſtoris, ac ouis perditæ. D. Chryſoſtomus hunc locum enarrans: A' dignitate patris, inquit, ad hoc inducit, ne quis contemnatur aut perdatur per offenſionem: quia nec patri quidem uidetur, ut unus iſtorum paruulorum pereat. Et à communi conſuetudine hominum: quia paſtor ſaluis ouibus derelictis, eam quæ errauit diligentius quærit, & cum inuenerit, ſummopere de illius ſalute lætatur. Proinde ſi ſic eſt affectus homo paſtor erga gregem ſuum quem poſſidet tantum, nec etiam condidit: quanto magis hæc eſt uoluntas patris mei cœleſtis, ne quis pereat ex his puſillis quos condidit, quibus ad ſalutem reuocandis filium ſuum unicum impendit? Abſint igitur à ueſtro contubernio offendicula, quæ pacem dirimunt fraternam: ſed adſit mutua charitas, qua uiciſſim alij aliorum erratis amanter medeamini, ſi quæ inciderint.

CAPVT TRICESIMVM.

ATtendite uobis. Si autē in te peccauerit frater tuus, uade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si audierit te, & pœnitentiam egerit, dimitte illi: lucratus es fratrem tuum. Si autem te non audierit, aſſume tecum adhuc unum uel duos, ut in ore duorum teſtium uel trium ſtet omne uerbum. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem & Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Amen dico uobis, quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlis. Iterum dico uobis, quia ſi duo ex uobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis eſt. Vbi enim ſunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quotiens peccabit in me frater meus, & dimittam illi? uſque ſepties? Dixit illi Ieſus: Non dico tibi uſque ſepties: ſed uſque ſeptuagies ſepties. Ideo aſsimilatum eſt regnum cœlorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Et cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus qui debebat decem milia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, iuſsit eum Dominus uenundari, & uxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem ſeruus ille, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit unum de conſeruis ſuis, qui debebat ipſi centum denarios. & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conſeruus eius, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: ſed abijt, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt ualde: & uenerunt, & narrauerunt Domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Tunc uocauit eum Dominus ſuus, & ait illi: Serue nequā: omne debitū dimiſi tibi, quoniā rogaſti me. Non'ne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus eius, Lucæ 17

tradidit

tradidit eum tortoribus, quoaduſq; redderet uniuerſum debitum. Sic & pater meus cœleſtis faciet uobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo, de cordibus ueſtris.

COMMENTARIA.

*Iam docet Chriſtus medicandi modum, cum inquit: Si quid admiſerit in te frater tuus, quod ſit animaduerſione dignum, ne ſtatim proſilias ad uindictam, ne'ue rurſus ſilentio tuo ſinas illum perire, dum ueluti uinolentus affectibus ſuis peccat impunè: ſed primùm experire remedio quàm maxime blando, quod ne pudoris quidem incommodo fratrem aſperga:. Si nondum agnoſcit culpam, argue illum, & ob oculos pone, quantum aberraris ab officio fraternæ charitatis. Talis autem ſit admonitio, ut declaret te nihil aliud quærere quàm illius ſalutem, & amicitiæ priſtinæ ſarturam. Quòd ſi uerò familiari & priuata admonitione illa nihil profeceris, teſtes adiungito tibi, ut uel eorum authoritate atq; adhortatione percellatur: uel ut uiri iſti graues teſtificari poſſint, omnia eſſe tentata quæ ad emendationem pertinere uidentur: ſed fruſtrà, illo omnem admonitionem ac adhortationem aſpernante. Vbi autem fuerit omnino intractabilis, ita ut omnem cõtemnat admonitionẽ: pergat autem turpi conuerſatione & ſeſe & alios contaminare: iam totum negotium deferendum eſt ad Eccleſiam, ut coram hac increpetur acerbius, & pudefiat. Porrò Eccleſia cui hic deferendus, non eſt uniuerſalis illa omnium ſanctorum congregatio, ſed optimorum ſanctiſſimorumq; uirorum collegiũ. Nam D. Chryſoſtomus hunc locum, Dic Eccleſiæ, enarrans: Dic præſulibus, inquit, & præſidentibus. Poſtquam autem & hoc factum fuit, & ipſe uſqueadeò eſt inſanabilis, ut nec ſecreta fraternáque correptione, nec duorum conſcientia conſenſuq;, nec prolati criminis pudore, nec primorum authoritate corrigatur: illum ſuo morbo relinquito, ac à familiari amputetur cõſortio, nec alio loco habeatur quàm ſi eſſet ethnicus & publicanus. Quòd autem Eccleſiæ iudicium dixit, iam corroborat Dominus Ieſus: ac ſub conteſtatione iuriſiurandi dicit, eos apud Dominum quoq; uel damnatos uel abſolutos, quoſcunq; Eccleſia diuino iudicio uel damnat, uel abſoluit. Et conſequenti ſententia oſtendit, quàm utilis ſit conſenſio & concordia eccleſiaſtica. Cumq; pauculis tanta pollicetur munera: ſi plures conſenſerint, ſi tota inter ſe conſenſerit Eccleſia, quid non impetrabit à Domino Chriſto, quem habebit præſentiſſimum? Verùm non abruptè utendum erit illa ſententia. De omni re quamcunq; petierint: quaſi Deus etiam ſtultis ac truculentis hominum uotis annuat. Loquitur enim Dominus de precibus pijs ſanctorum & Eccleſiæ, quæ nihil petit contra uoluntatem Domini, dicente Apoſtolo: Et hæc eſt fiducia quam habemus apud Deum, Quòd ſi quid petierimus ſecundum uoluntatem eius, audit nos. D. Chryſoſtomus: Animaduerte, inquit, quemadmodum etiam hic diſſidia & inimicitias diſſoluat, & homines ad unam congreget uoluntatem, non pœnarum tantummodò terrore, ſicut hactenus uidimus: uerumetiam his donis, quæ à charitate pròfluunt. Nam poſteaquã contentionis extrema ſupplicia poſuit, magna concordiæ præmia exponit, cum & à patre, qui conſenſu & charitate coniuncti ſunt, facile impetrẽt quod petunt, & ipſum Chriſtum in medio ſui poſſideãt. Cæterùm ubi doceat Saluator noſter Chriſtus, quo pacto agamus cum ijs qui corrupta uita ſua contaminant Eccleſiam: ſequitur iam, quomodo ſe gerant ſancti in condonatione delictorũ quotidianorum. Scrupulum quidem aliquem conceperat Petrus in animo, propterea quod Ieſus dicens, Poſt tertiam correptionem ſit tibi uelut ethnicus & publicanus, uiſus eſt certum numerum præſcribere, quem qui tranſgreſſus eſſet, etiamſi reſipiſceret qui peccarat, non eſſet recipiendus in gratiam. Hac igitur de re exactius docendus, Dominum Ieſum adijt, aiẽ'que: Domine quoties condonabo fratri, ſi in me peccauerit, & poſt quotam culpam repelletur à uenia? num poſt ſeptimam? Hunc numerum proponebat Petrus, uelut abundè magnum: quum Ieſus tertiæ duntaxat correptionis meminiſſet. Quoniam autem Ieſus in his quæ committuntur in nos delictis, oportere nos eſſe facillimos ad ueniam oſtendere uoluit, dixit: Non dico, ignoſcendum uſque ad offenſam ſeptimam, ſed uſque ad ſeptuageſies ſeptimã: indicans, nullum eſſe præſcribendum numerum ignoſcentiæ Chriſtianæ: ſed quotienſcunque reſipuerit qui peccauit, toties ex animo condonandam eſſe culpam: penitus eximens ex animo Chriſtiano ulciſcendi libidinẽ. * Atque id ne quis exiſtimaret eſſe durum & iniquum, Ieſus adhibita ſimilitudine docet eſſe æquiſſimum. D. Hieronymut: Familiare, inquit, eſt Syris & Palæſtinis, maximè ad omnem ſermonem ſuum parabolas iungere, ut quod per ſimplex præceptum teneri*

* Eſt forũ conſcientiæ, & eſt forum iudicij & iuſticiæ. Nota.

teneri

neri ab auditoribus non poteſt, per ſimilitudinem exemplá que teneatur. Adumbrauit autem Dominus Ieſus hac parabola nobis eximiam Dei bonitatem, remittentis nobis benignè peccata noſtra. Et amplificat illam per debiti magnitudinem. Poſuit enim decem mille talenta pro debito maximo. Et certè ſi Deus uellet nobiſcum agere ſtricto iure, nemo noſtrûm ſeruaretur. Ideo enim & Dauid dixit: Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Cogitur ergo debitor in præſentiarum confugere ad clementiam & miſericordiam diuinam. Et miſericordia ſiue gratia gratuitò abſoluet peccatorem, dicente parabola: Dominus miſertus ſerui ſupplicis ac prouoluti, plus indulſit quàm ille petierat. Non ſolùm enim non produxit in forum: uerumetiam condonauit illi totam ſummam. Porrò ſeruus ille iam liber cum eſſet digreſſus à conſpectu Domini ſui, fortè fortuna obuiam habuit quendam è numero conſeruorum ſuorum, qui debebat illi pauxillulum pecuniæ, oblitus eſt dominicæ erga ſe clementiæ. Nam iniecta manu trahere cœpit miſerum, ac inexorabilis repulit ſupplicem, & pertraxit in carcerem. Tales ſunt homines maligni, quibus Dominus Deus ex immenſa bonitate & miſericordia omnia condonat peccata. Ipſi tamen in fratres ſuos iram, rancorem, & liuidum retinent animum, ac dimittere admiſſa nolunt. Porrò conſerui qui uiderant miram clementiam Domini in ſeruum, ubi uidiſſent tantam conſerui in conſeruum inclementiam, dolore graui commoti rem omnem denarrant Domino. Videntur (inquit Theophylactus) hi conſerui eſſe angeli: oſores, mali: & amantes, boni: non quòd ignoranti Domino hæc dicant: ſed ut tu diſcas, quòd angeli ſint, & quòd inhumanis & immiſericordibus indignentur. Cæterùm ubi hæc reſciuit Dominus, ſumma ira accenſus, reuocauit ad ſe ſeruum, cui condonarat omnia, & tradidit eum tortoribus. Quibus autem tortoribus? Fortè poteſtatibus punitricibus, ita ut perpetuò puniretur. Audiamus ergo omnes (at D. ille Chryſoſtomus) qui crudelitate occupati, neminem miſereamur: Audiamus inquam, quia non in alios, ſed aduerſus noſmetipſos ſæuitiem exercemus. Quare cum recordaris alieni peccati, cogita quòd tibi ipſi, non alij detrimentum infers. Tua enim, non proximi peccata in falcem colligis. Et tu quidem quicquid aduerſus delinquentem operatus fueris in præſenti uita, hæc ut homo facis: Deus uerò non ita, ſed & maioribus & æternis ſupplicijs puniet. Tradidit enim eum tortoribus, donec uniuerſum debitum perſolueret: id eſt, ad perpetuitatem eum ſupplicij tradidit. nunquam enim inde rediturus eſt. Nam quoniam beneficijs melior fieri non potuit, reliquum eſt ut pœna torqueatur æterna. Iam quid uelit demonſtrare hac parabola, his uerbis apertè pronuncians Dominus inquit: Hæc eſt iuſti iudicis ira, patris nimirum mei cœleſtis: ad hanc imaginem aget uobiſcum, talis pœna irrogabitur omnibus malignis ingenijs, nolentibus benignè condonare offenſas atq; delicta fratribus. Quòd autem dixit, Pater meus: & non, Pater ueſter: Theophylactus proinde dictum putat, quia indigni ſunt tales, qui Deum habeant patrem. De cordibus autem uult remitti, non de ore duntaxat: quia fictam pacem & omnem hypocriſim odit Dominus Deus ac pater noſter.

CAPVT TRICESIMVMPRIMVM.

RESpondens autem illi Ioannes, dixit: Præceptor & Rabbi, uidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia: & prohibuimus eum, quia non ſequitur te nobiſcum. Et ait ad illos Ieſus: Nolite prohibere. Nemo eſt qui faciat uirtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me. Qui enim non eſt aduerſum nos, pro nobis eſt. Quiſquis uobis potum dederit aquæ frigidæ, in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico uobis, non perdet mercedem ſuam. Erat autem in proximo dies feſtus Iudæorum, Scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Tranſi hinc, & uade in Iudæam, ut & diſcipuli tui uideant opera quæ tu facis. Nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipſe palàm eſſe: ſi hoc facis, manifeſta temetipſum mundo. (nec enim fratres eius credebant in eum.) Dixit ergo eis Ieſus: Tempus meum nondum aduenit: tempus autem ueſtrum ſemper eſt paratum. Non poteſt mundus odiſſe uos: me autem odit, quia teſtimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala ſunt. Vos aſcendite ad diem feſtum

hunc: ego non aſcendam ad diem feſtum iſtum, quia tempus meum nondum impletum eſt. Hæc cum dixiſſet ipſis, manſit in Galilæa. Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto. Iudæi ergo quærebant eum in die feſto, & dicebant: Vbi eſt ille? Et murmur multum erat de illo in turba. Quidam enim dicebant, Quia bonus eſt: alij autem dicebant, Non, ſed ſeducit turbas. Nemo tamen palàm loquebatur de eo, propter metum Iudæorum. Iam autem die feſto mediante aſcendit Ieſus in templum, & docebat, & mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit? Reſpondit eis Ieſus, & dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Si quis uoluntatem eius faciet, cognoſcet de doctrina utrum ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar. Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius qui miſit illum, hic uerax eſt, & iniuſticia in illo non eſt.

COMMENTARIA.

Dubitat Ioannes, an promiſcuè omnes recipiendi, qui quouis modo adiungunt ſe Chriſto: & quia cuidam prohibuerat per nomen Chriſti facere miracula, quòd non eſſet de conſortio & familia Chriſti, mouet quæſtionem, & ait: Magiſter, cum emiſiſſes nos ad prædicãdum regnũ Dei, uidimus quendam planè alienum à noſtro conſortio: prohibuimus eum. modò autem cum audimus quæ nos doces de recipiendis puellis, dubitamus, an conſultè fecerimus. His paucis reſpondet Dominus: Iſtiuſmodi nolite prohibere, qui quocunque mòdo cõducunt Euangelio propagando. Non eſt ſpectandum, an ſequatur nos: ſed an prædicet nomen noſtrum. Quòd ſi inuocato meo nomine eijcit dæmonia, non facilè poteſt de me malè loqui. Quòd ſi faciat, res ipſa redarguet eum. Dicetur enim illi: Qua fronte obtrectas nomini, quod in edendis miraculis expertus es potens & efficax? Noua res per omnem occaſionem eſt promouenda: quàm ſinceris animis, ueſtra nihil refert, modò quocunque pacto proſit negotio quod agitis. Non ſolùm facientes uirtutes in nomine meo, non prohibeo: ſed etſi quis minimum dederit uobis propter nomen meum, & ſuſceperit uos propter me, non propter humanam uel mundanam gratiam, neutiquam perdet mercedem ſuam. Hæſit autem in Galilæa Dominus, abhorrens à Iudæa, quoniam Iudæi ſtruebant inſidias uitæ illius: non quòd mortem metueret Ieſus, ſed quia nondum uenerat tempus ipſius. Inſtabat autem

Scenopegia, feſtum tabernaculorum: Vide Ioſephum, Antiqui. lib. 3. cap. 13.

Iudæis cumprimis feſtus dies ac religioſus, quem Græci Scenopegiam appellant, ob memoriam priſcorum patriarcharum, qui uitam agebant in tabernaculis, ſubinde mutantes ſedem. Quoniam autem ad diem feſtum magna uis hominum ex uniuerſa Syria ac finitimis etiam regionibus confluere ſolebat Hieroſolymam, ob templi celebritatem: cognati Ieſu, rudes adhuc, & humanis affectibus obnoxij, & freti propinquitatis iure: Inſtat, inquiunt, dies celebris, relicta Galilæa in qua iam diu nimium latitas, confer te in Iudæam: Illic licebit plures diſcipulos colligere, ſi uiderint omnes quæ facis. Nullus enim, ſi uelit haberi magnus, ea facit in occulto, per quæ parari poſsit ab hominibus opinio. Si de cœlo deſcendiſti, & tanta potes quanta de te prædicas: fac ut mundo ſis notus. Nemo uerò miretur hanc orationem cognatorum Domini Ieſu arrogantem, atque etiam impiam: ſiquidem ne illi quidem tum credebant ei. Quare (inquit S. Auguſtinus) in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant. Verùm Ieſus pro ſua ſingulari manſuetudine ad hanc cognatorum ſuorum tentationem ita reſpondet: Scio quid agendum ſit, quomodo item & quando me oporteat innoteſcere mundo. Hoc non ex humano pendet conſilio, ſed ex patris decreto. Ego qui patris arbitratu ueni, meum habeo tempus. Veſtrum autem tempus, qui humano affectu ducti, gloriam huius mundi quæritis, & me iuxta mundanum ſenſum gloriari uultis, ſemper paratum eſt. Ergo ire poteſtis quò lubet, quouis tempus ueſtris perficiendis negotijs eſt appoſitum: quando mundus uos, ut ſibi conſentientes, diligit. Ego gloriam patris mei & hominum ſalutem quæro. ac tantum abeſt ut apud mundum captem gloriam, ut odium potius illius in me concitem, diſſentiens ab illius cupiditatibus: ac palàm teſtificans, quòd mala ſunt opera illius. Habent Iudæi ſuos dies feſtos: mihi unus dies uerè feſtus ſpiritualiter celebrandus, quo pater delectatur, is nondum aduenit.

Vbi ad-

Vbi aduenerit, occurram ultrò. uos qui carnales adhuc eſtis, & mundum ſapitis, aſcendite ad hunc feſtum diem: ego aliam opportunitatem expecto. Vt autem aſcenderunt fratres eius, profectus eſt & ipſe: ut ſatis eſſet perſpicuum, ſe non tam metu Iudæorum abſtinuiſſe à conuentu ſolenni, quàm ut fugeret comitatum ſuorum cognatorum, quos adhuc carnales nolebat negocio Euangelico admiſceri. Venit autem Hieroſolymam, non oſtentans ſeſe, ſed occultè: uidelicet magis irritaturus expectationem ſui, & maiori fructu ſuo tempore proditurus in publicum. Nouerat enim animos Phariſæorum, quod iam pridem hoc agerent clancularijs conſilijs, ut in die feſto per occaſionem illi manus inijcerent. Plenius autem diuerſas de Chriſto ſententias exponens Apoſtolus: Nonnulli, inquit, populares, qui ſermones de pietate audierant, uiderant'que miracula eius, dicebant Ieſum eſſe uirum bonum, & habere cauſam bonam, ideo'que indignum quòd abſens ſic ſuggillaretur. Ediuerſò ſacerdotes ac Phariſæi, quos iampridem malè urebat Ieſu gloria, negabant illum eſſe uirum bonum, qui turbam ueluti ſeditioſus ad ſe pelliceret, nouo ſcilicet & inſolito dicendi genere, quod longè late'que diſcreparet ab eo quod à maioribus ſuis accepiſſent. Atque hoc tanta fiducia & improbitate urgebant, ut nemo bonorum auderet palàm ſiue liberè loqui, quod ſentiebat de Chriſto. Metuebant enim Iudæorum proceres, quibus intelligebant Ieſum eſſe uehementer inuiſum: nimirum quòd ipſorum authoritatem ſuis dictis factis'que uideretur imminuere. Cæterùm aſcendit quoque Chriſtus: ſed cum iamiam dimidium feſti peractum eſſet. Hoc fecit ipſe (ait Theophylactus) ut leniret illorum animum: inſuper ut maiori attentione audirent quæ ab eo dicebantur, ne feſti ſtrepitus illorum aures occluderet. Nam in principio feſti ueriſimile eſt, eos in his quæ feſti erant fuiſſe occupatos. Docebat autem Dominus in templo doctrinã Euangelicam, quam & tanta propoſuit certitudine & authoritate, ut quod opponerent Phariſæi non haberent. Iudæi uerò, & in primis Phariſæi aſſeclæ, cum doctrinam illius calumniari non poſſent: tamen authoritatem apud populum ſtudent adimere, admirantes, cum eſſet idiota & literarum rudis (nunquam enim inſtitutus fuerat in doctrina phariſaica, cuius profeſſione turgebant illi) unde nactus eſſet ea quæ è ſacris uoluminibus magna ſapientia depromebat: uelut inſimulantes, quòd dæmonium haberet. Non enim agnoſcebant Dominum plenitudine ſancti Spiritus, ut Meſſiam, eſſe unctum, & omnem authoritatem & poteſtatem accepiſſe à patre. Dominus Ieſus autem, ut nobis manſuetudinis & modeſtiæ præberet exemplum, ſuſpicionem tam impiã leniter ſubmouet, oſtendens ſuam doctrinam non eſſe profectam ab homine: ſed nec à dæmonio, uerum etiam à Deo, quem ipſi quoq; colerent, & cuius gloriæ deberent fauere, ſi uerè pij uellent haberi. Reſpondit ergo Ieſus omnium arcanorum conſcius, eorum clanculario murmuri, in hanc ſententiam: Mea doctrina, quam admiramini unde mihi contigerit, quum ab homine literas non didicerim, non eſt talis, qualem falſò imaginamini: neque à me, ceu à puro homine, proficiſcitur: ſed eſt patris mei, qui me miſit in mundum, ut ipſe occæcatus per me cognoſcat illius uoluntatem: cognitam ſequatur, & ſequendo uitam aſſequatur æternam. Quòd ſi quis depulſa malicia, ſimplici corde uoluerit uoluntati patris obtemperare potius quàm ſuis prauis affectibus: is facilè agnoſcet, doctrinam meam non eſſe hominis aut dæmonis nouum inuentum, ſed à Deo profectam eſſe. Homines qui ſuæ gloriæ ſtudent magis quàm Dei, quò pluris fiant apud mundum, nouas ac ſuas doctrinas anteponunt doctrinæ Dei, malunt'que ea docere quæ ipſis gloriam ac lucrum concilient, quàm quæ gloriam & honorem pariant Deo, aut ſalutem proximo. Qui uerò non quærit propriam gloriam, ſed eius 7
à quo miſſus eſt, hic omnia ſincerè loquitur: nec huius doctrina uel erroribus obnoxia eſt, uel ambitionis, auariciæ, liuoris, cupiditatibus'que uitiata, imò ipſa ueritas.

CAPVT TRICESIMVMSECVNDVM.

NOn'ne Moſes dedit uobis legem, & nemo ex uobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Reſpondit ei turba, & dixit: Dæmonium habes. Quis te quærit interficere? Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moſes dedit uobis circumciſionem, non quia ex Moſe eſt, ſed ex Patribus. & in Sabbatho circumciditis hominem. Si circumciſionem accipit homo in Sabbatho, ut non ſoluatur lex Moyſi: mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbatho. Nolite iudicare

ſecundum faciem: ſed iuſtum iudicium iudicate. Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymitanis: Non'ne hic eſt, quem quærunt interficere? Ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid uerè dicunt principes, quia hic eſt Chriſtus? Sed hunc nouimus, unde ſit: Chriſtus autem cum uenerit, nemo ſcit unde ſit. Clamabat ergo Ieſus in templo docens, ac dicens: Et me ſcitis, & unde ſim ſcitis, & à me ipſo non ueni: ſed eſt uerus qui miſit me, quem uos neſcitis. Ego autem ſcio eum. Et ſi dixero quia neſcio eum, ero ſimilis uobis mendax: ſed ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit. Quęrebant ergo eum apprehendere, & nemo miſit in illum manus: quia nondum uenerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Chriſtus cum uenerit, nunquid plura ſigna faciet quàm quæ hic facit? Audierunt Phariſæi turbam murmurantem de ipſo hæc. Et miſerũt Phariſæi & principes miniſtros, ut apprehenderent eum. Dixit ergo Ieſus: Adhuc modicum tempus uobiſcum ſum, & uado ad eum qui me miſit: quæretis me, & non inuenietis. Et ubi ſum ego, uos non poteſtis uenire. Dixerunt ergo Iudæi ad ſeipſos: Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? Nunquid in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes? Quis eſt hic ſermo quem dixit, Quæretis me, & non inuenietis: & ubi ſum ego, eò uos non poteſtis uenire?

COMMENTARIA.

Cum criminarentur Chriſtum Iudæorũ proceres, quòd Sabbathum ſolueret, & legem præuaricaretur: ad hoc urget, oſtendens eis quòd ipſi magis præuaricatores ſint legis, & ait: Lex quidem inquit, Ne occidas: Vos autem quæritis me occidere: & ita uos ſoluitis legem, non ego. Vide autem (inquit Theophylactus) quomodo ipſe quidem manſueta uoce loquatur eis. Illi autem contumelioſe & audacter dicunt, Dæmonium habes: eo quòd putabant ſe terrere illum, & animam eius contumelijs cruciari. Ad tam ueſanam blaſphemiam Dominus Ieſus non regeſſit conuicium: ſed manſuetè facti ſui quod calumniabantur, rationem reddens: Ego, inquit, die Sabbathi opus feci, neque malum neque ſordidum: ſed ſalutem contuli homini calamitoſo: & turbamini, & tumultuamini. Verùm non eſt tanta Sabbati religio, quin his rebus debeat cedere, quæ maioris ſunt momenti, & quouis die piæ ſunt. Hoc exemplum ſit uobis ipſe Moſes, qui uobis tradidit circumciſionem: non quòd ſimul cum lege nata ſit circumciſio, ſed quòd ante legem à Deo tradita fuerit patriarchis: & hoc nomine maioris uidetur circumciſio quàm Sabbathum. Moyſes autem iuſſit omnem maſculum die octauo circumcidi. Sæpe uerò accidit, octauum diem in quo neceſſe circumciditur puer, diem Sabbathi eſſe. Si ergo lex ipſa docet, opus fieri poſſe non uiolato Sabbatho: aut me abſoluatis neceſſe eſt, aut ſimul mecum damnetis & Moſen: imò legem ipſam. Sit uobis Moſes, ut eſt, uir eximius: ſim ego, qualis uobis uideor, humiles & contemptus: tamen ſi rem ſpectare uultis, aut uterque uobis damnandus eſt, aut abſoluendus uterque: quum ego non unam hominis partem curarim, ſed totum hominem ſeruarim in Sabbatho. Proinde nolite iudicare ſecundum perſonæ qualitatem: ſed ex ipſa re iuſtum ferte iudicium, ſi uultis uideri legis Moſaicæ tenaces. Poſt illam porrò prædicatam & aſſertam ueritatem, ſcinditur incertum ſtudia in contraria uulgus. Et boni quidem ceu uictores exultant. Nam reſpicientes ad illud quod ante dies aliquot Iudæi in abſentem conuicia iacientes, dixerant: Vbi nunc egregius ille diſputator, & miraculorum patrator? clamant: Non'ne hic eſt, cui Phariſæi et ſcribæ machinantur mortem? Ecce palàm in templo loquatur, ac liberè, nec illi reſpondent quicquam. Quid ſibi uult illorum ſilentium? Mali uerò ac impij diuerſum ſentientes, non agnoſcunt Ieſum eſſe Chriſtum, & pro ſe rationem afferunt talem: Nequaquam dignitas Meſſiæ huic competit: nam plebeijs natus eſt parentibus, Ioſepho uidelicet & Maria: ſed & patriam eius humilem nouimus, Nazaretham. At ubi uenerit Meſſias, originem & exortum eius nemo ſciet. Detorquebant enim ſcripturas Eſaiæ & Micheæ prophetarum. Dixerat quidem Eſaias: Generationem eius quis enarrabit? Et Micheas: Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Verùm ea de diuina ipſius Chriſti generatione ac maieſtate pronunciarunt. Cum autem aduerſarij gloriam Chriſti omnibus modis obſcurare pergerẽt, id ne fraudi eſſet pijs, et imbecillibus adhuc in fide,

diſertè

diſertè oſtendit, unde ſit, & quòd ſit Chriſtus. Si ideo, inquit, non uideor uobis ille eſſe Meßias, quem ex prophetarum oraculis expectatis, quòd ſciatis unde uenerim: hoc ipſum uos docere poterat, me eſſe illũ qui ſic uenerim, cum ex eo loco ſim ortus, unde prophetæ Meßiam uenturum prædixerunt. Deus ab initio rerum, per ora prophetarum & ſanctorum patrum promiſit mundo filium: & quia hic natura ſua ueritas eſt, præſtitit per me quod mundo promiſit. Hunc autem qui me miſit, uos quidem neſcitis. Neſciunt enim illum, qui uoluntati illius non obtemperant. Ego ſolus uerè noui illum: quoniam apud ipſum fui, priuſquam uenirem in mundum. Et ab illo miſſus ſum in mundum, ut per me diſcatis eum, & ſalui ſitis ueſtra credulitate. His uerbis irritati primores, magis etiam fremebant animis, quòd tantum authoritatis ſibi uindicaret apud populum, & ipſos palàm impiæ peruerſitatis argueret. Geſtiebant ergo illi manus iniicere, & prompta uoluntas impij maleficij aderat: nemo tamen id temporis iniecit illi manum, ita uolente Chriſto: quia nondum uenerat tempus à patre præſcriptum, quo ſua morte mundo ſalutem pararet. Sacerdotibus autem, Scribis, ac Phariſæis, quos ob religionis profeßionem ac legis ſcientiam oportebat in primis Chriſtum agnoſcere, ob corruptos animorum affectus in impio conſilio perſeuerantibus, nonnulli plebeij ac legis ignari utcunque crediderunt ſermonibus & miraculis Ieſu, dixerunt'que: Si poßibile eſſet Ieſum non eſſe Meßiam, illud tamen impoßibile, Meßiam alium plura & maiora poſſe deſignare miracula. Si hic non eſt Chriſtus, quemadmodum exiſtimant Phariſæi: mirandum tamen eſt, unde illi ſuppetat tanta uis edendi miracula. Id denuò non ferentes & impij Phariſæi, pro ingenio ſuo corruptißimo publicos ſubornant ſatellites, qui captum adducant. Cum uerò Dominus Ieſus non ignoraret, quid illi clanculum molirentur: ſub inuolucro quodam exponit ipſis myſterium diſpenſationis diuinæ, ac inquit: Breue tempus reſtat, quod uobiſcum uerſor, reuerſurus ad eum qui me miſit: tum abſentem requiretis, nec inuenietis. Pronunciat eis (inquit D. Cyrillus) quòd quum abierit, magno quidem deſiderio quærent eum, petentes uidere unum diem filij hominis: ſed non inuenient. Sanè poſt aſcenſionem quæſiuerunt eum pio affectu, illi qui Petro prædicante compuncti ſunt corde, dicentes: Quid faciemus, uiri fratres? nec tamen corpore præſentem inuenerunt. In miſerabili etiam exterminio urbis Hieroſolymæ, paulo poſt Chriſti paßionem, Iudæi qui uiderant Chriſti miracula, optabant quidem ipſum tum habere præſentem ad ſui liberationem ab imminenti excidio, quod ſatis animo coniectabant ſibi immitti ob iniuſtam mortem Chriſto illatam: Non tamen eum propugnatorem aut auxiliatorem inuenerunt. Denique diuinitatis ſuæ naturam, qua eſt immutabilis cum patre, inſinuat dicens: Ad hanc gloriam in qua inſeparabiliter cum patre ſum, uos non poteſtis peruenire: quia non uultis agere pœnitentiam de malis ueſtris, quorum grauitate uiam cœli uobis præcluditis, obſtaculum'que ponitis propria ſponte, ne ad uitam ingrediamini. Hunc ſermonem multitudo cum non intelligeret, diſceptabant inter ſeſe, dicentes: Quid ſibi uult, quod dicit? Num relicta hac terra & populo ſancto, in longinquam gentium regionem abiturus eſt, quò nos non exiſtimet ſecuturos? aut ita uagus errabit inter gentes procul dißitas, ut à nobis inueniri non poßit?

CAPVT TRICESIMVMTERTIVM.

IN nouiſsimo autē die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat dicens: Si quis ſitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat ſpiritus datus: quia Ieſus nondum fuerat glorificatus. Ex illa ergo turba cum audiſſent hos ſermones eius, dicebant: Hic eſt uerè propheta. Alij dicebant: Hic eſt Chriſtus. Quidam autem dicebant: Nunquid à Galilæa Chriſtus uenit? Non'ne Scriptura dicit: quia ex ſemine Dauid, & de Bethleē caſtello ubi fuit Dauid, uenit Chriſtus? Diſſenſio itaque facta eſt in turba propter eum. Quidam autem ex ipſis uolebant apprehendere eum: ſed nemo miſit ſuper illum manus. Venerunt ergo miniſtri ad pontifices & phariſæos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis eum? Reſponderunt iſti: Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo loquitur. Reſponderunt ergo eis Phariſæi: Nunquid & uos ſeducti

eſtis? Nunquid aliquis ex principibus & phariſæis credit in eum? ſed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti ſunt. Dixit Nicodemus ad eos, qui uenerat ad eum noctu, qui unus erat ex ipſis: Nunquid lex noſtra iudicat hominem, niſi audierit ab ipſo prius, & cognouerit quid faciat? Reſponderunt, & dixerunt ei: Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare ſcripturas, & uide, quia Propheta à Galilæa non ſurgit. Et reuerſi ſunt unuſquiſque in domum ſuam.

COMMENTARIA.

In maximis iſtis diſcriminibus prodit Dominus Ieſus, atque præſenti conſtantiq; animo teſtimonium fert ueritati, quum iam adeſſet ultimus dies eius feſti, qui ſumma frequentia, ſumma'que religione celebrari conſueuit: quo peracto, ſuam quiſque domum repetebat. Stabat autem Ieſus in templo, ceu rem ſeriam & maximè grauem, ac ad omnes homines pertinentem conſtantiſſimè aſſerturus. Nec iam loquebatur tantum apertè, uerumetiam intenta uoce clamabat: ita uidelicet teſtificans, rem eſſe quam magnopere referret ab omnibus exaudiri, & dicebat: Ego fons ſum omnis ſalutiferæ ſapientiæ. Qui ſitit, non eſt quod petat à Scribis & Phariſæis: ueniat ad me, & bibat. Bibit autem, quiſquis credit ſermonibus meis. Eſt igitur ipſe Chriſtus fons uitæ exuberantiſſimus, omnes ueram ſitientes doctrinam (ut D. loquitur Cyrillus) & Dei cognitionem habere deſiderantes, dulciter inuitans, ut ad ſe ueniant, & bibant potum illum ſalutarem, qui animam reficiat, & omnem æſtum cupiditatum huius mundi reſtinguat. Quòd autem ſe dixit eſſe fontem, non tam ſeipſum obtulit ultrò quàm ſpiritum illum uberem & copioſum, quem pòſt eſſent accepturi qui in ipſum credidiſſent: quo accepto, mox Apoſtoli magna fiducia uarijs linguis orbi terrarum prædicare cœperunt Euangelicam philoſophiam, & cœlitùs hauſtum ſpiritum in omnium credentium animos diffundere. Percontabitur quis (ait D. Cyrillus) quare tempus glorificationis Chriſti expectandum erat, ut mitteretur Spiritus ſanctus in mundum? Sciat ille, quòd commodum fuit & tempeſtiuum, ſpiritum poſt Chriſti glorificationẽ dari: tum quod unus aderat carne præſens conſolator & illuminator, cuius doctrina & lux ſufficiebat ad hominum illuſtrationem: tum quòd Spiritus ſanctus potiſſimùm miſſus eſt, ut hominum corda ab amore præſentis uitæ ad futuræ uitæ bona traduceret, & contemptis uiſibilibus inuiſibilium affectum induceret. Id autem opportunè factum fuit poſt reſurrectionem Ieſu, & regreſſum in cœlum ipſius. Quum autem plura locutus eſſet Dominus, atq; inuitaſſet omnes ad hunc fontem aquæ uiuæ, quanquam nondum ad plenum intelligebatur: tamen uariè afficiebant multitudinem. Quidam enim tot conſpectis miraculis, tantaq; ſermonum authoritate magnificentius de illo ſentientes, palàm fatentur ipſum eſſe promiſſum Meſſiam in lege et prophetis. Contrà alij phariſaico fermento corrupti, refellere conabantur iſtorum opinionem ex ipſis prophetarũ uerbis, quæ Meſſiam prædixerunt oriturum è tribu Iuda, & è uico Bethleem: Chriſtum autem putabant natum in ciuitate Nazareth, quòd illic eſſet educatus, quodq; à Galilæa cœpit prædicationis exordium, atque illic plerumque uerſaretur. Demum alij non tantum credere recuſant, ut priores: ſed & perſequi eum annituntur, & comprehendere ipſum pro animi ſui malignitate uolebãt. Sed nemo miſit ſuper eum manus, quoniam nondum ipſe apprehendi uoluit. Nihil habebat uirium humana malitia aduerſus eum, cum in ipſius poteſtate eſſent omnia. Satellites itaque, quos ſuæ ueſaniæ miniſtros miſerant Phariſæi, ut Ieſum caperent, mutatis animis redeunt. Expoſtulant ergo cum eis Phariſæi, ſpe ſua deluſi, cur non adduxerint quem unctum adducere iuſſerant. Illi uerò paucis reſpondent: Si uerba eius, inquiunt, arrectis audiſſetis auribus, haud ſecus ac nos cenſeretis, ipſum non aliorum hominum more, ſed ſupra hominem loqui, eſſeq; in eo diuinum aliquid, quod aliorum hominum naturam excedat. Senſimus animos noſtros raptos, & in aliud mutatos inſueto more. His miniſtrorum uerbis Phariſæi minimè mitigantur animo: ſed accenduntur in iram, & grauius in eos commouentur, improperantes cum acerba interrogatione, quòd & ipſi miniſtri ſeducti eſſent, qui tam facilè & leuiter Chriſto credidiſſent. Quid accidit? inquiunt. Num uos quoque, qui noſtri eſtis, nec ad promiſcuam multitudinem pertinetis, ſeducti eſtis? An non ſentitis impoſtorem eſſe? Si uerax eſſet, an non exiſtimatis uiros eximios, doctrina ſimul & authoritate præſtãtes, illius ſermones approbaturos fuiſſe? Nũc uidetis, ne quenquã ex eorũ numero, penes quos eſt religionis authoritas, et exacta

legis

legis peritia, ſermonibus illius fuiſſe perſuaſum. An uos mouet exemplum quorundam è media fece plebis hominum? Iſta turba rudis ac legis ignara, Deo execrabilis eſt. In tam ſceleratis molitionibus, exurgit è magnatum & Phariſæorum ordine uir multum grauis, & multæ authoritatis, Nicodemus, *ac cauſam innocentis* Domini *ſuſcipit tuendam. ait itaq;: Lex & ipſa æquitas iubent cuiuſuis hominis cauſam diligentiſſimè cognoſcere, imò ipſum audiri, & qualitatem facti eius iuſtá expendere lance, priuſquam condemnetur, aut conijciatur in uincula. Iniquum eſt ergo, & contra legis præceptum, quod contra Ieſum agitis. Ad hoc autem tam æquum & tam ciuile* Nicodemi *patrocinium, quum illi non haberent quod hiſcerent, non ſolùm non reſipiſcunt, aut placantur: ſed ipſius etiam authoritate contempta, conuicio petunt hominem: Turbæ & imperitis, inquiunt, uenia dari poterat: at non pudet te primatem ac legis doctorem, diſcipulum eſſe iſtius impoſtoris Galilæi? excute Scripturas, & nuſquam comperies uel exortum à Galilæa prophetam, uel exoriturum. O' impiam & ſtultam Phariſæorum reſponſionem. Sed nullum eſt iudicium, ubi mentem occupauit liuor & odium. Cæterùm his ultrò citroq; dictis dimiſſum eſt conſilium, ac ſuam quiſque domum abijt, dilata, non mutata ſacrilega uoluntate.*

CAPVT TRICESIMVMQVARTVM.

IEſus autem perrexit in montem oliuarum: & diluculo iterum uenit in templum, & omnis populus uenit ad eum, & ſedens docebat eos. Adducūt autem ſcribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerūt eam in medio, & dixerūt ei: Magiſter, hæc mulier deprehenſa eſt in adulterio. In lege autē mandauit nobis Dominus, huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? (hæc aūt dicebāt tentantes eum, ut poſſent accuſare) Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra. Cum autem perſeuerarent interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis: Qui ſine peccato ueſtrûm eſt, primus in illam lapidem mittat. Et iterum ſe inclinans, ſcribebat in terra. Audientes autem, unus poſt unum exibant, incipientes à ſenioribus: & remanſit ſolus Ieſus, & mulier in medio ſtans. Erigens autem ſe Ieſus, dixit ei: Mulier, ubi ſunt qui te accuſabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem ei Ieſus: Nec ego te condemnabo. Vade, & amplius noli peccare. Iterum ergo locutus eſt eis Ieſus, dicens: Ego ſum lux mundi. qui ſequitur me, non ambulat in tenebris: ſed habebit lumen uitæ. Dixerunt ergo ei Phariſæi: Tu de teipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum nō eſt uerum. Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Etſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, uerum eſt teſtimonium meum: quia ſcio unde ueni, & quò uado. Vos ſecūdum carnem iudicatis: ego autem nō iudico quenquam. Etſi iudico ego, iudicium meum uerum eſt: quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me pater. Dicebant ergo ei: Vbi eſt pater tuus? Reſpondit Ieſus: Neq; me ſcitis, neq; patrem meum. Si me ſciretis, forſan & patrem meum ſciretis. Hæc uerba locutus eſt Ieſus in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia nondum uenerat hora eius.

COMMENTARIA.

Poſt ſalutarem doctrinam turbæ communicatam, Ieſus ſeceſſit in montem Oliueti, *ut ſecretus à tumultu orationi uacaret. Summo autem mane facto, rediens* Dominus *ad intermiſſos per noctem labores, templum repetit. Hic populus ſuauitate doctrinæ Chriſti prius deguſtatæ allectus, certatim confluxit ad illum, ut eodem ſpirituali iterum paſcatur & reficiatur cibo. Neq; hunc pium populi ardorem pius* Dominus *ſuo fraudauit deſiderio, aut irritum eſſe paſſus eſt: ſed ſedens docebat eos, & eſurientibus pabula uitæ miniſtrauit. Scribæ uerò & Phariſæi illi inſidias ſtruunt, & moliuntur laqueos quibus irretiatur. Nactam ergo mulierem, in ipſo adulterij ſcelere deprehenſam, producunt ad ipſum* Dominum, *& ream ſtatuunt in medio, ut ſi Chriſti fuiſſet ſententia damnata, uileſceret apud plebem illa Chriſti magnifica & larga gratiæ & miſericordiæ prædicatio, uidereturq; crudelis eſſe, & humanum ſitire ſanguinem. Rurſus ſi abſoluiſſet pallàm adulteram, haberent quod in ipſum intentarent crimen, uiolatæ uidelicet legis:* Leuit. 20.

Iam ut ex ore Domini iudicium liberum prolicerent, Magiſtrum non ſine aſſentatione doloſa appellant, & adulteram coram eo ceu iudice accuſant. Ieſus autem oratione nihil reſpondit: ſed inclinans ſe deorſum, ipſo facto plus loquebatur. Sciebat quidem mulierculam ream eſſe peccatricem: ſed nouerat accuſatores, qui ſe iuſtos uideri uolebant, multo ſceleratiores eſſe quàm eſſet illa. Cum igitur importunis inſtarent interrogationibus Phariſæi, quid ſentiret in hac perplexa & ancipiti quæſtione factitandum, erexit ſe, & dixit: Iuſsit Moſes adulteras lapidari ſecundum legem: ſed ab ijs duntaxat, qui ſunt obſeruatores legis, non præuaricatores. Qui itaque ex uobis ſibi conſcius eſt, quòd legem non uiolauerit, primum in eam iaciat lapidem. Et iterum ſe inclinãs, ſcripſit. Quærunt hic interpretes, quid ſcripſerit in terram Dominus. Ac uidetur alijs, primò hæc ſcripſiſſe uerba: Terra eſtis, & de terra iudicatis. Alij uerò putant, ſcripta fuiſſe quæ pòſt erectus dixit uerba. D. autem Cyrillus: Quid primò, inquit, ſe inclinans Dominus ſcripſerit, quid ſecũdò, non explanat Euangeliſta: neque promptum eſt cuiquam id definire. Quamuis non deſint qui affirment, Dominum hac ſecunda inclinatione notas quaſdam terræ inſcripſiſſe, quibus quiſq; accuſantium ſua oculis coràm conſpiciebat peccata, et menti obiecta cernebat. At illud ſcriptum & reſponſum ſibi magnatum quiſq; metuens, ne proderetur à Ieſu, cui uidebant etiam occulta cordiũ non eſſe incognita, exibat è templo: & quo quiſq; erat honorabilior in plebe, hoc accelerabat magis, ne reperiretur inter poſtremos. Nam qui inter eos uidebantur religionis ac iuſticiæ columina, hi maximis uicijs intus madebant. Remanſit ergo ſolus Ieſus, & mulier adultera. Et Dominus rogat, ubi ſint accuſatores? ſignificans illos iniquos, maleq; ſibi cõſcios, cauſæ per omnia diffidere. Deinde interrogat, an quiſquam eam condemnarit? Si enim legitimè fuiſſet à Magiſtratu damnata adultera, nequaquam abſoluiſſet ipſam. Abſoluiſſet quidem ipſam pœnitentem, à peccato, pœnam autem & exemplum illud publicum non ſuſtuliſſet: quemadmodum in gratiam quidem recepit latronem, à pœna autem non liberauit. Quia autem adulteram nemo damnarat legitimè, ſumit inde occaſionem Dominus communicandi gratiam & dona ſua peccatrici: ut oſtenderet ſe omnibus ſeruandis ueniſſe, & quàm minimè uellet mortem peccatoris, ſed ut conuerſus uiueret. Ne quis uerò liberalem illam peccatorum remiſsionem crederet peccandi eſſe licentiam, Ieſus benignitatis ſuæ dulcedine abſolutam ſic abire iuſsit, ut amodò ſibi à peccato caueret: & ne in priora relaberetur mala, ſummo ſtudio uigilaret. Requirit ergo Dominus à pœnitentibus ſtudium innocentiæ, iuſticiæ, & ſanctitatis, dicente Apoſtolo: liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſticiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis ueſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra ueſtra ſeruire immundiciæ & iniquitati, ad iniquitatẽ: ita nunc exhibete membra ueſtra ſeruire iuſticiæ, in ſanctificationem: Rom. 6. Ablegatis igitur delatoribus, ac proditis cuiq; ſuis ſceleribus, ac dimiſſa peccatrice, pergit Ieſus ex hac occaſione ſermonem incœptum pertexere. Iterũ ergo locutus eſt eis, dicẽs: Sol, aſtrorum omnium longè pulcherrimum, unus eſt: ſed ſufficit tamẽ illuſtrandis fouendisq; rebus omnibus, ſed & mirificam in rebus creatis uim exercet: ita ego, tanquam Chriſtus, ſufficiens ſum omnibus uiuificandis, illuſtrandis, conſeruandisq;. Vera utiq; lux ſum, ut in prophetis ſcriptum legitur, omnium totius orbis hominum. Pſal. 111. Eſa. 9. Neminem ergo excipio, neminẽ excludo. Adiungit tamẽ, Qui ſequitur me. Sequitur, qui fide Chriſto firmiter inhæret, nec ulla re auellitur: Rom. 8. Is autem ex eo ampliſsimam capiet utilitatem. Primò enim, nõ ambulabit in tenebris: hoc eſt, non aberrabit à uero, non uolutabitur in ſceleribus. tenebræ enim ſunt peccata atq; errores. Deinde habebit lumẽ uitæ: id eſt, poſsidebit ipſum Chriſtum, qui lux eſt, ueritas & uita, illuminans ſuos fideles, exhilarans item animos illorum, atq; conſcientias tranquillas reddens. Porrò non tulit liuor Phariſæorum hanc magnificam & ueriſſimam prædicationem. Protinus igitur obſtrepũt illi coram multitudine & ſimplici plebecula, metuentes ne ipſis deſertis ſequeretur Ieſum. Et ut fidem adimant, impingunt mendacij crimen, ac dicunt: Tu ipſe tibi teſtis es. Arrogantis autem, & non ueracis eſt, ſuam iactare gloriam. Ad tam impium cõuiciũ reſpondẽs Dominus: Ego, inquit, nõ ſolùm mihi teſtis ſum, qui legis & prophetarum de me teſtimonium proferre poſſum. Vos exiſtimatis me purum hominẽ: at ego ſcio, me eſſe Dei filium ſupernè uenientẽ. Hac periphraſi Chriſtus diuinam ſuam notauit naturã. Venit enim à patre in mundũ, ad conſummandũ humanæ redẽptionis myſteriũ, & noſtræ carnis ſubſtantiã aſſumpſit, & peracto noſtræ ſalutis ſacramẽto rurſum ad patrẽ uadit. Phariſæi aũt neq; ipſum ut Dei filiũ à patre miſſum receperunt, neq; rediturum ad paternæ maieſtatis gloriam crediderunt. Neq; igitur unde uenit, aut quò uadat, ipſos tenere aptè conteſtatur.

Præterea,

*Prætereà: Vos, ait, ſolùm ſpectatis ad hoc quod apparet: & quia in carne ſum, carnem contemptā me eſſe ſuſpicamini. Iudicium igitur ueſtrum, quoniam non proficiſcitur à Deo, ſed ex humanis cupiditatibus, corruptum eſt ac falſum. Ego interim non iudico quenquam. Nondum enim iudicij tempus eſt, ſed conferendæ ſalutis. Et tamen ſi iudicarem de uobis, iudicium meum, quoniam non diſſentit à iudicio Dei, uerum eſſet. Non enim ſolus ferrem ſententiam: ſed ego ſimul, & pater qui me miſit, idem pronunciaremus, cum idem per omnia uelimus. * Quin & in lege ueſtra ſcriptum eſt, quòd duorum teſtimonium uerum ſit. Ego autem ſum, qui teſtimonium fero de meipſo: & teſtimonium fert de me, qui me miſit, pater. His dictis, quoniam Iudæi ſubinde audierant nomen patris unde miſſus eſſet, & cuius authoritate ſe communiret, demirantur, ſi de Ioſeph fabro, cuius filius tum uulgò credebatur, tam magnificè prædicaret. Quòd ſi de illo non ſentiret, cupiunt expiſcari, quis nam ſit alter ille pater, unde ueniſſet, & ad quem iret. Reſpondit Ieſus: Non poteſtis ſcire patrem meum, abſq; me. Atq; ita ſi putatis uos colere Deum, non creditis autem ipſum eſſe patrem meum, & quòd uerus ſim ipſius filius, nihil proderit uobis: neq; noniſtis eum, ut oportet agnoſcere: quia cognoſceretis & honoraretis etiam me. Fruſtra uobis oſtenditur pater, qui filium eius nō recipitis. Maledicta ſit incredulitas ueſtra, quæ in cauſa eſt, cur nihil Euangelici negocij capiatis. Huiuſmodi ſermonibus non intellectis, cum Ieſus uehementer in ſe prouocaret animos Phariſæorum, docens in loco templi frequentiſſimo, ubi ſeruabantur donata templo: nemo tamen iniecit illi manus: non quòd deeſſet illis uoluntas, ſed quòd Dei nutu non eſſet data facultas.*

* Deut, 17.

CAPVT TRICESIMVMQVINTVM.

Dixit ergo eis iterū Ieſus: Ego uado, & quæretis me, & in peccato ueſtro moriemini. Quò ego uado, uos non poteſtis uenire. Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet ſemetipſum? quia dicit: Quò ego uado, uos non poteſtis uenire. Et dicebat eis: Vos deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de mundo hoc. Dixi ergo uobis, Quia moriemini in peccatis ueſtris. Si enim non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato ueſtro. Dixerunt ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Ieſus: Principium, qui & loquor uobis. Multa habeo de uobis loqui, & iudicare: ſed qui miſit me uerax eſt, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt, quia patrem eius dicebat Deum. Dixit ergo eis Ieſus: Cum exaltaueritis filiū hominis, tunc cognoſcetis quia ego ipſe ſum, & à me ipſo facio nihil. Et ſicut docuit me pater, hæc loquor: & qui miſit me, mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Ieſus ad eos, qui crediderunt ei, Iudęos: Si uos manſeritis in ſermone meo, uerè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis ueritatē, & ueritas liberabit uos. Reſponderunt ei: Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus unquam: quomodo tu dicis, Liberi eritis? Reſpondit eis Ieſus: Amen amen dico uobis, quia omnis qui facit peccatū, ſeruus eſt peccati. Seruus aūt nō manet in domo in æternum: filius manet in æternum. Si ergo filius uos liberabit, uerè liberi eritis. Scio quia filij Abrahæ eſtis: ſed quęritis me interficere, quia ſermo meus non capit in uobis. Ego quod uidi apud patrē meum loquor, & uos quod uidiſtis apud patrē ueſtrū facitis. Reſponderūt, & dixerunt ei: Pater noſter Abrahā eſt. Dicit eis Ieſus: Si filij Abrahę eſtis, opera Abrahæ facite. Nunc aūt quæritis me interficere, hominē qui ueritatem uobis locutus ſum, quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris ueſtri. Dixerūt ergo ei: Nos ex fornicatione nō ſumus nati. unū patrē habemus Deū. Dixit ergo eis Ieſus: Si Deus pater ueſter eſſet, diligeretis utiq; me. Ego ēm ex Deo proceſsi, & ueni. neq; enim à me ipſo ueni, ſed ille me miſit. Quare loquelā meā nō cognoſcitis, quia nō poteſtis audire ſermonē meū. Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris ueſtri uultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate nō ſtetit: quia nō eſt ueritas in eo. Quū loquiť mendaciū, ex ꝓprijs loquiť: quia mēdax eſt, & pater eius. Ego aūt quia ueritatē dico, nō creditis mihi,

Obticeſcentibus Iudæis, ſed impias & parricidales cogitationes in animo uoluentibus, perrexit loqui Dominus Ieſus, & dixit: Nullus impietas impedire poteſt, quod ago iuſſu patris mei. Hoc peracto, uado ad eum qui me miſit: ac tum me fruſtra quæretis, & abſentem deſiderabitis, quem præſentem inceſſitis. Pollicitus eſt uobis Deus Meſſiam ſaluatorem, eum uobis me in mundum miſſo præſtitit. Hoc quia non creditis, me præconem ueritatis æternæ perſequimini. Moriemini ergo in peccato ueſtro, incredulitatis. Ego uado, nõ quò me ueſtra compellit impietas: ſed uolens eò uado, quò uos non poteritis inſequi. Hoc ænigmate ſignificauit Ieſus, ſe ſponte iturum ad mortem, deinde per mortem & reſurrectionem euehendum in cœlum, quò nullus iuxta mundum ſapiens euehi poſſit. Iudæi uerò pro more ſuo, quæ nõ rectè intelligebant, irridentes: Num ille, inquiunt, mortem ſibi conſciſcet? conſcientia nimirum ſcelerum deſperatus, ſemetipſum conficere ſtatuit? Ad hæc aiebat ille: Vos ex hoc mundo profecti, mundum ſapitis, & iuxta carnalem mundi ſenſum loquimini. Ego non ſum profectus ex hoc mundo, propterea ſublimiora loquor quàm uos poſſitis aſſequi: nec aſſequemini unquam, niſi relicta incredulitate dociles uos præbueritis. Vnica uia eſt effugiendi peccatorum tenebras, ſi me ueram illam in prophetis promiſſam lucem recipiatis. Vnica eſt uia ad uitam, ſi agnoſcatis eum qui ſolus per fidem Euangelicam à morte liberat ſempiterna. Quòd ſi uerò pertinaciter recuſetis credere, me eſſe illum per quem pater uelit omnes uitam ac ſalutem conſequi, ueſtra culpa moriemini in peccatis ueſtris. Neq; hic ſermo Domini Ieſu deſcendit in animos Phariſæorum, uſq; adeò mentes illorũ excæcauerat hic mundus nimium adamatus. Itaq; malitioſe, perinde ac ſi nihil hactenus uiderint aut audierint, unde ſcire poſſent quis eſſet, dicunt Ieſu: Tu quis es? Dixiſti, Ego ſum: & non addidiſti, quis nam ſis. Nunc ergo dic quis es, ut credamus. Ieſus autẽ præſcius illos calumniaturos quicquid reſpondiſſet, qui peruerſo ſtudio ſciſcitabantur, blandè reſpondet: Cupitis ſcire qui ſim? Sum principium omnium rerum, ex quo omnia ſuum ſumpſerunt exordium, & per quod omnia conſtant. Neceſſe eſt autem rerum omniũ autorem Deum eſſe. Hac autem principij nuncupatione, ſe Deum eſſe perſpicuè deſignauit. Cum autem ſubnectit, Qui & loquor uobis: ſe hominem pro nobis factũ inſinuat, qui præſens uerba à patre accepta hominib. annunciarit, explicaritq; patris uoluntatem: ſicq; (ut D. ait Cyrillus) & diuinam & humanam deſignauit naturam. Item ut confirmaret amplius doctrinam ſuam: Tanta, dixit, eſt ueſtrorum improbitas morum, tantus eſt in uobis Euangelij cõtemptus, ut multis id uix explicare queã. Hoc in præſenti tantum dixero, eum omnino ueracem eſſe, qui me miſit. Deus enim æterna & infallibilis eſt ueritas. Miſit autem me Deus, ueritatem itaq; doceo: & quæ audiui à Deo, apud quem eram prius quàm in mundum uenirem, hæc eadem, & nõ alia loquor in mũdo. Tanta autem erat craſſa Iudæorum cæcitas, ut quum toties memoraſſet patrem ſuum, nondum tamen intelligerent, quòd de patre cœleſti loqueretur: quòd nihil adhuc in eo credere poterant ſupra hominem. Plenius ergo & copioſius oſtendit Ieſus, ſe eſſe Dei filium, Saluatorẽ et redemptorẽ mundi: Putabitis uos, dicens, extra omnem ſollicitudinem & metum fore, & à me liberatos, quum me crucifixeritis: ego autem dico, quòd tunc ſcietis quòd ego ſum Chriſtus, filius Dei: ſiquidem intelligetis rem non humano modo geri, ſed patris mei uirtute. Quanquam enim ab eo miſſus ſum in mundum, non tamen ab illo deſeror: ſed ille ſemper adeſt mihi, per me uobis loquẽs & operans. Summus enim inter nos cõſenſus eſt. His clariſſimè docuit Dominus, & doctrinam ſuã eſſe diuinam, & ſe filium Dei & Saluatorẽ mundi. Atq; hæc doctrina non caruit fructu ſuo. Tametſi enim Phariſæorum grex, & nonnulli alij refragarentur Domino: tamen fuerunt in turba non pauci, qui ſpe bona ex his quæ promittebat Ieſus concepta, crediderunt illi. Dicebat ergo Ieſus ad eos: Parum eſt uobis, ſermonem meum auribus hauſiſſe, & ad tempus ſeruaſſe, neq; ullus ex eo prouenire poteſt fructus, initium id ſalutis eſt: tum agnoſcam uos germanos uerosq; diſcipulos meos, qui cœleſtem ueritatem profiteor, ſi in eo quod cœpiſtis, perſtiteritis: ac progreſſu temporis cognoſcetis omnem ueritatem, qui hactenus umbras Moſaicæ legis pro ueris eſtis amplexi, & cognita ueritas reddet uos liberos. Iudæi uerò non intelligentes ſermonem Domini, quòd ſcilicet loqueretur de animorum libertate, quæ ipſos à uicijs prauis ac mundanis cupiditatibus, & à tyrannide diaboli liberaret, à ſeruitute peccati, & reſtitueret in libertatem iuſticiæ: indignabundi (tumebãt enim nobilitate maiorum iuxta carnem) reſpondent: Nos poſteritas Abrahæ patriarchæ ſumus, ingenui ex ingenuis prognati, nec ulli unquam ſer

uitutem

uitutem ſeruiuimus. O' pellis inflata: ait D. Auguſtinus. Quomodo uerum dixiſtis: Nemini ſeruiuimus unquam? Ioſeph nónne uenundatus eſt? Prophetæ ſancti in captiuitatem non ſunt ducti? Nónne ipſe ille eſt populus, qui in Aegypto lateres faciebat, & regibus duris non ſolùm in auro & argento, ſed in luto ſeruiebat? Et poſt pauca: An fortè patres ueſtri ſeruierunt: uos autem qui loquimini, nemini unquam ſeruiſtis? Quomodo ergo ſoluebatis iam tributa Romanis? Cæterùm quum illi omnino ueritatis eſſent ignari, Dominus Ieſus apertè docet, quam ſeruitutem ſenſerit: Videmini, inquit, uobis maximè eſſe liberi: ſed reuera ſerui eſtis. Nam illud longè certiſſimum eſt, illum eius eſſe ſeruum, cui ſe præbet morigerum. Cum autem uos addicti ſitis peccatis, diabolum habetis dominum. nam hic peccatis obnoxijs dominatur. Verùm ut ſeruus non manet in domo, nec habet ius perpetuum, ſed exigitur domo quum uiſum eſt domino: ita mancipium peccati, tametſi uideatur Deum habere propitium & amicum, excluditur tamen ſuo tempore à conſortio Dei & ſanctorũ. Filius autem quoniam hæres eſt ac Dominus domus, perpetuum habet ius in domo: nec ſolùm ipſe uerè liber eſt ab omni ſeruitute, uerùm etiam alios poteſt libertate donare. Scio uos iuxta carnem genus ducere ab Abraham: uerùm id non ſufficit, niſi etiam moribus ingenium patris exprimatis. Si ueri uultis uideri filij Abrahæ, referte patrem factis: credite ſermoni Dei. Vos autem uidete, quantum abſitis à moribus patris ueſtri. Abraham nihil hæſitans de promiſſis, quanquam reclamante natura: tamen credidit angelo, per quem illi Deus loquebatur. Mihi quem uidetis, & per quem Deus uobis loquitur, maiora pollicens quàm olim pollicitus eſt Abrahæ, non ſolùm non creditis, ſed etiam malitioſis conſilijs necem machinamini: & non aliam ob cauſam quàm quód ueritatem uobis loquor, non quam ex me comminiſcor, ſed quam audiui ex Deo. Ita ſanè Abraham non agnoſcet uos filios, qui rem tam impiam molimini: & ab illius moribus longè diſſidentem alium habeatis patrem oportet, quiſquis is eſt, cuius ingenium exprimitis. His dictis iritatiores facti Iudæi, pergunt obſtinatè ſuam aſſerere nobilitatem, præſertim cum ex contextu colligant, quem patrem ipſis deſignet. Quem, inquiunt, tu patrem alium nobis aſſignas? nos ſumus legitimi Abrahæ filij. Deus enim elegit nos, & ſeparauit ab omnibus gentibus. Hinc ſumus regale illud ſacerdotium, gens ſancta, & peculium illud Dei, adeóq; dilecti filij Dei, ſicut dixit Deus: Filius meus primogenitus Iſrael. Hoc reſponſum cum haberet impiam impudentiam (quid enim impudentius, quàm ſe iactare filios Dei, qui ſibi talium ſcelerum erant conſcij, quíq; filium Dei captarent ad necem?) ſeuerius retudit: Vanum eſt, inquit, quod iactatis uos filios Dei eſſe. Si enim Deus uobis pater eſſet, non poſſetis me non diligere. Quicunque enim diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus eſt ex eo. Ego autem genitus ſum ex patre. Ex Deo proceſſi, & ueni: proceſſi quidem generatione æterna & ineffabili ſecundum diuinitatem, Deus ex Deo, omnipotens de omnipotente, æternus de æterno: ueni autem ſecundum aſſumptam humanitatem in hunc mundum. Hæc mea uerba hauritis quidem auribus corporis: at haudquaquam menti ueſtræ inſident infixa, neq; ſatis intelliguntur: uſqueadeò cor ueſtrum liuore & inuidia intabuit, ut non poſſitis benignis auribus recipere ſermonem meum, neque æquo animo illum ferre. Vos igitur ex morum ſimilitudine, non Dei, non Abrahæ, ſed diaboli eſtis filij. Omnis homo (inquit D. Cyrillus) in quantum à Deo creatus eſt, bonus eſt: in quantum uerò per liberum arbitrium peccando ſe ſubijcit diabolo, filius eſt diaboli, per operum imitationem. Tales autem erant Iudæi, & proinde quærebant Dominum Ieſum interficere. Et hæc reuera erant deſideria diaboli, qui mortis eſt princeps, mortis habens imperium, & uitæ exterminator. Dicit præterea Ieſus, diabolum homicidam eſſe: eapropter certè, quia contra primum hominem non ferro accinctus, ſed mendaci & letifera perſuaſione armatus uenit: nec eum gladio, ſed uerbo necauit, cum illi ſuggeſſit, Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. Quare etiam à ſemetipſo mendax fuit, quia à nemine didicit mendacium, ſed ipſe ſuum genuit mendacium. Porrò fuit hic quidem in ueritate & iuſticia: ſed in ea non permanſit. Bonus ſanè conditus erat diabolus à Deo, fuítq; ei innata bonitas: quam quamdiu ſeruauit, in cœlo manſit: quamprimùm autem eam perdidit, cœlo delapſus eſt. Verùm non propterea dictum eſt ab initio diabolum peccare, quia formatus fuerit à Deo malus: ſed quia ab ipſius peccati exordio, ut D. inquit Cyrillus, (quod ab eo cœpit originem: nam antè illius lapſum non erat peccatum) præuaricatus eſt Dei legem, prolapſus'que à natiua bonitate ſua, & decidit in prauitatem, à qua nunquam deſtitit: ſed in ea continuè perſtat, ſemper mala malis accumulans, & praua ſuggerens,

ſuggerens. Sic nulla eſt in eo ueritas: ſed fons, origo & princeps mendacij eſt, erroris, peccati, & omnis mali. Cæterùm non deſinit Chriſtus ipſis Iudæis ueritatem profiteri. itaq; dicit: Deus fons eſt omnis ueritatis: & quiſquis ueritatem ad Dei gloriam loquitur, non ex ſe loquitur, ſed ex Deo. Si igitur durum eſt uobis, diabolum patrem habere, & mendacio ludificari: cur mihi ueritatem dicenti non creditis? quare ad uerba mea obſurdeſcitis? neque ſinitis illa in animos ueſtros ſubire? offertur ultrò uobis ueritas: cur eam ſpernitis? quid eam conculcatis?

CAPVT TRICESIMVMSEXTVM.

QVis ex uobis arguet me de peccato? Si ueritatem dico, quare non creditis mihi? Qui ex Deo eſt, uerbum Dei audit. Propterea uos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Non'ne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum: & uos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam. eſt qui quærat, & iudicet. Amen amen dico uobis: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non uidebit in æternum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonum habes. Abraham mortuus eſt, & prophetæ: & tu dicis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternùm. Nunquid tu maior es patre noſtro Abrahã, qui mortuus eſt? & prophetæ mortui ſunt? Quẽ teipſum facis? Reſpondit Ieſus: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus qui glorificat me, quem uos dicitis, quia Deus noſter eſt: & non cognouiſtis eum. ego autem noui eum. Et ſi dixero, neſcio eum, ero uobis ſimilis mendax: ſed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo. Abraham pater ueſter exultauit ut uideret diem meum: uidit, & gauiſus eſt. Dixerũt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidiſti? Dixit ergo eis Ieſus: Amen amen dico uobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit è templo.

COMMENTARIA.

Iudæi tacitè apud ſe cogitabant: non deſunt nobis cauſæ legitimæ, quæ obſtant quo minus credamus prædicationi tuæ. Ad hanc ergo obiectionẽ reſpondens Dominus, grauiterq; expoſtulans cũ eis: Quis, inquit, ueſtrûm conuincit me peccati, erroris, delicti, & rei nõ ritè legitimeq; adminiſtratæ? Diſquirite uitam meam: uerba & opera mea diſcutite: nihil omnino quod uerè redarguere poſſitis, occurret. Si igitur in uita mea eſt ſinceritas, & in uerbis ſola ueritas: quid uos auertit à fide? quid uos diſtrahit, quo minus credatis? Quiſquis ex Deo prognatus eſt, ut germanus filius, audit uerba Dei patris ſui. Et illud arguit, uos ex Deo patre non eſſe prognatos, quia ueritatem ab illo profectam audire non ſuſtinetis. Huiuſmodi autem ſermonibus magis etiam efferati Iudæi, reſpondent: Nónne rectè de te pronunciamus, quòd Samaritanus ſis, ac dæmonium habeas, quum Iudæus uideri uelis, & Deum patrem iactites? Tu quidẽ arte magica omnia tua perficis opera: Satanæ confœderatus es, cui pares in omnibus. Ad tam inſanam cõtumeliam quid reſpondit clementiſſimus Ieſus? Ad Samaritani conuicium, quanquam uulgò magni probri loco habebatur, tamen quoniam nihil aliud erat quàm impotentis iræ maledictum, nihil omnino reſpondit: ſed ad hoc quod ipſum dæmoniacum eſſe conuiciabantur. agebatur enim hic de gloria Dei, uidebaturq; & ueritas & certitudo doctrinæ ſuæ labefactari. Ait autem: Mihi cum nullo dæmone cõmercium eſt: nec ideo me iacto de patre Deo, ut ex mendacio mihi gloriam conciliem, ſed ut per me pater apud homines glorificetur. Ego quidẽ ut non ſum affectator gloriæ meæ, ita non ſum ultor meæ contumeliæ: nec ob id tamen exiſtimetis uobis impunè fore, quod me probris afficitis. Eſt enim qui et quærat gloriam meã, & contumeliam ulciſcatur, niſi reſipueritis. Illud habetote pro certiſſimo, ſi quis obtemperauerit ſermonibus meis, mortem non uidebit in æternũ. Hoc dixit Dominus Ieſus (ut D. docet Auguſtinus) quia uidebat aliam mortem, de qua nos liberare uenerat: mortem uidelicet ſecundã, mortem æternam, mortem damnationis cum diabolo & angelis eius, quæ ſola uera eſt mors, & magnopere formidanda: ut D. Cyrillus inquit. Eſt enim ſeparatio intermina à fonte uitæ perennis, & ne

unquam

unquam finiatur ſemper recrudeſcens. Quum uerò inſipientes illi non intelligerent, de qua morte Dominus diceret, quæ credentes in ſe læſura non eſſet: loquuntur ad eum ſtultiſſima & inſipientiſſima uerba, dicentes: Ex illo tuo ſermone certius etiam cognouimus, te dæmoniacum eſſe, & furioſum, qui hoc promittas ſeruantibus ſermonem tuum, quod nec laudatiſſimis contigit patriarchis & prophetis. obtemperarunt illi uerbis Dei, & nihilo ſecius mortui omnes: et tu promittis immortalitatem ijs qui ſeruauerint ea quæ doces? Qua fronte tu promittis alijs, quod ipſe non habes? ipſe mortalis, alijs promittis immortalitatem? Abrahā & prophetæ nil tale ſunt auſi cuiquam promittere. quin & illi mortui ſunt. Quid tibi arrogas? quem teipſum facis? Non eſt ferenda æquo animo tua ſuperbia, qua teipſum uſq; adeò tumidè effers. Hic uideamus admiratione dignam clementiam Chriſti. Quanto enim maiori pertinacia obnituntur illi conatibus ipſius, tanto maiore benignitate conatur eos ad uiam rectitudinis adducere: Ego, inquit, nihil arrogo mihi falſò. Certè ſi gloriam meam hominum more uenarer apud homines, uana & inanis eſſet mea gloria: nunc uerò pater meus me glorificat, teſtificans me talem eſſe, qualem me eſſe aſſero. Teſtificatur autem id oraculis, ſignis ſiue miraculis, & compluribus argumentis. Eum appello patrem meum, quem uos dicitis Deum eſſe ueſtrum, quem uos iactatis eſſe patrem: cuius quidem ſi uerè eſſetis filij, nimirum agnoſceretis eius legatum, nec eum afficeretis contumelia, quem ille ueſtræ ſalutis cauſa miſit in mundum. Verùm ut falſa religione colitis eum: ita falſò uindicatis uobis eius noticiam. Ego autem noui eum: peculiari uidelicet modo, ſicut coæqualis ſapientia & uerbum patris, qui è ſinu eius proceſſi & ueni. Et ſi negem me noſſe patrem, & huius eſſe æqualem, tam ſum futurus futilis & mendax, quàm uos eſtis, qui profitemini Deum eſſe patrem ueſtrum, cum ſitis filij diaboli. Ab illo miſſus ſum, & apud illum fui, antequam uenirem in mundum. itaque noui eum: & quicquid ille mihi mandauit, ſeruo. Illud modò dicam, quòd Abraham, quem uos admiramini potius quàm imitamini, quantus quantus fuit, tamen exultauit, ſibiq; felix futurus eſt uiſus, ſi cōtigiſſet uidere diem meum. Ac uidit, quod optauit. Hoc in loco, inquit D. Chryſoſtomus, crucem mihi ſignare uidetur, quam in arietis oblatione Iſaac præfigurauit. Et idem ſentire uidetur D. Irenæus, quando ait: Propheta cum eſſet Abraham, & uideret in ſpiritu diem aduentus Domini & paſſionis, per quem ipſe quoque, & omnes qui ſimiliter ut ipſe credidit, credunt Deo, ſaluari inciperent, exultauit uehementer. Sit hoc tamē, incarnatum iam pro generis humani ſalute Dei filium uidiſſe, piè credendum, quādo iam (ut D. loquitur Cyrillus) in placida ſanctorum patrum requie poſitus, cognouit filium Dei aſſumpſiſſe carnis noſtræ ſubſtantiam. Et id quidem cognouit Abraham completum eſſe per teſtificationem iuſti Simeonis, qui poſt Dominum ſuſceptum in ulnis requieuit in pace, & intimauit ſanctis patribus eum iam natum: aut per denunciationem angelorum ſanctos patres uiſitantium. ſæpius ſiquidem illi hoc gaudium magnum ſtatim annunciauerunt paſtoribus, excubias agentibus circa gregem ſuum. Cæterùm Iudæi diuinæ in Chriſto naturæ maieſtatem non attendentes, ad ſolam humanæ formæ figuram defigebant oculos, & illius ætatem annis humanæ durationis metiebantur. Scimus quidē, inquiunt, diuinum hominē fuiſſe patrem noſtrum Abraham, ac eum firmiſſimè credidiſſe Dei diuinis promiſſionibus, de Chriſto pollicentibus: at ut propterea te recipiamus, nullo pacto fiet. impudentem enim & mendacem te audimus hominem eſſe. Quomodo enim tu uidiſti eum, qui duobus annorum millibus te anteceſſit? His tandem improbis & craſſis illorum prouocatus conuicijs Ieſus, palàm ſe aſſerit eſſe Deum uerum, & ait: Illud etiam atq; etiam confirmo uobis, licet nondum credituris: antequam Abraham naſceretur, ego ſum. Appendenda uerba, & agnoſcendum myſterium. Non enim dixit: Antequam Abraham eſſet, ego eram: ſed, Sum. Iſtud enim uerbum Sum, Deo propriè conuenit, & ſignificat diuinam eius ſubſtantiam, & quòd perpetuus ſit, & ſempiternus. Habemus ergo irrefragabile diuinæ Chriſti naturæ argumentum, & quòd non tunc primùm cœperit, quando in utero uirginis conceptus eſt: ſed ab æterno eſt. Iuxta humanam naturam cœpit, cum conceptus eſt, & è ſemine Abrahæ atq; Dauidis, hoc eſt, ex D. uirgine Maria natus eſt. Abeant ergo in malam crucem hæretici, quibus hactenus ſecus uiſum fuit. Cum porrò Dominum Iudæi rationibus conuincere non poſſent, nec ſuis uerbis amplius obſiſtere, uelut amentes & furore concitati, ipſum ut blaſphemum lapidibus obruere parant, neq; habita loci ſacri ratione, neq; ſeruato recto ordine iudicij, cum iubeatur lapidandus duci extra ciuitatem & caſtra: Leuit. 14. Dominus uerò ſua magna potentia inuiſibilem ſe fecit inſidiatoribus, & ſubduxit ſe illorum furori, & clanculum egreſſus eſt templū, ipſo facto præ-

ludens, futurum ut Euangelica lux ab impijs ac ſuapte ſponte cæcis Iudæis repulſa, demigraret ad gentes: necdum erat hora, ut pateretur pro generis humani ſalute.

CAPVT TRICESIMVMSEPTIMVM.

ET præteriens Ieſus, uidit hominem cęcum à natiuitate. & interrogauerūt eum diſcipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic aut parētes eius, ut cæcus naſceretur? Reſpondit Ieſus: Neq; hic peccauit, neq; parētes eius: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo. Me oportet operari eius opera qui miſit me, donec dies eſt. Venit nox, quando nemo poteſt operari. Quādiu ſum in mundo, lux ſum mundi. Hæc cum dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei: Vade, & laua in natatoria Syloe, quod interpretatur miſſus. Abijt ergo, & lauit, & uenit uidens. Itaq; uicini, & qui uiderant eum prius (quia mendicus erat) dicebant: Non'ne hic eſt qui ſedebat & mendicabat? Alij dicebāt, Quia hic eſt: alij autem, Nequaquam, ſed ſimilis eſt eius. Ille uerò dicebat: Ego ſum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti ſunt tibi oculi? Reſpondit: Ille homo qui dicitur Ieſus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriā Syloe, & laua: & abij, & laui, & uideo. Et dixerunt ei: Vbi eſt ille? Ait: Neſcio. Adducunt eum ad Phariſæos qui cæcus fuerat. Erat autem Sabbathum, quādo lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi, quomodo uidiſſet. Ille autem dixit eis: lutum poſuit mihi ſuper oculos, & laui, & uideo. Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: Nō eſt hic homo à Deo, qui Sabbathum nō cuſtodit. Alij autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et ſchiſma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta eſt. Non crediderūt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuiſſet, & uidiſſet, donec uocauerunt parentes eius qui uiderat, & interrogauerunt eos, dicentes: Hic eſt filius ueſter, quem uos dicitis, quia cæcus natus eſt? quomodo ergo nunc uidet? Reſponderunt eis parentes, & dixerunt: Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cęcus natus eſt: quomodo autem nunc uideat neſcimus, aut quis eius aperuit oculos neſcimus: ipſum interrogate, ætatem habet, ipſe de ſe loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iam enim conſpirauerant Iudæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt: ætatem habet, ipſum interrogate.

COMMENTARIA.

Ceſſit Dominus Ieſus ad tempus illorum Iudæorum furori, quos uidebat adhuc inſanabiles: ac miraculis declarare potentiam ſuam diuinam aggreditur, quam oratione nondum poterat perſuadere. Et ecce ſtatim obuium eſt argumentum. Vidit enim cæcū, ueluti miſereſcens hominis ob morbum illum incurabilem. Adijcitur autem, cæcum fuiſſe à natiuitate: ut rei conſideraretur magnitudo, miraculi nouitas & ueritas. Hunc cum uidiſſent diſcipuli, meminerunt quòd paralytico ſanato dixiſſet Dominus: Vade, & noli poſthac peccare, ne quid accidat tibi grauioris mali. ſuſpicabantur omne corporis uitium ex animi uitio naſci. de cæco ergo percontantur, cuius uitio accidiſſet, ut cæcus naſceretur: uel num parētum peccata commeruerint calamitatem illam. Cui ipſorum errori Dominus Ieſus mederi cupiens, oſtendit non ipſo illorum peccato factum eſſe, ut à natiuitatis exordio uiſu priuaretur: quin potius ut illius illuminatione declaretur gloria diuinitatis Domini. Statuit enim Deus in hoc homine ſuam declarare potentiā, & demonſtrare, Ieſum filium ſuum ueram eſſe mundi lucem, & illuminatorem tenebrarum. Idcirco & Dominus Ieſus porrò ait: Breui in terris uerſabor tempore. hoc ergo quod reliquū ſupereſt tempus, optimè collocari, eaq; operari oportet, quibus manifeſtè illuſtratur Dei gloria. Quòd ſi homines properāt, ut opus quod ad huius uitæ uſum obeūt, abſoluant ante ſolis occaſum: quāto magis annitendum eſt mihi, ut id maximè & iuſto in tempore ante mortem meam perficiam, propter quod miſit me pater? Miſit autem ut ſim lux mundi. Proinde

nunc

nunc maximè tempus eſt probandi operibus diuinis & factis luce dignis, quòd ipſiſſima ſim totius mundi lux. Hoc cum dixiſſet Ieſus, expuit in terram, & fecit lutũ. Hac equidem luti compoſitione & linitione ſuper oculos Dominus docuit (ut D. Cyrillo placet) ſe eſſe creatorem, qui in principio uſus eſt luto ad hominis formationem. Ideo autem non aqua utitur ad lutum faciendum, ſed ſputo: ut nihil adſcribatur fonti: ſed diſcas, quoniam uirtus oris eius oculos aperuit cæci, & plaſmauit. Et deinde ad Siloe piſcinam miſit, ut cum multos contingeret, exinde eum uidere euntem, & lutum ſuper oculos habentem, pluribus manifeſta fieret eius illuminatio, & noua uiſus reſtitutio. Siloam autem fontem eſſe ad radices montis Sion, ſcribit S. Hieronymus: qui non iugibus aquis, ſed incertis horis diebusq; ebulliat, & per terrarũ cõcaua & antra ſaxi duriſſimi cum magno ſonitu ueniat. Ad has igitur aquas ubi uenit cæcus, ut erat iuſſus, abluit lutum ab oculis, ac domum rediјt apertis oculis, uidens clarè. Qui ut ob mendicitatẽ uulgò erat notiſſimus, ita claritas huius ſigni obſcurari aut occultari nõ potuit. A` uicinis enim & notis eius primùm perſpecta eſt, qui hunc illuminatũ, prius cæcum & mendicum nouerant. Diſſentientibus autem illis inter ſe, ipſe neq; uerecundatus eſt de priori cæcitate, neq; formidauit furorem plebis, imò inquit: Sum idem ille mendicus, & cæcus à natiuitate, quem ſæpe uidiſtis. Cumq; ille conſtanti animo hominem Ieſum hoc feciſſe oſtenderet, tum adducunt eum ad Phariſæos, ut apud hos re ſimpliciter narrata proderet Ieſum, quòd uiolaſſet ſabbathum. Videbatur enim illis Ieſus, opere illo ſuo ſeu beneficio præſtito ipſi cæco, uiolaſſe ſabbathum. Licet autem ex illis qui adduxerãt cæcum, omne miraculi negocium intellexiſſent Phariſæi: rurſus tamen percontantur hominem, quomodo ex cæco factus ſit uidens. Id quod non citra Dei prouidẽtiam eueniebat. Ita enim inuitis etiam omnibus Chriſti hoſtibus, & clarè & copioſè uirtus Chriſti prædicabatur. Itaq; cæcus nihil metuens, & ſimpliciter & liberè ut res habebat narrans: Lutum, inquit, temperatum ſaliua inunxit oculis meis, iuſſusq; laui in piſcina Siloe, & ecce uideo. Verùm etſi tam euidẽs & manifeſtum eſſet ſignũ quod patrarat Dominus, ut uel infeſtiſſimi Chriſti hoſtes inficiari non poſſent: nihilominus tamẽ ex peruerſa legis intelligentia capiunt calumniandi anſam. Præcipiebatur autẽ in lege, ne ſeruile opus quiſquam faceret in ſabbatho. Quòd ergo in ſabbatho lutum fecerat Ieſus, & inunxerat cæci oculos, colligũt quidã, ipſum uiolaſſe ſabbathũ: ideóq; nõ miſſum eſſe à Deo, ſed planè Dei aduerſarium, qui ſe opponat uoluntati diuinæ. Alij uerò ſanabiliores magnitudine & nouitate miraculi conuicti, æquius proferunt iudicium: Si hic, inquiunt, non eſſet Deo gratus, quomodo potuiſſet tantum edere miraculũ. Res ipſa loquitur, hæc præſidio Dei fieri. Ad huncq; modum de Ieſu uariatum eſt inter illos ſententijs. Phariſæi ergo undecunq; captantes calumniandi anſam, rurſus appellant eum qui cæcus fuerat, ut diceret, quid nam ipſe ſentiret de Ieſu: ut ſi malè prædicaſſet de Ieſu, haberent quod obijcerent illis qui de ipſo mediocriter ſentiebant: ſin uerò benè, ſæuirent in ipſum hominem. Mendicus autem ſimpliciter & intrepidè pronunciat, quid nam ſentiat, nimirum Ieſum eſſe Prophetam: hoc eſt, uirum magnum quempiam, & inſignem, nec non diuinum, atq; à Deo miſſum. Hac reſponſione offenſi illi malicioſi uiri, nouam inſtituunt inquiſitionem, ſperantes ea ſe occaſionem inuenturos, qua gloriam Chriſti obſcurent, ſuam exiſtimationem uindicent. Vocarunt igitur parentes eius, qui peculiaribus etiam indicijs noſſe poterant filium ſuum. Illi uerò interrogati reſpondent: Hoc quod habemus indubitatum, teſtari poſſumus: hunc eſſe filium noſtrum, apud uos ingenuè fatemur: deinde conſtat nobis, quòd idem ille cæcus natus ſit: redditi autem uiſus neq; modum neque authorem nouimus. Hoc ipſe certius quàm nos teſtabitur. Neq; enim puer eſt, ut neſciat quid acciderit: ſed habet iuſtam ætatem, & ſana utitur ratione. Hæc dicebant parentes, non quòd neſcirent quid accidiſſet filio: ſed maluerunt illum unum uenire in periculum, quàm communi periculo inuolui cum filio. Iam enim Iudæi communicatis conſilijs concluſerant, ut ſi quis auderet Ieſum profiteri Meſſiam, eijceretur è ſynagoga: quod apud Iudæos magni probri loco ducebatur.

CAPVT TRICESIMVMOCTAVVM.

VOcauerunt ergo rurſum hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo: nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt. Dixit ergo eis ille: Si peccator eſt, neſcio: unum ſcio, quia cæcus cum eſſem, modò uideo. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Reſpondit eis: Dixi uobis iam, & audiſtis: quid iterum uultis audire? Nunquid & uos

uultis diſcipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis: nos autem Moſi diſcipuli ſumus. Nos ſcimus, quia Moſi locutus eſt Deus: hunc autem neſcimus unde ſit. Reſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile eſt, quia uos neſcitis unde ſit, & aperuit meos oculos. Scimus autem, quia peccatores Deus non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & uoluntatem eius facit, hunc exaudit. A' ſeculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquam. Reſponderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foràs. Audiuit Ieſus quia eiecerunt eum foràs, & cum inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei? Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Ieſus: Et uidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum. Et dixit ei Ieſus: In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident, uideant: & qui uident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex Phariſæis qui cum ipſo erant, & dixerunt ei: Nunquid & nos cæci ſumus? Dixit eis Ieſus: Si cęci eſſetis, non haberetis peccatum. Nunc uerò dicitis, Quia uidemus: peccatum igitur ueſtrum manet.

COMMENTARIA.

Factum euidentius erat, quàm ut diſsimulari negari'ue poſſet: tamen ut facti laudem à Chriſto auertant maleferiati homines illi, aiunt: Quòd ex cæco factus es uidens, noli aſcribere Ieſu: ſed gloriam iſtius beneficij tribue Deo, à quo omne bonum proficiſcitur. Nos enim certum habemus, quòd hic Ieſus homo ſceleroſus eſt, cui cum Deo non poteſt ullum eſſe commercium. Ad hæc cæcus fortiter & circumſpectè reſpondens: An homo ſceleroſus ſit, inquit, alij uiderint, de hoc pronunciare non eſt meum. Vnum illud uerè teſtari poſſum, quòd ipſa re comperi, me prius fuiſſe cæcum, & nunc uidere. Hic quum Phariſæis nulla ſatis idonea daretur anſa, uel calumniandi Ieſum, uel in hominem ſæuiendi, & tamen ſentirent ſpe ſua ſe fruſtratos: tandem uix animi compotes, quid primùm porrò dicerent, ignorabant. Ad ſuperiores ergo percontationes uoluuntur, nimirum fore ſperantes, ut ex re aliter narrata aliquid decerperent: unde perſuaderent, hoc laudis non deberi Chriſto. Aduerſus tam impudentem Phariſæorum malitiam iam mendicus factus confidentior, reſpondit: Modò apertiſsimè expoſui quod geſtum eſt, quorſum iam attinet eadem repetere? An ideò percontamini facti modum, ut re exactè cognita, uos quoque uelitis fieri illius diſcipuli, per quem Deus tanta operatur? Hac tanta mendici confidentia Phariſæi irritati, nihil reſpondent: ſed conuiciantur, id imprecantes homini ueluti ſummum malum, quo ſolo poterant ipſi quoque felices reddi: Tu, inquiunt, ſceleſte ſceleſti illius diſcipulus eſto. Habemus Moſen magiſtrum & doctorem noſtrum, quem certiſsimè nouimus à Deo miſſum, approbantibus id uarijs & multiplicibus ſignis: Ieſum autem iſtum cur audiamus, qui unde profectus ſit, neſcimus? imò cum ſceleratus ſit homo, colligimus ipſum nequaquam miſſum eſſe à Deo. Cum autem bonus ille homo ſentiret, illos omnibus technis moliri perniciem aduerſus Ieſum: accepta fiducia, & omnibus contemptis periculis, il'ı u. cauſam agit. Per admirationem autem, & ueluti ab abſurdo ſermonem ſuum auſpicans: Admiror, inquit, cur dicatis uos neſcire unde ſit Ieſus, illuminator ille meus. Certè illud extra controuerſiam eſt, Deum non audire uota peccatorum: ſed ſi quis eum piè colit, & eius quem colit religione, uoluntati obtemperat, hunc audit. Exaudiuit autem Deus iſtum Ieſum, illuminatorem meum: ſiquidem talem poteſtatem ei contulit, ut à me ab incunabulis inſitam & congenitam cæcitatem depulerit. Porrò dicet quiſpiam (inquit D. Cyrillus) Si Deus peccatores non exaudit, quomodo exauditus eſt publicanus ille, qui in templo Dei à longè ſtans, & oculos in terram demittens, pectusq; pugnis percutiens, dicebat, Deus propitius eſto mihi peccatori? Lucæ decimooctauo. Huic dicetur, quòd exaudiuntur peccatores à Deo, ſi reſipiſcant à peccatis, ſi mala præterita lachrimis abluant, dicente Dauid: Exaudiuit Dominus uocem fletus mei, exaudiuit Dominus deprecationem meam. Pſal. 27. Ab ipſo uerò execrantur, qui perſeuerant in malicia ſua, & præteritis peccatis quotidie noua accumulant, fiuntq; indies deteriores. Sic abiecit Deus Iudæos olim, teſte Hieremia: Hierem. tertio. Vbi dixerunt illi: Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus te Deum noſtrum, idcirco tu inexorabilis es.

es. Cæterùm quum non habent Phariſæi, quo diluant quod dixerat ille, feruntur in dicentis perſonam, ac inquiunt: Adeò ſceleribus & flagitijs nephandis prouocaſti diuinam in te uindictam ſceleratiſſime, ut cæcitate percuſſus, dignas dederis ultori Deo pœnas. Ac tu cum talis ſis, nos doces? Nos quidem reuerentes Dei ſupremi ſacerdotes ſumus, qui religionis arcem & legis profeſſionem tenemus. Mira in te eſt confidentia nebulo, ut qui antè ſtipem à nobis emendicabas, nunc auſis hic apud tantos uiros philoſophari. Et ſimul diris deuouerunt, atque excommunicarunt eum omnibus, ipſum declarantes indignum, cuius conſortio & familiaritate utantur boni uiri. Hoc impium factum renunciatum eſt Domino Ieſu, & reſciuit quàm fortiter ſeſe geſſiſſet apud Phariſæos cæcus ille illuminatus, ut præco cordatiſſimus beneficij accepti. Vt igitur nactus eſt illum obuium, quo fidem ipſius omnibus faceret magis conſpicuam, & eius ſe fidem plurimi facere demonſtraret, poſt tantam cum Iudæis controuerſiam, poſt tot uerba & contentiones: Heus tu, ait, credis in filium Dei? Contumelia me populus ille affecit: ſed nihili pendo. magis me afficit tua fides, ut cum cæteris credas, ſic Deum dilexiſſe mundum, ut nec proprio parceret filio ſuo, quin mitteret eum in mundum: ut omnis qui credat in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Cæterùm is qui cæcus fuerat, quum Ieſum de facie nondum noſſet, magno tamen affectu ſic quoque noſſe cupiens eum, quem diceret filium Dei: Quis eſt, inquit, ille, Domine? ut ſi norim, credam in illum? Ieſus itaque modeſtis uerbis ſignificans, ſe eſſe de quo loqueretur, ait: Quem uidere cupis, iam uidiſti: & qui nunc loquitur tecum, ipſe eſt in quem oportet credere. Hæc tam clara & certa Ieſu uerba ubi audiuit ille, nihil cunctatus, ſed magna alacritate exclamat: Credo te eſſe filium Dei, & propterea omnem in te meam figo fiduciam: ſimulque cum dicto accidit ad genua, & adorauit eum: re nimirum ipſa declarans, quid ſentiret de eo. Et nos (inquit D. Damaſcenus) filium Dei Chriſtum cum patre & ſpiritu ſancto adoramus: corporeum quidem ante humanitatis aſſumptionem, & nunc eundem incarnatum, & factum hominem, & cum hoc Deum exiſtentem. Caro igitur eius ſecundum naturam ipſius inadorabilis eſt, ut creatura: unita autem Deo uerbo, propter ipſum & in ipſo adoratur. Hæc ille: Dominus Ieſus autem, quo magis huius exemplo accenderet aliorum animos: Quod tibi feci, inquit, præſtare poſſum omnibus. Neque enim propter tuam ſolius ſalutem ueni in mundum: ſed ad diſcutiendam toti mundo cæcitatem illam animorum calamitoſiſſimam. Ego qui lux ſum mundi, ideo ueni in hunc mundum, ut qui antehac non uidebant, uideant: & qui nunc uident, excæcentur. Hoc dicto notauit Ieſus Phariſæorum peruerſum iudicium, qui quum uiderentur ſibi probè noſſe quid eſſet religio, turpius cæcutiebant, quàm quiuis è media plebe: neque enim agnoſcebant tenebras atque peccata ſua ex corruptione, quibus illuminandis per ſpiritum cœlitùs ueniſſet Chriſtus: ſed arbitrabantur ſe eſſe iuſtos & ſapientes. Suſpicati ſunt itaque, illa uerba Domini propter ſe ipſos eſſe dicta. Hinc quoque cum indignatione quadam interrogarunt: Nunquid & nos cæci ſumus? Ieſus autem cum probè ſciret, quam indignè ferrent hoc, cum exiſtimarent ſe acutius cæteris, & perſpicacius animo uidere: ad inflatam illam quæſtionem reſpondens, dicit: Si uerè eſſetis cæci, hoc eſt, mentis inſcitiam, tenebras, errores, atque peccata ueſtra agnoſceretis, & ad medicum recurreretis, non imputaretur uobis peccatum: ſed eſſetis digni à medico illuminari. nunc uerò quoniam exiſtimatis uos uidere, id eſt, arrogatis uobis legis peritiam, iuſticiam & ſanctimoniam, & recuſatis implorare opem medici: grauiori delicto eſtis aſtricti, & maiore laboratis onere peccatorum. ita non digni eſtis uenia, & peccatum ueſtrum indelebile manet, ut hominum inſanabilium.

CAPVT TRICESIMVMNONVM.

AMen amen dico uobis: Qui non intrat per oſtium in ouile, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. Qui autem intrat per oſtium, hic paſtor eſt ouium: huic oſtiarius aperit, & oues uocem eius audiunt: & proprias oues uocat nominatim, & educit eas. Et quum proprias oues emiſerit, uadit ante eas, & oues illum ſequuntur, quia ſciunt uocem eius. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Hoc prouerbiũ dixit eis Ieſus. Illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Ieſus: Amen amen dico uobis, quia ego ſum oſtium ouium. Om-

nes quotquot ante me uenerunt, fures ſunt, & latrones: ſed non audierunt eos oues. Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Fur autem non uenit niſi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant. Ego ſum paſtor bonus. bonus paſtor dat animam ſuam pro ouibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & diſpergit oues. Mercenarius autem fugit: quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego agnoſco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile, & unus paſtor. Propterea pater me diligit, quia ego pono animam meam, & iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me: ſed ego ponam eam à me ipſo. Poteſtatē habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo. Diſſenſio iterum facta eſt inter Iudæos propter ſermones hos. Dicebāt autem multi ex ipſis: Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc uerba non ſunt dæmonium habentis. Nunquid dæmonium cæcorum oculos poteſt aperire?

COMMENTARIA.

Videtur Dominus Ieſus ad uaticinia alluſiſſe Prophetarum, ac tale quiddam dixiſſe: Videri ſanè uultis oculatiſſimi. unde nouum ſubinde & à ueritate alienum id eſſe uidetur uobis, quòd profiteor me eſſe filium Dei, lucem & Saluatorē mundi. Verùm ſi expendatis Scripturas, deprehendetis paſtorem promiſſum à Prophetis ſingularem, & me illum ipſum eſſe. Per oſtium itaq; ſeipſum intelligi propoſuit Chriſtus, D. Cyrillo teſte: per ouile uerò ouium, catholicam Eccleſiam, conſortiumq; fidelium deſignauit, in quod non niſi per Chriſtum rectus patet ingreſſus. quemadmodum alio loco dicit: Nemo uenit ad patrem niſi per me. Per furem autem atq; latronem intelligendus eſt, qui aut non rectè de Chriſto ſentit, aut ſuam & non Dei gloriam quærit: & is peſtifero dogmate, aut pernicioſis moribus oues infeſtat & labefactat. Qui uerò per Chriſtum intrat in cœtum & ſocietatem fidelium, quòd ad bonum dirigat, ille uerus eſt paſtor ouium, ſolicitè prouidens, quæ ſaluti conducant earum. Porrò oſtiarius rectè intelligitur Spiritus ſanctus. Oſtiarius igitur aperit oſtium paſtori, cum Spiritus ſanctus piè in Deum affectos Chriſtum edocet, & rectam de Chriſto intelligentiam ex ſacrarum literarum promptuario præbet: tumq; oues uocem eius audiunt, ſanam ab eo doctrinam fidei recipiunt, & præceptis ad uitam rectè inſtituendam datis promptè obediunt. Sunt ergo oues fideles, animo ſimplices & humiles, qui in ouili Chriſti uerbi eius & mandatorum pabula quotidie ſumunt, & præpoſitis ſuis recta monentibus libenter obtemperant. Cæterùm Chriſtus oues ſuas non ſolùm in numerato habet: ſed etiam uocat nominatim. nouit enim Dominus, qui ſui ſint. Ita & maximam quoq; rationem ouium Chriſti habet, quiſquis ex uocatione Chriſti paſtorē gregis Dominici agit. Præterea educit ad paſcua uera oues ſuas ipſe Chriſtus. Paſcit enim fideles ſuos pabulo corporis & ſanguinis ſui: Ioannis 6. Alter uerò & poſt Chriſtum paſtor paſcit pabulo uerbi, quod & ipſum Chriſtum per fidem manducare docet. Deinceps ante oues ſuas uadit ipſe paſtor, quando eis proponit bonæ uitæ exemplum, & per bonorum operum greſſus iter illis oſtendit, quo debeant incedere. Fideles autem ſequuntur fide, obedientia, & ſancta imitatione. Alienum autem non ſequuntur, quia non adfert uerbum Chriſti: imò aufugiunt potius ab ipſo. Neq; enim aliam doctrinam quàm Chriſti uel agnoſcunt uel recipiunt ſancti. Cæterùm cum Phariſæi non intelligerent, quid ſibi uellet hæc parabola: dignatus eſt Dominus eam illis aperire. Dixit itaq;: Pro certiſſimo confirmo uobis, quòd ego ſum illud oſtium, de quo locutus ſum uobis, per quod oues ingredi & egredi oportet, ſi uelint incolumes eſſe. Ergo per ſolum Chriſtum ſalus, redemptio, & ingreſſus in regnum cœlorum conceditur. Quod uerò Chriſtus ait, omnes fures & latrones eſſe qui uenêre ante ipſum: non eſt applicandum ad Moſen, & prophetas Dei reliquos, ſanctos & fideles. Ipſi enim (ut D. docet Cyrillus) tanquam præcones

ante

ante eum uenerunt, à Deo patre miſsi, ut ueritati (quæ Chriſtus eſt) teſtimonium perhiberent. Idcirco ipſi quoque, ut ueraces & ueritatis nuncij, per oſtium Chriſtum in ouile, catholicam ſcilicet Eccleſiam, intrauerunt. Ergo ad eos potius referendum, pſeudochriſtos & pſeudoprophetas, de quibus per prophetam Dominus conqueritur: Ipſi currebant, & non mittebam eos. dixerunt: Hæc dicit Dominus: & ego non ſum locutus. Hiere. 23. Et qui Domini fuerunt, minimè crediderunt ſeductoribus illis: ſed Domino firmiter adhæſerunt. Cum autem Chriſtus ſit uerum illud oſtium ad uitam æternam, quiſquis introierit per Chriſtum, ſaluabitur. Ipſe igitur fons eſt ſalutis, in totum orbem diffuſus, per quem in omnes deriuatur ueræ ſalutis gratia. Saluabitur autem, quiſquis in eum piè credit, hic in ſpe, & poſtquam hinc fuerit ſolutum, ipſa rerum ſperatarum fruitione perfruetur. Ille itidem ingredietur & egredietur: hoc eſt, ſummam habebit tranquillitatem, quam nulla turbabit tempeſtas aduerſaria. Paſcua demum inueniet æternæ felicitatis in futuro ſeculo, ubi eſt exuberantia bonorum omnium. Porrò cum fur idcirco ueniat, ut alienam rem ſibi uſurpet, & mactet mala doctrina, retrahendo à fide, animam'que uitijs occidendo, & perdat in æterna damnatione: Chriſtus ſe in hunc mundum ueniſſe conteſtatur, ut oues ſuæ uitam habeant in præſenti ſeculo, ſtabiliti in fide per dilectionem operante: quoniam, ut Propheta ait, Iuſtus ex fide uiuit: Habac. 2. & abundantius uitam habeant, quando ex hac uita emigrant ad alteram longè præſtantiorem, in terrã illã uiuentium, ubi mors nunquam locum eſt habitura, nec imperium. Iam addit Chriſtus, bonum ſe eſſe paſtorem. Paſtor quidem eſt, quia in ipſum credentes ſcientia paſcit & doctrina, & per rectam ſalutis uiam ducit in æternæ uitæ paſcua. Bonus uerò paſtor eſt Chriſtus: quia animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, quando pro nobis uiuificandis acerbam & ignominioſiſsimam ſubijt mortem. Vnde haudquaquam mercenarius paſtor fuit, qui ſui compendij gratia gregis curam ſuſcipit, qui'que etiamſi bona fide rebus tranquillis gregem procurat, tamen ſi uitæ ingruat periculum, fugit. Mercenarius ergo paſtor is eſt, qui neque diabolo, ne ſuis tentationibus ouem de ouili ſeparet, reſiſtit: neque hæreticæ prauitati, aut uiolentiæ opprimentium ſeſe murum opponit: ſed dimittit dilacerandam. Quare etiam fieri ſolet, ut deſtitutæ oues auxilio paſtoris, per quælibet uitiorum præcipitia impellantur: hæreticus item eas errorum laqueis innectat, atque per deuia trahat errabundas. Hic quærit S. Auguſtinus: Si, inquiens, Apoſtoli paſtores, non mercenarij: quare fugiebant, quando perſecutionem patiebantur? Vidi in epiſtola fugientem Paulum? Ac reſpondet: Fugit planè, ſed eas paſtori in cœlo ſedenti orationibus commendabat: ſe autem utilitati earum fugiendo ſeruabat. Is uidit lupum uenientem, & fugit, qui ſua quærit, non quæ Ieſu Chriſti, peccantem non audet liberè redarguere. Demonſtrat porrò Dominus duplici indicio argumento'que, ſe bonum paſtorem eſſe. Primum, quòd cognoſcat oues ſuas, ad æternam uitam eas eligens. Sicut enim quos reprobat Dominus, eos neſcire dicitur: ita quos ad ſalutẽ prædeſtinat & præordinat, cognoſcere cenſetur. Deinde uerò, quòd reciproca mutuaq; cognitione oues ipſum Chriſtum agnoſcunt, dum diligunt eum, & mandatis ipſius obſequuntur. Qui enim non credit in Dominum Ieſum, aut mandata eius contemnit, ipſum profectò ignorat, & neſcit Dominum, quemadmodum obduratus Pharao reſpondit Moſi: Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam: Exod. 5. Ait præterea Chriſtus: Me pater agnoſcit ut germanum filium, ſuæ'que uoluntati per omnia obſequentem: & ego uiciſſim agnoſco patrem, qui cupit omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Ex illius mandato uitam meam impendo ſaluti mearum ouium. Nec patris uoluntati, nec meæ charitati ſatis eſt, ſi ſeruem has oues quas ex Iſraelitico populo primùm ſeruandas mihi tradidit pater. Latius ſe porrigit mea cura. Sunt & in alijs gentibus oues diſperſæ: & illas oportet adducere. Et quanquam non audiunt uocem Moſi aut prophetarum: agnoſcent tamen & audient uocem meam, ſi quæ ſint oues ſaluti deſtinatæ. Gentilem hic intelligit populum (inquit D. Cyrillus) qui non eſt de genere carnis Iſrael. ipſum adduxit per Apoſtolorum prædicationem & officium, & populus ille uocem Domini per Apoſtolos auditam promptè ſuſcepit, fidem'que & præcepta eius ſtudioſè cuſtodiuit, ut per Prophetam erat uaticinatum: Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi: Pſal. 71. Ex huiuſmodi autem adductione gentium pariter & Iudæorum, factum eſt unum ouile: Eccleſia ſcilicet credentium, & unus paſtor Chriſtus. Cæterùm cum multis hactenus docuerit Dominus Ieſus, ſe pro hominum ſalute moriturũ: Pater meus, inquit, hanc ob cauſam me

ſingulari amore complectitur, & ſincerè diligit, quia mea ſponte pro ſalute gregis paterni uitam impendo meam. Sunt qui inſidientur uitæ meæ: horum tamen malitia nihil in me poſſet, niſi mihi decretum eſſet, pro ſalute meorum ultrò mortem oppetere: ſola mea uoluntate, cum uoluero, animam meam à corpore ſeiungam. Ego poteſtatem habeo, & animam hanc emittendi è corpore, & eandem in hoc ipſum corpus reuocandi. Et ſic uiſum eſt patri meo qui me miſit in mundum, ut hac ratione procurem negotium humanæ ſalutis. Chriſtus itaque non ſolùm corpus humanum, ſed & animam aſſumpſit rationalem, tanquam alteram compoſitionis humanæ partem.

Hæc cum prolocutus eſſet Ieſus, rurſus in populo uariatum eſt ſententijs. Quidam canino mordaci que dente illis detrahunt, et ut futilia damnant, & dicunt eum dæmonium habere, & inſanum eſſe, neq; dignum qui audiatur. Alij uerò, quorum ſanior erat mens, Chriſtum ab hac contumelia uindicabant. A' uerbis quidem, quòd mente capti & dæmonio uexati non poſſent tam alta & ſublimia uerba depromere, qualia Chriſtus edifferebat, deinde uerò ab operib. argumentãtes: Num, inquiunt, inſanus, & malo dæmoni obnoxius, poteſt aperire cæcorum oculos? Exoculare uidentẽ, dæmonum eſt: ſed oculos aperire cæco nato, uirtutis eſt diuinæ.

CAPVT VLTIMVM.

FActa ſunt autem encænia in Hieroſolymis. & hyems erat, & ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quouſque animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palàm? Reſpondit eis Ieſus: Loquor uobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me: ſed uos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Et ego uitam æternam do eis, & nõ peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu patris mei. Ego & pater unum ſumus. Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, ut lapidarent eum. Reſpondit eis Ieſus: Multa bona opera oſtendi uobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Reſponderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum. Reſpondit eis Ieſus: Non'ne ſcriptum eſt in lege ueſtra, Quia ego dixi, Dij eſtis? Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura: quem pater ſanctificauit, & miſit in mundum, uos dicitis, Quia blaſphemas, quia dixi filius Dei ſum? Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non uultis credere, operibus credite; ut cognoſcatis & credatis, quia pater in me eſt, & ego in patre. Quærebant ergo apprehendere eum, & exiuit de manibus eorum. Et abijt iterum trans Iordanem, in eum locum ubi erat Ioannes baptizans primùm, & manſit illic: & conueniunt rurſum turbæ multæ, & uenerunt ad eum, & ſicut conſueuerat, docebat eos, & ſanabat. & dicebant: Ioannes quidem ſignum fecit nullum. Omnia autem quæcunq; dixit Ioannes de hoc, uera erant. & multi crediderunt in eum.

Ita legit Chryſoſtom. & huic cõcinẽs Theophylactus.

COMMENTARIA.

Vt D. teſtatur Cyrillus, Encænia ſolennitas ipſa dedicationis templi fuit, & tertia. Ipſius enim templi dedicatio prima, à Salomone cum magna gloria autumnali tempore facta eſt: 3. Regum 8. Secunda uerò à Zorobabel, & Ieſu ſacerdote magno, & reliquis filijs, tranſmigrationis Babylonicæ tempore uerno: 1. Eſdr. 6. Hæc autem à Iuda Machabæo & fratribus eius, hyemis tempore: & conſtitutum fuit, ut ſingulis annis hæc eadem dedicatio ſolennibus frequentaretur officijs. Huic ſolennitati Chriſtus adeſſe uoluit, ut populo ſalutaris ſuæ doctrinæ dona elargiretur, & diuinitatis ſuæ myſteria patefaceret. Ambulabat autem eo in loco, ubi Salomon rex potentiſſimus & ſapientiſſimus ad orandum ſtare conſueuerat. Cir-

cumdederunt ergo eum Iudæi, non cauſa agnoſcendæ ueritatis, ſed gratia ſtruendæ calumniæ: & ut inuenirent, quomodo eum accuſarent. Adorti ſunt autem illum his uerbis: Quouſque dictis ambiguis ſuſpenſos detines animos noſtros? & hac ambiguitate populi ſeditionem concitas? Si tu es ille Meſsias quem expectamus, dic nobis liberè. Sic'que ſimulant ſe miro Meſsiæ teneri deſiderio, & cupere à Domino plenius inſtitui. At fucus & hypocriſis erat. ita enim uenabantur perdendi occaſiones. Reſpondit ergo eis Ieſus: Verba mea apertè teſtificantur, me eſſe à patre miſſum, & uerum eſſe Chriſtum: ſed ob duritiam cordis ueſtri non adhibetis fidem uerbis meis. Inſuper opera quæ facio, cæcos illuminans, paralyticos ſanans, dæmoniacos curans, & mortuos ad uitam reuocans, illa teſtimonium perhibent de me, quòd uerus Dei ſim filius, & Chriſtus ille à lege & prophetis promiſſus. Sed uos nec factis nec dictis creditis: cuius rei non ſum ego cauſa, ſed ueſter animus inſincerus: & quia non eſtis de illorum numero, qui ad æternam uitam præuiſi ſunt, ſed perpetuæ perditioni addicti. Qui ſimplici ſunt animo, nullaque huius mundi malicia uiciato, credunt uerbis meis, ac uelut oues cognoſcunt boni paſtoris uocem: atque ego uiciſsim, licet humiles iuxta mundum, pro meis agnoſco. Porrò ipſe Chriſtus talis paſtor eſt & ſaluator, apud quem nihil omnino perire poteſt: atque eos quos ſemel prædeſtinando (ut D. loquitur Cyrillus) ipſe aſſumpſerit, nulla uis diabolicæ tentationis, non immanitas humanæ perſecutionis de ſorte & latere eius poteſt auferre: imò habebunt uitam æternam. Sed obijciet quiſpiam: Non'ne Iudas ſurreptus eſt à Satana de manu Domini, & in æternum perijt? Verum eſt. Sunt igitur illi ueræ oues, quæ perire non poſſunt, ſiue quas nullus rapiet Satanas: qui non tantum credunt, ſed ad finem uſque perſeuerant in uera illa fidei confeſſione. Et quòd nulla futura eſt (inquit) tanta Satanæ poteſtas, ut oues rapiat è manibus meis, inde eſt: quia pater meus maximus eſt omnium. Quòd ſi uerò nemo poteſt oues pias è manibus eripere patris mei, utpote omnipotentis: pari ratione nemo è manibus quoque meis extorquebit. Ego enim & pater unum ſumus. Vnum utique poteſtate, uirtute, ſubſiſtentia ſiue eſſentia diuinitatis. Hiſce dictis Domini Ieſu, & diuinitatem ipſius uindicantibus irritati Iudæi ſuſtulerunt rurſum lapides, ut lapidarent eum. Ieſus uerò occultè ipſis ingratitudinem opprobrans, placidis uerbis illorum furorem corrigere tentat, ac dicit: In publicos maleficos populi manus lapidibus ad ultionem ſolent armari. Ego uerò quid commerui? qui nemini nocui: ſed omnibus uobis innumera præſtiti beneficia, eá que ex benignitate patris mei. Docui errantes, conſolatus ſum afflictos, paui famelicos, omne morborum ac malorum genus profligaui, mortuos in uitam reuocaui. In his omnibus quod'nam eſt illud, quod uos dignum arbitramini lapidatione? Ad hæc: Non, inquiunt, ob benefacta ſolemus quenquam lapidare: ſed te lapidatione dignum exiſtimamus ob omnium immaniſsimum ſcelus, blaſphemiam: atque hac in re legis authoritatem ſequimur, quæ iuſsit huiuſmodi ſaxis obrui. Quis enim diutius ferat, quòd tu, cum ſis homo, tibi diuinitatem arrogas? Ad hoc crimen intentatum ea temperatura reſpondit Dominus Ieſus, ut blaſphemiæ culpam procul à ſe depelleret: deinde ut illorum inſaniam uerbis atrocioribus non amplius irritaret: Vos, inquit, mihi blaſphemiæ crimen impingitis, quòd Deum patrem meum appellem. Sed obſeruate, quomodo loquatur Scriptura ſacra, nimirum in Pſalmis: Pſal. 82. quòd ſcilicet Deus ſtetit in Senatu deorum, & dixit: Vos Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Si Deus ipſe dignitatem ſui nominis impertit ijs ad quos ſermo Dei factus eſt, non læſa tamen unius Dei maieſtate: nec falſum eſſe poteſt, quod in diuinis literis proditum eſt: quomodo mihi blaſphemiæ crimen intenditis, quòd me, quem pater unicè ſanctificauit, ac miſit in mundum, ut per filium omnes ſanctitatem aſſequerentur, dixerim filium Dei? Si quæ facio non uidentur eſſe homine maiora, ſi non diuinæ uirtutis ſpecimen habent, nolite credere quòd ſim filius Dei, & quòd mihi cum illo per omnia conueniat. Sin autem diuina opera facio, qualia quidem nemo hominum patrare poteſt, ſed ſolus Deus: interim autem ſola inuidia ac odium nominis mei uos impedit, quo minus mihi credatis: agite ſi non propter me, ſaltem propter opera mea, mihi credite, & cognoſcite quòd pater in me, & ego ſim in patre, quòd uterque alteri indiuidua ſocietate cohæreat: dum ille per me quicquid uult, operatur, & ego ab illius exemplo iuſſu'que nuſquam recedo. Sanè (ut D. docet Cyrillus) non ſic eſt pater in filio, aut filius in patre, quomodo Deus eſſe dicitur in aliquo uiro ſancto, & ſanctus quicunque in Deo. Filius quippe in patre eſt per æqualitatem, unius eiuſdem'que ſubſtantiæ;

& per

& per indigreſsibilem unius in altero manſionem, ob naturæ identitatem. Homo uerò in Deo duntaxat eſt per gratiæ participationem, & habitudinem quandam, atque gratuitam inhabitationem. His auditis Iudæi ſermonibus, unde corrigi debuerant, irritatiores effecti, conati ſunt illi manus inijcere, perfecturi quod iam ſæpius fruſtra tentarant. Sed Ieſus ut oſtenderet multis modis, ſe uolentem paſſurum ubi tempus adeſſet, elapſus eſt è manibus illorum. Tranſmiſſo uerò Iordane, rediit ad eum locum, ubi Ioannes primùm cœperat prædicare, uel in Bethabara, uel certè in Aenon iuxta Salim. Nec defuerunt ſuo paſtori oues fideles. Multi enim crediderunt in Chriſtum, partim doctrina Ioannis huc impulſi, partim ſignis Chriſti conuicti. Cæterùm etſi Ioannes uir ſanctus, & in ſumma authoritate fuerit: noluit tamen Deus ulla per ipſum ſigna fieri, nimirum ne nimium plebs ipſi tribueret: ſed ſignis atque miraculis uoluit ipſum ſuum filium inclareſcere. Dicunt ergo illi homines: Ipſa rei ueritate & experientia docti intelligimus, Ioannem non fuiſſe Chriſtum, ſed Chriſti præcurſorem: Ieſum autem eſſe Chriſtum, cui ille teſtimonium dedit, hunc uidelicet eſſe Dei filium, & Saluatorem mundi. nunc enim quantus ſit Ieſus, & quòd uera de ipſo teſtificatus ſit Ioannes, liquidò cernimus. Atque ita recipientes Chriſtum, credunt.

HARMONIAE EVANGELICAE LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

FACTVM eſt autem, dum complerentur dies aſſumptionis eius, & ipſe faciem ſuam firmauit ut iret in Hieruſalem. Et miſit nuncios ante conſpectum ſuum: & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorũ, ut pararent illi. Et non receperũt eum, quia facies eius euntis erat in Hieruſalem. Cum uidiſſent autem diſcipuli eius, Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, uis dicamus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos? Et conuerſus increpauit illos, dicens: Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis? Filius hominis non uenit animas perdere, ſed ſaluare. & abierunt in aliud caſtellum. Factum eſt autem, ambulantibus illis in uia, dixit quidam ad illum: Sequar te, quocunque ieris. Dixit illi Ieſus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet. Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum. Dixit'que ei Ieſus: Sine, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem uade, & annuncia regnum Dei. Et ait alter: Sequar te Domine, ſed permitte mihi primùm renunciare his qui domi ſunt. ait ad illum Ieſus: Nemo mittens manũ ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.

COMMENTARIA.

Deſcripturus Lucas ultimam illam profectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti è Galilæa in Iudæam, ubi à primoribus Hieroſolymitanæ urbis in crucem actus, ſatisfecit pro peccatis noſtris: Dum complerentur, inquit, dies aſſumptionis eius: hoc eſt (ut Theophylactus docet) inſtabat tempus, quo poſtquam ſuſtinuiſſet ſalutarem paſsionem pro nobis, oportebat eum aſſumi in cœlum, & conſidere Deo patri. Ergo faciem ſuam confirmata mente dirigebat Hieroſolymam, ueluti morti obuiam, & in uultum progreſſurus. Mittit autem ante ſe nuncios, qui ipſi ſuis'que parent hoſpitium. Nam plures in eius comitatu fuiſſe, indicat ſeries hiſtoriæ Euangelicæ. Diſcipuli uerò uti iuſſi fuerant, in uico quodam Samaritanorum cupiebant Domino iam uenturo parare hoſpitium. At illi negabant hoſpitium petentibus: uel hanc ob cauſam, quòd odio haberent omnes proficiſcentes Hieroſolymam adoratum. Credebant enim in monte Garizim adorare oportere. Hanc uerò inhumanitatem execrantes diſcipuli, præpoſtero zelo commoti: Domine, dicunt, iubeamus ignem è cœlo deſcendere, qui exurat inhumanos illos homines. Eò enim reſpiciebant, quòd

Elias olim euocaſſet ignem cœlitùs in eos qui ingrati & contumelioſi erant in prophetam: 4. Regum 7. Cæterùm Chriſtus increpat eos, tanquam Euangelicum ſpiritum non intelligentes, ac inquit: Non ex ſpiritu Dei bono, ſed ex prauo & corrupto animi affectu uindictam expetitis. Non enim uenit filius hominis ad uindicandum, perdendumq́; homines: ſed ſaluandum, atque ſeruandum. Præterea quòd eum reijcit Chriſtus, qui ipſum ſequi quocunque iret palàm ſpondebat: eadem ratione fecit, qua ſuprà repulit ſcribam: quòd probè noſceret, quo animo ſe ipſum ingereret, nulla uidelicet ſinceritate commotus, ſed illectus rerum terrenarum cupiditate. Alterum autem ad ſe uocat Chriſtus, utpote ſincerioris animi hominẽ. Ille uerò ſimplicem pietatem in parentem prætendens, audit: Sine, ut ſepeliant mortui mortuos. Quomodo autem (ut D. inquit Ambroſius) mortui mortuos ſepelire poſſunt, niſi geminam hic intelligas mortem: unam naturæ, alteram culpæ? Et prima quidem mors, qua copula corporis & animæ diſſoluitur, non eſt formidabilis Chriſtianis ueris, neque timenda, cum diſceſſio quædam tantum ſit, quam proinde uerè ſapientes deſideraſſe conſtat. Poſterior autem mors, quæ animæ eſt, uerè mors dici poterit, cum ſit ſcriptum: Anima quæ peccat, ipſa morietur: Ezechielis 18. Incredulus ergo cum eſſet pater iſtius diſcipuli (ut doctiſſimo placet Theophylacto) indignum eum pronunciauit Chriſtus, cuius curam ageret filius, qui crediderat: & propterea dicit, Sine incredulos increduli patris gerere curam, & illum paſcere ad ſepulturam uſque: tu autem quia credidiſti, annuncia, uelut meus diſcipulus, Euangelium Dei. Ita ipſa pietas ſemper præferenda, & diuina religio, neceſſitudini generis. Porrò uenit alius quiſpiam idem pollicens quod primus, ſed cum conditione. Vult enim hic ſequi Dominum: ſed ita, ut domi res ſuas omnes componat prius, in'que ſecuro & tranquillo ſtatu familiam ſuam & relinquat & conſeruet. Quid uerò audit à Domino? Non reſpiciendum eſſe, ſed pergendum alacriter in uia ueritatis, quam ſemel ſumus ingreſſi. Vtitur autem prouerbio, ſumpto ab agricultura, dicens: Ineptus profectò fuerit arator, qui ſtiua prehenſa, & bubus aratrum trahentibus reſpectet perpetuò, non ea quæ coràm ſunt aſpiciat, atque ad propoſitum terminum contendat. Ineptior multo eſt, & non idoneus prorſus regno Dei, qui cum ſemel cœpit Euangelicæ doctrinæ animum dedicare, rurſus tamen auerſo uultu & animo à uerbo Dei, reflectitur ad huius mundi curas & uoluptates: ac ita curat, ut ſegnius interim & frigidius cogitet ea quæ Chriſti ſunt, & Euangelij eius ſanctiſſimi.

CAPVT SECVNDVM.

POſt hoc autem deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipſe uenturus. & dicebat illis: Meſsis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum meſsis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Ite, ecce ego mitto uos ſicut agnos inter lupos. Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calciamenta, & neminem per uiam ſalutaueritis. In quamcunque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui. & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax ueſtra: ſin autem non, ad uos reuertetur. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Nolite tranſire de domo in domum. Et in quamcunque ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint uos, manducate quæ apponuntur uobis, & curate infirmos qui in illa ſunt, & dicite illis: Appropinquabit in uos regnum Dei. In quamcunque autem ciuitatem intraueritis, & non receperint uos, exeuntes de plateis eius, dicite: Etiam puluerem qui adhæſit pedibus noſtris de ciuitate ueſtra, extergimus in uos: tamen hoc ſcitote, quia appropinquauit regnum Dei. Dico uobis, quia Sodomis in die illa remiſsius erit quàm illi ciuitati. Væ tibi Chorasain, uæ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent uirtutes, quæ factæ ſunt in uobis, olim in cilicio & cinere ſedentes pœniterent. Veruntamen dico uobis: Tyro & Sidoni remiſsius erit in die iudicij, quàm uobis. Et tu Capernaum, nunquid ad cœlum uſque exaltaberis? uſque ad infernum de-

num deſcendes, & demergeris. Qui uos audit, me audit: qui uos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit. Reuerſi ſunt autem Septuaginta cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubijciũtur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi uobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem uirtutem inimici: & nihil uobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus uobis ſubijciuntur: gaudete autem, quòd nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlis. In ipſa hora exultauit in Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quòd abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Etiam pater: quoniam ſic placuit ante te. Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Et nemo ſcit quis ſit fili⁹, niſi pater: & quis ſit pater, niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare.

COMMENTARIA.

Qui noſtra uiderit commentaria hucuſque, is multam operam nos collocaſſe perſpiciet in explicandis hiſce uerbis Domini. *Nam eadem dicta conſtat, cum emitteret prædicatum duodecim diſcipulos. Ne igitur, iuxta prouerbium, crambem bis coctam apponere uideamur, eò remittimus pium & candidum lectorem. Tantum illud dicturi: Quoniam copioſa erat ſeges, meßis'que auditorum, plures deligere oportebat* Dominum, *qui omnibus ſeruandis uenerat, meſſores. Deligit ergo nunc ſeptuaginta diſcipulos, alios præter duodecim* Apoſtolos, *quos & ipſe ableget prædicatum, annunciatum'que uerbum Dei. Cæterùm ſeptuaginta diſcipuli diligenter quod iniunxerat* Dominus *executi, redeunt ad* Dominum, *magnó'que cum gaudio felicem ſucceſſum prædicant: præcipuè uerò, quòd ad inuocationem nominis* Ieſu *eiecerint & fugarint malos & immundos ſpiritus.* Ieſus *autem, quo muniret ſuorum animos aduerſus morbum inanis gloriæ, proponit illis exemplum* Luciferi, *qui ob ſuperbiam à tanta felicitate ſubitò deiectus eſſet. Et dicit illis: Ne miremini, ſi dæmones uobis ſubijciuntur. Princeps enim ipſorum olim de cœlo decidit, & nullam fortitudinem habet. Et licet hoc homines non uiderint: ego tamen inuiſibilium ſpectator uidi. Hæc cum ita habeant, do uobis uim, qua diabolum & regnum ipſius conculcetis prorſus, nec non omnes dæmonis artes, conatus, & quælibet mala. Nolo autem uos gloriari in effectu uerbi, quaſi ueſtra uirtute propellatis uincatis'que Satanam: Dei uirtus & gloria eſt. In eo uos potius exultate, quòd nomina ueſtra ſcripta ſunt in album filiorum & hæredum Dei. Eò uos autem ſubuehet ueſtra modeſtia, uera'que ſimplicitas, unde corruit per arrogantiam* Lucifer, *ſi perſtiteritis in eo quod cœpiſtis. Hæc locutus* Dominus, *mox cœpit exultare Spiritu ſancto, ac de ſucceſſu* Euangelij *patri gratias agere: Gratias, inquit, ago tibi* Domine Pater, *ac conditor cœli & terræ, quòd hæc tam ſublimia myſteria cælaueris eos, qui iuxta mundum ſapientes habentur, ac prudentes: ac reuelaris ea puſillis, humilibus, idiotis, ac iuxta mundi iudicium, imprudentibus. Sic profectò factum eſt pater: quia ſic placuit æterno tuo conſilio.*

CAPVT TERTIVM.

ET conuerſus ad diſcipulos ſuos, dixit: Beati oculi qui uident quæ uos uidetis. Dico enim uobis, quòd multi Prophetæ & Reges uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legiſperitus ſurrexit, tentans illum, & dicens: Magiſter, quid faciendo uitam æternam poſsidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis? Ille reſpondens dixit: Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum. Dixitq́ illi: Rectè reſpondiſti. hoc fac, & uiues. Ille autem uolens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum: Et quis eſt meus proximus? Suſcipiens autem Ieſus, dixit: Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Hiericho. & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt, ſemiuiuo relicto. Accidit autem,

autem, ut ſacerdos quidam deſcenderet eadem uia: & uiſo illo, prætetiuit. Similiter & Leuita, cum eſſet ſecus locum, & uideret eum, pertranſijt. Samaritanus autem quidam iter faciens, uenit ſecus eum: & uidens eum, miſericordia motus eſt. Et appropians alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinum: & imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcunque ſuperogaueris, ego, cum rediero, reddam. Quis horum trium uidetur fuiſſe proximus illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit miſericordiã in illum. Et ait illi Ieſus: Vade, & tu fac ſimiliter.

COMMENTARIA.

Exponit denuò, ut apud Matthæum, Dominus Ieſus, quanta ſit eorum felicitas, qui per fidem Euangelicam participes omnium bonorum in Meſſia promiſſorum fiunt. Facit id per collationem quandam, proferens ſereniſſimorum regum & ſanctorum prophetarum maximum deſiderium uidendi Christi, audiendiq́; exhibitũ iam eſſe mundo Saluatorem, qui liberet ab omni malo, ac conferat omnia bona. Deinde uerò oſtendit Lucas, legiſperitum acceſſiſſe, magis quidem animo tentandi quàm diſcendi. Interrogans uerò legiſperitus, quid agat ut uitam conſequatur æternam, exemplum nobis reliquit, quid ante omnia ſpectemus et quæramus: uitam uidelicet æternam, uel quomodo ſalui efficiamur. Nec ſatis eſt, noſſe quid agamus, niſi etiam quod agendum eſſe uidimus, opere compleamus. Cæterùm hypocritam fuiſſe hunc legiſperitum, illud maximè arguit, quòd ſe pro iuſto uenditat, quaſi omnia legis præſtiterit, nihil implendum aut non completum reliquerit. Parabolam ergo producit Dominus Ieſus, qua Iudæorum arrogantiam taxat, qui ſibi uidebantur abundè diligere Deum, quòd illius templum adirent, quòd immolarent uictimas: erga proximum autem nullo charitatis tangebantur affectu. Quòd ſi quid officij præſtabant, non præſtabant niſi ſui generis hominibus: quum oporteat omnem hominem eſſe proximum homini, ſi quando res poſtulat ſubſidium. Porrò ſi allegoriam huius Samaritani audire libet, docet illa, quanta ſit Dei bonitas erga homines. Samaritanus autem Syris cuſtodem ſonat. Hic ritè dicetur Chriſtus, filius ille Dei, qui deſcendens è cœlo, genus humanum malicia Satanæ ſpoliatum innocentiæ ueſtibus, ſauciatum omni uitiorũ genere, uiſere dignatus eſt. Vt quoq́; facilius opitulari poſſet, aſſumpta hominis natura, proximè acceſſit ad hominem, ac miſertus noſtræ calamitatis, noſtra peccata ſuſtulit in corpore ſuo: 1. Pet. 2. De ſuo dependit quod nos commerueramus, ac noſtri curam egit, qui nullum peccatorem quamuis humilem aut abiectum auerſatus eſt. Habet autem hic Samaritanus hoſpites ſuos, quibus ipſe proficiſcẽs in cœlum, ſaucium curandum committit, promiſſo in cœlis præmio, ſi quid ex abundantia charitatis, ſuprà quàm præceptum erat, impenderint ſanando miſero. Hi nimirum ſunt Apoſtoli, & Apoſtolorum ſucceſſores: per quos etiam hodie curat genus humanum, & à latronum uiolentia colligit in Eccleſiæ diuerſorium, ubi ſanantur peccatorum uulnera.

CAPVT QVARTVM.

ERat autem quidam languens, Lazarus, à Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ, ſororum eius. Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Miſerunt ergo ſorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Ieſus, dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eum. Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus. Deinde poſt hæc dicit diſcipulis ſuis: Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum uadis illuc? Reſpondit Ieſus: Non'ne duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius mundi uidet. Si autem ambulauerit in nocte, offendit: quia lux nõ eſt in eo. Et poſt hæc dicit eis: Lazarus amicus noſter dormit: ſed uado, ut

à ſomno excitem eum. Dixerunt ergo diſcipuli eius: Domine, ſi dormit, ſaluus erit. Dixerat autem Ieſus de morte eius. illi autem putauerunt, quia de dormitione ſomni diceret. Tunc ergo Ieſus dixit eis manifeſtè: Lazarus mortuus eſt. & gaudeo propter uos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Venit itaque Ieſus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hieroſolymam quaſi ſtadijs quindecim. Multi autem ex Iudæis uenerant ad Martham & Mariam, ut conſolarentur eas de fratre ſuo. Martha ergo ut audiuit quia Ieſus uenit, occurrit illi. Maria autem domi ſedebat. Dixit ergo Martha ad Ieſum: Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus. Sed & nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus. Dixit illi Ieſus: Reſurget frater tuus. Dixit ei Martha: Scio, quia reſurget in reſurrectione, in nouiſsimo die. Dixit ei Ieſus: Ego ſum reſurrectio, & uita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Vtique Domine. Ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei uiui, qui in hunc mundum uceniſti.

COMMENTARIA.

Offertur iam occaſio, per quam maximè reddatur illuſtris Chriſti patriſ'que gloria. Siquidem dum apud Iordanem commoratur, accidit ut in oppidulo Bethania morbo decumberet quidam, nomine Lazarus. Hæc erat patria ſimul & eius qui morbo tenebatur, & duarum ſororum Mariæ & Marthæ, religioſiſsimarum mulierum. Porrò cum hac familia ſingularis quædam amicitia interceſſerat Domino Ieſu. Proinde cum Lazarus graui morbo periclitaretur, ſorores fretæ familiaritate quæ fuerat ipſis cum Ieſu, mittunt ad illum, qui nunciet amici morbum: non dubitantes, quin pro ſua mirifica humanitate in omnes, amico periclitanti ſuccurreret. Verùm illis ita reſpondet Dominus Ieſus: Morbus iſte non eſt capitalis, ſed ideo permiſſus eſt accidere, ut per eius occaſionem illuſtretur gloria Dei. Hoc dixit Ieſus, quia (ut D. docet Cyrillus) eum poſt mortem ſuſcitare decreuerat. Sic'que infirmitas Lazari non fuit ad mortem, ut ſcilicet more aliorum hominum in puluerem putredinem'que ſolueretur, & omnino morte decideret. Quod ſubiungit Euangeliſta, Dominum dilexiſſe Martham, Mariam, & Lazarum: magnum probitatis, uirtutiſ'que ipſorum, & indubitatum eſt teſtimonium. Proinde non negligebat amici periculum, ſed expectabat copioſius argumentum edendi miraculi, quo ſimul ipſe mox moriturus, diſcipulorum adhuc imbecillium animos ad ſpem reſurrectionis erigeret. Moriebatur enim interim Lazarus, & ſepeliebatur, quem mox maiori cum gloria excitabat. Deinde uerò dicit, ſe iturum in Iudæam. Diſcipuli memores quàm eſſet atrox Phariſæorum in illum odium, quoties conati fuiſſent illi manus inijcere, non ſolùm Domino metuunt, uerumetiam ſibi. dehortantes igitur à repetenda Iudæa, dicunt: Domine, num excidit tibi, quòd ante paucos dies illic Iudæi te lapidaturi fuerant, niſi te ſubduxiſſes? & rurſus eò proficiſceris, manifeſto periculo temet obijciens? Audit Dominus, atque uidet hunc diſcipulorum pauorem, huic medicare ſtudens: Principiò, inquit, quod me attinet, cuius uitæ metuitis, nihil adhuc eſt periculi, cum nondum adſit dies mortis meæ. Dies habet ſuas horas, nec is noſtro arbitrio fit breuior aut longior: & ego tempus habeo præſcriptum, quo debeam redimendi orbis negotium peragere. Id Iudæorum malicia non poteſt anticipari. Proinde non eſt quod mihi timeatis. Ego ſum lux mundi. meum ductum uos ſequi par eſt, non præire luci. nolite metuere ante tempus. Quamdiu uobis luceo, nihil eſt periculi. Veniet nox, quando à me ſemoti conturbabimini. Poſt hæc cauſam aperit profectionis. Et mortem quidem ſomnum dicit, quia (ut D. Cyrillus ait) Lazarus Chriſto dormiebat. Nullus quippe tanta facilitate poſſet aliquem excitare à ſomno, quanta Chriſtus Lazarum ſuſcitare ualebat à tumulo. Ita quoque receptiſsimum eſt Scripturæ, mortem appellare ſomnum: non tam ob id quòd ſomnus (ut ait ille) gelidæ mortis imago eſt, quàm quòd reſurrectionis ſpes ita nobis adumbratur, & ueluti ſpectanda proponitur: Danielis 12. 1. Theſſa. 4. Cæterùm hæc non intelligentes diſcipuli,

ſcipuli, arbitrabantur Dominum loqui de ſomno uulgari, & ſomnum in ægroto Lazaro redituræ ſanitatis eſſe argumentum. Ieſus ergo apertius ait, Lazarum uita functum: Et gaudeo, inquit, quòd illic non adfuerim, dum amicus ægrotat & moritur, ut ueſtra fiducia quam adhuc imbecillem uideo, confirmetur euidentiori miraculo. Caſtigati autem diſcipuli Domini uerbis, non auſi ſunt ultrà contradicere. Sed Thomas præ omnibus ſocios hortatur, ut irent & morerentur cum Domino. Profectus eſt igitur cum diſcipulis ſuis Ieſus in Bethaniam, ac reperit Lazarum quadriduo iam ſepultum. Sic ſanè ipſe diſpoſuerat, ut glorioſius reſuſcitaretur. Aberat autem Bethania à Hieroſolyma ferè duobus miliaribus. Hinc complures confluxerant Iudæi, nimirum officij gratia, ut Martham & Mariam conſolarentur de fratris deceſſu. Nam familia hæc & opulenta erat, & exiſtimationis apud omnes maximæ. Inde uerò occaſio erat, ut miraculum plures haberet teſtes & ſpectatores. Poſtquam autem Martha audiuit, Dominum extra caſtellum poſitum, magna cum religione & reuerentia excipit eum. Credebat quidē in Chriſtum: ſed non omnino, ut oportebat. nondum enim intelligebat plenè diuinitatem Chriſti, & quòd ipſe per ſuam uirtutem atq; potentiam præſtare poteſt poſcentibus, quod ab ipſo petitur. De Chriſto ergo iudicat ſicut de eximio quodam Dei amico, cuius precibus hic nihil neget. Ad hunc ſermonem de precibus ad Deum fundendis Dominus nihil reſpondet Marthæ: ſed propria ſua uirtute promittit uitam & reſurrectionem Lazaro ſepulto, & inquit: Bono animo eſto, reuiuiſcet frater tuus. Porrò Martha non auſa in præſenti tantam ſperare ſalutem, necdum perfectè intelligens uirtutem & gloriam Ieſu Chriſti: Scio, inquit, quòd reuicturus ſit: ſed in nouiſſimo die, cum reſurgemus omnes. Vnde colligere poſſumus, ſemper inter Iudæos creditam eſſe carnis reſurrectionem, propter manifeſta teſtimonia in lege & prophetis. Audiens hæc Dominus, quo mulieris de ſe fiduciam & opinionem paulatim ad maiora proueheret, ſe'que declaret eſſe fontem ſimul & autorem omnibus, uitæ & datæ & reddendæ, nec ullam mortem metuendam ijs qui fiduciam & ſpem in ipſo collocaſſent, Marthæ reſpondit in hunc modum: Credis Martha, quòd frater tuus reuicturus ſit, cum cæteris in nouiſſimo die? uerùm hoc quoque debes credere, quòd ego ſum ipſe reſurrectionis & uitæ fons. Eapropter qui mihi per fidem adhæſerit, etiamſi corpore fuerit mortuus, tamen uiuet. Bene hæc obſeruanda erunt. Nam uiuunt quidem & reſurgunt etiam increduli & impij omnes: uerum uita ipſorum mors eſt, & dum reſurgunt, in iudicium & condemnationem reſurgunt. Fideles autem uiuunt uita felici per Chriſtum, & reſurgunt ad gaudia ſempiterna. Interrogat autem Martham Dominus, num hoc credat. illa palàm profitetur, quàm magnificè de Chriſto ſentiat, & ait: Domine, Quid ni? ego hactenus credidi. credo nunc quoq;, & uſque credam, te eſſe Meſſiam illum, filium Dei uiui, qui promiſſus à prophetis, ac multis iam ſeculis expectatus ueneris in mundum.

CAPVT QVINTVM.

ET cum hæc dixiſſet, abijt, & uocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter eſt, & uocat te. Illa ut audiuit, ſurgit citò, & uenit ad eum. Nondum enim uenerat Ieſus in caſtellum, ſed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cum uidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exiuit, ſecuti ſunt eam, dicentes: Quia uadit ad monumentum, ut ploret ibi. Maria ergo cum ueniſſet ubi erat Ieſus, uidens eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hîc, non eſſet mortuus frater meus. Ieſus ergo ut uidit eam plorantem, & Iudæos qui uenerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum, & dixit: Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Domine, ueni & uide. Et lachrimatus eſt Ieſus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce, quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? Ieſus ergo rurſus fremens in ſeipſo, uenit ad monumentum. Erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus ei erat. Ait Ieſus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, ſoror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet. Quadriduanus eſt enim. Dicit ei Ieſus: Non'ne dixi tibi: quoniam ſi credideris, uidebis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem, Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis, dixit: Pater,

gratias ago tibi, quoniam audiſti me. ego autem ſciebam, quia ſemper me audis: ſed propter populum qui circumſtat, dixi, ut credant quia tu me miſiſti. Hæc cum dixiſſet, uoce magna clamauit: Lazare, ueni foràs. Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes inſtitis, & facies eius ſudario erat ligata. Dixit eis Ieſus: Soluite eum, & ſinite abire.

COMMENTARIA.

Vt audiuit Martha, Dominum Ieſum de immortalitate fidelium omnium piè concionantem, relicto eo domum properat, ac ſororem è turba circumſedentium ſeuocat, ei'que rem lætam clanculum inſuſurrat in aurem: Magiſter, inquiens, adeſt, & accerſit te. Maria itaque non temerè eſſe rata, quòd ad ueniret abſq; mora, ſurrexit occurſura, priuſquam ingrederetur Dominus domũ. Iudæi uerò qui Mariæ aderant in ædibus, conſolantes eam, comitati ſunt illam euntem, ſuſpicantes quòd iret ad monumentum, atque ibi lachrimis ſatiaret animi mœrorem. Ad eum ubi ueniſſet Maria, accidit ad pedes eius, adorans eum, & lugubri uoce repetit quæ ſoror dixerat prius, dicens: Domine, ſi fuiſſes hic, potuiſſes uel uerbo pellere morbum fratris, qui nunc uita functus eſt. Ad hanc equidem querelam Mariæ nihil in præſenti reſpondet Dominus. ſatis enim cum Martha erat ea de re collocutus: ſed cum uideret eam totam eſſe in luctu, & Iudæos unà quoque flere, infremuit ſpiritu, & conturbauit ſeipſum. Eius fremitus turbationis'que cauſam D. Cyrillus eſſe putat, quòd indignatus fuerit maligno ſpiritui, cuius inuidia & ſuggeſtione mors intrauerat in orbem terrarum, quem breui erat debellaturus, & aculeum mortis ſua morte deſtructurus. Infremuit ergo quaſi minas Satanæ & morti intentans, quæ & ipſum Lazarum ſtrauerat. Poſtquam uerò Dominus horrore ſpiritus, & animi conturbatione uerum ſe hominem, & humanum affectum planè exhibuiſſet, rurſus recollegit animum, ac inquirit ubinam poſitus ſit Lazarus: non quòd ignoraret locum ſepulturæ eius, ſed quòd id ad euidentiam faceret miraculi. Iamq; uelut ad ſepulchrum commonſtratum, renouato dolore lachrimatus eſt Ieſus. Et, ut fieri ſolet, diuerſa fuerunt ſuper lachrimis Domini iudicia. Quidam enim Dominum flere putabant more aliorum, qui eos mortuos lugent quos prius habuere charos, & amore coniunctos: quum tamen potius humanam Dominus miſeriam deploraret, duræ mortis ſeruituti ſubiectam: et triſtem Lazari ſortem, ad hanc uitam plenam miſeriæ & dolorum reuocandi. Alij autem calumniantes, aſcribunt impotentiæ Chriſti, quòd Lazarus mortuus fuerit, ac dicunt: Non'ne hic nuper aperuit oculos cæci mendici? quur igitur non effecit ne tantus amicus moreretur? Ad hanc Iudæorum maleuolentiam & improbitatem (ut D. inquit Cyrillus) qui non deſiſtebant aſſiduè calumniari, & canino dente arrodere opera eius, rurſus infremuit Ieſus. Deinde ut patentior oculis & magis conſpicua eſſet reſuſcitatio mortui, iuſſit lapidem tolli. Erat enim ſpelunca, cuius os ſaxo impoſito erat occluſum: Augebat præterea miraculi certitudinem & illud, quòd Martha ſui ueluti oblita, Domino obijcit, dicens: Domine, iam fœtet. hic enim quartus eſt dies, quòd ſepultus eſt. Quod quidem (ut D. Cyrillo placet) quaſi diffidens dixit, ueluti impoſſibile credens, poſſe fratrem reſuſcitari, ob dierum diuturnitatem: aut ipſi Domino ex ſyncero animi affectu timebat, ne amoto lapide graui cadaueris odore offenderetur. Ieſus ergo mulieris uacillantis fidem obiurgatiuncula excitat: An excidit, inquiens, quod tibi modò dixi? ſi credideris, futurum ut per fratris tui mortem illuſtretur gloria Dei? Suſpenſis autem omnium animis atque oculis ad nouæ rei miraculum, ſublatus eſt lapis. ac Dominus Ieſus ſuſpexit in cœlum, ut ipſo corporis geſtu teſtaretur circumſtantibus, hæc ſe diuina facere uirtute: interim etiam doceret omnes, omnia beneficia atque bona ad Deum referre authorem. Et quanquam in cœlum ſuſpiceret, nihil tamen à patre poſtulat: ſed gratias agit, ſibi'que ipſi apud Patrem gratulatur, dicens: Non nunc primum pater, datur mihi eiuſdem tecum uoluntatis eſſe, et poteſtatis. ſemper, & ab æterno omnia apud te potui: ſed propter turbam quæ circumſtat, hac utor oratione, ut omnes credant, me à te miſſum: id eſt, uerum tuum eſſe filium, tibi æqualem, quod'que uenerim in hunc mundum, ut illuſtrem apud homines gloriam nominis tui. Poſt gratulationem autem illam nihil iam ſibi cunctandum arbitrans, magna & intenta uoce clamat: non quòd uocis intentio quicquam hic ualeret, ſed ut ex æquo exaudiretur, intelligeretur'que ab omnibus, Lazarũ non alieni Dei inuocatione, ſed propria Chriſti uirtute excitari. Mox mortuo ceu uiuenti præcipiẽs

Lazare, inquit, prodi forâs. Et ſtatim ad uocē præclamātis Ieſu prodijt ſub omniū oculos, qui fuerat mortuus, et ſano quidē et integro corpore prodijt (mirabile dictu) et cum toto ornatu ſepulchrali: quo magis agnoſcerēt omnes hunc ipſum eſſe, quē ante triduū ipſi tali cultu ſepelierāt. Sicq; Christus re ipſa præſtitit, quod uerbis fuerat pollicitus, dicēs: Amē dico uobis, quòd uenit hora, et nunc eſt, quādo mortui audiēt uocē filij Dei, & qui audierint, uiuent. Dominus itē Ieſus, ne quid deeſſet ad pleniſsimā miraculi fidē, iubet eum ſolui, ut motus & alacer inceſſus oſtenderet hominē etiā ualere, nō ſolùm uiuere. Porrò etiāſi ſingula opera Chriſti admiratione ſunt digniſsima, (quis enim, ut D. Cyrillus ait, non magnopere admiretur, quòd Chriſti iuſſu et uirtute claudi rectus greſsib. inceſſerūt, q. mutis linguarū clauſtra ſoluta ſunt, q. cæcorū diu clauſa lumina tactu ſacræ man⁹ eius reſerata ſunt? Quis hæc et plura alia cōſiderās, nō diuinā potentiā obſtupeſcat?) ſed omnia parua ad ingentē Christi maieſtatē uidebātur, niſi amicus ei⁹ Lazarus moreretur: quē idcirco mori permiſit, ut eum nouo et omnib. ſeculis admirādo ordine ſuſcitando, ſeſe uitæ mortiſq; Dominum declararet.

CAPVT SEXTVM.

FActum eſt autem, dum irent, & ipſe intrauit in quoddā caſtellū. & mulier quædā, Martha nomine, excepit illū in domū ſuam: & huic erat ſoror nomine Maria, quę etiā ſedēs ſecus pedes Domini audiebat uerbū illius. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſteriū, quæ ſtetit, & ait: Domine, nō eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, ut me adiuuet. Et reſpondens, dixit illi Dominus: Martha Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porrò unū eſt neceſſariū. Maria optimā partē elegit, quæ nō auferetur ab ea. Multi ergo ex Iudæis qui uenerant ad Mariam & Martham, & uiderant quæ fecit, crediderunt in eum. quidā aūt ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Ieſus. Collegerūt ergo pontifices & Phariſæi conciliū, & dicebāt: Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & uenient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem. Vnus aūt ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autē à ſemet ipſo non dixit: ſed cum eſſet pontifex anni illius, prophetauit quòd Ieſus moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente, ſed ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum. Ab illo ergo die cogitauerunt, ut interficerent eum. Ieſus ergo iam non palàm ambulabat apud Iudæos: ſed abijt in regionem iuxta deſertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem: & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis.

COMMENTARIA.

Ingreſſum Dominum oppidulum Bethanam, Martha alacris & magno cum gaudio excepit eum hoſpitio, felicem & beatam ſe eſſe reputans, quæ mereretur ipſum excipere Dominum. Præterea Martha ſolicita erat de apparatu conuiuij, ſurſum ac deorſum curſitabat, tumultuabatur ſatagens, ne quid omnium deeſſet quæ ad ſuauiter excipiendum Dominum eiusq; diſcipulos pertinebant. Huic erat ſoror nomine Maria. Hæc neglectis curis domeſticis, aſsidebat ad pedes Domini, pendens ab ore eius. Audiebat enim illum prædicantem: & ita rapiebatur amore & deſiderio rerum cœleſtium, ut terreſtrium planè oblita eſſet. O' felicem illam. Martha uerò tota negotijs intenta domeſticis, cum ægrè ſufficeret omnibus obeundis quæ pertinebant ad apparatum, & uideret ſororem feriatam: adoritur Dominū, et muliebri ex affectu ait: Domine, an non miſeret te mei, quam uides tot curis diſtractam? Iube ut me adiuuet ſoror mea. Audit quidem Dominus hanc querimoniam: ſed eam non admodum probat, ut minus iuſtam. Tu igitur, inquit, Martha, nimis ſolicita es, ac nimius eſt ille tuus apparatus, cum multo minoribus poteramus eſſe contenti. Vna re in primis & maximè opus eſt: auſcultatione uidelicet uerbi Dei, & uera fide, internaq; pietate. Nā ſine hac re languent omnia officia. Porrò ut ſuprà non ſemel patuit, quomodo ad opera Dei afficiatur mundus: ita in præſenti hoc iterum innoteſcit. Alij enim obediunt uocationi Dei, recipiunt ſanctam Dei inſtitutionem, & rectè iudicant de operibus Dei: quales hi ſunt, qui cōſpecto tam inſigni prodigio,

digio, crediderunt Ieſum eſſe Meſsiã. Alij uerò nõ credũt, nõ obſequũtur dictis et factis Domini, ſed calumniantur illa potius. Tales erant, qui in urbẽ procurrunt, & Phariſæis quid circa Lazarum euenerit annunciant: non ut credant & Deum laudent, ſed ut ueritatem inſectentur. Hinc quoque Phariſæi, quanquam Ieſus obſtupeſcendus eſſet & admirabilis, qui tanta faceret miracula: magis tamen quærebant eum occidere. Idcirco his auditis, malitia ſua contenebrati, & quò ſe uerterent neſcientes (uidebant enim ſe ſignorum euidentia & claritudine ſuperari) collegerunt conſilium. Collecto uerò conſilio: Quid ſuadetis, inquiunt, faciendum? Hic homo multa facit admiranda. ſi patimur eum pergere, quà cœpit, futurum eſt, ut quemadmodum nunc multi è populo magnificè de illo ſentiunt, ita mox omnes ſint illum habituri pro Meſsia. Hæc illorum erat ueſania. Vt autem recta quadam ratione uideantur moueri ad obſiſtendum Chriſti conatibus, dicunt Chriſtum rebellionem in Romanos excitare uelle, & Iudæorum regnum ſibi uendicare. Quòd ſi huius rei rumor, inquiunt, ad Romanos peruenerit, Iudaicam gentem deſerto Cæſare deſciuiſſe ad nouum regem ſuum, qui non ignorant à nobis iam olim expectari regem quendam liberatorem, ſæuient armis in nos, & ſimul locum hunc ſanctum prophanæ gentes occupabunt, & totum Iudaicũ genus internecione delebunt. Vides hypocritas rei priuatæ publicum totius gentis commodum, imò & templi religionem ſuis prætexere rapinis & ſacrilegijs, impotenti iræ atque liuori. Quum uerò Phariſæi quid faciendum eſſet hæſitarent, & ſuam ſententiam in ordine conſilij proponerent: Caiphas cæteris impudentius & cum ſtomacho clamauit, quaſi inſcitiam & ſegnitiem cæteris increpitans, quòd non quid facto opus erat expeditè proſpicerent, quemadmodum ipſe uiſus eſt proſpexiſſe. Is autem erat ſummus pontifex anni illius. Iam enim ea dignitas ueluti mox in totum deſitura, non iuxta legem à Domino promulgatam cedebat: Exod. 28. ſed in ſingulos annos à principibus redimebatur uenale ſacerdotium. Is igitur qui ſe religionis antiſtitem profitebatur, cæteris omnibus magis impius: Vos, inquit, neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit unius hominis ſalutem pro tota republica negligi. Id autem dixit, uolens inducere totum illum conſeſſum in eam ſententiam, quòd expediret reipublicæ Iudæorum, Chriſto necem inferre. Atqui Deus cruento hoc Caiphæ conſilio uice utitur oraculi. Licet enim hæc oratio proficiſceretur ex animo eius qui ſceleratus erat, & parricidij plenus, & prorſus ignarus myſterij: ob ſacerdotij tamen munus quod gerebat, ex ſpiritu prophetiæ pium uaticinium prodidit: quòd ſcilicet Dominus noſter moriturus eſſet pro gente Iudæorum, & non ſolùm pro illa, ſed pro totius humani generis ſalute, quatenus illos qui ante ſecula prædeſtinati erant ut eſſent filij Dei, in unum congregaret, & unum ouile perficeret. Porrò aperit Euangeliſta, quid ex huiuſmodi praua ſuggeſtione Caiphæ, & maligna adhortatione ſit conſecutum. Inuenta iam uidebatur cauſa legitima, ob quam Ieſus ceu lues ac peſtis totius gentis occideretur. Iam ergo in ſingulas horas occaſionem quærunt, ut quod prudenter conſultaſſe uidebantur, fortiter etiam exequerentur. Ieſus autem, qui nihil ignorabat, quamdiu ab ea conſultatione in Iudæa uerſabatur, à publico abſtinebat, ne furorem adderet furori: imò ſubduxit ſeſe à uicinia urbis Hieroſolymæ, prophetarum interfectricis: & conceſsit in ciuitatem Ephraim, cui uicinum erat deſertum. Hic igitur commoratus eſt Ieſus cum diſcipulis.

Hominem per abiectionem uocant.

CAPVT SEPTIMVM.

ET factum eſt, quum eſſet in loco quodam orans, dixit quidam ex diſcipulis eius, &c. Et ait ad illos: Quis ueſtrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus uenit de uia ad me, & non habeo quod ponam ante illum: & ille de intus reſpondens dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, iam clauſum eſt oſtiũ, & pueri mei mecũ ſunt in cubili, nõ poſſum ſurgere, & dare tibi. Et ſi ille perſeuerauerit pulſans, dico uobis, & ſi nõ dabit illi ſurgẽs, eo quòd amicus ei' ſit: propter improbitatẽ tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.

COMMENTARIA.

Prædicationi uerbi Dei coniungit ubiq; Dominus preces: ergo hoc ipſum hic quoq; facit. Cæterùm quo magis excitaret ſuos ad inſtantiã orandi, et impetrandi fiduciam adderet, adiecit huiuſ-

modi

modi parabolam: Quàm exorabilis, inquit, ſit Deus, naturâ beneficus erga filios ſuos, ex uobis ipſis cõiecturam facite. Si quis ueſtrûm egeat neceſſarijs, & habeat amicum, & audeat illum etiã medio noctis adire: quãto magis adeundus Deus? & amicus dat propter improbitatem: ſcitote piũ patrem ueſtrum, & audire & curare preces ſuorum fidelium, adeoq; uelle ipſum ut orent: & orẽt quidem ſedulò, nec deficiant & deſperent, ſed perſeuerantes in conſtãti oratione & fide ſuperent. Proinde ſi ex improuiſo irruit & te inuoluit neceſſitas & afflictio, nec deſiſte precando quàm accipias, quæ in uotis ſunt, ſi modò ſancta & honeſta ſunt quæ poſcis.

CAPVT OCTAVVM.

ET erat eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et quum eieciſſet dęmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Quidã autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dęmoniorum eijcit dæmonia. Et alij tentãtes, ſignum de cœlo quærebant ab eo. Ipſe autem ut uidit cogitationes eorum, dixit eis, &c. Factum eſt autem cum hæc diceret, extollens uocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & hubera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimo. Beati qui audiunt uerbum Dei, & cuſtodiunt illud.

COMMENTARIA.

Poſtquam Dominus Ieſus expoſuiſſet ſtudia eiecti Satanæ, & fata illorum qui liberati à Satana non aduigilant, ne de nouo rurſum occupentur: mulier excitata Dei ſpiritu teſtimonium fert ueritati contra Phariſæos, ac dicit: Calumniamini dicta ac facta uiri huius, quaſi diabolica: ego uerò ex uerbis planè diuinis, ex doctrina ſinceriſsima, ex reſponſionibus eius irrefragabilibus colligo, illum eſſe ſapientiſsimum, ſanctiſsimumq;. Idcirco Ieſu Nazarene matrem tuam beatiſsimam pronuncio, quæ te talem nobis genuit uirum. Eſt enim quod dicit ex communi ſumptum loquendi genere, quo ſolemus laudem trãsferre in aliam rem uel perſonam, quoties ſignificamus, id quod laudandum ſumpſimus, nullis dignis uehi laudibus. Et nos (inquit D. Athanaſius in Euangelium de ſanctiſſima Deipara) dicimus eam iterum atq; iterum & ſemper & undequaq; beatiſsimam. Decet eam matrem ac dominam nominari, eo quòd ex ipſa prodijt Rex, Dominus ac Deus noſter, &c. Porrò ex illa occaſione incipit Dominus commendare uerbum Dei, & fidem in uerbum Dei. Et quidem non negat, ſed affirmat uentrem & ubera matris ſuæ beatiſsima eſſe: uerumtamen uult nos tam ſpectare uirginem matrem iuxta carnem, adeoq; & ſeipſum iuxta carnem, quàm id quod reuera ſeruat fidem in ipſum. Sic enim & uirgo mater felix & beata eſt facta, Elizabetha teſtante: Et beata es, quæ credidiſti: Lucæ primo. Ita quoque niſi credamus uerbis Dei, non proderit nobis ſanctitas & beatitudo Mariæ: imò non proderit nobis ipſa incarnatio Chriſti. Et Domini uerba diligenter penſitanda ſunt. Neq; enim omnes auditores uerborum pronunciat fideles ac felices, ſed auditores uerbi Dei. Ergo infelices, qui audiunt ſentimenta humana, quæ reuera uenena ſunt animarum. Neque uerò ſatis eſt audiſſe uerbum Dei, niſi etiam cuſtodias. Cuſtodit autem, qui fide recipit, & receptum in ipſa animæ penetralia recondit: & ubi opus fuerit, profert ad gloriam Dei, & utilitatem proximi, & in iuſticia perſeuerat.

CAPVT NONVM.

ET cum loqueretur, rogauit illum quidam Phariſæus, ut prandèret apud Lucæ 11.
ſe. Et ingreſſus, recubuit. Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere,
quare non baptizatus eſſet ante prandiũ? Et ait Dominus ad illum: Nunc uos
Phariſæi quod deforis eſt catini mundatis: quod autem intus eſt ueſtrûm,
plenum eſt rapina & iniquitate. Stulti: non'ne qui fecit quod foris eſt, etiam Matth. 23.
id quod deintus eſt fecit? Veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt uobis. Sed uæ uobis Phariſæis, qui decimatis mentham & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium & charitatem Dei. Hæc oportebat facere, & illa non omittere. Væ uobis Phariſæis, qui diligitis primam cathedram in ſynagogis, & ſalutationes in foro. Væ uobis, quia eſtis ut monumenta quæ non patent: & homines ambulantes ſuprà,

neſciunt. Reſpondens autem quidam ex legiſperitis, ait illi: Magiſter, hæc di cens etiam, cõtumeliã nobis facis. At ille ait: Væ uobis legiſperitis, Quia oneratis homines oneribus quæ portare non poſſunt, & ipſi uno digito ueſtro non tangitis ſarcinas. Væ uobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem ueſtri occiderunt illos. Profectò teſtificamini, quòd conſentitis operibus patrum ueſtrorum: quoniam ipſi quidem eos occiderunt, uos autem ædificatis eorum ſepulchra. Propterea & ſapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas & Apoſtolos, & ex illis occident, & perſequentur, ut inquiratur ſanguis omnium Prophetarum qui effuſus eſt à conſtitutione mundi à generatione iſta à ſanguine Abel uſq; ad ſanguinem Zachariæ, qui perijt inter altare & ædem. Ita, dico uobis, requiretur ab hac generatione. Væ uobis legiſperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ: ipſi nõ introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis. Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Phariſæi & legiſperiti grauiter inſiſtere, & os eius opprimere, de multis inſidiantes ei, & quærentes aliquid capere ex ore eius, ut accuſarent eum.

COMMENTARIA.

Inuitauit Dominum Phariſæus, uel animo recto, ut benefaceret homini bene merito: uel animo inſidioſo & prauo, ut uidelicet populo qui Dominum magnifaciebat, commendaret ſe, ſimulans ſe egregie fauere Domino. Et Dominus quidem ſciebat Phariſæorum liuorem, & nihilominus comedit cum eis, propter iſthuc ipſum quòd mali erant, & correctione opus habebant. Quum autem Dominus accubuiſſet illotus, idq; præter morem Phariſæorum: cœpit Phariſæus tacita ſecum cogitatione mirari, quid eſſet cauſæ cur nõ lauiſſet Dominus, priuſquã accumberet. Dominus igitur ſtultam conſuetudinem eorum taxat. Et quia tempus erat menſæ, calicis & catini meminit, ab his quæ ob oculos ſita erant teſtimonium afferens, et perſuadens Phariſæis, quòd ſicut nulla quidẽ eſt utilitas (ut Theophylactus docet) extrinſecus mundum eſſe poculum, intrinſecus aũt impletũ eſſe ſordibus: ſic neq; ſi corpus baptizetur, anima autem plena ſit omni immundicia, utpote rapina & malicia. Ait ergo: O' ſtulti, peruerſiq; iudicij. Non'ne qui condidit corpus, idem condidit animum? itaq; ſi puritas uſqueadeò cordi eſt, oportebat totũ hominem purũ facere. Deinde uerò docet eos, quomodo purgandũ ſit: nempe quòd interius, per eleemoſynam ſcilicet. Forſan alluſit Dominus ad Danielis cõſilium, quod regi dedit dicens: Rex, peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum: Danielis 4. Nec hoc ſolùm, ſed etiam in alijs quanta gratia ſit expreſſum, tenes: Tobiæ 12. & Eccl. 29. Cæterùm cum probè ſciret Chriſtus, affectiones illorũ malas quibus laborabant, auariciã ſcilicet, inuidiã, & quæ ex inuidia proueniunt, breuiter uicia eorum perſtringit. Primò, ut qui uiliorũ fructuum decimis conferendis omne ſtudium intendant ſuum: uerùm nec ullum iudicium iuſtum, nec futuri iudicij metum, nec aliquam Dei habeant charitatẽ. Poſtmodũ obijcit & inexplebilem gloriæ mundanæ ſitim. Increpat & eorum hypocriſim, cõparans ipſos monumẽtis quib. inambulãt homines ſecurè, neſciẽtes quid lateat intus. Ita enim populus fidebat plurimùm Phariſæis, ueluti ſanctis & iuſtis: ignorabat interim, quòd in animo latebat illorũ auaritia, impuritas, et omnis generis ſpurcitia. Quum ergo hæc aliaq; magna ſeueritate diceret Dominus in fucatã Phariſæorum ſanctimoniã, quidã è legiſperitis ſtudẽs cohibere libertatẽ Ieſu, dixit illi: Dum iſta dicis in Phariſæos, nos quoq; afficis contumelia. At Ieſus, æterna ueritas, quæ neſcit aſſentari, ſed iuſta libertate & ſeueritate utens, reſpondit legiſperito, ac obijcit tyrannidem in liberas animas, quas ſtultis & ſuperſtitioſis legibus opprimebãt: obijcit item crudelitatem, atrocia parricidia, & cõmunionem in ſanguine cum parricidis patribus, necnon infandam in Deum & miniſtros eius ingratitudinẽ. Ad finem uerò adijcit grauẽ aſſeuerationẽ, qua cõfirmat, Deum certò requiſiturũ ex ipſis ſanguinẽ innoxium, hæc ſubijciẽs: Etiam atq; etiã uæ uobis legiſperitis, qui cum profiteamini legis cognitionẽ quæ ſpiritualis eſt, et uindicaueritis uobis clauem ſciẽtiæ quæ debebat aperire aditũ in regnũ cœlorum: tamẽ nõ ſolùm ipſi nõ introiſtis, uerùm alios introire uolẽtes excluſiſtis. Clauẽ ſcientiæ (inquit Theophylactus) nominauit Dominus, doctrinã & legis manuductionẽ, quæ ualebat adducere ad Chriſtũ. Lex enim omnino nos ad Chriſtum manuducit. Legiſperiti igitur, qui uidebantur ſibi interpretari legem, rectè clauem malignè tenebant, & non aperiebant ianuas legis, per quas intrarent

intrarent & ipſi & populus ad Chriſtum, quandoquidem lex ianua eſt ad Chriſtum. Veruntamē ianua iſta clauſa eſt, niſi quis obſcuritatem legis aperiat, faciatq; manifeſtam. Hæc ille. Cæterum ad huiuſmodi ſermones Chriſti ſubamaros quidē ob libertatem ueritatis, ſed ſalutiferos, ſi uoluiſſent recipere pharmacum, uehementer offenſi ſunt ſimul & Phariſæi & legiſperiti. Hinc ergo cœperunt grauiter inſiſtere, & captioſè interrogare eum de multis, uenantes ſi quid proficiſceretur ab ore eius, unde poſſent illi calumniam ſtruere, ne priuato quodam odio, ſed ſtudio religionis & pietatis uiderentur illum perſequi.

CAPVT DECIMVM.

Ait autem quidam de turba: Magiſter, dic fratri meo ut diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo, quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem ſuper uos? Dixitq; ad illos: Videte & cauete ab omni auaricia, quia non in abundantia cuiuſquam uita eius eſt, ex his quæ poſsidet. Dixit autem ſimilitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiuſdā diuitis huberes fructus ager attulit, & cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciam, quòd non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora faciam. Illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicā animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit aūt illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?

COMMENTARIA.

Dixerat Dominus Ieſus diſcipulis ſuis: Non eſt quod uereamini conſpectum publicæ poteſtatis, aut ſoliciti ſitis, ut meditata oratione uos ipſos defendatis. Hanc, quoties opus erit, ſuppeditabit Spiritus ſanctus. His uerò admonitos eſſe uoluit, ne terror iudiciorum abduceret illos à ſinceritate profeſsionis Euangelicæ. Verùm quia multos pecuniæ ſtudium corrumpit, ut & hunc affectum eximeret Dominus ex animis diſcipulorum, oblatum eſt argumentum, per quod ita fieret. Quum enim eſſet frequentiſsima turba circa Ieſum, neq; quiſquam antehac rem tam humilem auſus fuiſſet ab illo petere, quidam dixit illi: Magiſter, frater meus occupat hæreditatem communem, ac tergiuerſans prorogat partitionem. Dic illi, ut mecum diuidat hæreditatem. Ieſus autem uelut indignās, reſpondit: Homo, quis me conſtituit ſupra uos iudicem, aut diuiſorem? Mihi non eſt delegatum, ut hic aut ille diteſcat hæreditate, ſed ut omnes perueniant ad hæreditatem uitæ immortalis. Bene (ait D. Ambroſius) terrena declinat, qui propter diuina deſcenderat: nec iudex eſſe dignatur litium, & arbiter facultatum, qui propter diuina deſcenderat, uiuorum habens mortuorumq; iudicium, arbitriumq; meritorum. Occaſione uerò accepta Dominus ab hoc auaro homine, conuerſus ad diſcipulos, deniq; ad totam auditorum ſuorum turbam, dehortatur eos à ſtudio diuitiarum, non quòd per ſe malæ ſint, ſed quòd in his uitæ præſidium ponere, & harum ſtudio reuocari ab his quæ pertinent ad æternam felicitatem, malum ſit. Non enim abundantia facit ad felicitatem, ſed potius ad ſolicitudinem, & contemptum eorum quæ ſola quærenda ſunt. Id ut craſſo populo altius infigeret, adiecit Dominus ſimilitudinem, qua ob oculos demonſtrat, quod ſententia præcedente propoſuit: Erat, inquit, homo locuples, cuius agri fructus uberrimos attulerant. Ille uerò nihil interim cogitans de ſubleuanda proximorum egeſtate, ſed perinde ac quod natū eſſet uni natum eſſet, de recondendo ſolicitus eſt, nō de erogando. Nulla apud eum cogitatio de beneficentia Dei, de gratijs agendis, de iuſtè diſpenſandis facultatibus. Dixit enim apud ſe: Quid faciam? Annonæ ubertas maior eſt, quàm ut horrea mea ſufficiant recondendis ijs quæ prouenerunt. Profectò ſi charitatē adhibuiſſet in cōſilium, quum ſic æſtuaret animo, dixiſſet illi: Circūſpice, quàm multis deſit quod tibi ſupereſt. Sortē indulſit Deus unde colligas uſuram operū cœleſtiū: quandoquidē qui paſcit pauperem, Deū paſcit. At quoniā ſtulticiā in cōſiliū adhibere maluit, totus occupatur hic diues ædificijs extruēdis, in quæ recōdat prouentū, cæteraq; bona ſua. Iā & finē & abuſum opū iniquarū attingēs Domin⁹, fingit diuitē illū in tuto collocatis omnib⁹ ſibi ipſi gratulari, blandiriq;, ac ſeſe ad ſtadiū quoque uoluptatum excitare, ac dicere: Anima habēs repoſitā magnā rerū copiam, quæ ſufficiat in multos annos: iam ergo fruere ijs, ociare ſecura, comede ac bibe lautiſsimè, & oblecta te? Sicq; diues

pollicebatur

pollicebatur ſibi uitam cùm longæuam tum beatam. Verùm audi, quid dicat os ueritatis: Stulte, tu polliceris tibi multos annos, quos uoluptuoſè uiuas, in quos proinde collegiſti immenſos theſauros: ſed non uiues uſq; in craſtinum, hac nocte morieris. Neq; in tua poteſtate eſt tua uita. Qui eam tibi ueluti locauit, repetet eam per miniſtros potentiſsimos. Quæ uerò paraſti, cui cedent? Non utiq; tibi, qui nudus egreſſus es ex utero matris, nudus reuerteris in terram noſtrorum omnium matrem. Relinquis opes, uel hæredibus ferè ingratis, uel alijs hominibus qui nullam tui rationem habent, nullas tibi gratias agunt, ſed opes tuas animæ etiam diſpendio ſudoribusq; maximis partas prodigunt. His dictis Dominus inducit illationem, adaptatq; parabolam, dicens: Quod de diuite hoc dixi, de omnibus illis intelligi uolo, qui neglecto pietatis ſtudio opes recondunt. Obſeruandum tamen, quòd non ſimpliciter damnat aliquid in futurum recondere, ſed fraudatores pauperũ. Fuere diuites in hoc ſeculo Abraham, Loth, Iob, Ioſeph, & alij multi, ac repoſuerunt facultates: uerùm in futuram neceſsitatem. Gen. 41. atq; interim fuerunt miſericordes & benefici in pauperes.

CAPVT VNDECIMVM.

Vendite quæ poſsidetis, & date eleemoſynam: id eſt, diſtrahite ueſtras poſſeſsiones, & de ueſtris facultatibus proprijs benefici & miſericordes eſte.

Matth. 24.

DIxitq́; ad diſcipulos ſuos: Ideo dico uobis, nolite timere puſillus grex: quia complacuit patri ueſtro, dare uobis regnum. Sint lumbi ueſtri præcincti, & lucernę ardentes in manibus ueſtris: & uos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quãdo reuertatur à nuptijs, ut cum uenerit & pulſauerit, confeſtim aperiant ei. Beati ſerui illi, quos cum uenerit Dominus inuenerit uigilantes. amen dico uobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Et ſi uenerit in ſecunda uigilia, & ſi in tertia uigilia uenerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamiliâs, qua hora fur ueniret, uigilaret utiq́;, & non ſineret perfodi domum ſuam. Et uos eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis ueniet. Dixerũt aũt: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſeruus, quem, cum uenerit Dominus, inuenerit ſic facientem. uerè dico uobis, quia ſuper omnia quæ poſsidet, conſtituet illum. Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo: Moram facit Dominus meus uenire, & cœperit percutere ſeruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari, ueniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua neſcit, & diuidet eum, partemq́; eius cum fidelibus ponet. Ille autem ſeruus qui cognouit uoluntatem Domini ſui, & non ſe pręparauit, & non fecit ſecundum uoluntatem eius, uapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Omni autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.

COMMENTARIA.

Dominus Ieſus nominat diſcipulos, & doctrinam ſuam ſuſcipientes, puſillum gregem: uel quòd pauci ſint in mundo qui ſponte paupertatem illam obeant: uel quòd, ſi ad angelos conferantur, numero incomparabiliter (ſic enim loquitur Theophylactus) inferiores ſint: quia multo plures ſunt angeli. Præterea inquit: Complacitum eſt patri, per ueſtrum miniſterium regnum illud cœlorum in hoc corruptiſsimo mundo erigere, ut in ijs in quibus regnauit hucuſque Satanas & omnis generis corruptio, regnet porrò Chriſtus, & omnis integritas. Quos ut perfectius inſtruat, quales in hoc officij genere eſſe debeant, parabola longè uenuſtiſsima iterum ad oculum demonſtrat, qualem eſſe deceat uitam hominum Chriſtianorum: & eorum in primis, qui ad miniſterium uerbi Dei ſelecti ſunt. Nam ubi amouiſſet Dominus curas & ſolicitudines, oſtendit iam, quomodo attentis & unicè in Deum eleuatis mentibus eſſe oporteat. Sumpſit autem parabolam à ſeruis, quibus receptum eſt, itineri ſeſe parare, faces inſtruere, & expectare redeuntem à nuptijs dominum. Quis autem hic Dominus, quàm Chriſtus Ieſus, qui humanam quidem aſſumpſit naturam (ut Theophylactus ſcribit) & ſicut ſponſam copulauit ſibi?

*Nuptię apud ueteres noctu celebrabãtur.

Deinde uerò ut Dei filius cœlum ingreſſus, ad nuptias & gaudia perpetua aſſumptus eſt: idem ille à nuptijs & gloria cœleſti redibit in iudicium, iudicaturus uiuos & mortuos. Venit præterea Dominus, quum extrema hora quemq; euocat è uiuis in aliud ſeculum. Hic lumbis præcincti ſimus oportet: id eſt, animis præparatis itineri, uoluntarijs curis huius ſeculi ſepoſitis. Iam & facem ardentem geramus oportet: hoc eſt, fidem per charitatem operantem, per quam in nobis luceat lux illa uitæ, lucens in uitam æternam: Galat. 5. Aperit autem Domino pulſanti unuſquiſq;, cum ſponte ſemetipſum præbet obſequentem uocanti Chriſto. Cæterùm ut ſcirent dilecti diſcipuli, ſe non incaſſum laboraturos, proponit præmium quod daturus eſt ſeruis illis uigilantibus. Hoc eſt autem præmium, quòd in regno cœlorum ſancti per omnia (ut cum Theophylacto loquamur) quieſcent. Etenim in hac uita quietem nemo inuenit, cum ſit ſcriptum: Homo natus de muliere, breui uiuẽs tempore, repletur multis miſerijs. Alibi autem cum animabus ſpiritualia & diuina ſanctorum corpora incorruptionem hæreditabunt, & omni quiete fruentur. Porrò ſecunda & tertia uigilia, ſunt uaria & diuerſa uitæ humanæ tempora. Vnde etiam uigilia eſt diligens & ſobria uitæ cuſtodia, ſtudium exercitiumq; pietatis. Ad quam ſanè ſobriam uigilantiam cum ita adhortatus eſſet Dominus diſcipulos ſuos, Petrus ceu curam omnium habens, & pro auditoribus ſolicitus, tanquam fratrum amator, & cui iam concredita Eccleſia, interrogauit Dominum, an id dictum uelit ſolis Apoſtolis, an in uniuerſum hominibus omnibus. Dominus uerò non reſpondet manifeſtè ad interrogationem: ſed occulto quodam modo indicat, quòd dicta parabola communis ſit, & ad omnes quidem pertineat fideles: potiſsimùm tamen ad Apoſtolos, eoſq; qui uel doctrina uel dignitate præſunt. Primò igitur requiritur in ſeruo, ut fidus ſiue fidelis ſit. Fidelitas illa non tantum complectitur fidem ſeu religionem ſanctam, ſed ueritatem ſtudiumq; ardens. deinde oportet, ut uigilans & frugi ſeruus, ſit prudens. Comprehendit autem prudentia ſcientiam & peritiam rerum, ut ſuo quæuis loco & tempore dicantur & fiant. ideo enim additur, Vt det illis cibum in tempore: uidelicet iuſto & accommodo. Illis autem ſeruis ſic fidelibus & uigilantibus, ipſam pollicetur Dominus beatitudinem: beatitudinis uocabulo comprehendens, quicquid eſt felicitatis ueræ. Simul autem officium fidelis uigilantiſq; ſerui iterum perſtringẽs, quem cum inuenerit Dominus eius ſic facientem, non quod ipſi ſua dictauit libido, ſed quemadmodum ipſi commiſit Dominus: amen dico uobis, præficiet eum omnibus bonis ſuis, ac ueluti rerum omnium conſortem habere dignabitur. Quandoquidem uerò ſunt & inertes ſtertenteſq; ſerui, mox etiam & illorum ingenium depingit Dominus. Origo autem ignauiæ & rei ſegniter geſtæ, eſt pectus omni timore Dei uacuum. Quando igitur ſeruus nec bonæ fidei fuerit, nec prudens, ſed elatus abſentia Domini, ac delegata præfectura, certè dicturus eſt: Differt Dominus meus reditum, idcirco morem geram animo meo: tum fiet, ut ſæuiat in conſeruos & ancillas, tyrannidem quandã uſurpans, ipſe interim commeſſetur & inebrietur, heri bona fœdis uoluptatibus luxuq; prodigens. At quid futurum arbitramini, inquit Chriſtus, tali diſpenſatori? nimirum redibit Dominus hora qua neſciebatur, ac famulum illum ſecurè quidlibet facientem amputabit à familia ſua, à conſortio ſanctorum, et annumerabit eum reliquis infidelibus, luiturum pœnas. Cæterùm quæ ſequuntur, quoq; pertinent ad explicandam pœnam perfidis debitã, & æquitatem diuinorum iudiciorum adumbrant. Proinde qui acceperunt dona Spiritus ſancti, nec ijs bene uſi ſunt ad gloriam Dei, & proximi utilitatem promouendam, grauius multo punientur quàm qui exigua aut nulla ferè dona perceperunt. Nemo ergo iuſti iudicis Dei pœnas ſubterfugiet. Rogas autem, quomodo aut quare puniat Deus quoq;, qui non cognouerunt uoluntatem eius? Reſpondet Apoſtolus: Quicunq; ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: Roman. 2. Porrò quemadmodum heri rationem exactiorem exigunt ab eo cui plus commiſerunt: ſic ab eo cui copioſius cognitionis & autoritatis munus datum eſt à Deo, plus requiretur quàm à cæteris: & cuius fidei latior & maior functio delegata eſt, quo pluribus prodeſſe debuit, hoc plus exigetur ab eo. Timeamus fratres, inquit Theophylactus. Nam ſi is qui nihil ſcit, omnino dignus eſt plagis: quæ excuſatio liberabit eos qui ſciẽter delinquũt, maximè ſi doctores fuerint? Grauior enim hæc eſt condemnatio.

CAPVT DVODECIMVM.

IGnem ueni mittere in terram: & quid uolo, niſi ut accendatur? Baptiſmo autẽ habeo baptizari, & quomodo coartor uſquedũ perficiatur? Aderant autem

autem quidam ipſo tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificijs eorum. Et reſpondens, dixit illis: Putatis, quòd hi Galilæi præ omnibus Galilęis peccatores fuerint, qui talia paſsi ſunt? Non, dico uobis. imò ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Sicut illi decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos, putatis quia & ipſi peccatores fuerint, præter omnes homines habitantes in Hieruſalem? Non, dico uobis: ſed ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Dicebat autem & hanc ſimilitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in uinea ſua, & uenit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem uineæ: Ecce, anni tres ſunt ex quo uenio, quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? At ille reſpondens, dixit ei: Domine, dimitte illam & hoc anno, uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora, & ſiquidem fecerit fructum: ſin autem non, in futurum ſuccides eam.

COMMENTARIA.

Multa hactenus diſſeruit Dominus Ieſus de uerbo Dei, & miniſtris ipſius uerbi: quibus nonnihil iam attexit de effectu uerbi Dei, admonens ut oblatum recipiamus. Per ignem ergo (ut Theophylactus inquit) prædicatio intelligitur. Sermo enim ignis eſt, qui conſumit omnem materialem & imperfectam cogitationem. Deinde igni adumbratur uerbum Dei propter puritatem, & quòd impura abſumens, calore Spiritus ſancti gelida membra calefacit & fouet, quo uegeta ſint ad perficienda bona opera. Venit autem Chriſtus, filius Dei in hunc mundum, ut totum terræ orbem illuminet, & inflammet uerbo Dei, quòd peccata exurat, & omnem impuritatem è medio tollat. Iam etiam tempus deſignat ipſe, quando hic ignis in mundo ſit inflammandus: Prius, inquit, baptizabor: quod ut perficiam, mirum eſt quàm angar. Baptiſma autem mortem ſuam dicit (teſte Theophylacto) quam ſitiuit pro omnium ſalute, ut quos amabat impenſiſſimè. Cum autem ad eum quem audiuimus modum Dominus turbas doceret, ueniunt quidam, afferentes triſte & crudele nuncium de Pilati præſidis facinore. Is enim Galilæos aliquot inter ſacrificandum obtruncarat. Videntur Galilæi iſti aſpiraſſe ad libertatem, ac ſecuti pſeudoprophetam aliquem, qui illam ampliſſimis uerbis pollicitus, à ſacrificijs iuſſerit negociū ordiri, quo felicius cederent omnia. Hoc cum audiuit Pilatus, collectis militibus, ſacrificantes adhuc adortus oppreſſit, atque eo modo ſanguinē eorum cum ſacrificijs ipſorum miſcuit. Inde uerò Dominus, qui omnia retulit ad inſtitutionem & ædificationem, occaſionem ſumpſit, ac omnes inhortatus eſt ad pœnitentiam, coniungens huic & aliud exemplum, & caſum triſtem oppreſſorum caſu turris Siloe. Ex Domini autem uerbis apparet, turrim eam quæ corruit, in ea muri Hieroſolymitanæ urbis parte poſitam fuiſſe, qua influit in urbem riuus Siloe, piſcinam conſtituens. Certè portæ huius mentio fit Nehemiæ 3. Fortaſsis igitur laborarunt in ea reficienda artifices, quos corruens turris uel porta ruinoſa oppreſſit. Docet præterea Dominus, nos aliena calamitate bene uti: ut ſcilicet cogitet quilibet noſtrûm, patientib. aduerſi aliquid proximis noſtris, maiora & acerbiora nobis deberi, utpote inobſequentibus: & patienter ferendam manum Domini, ad ſanandum paternè ferientem. Et emendatione uitæ prauæ placandam eſſe iram Domini, ne in uniuerſum pereamus: Ieremiæ 18. Quia uerò diligenter hortatus eſt Iudæorum gentem, imò omnes homines, ad agendam pœnitentiam Dominus: quo hoc ſalutare dogma altius animis auditorum imprimeret, parabolam à re ruſtica ſumptam producit. Eſt igitur ficus, ipſo Theophylacto atteſtante, Iudæorum generatio, folia tantum amara faciens, & nullum fructum proferens. Paterfamiliâs autem, Chriſtus. Hic uenit, & quæſiuit fructum fidei, bonorum'que operum in ea: at non inuenit. tribus quidem annis, per Moſen ſcilicet, per Prophetas, deinde uerò per ſeipſum. & quia non pœnituerunt, à dilectione Dei eos abſecuit. Non ultrà enim gens Dei, & populus ſanctus uocatur. Quòd ſi quis allegoriam ſectari uult, poterit & per ficum totum genus humanū intelligere: quod cum propter peccatum primi hominis nullū ederet fructum (omnes enim, dicente Propheta, facti erant inutiles, & non erat qui faceret bonum) iratus Dominus Deus excindere uoluit. Chriſtus autem uerus uinitor rogauit patrem, nec ſinebat ficū illam ſterilem execari: Hebr. 10. 1. Ioan. 2. dicebat enim: Licet per legem & prophetas non fuerint

facti meliores homines, nec quoq; per legem naturæ, & pœnitentiæ fructum non fecerint: tamē me irrigante meis doctrinis, & plantantibus deinde Apoſtolis, fortaſsis facient fructum obedientiæ. ſin minus, execabis illam, exectis illis à iuſtorum regione, & ſanctorum conſortio.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

ERat autem docens in ſynagoga eorum ſabbatis. Et ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere. Quam cum uidiſſet Ieſus, uocauit eam ad ſe, & dixit illi: Mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua. Et impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum. Reſpondens autē archiſynagogus, indignans quia ſabbato curaſſet Ieſus, dicebat turbæ: Sex dies ſunt, in quib. oportet operari. In his ergo uenite, & curamini, & non in die ſabbathi. Reſpondens autem Dominus ad illum, dixit: Hypocritæ, unuſquiſque ueſtrûm ſabbatho nō ſoluit bouem ſuum aut aſinum à pręſepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahę quam alligauit Satanas, ecce decē & octo annis, non oportuit ſolui à uinculo iſto die ſabbathi? Et cum hæc diceret, erubeſcebant omnes aduerſarij eius, & omnis populus gaudebat in uniuerſis quę glorioſè fiebant ab eo.

COMMENTARIA.

Cum docet in Synagoga, & Sabbatis quidē, demonſtrat ſanctificandum ſabbatum, ſub hæc legitimum uſum templorum. Accidit autem ut hic eſſet mulier ualida, & euidente infirmitate laborans: ob quam incurua erat, & toto pectore deflexa in terram, ita ut nec ullo modo ſe erigere poſſet. Hic autem uide miram gratiam & miſericordiam Chriſti, in eo quòd non expectat, donec ipſa poſtulet beneficium, ſed præuertit ipſam, nec rogantem aut petentem quicquam prior alloquitur, & ſua ſponte ex mera gratia ſanat. Sanat autem iuſſu ſiue uerbo, & contactu. Et illa liberata à diutina infirmitate, glorificabat Deum, huic omnem tribuens gloriam, & ei gratias pro reddita ſanitate agens. Verùm cum id uidiſſet archiſynagogus, ficus ſterilis, ac folijs tantum lege ſeſe uenditans oculis hominum, indignans quòd Ieſus ſabbatho ſanaſſet mulierem, ueluti rem magnam docturus, uertit ſe ad concionem, ac magna cum authoritate ait: Sex dies ſunt, in quibus fas eſt opus facere. Proinde ſi quis ſanari cupit, ueniat illis diebus. Sabbathum autem uiolare nephas eſt. At clementiſsimus Dominus, pater pauperum, ueritatis & religionis ſinceræ defenſor, acriter illius increpationem in illum retorquens, & illum erroris redarguens, appellat hominem ſimulatorem, & nulla uera fide & pietate imbutum. Vera pietas de ſabbatho ſic iudicat, inſtitutum eſſe à Deo, hominis cauſa, religionis'que prouehendæ. Ideo'que ſanctificare ſabbathum, eſt ſanctis operibus inuigilare, uerbum Dei audire, & benefacere omnibus. Hanc ergo tam ſtolidam uocem non tulit clementiſsimus Dominus, ſed ait: Videte quàm hic ſitis iniqui iudices. Quis ueſtrûm eſt, cui ſabbati religio obſiſtat, quò minus à præſepe ſoluat bouem ſuum, aut aſinum, adaquaturus illum? Si iudicatis non uiolari ſabbatum ob beneficium, quod muto iumento impenditur: mihi uerò facinus atrox impingitis, quòd hanc Abrahæ filiam germanam, uidelicet parentem ſinceritate fidei referentem, ſanarim ſabbato? Præterea allegat infirmitatem à Satana inflictam, necnon morbi diuturnitatem, ut & commiſerationem commoueat, & neceſsitatem facti ſeu beneficij oſtendat. Notandum autem, quòd (quemadmodū ex hiſtoria Iob liquet) Satanas accepta poteſtate à Deo in corpora & fortunas hominum, affligit & diuexat ea, quantum ſcilicet permittitur: alioqui per ſe nullam poteſtatem habet in ullam creaturam. Qui ergò bene ſibi conſultum uolunt, piarum admonitionum ab Apoſtolis factarum recordantur, & liberari petunt ſemper à malo dæmone. Cæterùm hic ſermo Ieſu, quoniam perſpicuam habebat ueritatem, pudorem incuſsit obtrectatoribus illis. At impij erubeſcentia illa non curantur, ſed indurantur magis: populus contrà gaudet, & gratulatur ſibi de Dei beneficētia, ac laudat Dominum Deum, totius bonitatis autorem.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

ET ibat per ciuitates & caſtella, docens, & iter faciens in Hieruſalem. Ait
autem illi quidam: Domine, ſi pauci ſunt qui ſaluantur? Ipſe autem dixit
ad illos: Contendite intrare per anguſtam portam. quia multi (dico uobis)
quærent intrare, & non poterunt. Cum autem intrauerit paterfamiliâs, &
clauſerit oſtium, & incipietis foris ſtare, & pulſare ad oſtium, dicentes: Do-
mine, aperi nobis. Et reſpondēs dicet uobis: Neſcio uos unde ſitis. Tunc inci
pietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis noſtris do
cuiſti. Et dicet uobis: Neſcio uos, unde ſitis. Diſcedite à me omnes opera-
rij iniquitatis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium, cum uideritis Abraham, & I-
ſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, uos autem expelli forâs. Et
uenient ab Oriente & Occidente, & ab Aquilone & Auſtro, & accumbent
in regno Dei. Et ecce ſunt nouiſsimi qui erant primi, & ſunt primi qui erant
nouiſsimi. In ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorū, dicentes illi: Exi, & ua-
de hinc: quia Herodes uult te occidere. Et ait illis: Ite, & dicite uulpi illi: Ecce
eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſumor. Ve
runtamen oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare, quia non capit
Matthæi 23. prophetam perire extra Hieruſalē. Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis Pro-
phetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, quotiens uolui cōgregare filios tu
os, quemadmodum auis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti? Ecce relinque
tur uobis domus ueſtra deſerta. Dico autem uobis, quia non uidebitis me, do
nec ueniat cum dicetis: Benedictus qui uenit in nomine Domini.

COMMENTARIA.

Vnicum ſemper fuit ſtudium Domini, docere. hinc ſanè ut communis Dominus, imò ut pater qui omnium curam agit, ubique circumit, docens. Cum autem docendo urgeret pœnitentiam, minaretur exitium impœnitentibus, & requireret à ſaluandis iuſta & uerè bona opera: eſt, qui hæc ab hominibus præſtari poſſe dubitet. Aggreſſus ergo Ieſum: Domine, inquit, ſi ita habet res ſalutis & uitæ æternæ, ſicuti tu doces, neceſſariò ſequitur, pauculos admodum homines ſeruari. Dominus uerò: Non diſputate curioſè, reſpondet, qui & quot ſint ſaluandi: ſed conamini, ut & uos ſitis in ſaluandorum numero. nolite quærere abſtruſa & occulta: uires potius exerite omnes, ut quod iuſtum & ſanctum eſſe ſcitis, efficiatis. Scitote autem, anguſtum eſſe ingreſſum qui ducit ad latitudinem regni cœlorum. Et illud affirmo uobis, quòd in ultimo die iudicij multi cupient ingredi in uitam, ſed excludentur ex participatione uitæ æternæ: quia per hanc uiam difficilem, per quam ſolam peruenitur ad æterna gaudia, ingredi noluerunt. Porrò hoc dictum ſuum Dominus eleganti illuſtrat parabola, admonens ut in tempore pœnitentiam agant, & prouideant ſibi uirtutum ſtudio in futurum. Nam paterfamiliâs Deus eſt, ita appellatus, cùm propter curam eius diligentiſſimam, tum propter amorem quo nos amplectitur: hic claudit oſtium, cum ex hoc ſeculo euocamur, cum iudicio Deo ſiſtimur. Iam quidem dum hic uiuimus, patet uia ad uitam ingredientibus fide: at ubi hinc migrauerimus, nulla eſt in futuro ſeculo illa expiandi uia: dicente quoque Chriſto. Venit enim nox, in qua nemo operari poteſt. Nec ualebunt apud iudicem Deum hypocritica, & non uera pœnitentiæ & fidei opera. Dicit enim: Quum intrauerit paterfamiliâs, & clauſerit oſtium, quod nunc patet omnibus adnitentibus, tum ſerò reſipiſcentes agnoſcetis errorem ueſtrum, & inuidentes his qui ſunt ingreſſi, incipietis obſidere oſtium, ac petere ut intrò mittamini: tunc ille qui prius non eſt auditus, inuitans ad ingreſſum, non audiet uos. imò dicturus eſt: Audio nomen Domini, ſed ego uos non agnoſco famulos. quærite eum cui ſeruiſtis. nihil proderit commemorare: Apud nos natus es, edimus ac bibimus tecum, & in plateis noſtris tu docuiſti. Iſta enim mihi non efficiunt germanos diſcipulos. Qui meis ueſtigijs ingreſſus fuerit, hunc ego pro meo agnoſcam. Famuli mei quoniam mecum & mea cauſa paſsi ſunt, mecum æterni conuiuij iucunditate fruentur. Vos qui ſeculi uoluptates propoſuiſtis

ſuiſtis æternæ felicitati, illuc abite, ubi erit fletus & ſtridor dentium. Augebit autem calamitatem ueſtram aliorum conſpecta felicitas. Videbitis progenitores ueſtros, Abraham, Iſaac, & Iacob, ac prophetas omnes ineffabili gaudio exultare, accumbentes in regno Dei, ac uos ab his prognatos expelli forás. Accedet & aliud, quod acrius etiam uret animos ueſtros. Vobis repulſis uenient ex omni totius orbis natione, quibus nihil fuit cognationis tum Abraham, Iſaac, & Iacob, nulla noticia legis, nulla mecum familiaritas: & ſubitò per fidem adoptati in filios Abrahæ, accumbent in regno Dei. Quoniam autem hæc inuiſa Iudæorum auribus, Phariſæi quidam ut iniecto metu obturarent os Euangelicum, adierunt Ieſum, dicentes illi: Conſule uitæ tuæ, & relinque Galilæam. Nam Herodes huius prouinciæ rex, tibi malè uult, & uenatur occaſionem occidendi te. Scitiſſimè uerò reſpondet Dominus artibus aduerſariorum, non uerba ſpectans, ſed magis animum loquentium. Vulpes quidem ut doloſæ, ita fœdiſſimæ ſunt. Hoc itaque probri pulchrè hæſit in Phariſæis, qui artibus & uulpino ingenio cum Domino agebant: deinde in Herode, qui ut aſtutus erat nebulo, ita fœdiſſimus erat ganeo, ſcelerum maximorum fœtens infamia. Dicit ergo Dominus: Nunciate beſtiæ Herodi, me nihil nocere ipſi & imperio eius. Non eijcio Herodem regno, eijcio dæmonia, expello ex hominibus ſcelera, benefacio omnibus. Habeo item tempus meum mihi præfinitum, quo opera ſalutis perficiam. Vtcunque igitur mihi inſidiamini, ſatagatis´que me opprimere, non ſuccedent tamen uobis ad uotum ueſtra conſilia. Docebo & agam adhuc ſalutis negocium aliquot diebus, deinde concedam in urbem illam ſanguinariam Hieroſolymam. Non enim poteſt alio loco quàm Hieroſolymis perire propheta. Ita diſertè prædicit, ubi ſit paſſurus, & per quos interficiendus: ut ſic quoque declaret, ſe eſſe Deum uerum & Saluatorem illum mundi, promiſſum in lege & prophetis. Cæterùm breuiſſimo compendio colligit Dominus gentis Iudaicæ ingratitudinem: Amorem uerò Dei ingentem, ſingularem, & ardēs ſeruandi ſtudium, appoſita ſimilitudine á gallina ſumpta demonſtrat. Attribuunt autem phyſici huic aui ſingulare quoddam ſtudium prouehendi pullos. Ideo uerò Prophetas miſit Deus, ut per ipſorum ora teſtaretur amorem ſuum in gentem Iudaicam: utq; rationem indicaret, quomodo ſeruari poſſet: & hanc uoluntatem ſuam non ſemel atteſtatus eſt, imò omnem mouit lapidem, ut ſeruaret. At iſti ſeruari noluerunt. Vbi ergo ſunt, qui fatum & neceſſitatem quandam peccandi & pereundi prædicant? Verè quidem dixit Apoſtolus: Non eſt uolentis, neq; currentis, ſed miſerentis Dei. At Dominus dixit: Qui in me manſerit, multum feret fructus. Poſſumus ergo aliquid per eum, ſine quo nihil poſſumus: & cum recta uolumus, per Dei gratiam uolumus. Porrò quia noluit impijſſimus populus colligi atq; ſeruari in amicitia & fœdere Dei, & ueritatis ac ſalutis prædicatores pro hoſtibus Dei atq; ſeductoribus cædunt, idcirco ait Dominus Ieſus: Quando tu nullum impietatis finem facis, imminet tibi ſæua calamitas. Venient ad te ô Hieruſalem miſſi alij legati, Romanorum uidelicet phalanges, atq; tormentis prædicabunt, ſic ut uix ullum ueſtigium ſuperfuturum ſit iſtius urbis, quæ nunc ſe iactat religionis caput. Tandem uerò huc recidet res, ut qui nunc liuidis oculis me aſpicitis, & nihil perinde habetis in uotis, quàm ut ex oculis ueſtris auferar ad malā crucem, aliquando nihil ardentius cupietis, quàm me uidere uenientem liberatorem.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

ET factum eſt, cum introiſſet Ieſus in domum cuiuſdam principis Phariſæorum, manducare panem ſabbatho, & ipſi obſeruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et reſpondens Ieſus, dixit ad legiſperitos & Phariſæos, dicens: Si licet ſabbatho curare? At illi tacuerunt. Ipſe uerò apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit. Et reſpondens ad illos, dixit: Cuius ueſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die ſabbathi? Et non poterant ad hæc reſpondere illi. Dicebat autem ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias: non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit inuitatus ab illo: & ueniens is qui te & illum uocauit, dicat tibi, Da huc locum: & tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere. Sed cum uocatus fueris, uade, recumbe in nouiſſimo loco, ut cum

uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, aſcende ſuperius. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus. Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Dicebat autem & ei qui ſe inuitauerat: Cum facis prandium aut cœnam, noli uocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque uicinos, neque diuites: ne fortè & te ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum. Hæc cum audiſſet quidam de ſimul diſcumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno Dei.

COMMENTARIA.

Dominus ſatis ſciens (ait Theophylactus*) Phariſæorum moroſitatem, ingreditur in eorum domus. curæ enim ei erat animarum utilitas, & propterea ingreſſus eſt. Potuiſſent enim uel ex doctrina & ſermone, uel ex oſtenſione miraculorum, utilitatem percipere, ſiquidem uoluiſſent. Et ecce parata calumniæ occaſio. Aderat enim illic homo quidam hydropi obnoxius. &* Phariſæi *obſeruabant* Dominum, *an ſabbatho languentem uellet ſanare, calumniaturi quod arbitrabantur contra legem fieri. Ieſus autem non ignarus quid apud ſe cogitarent* Phariſæi *& legiſperiti, rogabat eos, An ſabbatho fas eſſet conferre ſanitatem homini perituro? Illi cum obticuiſſēt, accerſit Ieſus hydropicū ad ſe, & contactu ſuo ſanauit eū, & iuſſit abire. Deinde annititur et fœdis Phariſæorum ulcerib. mederi. Nam declarat rurſus, ſe nihil peccaſſe in religionē ſabbathi, quæ beneficentiā nō uetat. & ait:* Si tantū apud uos ualet bo*uis aut aſini ſalus, ut non putetis uiolari ſabbathū: cur offenditur animus ueſter, quòd hunc hominem, cui præſens erat periculum, ab aquis intercutibus ſeruauerim die* Sabbathi? *Reſipiſcite ergo, & deponite animi illius ueſtri in me maleuolentiam. Victi autem ſunt ualidiſſima hac ratione, ut non potuerint* Domino *reſpondere ullum uerbum. Cæterùm à re qualibet occaſionem accipit* Dominus *docendi quod ſalutare eſt, & refellendi quod obeſt uitæ & morum integritati. Vbi igitur intelligebat* Dominus*, quanta eſſet in illis hominibus ſuperbia & arrogantia, quantus faſtus: ciuili admodum parabola hoc malum eximit, & fundamentum omnium uirtutum humilitatem inſerit. Poſtquam autem inuitatis dixit quid faciant: iam præſcribit & inuitanti, hoc eſt hoſpiti, quid ipſum deceat. Conferebant autem beneficia* Phariſæi*, non uti decebat liberali animo, ſed planè fœneratorio, puſillum aliquid conferentes, ut uel maius aut certè par reciperēt, atque eo etiam conſilio inuitabant. Inde uerò prouocatus* Dominus *oſtendit, quale eſſe debeat beneficium: citra ullam ſpem ſcilicet ullius recompenſationis: ideoq; docet pauperes atq; egenos inuitare, ut beneficium proficiſcatur ex mera liberalitate, & animo munifico.* Non ergo prohibet *ſimpliciter inuitare uicinos, affines, conſanguineos, & amicos.* Neque *interfuiſſet amicorum conuiuijs toties* Dominus, *ſi alios quàm pauperes inuitare peccatum eſſet.* Q*uamuis autem pauperes, inquit, non habeant, quo beneficium à te acceptum recompenſent: non perdidiſti tamen beneficium. habent enim illi opulentiſſimum patronū,* Deum *ſcilicet, qui ſibi patietur imputari quod in illos collatum fuerit: is reſtituet pro temporarijs æterna. Reſtituet autem haudubiè, ſi non in hac uita, certè in reſurrectione iuſtorum.* Valet hic lo*cus contra illos, quibus Epicureiſmus præſtrinxit oculos, quaſi nulla uita melior parata ſit hominibus poſt hanc mortalem uitam. Cum audiſſet autem quidam hæc tam pia Ieſu uerba, raptus deſiderio conuiuij & gaudij illius ſempiterni, exclamat: O felices quibus contigerit in reſurrectione illa iuſtorum, comedere panem in regno cœlorum. Comedere autem panem in regno Dei idiotiſſimo linguæ ſanctæ eſt, participem eſſe gaudiorum uitæ futuræ, & frui omnibus delicijs cœleſtibus.*

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

HOmo quidam fecit cœnam magnam, & uocauit multos, & miſit ſeruum ſuum hora cœnæ, dicere inuitatis ut uenirent, quia iam parata ſunt omnia. Et cœperunt ſimul omnes ſe excuſare. Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire & uidere illam: rogo te, habe me excuſatum. Et alter

ter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non poſſum uenire. Et reuerſus ſeruus, nunciauit hæc Domino ſuo. Tunc iratus paterfamiliâs, dixit ſeruo ſuo: Exi citò in plateas & uicos ciuitatis: & pauperes, & debiles, & cæcos & claudos introduc huc. Et ait ſeruus: Domine, factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſeruo: Exi in uias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem uobis, quòd nemo uirorum illorum qui uocati ſunt, guſtabit cœnam meam. Ibant autem turbæ multæ cum eo, & conuerſus dixit ad illos: Quis ex uobis uolens turrim ædificare, nonne prius ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum, ne poſtquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui uident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare? Aut quis rex iturus committere bellum aduerſus alium regem, nonne ſedens prius cogitat, ſi poſsit cum decem millibus occurrere ei, qui cum uiginti milibus uenit ad ſe? Alioquin ad huc illo longè agente legationem mittens, rogat quæ pacis ſunt. Sic ergo omnis ex uobis, qui non renunciat omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

COMMENTARIA.

Ab exclamatione illius, occaſionem accipit Dominus *inhortandi conuiuas, adeóq; Iudæos & nos omnes, ut modis omnibus conemur recipere uera fide prædicationem* Euangelicam. *Et mira claritate aperit conſilium* Dei *de ſaluando mũdo: quid deniq; illud ſit quod abſtrahit homines, quo minus ſecundum* Dei *conſilium ſalui fiant.* Hominem *ergo nominat patrem ſuum, utpote miſericordem.* Hic Deus pater *(ait) cum uellet omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, fecit cœnam magnam.* Vocat Dominus *hanc perfruitionem* Dei *bonorumq; omnium cœleſtium, cœnam: quia in fine ſeculi exhibetur epulum æternæ immortalitatis. Magna autem cœna hæc dicitur, quoniam ex confeſſo (ut* Theophylactus *inquit) magnum eſt ſalutis noſtræ myſterium. Quis autem eſt ſeruus ille? Filius utique* Dei *unigenitus, qui (ut* Diuus Paulus *ſcribit) forma ſerui aſſumpta, habitu inuentus eſt ut homo. Et ſicut homo ipſe ſolus ſine peccato omnibus paternis conſilijs & mandatis miniſtrauit & paruit, adimplens omnem iuſticiam: ita uerè* Deo *ſeruiuit, & ſolus propriè ſeruus* Dei *dicitur. Hora autem cœnæ non eſt ultimum tempus: ſed illud in quo iubemur parari ad cœnam, quæ pleniſſimè exhibetur in fine mundi. Porrò iuſſus eſt ſeruus ille dicere, omnia eſſe parata. Chriſtus enim fuit perfectio fidelium, & in ipſo data ſunt nobis omnia, quæ ad ueram perfectionem pertinent. Fecit quidem hoc ſeruus ille fideliſſimè. At inuitati cœperunt ſe excuſare, nec poſſe uenire dixerunt. Ac ponuntur in præſenti tria hominum genera, ſub quibus comprehenduntur omnes qui à ſalute uera aberrant. Et primi quidem intenti augendæ rei domeſticæ, ac prius habentes lucrum terrenæ poſſeſsionis quam æternæ felicitatis, reſpondent: Prædia mercati ſumus, ac neceſſe eſt eò proficiſci, uiſum quid emerimus. Secundi uerò ſimili morbo laborantes, ac nimium immerſi mercaturæ pecoris, ſimili modo ſe excuſant:* Oportet nos, *inquiunt, res noſtras curare domeſticas.* Id *quod alienum eſſet à peccato, ſi ſeruaretur moderatio, & homines ante omnia regnum* Dei *quærerent, curarent'que animarum ſuarum ſalutem. Tertij generis homines, ſunt uoluptuarij & carnales prorſus: & hi nulla utuntur excuſatione, ſed in fœditatibus ſuis inſaniunt, contempto* Deo, *& reiecto* Euangelio *eius. Alioqui uxorem ducere in timore* Domini, *peccatum non eſt. Sanctum, inquit* Apoſtolus, *matrimonium, & thorus immaculatus. Porrò ſeruus renunciat* Domino *excuſationem inuitatorum, atque contemptum. quamobrem incandeſcit ira patrisfamiliâs, qui protinus iubet in locum inuitatorum induci pauperes, cæcos, claudos, &c. & contemptæ ſortis homines. Quibus omnibus repudium gentis* Iudaicæ, *& gentium uocationem adumbrat. Vocati & electi fuerant ad hæreditatem cœleſtium bonorum* Iſraelitæ. *ſed quoniam indignos ſeſe præbebant uerbo & uocationi* Dei, *tranſtulit is regnum ſuum ad alias gentes, uocatis publicanis, peccatoribus, & gentibus. Non ſimpliciter autem iubet illos uocare, ſed compellere: ut ſciamus, magnæ*

uirtutis eſſe, credidiſſe gentes, in tanta uerſantes ignorantia. Niſi enim magna prædicaretur uirtus, & magna eſſet uerbi ueritas: quomodo perſuaſi eſſent homines in idolorum cultu inſanientes (ſic enim loquitur Theophylactus) & fœda operantes, ut repentè agnoſcerent uerum Deum, & ſpiritualem diligerent uitam? Igitur mirabilem tranſlationem ſignificare uolens, neceßitatem nominauit. Adijcit autem Dominus, non ſine iureiurando, maximum illorum ſupplicium, dicens: Illud pro certo uobis affirmo, quòd nemo hominum illorum quibus id honoris habitum eſt, ut primi uocarentur, & faſtidierunt, guſtabit cœnam meam. Meritò enim excluduntur ex regno Dei, qui cœleſtibus præferunt terrena. Cæterùm quoniam multi ibant cum Ieſu qui, non cum omni alacritate & obedientia ſequebantur, ſed frigidiores erant: docet illos, ne illotis manibus & pedibus (ut dicitur) irruant in negocium Euangelij, ſed omnia probè prius expendant. Docet autem hoc parabolis duabus, ſatis elegantibus. Prior parabola ſumpta eſt ab ædificantibus. Nam ſicut hi aliud nihil cogitant, quàm de fundamento ritè & ſolidè collocando: item de facultatibus, ſufficientibus perficiendo operi, & laboribus ſubeundis & ſuſtinendis: ita qui recipit Euangelicam prædicationem, cogitet de Chriſto in ipſum cordis fundamentum iaciendo, de chariſmatibus diſcipulo Chriſti neceßarijs, denique de patientia, conſtantia, laboribus, & tentationibus ſuperandis. Poſterior uerò ſumpta eſt à militia. Quemadmodum igitur is qui militiæ nomen dat, nihil ſibi quàm atrocia pollicetur, & ſeſe parat ut fortiter hoſtem excipiat: ita Chriſtianus miles ex religione Chriſtiana non pollicetur ſibi uoluptates, ſed uarias afflictiones, quibus excipiendis ſeſe parat. Per multas enim tribulationes, dixerunt Apoſtoli, oportet nos ingredi in regnum Dei. Hæcque diligenter conſiderent, quibus perſuaſum eſt, Euangelium tradere libertatem, imò licentiam quandam carnis. Certè non uocat Chriſtus in præſenti ſeculo ad uoluptates, ſed ad crucem & tentationes: poſt hanc uitam uerò, ad uitam iucundam & immortalem.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

ERant autem appropinquantes ei publicani & peccatores, ut audirent illum. & murmurabant ſcribæ & Phariſæi, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens: Quis ex uobis homo, qui habet centum oues: & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonagintanouem in deſerto, & uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens, & ueniens domum, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico uobis, quod ita gaudium erit in cœlis, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonagintanouem iuſtis qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, & ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam? Et cum inuenerit, conuocat amicas & uicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita, dico uobis, gaudium erit coram angelis Dei ſuper uno peccatore, pœnitentiam agente.

COMMENTARIA.

Quoniam Euangelij prædicatio non tantum urget pœnitentiam, ſed & remißionem peccatorum in Chriſto Dei filio, per gratiam Dei annunciat: idcirco Dominus peccatores & publicanos recipit, & familiariter cum ipſis conuerſatur: ſic'que declarat, ueniſſe ſe ſaluandis peccatoribus. Id uerò calumniantur Scribæ & Phariſæi, genus hominum hypocriticum & inuidum. Hinc ergo occaſionem offerunt Domino, plenius diſcernendi de immenſa Dei erga homines miſericordia, & gratuita remißione peccatorum. Cæterùm quo ſignificantiora, euidentioraq; eſſent omnia, parabolis propoſitis negocium omne ſuũ ueluti oculis ſubijcit: Calumniamini, inquit, quod amicè recipio peccatores accelerantes ad uerbum meum. Sed quemadmodum paſtor perditam quærit ouem, ita ego è cœlo in terras deſcendi, ut perditos quæram homines: hoc eſt peccatores, recipiamq;

pianq́. Videtur autem Dominus ad illud Eſaiæ alluſiſſe: Omnes quaſi oues errauimus, quiſque in uiam ſuam declinauit. cap. 53. Dicunt nonnulli, Dominum quoque intellexiſſe per ouem totum humanum genus, quod ipſe requiſiuit, relictis angelis in ſuperno loco cœleſti. Solitudo enim eſt cœlum, à mundano tumultu ſequeſtratum, plenumq́; omni tranquillitate & pace. Dominus uerò ut inuenit illam omnem errantem & perditam, impoſuit in humeros. Infirmitates enim noſtras & peccata ipſe portauit, perſolutis omnibus quæ debebamus. Et portauit uſq; in domum: hoc eſt, cœlum. Quo facto, angeli conſortes uitæ æternæ gauiſi ſunt. Et nunc quoq; gaudent de ſalute & incolumitate hominum, quos omnino cupiunt ſaluos fieri, & idcirco illos ab omni peruerſo cultu auertunt. Porrò eiuſdē argumenti & generis parabola eſt de drachma. Quemadmodum enim mulier drachmam amiſſam diligēter inquirit: ſic Chriſtus accenſa lucerna uerbi peccatores quærit, atque ob inuentos ſeruatosq́; gaudet, cum tota ſanctorum Eccleſia, ſponſa ſua, pro qua ſeipſum tradidit, ut illam ſanctificaret, & redderet immaculatam.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Ait autem: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et diuiſit illis ſubſtantiam. Et non poſt multos dies, congregatis omnibus adoleſcentior filius peregrè profectus eſt, in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam, uiuendo luxurioſè. Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames ualida in regiōe illa, & ipſe cœpit egere. Et abijt, & adhæſit uni ciuium regionis illius, & miſit illum in uillam ſuam, ut paſceret porcos. Et cupiebat implere uentrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat. In ſe autem reuerſus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te: iam non ſum dignus uocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenarijs tuis. Et ſurgens, uenit ad patrem ſuum. Cum autem adhuc longè eſſet, uidit illum pater ipſius: & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cœlum, & coram te, iam non ſum dignus uocari filius tuus. Dixit autem pater ad ſeruos ſuos: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calciamenta in pedes eius: & adducite uitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt. Et cœperunt epulari. Erat autem filius eius ſenior in agro. Et cum ueniret, & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam & chorum. & uocauit unum de ſeruis, & interrogauit quæ hæc eſſent? Iſq; dixit illi: Frater tuus uenit, & occidit pater tuus uitulum ſaginatum, quia ſaluum illum recepit. Indignatus eſt autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illum. At ille reſpondens, dixit patri ſuo: Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui: & nunquam dediſti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer. Sed poſtquam hic filius tuus, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, uenit, occidiſti illi uitulum ſaginatum. At ipſe dixit illi: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.

COMMENTARIA.

Tertiam parabolā adiecit Dominus, quæ quanquā & ipſa generaliter pertinet ad omnem peccatorem poſt ingentia flagitia reſipiſcentem: tamen pro temporis illius quo dicta eſt ratione, peculiarius notat gentes, ad Euangelij gratiam receptas: & Iudæos qui ſibi iuſti uidebantur, illorum inuidentes felicitati. Principiò autem, ſi de homine peccatore eam intelligere uolumus, Homo ille

 (ut Theo-

(ut Theophylactus docet) Deus eſt, uerè miſericors. Hic habet duos filios: unum iuſtum, alterum peccatorem. Dat autem Dominus rationem, ut ea liberè utamur, tanquam noſtra ſubſtantia. At alij utimur hac libertate ſecundum rationem: alij autem dilapidamus donum diuinum. Dicitur enim, iunior omnem ſuam ſubſtantiam ſimul decoxit. Et quæ cauſa? Quia profectus eſt in regionem longinquam. Nam quando homo egreditur à Deo, & ſe à timore Dei elongat, omnia diuina dona expendit. Conſumpta autem ſubſtantia illa (homine ſecundum rationem naturalem eunte, & non iuxta legem ſcriptam incedēte, neq; Prophetas audiente) fames magna eſt facta: non fames panis, ſed audiendi uerbum Domini, quemadmodum timens Dominum (ut Propheta inquit) non minuetur omni bono. Porrò ciues regionis illius, dæmones ſunt, qui à Deo defecerunt. Qui ergo iam

† Stola, ueſtis genus eſt, ad talos uſque demiſſæ.

longè profectus erat à Domino, & non habebat ante oculos terribilem eius faciem, ſermone diuino nihil in eo operante, proceſsit & profecit in malicia, adhærens diabolo tanquam Domino ſuo, & paſcit porcos. Porcus immundum eſt animal, & in luto ſe uolutat. Per porcos itaq; ſignificātur immundiciæ, & quæcunq; alia impura peccata, & mala opera. Cupit autem miſerabilis ille ſaturari peccato: at fieri non poteſt. Non enim manet uoluptas: ſed fameſcit, & perit. Aſsimulatur autem ſiliquis peccatum, dulcedinem habens, & aſperitatem. Delectat enim ad tempus: cruciat uerò perpetuò. Cæterùm quia omnes æquè habent liberum arbitrium ut manum mittant uel in ignem, uel in aquam: ſic tandem in ſe redijt miſerabilis ille. Quamdiu enim malè agebat, extra ſe ipſum erat. In ſeſe uerò deſcendens, cogitauit unde exciderit. agnoſcit peccatum, & ait: In defenſione facti mei nullum eſt præſidium. una ſpes eſt, quoniam noui patrem naturâ clementem & exorabilem. Surgam igitur, & ibo ad eum: nec negabo culpam admiſſam, ſed dicam: Pater, peccaui ſupra modum impudenter, & in conſpectu tuo, deniq; contra te & uoluntatem tuam: nec poſthac me dignum iudico, qui dicar filius tuus: mihi ſatis erit, ſi miſertus mei, habeas me eo loco, quo habes unumquemlibet è mercenarijs tuis. Nulla ſanè accōmodatior oratio ad prouocandam optimi patris miſericordiam. Quo ſimplicius confitetur admiſſum, quo uehementius ſibi diſplicet, quo magis ſeſe deijcit: hoc magis patris animum demulcet, & in leges pertrahit ſuas. Vidit autem pater miſerabili ſpecie redeuntem, gementem, & lachrymantem. Hæc ipſa rerum ſpecies ſtatim commouit paternum pectus, & iuſtam iram flexit ad miſericordiam. procurrit ergo obuiā uenienti, & pietate natiua uictus irruit in collum filij, & oſculatus eſt eum. Hic mihi in homine qui ex inſtinctu naturæ ſic afficitur erga filium Dei, bonitatem intellige, qui multo clementior eſt erga peccantem hominem (ſi modò uerè & ex animo reſipiſcat, ſibi'que diſpliceat) quàm quiſque pater eſſe poſsit erga filium, quem tenerrimè diligit.

Ait enim: Si mater poteſt obliuiſci filij uteri ſui, ego tamen tui non obliuiſcar. Cum ergo etiamnum iratus ſibi iuuenis dixiſſet: Pater, qui audeo uenire in conſpectum tuum, quandoquidem à me omnia pietatis iura abrupta ſunt? Pater non intonat ſæuis uerbis, non minitatur uerbera, non abdicationem, non exprobrat ſuam in illum benignitatem, non ingluuiem, alia'que uitæ dedecora: ſed uerſus ad famulos, ait: Citò depromite huic ſtolam priſtinam, nec quamlibet, ſed præcipuam & eximiam, uel cæteris præcellentē †. Significatur ea Chriſti innocentia, qua noſtra contegitur nuditas. Et Paulus non uno loco adhortatur nos, ut induamus Chriſtum. Deinde annulum iubet indi manibus. Datur enim nobis arrabo Spiritus ſanctus, per quem coniungimur Deo patri, haud aliter quàm per annulum ſponſo connectitur ſpōſa. Pedibus induuntur calcei, & muniuntur pedes: ut poſthac expediti ſimus ad ambulandum omnes Domini uias. Vitulus porrò ille ſaginatus (teſte Theophylacto) eſt Chriſtus, qui occiſus eſt, & redemit nos in ſanguine ſuo: Apocalypſis 5. Inde uerò parantur epulæ ſuauiſsimæ & opiparæ. Chriſtus enim traditus & oblatus pro nobis, uiuificus eſt cibus, ſaginans & alens in uitam æternam. Hinc gaudium in Spiritu ſancto. Porrò iuſta gaudij illius redditur cauſa. Qualis qualis erat, inquit, filius erat. Is mortuus fuerat, & reuixit. Peccatum enim, animæ mors eſt. Et ad mortem properat, quiſquis autorem uitæ deſerit. Morimur ergo in peccatis, & perimus in iniquitatibus noſtris: reuiuiſcimus pœnitentia, & ſeruamur merito Chriſti, qui cœlitus uenit ſeruatū & quæſitum perditas Iſraelis oues. Iam uerò dum cōmuni gaudio & gratulatiōe perſtrepit tota domus patris, hoc eſt omnis eccleſia uerè ſanctorum: ſolus frater Phariſaicus inuidet. Nā ſenior fil[us] typū gerit totius populi Iudaici, indignè ferentis uocationē gentiū. Venit ſenior hic frater ex agro, in quo ruſtica exercuerat opa: audit chori cōcentū, et cōuiuantiū læticiā: doctusq; fratri inſtitutas epulas, ingredi renuit. Ad eundē enim modū Iudæi operibus et ceremonijs legis innitētes, & meritis ſuis

plurimum

plurimum tribuentes audiunt, peccatores commendare Dei gratiam, ac prædicare iuſtificationem gratuitam, excandeſcunt. Exit autem ad indignantem hunc ſeniorem filium ſuum pater benignus & lenis, ac hortabatur, & inuitabat illum. Miſit enim Deus Iudaicæ genti ipſum, ac Apoſtolos præcipuos & multos, qui hanc inuidentiam affectatæ genti eximant, doceantq; extra hoc conuiuium nullum eſſe gaudium, nullam uitam iucundam, & uerè beatam. At rebellat iuſticia propria tumens Iudæus, extenuatq; Dei ipſi collata beneficia, & exaggerat gentium admiſſa flagitia, in quos interim pater fuerit indulgentiſſimus, profuſiſſimusq;. At Dominus Deus: Lætari, inquit, oportet, non dolere, quòd recipiuntur peccatores, quia illi fuerant mortui & perditi: iam uerò per gratiam Euangelij reuixerunt, & ſunt inuenti. Ergo nihil decedit Iudæis, etſi immenſa ſua bonitate utatur Dominus erga Gentes. Si Iudæi in fide perſtiterint, omnia paterna dona illorum ſunt, neq; auellentur unquam à conſortio æterni Dei, ac pij patris.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Dicebat autem & ad diſcipulos ſuos: Homo quidam erat diues, qui habebat uillicum: & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſsipaſſet bona illius. Et uocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem uillicationis tuæ, iam enim non poteris uillicare. Ait autem uillicus intra ſe: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me uillicationem? Fodere non ualeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam, ut cum amotus fuero à uillicatione, recipiant me in domos ſuas. Conuocatis itaque ſingulis debitoribus Domini ſui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & ſede, & citò ſcribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu uerò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & ſcribe octoginta. Et laudauit Dominus uillicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet. Quia filij huius ſeculi prudentiores ſunt filijs lucis, in generatione ſua. Et ego dico uobis: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt: & qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt. Audiebant autem hæc Phariſæi, qui erant auari, & deridebant illum. Et ait illis: Vos eſtis qui iuſtificatis uos coram hominibus: Deus autem nouit corda ueſtra. Quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum. Lex & Prophetæ uſque ad Ioannem: ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud uim facit. Facilius eſt autem cœlum & terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere.

COMMENTARIA.

Deum & Dominum habemus ditiſſimum, in omnes inuocantes nomen ipſius. Diuidit hic dona ſua omnibus nobis: ſed in hunc finem, ut ſimus diſpenſatores, & de omnibus aliquando rationem reddamus ipſi Domino. Dominus itaq; (ut Theophylactus ſcribit) hoc loci uult docere, ut bene diſpenſentur creditæ diuitiæ. Et primùm hoc diſcant homines, quòd non ſunt Domini diuitiarum, ſed diſpenſatores alienarum rerum: quas ſi non expenderint iuxta mentem Domini, accuſabuntur. Porrò qui accuſantur & deſtituuntur à diſpenſatione diuitiarum, ſunt qui ex hac uita emigrant: quo facto, neque laborare poterunt. Non enim tunc erit tempus operandi, cum ſcriptum ſit: Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur. opera enim illorum ſequuntur illos. Neque tunc honeſtum erit mendicare. Stultæ enim uirgines dicuntur, quæ oleum emendicare uolunt. Qui ergo non tardè ſentiunt quò ferantur, quàm primùm ritè diſpenſant concreditas diuitias, ut quando ex uita exceſſerint, recipiantur in æterna tabernacula. Cæterùm Dominus non laudauit abſolutè & ſimpliciter diſpenſatorem iniquum, ſed ex ratione argumenti, & quòd prudenter in ſuo quidem genere feciſſet. Nec obſcurum eſſe poteſt, qui ſint filij huius ſeculi, qui uidelicet omnia prudenter in hoc ſeculo inſtituunt, ut hoc ſeculo luxurioſè utantur. Filij uerò lucis fideles ſunt, non præſentia mundi ſectantes, ſed magis aſpirantes ad uitam & lucem illam æternam.

Dominus

Dominus ergo non citra grauem obiurgationem omnibus fidelibus ad confuſionem dicit, quòd homines huic mundo ſeruientes, in proſpiciendo ſibi de uictu corporis prouidentiores ſint & attentiores, quàm hi qui abdicato mundo ſectantur ea quæ ſunt æterna, in proſpiciendo ſibi in uitam cœleſtē. Iniquas uerò uocat diuitias, quia ferè parantur iniquis rationibus, & materiam ſuppeditant iniuſticiæ. Quòd uerò iubet Dominus, ut faciamus nobis amicos de iniquis diuitijs, non iubet ut iniuſtis modis opes paremus, deinde eleemoſynam inde largiamur: ſed iniuſtas uocat, ut feriat mentes noſtras, quo minus grauatim rem exponamus contemptam: exponamus autem ad percipiendum fructum longè ſuauiſsimum. Porrò cum ſolus Deus per Chriſtum recipiat homines in æterna tabernacula: ex his uerbis Chriſti intelligimus, operibus miſericordiæ ex fide profectis, quæ commendant nos Domino, parari acceſſum ad æterna gaudia. Vbi uerò diſertè docuit Dominus, quomodo fideliter diſpenſandæ diuitiæ, quis credet, ait, uos diligēter diſpenſaturos cœleſtia dona, & ex animo quæſituros æternam uitam, qui iniuſti eſtis diſpenſatores iniquarum diuitiarum? Colligi hinc præterea uult Dominus, maiora dona non concedenda fore auaris & infidis hominibus. Audiebant autem hæc omnia Phariſæi, & cum eſſent auari, adeò non ſeruiebant Deo, ut propter mammona iniquitatis deriderent doctrinam Chriſti cœleſtem, prouocantem ad beneficentiam. Dominus itaque: Vos, inquit, uenditatis uos pro iuſtis apud homines, quibus hypocritica ſpecie imponi poteſt. Deus autem, cui non fit fucus, nouit corda ueſtra plena rapinis, faſtu, immundicia, & ambitione. Hæc uerò abominabilia ſunt coram Deo, licet hæc ipſa magnificentiam & maieſtatem quandam reputet mundus ipſe. A' quo ſcelerato mundo ut auocet Phariſæos, totam'que gentem Iudaicam, admonet ne externo cortici legis fidant, ſed ad fidem ipſam penetrent: quoniam illa ſit legis & prophetarum ſumma, ſeu ſcopus. Hæc uerò, inquit, tendit in filium Dei, quem promittunt lex & prophetæ ſaluatorem unicum. Is uerò iam adeſt: nihil ergo reſtat, quàm ut in me credatis, modò uelitis eſſe ſalui. A' temporibus enim Ioannis complentur illa quæ prædixerunt prophetæ complenda: Lex & prophetæ uſque ad Ioannem promiſerunt. Ab eo autem tempore annunciatur regnum Dei, unde incipiunt compleri promiſſa per me. Et afflictiſsimi quique, ſalutem oblatam animis arripiunt ardentiſsimis. Nec eſt quod clamitent legis amatores, abrogari legem, antiquari prophetas: imo hæc eſt legis non abolitio, ſed abſolutio.

CAPVT VIGESIMVM.

ET acceſſerunt ad eum Phariſæi, tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam, quacunque ex cauſa? At ille reſpondens, dixit eis: Quid uobis præcepit Moſes? Qui dixerunt: Moſes permiſit libellum repudij ſcribere, & dimittere. Qui reſpondens, ait eis: Non legiſtis, quia qui fecit ab initio, maſculum & fœminam fecit eos? Et dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. itaque iam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Dicunt illi: Quid ergo Moſes mandauit dari libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moſes ad duriciam cordis ueſtri permiſit uobis, dimittere uxores ueſtras, & ſcripſit uobis præceptū iſtud. Ab initio autem non ſic fuit. Dico autem uobis, quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam (niſi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Et ſi uxor dimiſerit uirum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur. Dicunt ei diſcipuli: Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit: Non omnes capiunt uerbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & facti ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.

COMMENTARIA.

Omnibus benefaciebat Dominus, atque ideo ſpargebatur etiam longè lateq; fama gloriæ illius. At hoſtes ueritatis inuident Domino gloriam. Adſunt ergo confeſtim, & de coniugio interrogabant

terrogabant eum. Cæterùm illud non quærebant diſcendi gratia, ſed ut quaſi cornuto teneant eum ſyllogiſmo: ut quodcunque reſponderit, captioni pateat. Nam ſi dixerit, dimittendas eſſe uxores ex cauſa qualibet, & ducendas alias: uideatur pudicitiæ prædicator docere contraria. Si autem reſponderit, non omnem ob cauſam debere dimitti, quaſi Moſis aduerſarius condemnari poſſit. At Dominus reſponſionem ita temperat (inquit Sanctus Hieronymus) ut decipulam eorum tranſeat: naturalem uerò legem, primam'que Dei ſententiam ſecundæ opponat, quæ non uoluntate Dei, ſed peccantium neceſſitate conceſſa eſt. Præcipit autem, ut ad primam matrimonij inſtitutionem reſpiciant, non ad ea quæ ab hominibus poſtea uel facta uel uſurpata ſunt. Principiò is, inquit, qui ab initio condidit omnia, ordinauit ut maſculus eſſet, & fœmina: non maſculum creauit, & fœminas. Voluit ergo ut ſinguli uiri ſingulas haberent uxores. Deinde addidit: Propterea deſeret homo patrem & matrem, & cætera.

Quibus ſanè uerbis indicatur, quàm ſanctum & arctum ſit matrimonij uinculum, quod ne ſumma quidem pietate labefactari aut poſſit, aut debeat. Prima pietas in Deum eſt, ſecunda in parentes. Diuus Chryſoſtomus hunc locum enarrans: Conſiderandum eſt, inquit, quia non autoritate ſolùm Scripturæ, uerùm etiam rerum dignitate ſententiam ſuam corroborat. Non enim dixit, Quia uirum & mulierem unam ſolummodò fecit: uerùm etiam, quia iuſſit ut unus uni coniungatur. Nam ſi uoluiſſet alteram etiam conduci uxorem uni uiro creato, multas conformaſſet mulieres. Nunc uerò, ut creationis & ſanctionis modo, unam uni perpetuò coniungi, & nunquam reſcindi oportere perdocuit. Hæc ille. Similiter ait: Et erunt duo in carne una. unum uidelicet corpus, & quaſi unus homo. Nam hoc quoque nomine mulier non de terra ſumpta eſt, ſicut uir: ſed de uiri latere, & ex oſſibus uiri. Quos ergo Deus inſtituit, & ita inſtituit ut inter ſe nexu cohæreant indiſſolubili, hos nulla audacia humana aut diſpenſatio uiolare debet. Porrò Iudæi illi ſectæ Phariſaicæ ſatis intelligunt, Dominum non probare ipſorum diuortia: ergo Moſis indulgentiam obijciunt, non tamen ſine dente. Dominus autem, teſte Hieronymo, ad hanc obiectionem ita reſpondet: Nunquid poteſt Deus eſſe ſibi contrarius, ut aliud antè iuſſerit, & ſententiam ſuam nouo frangat imperio? Non ita ſentiendum eſt: ſed Moſes cum uideret propter deſiderium ſecundarum coniugum, quæ uel ditiores uel iuniores uel pulchriores eſſent, primas uxores interfici, aut malam uitam ducere, maluit indulgere diſcordiam, quàm odia & homicidia perſeuerare: ſicq; leuius malum indulſit Moſes, ne grauius à uobis committeretur. Verùm ab initio, quum nondum increuiſſet hominum malicia, nec adhuc tot uitijs eſſet infecta natura mortalium (quoniam non erat tam atrox odium, ut ueneficia timerentur, aut homicidia) non fuit ſic, & non erat repudij licentia. Porrò formula libelli repudij talis fuit. In quarta Sabbathi, in uigeſima menſis Siuam, anno quinquies milleſimo ducenteſimo nonageſimotertio, à creatione mundi: hic, & in hac ciuitate, N. ego Iacob filius rabbi Iſzach, uolui ex animo, atq; citra ullam coactionem dimiſi & eieci N. filiam rabbi N. quæ hactenus fuit uxor mea. Et concedo ei licentiam, & poteſtatem, ut pro libitu ſuo uadat quò uoluerit, duci'que poſſit ab omni uiro, nec eam quiſquam prohibere præſumat. In cuius rei teſtimonium dedi ei librum repudij, ſchedam dimiſſionis, atque ſignaculum diuortij, iuxta conſtitutionem Moſi & Iſrael. Cæterùm Dominus Ieſus nimiam iſtam licentiam, quòd uidelicet quamlibet ob cauſam, etiam leuiſſimam, abijcerent uxores, confutans & abrogans, prohibet ſuis cultoribus diuortia tam libera: oſtẽdens, licentioſa illa coniugia nihil diſtare ab adulterijs. Turbantur hoc audientes diſcipuli: & dicunt: Si propterea coniuncti ſunt uir atque mulier, ut unum ſint, & indiuulſi maneant per omnem uitam, ita ut etiam ſi pœnitenda alioqui ſit mulier, eam eijcere non liceat: nõ expedit matrimonium contrahere. Reſpondens autem Dominus: Non omnes, inquit, capaces ſunt huius ſermonis, ſed hi duntaxat, quibus hoc datum eſt diuinitùs, quos tantus habet ardor Euangelicæ ſanctimoniæ, ut hunc etiam affectum uolentes ſponteq; ſua negligant. Sunt eunuchorum tria genera: Vnum eorum qui ſic naſcuntur, qui uitio naturæ frigidioris abhorrent à re uxoria, aut alio quodam occulto naturæ affectu: alterum eorum, quos execuerũt homines: poſtremos uerò eſſe uolo ſciatis, qui uolentes ſe continent, ut uel expeditius miniſtrent prædicationi Euangelicæ, uel ut magis indiuulſè adhæreant Domino, cui ſeruiant ſanctè tum corpore tum ſpiritu. Addit his Dominus: Nihil hic præcipio, ſed liberum omnibus permitto, ut qui ſentit ſe habere donum cœlibatus, aut ſi quo experitur ſe donatum dono uirginitatis, fruatur: & ſiquidem ita conducere arbitratur, à coniugio abſtineat.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

HOmo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes ueniebant, & lingebant ulcera eius. Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. Eleuans aũt oculos ſuos cum eſſet in tormẽtis, uidit Abrahã à longè, & Lazarũ in ſinu eius. & ipſe clamans, dixit: Pater Abrahã miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepiſti bona in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur: tu uerò cruciaris. Et in his omnibus inter nos & uos chaos magnum firmatum eſt, ut hi qui uolunt hinc tranſire ad uos, non poſsint, neque inde huc tranſmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi ueniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moſen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moſen & Prophetas non audiunt, neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.

COMMENTARIA.

Diſſeruit Dominus de beneficentia atque modeſtia: iam uerò diſſerit contra luxum, oſtendẽs, quæ eos mala maneant, qui opibus abutuntur ad luxum, pauperes negligunt, & beneficentiam nõ exercent, denique ſcripturis non credunt: ſed iuxta præſentis ſeculi rationem, animiq; libidinem uitam exigunt. Inducitur itaq; diues, in hoc ſeculo felix, affluens omnigenis facultatibus, iiſq; per luxum & inclementiam, pauperumq; neglectum abutens. Diues erat auri & argenti, regiæq; ipſi erant ædes, numeroſa illi erat familia. Quod uerò luxum, & ſplendorem attinet ueſtium, nihil deerat huic diuiti. Et quantum attinet delicias menſæ, & exquiſitam uictus rationẽ, commeſſabatur hic quotidie magnificè, ſimul & ambitioni ſeruiens, & luxui, & uoluptati. Erat porrò ſimul huic multum diſsimilis mendicus quidam, obſcurus & ignotus apud homines, ſed clarus & nobilis apud Deum: præterea ægrotus erat, nec ægrotus tantum, ſed ulceroſus: & ad ueſtibulum diuitis iacebat. Ecce alius dolor, uidere alios in delicijs, ſe autem fame premi. Deſiderabat autem ſatiari non ſumptuoſis ferculis, ſed de micis illis quibus ſatiabantur canes: at non dabantur roganti. quam inhumanitatem delicato diuiti canes exprobrabant: ueniebant enim & lingebant ulcera Lazari. Quid igitur Lazarus in tantis malis egit? Num blaſphemabat? num inceſſebat luxum diuitis? num inhumanitatem condemnabat? num prouidentiam Dei reprehendebat? Nihil horum: ſed fortis erat, & magnæ philoſophiæ. Quod autem Scriptura dicit, Lazarum mortuum portatum ab angelis in ſinũ Abrahæ: colligimus hinc, animas eſſe immortales, quæ ſcilicet ſepultis & uita functis corporibus ſuperſunt. Iam etiam locum beatis in futuro ſeculo olim & nunc certum à Deo eſſe conſtitutum. Olim quidem is locus dictus eſt ſinus Abrahæ: nunc uerò appellatur cœlum, domus patris æterni: Ioan. 14. Qui ergo fidem Abrahæ habent, & operibus fide dignis ſeſe declarant eſſe filios Abrahæ, illi excedentes ex hac uita, colliguntur in locum, in quo gaudet Abraham. Et ſicut pueri in periculis confugiunt & ſeſe recõdunt in ſinum, tanquam in tutum & aſylum, parentum: ita nos quoq; fidem ſanctorum patrum imitantes, ubi morimur, in ſocietatem ipſorum, & in uitam quidem Dei colligimur. Vbi autem fuerit quõdam locus, quem ſinum Abrahæ appellauêre, literis ſacris non habetur expreſſum. Scimus quidem mentionem fieri inferorum: & fateri nos, Chriſtum Dominum deſcendiſſe ad inferna: ſed quid uetat, animam Chriſti deſcendiſſe ad beatas animas, & in alia uita, non in tormẽtis, ſed gaudijs agentes, quas tranſtulit Dominus in cœlum aſcendens, in gaudia utique abundantiora? Docet etiam locus, Angelos eſſe ſpiritus adminiſtratorios,

ſtratorios, in miniſterium hominum à Deo emiſſos, ut ſalutem hominum tanquam conſortes uitæ, quantum iubet & uult Deus, promoueant. Porrò non ſolùm moritur mendicus, ſed & diues purpuratus, ut uerè dixerit quidam: Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, regumq; turres. Miſta ſenum ac iuuenum denſantur funera, nullum ſæua caput Proſerpina fugit. Semel omnino moriendum eſt: & moriendum quidem omnibus, etiam tunc cum minimè putaſſes. His accedit, quòd mors impio acerbiſſima eſt. cum enim præſentia tantum norit, futura nec credat, nec curet: mirum non eſt, ſi uel ad mortis mentionem inhorreſcat: Eccl. 41. Diues autem ille nullos habet angelos, à quibus ad Lazarum portaretur: ſed uita functus, ſtatim abripitur in infanda tormenta: Sap. 6. corpusq; licet celebri funere cumuletur, nihil tamẽ ſentit refrigerij.* Quod uerò anima diuitis præcipitata in tartara, æterni uidelicet ſupplicij locum, clamat: exprimitur, paſſibiles eſſe animas. Si quis plura cupit hac de re, conſulat D. Auguſtinum De ciuit. Dei. Cæterùm in his ſæuiſſimis ignibus epulo refrigerium petit. At uide miram æquitatem, quòd is ne guttulam aquæ impetrat, qui ipſas etiam micas miſero negarat: ſed audit, Fili, refrigerium quod nunc ferè petis, cum in uiuis eſſes, proximo refocillando tibi parare debueras: ſed tum rebus præſentibus delinitus, ne micis quidem menſæ tuæ dignabaris ſubleuare Lazarum fame pereuntem. Id igitur agnoſcas oportet, quòd tu cum uiueres tua bona receperis, Lazarus contrà ſuis malis defunctus ſit in uita. nunc inuerſis rebus, hic poſt afflictiones patienter toleratas refocillatur: tu uerò poſt delicias quibus te malè oblectaſti, meritò cruciaris. Et hoc deploratior eſt ueſtra calamitas, quòd ingens hiatus nos dirimit, ut ſi qui uelint hinc iſtuc ire, uobiſq; opitulari, non liceat: neq;, ſi quis iſtinc huc conetur aſcendere, poſſit: poſteaquam immutabili Dei iudicio ſua quibuſq; ſedes deſignata eſt. Hæc ubi locutus eſſet Abraham, diues excluſus ſpe ſubleuandi ſui, cupit ſaltem fratribus quos habebat ſuperſtites, conſulere: Si chaos, inquit, obſtat, quo minus mihi ſubueniri queat: ſaltem illud te rogo pater Abraham, ut Lazarum mittas ad fratres meos, quo illos admoneat, ne ſi meis ueſtigijs ingrediantur, ueniant in huius calamitatis conſortium. Quin potius opibus ſuis egentium neceſſitatem ſubleuent, nec ad carnis uoluptatem, ſed ad animi pietatem utantur diuitijs ſuis: nec ament quæ ad tempus delectant in uita, ſed quæ pariant æternam requiem. Hanc autem epulonis petitionem recuſans Abraham: Nihil neceſſe eſt, ait, hac gratia, Lazarum auocari à quiete ſua. Fratres tui ſi uolent eſſe frugi, habent Moſen & Prophetas, audiant illos. loquuntur enim omnibus, in ſuis libris. Quibus ſanè uerbis legem & doctrinam Prophetarum omnibus in orbe hominibus propoſuit, ex qua diſcant, quomodo ſalui fiant, uitam conſequantur æternam, & tormenta æterna deuitent. Præterea inſtanti rurſus epuloni, & exiſtimanti, plus authoritatis habiturum in mundo excitatum ex mortuis Lazarum, quàm Scripturam, reſpondet: Si quis nõ audierit doctrinam legis & Prophetarum, certè calumniabitur ſi quis dixerit, ſe excitatum ex mortuis præcepta adferre uiuendi ex alio mundo. Nemo ergo expectet apparitionem Prophetarum & Apoſtolorum: dum uiuerent, ſcripſerunt ex ſpiritu Dei, quæ ad informationem noſtri ſufficiunt: ea inſpiciamus. Nihil autem credendum eſſe ſpiritibus excitatis ex mortuis, docuit & hiſtoria 1. Regum 28. Nec obiter induxit Dominus hanc parabolam, quin ut uel hoc modo conſolaretur ſuos diſcipulos, qui propter amorem regni cœleſtis multas afflictiones perpeſſuri erant in hoc mundo: ac Iudæos ſibi uiuentes territaret, ut uel metu ſupplicij uitam impiam corrigerent: alioqui futurum, ut illic uiciſſim riderentur, qui hic Ieſum ad meliora uocantem irridebant.

* Vide Auguſti. de cura pro mor. agenda.

Auguſtinus Epiſto. ad Felicianum.

CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

ET dixerunt Apoſtoli Domino: Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem ſicut granũ ſinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & tranſplantare in mare: & obediet uobis. Quis autem ueſtrûm habens ſeruum arantem, aut paſcentem boues, qui regreſſo de agro, dicat illi ſtatim: Tranſi, & recumbe: & non dicat, Para quod cœnem, & pręcinge te, & miniſtra mihi, donec manducem & bibam, & poſthac tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam habebit ſeruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & uos, cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt uobis, dicite: Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Et factum eſt, dum iret in Hieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur

quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem uiri leproſi, qui ſteterunt à longè, & leuauerunt uocem, dicentes: Ieſu præceptor, miſerere noſtri. Quos ut uidit, dixit: Ite, oſtendite uos ſacerdotibus. Et factum eſt dum irent, mundati ſunt. Vnus autem ex illis, ut uidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna uoce, magnificans Deum. Et cecidit in faciem ante pedes, gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Reſpondens autem Ieſus, dixit: Non'ne decem mundati ſunt? & nouem ubi ſunt? Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena? Et ait illi: Surge, & uade: quia fides tua te ſaluum fecit.

COMMENTARIA.

Apoſtoli credebant quidem Domino *(inquit* Theophylactus *) ueruntamen cum ueniſſent in conſcientiam infirmitatis ſuæ, & audiuiſſent* Dominum *de magnis quibuſdam ſibi dicentem, precantur ut augeatur in eis fidei uirtus, per quam poterint hæc quæ dicit perfici. Et quamuis fides merum & gratuitum ſit* Dei *donum, nec cuiquam propter opera & merita ulla concedatur: iubemur tamen orare & petere donum, Apoſtolico præſenti exemplo, ac ipſum* Dominum *deprecari, ut nos perfectiores & firmiores in fide faciat. Et quia hæc dixit de fide, atq; expoſuit quantam fides uim habeat: ſubdit doctrinam aliam magis neceſſariam, non ſuperbiendum uidelicet in bonis operibus. Hoc autem documentum Ieſus parabola addita infixit animis ſuorum, monſtrans (ut* Theophylacto *placet) quòd non oportet extolli in bono quopiam opere: imò neq; in omnium mandatorum impletione. Seruo enim neceſſitas incumbit, ut faciat mandata* Domini, *neque ut bonum opus ſibi aſcribere debet: quippe ſi non operetur, dignior eſt plagis multis: cum autem operatus fuerit, contentus ſit quòd plagas effugerit. Proinde non oportet de hoc precium uel honorem quærere. liberalitatis enim* Domini *fuerat, dare, imò largiri ei. Et poſt pauca: Ideoq; ſi dona fuerit aſſecutus, non debet in illis ſuperbire homo, & de eis ſe iactare. Beneficia enim ſunt, per miſericordiam* Dei, *illi conceſſa: non quod debeat ei aliquid* Dominus, *imò ſeruus debet* Domino *ſuo, ut faciat omnia eius mandata. Hæc ille. At quotus quiſq; noſtrûm facit omnia quæ præcepta ſunt? multo magis ergo dicere debemus: Serui inutiles ſumus. Vt uerò propoſitam audiuimus doctrinam de fide, & fidei uirtute: item de modeſtia, ne quid nobis & noſtris uiribus tribuamus, ſed* Domino *in omnibus ſimus grati, illius gratiã & bonitatem laudantes in omnibus: ſequitur iam huius rei euidens exemplum, hiſtoria leproſorum decem mundatorum. Videamus autem, quomodo ſe gerant leproſi erga* Dominum *Ieſum, qui emundandis ſaluandiſq; peccatoribus uenit. Eſt & hoc notatu dignum, cum ſit & animi lepra, quòd ſtant quidem procul, ſed intenta uoce clamant ad* Dominum. *Quanquam enim corpore à nobis procul amotus ſit* Dominus *noſter, in cœlis reſidens ad dexteram patris: audit tamen nos fide inuocãtes ipſum.* Nam *&* Propheta *dixit:* Propè *eſt* Dominus *inuocantibus eum, inuocantibus autem in ueritate.* Et *non ſimpliciter orant, ut hominem (ait* Theophylactus *) ſed ut eum qui ſupra hominem. Præceptorem enim eum nominãt, hoc eſt* Dominum, *curatorem: id quod eſt, putare illum propè* Deum. *At ille præcipit eis, ut oſtendant ſe ſacerdotibus.* Nam *ſacerdotes probabant tales, & ab illis ſententiam accipiebant, an mundi eſſent uel non. Habebant enim ſigna ſacerdotes, per quæ inſanabilem lepram inueſtigabant: ſed & quando lepra quis infectus, & poſtea ſanitatem aſſecutus erat, iudicabant illi, & donum offerebatur in lege præceptum. Et præcipienti* Domino *parent illi, & abeunt pleni bona fiducia. Erat par omnibus fiducia: ſed diſpar erat gratitudo. Vt enim inter eundum ſubitò mundati ſunt omnes: ſolus tamen Samaritanus ubi ſenſit ſe plenè liberatum à morbo, non clàm habuit diuinam erga ſe beneficentiam: ſed ilicò reuerſus eſt ad Ieſum, clara uoce magnificans* Deum, *& proſtratus in faciem ſuam adorauit eum, gratias agens. In exemplo huius Samaritani diſcimus, quid nos quoq; faciamus purgati & iuſtificati. Tribuenda eſt* Deo *omnis gloria, & ſacrificandum* Deo *ſacrificium laudis, & gratiarum actionis. Et ut Samaritanus humiliatur, accidens genubus Saluatoris: ita requiritur à nobis humilitas & modeſtia. Requirit autem in primis gratitudinem* Dominus, *unde* Nouem *ubi ſint, interrogat. Quumq; obticeſceret Samaritanus, Ieſus conuerſus ad circumſtantes, ait:* Non *ſunt qui redierint ut darent gloriam* Deo, *niſi hic alienigena? Atqui magis hoc decuit alios facere, qui quum Iudæi ſint, iactant ſe* Dei *cultores. Hæc locutus* Dominus,

Theophylactus.

minus appellauit Samaritanum humi proſtratum: Surge, inquit, & abi, certus, hoc meum beneficium tibi fore perpetuum, quod tua fiducia tibi impetrauit.

CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

INterrogatus autem à Phariſæis, Quando uenit regnum Dei? reſpondens Lucæ 17.
eis, dixit: Non ueniet regnum Dei cum obſeruatione. neq; dicēt, Ecce hic, Ingruet incautis ultimus ille dies.
aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra uos eſt. Et ait ad diſcipulos ſuos:
Venient, quando deſideretis uidere unum diem filij hominis, & non uidebitis. Matth. 24.
Et dicent uobis: Ecce hic, & ecce illic: nolite ire, neq; ſectemini. Nam ſicut fulgur coruſcans de cœlo, in ea quæ ſub cœlo ſunt fulget: ita erit filius hominis in die ſua. Primùm autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac. Et ſicut factum eſt in diebus Noe: ita erit & in diebus filij hominis.
Edebant & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, uſq; in diem Ibidem.
qua intrauit Noe in arcam, & uenit diluuium, & perdidit omnes. Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth: edebant & bibebant, emebant & uendebant, plantabant & ædificabant. Qua die autem exijt Loth à Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cœlo, & perdidit omnes. Secundum hæc erit, qua die filius hominis reuelabitur. In illa hora qui fuerit in tecto, & uaſa eius in domo, ne deſcendat tollere illa: & qui in agro, ſimiliter non redeat retrò. Memores eſtote uxoris Loth. Quicunque quæſierit animam ſuam ſaluam facere, perdet illam: & quicunque perdiderit illam, uiuificabit eam. Dico uo- Matthæi 24.
bis, in illa nocte erunt duo in lecto uno: unus aſſumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in unum: una aſſumetur, & altera relinquetur. Duo in agro: unus aſſumetur, & alter relinquetur. Reſpondentes, dicunt illi: Vbi Domine? Qui dixit illis: Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

COMMENTARIA.

Cum Dominus frequenter haberet in ore regnum Dei, et Iudæi ſummo deſiderio expectarent regnum Dei, ſiue regnum Meſſiæ: interrogāt Phariſæi, quando ſcilicet uenturum ſit regnum ipſius, in quo ſit magna cum poteſtate regnaturus, & congregaturus omnes per totum terræ orbem filios Dei. Ieſus uerò reſponſionem ſuam ſic temperat, ut partim refutet atq; reijciat Iudæorum carnalem illam de regno Meſſiæ futuro opinionem: partim declaret, ſe eſſe Meſſiam, & iam nunc ueniſſe, & eſſe in terris regnum Dei, & ait: Regnū Dei non ueniet more regni mundani, ut obſeruari poßit uel tempus uel locus. Non enim eſt regnum corporum, ſed animorum: neq; conſtat uiſibilibus præſidijs, ſed inuiſibilibus. Proinde neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Per totum enim terræ orbem pertinget regnum Chriſti. Quid q; opus eſt obſeruare locum, quum regnum Dei inter uos ſit? Non eſt quòd futurum adhuc expectetis regnum. Cernite & conſiderate ea, quæ quotidie in medio ueſtri & dicuntur & peraguntur: & intelligetis, me eſſe Meßiam, adeoq; Deum iam ſpiritu, uirtute & uerbo medium inter uos regnare. Vtcunque autem piè illis loquebatur: non tamen recipiebant doctrinam ſanam Phariſæi, agnoſcētes Ieſum eſſe Chriſtum, & regnum Dei iam nunc eſſe præ manibus. Conuerſus igitur ad diſcipulos Ieſus, ita temperauit ſermonem, ut illos ad diem ſupremum ſemper redderet paratos, & temporis inquiſitionem adimeret: ſed armaret potius ad tempeſtatem imminentem crucis. Veniet ergo, inquit, tempus abſq; dubio, quum deſiderabitis uel uno die frui conſpectu filij hominis, quem nunc plerique contemnunt præſentem: nec dabitur, quod optatis. Addam & aliud: Exorientur permulti pſeudoprophetæ, qui Meßiam in hoc aut illo loco, hunc aut illum impoſtorem pro Meßia uobis commonſtrabunt. Ne eatis, quicunque uobis uultis conſultum. quia unus modò eſt Meßias uerus: ego inquam, Dei & Mariæ filius. Semel ueni in terras, impleturus quæcunque prædixerunt Prophetæ. Ea igitur credite, quæ per ſanctos Prophetas prædicta uidetis impleri. Iterum autem relinquo terras, & aſcendo in cœlum. Inde non redeo niſi ad iudicium, glorioſo utiq; aduentu, fulguris ſcilicet in morem, gloria & maieſtate mea penetraturus & illuſtraturus omnia. His appen-

dit: Sed prius oportet illum filium hominis multa pati. Et non antea proferret maieſtatem ſuam, quàm expleuerit diſpenſationem humilitatis. Porrò duobus exemplis deſcribit poſtremi ſeculi conditionem & ſtatum: diligenter interim docens, finem fore rerum omnium, & certiſsimas pœnas deſtinatas eſſe incredulis & contemptoribus, alludens ad ea quæ olim facta fuêre, ac inquit: Ne quem opprimat dies illa, facile remedium eſt, ſi ſe quiſque ſic apparet, quaſi iam immineat ille dies. Sed homines mundo diditi ſibi promittent dilationem, aut etiam diem illum omnino non uenturum credent: & hac ſpe ſecuri uacabunt cupiditatibus ſuis. Itaque idem accidet in diebus filij hominis, quod accidit olim in diebus Noe. ducebant uxores, dabantq; nuptum, quaſi diluuium quod differebatur, omnino uenturum non eſſet. Sed malum oppreſsit improuiſos. Solus Noe cum paucis ſeruatus eſt per arcam: Geneſ.17. Similis erat rerum facies temporibus Loth. exiſtimabant enim impunè fore quicquid peccaſſent: ſed & hos nimium ſecuros atq; inopinantes oppreſsit uindicta. Nam eodem die quo Loth reliquit Sodomos, depluit ignis & ſulphur è cœlo, ac ſubitò perdidit omnes: Gen.19. Inſinuatur autem (ut Theophylactus docet) per exempla hæc diluuij & Sodomitici incendij, quòd quum uenerit Antichriſtus, illicitæ uoluptates in hominibus increſcent, & diſſoluti erunt, delicijs uacantes uoluptatis ma-
2.Tim.3. *gis (ut Apoſtolus inquit) quàm Dei amatores. Et meritò in regno deceptoris florebunt mala. Erit enim ille peccati & omnis maliciæ ſentina. Vnde non aliam politiam & uiuendi rationem miſero generi mortalium inuehet, quàm eam quæ ſibi maximè propria eſt. Tantum ille. Docet autem clemens atq; benignus Dominus, quomodo ſe in illis turbis gerant ſui, qui ſibi conſultum uolunt. Retrahit homines à ueræ religionis ſtudio terrenarum rerum nimia cupiditas. ab ea ergo iubet Dominus ſuos eſſe alienos: & ſi qui euaſerint, & ſe extricarint ex ijs curis, ne ſe rurſus implicari ſinant, in hoc memores uxoris Loth. hæc ingrata liberatori Deo, inualuiſſet manere inter Sodomitas: ſed & impatiens erat propter res amiſſas, quas cœleſti incendio uidebat abſumi. iratus itaq; Dominus conuertit ipſam in ſtatuam ſalis: Gen.19. Hoc ſignum nimirum fuit, & memoriale omnibus ſeculis perpetuum, quo docere uoluit Dominus, quàm pernicioſum ſit, neglectis æternis Dei beneficijs, inhærere mordicus perituris rebus: admonetq; ut his relictis æterna ſectemur. In illis turbis quiſquis, inquit, uoluerit facultates retinere terrenas, quibus in poſterum uitæ conſulat, uitam perdet. Quiſquis uerò impedimentis abiectis neglexerit ſubſidia, is uitam lucrifecerit. Et eodem tempore, iudicij uidelicet, non ſpectabit Dominus operis qualitatem aut quantitatem, neq; conditionem in qua quis repertus fuerit, neq; locum aut diſcrimen perſonarum, ſed fidem. E' duobus ergo coniunctiſsimis ſibi, unus aſſumetur ad uitam, alter relinquetur exitio. Hæc cum diſcipuli non intelligentes tanquam per ſomnium audirent, inquiunt: Vbi tui manebunt, Domine? Adhuc carnem ſomniant, & regni locum ſcire quærunt. Ieſus autem per ænigma ſignificare uolens, ſanctos, ubicunq; reperti fuerint, non diſiungendos à Domino, reſpondit: Non refert ubi ſitis, modò mecum ſitis, qui animos ueſtros meipſo, qui ſum æternæ felicitatis pabulum, paſcam.*

CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet ſemper orare, & non deficere, dicens: Iudex quidam erat in ciuitate quadam, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & ueniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduerſario meo. Et nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe: Etſi Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia moleſta eſt mihi hæc uidua, uindicabo illam, ne in nouiſsimo ueniens, ſuggillet me. Ait autem Dominus: Audite, quid iudex iniquitatis dicit? Deus autem non faciet uindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico autem uobis, quia citò faciet uindictam illorum. Veruntamen filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra? Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam, dicens: Duo homines aſcenderunt in templum, ut orarent: unus Phariſæus, & alter publicanus. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicuti cæteri homines: raptores, iniuſti, adulteri, uelut etiam

hic

hic publicanus. Ieiuno bis in ſabbatho, decimas do omnium quæ poſsideo. Et publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Amen dico uobis: deſcēdit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo. Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

Sabbathum ſignificat hic hebdomadā integram.

COMMENTARIA.

Dixit Dominus Ieſus de periculoſis poſtremi ſeculi temporibus. Iam uerò docet, quomodo ſe in ijs gerant ſancti: quòd ſcilicet in afflictionibus & tentationibus illis maximis confugiendum ſit ad clementiam Dei, huicq́; perpetuis ſupplicandum precibus: nec deſiſtendum à precatione, licet non protinus exaudiantur. Infigit autem hæc pro more ſuo parabola, animis auditorum. Collatio autem in eo eſt, quòd iniquus iudex importunis uictus precibus uiduam audit: quanto magis, ſi quis precetur Deum conſtanter & fideliter, procuidubiò cum Deus iuſtiſsimus ſit, & clementiſsimus, audiet precantem. Ait autem: Erat iudex quidam impius: & impudens impietas faciebat, ut non timeret Deum: potentia, ut non reuereretur hominem. Erat in eadem ciuitate uidua quædam ac deſtituta, quæ quum opprimeretur ab aduerſario ſuo, adijt iudicem illum, penes quem erat ſumma poteſtas, & interpellauit illius auxilium aduerſus aduerſarij uiolentiam. Ille uerò diu diſsimulauit, nec uoluit opitulari. Tandem cum illa non faceret finem interpellandi, uincitur per improbitatem uiduæ, ac ita apud ſeſe ratiocinatur: Quoniam hæc uidua mihi moleſta eſt ſua improbitate, ſubleuabo illā ab aduerſarij iniuria, cùm ut liberer ab illa ne ſemper obturbet, tum ne rediens tandem exquiſitis conuicijs notam aliquam inurat exiſtimationi meæ. Ait autem Dominus: Si iniquus iudex uincitur perpetuis precibus, ut tandem uindicet: an non putatis & Deum iugibus commouendum precibus, ut uindicet electos ſuos, qui in poſtremis illis & periculoſis temporibus perſecutionem & afflictiones grauiſsimas ſuſtinebunt? Adijcitq́; his aliud exemplum, quo ſanctorum ſuorum animos ad ardorem & fidei conſtantiam excitet. Cum uenerit, inquit, filius hominis iudicaturus, an exiſtimatis, illum ullam in terra fidem inuenturum? Tanta enim erit malorum & multitudo & improbitas, ut apud pauciſsimos ſit ſuperſtes futura fides. Sed tamen apud quoſcunq; reperta fuerit illa conſtans in Deum fiducia, liberabuntur ultore Deo. Tanto ergo diligentius meis aduigilandum, ne & ipſi generali illa lue corrumpantur: ſed firmiter potius fidei donum cuſtodiant, & ut cuſtodire poſsint, fideliter precentur. Porrò ut eloquium Domini præcipit & commendat opera uerè bona, eleemoſynam, uigiliam, preces & ieiunia: ita diligenter cauet, ne illis fidamus, ſed omnem ſpem & fiduciam collocemus in miſericordiam Dei. diſſerit itaque hîc Dominus de uera & falſa iuſticia, contra eos qui in ſeipſos confidebant, & iuſticiæ laudem ſibi ex operibus arrogabant. Inducit autem tumidum quendam Phariſæum, qui in ſe & opera ſua confiſus eſt. ſic enim dixit: Deus, gratias ago tibi, quòd non ſum ſimilis cæteris hominibus, qui fraude rem augent, qui adulterio conſpurcant alienos thoros, aut deniq; qui infame munus gerentes in gratiam principum expilant populum Dei, qualis hic eſt publicanus. Non indulgeo luxui, quemadmodum uulgus facit, ſed caſtigo corpus meum abſtinentia: & in tantum non fraudo quenquam, ut omnium bonorum meorum decimam partem erogem in pauperes. Hæc quidem omnia bona opera fuêre, at Phariſæo illi nihil contulerunt: nulla certè alia de cauſa, quàm quòd in ipſa fiduciam ſuam collocaret, tumeret ſuperbia, & contumelioſè proximum faſtidiret. Ideóque falſa ſibi placens iuſticia, diſplicet oculis Dei, qui humilitatem probat: cui item hæc opera non diſplicuiſſent, ſi illis nihil tribuiſſet, ſed omnem fiduciam collocaſſet in miſericordiam Dei, iuxtaq́; uerbum Domini dixiſſet ex animo: Seruus inutilis ſum, quod debui facere, feci. ſi denique proximum ſuum non deſpexiſſet. Et hæc quidem Phariſæus. At publicanus diuerſa. Totus enim ſibi diſplicens ob peccatorum conſcientiam, procul abſiſtebat à ſacris, adeò pudens pœnitensq́; ſui, ut nec oculos auderet in cœlum attollere. Interim tamen corde non refugit à Deo: quin potius percutiebat pectus ſuum, externo hoc ſigno declarans, compunctum corde propter admiſſa peccata ſe grauiter dolere. Confitens autem peccata ſua, & agnoſcens ſe eſſe peccatorem: Deus, inquit, nihil eſt in me, propter quod recipi in gratiam à te merear. Nihil enim aliud ſum quàm peccator. hinc ſanè fateor, mea culpa & meo merito me eſſe condemnatum. At cum tuam apud me expendo clementiam, atq; magnam illā miſericordiam, meliora ſpero. Oro itaq; te, clementiſſime

Auguſti. Epiſt. 86. ad Caſula. ita ſcribit: Nõ dixit damnatum Phariſæũ, ſed magis iuſtificatum dixit publicanum.

pater, ut mihi ſis propitius. Et hæc quidem publicanus. Audiamus modò Dominum, de illis ferentem ſententiam: Publicanus ille, inquit, qui peccator uenerat in templum, abijt domum, in oculis Dei iuſtior illo Phariſæo, qui ſibi uidebatur iuſtiſſimus. Quiſquis enim ſemet extollit apud ſeſe, deijcietur in oculis Dei. Et quiſquis ſe deiecerit apud ſeſe, ſublimis erit in oculis Dei. Theophylactus: Qui ſe, inquit, condemnando humiliat, exaltabitur à Deo. Dic ergo tu prior peccata tua, & humilia te ſub potenti manu Dei, ut iuſtificeris, & exaltet te Deus in die uiſitationis.

CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

TVne oblati ſunt ei paruuli infantes, ut tangeret eos, & manus imponeret, & oraret. Quod cum uiderent diſcipuli, increpabant illos, & comminabantur offerentibus. Quos cum uidiſſet Ieſus, indignè tulit. Conuocans autem illos, dixit eis: Sinite paruulos uenire ad me, & nolite prohibere eos. talium eſt enim regnum cœlorum. Amen dico uobis: Qui non acceperit regnum ut puer, non intrabit in illud. Et complexans illos, & imponens manus ſuper eos, benedicebat illos. Et cum impoſuit manus eis, abijt inde. Et cum eſſet in uia, ecce unus princeps præcurrens, & accedens genu flexo ante eum, interrogabat illum, dicens: Magiſter bone, quid boni faciendo uitam æternam poſsidebo? Dixit ei Ieſus: Quid me interrogas de bono? Vnus eſt bonus, Deus. Nemo bonus, niſi ſolus Deus. Si autem uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Præcepta noſti? Dixit illi: Quæ? Ieſus autem dixit illi: Non homicidium facies. Non adulteraberis. Non facies furtum. Non falſum teſtimoniũ dices. Ne fraudem feceris Honora patrem tuum, & matrem tuã. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dixit illi adoleſcẽs: Hæc omnia cuſtodiui à iuuentute mea. Quid adhuc mihi deeſt? Ieſus autem intuitus eſt eum, quũ audiſſet hæc, dilexit illum, & ait ei: Adhuc unum tibi deeſt. Si uis perfectus eſſe, uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & ueni, & ſequere me. Cum autem audiſſet adoleſcens uerbum, cõtriſtatus in uerbo, abijt triſtis & mœrẽs. Erat enim habẽs multas poſſeſsiones, & diues ualde. Videns aũt Ieſus triſtem factum, ait diſcipulis ſuis: Quàm difficile qui pecuniam habẽt, in regnum Dei intrabunt. Amen dico uobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum. Diſcipuli autem obſtupeſcebãt in uerbis eius. At Ieſus rurſus reſpondens, ait illis: Filioli, quàm difficile eſt, cõfidentes in pecunijs in regnum Dei introire. Et iterum dico uobis: Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnũ Dei. Auditis autem his, diſcipuli mirabantur ualde. Quidam qui hoc audiebant, magis admirabantur, dicentes ad ſeipſos: Et quis poteſt ſaluus fieri? Et intuens Ieſus illos, ait illis: Apud homines hoc impoſsibile eſt: ſed apud Deum omnia poſsibilia ſunt. Quæ impoſsibilia ſunt apud homines, poſsibilia ſunt apud Deum.

COMMENTARIA.

Viderant aliquot pij parentes, Dominum attactu ſuo omnes ſanaſſe morbos, ingentiaq; hominibus contuliſſe beneficia: idcirco cupiebant infantes ſuos offerre Ieſu, ut eis manus imponeret, & pro ipſis deprecaretur. Sperabant enim fore, ut Ieſu contactus ſeruaret eos à morbis, dæmonio, ruinis, cæteriſq; malis, quibus ætas illa ſæpenumero perit. At diſcipuli non expendentes Domini conſilium, carnali quodam affectu, ſancto parentum conatui non citra indignationem ſeſe opponunt, imò obiurgant ipſos: uel quòd indignum putarent, uirum tantum laſſari, & detineri infantium & matrum improbitate: uel quòd ipſis infantuli uidebantur parum eſſe idonei ad audiendum uerbum Dei, utpote ratione iuſta adhuc carentes. Hoc animaduertens Ieſus, quo magis ac magis infigeret animis ſuorum Euangelicam modeſtiam, quæ nullum quantumuis humilem faſtidit: Sinite, inquit, ut pueri ad me perferantur. Etenim qui horum ſunt ſimiles, mihi gratiſsimi ſunt. Ideo uerò adducendi & admittendi, quia deſtinauit eos Deus ad uitam beatam: adeoq; nunc ſunt Dei, & hæredes regni cœlorũ. Adducti ſunt igitur paruuli ad

Ieſum, & ipſe impoſuit illis manus, ſacri corporis contactu uirtutem occultam infundens puellis, ob ſimplicem parentum fidem. Vnde piiſſimè faciunt etiam hodie, qui infantulos ſuos ad Chriſtum adducunt. Rogas quomodo hoc fieri poſſit? Sanè, ſi in Eccleſia apportemus eos ad baptiſmum Chriſti. Ibi enim recipit nomine Chriſti puerum, Chriſti miniſter, & uiſibiliter quidem ſancto ſigno baptiſmi Chriſto inſerit. Nec nouũ hoc: cum ſanctorum martyrum monumenta teſtentur, primitiuæ Eccleſiæ hunc morem fuiſſe. Sic enim ad Fidum ſcribit D. Cyprianus: Porrò autem, ſi etiam grauiſſimis delictoribus, & in Deum multum antè peccantibus, cum poſtea crediderint, remiſſa peccatorum datur, & à baptiſmo atque gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nil peccauit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit? qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo facilius accedit, quòd illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata. Eadem ferè inueniet pius lector apud D. Dyonyſium, Origenem, & Aurelium Auguſtinum ad Valerium, & contra Pelagianos. Cæterùm proficiſcenti illinc Domino acceſſit adoleſcens, & princeps quidem. Erat hic animo religioſo præditus. Quoniam ergo è Chriſto audierat neſcio quæ noua præcepta, quæſtionem mouet de uita æterna conſequenda. Commendatur etiam in hoc iuuene ciuilitas morum, quod (ut eſt apud Marcum) Domino flectit genua, & honorificè Bonum quidem magiſtrum appellat: ſic quoque blandimento captabat Ieſu beneuolentiam, quem tamen nihil aliud ſuſpicabatur eſſe quàm purum hominem, quanquam cæteris præeminentem. Deinde cum de bono percontatur, non de quouis bono ſentit: ſed de inſigni quopiam bono, quod promereatur uitam æternam. Atqui nullus mortalium abſolutè bonus eſt: nec ullum eſt opus hominis quod ita bonum ſit, ut mereatur præmium æternæ uitæ. Ieſus igitur excitans adoleſcentem, ut magnificentius de ipſo ſentiat, & auocet à fiducia operum ſuorum, ac uitæ ſpem potius collocet in beneficentia gratuita Dei, qui natura bonus eſt, & gratis beneficus in omnes: Quid me, inquit, bonum appellas? Solus Deus bonus eſt, fons omnis boni, adeò ut quicquid bonitatis in toto orbe ſit, à Deo profectum, & à Deo conſeruatum & abſolutum credatur. Sed tamen ſi cupis admitti ad uitam æternam, ſerua præcepta. Relegat autem eum ad mandata Dei, quia Deut. 12. dictum erat: Non faciet unuſquiſque quod rectum eſt in oculis ſuis: ſed quod ego præcipio uobis, id obſeruabitis ut faciatis. Certiſſima igitur uia ad uitam ſempiternam, eſt obſeruatio mandatorum Dei. Hæc cum audiſſet adoleſcens, rogat quæ nam ſint illa præcepta. ſiquidem audierat illum docentem, præcepta legis Moſaicæ non eſſe ſatis ad conſequendum regnum cœlorum. Ieſus igitur ut omnibus eximeret legis fiduciam, & ne quis dubitaret de quibus mandatis locutus eſſet, quædam recenſet ex Exodi 20. & Deut. 5. colophonem adiungens omnium præceptorũ, dilectionem. At ille perfectiſſimam arrogat ſibi iuſticiam, quaſi omnia legis exactiſſimè abſoluerit: ſed falſò. Nam ſi ſeruaſſet legem, Deum ſuis opibus, & egenorũ neceſſitatem ſuis diuitijs prætuliſſet. Quare etiam audit: Si uolueris id euincere, & comprobare quod dicis, te mandata Dei perfeciſſe: age, uende quæ habes, & da pauperibus. Hoc enim ſi feceris, demonſtrabis palàm, te Deum ex animo, & proximum tanquam te ipſum diligere, cœleſtiaq; pluris quàm terrena æſtimare. En uerò præmium: Theſaurum in cœlo habebis. Neq; tamen ita te plenè abſolueris hoc opere, niſi me quoq; ſequaris: te, inquam, mihi conſecraueris, & omnem tuam fiduciam in me collocaueris. Hunc ſermonem cum audiſſet adoleſcens, abijt animo deiecto, mœſtoq;, quòd dominus eſſet multarum poſſeſſionum, quas durum exiſtimabat ſemel uniuerſas relinquere. Digreſſo autem adoleſcente, Ieſus conuerſus ad diſcipulos ſuos (nam illis hoc ſpectaculũ ediderat, ne quando pœniteret paupertatis ſuæ, aut tenerentur amore pecuniæ) Quàm, inquit, difficile eſt, diuitem ingredi regnum cœlorum. Significans ægrè conuenire ſtudium opulentiæ, & ſtudium Euangelicæ Philoſophiæ. Equidem ſtudium congerendarũ opum, earumq; poſſeſſio undiq; ſceleribus circumſeptum eſt, per phas nephasq; parantur opes, quibus tandem toti immerſi homines, cœleſtium planè obliuiſcuntur. Verè ergo Dominus putat, facilius camelum tranſire per foramen acus, quàm diuitem in regnum Dei introire. Camelum autem rudentem nauticum dicit eſſe Theophylactus, quo ancora proijcitur. alij uerò interpretes de animali expoſuerunt. Notauit ergo Dominus diuites auaros, quibus diuitiæ magis ſunt oneri quàm uſui, ut quas inſtar camelorum alijs baiulant potius quàm ſibi. Hinc quoque non uituperantur diuitiæ, neque damnantur diuites, niſi cum accedit abuſus diuitiarum: in primis uerò fiducia in diuitias. Ideo apud Marcum ſignificanter dicitur: Filij, quàm difficile eſt, eos qui fiduciam habent in pe

cunijs, regnum Dei ingredi. Hic ſermo quia non ſatis intelligebatur ab Apoſtolis, iniecit & illorum animis mœſtitudinem quandam, quòd dolerent, tot homines diuitiarum gratia ſecludendos à regno cœlorum. Dicunt ergo: Si ſic habet res Domine, quis poterit ſaluus fieri? Quotus enim quiſque eſt mortalium, qui aut abijcere poßit diuitias quas habet, aut non optare ſi non habet? Intuitus autem illos Ieſus, quo leniret conceptum animo mœrorem, dixit: Impoßibile ſanè eſt homini, ne in diuitias ſuas ſpem ſuam ponat, aut ut alacri animo eas abijciat, aut ut opulentus nõ ferociat: Deo tamen poßibile eſt, diuitis animum mutare, ſic ut is iam rectè utatur opibus, humilis ſit, modeſtus: adeoq; & abijciat eas, ſi quando id poſtulet Euangelij negotium.

CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

TVnc reſpondens Petrus, cœpit ei dicere: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. quid ergo erit nobis? Reſpondens Ieſus, ait eis: Amen dico uobis, quòd uos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & uos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomẽ meum, propter me & Euangelium, & propter regnum Dei, centuplum accipiet: multo plura nunc & in hoc tempore, domos, fratres, & ſorores, & ſe, & matrem, & filios, & agros, cum perſecutionibus: & in ſeculo futuro uitam æternam poſsidebit. Multi autem primi erunt nouiſsimi, & nouiſsimi primi. Nam ſimile eſt regnum cœlorũ homini patrifamiliâs, qui exijt primo mane, conducere operarios in uineam ſuam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, miſit eos in uineam ſuam. Et egreſſus circa horam, uidit alios ſtantes in foro, & dixit illis: Ite uos in uineam meam, & quod iuſtum fuerit, dabo uobis. illi autem abierũt. Iterum autem exijt circa horam ſextam, & nonam: & fecit ſimiliter. Circa undecimam uerò exijt, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hic ſtatis tota die ocioſi? Dicũt ei: Quia nemo nos cõduxit. Dicit illis: Ite & uos in uineam meã. Cum autem ſerò factum eſſet, dicit dominus uineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſsimis uſque ad primos. Cum ueniſſent ergo qui circa undecimam horam uenerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi. Acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et accipientes murmurabãt aduerſus patremfamiliâs, dicentes: Hi nouiſsimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus? At ille reſpondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Non'ne ex denario cõueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & uade. Volo autem & huic nouiſsimo dare, ſicut tibi. Aut non licet mihi facere in bonis meis quod uolo? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Sic erunt nouiſsimi, primi: & primi, nouiſsimi. Multi enim ſunt uocati, pauci uerò electi.

COMMENTARIA.

Sermo quem adoleſcenti dixerat Ieſus, uende quæ poßides, & ſequere me: nonnihil bonæ ſpei conciliauit Petro, qui quanquam diues non fuiſſet, tamẽ hoc ipſum quod habebat, alacer reliquit, ac Dominum fuerat ſecutus. Dixit ergo: Domine, ecce nos reliquimus omnia, nos fecimus quod ab adoleſcente flagitabas, & ſumus te ſecuti. Quid igitur erit nobis? Quod ut audiuit Dominus Ieſus, & ſuorum diſcipulorum mentem probè noſcens, admodum amicè reſpondit: Vos qui ſecuti eſtis me. Nõ dixit (inquit D. Hieronymus) Qui reliquiſtis omnia. Hoc enim et Socrates fecit philoſophus, Crates Thebanus, et multi alij diuitias cõtempſerunt. Sed, Qui ſecuti eſtis me: quod propriè Apoſtolorum eſt, atq; credentium. Quando mortui de corruptione ſurgent incorrupti, ſedebitis & uos in ſolijs iudicantiũ, condemnantes duodecim tribus Iſrael. Videbunt enim uos mihi iudici aßiſtere, & inde colligent ſe damnari meritò, utpote quos ſpreuerint monitores atq; doctores,

& nobis

& uobis credentibus illi credere noluerunt. Regenerationem ergo appellauit reſurrectionẽ mortuorum: quòd (iuxta Apoſtoli uerbum) corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem. Per ſedem uerò (ut Theophylactus docet) excellentem honorem indicauit. His porrò ſubiungit, & ait: Neque uobis ſolùm hoc præmij continget: uerumetiam quiſquis hominum ob mei nominis profeßionem reliquerit quamcunque poſſeßionem, poſſeſſurus eſt precioſum illud margaritum Euangelicæ mentis, nullis huius mundi mercibus æſtimandum. Huic ſatis amplo præmio adijcietur & illud omnium longè maximum, ut pro rebus mox perituris uitam æternam poßideat. Non autem hæc uerba Chriſti ſic accipienda erunt, quòd Euangelica profeßio doceat eſſe ſpernendos eos quos nobis natura coniunxit: ſed huiuſmodi affectus negligendos, quoties auocant nos ab æternæ ſalutis negotio. Et in hac æſtimatione, quæ fiet ab æquo iudice Deo, multi tenebunt poſtremas, qui nunc uidentur tenere primas: contrà, qui nunc humiles, nihil'que uidentur hominibus, illic erunt primi. Theophylactus: Iudæos, inquit, hic inſinuat, & gentiles. Certè Iudæi aliquando fuerunt populus Dei: Gentes contrà fuerunt populus ſine Deo. Tandem induratis illis, hæ fidei beneficio in conſortium fœderis repudiatis Iudæis uenerunt. Quoniam autem ænigma uidebatur quod propoſuerat de primis & nouißimis, explanat parabola quod dixerat: qua quidem declarat, diuerſis ætatibus homines fuiſſe uocatos ad cultum iuſticiæ: omnibus tamen iuſticiæ cultoribus idem eſſe præmium æternæ ſalutis, modò uocati gnauiter laborarint in uinea iuſticiæ. Eſt igitur paterfamiliâs, ipſe Deus: paterfamiliâs dictus, tum propter bonitatem natiuam, animum'que in genus mortalium propenſißimum, atque plus quàm paternum, tum propter curam & gubernationem orbis. Hic autem uocat in uineam Eccleſiam, conſortium ſanctorum ſeruientium ſibi in ſanctitate & iuſticia, operarios. Non enim ad ſomnum ac ocium, ſed ad ſtudia uirtutum uocat homines: cum his conuentionem facit. Nam Eccleſiam ſibi Deus fœdere quodam aſtrinxit, pollicens ſe Deum fore fidelium, & hos uita ſiue immortalitate donaturum æterna. Conducit autem alium quidem primo diluculo (ut Theophylacto uidetur) hoc eſt in pueritia: alium autem in adoleſcentia, alium in uirili ætate: & circa horam undecimam, ſenes. Vel: Dominus prima hora uocauit Enoch & Noe: tertia, Abraham: ſexta, Moſen: nona, Prophetas: undecima autem, hoc eſt in conſummatione ſeculi, Gentes: qui ocioſi fuerunt ab omni bono. Porrò adducens Dominus hanc ſimilitudinem, uoluit illorum animis infigere, quòd Deus naturâ beneficus in omnes, uarijs modis ac uarijs ætatibus non ceſſat inuitare mortales omnes ad cultum ueræ pietatis, in qua qui ſe gnauiter exercuerint, ijs præmium eſſe uitam æternam: à qua nemo ſecluditur, modò uocatus audiat. In fine diei, inquit Theophylactus, & conſummatione ſeculi omnes ſuum accipient denarium. Hoc uerò præmium, ut non debetur omnino meritis noſtris, ſed potius beneficentiæ diuinæ: tamen non contingit citra conatum noſtrum. Porrò cum inter ſanctos nec ſit liuor, nec murmuratio aduerſus Deum: Dominus his uerbis, An oculus tuus nequam eſt, quia bonus ſum? expreßit ſummum honorem, qui nouißimis eſt habitus, ut in præmio locum primum ſortirentur. Quæ dignitas tam inſignis eſt, ut meritò quis poßit inuidere. Quanquam & boni Iudæi primum murmurabant aduerſus gentes, quòd ex maioribus idololatris orti, à lege Moſaica prorſus alieni, ſubitò pares haberentur ipſis in Euangelij gratia, & ad eandem ſalutem admitterentur, nullo legis onere grauati: cum ipſi diu uerſati in obſeruationibus Moſaicis, nihilo potiores eſſent, quàm modò uita prorſus impia ad Euangelij profeßionem admißi. Denique ſtatim properandum, quiſquis uocatus fuerit: alioqui fruſtra fuerit uocatus, niſi det operam, ut ſit etiam electus. Ac nulli non uocantur: ſed pauci merentur ut ſint inter electos.

CAPVT VICESIMVMSEPTIMVM.

ERat autem propè Paſcha Iudæorum, & abierũt multi Hieroſolymam de regione, ante Paſcha, ut ſanctificarent ſeipſos. Quærebant ergo Ieſum, & colloquebantur adinuicem, in templo ſtantes: Quid putatis, quia non uenit ad diem feſtum iſtum? Dederãt autem pontifices & Phariſæi mandatum, ut ſi quis cognouerit ubi ſit, indicet, ut apprehendant eum. Erant autem in uia aſcendentes in Hieroſolymam, & præcedebat illos Ieſus: & ſtupebant, & ſequentes timebant, Et aſcendens Hieroſolymã, aſſumpſit iterũ duodecim diſcipulos

diſcipulos ſecretò, & cœpit eis dicere, quæ ſibi uentura eſſent. Et ait illis: Ecce nos aſcendimus Hieroſolymã, & cõſummabuntur omnia quę ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim principibus ſacerdotũ, & ſcribis, & ſenioribus, & condemnabunt eum morte, & tradent illum gentibus ad illudendum, & flagellandum & crucifigendum. & conſpuetur: & poſtquã flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget. Et ipſi nihil horum intellexexunt, & erat uerbum iſtud abſconditũ ab eis, & nõ intelligebãt quæ dicebantur. Tunc acceſsit ad eum mater filiorũ Zebedæi cum filijs, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid uis? Et accedunt ad eum filij Zebedæi, Iacobus & Ioannes, dicentes: Magiſter, uolumus ut quodcunq; petierimus, facias nobis. At ille dixit eis: Quid uultis ut faciam uobis? Et dixerunt: Da nobis, ut unus ad dexteram, & alius ad ſiniſtram tuam ſed eamus in gloria tua. Et mater ait illi: Dic, ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram tuam, in regno tuo. Reſpondens autẽ Ieſus, dixit eis: Neſcitis, quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum: aut baptiſmo, quo baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei: poſſumus. Ait illis Ieſus: Calicem quidem meum bibetis, & baptiſmo quo baptizor baptizabimini: ſedere autẽ ad dextram uel ſiniſtrã meam, non eſt meum dare uobis: ſed quibus paratũ eſt à patre meo. Et audientes decem, indignati ſunt de duobus fratribus, Iacobo & Ioanne. Ieſus autem uocauit eos ad ſe, & ait illis: Scitis, quia principes gentiũ dominantur eis, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter uos: ſed quicunque inter uos uoluerit maior fieri, ſit ueſter miniſter. Et quicunq; uoluerit primus eſſe, erit ueſtrûm omnium ſeruus: ſicut filius hominis non uenit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam dare redemptionem pro multis.

COMMENTARIA.

Feſtum Paſchæ ſolenne erat Iudæis ex mandato Domini. *Non licebat autem illud niſi in urbe ſancta, iuxta legis præſcriptionem, celebrare.* (Deut 16.) *Veniebat ergo in urbẽ ex Galilæa, Palæſtina, uniuerſa Iudæa, alijsq; Iſraelitica gentis finibus ingẽs populi multitudo ad celebrandũ paſcha.* (2 Para. cap.30.) *Prius tamen ſanctificabãt ſeſe precibus, luſtrationibus, & hoſtijs. Mirificè autem ſanguini Ieſu inſidiantes Iudæi, anxiè inter ſeſe huiuſmodi uoluunt ſermones: Quid cauſæ ſubeſſe putatis, quòd Ieſus ille præter morẽ à tanta abeſt ſolennitate? An fortè ſenſit inſidias ipſius uitæ ſtructas eſſe? Et quoniam hoc ipſum ſibi perſuaſerant, nouum captant conſilium. Mandant enim cum authoritate, ut ſi quis noſſet ubi lateret Ieſus, indicaret ipſis, quo poſſet capi, & in manus tradi pontificis & ſeniorum. Diſcipuli uerò ex uerbis* Domini *& minis hoſtium Chriſti facilè ſubodorabant, quid eſſet futurum: quòd ipſis immineret magna perſecutionis tempeſtas. Metuunt ergo ſibi, tanquam homines: ac ſequuntur nihilominus præcedentem* Dominum. *Et ipſum Iacobus & Ioannes, quoniam audierant Petro tributas claues regni cœlorum, audierant de honore duodecim ſellarum, accedunt rudes adhuc, & humana quædam ſomniantes, quum exiſtimarent ſtatim à reſurrectione uenturum hoc regnum, quo ſibi quoque præcellentem aliquam dignitatem impetrent, ſubornãt matrem quæ pro ipſis, ut filijs, interpellet Ieſum. Audit* Dominus *petitionem: & quia probè nouit eos ſubornaſſe matrem, præterita matre diſcipulis reſpondet, dicens:* Delectat *uos mentio regni, quod ipſum longè aliud eſt quàm ſomniatis. Nam non ueni ut orbem armis occupem, & meos cultores præfectos prouinciarum faciam: ſed ut morte redimam mundum, meosq; doceam, meis inſiſtere ueſtigijs, pompam huius ſeculi calcare, & per patientiam ingredi in regnum patris. Proinde rogo à uobis, an poßitis bibere de poculo, de quo ego bibiturus ſum: & eo tingi baptiſmate, quo ego tingendus ſum? Quibus ſanè uerbis proponit illis mortem & paßionem ſuam. Neque id nouum eſt. Frequens enim mentio eſt Babylonici calicis etiam in* Prophetis: *quo ſignificarunt afflictionem, calamitates, & clades inferendas per* Babylonios. *Præterea, afflictiones in Sacris etiam per aquas & aquarum inundationes ſignificantur. Ergo de eodem bibere poculo, eſt, malis communibus eſſe obnoxium, & affligi. Porrò autem illi nondum gnari uirium ſuarum, ſed præ nimia auiditate quod petebant impetrandi, temerè uerius quàm*

forti-

fortiter reſpondent: Poſſumus. Quærit hic S. Hieronymus, quomodo calicem martyrij biberint, cum Scriptura narret, Iacobum tantum ab Herode truncatum, Ioannem autem propria morte uitam finiiſſe? Et reſpondet: Ioannem quoque perſecutiones & labores uarios pertuliſſe propter nomen Chriſti. Primum enim miſſum, ut martyr fieret, in feruentis olei dolium, & inde relegatum in Pathmos inſulam: atque idcirco poculum Domini bibiſſe, tametſi cruenta perſequentiũ manu non ceciderit. Cæterùm quòd Dominus Ieſus de ſeſſione illa æterna loquitur, & patris eſſe dicit: S. Hieronymus breuibus explanans, inquit: Regnum cœlorum non eſt dantis, ſed accipientis. Non eſt enim acceptio perſonarum apud Deum. Sed quicunque talem ſe præbuerit, ut regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet quod non perſonæ, ſed uitæ paratum eſt. Proinde ſic dicit illis Ieſus: Si tales eſtis, qui conſequamini regnum cœlorũ, quod pater meus triumphantibus & uictoribus præparauit: uos quoque accipietis illud. ut quiſque certauerit, ita feret præmium. Vbi autem uiderunt decem alij, illos à Chriſto increpatos, tunc & ipſi indignati ſunt. Adhuc enim imperfecti erant, & humanis quibuſdam ducebantur affectibus, ambientes & inuicem ſubinuidentes. Curaturus ergo Dominus animos, inuidia & ambitione ſaucios, pulchrè diſcernit functionem politicam ab Eccleſiaſtica: Scitis, inquit, quòd qui principatum gerunt inter gentes, dominatum ac tyrannidem exercent in illos quibus imperant, eaq́; curant nõ quæ conducant multitudini, ſed quæ faciant ad ſtrepitum fortunæ, gloriæq́; ſuæ. At non conuenit itidem fieri inter uos (id quod non tantum de tyrannide & principum uitijs intelligendum eſt, ſed de politica quoque adminiſtratione.) Hoc enim dicit: Non in hoc elegi uos, ut conſtituam principes orbis, qui iura & leges exerceant: ſed miniſtros Eccleſiarum, qui orbem doceant Euangelium, & ſancta uitæ conuerſatione, humilitate & patientia præferant omnibus uitæ exemplum. Quamobrem quicunque uoluerit inter uos gerere principatum, ſit omnium miniſter, non ſibi gerens honorem, ſed populo cui præſidet. Et qui uoluerit inter uos habere primum locum, ſit omnium ſeruus atque infimus. Nec enim in aliud ſumit ſibi primum locum, niſi ut omnium commodis inſeruiat, nihil inde uenans nec honoris, nec compendij. Quòd ſi uobis durum uidetur, me uidete. Quum enim Dominus ſim, & ut uerè profitemini, filius Dei: tamen non arrogo mihi ullam dignitatem. Veni enim, ut omnium commodis ſubſeruiam. Huc ergo ſpectent etiam ueſtra conſilia. Accedit his aliud longè maius, quod ueni in hunc mundum ut uitam impendam pro peccatoribus, & iactura unius animæ multas redimam. S. Hieronymus ait: Non dixit, Pro omnibus: ſed, pro multis: id eſt, pro his qui credere uoluerint, me eſſe Saluatorem.

CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

Factum eſt aũt quũ appropinquaret Ieſus Hiericho, cæcus quidam ſedebat ſecus uiã, mendicans. & cum audiret turbam prætereuntẽ, interrogabat quid hoc eſſet? Dixerunt aũt ei, quòd Ieſus Nazarenus tranſiret. Et clamauit: Ieſu fili Dauid, miſerere mei. Et qui præibant, increpabãt eum ut taceret. Ipſe uerò multo magis clamabat: Fili Dauid, miſerere mei. Stans aũt Ieſus, iuſſit illum adduci ad ſe. Qui proiecto ueſtimento ſuo exiliens, uenit ad eum. Et cum appropinquaſſet, interrogauit illum, dicens: Quid uis ut faciam tibi? At ille dixit: Domine, ut uideam. Et Ieſus dixit illi: Reſpice, fides tua ſaluum te fecit. Et confeſtim uidit, & ſequebatur illũ, magnificans Deum. Et omnis plebs ut uidit, dedit laudem Deo. Et ueniunt Hiericho. Et ingreſſus perambulabat Hiericho. Et ecce uir, nomine Zachæus, & hic erat princeps publicanorũ, & ipſe diues, & quærebat uidere Ieſum quis eſſet: & non poterat prę turba, quia ſtatura puſillus erat. & præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, ut uideret illum, quia inde erat tranſiturus. Et cum ueniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus uidit illũ, & dixit ad eum: Zachæe, feſtinãs deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinãs deſcendit, & ſuſcepit illum gaudens in domũ ſuam. Et cum uiderẽt omnes quòd ad hominẽ peccatorẽ diuertiſſet, murmurabant. Stans aũt Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidiũ bonorũ meorũ Domine do pauperibus: & ſi quid aliquẽ defraudaui, reddo quadruplũ. Ait Ieſus ad eum: Hodie ſalus huic domui facta eſt, eo quòd & ipſe ſit filius Abrahæ. Venit enim filius hominis, quærere & ſaluum facere quod perierat.

Gerſon Barthymæũ apud Marcum, alijs duobus apud Matthæũ adiungit.

COM-

Quum ex ſtrepitu uocum ac pedũ deprehenderet cæcus iſte, magnam uim hominum prætereuntem: interrogabat, quid hoc eſſet rei? Audiens autem Ieſum eſſe, de cuius beneficijs & beneuolentia erga homines audierat multa: concepta fiducia, illius auxilium implorare incipit. Cuius exemplo diſcamus & nos, in noſtris neceßitatibus clamare ad thronum excelſi, pleni fide & ſpe erga illum, quem audimus & intelligimus eſſe omnipotentem, & amatorem hominum. Porrò formula inuocandi qua utitur, breuis: ſed optima. Credens enim (ut Theophylactus docet) Ieſum eſſe Chriſtum, qui expectabatur: magna uoce clamat, Fili Dauid: non ignorans, Chriſtũ ex ſemine Dauid naſciturum. Et dicendo, miſerere mei, declarat quòd diuiniorem quandam de illo ſententiam habeat, & non hominem purum cenſeat. Turba uerò increpitans cæcum, prohibet importunum clamorem, iubetq; ne pergat moleſtus eſſe Domino. Verùm cæcus non audit turbam: imò quo magis cohibebatur, eo uehementius exclamabat, eadem iterans uerba. Hæc docent quemlibet noſtrûm fidem in Chriſtum, & conſtantem Dei inuocationem. Videamus iam quoq; quomodo erga mendicum ſe gerat Dominus. Subſiſtit, & iubet adduci miſerum: mox, quid uelit, rogat. Vbi uerò uotum deſideriumq; ſuum expoſuiſſet cæcus audientibus omnibus, audit à Domino: Recipito uiſum. Et confeſtim recepit uiſum. Dei enim filius erat Dominus noſter, eiuſdem cum patre poteſtatis, ut ipſi quoq; illud diuinum congruat: Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Iam etiam addit Dominus, fidem eſſe per quam ſanitatis beneficium receperit miſer, dicens: Tu quidem credidiſti, quòd ego ſum ille filius Dauid, qui celebretur Chriſtus, & tantum præ te tuliſti feruorem, ut quamuis increparere, non ſilueris: idcirco reſtitutus eſt tibi uiſus. Et ille ex mendico factus eſt Ieſu ſectator, ac prædicator diuinæ bonitatis. Et non is tantùm glorificauit Deum, quin populus ipſe conſpecto tam inſigni miraculo tribuit laudem & gloriam Deo. Digreſſus autem inde Dominus, uenit Hiericho. In hac uerò ciuitate erat quidam, Zachæus nomine. Fuit is publicanus: quod genus hominũ admodum infame erat. Præterea princeps erat publicanorum. Id plurimùm facit ad bonitatis & gratiæ diuinæ commendationem. Tenebatur autem ingenti deſiderio uidendi Ieſum, ut eum de facie quoq; noſſe poſſet, de quo rumor tam admiranda ſparſerat. Sed pio deſiderio Zachæi obſtabat pudor, quo minus ad Ieſum perrumperet: obſtabat undique circumfuſa hominum multitudo, obſtabat humilitas corporis. erat enim ſtatura puſillus. Ieſus autem delectatus hominis inſigni cupiditate, quam ipſo facto (arborem enim ſycomorum conſcenderat) quam uultu atque oculis præ ſe ferebat, ſublatis in altum oculis uidit Zachæum: uidit illum, & quis eſſet nouit, nimirum peccator publicanus. Et tamen uocat hominem ad ſe, & offert illi protinus conſortium, & communionẽ omnium bonorum. Diuertit enim ad illum, tanquam ad intimũ amicũ. Quæ omnia ſunt gratiæ gratuitæ, & declarant, quòd peccatores iuſtificantur gratis, ex miſericordia Dei. Porrò obedit Domino Zachæus. nam nihil cunctatur, ſed abſque mora deſcendit, ac geſtiens & gaudens excepit Ieſum in ædes ſuas. Turba autem cum uideret Ieſum tam propenſum erga publicanum, ut ultrò ſemet in ædes illius inuitaret, murmurabat. O' contaminatam & inuiſam Deo iuſticiam, quæ mauult faſtidire quàm ſanari. Sed quid interea Zachæus contempto murmure populi Iudaici agit? Stat ante Ieſum, ambiens etiam in diſcipulorum aſciſci numerum. Et quemadmodum hactenus citra frontem rem ſuam per auariciam et impoſturam confecerat: ita nunc ingenuè peccatum ſuum confitetur, & quid facturus ſit oſtendit: non ut iactet ſua bona opera, ſed ut oſtendat ſe dolere de admißis, & quòd porrò iuſticiæ uelit dare operam. Duo autem pollicetur palàm: Beneficentiam in pauperes, et reſtitutionem. de bonis ſuis uult largiri eleemoſynam. nec parcè uult diuidere, ſed liberaliter: dimidium ſcilicet bonorum ſuorum. Deinde dicit ſeu pollicetur ſe pleniſſimè reſtitutionem facturum, ijs quos per calumniam, uſuram, & artes peßimas fraudauit & oppreßit. Expediebat ſanè, ut hæc Zachæi uox audiretur ab inuidis Iudæis, & à Chriſto ijſdem audientibus probaretur: Ieſus itaq; uerſus ad murmurantes Iudæos, ait: Illud affirmo uobis, quòd hodie ſalus contigit huic familiæ, eo quòd ipſa quoq; pertineat ad parentem Abraham, quo generis autore uos gloriamini. Quiſquis enim fide & ſinceritate uitæ, pietateq; refert Abraham, is filius eſt Abraham, conſors benedictionis olim Abrahæ promiſſæ. Nec obſtat uitæ genus, antehac in peccatis actum. Quiſquis à priori uita reſipiſcens amplectitur doctrinam Euangelicam, quiſquis Abrahæ ueſtigijs ingreſſus, ſequitur ueram iuſticiam, filius eſt Abrahæ. Nec enim huiuſmodi faſtidiet

filius

filius hominis, qui in hoc ipſum uenit in hunc mundum, ut quæreret quod aberrarat, ſeruaret quod perierat. Hi peccatores Deo gratiores ſunt, quàm qui falſa perſuaſione iuſticiæ tument.

CAPVT VICESIMVMNONVM.

HAec illis audientibus, adijciens parabolam, eo quòd eſſet prope Hieruſalem, & exiſtimarent illi quòd confeſtim regnum manifeſtaretur, dixit: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, accipere regnum, & reuerti. Vocatis autem decem ſeruis, ſuis dedit eis decem minas, & ait illis: Negociamini, dum uenio. Ciues autem eius oderant illum, & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos. Et factum eſt, cum rediret accepto regno, iuſsit uocari ſeruos, quibus dederat pecuniam, ut ſciret quantum quiſque negociatus eſſet. Venit autem primus, dicens: Domine, mina tua decem minas acquiſiuit. Et ait illi: Euge ſerue bone, quia in modico fidelis fuiſti, eris poteſtatem habens ſupra decem ciuitates. Et alter uenit, dicens: Domine, mina tua fecit quinque minas. Et huic ait: Et tu eſto ſuper quinque ciuitates. Et alter uenit, dicens: Domine, ecce mina tua, quam habui repoſitam in ſudario. timui enim te, quia homo auſterus es, tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti. Dicit ei: De ore tuo iudico te, ſerue nequam. Sciebas quia ego homo auſterus ſum, tollens quod non poſui, & metens quod non ſeminaui: & quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego ueniens cum uſuris utique exegiſſem illam? Et aſtantibus dixit: Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet. Et dixerunt illi: Domine, decem minas habet. Dico autem uobis: Quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Veruntamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me. Et his dictis præcedebat, aſcendens Hieroſolymam.

COMMENTARIA.

Homines illi, autore Theophylacto, audientes regnum Dei, illud ſuſpicabantur temporale eſſe, à Deo datum in libertatem Hebraici generis. Idcirco & ſuſpicantur, quòd Ieſus aſcendens in Hieruſalem, ſumpturus eſſet hoc regnum. Hæc quoniam falſa erat ipſorum opinio, Dominus demonſtrat, regnum ſuum fore cœleſte. ſe enim aſcenſurum in cœlũ, diſpoſitis prius Apoſtolis, qui acceptis donis ſancti Spiritus, in mundum uniuerſum egreſſuri, homines prædicatione uerbi in regnum Chriſti adducturi ſint. Et hominem generoſum ſe introducit. Nam licet homo fuerit (dicente Theophylacto) manſit tamen in faſtigio & nobilitate Deitatis. Perfecto autem myſterio diſpenſationis in carne, in regionem longinquã (cœlum dico) profectus eſt, ut acciperet ſibi regnũ: hoc eſt, ut quaſi, & ſecundum quod homo, ſederet in dextra throni magnificentiæ cum carne. Etenim ſicut Deus, ſemper conſubſtantialis fuit patri: ſicut homo autem, tunc ſedit quando aſſumptus eſt. Ciues autem eius ſunt Iudæi, odio habentes illum, qui & noluerunt eum ſuper ſe regnare, quando dixerunt ad Pilatum: Non habemus regem, niſi Cæſarem. Seruos uerò de quibus hic dicitur, uel Apoſtolos intellige, uel apoſtolicos uiros, quibus in Eccleſia miniſterium concreditum eſt. Illis enim ſeruis diſtribuit decem minas Dominus: hoc eſt, dona quæ unicuique data ſunt in utilitatem: dona inquam Spiritus ſancti, cum huiuſmodi mandatis, ne ſibi retineãt, ſed cum ipſis negotientur: plurimos uidelicet doctrina ſana in regnum Chriſti traducant. Cæterùm quando redibit Chriſtus, generoſus ille, in conſummatione uidelicet ſeculi, tunc ſanè ad rationem adiget eos qui bona acceperunt. Et qui duplicauit acceptũ, multiplices retributiones accipit: qui autem nihil lucratus fuit, condemnatur. Porrò ſuppliciũ ſumendum de rebellibus Iudæis, & Iudæorum ſocijs, Dominus oſtendit. Et alludit quidem ad morem principum huius ſeculi, iubentiũ in conſpectu ſuo, rebelles ubi regnum dolo rebellium nonnihil alienatum recuperarunt, interfici: ſignificatq́;, æternam mortem incredulis & blaſphemis eſſe paratam. Atq; illi miſeri in hoc mundo occiſi ſunt à Romanis exercitibus, ſeruanturq́; & internecioni quæ illic eſt.

CAPVT TRICESIMVM.

ET egredientibus illis ab Hiericho, & proficiſcente eo & diſcipulis eius, ſecuta eſt eum turba multa. Et ecce duo cæci ſedentes ſecus uiam, audierunt quòd Ieſus tranſiret, & clamauerunt dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili Dauid. Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili Dauid. Et ſtetit Ieſus, & uocauit eos, & air: Quid uultis, ut faciam uobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri. Miſertus autem eorum Ieſus, tetigit oculos eorum. Et confeſtim uiderunt, & ſecuti ſunt eum.

COMMENTARIA.

Dixit Dominus, ueniſſe ſe ſaluandis peccatoribus. Iſtud iam beneficio quodam confirmat, docens fide uera percipi ſalutem & beneficia ab ipſo. Proinde fide opus erit, qua accedamus Dominum, & beneficia ipſius Chriſti percipiamus. In cæcis illis fuit fides inſignis & egregia, quam fideli produnt inuocatione, implorantes diuinam miſericordiam. Et immobile precum noſtrarum fundamentum eſt miſericordia Dei. per eandem uerò fidem appellant ipſum, filium Dauidis: nimirum glorioſum Iſraelis regem. Ieſus autem diſſimulauit clamorem illorum, quo magis eſſet omnibus perſpicua fides & ardor illorum. At illi conſtanti fiducia erga Ieſum, quem audierant eſſe beneficum in omnes, perſeuerant in ſuis precibus: & quanto magis à plebe ipſorum preces interturbantur, tanto clamant conſtantius. Et ſanè multa ſunt quæ interrumpunt & impediunt preces noſtras: uerùm fides illis omnibus præteritis, pergit diuinam precari miſericordiam. Reſtitit Ieſus tandem, ubi ſatis ſpectatam reddidiſſet omnibus illorum fidem, iuſſit que illos uenire ad ſe, & rogat, quid ſibi uellent tanto clamore ab ipſo præſtari? Non equidem ignorabat quid optarent: ſed uitium quo tenebantur, uoluit omnibus eſſe notum ipſorum confeßione, quo certior eſſet miraculi fides. Et illi: Domine, inquiunt, uolumus ut per te aperiantur oculi noſtri. His que docent, quid in primis poſtulandum à Domino: ut ſcilicet in hoc mundo uideamus & intelligamus quod Deo placet, ut ipſius Dei conſpectu in futuro ſeculo fruamur. Quod uerò dicitur, Miſertus autem illorum Ieſus: teſtatur miſericordiam Dei omnium beneficiorum Chriſti fontem ac orginem eſſe. Ieſus igitur uultu ipſo & oculis præ ſe ferens affectum miſericordiæ, tetigit oculos eorum: mox que apertis oculis uiderunt. Potentiam Chriſti illud nobis declarat, quòd protinus uiſum plenè recipiunt: ſicut & illud uirtutem fidei nobis commendat, quòd Dominum ſequuntur illuminati. Ita quoque Dominus Ieſus ſanat animum cupiditatibus mundanis excæcatum ſuo contactu, & in hoc datur lumen, ut illius ſequamur ueſtigia.

CAPVT TRICESIMVMPRIMVM.

Matth.26. Ioan.12. Funditur unguentũ, & murmurant diſcipuli.

IEſus ergo ante ſex dies Paſchæ uenit Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus. Fecerunt autem ei cœnam ibi, in domo Simonis leproſi, & Martha miniſtrabat. Lazarus uerò erat unus ex diſcumbentibus. Et cum diſcumberet, ueniens mulier Maria, accepit libram unguenti nardi piſtici precioſi, & unxit pedes Ieſu, & exterſit capillis ſuis pedes eius. Et fracto alabaſtro, effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Et domus impleta eſt ex odore unguenti. Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos diſcipuli, & dicenres: Vt quid perditio huius unguenti facta eſt? Dixit ergo unus ex diſcipulis ſuis, Iudas Iſcariotes, qui eum erat traditurus: Quare hoc unguentum non ueniјt trecentis denarijs, & datum eſt egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum: ſed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Sciens autem Ieſus quia fremebant in eam, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri? Sinite illam: opus enim bonum operata eſt. Semper pauperes habetis uobiſcum, & cum uolueritis, poteritis eis benefacere: me autem non ſemper habebitis. quod habuit, hoc fecit: præuenit ungere corpus meum in ſepulturam. Amen dico uobis, ubicunque

prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, & quod hoc ſecerit narrabitur in memoriam eius. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quòd illic eſſet: & uénerunt, non propter Ieſum tantum, ſed ut Lazarum uiderent, quem ſuſcitauit à mortuis. Cogitauerunt autem principes ſacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quía multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum.

COMMENTARIA.

Dominus Ieſus ſciens illos pontifices & Phariſæos certum conſilium cæpiſſe de ſe occidendo: & iam inſtare tempus, quo uolens decreuerat immolari agnus immaculatus pro ſalute mundi, noluit latere diutius: ſed uelut occurrens ad uictimam, reuerſus eſt in Bethaniam: ſimul ut recentis miraculi memoriam renouaret, & reſurrectionis ſpem diſcipulorum animis imprimeret, quos ſciebat ſua morte uehementer eſſe perturbandos. Illic autem parata eſt Ieſu cœna, & & in eo conuiuio Lazarus erat unus de numero accumbentium. Qua de cauſa? Vt non putarent homines (ait Auguſtinus) phantaſma eſſe factum. Quia mortuus reſurrexit, loquebatur, epulabatur, ueritas fuit oſtenſa, & infidelitas Iudæorum confuſa. Porrò quòd Maria ſingulari quodam amore flagrabat in Dominũ Ieſum, quùm ob alia multa, tam ob recens in fratrem beneficium, acceſſit ad conuiuium, ac unguentum ex nardo generoſiore confectum effundit in caput Ieſu diſcumbentis, adeò ut unguenti fragrantia totam impleret domum. Quæ ſanè pietas ab ipſis diſcipulis, & præſertim Iuda Iſcariotis, in malam interpretatur partem. Et Iudas quidem i idignatione & obmurmuratione iſta contra Dominum ſatis teſtatus eſt, quali fuerit in Dominum mente præditus. Deinde cum fur eſſet, & mala fide ſeruaret quod ſpontanea benignitas, amicorum Domino contribuiſſet, reprehendit honoris modum, & indignatur. Si enim diuenditum fuiſſet unguentum iſtud, inde depilator pro more conſueto ſuam ſibi partem rapuiſſet. Quòd ſi quis quærat (inquit D. Chryſoſtomus) cur Iudæ, cum fur eſſet, loculi pauperum commmiſſi ſint? cur auarum fecerit diſpenſatorem? Illud ſanè dicemus, Deum arcanam intelligere rationẽ. Quòd ſi quid & à nobis eſt coniectandum: ut omnem tolleret proditionis materiam. Neque enim poterat dicere, pecuniarũ id cupiditate ſe feciſſe. Sufficientes enim erant loculi, qui eius ſatisfacere poterant cupiditati: ſed uicit eum malitia. Et Dominus quidem Ieſus, qui nuſquam ſuos cultores deſerit, Mariam nunc conſtantiſſimè defendit, docens nihil peccatum ab ipſa, unctione illa. & ait: Non perijt hoc unguentum: ſed mulier hæc ceu præſagiens me breui moriturum, præuenit officio ſepulturam meam: & uiuo fundit, quod mortuo ſolet infundi. Nolite itaq; huius obtrectare pietati, quæ adeò grata eſt Deo, ut poſteaquam Euangelium mortis meæ prædicabitur per uniuerſum mundũ, ſimul & huius mulieris futura ſit mentio. Porrò quomodo intelligendus Chriſtus, qui hic dixit: Me non ſemper habebitis: & alio loco, Ecce ego uobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi: D. Auguſtinus his uerbis explanat. Secundũ maieſtatem ſuam (ait) ſecundum prouidentiam, ſecundum ineffabilem & inuiſibilem gratiam impletur quod ab eo dictum eſt: Ecce ego uobiſcum ſum, &c. Secundum carnem uerò, quam uerbum aſſumpſit, ſecundum id quod de uirgine natus eſt, ſecundum id quòd à Iudæis cõprehenſus eſt, quòd ligno confixus, quòd de cruce depoſitus, quòd linteis inuolutus, quòd in ſepulchro conditus. quòd in reſurrectione manifeſtatus, non ſemper habebitis me uobiſcum. Quare? Quoniam conuerſatus eſt ſecundum corporis præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis: & eis deducentibus, uidendo, non ſequendo, aſcendit in cœlum, & non eſt hic. ibi enim ſedet ad dexteram patris, & hic eſt, nõ enim receſſit præſentia maieſtatis, &c. Et paulo ante hæc uerba: Quid eſt, inquit, non ſemper: & quid eſt, ſemper? Si bonus es, ſi ad Chriſti corpus pertines, habes Chriſtum & in præſenti et in futuro. In præſenti per fidem, per ſignũ Chriſti, in præſenti per baptiſmatis ſacramentũ, in præſenti per altaris cibum & potum. Habes Chriſtũ in præſenti: ſed habebis ſemper. quia cum exieris, ad illum uenies qui dixit latroni: Hodie mecum eris in paradiſo. Si autem malè uerſaris, uideris habere in præſenti Chriſtum: quia intras Eccleſiam, ſignas te ſigno Chriſti, baptizaris baptiſmo Chriſti, miſces te membris Chriſti, accedis ad altare Chriſti: in præſenti habes Chriſtũ, ſed malè uiuẽdo non ſemper habebis. Hæc ille. Cæterùm quoniam Bethania propter uiciniam ab Hieroſolymitis frequentabatur, & Lazarus ob nobilitatẽ ac diuitias multis cognitus, propter recentis miraculi famam multis erat notior, non latuit Ieſum eſſe

in Bethania: moxq́; complures ex urbe eò confluebant: partim ut Ieſum uiderent, cuius famam maiorem in modum auxerat tam inſigne miraculum: partim ut ipſum etiam Lazarum conſpicerent, quem audierant excitatum à mortuis. Sacerdotum autem ac Phariſæorum animos ſic excæcauerat liuor & odium in Ieſum, ut iam illorũ malitiæ non ſatis eſſet, occidere Ieſum: ſed de Lazaro quoq; tollendo cogitarent, in quem ne ſpeciem quidem ullam criminis intentare poterant. de qua illorum inſigni malitia ita ſcribunt pij ac doctiſſimi uiri: Eſto (inquit D. Chryſoſtomus) Ieſus ſoluerit ſabbathum, quapropter cupiebatis illum occidere. Lazarus autem quid commeruit? Nunquid beneficium accipere, crimini dandum eſt? Auguſtinus uerò: O ſtulta cogitatio, & cæca ſæuitia. Dominus Chriſtus, qui ſuſcitare potuit mortuum, non poßit occiſum? Quando Lazaro inferebatis necem, nunquid Domino auferebatis poteſtatem? Si aliud uidetur uobis mortuus, aliud occiſus: ecce Dominus utrumque fecit, & Lazarum mortuum, & ſeipſum ſuſcitauit occiſum.

CAPVT TRICESIMVMSECVNDVM.

IN craſtinum autem, turba multa quæ conuenerat ad diem feſtum, cum audiſſet quia Ieſus uenit Hieroſolymam, acceperũt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei. Et factum eſt, cum appropinquaſſet Bethphage, ad mõtem Oliueti, miſit duos diſcipulos, dicens illis: Ite in caſtellum quod contra uos eſt: in quod introeuntes, ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum aſinæ alligatum cum ea, cui nemo unquam hominum ſedit: ſoluite, & adducite illum. Et ſi quis uos interrogauerit: Quare ſoluitis? dicetis ei: Quia Dominus his opus habet. & confeſtim dimittent eos. Hoc autem factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Syon: Noli timere, filia Syon. Ecce rex tuus uenit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubiugalis. Hæc non cognouerunt diſcipuli eius primùm: ſed quando glorificatus eſt Ieſus, tunc recordati ſunt, quia hæc ſcripta erant de eo, & hæc fecerunt ei. Euntes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præcepit eis Ieſus. Et inuenerunt pullum alligatum ante ianuam, foris in biuio, & ſoluerunt eum. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos: Quid ſoluitis pullum? At illi dixerunt, ſicut præcepit eis Ieſus: Quia Dominus eum neceſſarium habet. & dimiſerunt eis. Et adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos ueſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Eunte autem illo, plurima turba ſtrauerunt ueſtimenta ſua in uia: alij ramos de arboribus cædebant, & ſternebant in uia. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Oſanna filio Dauid. Benedictus qui uenit in nomine Domini: & benedictum quod uenit regnum patris noſtri Dauid: Oſanna in excelſis. Et cum appropinquaret iam ad deſcenſum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ deſcendentium laudare Deum uoce magna, gaudentes ſuper omnibus quas uiderant uirtutibus, & dicentes: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Pax in cœlo, & gloria in excelſis. Benedictus, qui uenit in nomine Domini, rex Iſrael. Teſtimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarum uocauit de monumento, & ſuſcitauit eum à mortuis: propterea & obuiã uenit ei turba, quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum. Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos: Videtis, quia nihil proficimus. Ecce mundus totus poſt eum abit. Et quidã Phariſæorum de turbis dixerũt ad illum: Magiſter, increpa diſcipulos tuos. Quibus ipſe ait: Dico uobis, etſi hi tacuerint, lapides clamabunt.

COMMENTARIA.

Quia proximus iã erat urbi Chriſtus, in qua pati uolebat, ut nos aſſereret in libertatem filiorum Dei: et cum ubiq; admiranda ſint ipſius conſilia & opera, agit tamen hic in primis mirabili quodam modo. Dum enim pleriq; Iudæorũ talem expectarent regem, qualis fuerat Salomon, Cyrus, & Alexander: abſq; ſtrepitu regio urbem eorum inuehitur humilis, inſidens aſello: docens utique, re-

que,regnum ſuum doctrina ſancta,uera pietate et manſuetudine,non armis & ſuperbia,aut luxu regio,& conſtitui & conſeruari. Porrò Matthæus prophetico teſtimonio adducto probat, hic nihil noui aut affectati egiſſe Dominũ, quando id quod facit, ita facturum prædixerunt prophetæ. Hæc autem, hoc eſt, cur Chriſtus Dominus aſello ueheretur in urbem regiam, ipſi quidem diſcipuli nõ intelligebant. Vbi uerò Dominus aſcendiſſet in cœlum, ac Spiritum miſiſſet ſanctum, non modò intelligebant quale futurũ eſſet Chriſti regnũ: ſed ſimul uidebant, Dominum omnia ſua iuxta figuras & uaticinia Prophetarum egiſſe. Quare autem ſtudio ita ardenti obuiam Chriſto turba uenerit, Ioannes Euangeliſta apertè oſtendit, dicens: Hoc tã inſigne populi ſtudiũ excitarat, quòd multi quidem adfuerant iuxta Bethaniam, quum Dominus Ieſus excitaret Lazarum è monumento: & quod oculis ſuis conſpexerant, cæteris narrant. Hinc tam frequens hominum multitudo prodijt obuiam Ieſu, quòd cognouiſſent hoc inſigne miraculum ab illo proditum, quale non erat auditum ab orbe condito. Id quia palàm diuinam uirtutem quandã præſeferebat, honos quoq; exhibitus eſt illi, qualis nulli prophetarum exhibitus fuit. Nam occurrunt obuiam læti, confitentur Chriſtum eſſe regem illum olim promiſſum, nunc cœlitùs præſtitum. Palmas ergo uirentes, & ueſtes ſternunt in uiam, uictoriæ & fidei teſtes. Omnes deniq; tam præcurrentes quàm ſequentes Dominũ, bona & fauſta felicemq; ſucceſſum ſuo principi optant. Videntur autem has ceremonias & hunc ritum è feſti tabernaculorum ritu petiſſe. Sic enim habetur Leuit. 23. Die primo accipite uobis fructum ligni ſpecioſi, ramos palmarum, & ramos arboris denſæ, & ſalices torrentis, lætabiminiq; coram Domino Deo ueſtro. Verba autem petita ſunt è Pſal. 117. quem forſan in hoc feſto inter gaudia illa ſua cecinerunt. Et Matthæus quidem ex induſtria reliquit uerba è Dauide Hebraica, Hoſchia na, quod interpretatur, Saluifica quæſo, ſiue ſalutem præſta filio Dauid, ut is nos quoq; aſſerat, & agamus proſperè. Repetitio autem gratiam habet nõ mediocrem: Hoſanna, inquiunt, in altiſsimis: hoc eſt, O' Domine Deus, qui habitas in altiſsimis, ſaluifica nos obſecro, et libera nos per Chriſtum filium tuum. Cumq; clamant (ſicut Lucas ſcribit) Pax in cœlo: exoptant ſibi ampliſsimam planeq; cœleſtem concedi pacem per Meſsiam, quam unionem uocat Theophylactus inter Deum & homines, factã opera mediatoris. Dicunt item, Gloria in altiſsimis: id eſt, tribuimus omnem gloriã, & ampliſsimã quidẽ illam, habitanti in altiſsimis, huic laudem & gratiarum actionem offerimus pro beneficio illo exhibiti liberatoris. Hanc uerò gloriam atq; laudem inuident Chriſto phariſæi. odiũt ergo & calumniantur benefactorem: neq; aliam ob cauſam quàm quòd experiũtur, Chriſtum ſuis repugnare affectibus. At Dominus Ieſus oſtendit, ſuam gloriam inuito etiam toto mundo perrupturam, adeò ut ſi taceant homines, lapides ſint locuturi, prædicaturiq; gloriam regis Chriſti.

CAPVT TRICESIMVMTERTIVM.

ET ut appropinquauit, uidens ciuitatem fleuit ſuper illam, dicens: Quia ſi ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis: quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te undiq;: & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quòd non cognoueris tempus uiſitationis tuæ. Et introiuit Hieroſolymam. Et cum intraſſet, commota eſt uniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic? Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus propheta, à Nazareth Galilææ. Et intrauit Ieſus in templũ Dei, & eijciebat omnes uendentes & ementes in illo, & menſas numulariorum & cathedras uendentium columbas euertit, & non ſinebat ut quiſquam transferret uas per templum. Et docebat eos, dicens: Non'ne ſcriptum eſt: Domus mea domus orationis uocabitur cunctis gentibus? uos autem feciſtis eam ſpeluncam latronũ. Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo, & ſanauit eos. Videntes autem principes ſacerdotũ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in remplo, & dicentes, Oſanna filio Dauid: indignati ſunt, & dixerũt ei, Audis quid iſti dicunt? Ieſus autem dixit eis: Vtique. nunquam legiſtis: Ex ore infantium Deus & lactentium perfeciſti laudem? Er erat quotidie docens in templo. Principes autem ſacerdotum, & ſeniores, & ſcribæ, & principes plebis quærebãt illũ perdere, & nõ inueniebant

bant quid facerent ei. Omnis enim populus ſuſpenſus erat, audiens illum. Erant autem gentiles quidam ex his qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, uolumus Ieſum uidere. Venit Philippus, & dixit Andreæ: Andreas rurſum & Philippus dixerunt Ieſu. Ieſus autem reſpondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur filius hominis.

COMMENTARIA.

Quum iam eò progreſſus eſſet Dominus Ieſus, *ut propius in proſpectu eſſet* Hieroſolyma, *uidens ciuitatem illam ædificijs magnificam ac ſplendidam, ſuperbam rebus præſentibus, ignorantia uenturæ calamitatis ſecuram: miſericordia motus illachrimauit, ac uerbis abruptis ueluti præ dolore ſingultiens, deplorauit illius exitiū, dicens in hanc ſententiam: O ſi cognouiſſes & tu, nimirum ſicuti ego coràm ueluti cerno, quantæ tibi calamitates impendeant: profectò hoc die tuo, quo te uiſitat clemens & benignus* Deus, *cupiens te ſaluam facere, bene utereris, curaresq́; ut cum* Deo *redires in gratiam.* Nunc *autem occultata ſunt ab oculis tuis: non* Dei *quidem culpa, malignè abſcondentis ſua iudicia: ſed uitio proprio.* Dati *ſunt enim tibi, populæ mi, dies ſalutis & gratiæ: uerùm his rectè uti noluiſti. uenient ergo dies uindictæ, quæ contemptum illum gratiæ* Dei *iuſtè punient.* Senties *igitur tuos reges longè alio apparatu ad te uenientes, quàm nunc ad te uenit rex tuus ſalutifer & placidus.* Non *recipis qui uenit daturus ſalutem, & recipere cogêris qui uenient daturi perniciem.* Iam *uerò ordine exponit, quid paſſuri ſint miſeri: principiò circundabunt te, inquit, inimici tui uallo.* Intellexit *autem per uallum haud dubiè extructionem caſtrorum.* Ioſephus *libro 6. capite 12.* A' Romanis, *ſcribit, 12. Maij aggeres inchoati, uix 29. perfecti ſunt, cum totos dies 17 laboraſſent.* Deinde *dicitur.* Cingent *te, quod idem author eodem libro, cap. 13. his uerbis illuſtrat:* Murus *quidam uno minus quadraginta ſtadijs erat, & totum opus triduo conſtructum eſt.* Hinc *ſequitur:* Et *coanguſtabunt te undique.* Anguſtijs *ergo cincti & obſeßi exemplo carentibus, excarnificati ſunt.* Quas *anguſtias* Ioſephus *deſcribens, inter alia ſic ait:* Cum *non ſupereſſet locus in urbe ubi ſepelirentur cadauera, in ualles ex muro præcipitabant: quas circūiens* Titus, *ubi plenas cadaueribus uidit, altáque ſanie tabefactis corporibus defluentes, ingemuit, & extenſis manibus* Deum *teſtabatur, factum illud ſuum non eſſe.* Adijcitur: Et *ſolo æquabunt te. id* Ioſephus *his uerbis enarrat:* Quia *uerò quos occideret, quidue raperet exercitus non habebat, quòd iratis animis omnia deerant, iubet eos* Cæſar *totam iam funditùs eruere ciuitatem ac templum: & quæ ſequuntur.* Porrò *filios* Hieroſolymitanos *iuxta linguæ proprietatem, appellauit ciues & incolas urbis.* Colligit *autem hiſtoricus numerum occiſorum fame, gladio, & peſte, undecies centena millia: at captiuorum numerat 97000: quorum alios ait ſeruatos ad triumphum, alios ad metalla damnatos, alios beſtijs proiectos, alios deſtinatos ludis gladiatorijs, alios uerò ad diuerſas prouincias eſſe diuenditos.* Huius *uerò ſummæ calamitatis cauſam hanc eſſe dicit* Ieſus, *quòd non agnouerint ſuam clementem uiſitationem.* Viſitauit *quidem ille gentem* Iudaicam *in miſericordia & gratia, oriens (ut* Zacharias *dixit) ex alto, ut illuceſcat ſedentibus in tenebris & umbra mortis, ad dirigendos pedes ipſorum in uiam pacis. at illi maluerunt agere in tenebris quàm luce, maluerunt bellum quàm pacem eligere.* Quia *uerò non obſcuram, ſed prorſus illuſtrem oportebat eſſe regis* Chriſti *gloriam: ideo* Deo *ſic ordinante, omnes urbis ciues commouētur ad inſolitum ſpectaculum.* Quòd *autem uulgus* Dominum *noſtrum prophetam à* Galilæa, *& non regem aut filium* Dei *appellat, emphaſim habet.* Iam *enim magnifica, adeóq́; diuina & regia facta* Domini *è* Galilæa Hieroſolymam *attulerat, et rumor & fide digniſſimorum hominum narratio, quomodo uidelicet excitaret mortuos, ſanaret omnes morbos, imperaret marinis fluctibus, et diabolorum legionibus: quomodo doceret fidē, iuſticiā, et abſolutā beatitudinem.* Id *uerò nō ignorātes turbæ, rogantibus,* Quis *eſt hic qui noua pōpa urbē regiā ingrediēs, comitatui permittit ut rex ſalutetur? reſpondent:* Hic *ille propheta eſt, uir diuinus, & cœlitùs nobis miſſus.* Cæterùm *ingreſſus templū* Ieſus, *inuenit omnē impietatē: ſiquidē alijs malis accedebat auaricia cupiditasq́; ſacerdotū inſatiabilis, qua fiebat ut omnē cultū* Dei *uerterēt in priuatū & turpem quæſtū, mercaturā iā, nō pietatē et pietatis exercitiū exercētes in templo.* Audiamus S. Hieronymū *hac de re ſic diſſerentē:* Sciendū *eſt, inqt, quod iuxta mādata legis, auguſtiſſimo in toto orbe tēplo* Domini, *et de cūctus penè regionib.* Iudæorū *illuc po-*

pulo

pulo cõfluẽte, innumerabiles immolabãtur hoſtiæ, maximè feſtis diebus, taurorũ, arietum, hircorũ: pauperib. ne abſq; ſacrificio eſſent, pullos columbarũ & turtures offerentibus. accidebat plerunque, ut qui de longè uenerant, non haberent uictimas. Excogitauerunt igitur ſacerdotes, quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia quibus opus erat ad ſacrificia, uendebant, ut & uenderent non habentibus, & ipſi rurſum empta ſuſciperent. Hanc ſtropham eorum crebra uenientium inopia diſsipabat, qui indigebant ſumptibus: & non ſolùm hoſtias non habebant, ſed ne unde emerent quidem aues, & uilia munuſcula. Poſuerunt itaq; & numularios, qui mutuam ſub cautione darent pecuniam, &c. Hanc ergo impietatem ingreſſus templum Christus, *protinus non uerbis tantum, ſed factis quoq; eijcit. Ne autem temeritatis uel audaciæ accuſari poſſet, Scripturæ teſtimonio ſe purgat: ac demonſtrat, ſe facto ſuo latrocinia ſacerdotum repreſsiſſe. Verba ſumpſit ex Eſa. cap. 56. &* Hierem. *cap. 7. Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi: quotquot autem adibant illum, ſanabat, nimirum uirtute ſua diuina. His rebus cum oportebat primores ſacerdotum & ſcribas illos reſipiſcere, tandem etiam magis exarſerunt inuidia. Obijciunt ergo Domino, quando pueri clamabant, Oſanna filio David: Audis'ne quid pueri iſti acclament tibi? Mirum ſanè, ſi illam agnoſcas acclamationem, puteſq; ipſam ad te pertinere. Et ſubmonuerunt eum, ut illum clamorem compeſceret. At ille Scripturæ teſtimonio illis os obturaturus: Vultis, inquit, ut his occludam ora, quæ Deus ad laudandam gloriam ſuam aperuit? Dico uobis, adeò Deus non patietur per ueſtram inuidiam ſileri laudes ſuas, ut ſi iſti tacerent, lapides ipſi ſint clamaturi, quibus uos eſtis duriores. His rebus irritati illi qui primas tenebant, ſeu primores erant, captabãt occaſionem perdendi Saluatorem. Non deerat mala mens: ſed non affulgebat ſpes perficiendi, quod uolebant. Audierant acclamationes populi, uidebant et in templo totam multitudinem ſuſpenſam pendere ab ore ipſius. Tanta erat diuini ſermonis uis & gratia. Hinc metuebant authoritati ſuæ, metuebant quæſtui ſuo, metuebant regno ſuo. Dixerunt ergo: Videtis quò res redierit? quò obſiſtimus magis, hoc magis inclareſcit illius gloria, populiq; ſtudium accenditur. nimis diu parſimus homini nocentiſsimo, euenitq; quod ſemper futurum prædiximus. Antea pauculos aliquot habuit diſcipulos: ecce nunc totus mundus deficit à nobis, ad illum. Erant autem multi etiam Græcorum, qui propter pulchritudinẽ templi, & ea quæ de Iudæis dicebantur, aſcenderunt Hieroſolymã adoraturi. Hos cum ingens haberet deſiderium uidendi Ieſum, de quo tanta audierant, adeunt Philippum, aiuntq;: Domine, effice quæſumus, ut Dominum, cui tu notiſsimus es, uidere liceat. Philippus homines peregrinos non deſpicit, ſed cauſam illorum ſuſcipit diligenter agendam. Communicat tamen conſilium cum Andrea, utpote ſeniore: nõ quòd difficilem ſenſiſſet uſquam ad colloquia Dominum, ſed quod Cananæam non ita pridem durius compellaſſet, dixiſſetq; ſe ouibus perditis, Iſraelitis ſcilicet, ueniſſe ſaluãdis. Ambo itaq; adeuntes Ieſum, exponunt illi adeſſe quoſdam ethnicos, qui ipſum uidere cupiant, ſi dignaretur eos admittere. Ex occaſione illa ſibi oblata à diſcipulis, ampliſsimè prædicat* Dominus *Ieſus, adeſſe iam tempus glorificationis ſuæ: quòd uidelicet reſuſcitatus in cœlos ſit transferendus, omnes gentes credituras in ipſum, atq; omnes per ipſum ſaluandos fines terræ.*

CAPVT TRICESIMVMQVARTVM.

AMen dico uobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multũ fructum affert. Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mũdo, in uitã æternam cuſtodit eam. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus qui in cœlis eſt. Nunc anima mea turbata eſt: & quid dicam? Pater, ſaluifica me ex hac hora: ſed propterea ueni in hanc horam. Pater clarifica nomen tuũ. Venit ergo uox de cœlo, dicẽs: Et clarificaui, & iterũ clarificabo. Turba ergo quæ ſtabat & audierat, dicebat tonitruũ factũ eſſe. alij dicebant: Angelus ei locutus eſt. Reſpõdit Ieſus, & dixit: Non propter me hæc uox uenit, ſed propter uos. Nũc iudiciũ eſt mũdi, nũc princeps huius mũdi eijcietur foràs. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipſum. Hoc aũt dicebat, ſignificãs qua morte eſſet moriturus. Reſpõdit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternũ: & quomodo tu dicis, oportet exaltari

filiũ hominis? Et quis eſt iſte filius hominis? Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum lumen in uobis eſt. Ambulate, dum lucem habetis, ut non tenebrę uos comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, neſcit quò uadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis ſitis. Hæc locutus eſt eis Ieſus, & abijt, & abſcondit ſe ab eis.

COMMENTARIA.

Diſcipulis piè admodum pium ethnicorum affectum exponentibus, reſpondit Ieſus: Audiſtis Iudæos acclamantes, Benedictus qui uenit in nomine Domini. Videtis gentes ſimili cupiditate accurrere. Vos abhorretis à mentione mortis: tamen illud pro certiſsimo habete, niſi granum frumenti proijciatur in terrã, atq; ibi putreſcat, mortuumq; fuerit, nihil ex ſeſe fructus prodit: ſed unicum & ſolum manet incolume. Quòd ſi ſepultum et mortuum fuerit in terra, emergit rurſum cum copioſo fœnore. Ad eundem modum, niſi corpus meũ moriatur, nihil ex ſeſe fructus mundo communicabit. cæſum autem & ſepultum, multo cum fœnore reſurget. Expiato enim peccato, exarmato diabolo, & conculcata morte uitam reducet. ubi uerò ſubleuatus fuero in cœlos, Spiritum ſanctum effundam, & totum ad me conuertam orbem. Sic uitam impendere non interitus eſt, ſed lucrum: & hoc eſt uitam non amittere, ſed ſeruare. Cæterùm quia non ſolùm ipſe Chriſtus erat paſſurus, quinimò imitatione eius quàm plurimi pro confeſſione nominis Chriſti mortem erant ſubituri (ita ſcribit D. Cyrillus) idcirco docet, hanc præſentem & momentaneam pro Deo uitam contemnere, ut æternæ uitæ capiatur hæreditas. Amat autem animam ſuam in hoc mundo, qui deſideria eius diuinæ legi repugnantia facit, & is ſanè perdet eam: quia poſt hanc uitam æternæ morti erit addictus. At uerò odit animam ſuam in hoc mundo, qui non cedit neq; obſequitur ei, noxia concupiſcenti, & diuinis præceptis contraria. Et cumulatiſsimus inde præmiorum ſequitur fructus, utpote quòd in uitam æternam cuſtodiatur. Mox enim pro breui ac miſera uita recipiet in reſurrectione perennẽ ac feliciſsimam uitam. Porrò quia multi ſe Chriſti miniſtros ore tantum profiteri poſſent, opere uerò lõgè ab eius miniſterio diſcedere: opus ſui miniſtri Dominus aperit, dicẽs: Si quis ſe profitetur diſcipulum meum, ſi quis miniſtrum, me magiſtrum ac Dominum ſequatur oportet. Quos habuero conſortes ac ſocios afflictionum, eos nõ ſeiungam à conſortio felicitatis: ſed æternam mecum in cœlis habitationem, manſionemq; perpetuam habebũt. Me quamlibet à mundo reiectum, tamen pater euehet ad gloriam. Quòd ſi quis mihi ſe fidum miniſtrũ præbuerit, hunc pro temporarijs malis, proq; ignominia qua apud homines affectus eſt, pater æterna felicitate ueraq; gloria decorabit. Quia uerò dixerat, horam mortis ſuæ imminere: proinde iuxta hominem conturbatur & dolet, & mortem metuit. Conſolatur hoc pios nõ uulgariter. quandoquidem enim uident Dominum Ieſum tentatum per omnia, metum mortis & tentationes ſuſtinuiſſe grauiſsimas, inde colligũt, ſe miſericordem apud patrem habere interceſſorẽ atq; pontificem, qui poſsit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum. Heb. 4. Iam autẽ in ſummo periculo iſto ad patrem conuerſus, orat Chriſtus: Pater, ſi fieri poteſt, ſaluũ me fac ex hoc inſtanti periculo mortis: imò ſi ſic expedit, ueniat optata mors. Idcirco quidem ueni in has terras, ut huic me ſubijciam diſcrimini. Tu itaq; præſta, ut mea mors meáq; reſurrectio clarum reddat nomen tuum apud omnes gentes & totius orbis nationes, ut te cognito, te glorificantes æternã ſalutem conſequantur. S. Auguſtinus: Dominus, inquit, docuit te quid cogites in periculis, quid dicas, quem inuoces, in quo ſperes, cuius uoluntatem certam atq; diuinam tuæ uolũtati humanæ atq; infirmæ præponas. Porrò ubi talia ſublatis in cœlum oculis precatus eſt Dominus Ieſus, uenit uox patris è cœlo, dicens: Et clarũ reddidi nomen meum, & poſt hac amplius illuſtrabo. Hoc copioſius exponens ſanctus Auguſtinus ait: Clarificauit eum pater, cum de uirgine natus eſt, cum cœlo indice per ſtellam à magis adoratus eſt, cum à ſanctis ſpiritu Dei plenis agnitus eſt, cum deſcendente ſpiritu in ſpecie columbæ declaratus eſt, cum uoce de cœlo ſonante monſtratus eſt, cum in monte eſt transfiguratus, cum multas uirtutes operatus eſt, & multa miracula fecit. Et iterum clarificauit, cum reſurrexit à mortuis, cum exaltatus fuit ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria eius, cum Spiritum ſanctum effudit ſuper omnem carnem, & per Apoſtolorum prædicationem totum ad ſe conuertit orbem. Hanc uerò uocem cœlitùs emiſſam, turba quæ non procul ſtabat, cum audiſſet, quoniam parum fuerat attenta, nec ſatis conſtabat ad quem ea uox pertineret, uariabat ſententijs. Quidam enim interpretabantur, tonitruum fuiſſe. Alij uerò, quòd articu-

articulata eſſet uox & ſignificatiua, dicebāt, Angelus ei locutus eſt: arbitrati angelũ de cœlo hæc uerba depromſiſſe, quemadmodũ antiquis patribus in lege plerunq; leguntur fuiſſe locuti. Dominus autem oſtendit, uocem illam propter aſtantes eſſe factam, ut per eam illis indicetur, quòd uerè Dei filius eſt, patri per omnia conſentiens. Deinde oſtendit, modum gloriæ qua à patre adhuc clarificabitur, dicẽs: Nunc in foribus eſt iudiciũ mundi. Nunc princeps huius mundi eijcietur forȧs. Egregiè autem exponitur paucis hiſce uerbis omne totius Euangelij Chriſti myſterium: unde diligentius explicanda uidentur. Obſeruandũ ergo, Dominum (ut D. docet Cyrillus) non intellexiſſe iudicium damnationis malorum, aut retributionis præmiorum: ſed iudicium diſcretionis fidelium & credentium ab incredulis & obſtinatis per infidelitatem, & iudicium expulſionis ab ijs qui per ipſum redempti ſunt. Habuit quidem prius per tyrannidem principatum in totum genus humanum, & dominatum crudeliter exercuit in omnes. Atqui uirtute mortis Chriſti & ſanguinis, confracta eſt illius poteſtas, & ſublata potentia: & quos iniuſtè detinuit captiuos, iuſtè perdidit. Sumitur autem mundus hic pro prauis hominibus, qui ſecularia ſectantur deſideria, & ſuis indulgent cupiditatibus (ne quis exiſtimet eum cœlo & terræ dominari poſſe) horum princeps ſatanas eſt: quia eos pro ſuo arbitratu præcipites in grauia ſcelera impellit atq; detrudit. Iam & modum indicat, quomodo ſuperaturus ſit mundum, & expulſurus ſatanam, regnaturusq; in ſuis: Quemadmodum ille, inquit, qui uiciſſe uidebitur, ſubitò pelletur è regno: ita ego qui uidebor extinctus, exaltatus à terra mihi iure uindicabo, quod ille per tyrannidem occupauit. Exaltationem autem ſuam dixit in cruce paſsionem, iuxta Cyrillum, qua à terra in aerẽ ſubleuatus eſt, ut aereas debellaret poteſtates. per mortem ergo, reſurrectionem, & aſcenſionem in cœlos, trahit electos ſuos ad ſe Dominus. Trahit autem è peccatis, damnatione, diaboliq; poteſtate ad uitam ſempiternam, ad dignitatem atq; gloriã filiorum Dei. Cæterùm D. Eraſmus admonet, exemplaria græca Omnes habere, non Omnia. D. autem Cyrillus legit utrumq;. Nam ita diſſerit: Si per Omnia ipſi homines intelligendi ſunt, omnia prædeſtinata ad ſalutem poſſumus dicere: aut certè omnium hominum genera, ſecundum innumerabiles differentias. quibus inter ſe præter ſola peccata diſtant: aut deniq; omnes homines, quantum ad ſe attinet, trahit. nam uult omnes homines ſaluos fieri, et ad agnitionẽ ueritatis uenire. Quòd autem non omnes trahantur, eorum efficitur culpa qui renituntur trahenti, neq; eius tractũ ſequuntur. Cæterùm quũ intellexiſſent Iudæi, quòd Dominus de ſua morte futura loquens, dixiſſet ſe exaltandum à terra, ac diuinarent illum de crucis ſupplicio fuiſſe locutum (qui enim ſuffiguntur in crucem, in alto pendent, quo procul omnibus ſint conſpicui) hinc ratiocinari contendunt, illum nõ eſſe Meſsiam qui ſe prædicaret moriturum, quum Scriptura ei tribuat poteſtatem, & regnum æternum. Sic enim ſcribit Daniel: Poteſtas eius, poteſtas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod nõ corrumpetur: Daniel. 7. Sic Michæas 5. Sic Eſaias 9. Quin & Pſalmorum prophetia promittit ei ſacerdotium perenne: Tu es, inquiens, ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Pſal. 109. Dicunt igitur illi: Quum Scriptura dicat, Chriſtum in æternum manere debere: quid ſibi uult quod ais, futurum ut filius hominis exaltetur à terra? Quòd ſi Chriſtus es, & ideo ſemper manſurus, non es moriturus. Quis eſt igitur ille filius hominis, quem dicis à terra exaltari debere? Si enim tu ipſe es, quomodo tu Chriſtus à nobis diceris? Ad hæc, quoniam animo malicioſo dicebantur, non reſpondit Ieſus. Poterat enim reſpondere, ſe non hominem eſſe tantùm, uerumetiã Deum, & iuxta corpus humanum ſe moriturum quidem, ſed mox reſurrecturum: nec hanc mortẽ obſtare regni perennitati, quod non eſſet mundanum, ſed ſpirituale. Sed nec illi capaces erant horum myſteriorum, nec tempeſtiuum erat illa prodere. Tantum hortatur eos, ut omiſſa cæcitate mentis, deſinant obſtrepere luci ueritatis, & ait: Propoſita eſt uobis cœlitùs lux: hoc eſt, doctrina Euangelij lucidiſsima, puriſsimaq;. Ad breue tempus eam ex ore meo eſtis audituri, nec uiſuri poſthac miracula peragentem. Quare dum lucis huius eſt copia, ambulate proficientes in melius, ne ſubitò ſublata luce uos tenebræ occupent, & opprimant uos errores, peccata, & damnatio. Qui ſequitur affectus animi ſui, in tenebris ambulat, nec ſcit quò uadat: dumq; ſe credit piè rectèq; facere, impingit in mortem. Ego ſum lux mundi: qui mihi crediderit, non aberrabit à uero. Vos igitur quamdiu lucem habetis uobiſcum, credite luci, ut filij lucis eſſe uideamini. Cæterùm cum poſt tam manifeſta ſigna, uehementes item adhortationes, adhuc obſtinatè pergerent in ſua incredulitate Iudæi, abijt & abſcondit ſe Ieſus: uelut abſentia ſilentioq; ſuo mitigaturus illorum efferatam inſaniam.

CAPVT TRICESIMVMQVINTVM.

CVm autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, ut ſermo Iſaiç prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: ut non uideant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. Hęc dixit Eſaias, quando uidit gloriam eius, & locutus eſt de eo. Veruntamen ex principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, ut de ſynagoga non eijcerentur. Dilexerũt enim gloriam hominũ magis quàm gloriam Dei. Ieſus autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, nõ credit in me, ſed in eum qui miſit me. Et qui uidet me, uidet eum qui miſit me. Ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris nõ maneat. Et ſi quis audierit uerba mea, & non cuſtodierit, ego nõ iudico eum. Non enim ueni ut iudicem mundum, ſed ut ſaluum faciam mundũ. Qui ſpernit me, & nõ accipit uerba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſsimo die, quia ex me ipſo non ſum locutus: ſed qui miſit me pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et ſcio, quia mandatũ eius uita æterna eſt. Quæ ergo loquor, ſicut dixit mihi pater, ſic loquor. Et cum ueſpera facta eſſet, egrediebatur de ciuitate: & relictis illis, abijt in Bethaniam, ibiq; manſit.

COMMENTARIA.

Miretur aliquis, qui factum ſit ut gens illa poſt tot & tanta ſigna non crediderit Chriſto? Reſpondet huic Ioannes, ac dicit: Tales omnino futuros prædixit Eſaias, quales nunc ſunt Iudæi, homines apud quos nulla ualet ratio. Non autem ideo fuerũt tales, quia prædixit Propheta: ſed ideo prædixit, quia tales futuri erant. Citat autem duo Eſaiæ teſtimonia Ioannes. Vnum ſumptum eſt ex 53. cap. Eſaiæ, ubi uidens diuinus Vates incarnationẽ, ſupplicium, & mortem Chriſti, exclamat: Quis obſecro credet nobis Domine prædicantibus filij tui humilitatem & deiectionem, atq; ipſum induiſſe carnem? Pauciſsimi certè recipient, ac pro ueritate indubitata agnoſcent. Hoc uaticinium nunc (ait Ioannes) in gente Iſraelitica completur, dum hæc clementiſsimum Dei filium, dictis & factis ſuam maieſtatem probantem non agnoſcit. Alterum uerò teſtimonium ex 6. Eſaiæ cap. petitum eſt. Et hoc (docente D. Cyrillo) non immeritò ſcrupulũ & ambiguitatem inijcere cuiquã poſſet. Si enim credere non poterant Iudæi, quod peccatum eſt hominis, non facientis quod facere non poteſt? Et quod eſt grauius, ad Deũ cauſa refertur, quandoquidem ipſe excæcauit oculos eorum, & indurauit eorum corda. Verùm ſi quis iuxta piorũ patrum ſententiã Scripturã excutiet, uidebit hunc locũ ſcrupulo carere. Sic enim ſcribit S. Auguſtinus: Quare autẽ non poterant, ſi à me quæratur, citò reſpondeo: Quia nolebant. malã quippe eorũ uoluntatem præuidit Deus, et per Prophetã prænunciauit ille, cui abſcondi futura non poſſunt. Et poſt pauca: Hoc eorũ uoluntatẽ meruiſſe reſpondeo. ſic enim occæcat, ſic obdurat Deus, deſerendo, et nõ adiuuãdo: quod occulto iudicio facere poteſt, iniquo nõ poteſt. Hoc omnino pietas religioſorũ incõcuſſum debet inuiolatumq; ſeruare, ſicut Apoſtolus dicit, cũ eandẽ ipſam tractaret difficillimã quæſtionẽ: Quid ergo dicemus? inquit. Nũ quid iniquitas eſt apud Deũ? Abſit. Si ergo abſit, ut ſit iniquitas apud Deũ, ſiue quãdo adiuuat, miſericorditer facit: ſiue quãdo nõ adiuuat, iuſtè facit: quia omnia nõ temeritate, ſed iudicio facit. Hactenus Auguſtinus. Porrò ut Prophetæ teſtimoniũ modò adductũ ſit approbatius, cõſequenter Euangeliſta (ut D. placet Cyrillo) ſubiungit, quãdo huiuſmodi uerba à Propheta adducta ſunt, eoq; in tẽpore prolata cõmemorat, quãdo uidit gloriã eius, ſcilicet filij Dei, et locutus eſt de eo. Vidit aũt Eſaias oculis Propheticis gloriã filij Dei, quam olim in corpore humano eſſet habiturus. Porrò aſsignat Ioãnes, quoſdã ex principib. credidiſſe, oſtendens nõ omne ſemẽ Iſraelis eſſe excæcatũ. Verùm mox eoſdẽ notãs, addit quòd nondũ plenè crediderint. Nã fides ipſorũ muta erat. Et huius imperfectionis cauſæ erãt, metus et ambitio. Metuebãt enim, ne locũ honoratiorẽ in ſynagoga amitterẽt, et pro hæreticis excõmunicarẽtur, magis adhuc diligentes gloriam hominũ quàm gloriam Dei. Dominus

Ieſus

*Ieſus aũt oſtendẽs quantus eſſet fructus credentibus, quanta pernicies in ſua incredulitate perſiſtentibus, clamauit & dixit: Omnes profitemini uos credere Deo. atqui cum à Deo ſim profectus, nec quicquã dicã aut faciã niſi illo autore, cur nõ creditis mihi? Quiſquis credit in me, & in hoc quod oculis corporeis uidet coràm, nõ credit in me, ſed in eũ qui me miſit: id eſt in patrẽ, * qui eiuſdem mecum eſt ſubſtantiæ, et cuius ſum unigenitus ſecundum naturam filius. Mundus tenebris errorum ac uitiorum plenus eſt: atq; ideo à patre qui fons eſt omnis luminis, deſcendi in mundum, ut diſcuſſis erroribus, ſublatis peccatis, lux eſſem mundi. Huc ergo ſpectat omnis mea doctrina, huc miracula: ut qui in me credidit, non maneat in illis tenebris, ſed illuſtratus cognitione ueritatis, purgatus ab omnibus priſtinæ uitæ uitijs, lucis ductu per Euangelicam pietatem proficiat in uitam æternam. Non enim nunc in hoc ueni, ut cõdemnem mundum ob illius ſcelera: ſed ut per fidem purgatum mundũ ſaluum faciam. Nec tamen effugiet horrendum iudicium, ſi quis ſermones meos auditos reiecerit & ſpreuerit. Nũc quidem nihil omitto, quò cunctos ad æternã ſalutem pertraham, nec quiſquam meo uitio periturus eſt: ſed quiſquis ſalutem oblatam aſpernatus fuerit, eum hic ipſe ſermo quem nunc loquor, condemnabit, & coarguet in nouiſſimo die, quòd ſuapte malicia perierit. Si Dei cultores eſtis, ſicut uobis uidemini: ſi legem ueneramini, meos ſermones non poteſtis aſpernari. Nec enim ex meipſo locutus ſum, eorum more qui ad ſuam gloriam aut quæſtum quæ uolunt cõminiſcuntur: nec aduerſa legi doceo, ſed pater qui eſt legis autor, & unde huc profectus ſum, mihi præſcripſit quid dicam. Poſtquam autẽ repetijt cauſam aduentus ſui, atq; aſſeruit doctrinam ſuam Euangelicã non humanam, ſed planè diuinam eſſe ac certam, reliquit incredulos, & urbem egreſſus contradicentium, iuit Bethaniam, quod interpretatur domus obedientiæ, iam nunc uocationẽ gentiũ præfigurans: ibiq; manſit, quia in Iſrael permanere non potuit. Videmus item, quanta ſit populi ingratitudo & inconſtantia. Multi occurrerant, et ſalutarant ipſum regem: ſed nemo illum hoſpitio excipere dignatur, adeò metuunt omnes iram & indignationem ſacerdotum.*

* Vide Theophylactum in Ioannem.

CAPVT TRICESIMVMSEXTVM.

ET alia die, cum exiret de Bethania manè, reuertens in ciuitatem, eſurijt. Cumq; uidiſſet à longè ficum ſecus uiam, habentem folia, uenit ad eam, ſi quid fortè in ea inueniret. Et cum ueniſſet, nihil inuenit præter folia. non enim erat tempus ficorum. Et reſpondens, dixit illi: Nunquam ex te fructus naſcatur in æternum: nec ex te quiſquam fructus manducet. Et areſacta eſt continuò ficulnea. Et uidentes diſcipuli, ficum aridam factam à radicibus, mirati ſunt, dicentes: Quomodò continuò aruit? Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixiſti, aruit. Reſpondẽs autem Ieſus, ait: Habete fidem Dei. Amen dico uobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaueritis, non ſolùm de ficulnea facietis: ſed & ſi monti huic dixeritis, Tolle te, & iacta te in mare, ita fiet. Propterea dico uobis: Omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & uenient uobis. Et cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduerſum aliquem, ut & pater ueſter qui in cœlis eſt, dimittat uobis peccata ueſtra. Et cum ueniſſet in templum, factum eſt una dierum, docente illo populum in templo, & euangelizante, conuenerunt & acceſſerunt ad eum principes ſacerdotum, & ſcribæ, cum ſenioribus populi, dicentes: In qua poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem, ut ita facias? dic nobis. Reſpondens Ieſus, dixit: Interrogo uos & ego unum ſermonem, quem ſi dixeritis mihi, & ego uobis dicam, in qua poteſtate hæc facio. Baptiſmus Ioannis unde erat? de cœlo, an ex hominibus? Reſpondete mihi. At illi cogitabant intra ſe, dicentes: Si dixerimus, E' cœlo: dicet nobis, Quare ergo non credidiſtis ei? Si autem dixerimus, Ex hominibus: timemus turbam. omnes enim habent Ioannem ſicut Prophetam. Et reſpondentes Ieſu, dixerunt: Neſcimus. Ait illis & ipſe: Neque ego dico uobis, in qua poteſtate hæc facio. Quid autem uobis uidetur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, uade hodie, operare in uinea mea. Ille autem reſpondens, dixit: Nolo. Poſtea autem pœnitentia motus, abijt. Accedens autem ad alterũ,

ſimiliter dixit. At ille reſpondens, ait: Eo Domine. Et non iuit. Quis ex duobus iſtis fecit uoluntatem patris? Dicunt: Primus. Dicit eis Ieſus: Amen dico uobis, quia publicani & meretrices præcedent uos in regnum Dei. Venit enim ad uos Ioannes in uia iuſticiæ, & non credidiſtis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei. Vos autem uidentes, nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, ut crederetis ei.

COMMENTARIA.

Audiuimus gentis Iudaicæ ingratitudinem, et incredulitatem duriſsimam. Iam ergo ſubiungitur incredulitatis & perfidiæ pœna: excidium uidelicet, atq; uaſtatio gentis & urbis. Ficus enim infrugifera, ſed folijs tamen ornata, conditionem & ſtatum gentis adumbrat. Speciem quidem habuerũt fidelis populi: ſed fructibus ueris, fide, dilectione, obedientia, iuſticiaq́; caruerunt: ideo maledixit ipſis Dominus, & exaruerunt, funditusq́; ſubuerſi ſunt. Cæterùm diſcipuli uidentes ficum cui imprecatus fuerat Ieſus, iam poſitis folijs exaruiſſe, admirati ſunt. Atqui ob hoc ipſum Ieſus id erat paſſus fieri, ut diſcipulis etiam atq; etiam inculcaret fidem. occaſione ergo arboris fidem omnibus cõmendat: fidei uis, inquit, maiora poteſt, quã ſi fortem & conſtantem habueritis, non ſolùm facietis quod uidiſtis accidiſſe ficui: uerumetiam ſi dixeritis huic monti, Submoue te de loco, & abi in mare: ilicò fiet quod iuſſeritis. Et omnino quicquid petieritis in precationibus ueſtris, modò adſit fiducia, impetrabitis. Hoc tamẽ à uobis exigetur, cum magna affectione creditis, & corda ueſtra extenditis ad Deum, magnam certitudinem habentes quòd uoti compotes fieri poſsitis, ut dimittatis, ſi quid in uos peccauêre fratres. Cum autem ueniſſent Hieroſolymam, inuidentes legiſperiti Ieſu, quòd eieciſſet è templo negociantes, quum doceret in templo, primores ſacerdotum & quidam ex populi ſenioribus adeunt illlum, et aiunt: Quis dedit tibi iſtam authoritatem, eijciendi uidelicet inſtrumenta religionis è templo, item docendi publicè in templo? Atq; hic in utramq; partem ſuas conſtruxerant tendiculas. Si enim reſpondiſſet diuina ſe authoritate facere quod faciebat, obieciſſent ipſi blaſphemiam. Si humanam allegaſſet poteſtatem, relinquebatur ipſum priuata poteſtate facere: cum conſtaret Dominum nullam à ſacerdotibus uel ſummo pontifice poteſtatem accepiſſe. Dominus autem ad ſubdolam eorum quæſtionem non reſpondet directè & planè, ſed quæſtionem quæſtione ueluti clauum clauo repulit: Percontabor, inquit, & ego uos quiddam. Authoritas qua baptizauit Ioannes, unde uenerat illi? è cœlo, an ex hominibus? (intelligit autem per baptiſmum Ioannis, totam Ioannis functionem, necnon doctrinam.) At illi cogitabant: Si dixerimus, è cœlo: cõtinuò dicet nobis, Quare igitur non credidiſtis illi? ſiquidem ille prædicauit regnum Dei, & de me teſtimonium perhibuit. Si dixerimus, ex hominibus: metuenda eſt populi ſeditio, quòd omnes perſuaſum habeant, Ioannem fuiſſe prophetam. Itaq; ne caperentur, reſpondẽt ſe neſcire. Ad eam impudentiam commotus Dominus, negat ſe reſponſurum ad illorum quæſtionem. Sed quoniã ſimplex ac manifeſta percontatio non potuit elicere confeſsionem ueri, proponit aliam ſub ænigmate, ut imprudentes contra ſe ferrent ſententiam: Quid, inquit, uobis uidetur de eo quod nunc propoſiturus ſum? Homo habebat duos filios, &c. Iuxta parabolam, prior filius typum gerit eorum qui palàm & impudenter peccant, cuiuſmodi erant publicani & peccatores. Vocantur enim occulto quodam animi tractu ad iuſticiæ ſtudium, audiũt aliquoties Deum inhortantem per ſuos, ac retrahentem ipſos à ſceleribus. Verùm hi: Nolumus illas, inquiunt, præſcriptiones uitæ moroſas, uiuemus liberè, & utut carni uoluptatibusq; libuerit: mox autem pœnitudine ducti, quàm turpe ſit inſtitutum cui ſe tradiderunt, cogitant. Reſipiſcunt ergo, & abeunt in uineam patris, opera operantes ſanctorum & iuſticiæ, in Eccleſia fidelium. Tales quidem fuerunt Matthæus, Zachæus, & peccatrix illa Lucæ 7. Poſterior autem filius typum gerit hypocritarum, quorum ſermo mellitus eſt, nihil niſi Deum, obedientiam, ſanctimoniam, & pietatem crepat. Verùm uerbis non reſpondent facta. Nam iuxta Apoſtolum uerbis ſe Deum nouiſſe dicunt, factis autem negant. Theophylactus docens, Dominum præcipuè Iudæos atq; gentiles intellexiſſe: Duos, inquit, ordines inducit: unum principiò pollicentium, quales fuerunt Iudæi, qui dixerunt: Omnia quæcunq; dixit Deus, faciemus & audiemus. alterum eorum qui nõ ſtatim perſuaſi ſunt, quales ſunt meretrices & publicani, & qui ex gentilium populo, qui ab initio non crediderunt uoluntati diuinæ, poſtea autem pœnitudine ducti obedierũt. Hinc quoq; Ieſus retorquens in illos parabolã: Vos, inquit, qui titulo ac profeſsione

eſtis

eſtis populus Dei, tot modis prouocati non poteſtis ad pœnitentiam permoueri. Venit enim Ioannes, oſtendens uobis uiam iuſticiæ, & iram diuinam imminere: uidiſtis publicanos ac meretrices, homines ueſtro iudicio deploratos, obtemperaſſe illi. Vos uerò nec ſingulari Ioannis ſanctimonia, nec illius ſalubri doctrina, nec minis prouocari potuiſtis ad pœnitentiã, ut credereis me eſſe filium Dei, & agnum ſiue hoſtiam Dei expurgantem peccata mundi: publicani autem & peccatores crediderunt ei, ita fit, ut illi fide præripiant uobis regnum Dei, uos fruſtra Deum ore profitentes ob incredulitatem animi ueſtri excludamini.

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

COepit autem ad plebem dicere parabolam hanc: Homo quidam erat paterfamiliâs, qui plantauit uineam, & ſepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis colonis, & profectus eſt peregrè multis temporibus. Cum autem tempus fructuum appropinquaſſet, in tempore uindemię miſit ſeruos ſuos ad agricolas cultores, ut de fructu uineæ darent illi, & acciperent ab agricolis fructus eius. Et agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium cæciderunt, & dimiſerunt uacuum & inanem, alium occiderunt, alium uerò lapidauerunt. Iterum miſit alios ſeruos, plures prioribus, & fecerunt eis ſimiliter, in capite cædentes uulnerauerunt, & contumelijs affecerunt. Et addidit alterum mittere, qui & illum uulnerantes eiecerunt. Nouiſsimè autem adhuc habens unum filium chariſsimum, dixit Dominus uincæ: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum. Et illum miſit ad eos nouiſsimè, dicens: Quia fortè uerebuntur filium meum, cum hunc uiderint. Quem cum uidiſſent coloni, cogitauerunt intra ſe, & dixerunt ad inuicem: Hic eſt hæres, uenite occidamus eum, ut noſtra ſit hæreditas. Et apprehenſum eum eiecerunt extra uineam, & occiderunt. Cum ergo uenerit Dominus uineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet, & uineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis. Quum audiſſent autem, dixerunt: Abſit. Ille autem reſpiciens eos, dixit: Quid eſt hoc quod ſcriptum eſt? Nec ſcripturam hãc legiſtis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Ideo dico uobis, quia auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Omnis qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, conquaſſabitur: ſuper quem autem ceciderit, comminuet & conteret eum. Et cum audiſſent principes ſacerdotum & Phariſæi parabolas eius, cognouerunt quòd de ipſis diceret. Et quærentes eum tenere, & mittere in illum manus in illa hora, timuerunt populum, quia ſicut Prophetam illum habebant.

COMMENTARIA.

Apud aduerſarios non ualebat ulla quantumuis uehemens adhortatio ad pœnitentiam. Proinde annunciat ipſis præſenti parabola iudicium Dei: excidium uidelicet urbis, & gentis repudium. Parabola (interprete D. Hieronymo) ſic habet: Vinea Domini Sabaoth, domus Iſrael eſt. Sepem autem circumdedit, uel murum urbis, uel angelorum auxilia. Theophylactus per ſepem intelligit legem, quæ non ſinebat Iudæos gentibus commiſceri. Torcular uerò ſignificat altare, uel abundantiam omnium rerum, uel ipſum uerbi Dei miniſterium, adeoq; totam diſciplinam pietatis, per quam ueluti exprimitur ſuauiſſimus ſuccus iuſticiæ & innocentiæ. Et ædificauit turrim: haud dubiè quin templum, de quo dicitur per Michæam: Et tu turris nebuloſa, filia Syon: cap. 4. Agricolæ uerò iuxta Theophylactum, doctores populi ſunt, Scribæ & Phariſæi. Profectus eſt autem paterfamiliâs Deus, non loci mutatione, quũ nuſpiam abſit Dominus, operans omnia in omnibus: ſed ad imitationem & iuxta mores hominũ dicitur, qui poſtquam poſſeſſiones ſuas colônis elocarunt, abeunt. S. Hieronymus ideo abijſſe putat, ut uinitoribus liberum operandi arbitrium relinquat.

relinquat. Cum autem dediſſet eis legem, & in hac eos uinea operari iuſsiſſet, ut fructum legis in operibus exhiberent: poſtea miſit ſeruos ſuos exactores, id eſt, uerbi miniſtros, petitũ fructus, ſicut inter ipſum & colonos conuenerat. Serui miſsi fuerunt Prophetæ, quos illi apprehenſos uel ceciderunt (ut Hieremiam) uel occiderunt (ut Eſaiam & Zachariam, filium Barachiæ, quem occiderunt inter templum & altare.) Et hæc quidem de beneficijs ueteri populo collatis, & quàm iniquè reſponderit hic optimè merito patri. Iam uerò indicat Dominus ineffabilem Dei bonitatem, qui poſt tot illuſtrium & optimorum hominum cædem filijs latronum adhuc benefacere cupiat. Habuit adhuc, inquit, unicum filium, eum'que dilectiſsimum. hunc miſit in mundum, dicens: Hactenus non ſunt commoti authoritate Prophetarum, nunc reuerebuntur hauddubiè filium meum in carne apparentem: ubi uidelicet in eo uiderint diuinam potentiam ac maieſtatem: ubi item audierint cœleſtem eius, puram, ac omni parte inculpatam doctrinam. His nimirum commouebuntur, dura alioqui pectora. Verùm quid factum eſt? Hic, inquiunt, ſibi hæreditario iure uineam uendicat, faciens ſe regem populi Dei. Arrogat ſibi diuinam maieſtatem, æqualem ſe faciens patri: adeſte ergo, & occidamus hominem blaſphemum, quo nobis porrò liceat tutò poſsidere eius hæreditatem. Itaque apprehenſum filium, eijciunt è uinea, & occidunt. Captum enim Dominum Ieſum, & pro blaſphemo damnatum, Pilato præſidi Romano tradunt crucifigendum. Porrò interrogat eos Dominus, non quòd ignoret quid reſponſuri ſint, ſed ut propria reſponſione damnentur. Et deſignant paucis uerbis mala duo maxima. Prius, ingens & atrox bellum, quo Romani urbem & gentem multis cladibus fatigatam tandem exciderunt: poſterius, repudium gentis Iudaicæ, & uocationem gentium. Cum'que Phariſæi ac religionis antiſtites reſponſum tale dediſſent: Scripturæ loco probat Dominus, ipſos Meſsiæ fore occiſores. Ait ergo: Negatis ſacerdotes fore parricidas filij Dei. At miror, num legeritis aliquando Dauidis uaticinium: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, &c. Locus qui adducitur, extat Pſalmo centeſimo decimoſeptimo. Celebrat eo Pſalmo Domini beneficia Dauid: illud inprimis, quòd rex eſſet creatus. Vidit autem quæ futura: perinde ſcilicet Iudæos facturos cum Chriſto Domini, ut cum lapide aliquo faciunt magiſtri ædificij. Abijcitur ab eis, ne ullum in ædificio locum occupet: mox tamẽ reſumitur, & in ædificij ſummum reponitur locum. Ad eundem modum grauiſsimè perſecuti ſunt primores populi Iſraelitici Chriſtum, nolentes hunc regnare ſuper ſe, unde captum atq; condemnatum tradiderunt in mortem crucis turpiſsimam. Verùm non potuerunt ne ſic quidem eius opprimere gloriam. Mox enim à mortuis reſurgens cœlos aſcendit, & regnum ſibi debitum occupat Dominus, & princeps uniuerſorum declaratur. Facta ſunt iſta omnia per diuinam potentiam: ac in omnium oculis mirum atque ſtupendum eſt, crucifixum, mortuum & ſepultum iam ſedere ad dextram patris, & regnare in ſæcula ſæculorum. Vt autem indicaret Dei iudicium, & ingratis paratum, Dominus, ait: Ideo auferetur à uobis regnum Dei. Aliquotiens (inquit S. Hieronymus) Scripturas ſanctas per regnum Dei intelligimus, quas Dominus abſtulit à Iudæis, & nobis tradidit ut faciamus fructus earum. Vel ablatum eſt regnum Dei à Iudæis, iuxta Theophylactum, hoc eſt, peculiaritas, qua Dei proprij erant, & datum eſt his qui crediderunt. Quæ aũt de lapide dixit, audiamus ipſum Hieronymum: Aliud eſt, inquit, offendere Chriſtum per mala opera, aliud negare. Qui peccator eſt, & tamen in illum credit, cadit quidem ſuper illum lapidẽ, & confringitur: ſed non omnino conteritur. reſeruatur enim per pœnitentiam ad ſalutem. † Super quem uerò ille ceciderit, hoc eſt, cui lapis ille irruerit, & qui Chriſtum penitùs negauerit, ſic conteret eum, ut ne teſta quidem remaneat, in qua hauriatur aquæ puſillum. Alluſum autem uidetur ad illud Eſaiæ capite octauo: Ipſe erit in lapidem offendiculi, & in petram ruinæ. Tandem ex huius ſermonis clauſula intellexerunt primores ſacerdotum & ſcribæ, quòd ſuperiores etiam parabolas, quibus decepti pronunciauerunt aduerſus ſe ſententiam, in ipſos dixiſſet. Eoq; igitur exarſerat eorum ueſania, ut iam fuerint illi iniecturi manus, ni metuiſſent populum, quòd à pleriſq; magnifieret Ieſus, ac Prophetæ loco haberetur.

Vide Epiphanium, de uita & interitu Prophetarum.

† Maria Magdalena, Petrus, latro in cruce.

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM.

ET reſpondens Ieſus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Et miſit ſeruos ſuos, uocare inuitatos ad nuptias: & nolebant uenire. Iterũ miſit alios

ſeruos,

ſeruos, dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occiſa, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt: alius in uillam ſuam, alius ad negociationem ſuam: reliqui uerò tenuerunt ſeruos eius, & contumelia affectos occiderunt. Rex autem cum audiſſet, iratus eſt, & miſsis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit. Tunc ait ſeruis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quoſcunque inueneritis uocate ad nuptias. Et egreſsi ſerui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Intrauit autem rex, ut uideret diſcumbentes: & uidit ibi hominem non ueſtitum ueſte nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens ueſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex miniſtris: ligatis pedibus & manibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt uocati, pauci uerò electi.

COMMENTARIA.

Ad eundem refertur ſcopum quoque parabola, ad quem & ſuperior. Alia enim ſimilitudine adumbrat Iudæos, ſua culpa perfidiaq́; excindendos, reijciendosq́; à Domino, gentes uerò in repudiatorum locum recipiendas. Rex itaq́; iſte Deus omnipotens eſt, fons omnium bonorum. facit autē nuptias filio ſuo. Per nuptias intelligimus conſortium Dei: & in primis æterna gaudia, lætitiamq́; cœleſtem. Sponſus ergo Chriſtus: ſponſa uerò Eccleſia. Serui aūt primi miſsi (iuxta Theophylactum) Moſes & alij ſunt, quibus non crediderunt Hebræi, ſed exaſperauerunt Deum in deſerto 40 annis, & noluerunt ſermonē Dei et charitatē ſuſcipere ſpiritualē. Emittit autem rex ſeruos ſuos prophetas, qui ad cœleſtia gaudia propter promiſſum Meſsiam communicanda inuitarent. Sed cum uocarentur ad participatum gloriæ cœleſtis, ex magna perfidia & crudeli ingratitudine maluerunt illi terrena & corruptibilia. Nam opibus & uoluptatibus huius ſeculi immerſi, contempſerunt uocantem Deum per Prophetas. Alij uerò his crudeliores, non tantum benignū Deum contempſerunt, ſed fideles quoq́; ſeruos tractarunt indigniſsimè. Illorum enim quoſdam contumelijs affecerunt, ut Hieremiam, quem in lacum luti iniecerunt: quoſdam occiderunt, ut Iſaiam.

Quod porrò ſcribitur, Deum iratum miſiſſe ſuos exercitus: indicatur ſupplicium, quod de Iudæis erat ſumendum: ſimul etiam indicatur, quòd nulla Dei moroſitate, ſed propria & inſuperabili malicia ſua oppreſsi ſint. Deus enim cogebatur animaduertere in blaſphemos, parricidas, & extremæ impietatis homines. Miſit ergo exercitus ſuos, hoc eſt Romanos, qui inobediētes Iudæos perdiderunt, & Hieruſalem ſuccenderunt. Quòd autem ſequitur, Tunc dicit rex ſeruis ſuis: de Gentibus dictum uolunt. Siquidem ubi priores ſerui, Moſes uidelicet & Prophetæ, non perſuaſerūt Iudæis ſalutis uiam, tum quoq́; ſeruos miſit Apoſtolos Chriſtus, qui Gentiles uocarunt in uia uera non incedentes. Egreſsi igitur Apoſtoli à Hieruſalem in orbem uniuerſum, congregauerunt omnes tam malos quàm bonos, hoc eſt, omni malicia repletos: & minus malos, quos & bonos nominat, ſi alijs conferantur. D. Hieronymus: Hi qui inuitati fuerant, inquit, ad nuptias, cœnam regis impleuerant: ſed poſtea cum ueniſſet rex, ut uideret diſcumbentes, hoc eſt, in ſua fide quaſi requieſcentes: ut in die iudicij uiſitaret conuiuas, & diſcerneret merita ſingulorum, inuenit unum, qui ueſte indutus non erat nuptiali. Nota. *Vnus iſte, omnes qui ſociati ſunt malicia, intelliguntur. Veſtis autem nuptialis præcepta ſunt Domini, & opera quæ complentur ex lege & Euangelio, nouiq́; hominis efficiunt ueſtimentum. Cæterùm amicum uocat, quòd inuitatus ad nuptias eſt: & arguit impudentiæ, quòd ueſte ſordida mundicias polluerit nuptiales. At ille obmutuit. In tempore enim illo non erit locus pœnitentiæ, nec negandi facultas, cum omnes angeli & mundus ipſe teſtis ſit peccatorum. Iam ſequitur horrenda ſententia. Horreamus (inquit Theophylactus) cogitantes, quia niſi quis uitam habeat puram, nihil ei proderit nuda fides. non ſolùm enim è nuptijs eijcitur: ſed & in ignem mittitur. Quòd ſi uerò ligatos pedes ligatasq́; manus conſiderare uolumus, & interpretari: ſanè per metaphoram membrorum corporalium, magnitudo oſtenditur tormentorum, teſte Hieronymo: uel ad comprobandam reſurrectionis ueritatem intellige. Miſerum uerò, quòd procul ſubmotus à conuiuio, conijcitur in denſiſsimas tenebras, dignitate uidelicet, luceq́; conuiuij, & uoluptate*

ſumma in ſummum cruciatum commutata. Concludens autem Dominus more ſuo parabolam egregio epiphonemate: Multis quidem, inquit, prædicatur Euangelium, ultrò uocantur omnes: ſed nō omnibus ſalutaris eſt uocatio. Electi enim non ſunt, niſi qui uocati. Parent quique uſque in finem, reſpondent diuinæ erga ſe beneficentiæ, in pietatis Euangelicæ ſtudio perſeuerantes.

CAPVT XXXIX.

TVnc abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, ut caperent eum in ſermone. & obſeruantes miſerunt inſidiatores quoſdam ex Phariſæis, diſcipulos ſuos, cum Herodianis, qui ſe iuſtos ſimularent, ut eum caperent in uerbo, & traderent principatui & poteſtati Præſidis. Qui uenientes interrogauerunt eum, dicentes: Magiſter, ſcimus quia uerax es, & rectè dicis & doces, & non eſt tibi curæ de aliquo. Non enim reſpicis perſonam hominis, neque uides in faciem: ſed in ueritate uiam Dei doces. Licet nobis dare tributum Cæſari, an non dabimus? Conſiderans autem dolum illorum Ieſus, & cognita uerſutia ſeu nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus, ut uideam. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Ieſus: cuius eſt imago & ſuperſcriptio? Et reſpondentes, dixerunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Et non potuerunt reprehendere uerbum eius coram plebe. Et admirati ſunt omnes audientes, in reſponſo eius, & tacuerunt: & relicto eo abierunt.

COMMENTARIA.

Impij ſeipſis ſubinde redduntur deteriores, & ueritatem magis magisq; habent exoſam. Exemplum huius præbent Pharao, Saul, & hoc in loco Phariſæi, qui poſt tot fideles & euidentes Domini admonitiones, parricidia atq; ueritatis oppreſſionem ſpirant. Proponunt ergo quæſtionem ſatis perplexam de cenſu Cæſari pendendo: iure'ne illum debeant Iudæi, an nō debeant? Hac enim de re non erat eadem omnium ſententia. Quibuſdam enim indignum uidebatur, populum Deo ſacrum pendere tributum principibus idololatris. Atque hac in ſententia erant, qui Phariſæis adhærebant. Rurſus erant qui Cæſari fauentes dicerent, oportere ſolui tributum. Et huius opinionis defenſores Herodiani dicti ſunt, quòd Herodes tributi colligendi primus eſſet præfectus. Sperabant autem Iudæi, ut Chriſtus religioni fauens magis quàm Cæſari prophano, ſoluta libertate pronunciaret aduerſus Herodianos, non eſſe pendendum tributū Cæſari, moxq; per illos deferretur principi, daturus pœnas quas antè Theudas & Iudas dederant. Quòd ſi pronunciaſſet eſſe reddendum tributum, iam calumniantur illum adulari principibus impijs, minus fauens religioni diuinæ. Subornant igitur aliquot è ſuis diſcipulis, qui præſentibus Herodianis fucatè & oratione blanda illum in naſſam illiciant. Hi ergo: Magiſter, inquiunt, nouimus te ueracem, nec aſſentari cuiquā: ſed magna cum libertate doces quod Deo placitum eſt, non quod hominibus uidetur. Non enim uereris quenquā mortalium, nec eſt apud te reſpectus perſonarū. Dic igitur nobis: phas eſt ut Iudæorum populus diuinæ religioni deditus pendat cenſum Cæſari, an non? Cognita autem Ieſus malitia eorum, ſignificat ſe intelligere ipſorum dolos & artes, & ut oſtenderet ſe non fallere illorum inſidioſam blandiloquentiam, admirabili ſua ſapientia ita temperauit reſponſum, ut neutri factioni ſe redderet obnoxium: ſed utramq; moneret, quod magis ad illorum ſalutem attineret. Petit ergo ab ipſis numiſma. Videtur tum quidem moris fuiſſe Romanis, ut ſuis gentibus præceperint, Romana uti moneta. Habuit itaque hic denarius Auguſti uel Tyberij Cæſaris imaginem & inſcriptionem, fortaßis imperij Cæſaris in Iudæos nonnihil continentem. Vt autem quoque declararet Chriſtus, ſeſe non in hoc ueniſſe ut leges ferret hiſce de rebus quæ nihil attinebant ad pietatem, nummo cōſpecto quaſi parum agnoſceret literas atque imaginem qui cœleſtia tractabat, rogauit cuius eſſet inſcriptio & imago? Reſponſum eſt: Cæſaris. Per hoc igitur (ut Theophylactus docet) quod figuratum erat numiſma imagine Cæſaris, perſuadet illis, deberi Cæſari quæ eius ſunt: ſignificans nihil officere pietati, ſi quis Deo dicatus det prophano principi tributum. Deinde uerò decimas, primitias, & oblationes Deo perſoluendas,

Ioſeph. lib. 18. cap. 1. & 2.

das, quomodo & ipſe reddidit tributa pro ſe & Petro: & Deo reddidit quæ Dei ſunt (ita ſcribit D. Hieronymus) patris faciens uoluntatem. Cæterùm hoc admirabile reſponſum audientes turbæ, admiratæ ſunt: primùm quòd intelligerent, illum non latuiſſe doloſum commentum: deinde prudentiam admirabilem, cui fruſtra tenderet inſidias humana uerſutia.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

IN illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes: Magiſter, Moyſes dixit & ſcripſit nobis, ut ſi cuius frater mortuus fuerit, & dimiſerit uxorem, & filios non reliquerit, ut frater eius ducat uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Erant apud nos autem ſeptem fratres. Et primus uxore ducta, defunctus eſt, ſine filijs, non relicto ſemine, & non habens ſemen reliquit uxorem fratri ſuo. Similiter ſecundus accepit eam, & mortuus eſt: & nec iſte reliquit ſemen. Et acceperunt eam ſeptem, & non reliquerunt ſemen, & mortui ſunt. Nouiſsima omnium mortua eſt & mulier. In reſurrectione ergo, eorum cuius erit uxor: ſiquidem ſeptem habuerunt eam uxorē? Et reſpondens Ieſus, ait illis: Non' ne ideo erratis, neſcientes Scripturas, neq; uirtutem Dei? Filij huius ſeculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi uerò qui digni habebuntur ſeculo illo, & reſurrectione ex mortuis, non nubent, neque ultrà nubentur. neque enim ultrà mori poterunt. æquales enim angelis ſunt, & ſunt angeli Dei in cœlo: & filij ſunt Dei, cum filij ſint reſurrectionis. De mortuis autem quòd reſurgant, & Moyſes oſtendit ſecus rubum. Nunquid legiſtis in libro Moyſi, quod dictum eſt à Deo, dicente uobis: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob? Deus autem non eſt mortuorum, ſed uiuentium. Omnes enim uiuunt ei. Vos ergo multum erratis. Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina eius. Reſponderunt autem quidam ſcribarum, & dixerunt: Magiſter, bene dixiſti. Et amplius non audebant eum quicquam interrogare.

COMMENTARIA.

Sadducæi nouum quoddam Iudaicorum monachorum genus, confutatis Phariſæis cum Herodianis, iterum tentāt Dominum Ieſum. Hæreſis autem illorum talis erat: neque reſurrectionem, neque ſpiritum, neque angelos credebant: diuerſa à Phariſæis ſentiebāt. Hi iam Dominum adoriuntur, & quæſtione propoſita admodum ciuiliter impugnant doctrinam eius, ac fidem de reſurrectione mortuorum, & ſpirituum ſubſiſtentiam in alio mundo. Legē ergo ex 25. cap. Deut. de ſuſcitando fratri ſemine adducunt: mox legi caſum quendam affingunt. Fuiſſe uidelicet inter Iudæos mulierem, quæ ordine ſeptem fratribus nupſerit, alijs atque alijs ſubinde fato concedentibus: tandem & ipſa in alium conceſſerit mundum, ad uiros uidelicet ſuos. Mirari uerò ſe dicunt, cuius in reſurrectione futura ſit uxor: neq; enim poſsit eſſe communis omnium. Ad hanc interrogationem, quoniam plus habebat ignorantiæ quàm malitiæ, Ieſus dignatus eſt reſpondere. Quare erratis, inquit, qui Scripturas legitis quidem, at non intelligitis, & nihil imaginantes ſupra res corporeas quas uidetis, neſcitis uirtutem Dei, qui mirabilior eſt in his quæ non uidentur. Hic, ubi uices ſunt naſcentium ac morientium, coniugium adhibetur ad propagationem humani generis. Cæterùm ubi iam erit abſorpta mortalitas, & homines erunt ſpirituales (quod futurum eſt in reſurrectione, quæ nos reddet eoſdem quidem, ſed immutatos) neque ducet quiſquam uxorem, neque nubet ulla: ſed uiuent abſque nuptijs, quemadmodum uiuunt angeli Dei in cœlo. Et Dominus quidem Ieſus, non contentus confutaſſe Sadducæorum abſurditatem, indicaſſeq; cauſas erroris eorum, inſuper contrariū ualidiſsimè probat: ut ſatis planè cōſtet, quòd certa & cōfirmata ſit fides reſurrectionis corporū, & immortalitatis animarum. Cur ergo perperā ſentitis, inquit, de reſurrectione mortuorū, quaſi nō & hanc palàm docuerit Moſes? An' nō legiſtis, quid apud eū loquatur Deus: Ego ſum Deus Abrahā, &c. Quòd ſi eſt Deus illorū: utique uiuūt illorū animæ, & ipſi toti quodāmodo, ſpe reſurrectionis futuræ. Deus eſt uita: quo pacto igitur Deus eorum eſt, qui iam eſſe deſierūt? Ita docuit illos, eſſe quidem reſurrectionem, ſed

non talem, qualem imaginabantur eſſe. Populus autem eum uidiſſet omnibus obturari os, prudentibus Ieſu reſponſis, admirabantur eius efficacem & exprompram doctrinam.

CAPVT XLI.

PHariſæi autem audientes, quòd ſilentium impoſuit Saducæis, conuenerunt in unum. Et acceſsit unus de ſcribis, legis doctor, qui audierat illos conquirentes: & uidens quòd bene illis reſponderit, interrogauit, tentans eum: Magiſter, quod eſt mandatum magnum primum in lege omnium? Reſpondit ei Ieſus: Quod primum omnium mandatum eſt: Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt. Et, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota uirtute tua. hoc eſt primum & maximum mandatum. Secundum ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. maius horum aliud mandatum non eſt. In his duobus mandatis tota Lex pendet, & Prophetæ. Et ait illi ſcriba: Magiſter, bene in ueritate dixiſti: quia unus eſt Deus, & non eſt alius præter ipſum: & ut diligatur ex toto corde, & ex tota mente, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificijs. Ieſus autem uidens quòd ſapienter reſpondiſſet, ait illi: Non longè es à regno Dei. Congregatis autem Phariſæis, interrogauit eos Ieſus, dicens: Quid uobis uidetur de Chriſto? Cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Et reſpondens Ieſus, dicebat, docens in templo: Quomodo ergo dicunt ſcribæ, Chriſtum filium Dauid, cui ipſe Dauid dicebat in Spiritu ſancto: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Quomodo ergo Dauid in ſpiritu in libro Pſalmorum uocat eum Dominum? & quomodo eſt filius eius? Et nemo poterat reſpondere ei uerbum. Et multa turba libenter eum audiebat, neq; auſus fuit quiſquam eum amplius ex illa die interrogare.

COMMENTARIA

Cum uiderent Phariſæi Saducæos obmutuiſſe, ueluti recepto ſpiritu ſeſe conglomerant, ac unum quendam egregiè doctum in Scripturis ſubornant, qui præcipuum & eximium aliquid ex lege ſciſcitaretur: quod cum reddere aut explanare non poſſet, populo obijcerent: En qualem ſequimini magiſtrum, hominem legis imperitum. Rogat autem, quodnam ſit primum, id eſt, maximum & præcipuum in lege mandatum: ad quod uidelicet cætera referri queant. Reſpondet Dominus ex ipſius legis penetralibus ad quæſtionẽ, ut ex pauculis his omnes colligerent, intelligerẽtq́; Dominũ legis eſſe peritiſsimũ. Verba ipſa mutuauit ex 6. cap. Deut. & Levit. cap. 19. Atqui omnium maximam atq; ardentiſsimam charitatem eſſe neceſſe eſt, quæ omnes hominis dotes atque partes integras, & ſemper requirit. Homo mente concipit & intelligit: in corde affectuum & uoluntatis ſedes eſt: uires ſunt facultates, dicta & facta, ſiue opera hominis: anima denique hominis uita eſt. Ergo omnem intellectum, uoluntatem omnem, omnes denique uires & operationes, imò uitam ipſam, totam animam, & corpus totum, præterea quicquid ſumus, & quicquid poſsidemus, ea integra ſoli Deo debemus, eaq; omnia iubemur intendere, ut Deum impenſiſsimè diligamus, & ei adhæreamus ſincerè & indiuulſè. Iam cum dicit Dominus, Dilige proximum ſicut teipſum: intelligit ardentiſsimè & omnibus modis maximè diligendum eſſe. Neque enim alius eſt affectus uel ualidior uel uehementior, quàm amor ſui. Iſta uerò omnia ſi colligamus in compendium, uidemus Dominum docuiſſe, illud eſſe ſummarium, quod tradit tota diuina Scriptura: unum ſcilicet eſſe Deum ſubſtantia qui nobis bene uelit, qui nos diligat, & ſaluare cupiat. Hunc uerò Deum impenſiſsimè à nobis eſſe diligendum, colendumq; propter ſe, utpote patrem, Dominum, & ſummum bonum: hominem autem propter Deum, & ut nos dilexit Chriſtus. Et certè omnia quæ in Lege & Prophetis traduntur, ad genuinam illam dilectionem, ut uerum pietatis ſcopum referuntur, neque in ijs omnibus aliud docetur quàm dilectio. Quiſquis enim Deum toto pectore diligit, nihil negliget quod ille præcepit: & qui proximum diligit

tanquam

tanquam ſeipſum, is nihil alteri faciet quod ſibi fieri nolit. Tum Phariſæus ex tentatore iam propemodum factus diſcipulus, ſubiecit: Verè ac rectè dixiſti Magiſter, quòd unus ſit Deus, quodq; hic ſolus ſupra cuncta totis cum uiribus diligendus: quodq; diligere proximum perinde atque ſeipſum, maius ſit omnibus ſacrificijs. Ac proculdubiò intellexit hic, omnes ceremonias, omnemq; externum cultum. Et rectè quidem Domini uerba intellexit ſcriba. nam ſubiungitur, ipſum Dominum reſpondiſſe, Haud longè es à regno Dei: teſtificans, illum non malè iudicare de rebus religionis, quod hauddubiè perficeret, pleneq; regnum Dei reciperet, ſi fidem iungeret dilectioni, & per fidem in dilectione ſeſe exerentem Deo placeret. Porrò ex illis quæ hactenus propoſita fuerunt, debuerant hoſtes Domini didiciſſe, Ieſum & Deum uerum & hominem uerum, expectatumq; illum Meßiam eſſe. hoc cum per craßitiem & malitiam nolunt, ipſe Dominus iam urget eos ad ueri confeßionem, idq; per propoſitam quæſtionem. Rogat igitur ſimul collectos, quid illis uideretur de Meßia? è cuius ſtirpe progenitus, aut progignendus? Et illi incontanter recteq; reſpondent: Dauid. Sanè conſtabat ex omnibus Prophetarum oraculis, Chriſtum Dauidis filium eſſe, & proinde hominem uerum. Tum Ieſus: Quid igitur ſibi uult, inquit, quod Dauid in Pſalmo myſtico ſpiritu cœleſti afflatus, uocat eum Dominum, quum ſit filius? Pſal.109. Qui conſiſtit, ut ſi filius eſt, Dauid pater filium appellet Dominum? Nec erat quiſquam illorum, qui poſſet hunc nodum diſſoluere, propterea quòd de diuina Meßiæ natura nihil adhuc ſuſpicari poterant. Oportet igitur credere & fateri, Chriſtum Ieſum geminæ eſſe naturæ: & ſecundum diuinam eſſe non modò Dauidis, uerumetiam omnium Dominum: at ſecundum humanam, ſecundum corpus humanum, eſſe Dauidis filium. Et hic Scripturæ locus apertißimè teſtatur, Chriſtum ad dexteram patris, in gloria utique patris ſedentem, tam Dauidis filium quàm Dominum eſſe. manet ergo proprietas naturæ humanæ in cœlo, tametſi ſit clarificata. Porrò uictrix triumphabat ueritas, & uicta diſsimulabat hypocriſis. Neque enim poſthac quiſquam fuit auſus, ullam mouere quæſtionem, aut congredi cum Chriſto.

CAPVT XLII.

TVnc Ieſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos, & dicebat eis in doctrina ſua: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribę & Phariſæi. Omnia ergo quęcunque dixerint uobis, ſeruate & facite: ſecundum uerò opera eorum nolite facere. dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea mouere. Omnia uerò opera ſua faciunt, ut uideantur ab hominibus. Attendite & cauete à Scribis. Dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. Volunt in ſcholis ambulare: amant autem primos recubitus in cœnis & conuiuijs, primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & amant uocari Rabbi. Vos autem nolite uocari Rabbi. Vnus eſt enim magiſter ueſter: omnes autem uos fratres eſtis. Et patrem nolite uobis uocare ſuper terram. unus eſt enim pater ueſter, qui in cœlis eſt. Non uocemini magiſtri: quia magiſter ueſter unus eſt Chriſtus. Qui maior eſt ueſtrûm, erit miniſter ueſter. Qui autem ſe exaltauerit, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

Phylacterium Græca uox Latinis eſt conſeruatorium, quòd in his ſeruatur memoria legis.

COMMENTARIA.

Cum omnia tentaſſet Dominus Ieſus, nec ulla ſpes eſſet populi, primores aliquando conuertendos ad Dominum: ne ergo miſeram plebeculam in eandem ruinam & perniciem ſecum attraherent, docet Dominus, ipſos eſſe cauendos. Cæterùm ne ob perſonas corruptas totum miniſterium, adeoq; ipſum uerbum Dei malè audiret, uileſceret, ac contemneretur: præmittit diligentem admonitionem. Liquet autem ex 8. capite Nehemiæ, & alijs quibuſdam ſacræ hiſtoriæ locis, in templo cathedram fuiſſe extructam, unde ſacerdotes legem Moſis populo in cœtum congregato prælegebant, ac interpretabantur. Proinde hic erit uerborum Domini ſenſus: Nolo quiſquam ſacrum docendi miniſterium, aut ipſam doctrinam ſacram contemnat, propter corruptos ſacerdotum mores: imò ſi ipſi Phariſæi docuerint in cathedra ſacra legem Domini, &

uerbum Prophetarũ, omnino iubeo prædicationem eorum recipere, & mandatis eorum obtem-
Numeri 15.
perare propter Dominum, qui per Moſen legem mundo tradidit. Quòd ſi quæ præſtent iuxta legis præſcriptum, non id faciunt ex animo, ſed ad laudem auramq́; popularem. Præterea ab alijs plus quàm totam legem ſeueriſſimè exigunt, ipſi ſibi indulgent, in alios auſteri, in ſe leniſſimi. Dicat autem aliquis: Phariſæi toto corporis habitu præ ſe ferunt inſigne quoddam religionis ſtudiũ, ieiunant, orant, largiuntur eleemoſynam. quomodo ergo dicunt, & non faciunt? An non ſunt illa opera legis & iuſticiæ? Reſpondet Dominus: Si quid faciunt, non ſincero animo ad gloriam Dei, & ex ſtudio amoreq́; uirtutis faciunt: ſed ut laudem ſibi & exiſtimationem popularem parent. Ex ueſtitu totoq́; corporis habitu, ipſo accubitu, titulis, totiusq́; uitæ conuerſatione colligere licet, quis ſit ſcopus omnium operum ipſorum. De phylacterijs porrò ita ſe habet. Quia in lege habe-
Deuter. 6.
batur, Erunt uerba hæc quæ præcipio tibi hodie, in corde tuo. Et mox: Ligabisq́; ea quaſi ſignum in manu tua, eruntq́; immota ante oculos tuos, &c. Proinde Phariſæi quo uiderentur admodum obſeruantes legis, ſcribebant Decalogum in membranis ceu duobus uoluminibus, quorum alterum fronti, coronæ uice circumponebant, alterum brachio: ut quoties manum porrigerent, eſſet in conſpectu. D. Hieronymus: Iuſſerat, inquit, quoque aliud Moſes, ut in quatuor angulis palliorũ hyacinthinas fimbrias facerẽt, ad Iſraelis populum dinoſcendum, ut quomodo in corporibus circumciſio ſignum Iudaicæ gentis daret, ita & ueſtis haberet aliquam differentiam. Superſtitioſi magiſtri captantes auram popularem, atque ex mulierculis ſectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & acutiſſimas in eis ſpinas ligabant, quo uidelicet ambulantes aut ſedentes aliquando pungerentur, & quaſi hac admonitione retraherentur ad officia Domini, & miniſteria ſeruitutis eius. Tantum D. Hieronymus. Quòd uerò de titulis addit Dominus, obiter ſuos ad humilitatem adhortatur. Proinde non præcipitur liberis, ne patres appellent patres: neque prohibet diſcipulis, ut præceptores uel magiſtros uel dominos nuncupent: faſtum, ambitionem, & ſuperbiam reprimit. Vnus propriè eſt, cui uerè titulus magiſtri congruit: nempe Chriſtus. Vnus præterea pater in cœlis eſt, à quo pendeamus omnes, in quo omne uitæ collocemus præſidium, & ad quem unicè reſpiciamus. Huc ergo omnia pertinent, ut humiles ſimus, in oculis noſtris non efferamur propter dona cœlitus nobis conceſſa: ſed modeſti in charitate ſeruiamus omnibus.

CAPVT XLIII.

VAE uobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines. uos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare. Væ uobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui comeditis domos uiduarum, longa oratione orantes: propter hæc amplius accipietis iudicium. Væ uobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, qui circumitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ, duplo quàm uos. Vę uobis duces cęci, qui dicitis, Quicunque iurauerit per templum, nihil eſt: qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti & cæci: quid enim maius eſt, aurum, an templum quod ſanctificat aurum? Et quicunque iurauerit in altari, nihil eſt: qui autem iurauerit in dono quod eſt ſuper illud, debet. Cæci: quid enim maius eſt, donum, an altare quod ſanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ ſuper illud ſunt. Et qui iurat in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo. & qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum. Væ uobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum, rutam & cyminum, & omne olus, & relinquitis quæ grauiora ſunt legis: iudicium, miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cęci, excolantes culicem: camelum autem deglutientes. Væ uobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina & immundicia. Phariſæe cęce, munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat quod deforis eſt, mundum.

Vę uobis

Væ uobis ſcribæ & Phariſæi, hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, intus autem plena ſunt oſsibus mortuorum, & omni ſpurcitia: ſic & uos quidem à foris apparetis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.

COMMENTARIA.

Corruptum fore ſtatum populi Iudaici, præſertim uerò ſacerdotum in aduentu Meſsiæ, prædixit propheta Dei Malachias: & corruptiſsimum fuiſſe temporibus Chriſti, tum hoc caput, tum complures alij in Euangelica hiſtoria loci oſtendunt. Principiò autem improperat eis Chriſtus, quòd cum Scripturarũ habeant noticiam, docendiq́; munere fungantur, & intelligant ſalutis negocium: ipſi tamen non recipiũt, neq; commiſſam ſibi plebem ſalutis ſuis auidam recipere ſinant. & ait: Væ uobis. Quum enim conſpiciatis iam adeſſe lucem Euangelicam: tamen ueſtræ gloriæ, ueſtriq́; lucri gratia populum adhuc in umbris legis detinetis, excludentes à ueritate. Et particula Væ, Prophetis uſitatiſsima, ſemel complectitur quicquid eſt miſeriarum ac calamitatum præſentis ac futuri ſeculi. Rurſus uenalem improperans religionem: Miſeram, inquit, & inopem plebeculam religionis & cultus diuini prætextu exuitis omnibus facultatibus, eaſq́; in ueſtram redigitis poteſtatem. Et habet emphaſim uerbum Deuoratis. ſic enim nimiam inſatiabilemq́; notauit cupiditatem. Quare autem non dicit, Propter hoc grauiter puniemini: ſed, Grauius? Quòd non ſolùm explerent uentres ſuos facultatibus uiduarum, quarum tenuitati magis debebant ſubuenire: uerumetiam rem impiam facerent prætextu pietatis. Damnat & in illis peruerſam inſtitutionem. Nam non in uera pietate inſtituebant, quos (totum luſtrantes orbem) ex gentilibus conuertebant ad religionem Iudaicam. Scribit D. Hieronymus proſelytos, id eſt, aduenas uidiſſe mala magiſtrorum opera, ac ideo rediſſe ad uomitũ, gentileſq́; quaſi ſecundò factos, maiori ſe implicaſſe præuaricationi. Filius autem uocatur gehennæ, quomodo filius perditionis, & filius huius ſeculi. Vnuſquiſque enim cuius opera agit, eius filius appellatur. Cæterùm quod ſequitur, Væ uobis duces cæci: eleganter explicans S. Hieronymus: Si quis, inquit, in contentione ſeu in aliquo iurgio, uel in cauſæ ambiguo iuraſſet in templo, & poſtea conuictus eſſet mendacij, non tenebatur criminis reus: ſin autem iuraſſet in auro & pecunia quæ in templo ſacerdotibus offerebatur, ſtatim id in quo iurauerat, cogebatur exoluere. Rurſus, ſi quis iuraſſet in altari, periurij reum nemo retinebat: ſin autem periuraſſet in hoſtijs, in uictimis, & ſimila, & cæteris quæ offeruntur Deo ſuper altare, hæc ſtudioſiſsimè repetebantur. Arguit ergo eos Dominus & ſtultitiæ & fraudulentiæ, quòd multo maius ſit templum quàm aurum quod ſanctificatur à templo: & altare, quàm hoſtiæ quæ ſanctificantur ab altari. Totum autem faciebant non ob Dei timorem, ſed ob diuitiarum cupiditatem. Hæc ille. Deinde quia præceperat Dominus, propter alimoniam ſacerdotum & Leuitarum, quorum pars erat Dominus (eodem docente) omnium rerum offerri in templo decimas: Phariſæi hoc unum habebant ſtudij, ut quæ iuſſa fuerant, comportarentur: cætera quæ erant maiora, utrum quis faceret an non, parui pendebant. Arguit ergo eos auaritiæ Dominus, quòd ſtudioſè etiam uilium holerum decimas exigant: & iudicium in diſceptatione negociorum, miſericordiamq́; in pauperes, pupillos & uiduas, & fidem in Deum, quæ magna ſunt, prætermittant. Verùm ne quis obiiceret: Ergo minutiora illa in lege, cuiuſmodi cæremoniæ ſunt, ceu inanes inutileſq́; contemnendæ? Iudicium, inquit, miſericordiam, & fidem non tantum docere diligenter, ſed grauiter quoque facere oportet: idq́; in primis & ante omnia. Deinde uerò, ſi quid inſtitutum eſt rerum externarum, quo exerceatur interna pietas, id planè non eſt uel omittendum, uel contemnendum. Huic appendit grauem exclamationem, prouerbiali figura ornatam, & ait: O duces cæcos, qui præpoſterè religioſi, culicem excolatis, quum camelum deglutiatis: in minimo ſuperſtitioſi, in maximo negligentes. Palàm quidem ac foris ſimulatis ueſtris lotionibus neſcio quam mundiciam: cæterùm ſi quis inſpiciat animum & mores ueſtros, reperiet uos oppletos eſſe rapina & intemperantia. Poſtremò comparat eos ſepulchris dealbatis, eo quòd foris uiderentur religioſi & integri, quum animus undique ſcateret ſimulatione, omniq́; genere uitiorum maderet.

Vide Eraſmũ in Chiliad.

CAPVT

CAPVT QVADRAGESIMVMQVARTVM.

VAe uobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum. Profectò teſtificamini, quòd conſentitis operibus patrum ueſtrorum: quia filij eorum eſtis, qui Prophetas occiderunt. Et uos implete menſuram patrum ueſtrorum. Serpentes, progenies uiperarum, quomodo fugietis à iudicio Gehennæ? Propterea ecce ego mitto ad uos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis aliquos occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis ueſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat ſupra uos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico uobis, uenient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſsi ſunt, quoties uolui congregare filios tuos,
Vide ſupra lib. 3. cap. 24. quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas: & noluiſti? Et ſedens Ieſus contra gazophylacium, aſpiciebat eos qui mittebant munera ſua in gazophylacium, quomodo turba iactabat eos: & multi diuites iactabant multa. Cum ueniſſet autem uidua pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans. Et conuocatis diſcipulis ſuis, ait illis: Amen dico uobis, quoniam uidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miſerunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod illi deeſt, & de penuria ſua, omnia quæ habuit, miſit totum uictum ſuum.

COMMENTARIA.

Carpit & flagellat Dominus Phariſæorũ & Scribarum falſam ſanctimoniæ oſtentationem, & crudelitatem improperat illis maximam, dicens: Magnificè extruitis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, quos ueſtri maiores occiderunt: & ſimulatis uos fauere uirtuti interfectorum, ac deteſtari crudelitatem eorum à quibus ſunt occiſi. At atrociora molimini aduerſus eum qui Prophetas antecellit, & olim eſtis molituri aduerſus eos qui uobis æternæ ſalutis uiam aperient. Agedum reſpondete maioribus ueſtris: & quod deeſt illorum extremæ crudelitati, uos ne quid deſit, implete. Hæc autem per ironiam pronunciata ſunt. Non enim præcipit parricidia. Implere uerò menſuram, prouerbialiter dicitur, pro abſoluere impietatem, & quod uidebatur deeſſe, adijcere impietati. Cæterùm pro iuſto ſuo zelo poſthæc irruit in parricidas Dominus, & annunciat ipſis quòd iudicium Dei declinare non poſſint: imò propter parricidia grauiſſimè puniendi tandem, & in tartara præcipitandi. Dein manifeſtius improperat Iudaicis doctoribus crudelem ingratitudinem & rebellionem, dicens: Ideo dixi uos menſuram impleturos patrum, quòd probè ſciam, qualiter illos meos legatos ad uos mittendos ſitis excepturi. Et acta quidem manifeſtè teſtantur, Apoſtolos, apoſtolicosq́; uiros ſic eſſe à Iudæis Hieroſolymitractatos, imò per orbem terræ in omnibus propè urbibus duriſſimè exceptos. Porrò Apoſtolos apoſtolicosq́; uiros uarijs deſignat uocabulis. Primùm uocat eos Prophetas, id eſt, uiros ſpiritu diuino & docendi munere inſtructos: deinde ſapientes, id eſt, rerum peritos, & uaria rerum experientia prudentes: Scribas uerò, in ſcripturis exercitatos, & diuinæ legis conſultiſſimos. Hisq́; ſubiungit graue de ſupplicium, de huiuſmodi rebellibus ſumendum. Quia, inquit, hanc rem peſſimam eſtis facturi, prouocabitis iram Dei in uos, ut quicquid homicidiorum patratum eſt à maioribus ueſtris, à primo parricidio quo Cain occidit Abel fratrem ſuum, uſque ad cædem Zachariæ, quem occidiſtis, nec loci religione deterriti, horum pœna dilata refundatur in caput ueſtrum, qui maiorum omnium crudelitatem non ſolùm retuliſtis, uerumetiam uiciſtis. De Zacharia autem illo admodum uariant interpretum ſententiæ. Alij dicunt,

dicunt illum fuiſſe unum ex duodecim Prophetis, alij patrem præcurſoris Domini. Et hi ex Diuo Epiphanio id colligunt. Nam de uita & interitu Prophetarum ita ſcribit ille: Zacharias adhuc uiuus fuit, tum Propheta, tum ſacerdos, Iodoe ſacerdote prognatus, Ioannis Baptiſtæ parens, quem Herodes ille tyrannus iuxta aram domum'que Dei occidit, effuſus'que eſt ſanguis eius in ueſtibulo templi Domini. Sed quiſquis tandẽ ille fuerit, liquet ex his Domini uerbis, quãta Iudæorum crudelitas fuerit in uiros ſanctos & optimos. Hinc quoq; haud ſine ſtomacho: Nec eſt ut, ut quiſquam ſperet ſe iudicium Dei declinaturum. nam certò deuoluentur cœlitùs in illam uiperinam progeniem omnia mala, quæ in parricidas nephandiſſimos ſe effuſurum minatur uerax & potens Dominus. Quia uerò dixerat Dominus, ſacerdotes & Phariſæos ficta religione & prætextu prolixarum precum deuorare uiduarum domos, adeò'que pauperum ſubſtantiam: fortè aliquis dixerit, Ergo cum uideam malè perire opes eccleſiaſticis hominibus collatas, & hos prauis artibus corradere undique, unde luxurient: poſthac nihil planè contulero ad eccleſiaſtica uectigalia. Idcirco dantes in præſentiarum non damnat ſimpliciter: ſed interim quo animo dare oporteat, oſtendit. Conferebantur autem opes illæ ad ſarta tectaq; templi, ad ſacra denique miniſteria. Atque gazophylacij uſus non erat inuentum humanum, ſed petitus è lege Domini: Exodi capite trigeſimo. Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael, & cætera. 2. Paralipomenõn capite uigeſimoquarto: Præcepit ergo rex, & fecerunt arcam, & cætera. Nehemiæ tertio & decimo. Et mos iſte inde deriuatus eſt ad Apoſtolos, & primitiuæ Eccleſiæ homines. Dabant enim opulentiores quoque ad uſus huiuſmodi ſanctos ſuas facultates, ex quibus alebantur miniſtri Eccleſiæ, & pauperes fideles. Cum enim propter confeſſionem Chriſti plures è ſynagoga eijcerentur, fame pereundum his fuiſſet, niſi liberalitas Chriſtianorum periclitantium ſubueniſſet inopiæ. Porrò uidua hæc quæ dat, animo dat benigno & liberali: datura proculdubiò longè ampliora, ſi potuiſſet. Requiritur ergo à dantibus, animus paratus & promptus. Hinc Apoſtolus: Hilarem, inquit, datorem diligit Deus: 2. Corinth. 9. Dominus itaque ex animo uiduæ munus æſtimans atq; commendans: Pro comperto, inquit, dico uobis, quòd hæc uidua, quamlibet tenuis, plus dedit in gazophylacium, quàm cæteri omnes, qui uidentur uberaliſſimè dediſſe. Nam cæteri dederunt ex eo quod ipſis abundabat. Multum dederunt, ſed plus ſibi ſeruarunt: hæc autem ex inopia ſua facultates ſuas uniuerſas largita eſt, nihil ſibi reſeruans. Non enim æſtimat Deus donarium ex modo rei, ſed ex affectu mentis. Hinc diſcamus, Domino uel minutiſſima placere opera, ſi fiant per fidem, ex corde ſincero & beneuolo.

HARMONIAE EVANGELICAE
LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

ET egreſſus Ieſus de templo, ibat. Et ait illi unus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ. Ipſe autem reſpondens, ait illis: Videtis hæc omnia, & magnas ædificationes? Amen dico uobis, uenient dies, in quibus nõ relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Sedente autem eo ſuper montem Oliueti, contra templum, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius ſecretò, Petrus ſcilicet, Iacobus, Andreas, & Ioannes, dicentes: Dic nobis præceptor, quando hæc erunt & fient? quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſeculi? Et reſpondens Ieſus, dixit: Videte, ne quis uos ſeducat. multi uenient in nomine meo, dicentes, Ego ſum Chriſtus: & multos ſeducent, & tempus appropinquabit. Nolite ergo ire poſt illos. Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum. Cum autem audieritis prælia & ſeditiões, nolite terreri, uidete ne turbemini. oportet enim primùm hæc fieri: ſed nondũ ſtatim finis. Tũc dicebat illis: Surget gens cõtra gentẽ, & regnũ aduerſus regnũ, & terræmotus magni erunt per loca, & peſtilentię, & fames, terroreſq; de cœlo, & ſigna magna erũt. Et tũc ſcãdalizabunt multi, et inuicẽ tradẽt et odio habebũt inuicẽ. Et multi pſeudoꝓphetę ſurgẽt et ſeducẽt multos. Et quoniã abũdabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorũ.

Qui

Qui autem perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in uniuerſo mundo, in omnes gentes, in teſtimonium omnibus gentibus. Et tunc ueniet conſummatio.

COMMENTARIA.

Vt Dominus Ieſus imagine quadam repræſentaret, templum & omnem Iudaicæ gentis religionem breui abolendam, è templo cœpit abire. Diſcipuli uerò, uel quòd audiſſent urbem excindendam, uel quòd pro imbecillitate humani ingenij plus admirati terrena quàm cœleſtia, Domino oſtendunt ſtructuras templi. Cæterùm fuerat hoc (ut pleriſq; placet) nõ à patribus è Babylone redeuntibus, cuius mentio fit in libro Eſdræ, capite 5 ſed ab Herode rege extructum. De quo egregiè ſcribens Ioſephus: Antiquis, inquit, fundamentis ſolutis, noua impoſuit: ſuper quæ templum erexit, longitudine centum cubitorum, latitudine centum & uiginti. Aedificatum eſt autem ex lapidibus albis & tenaciſſimis, quorum magnitudo in longitudine uigintiquinq; cubitorum, altitudine octo, latitudine duodecim erat: opus fuerat dignũ narrari omnibus, qui ſub ſole ſunt. Laborarunt in eo extruendo decem milia peritiſſimorum artificum, & amplius multo, per integros annos octo. Porrò ad interrogationem illorum ita reſpondet Dominus: Miramini plurimùm, ſi templum uſqueadeò auguſtum excindi debeat, indignum putantes ut tam elegans deſtruatur ædificium. At ego dico uobis, hoc ipſum templum cum omni ſplendore ſuo, cum omni elegantia ſua, ſtirpitùs fore excindendum. Sedente aũt eo in monte Oliueti, ſecretò accedũt diſcipuli, ut de magnis reb. interrogaturi. Suſpicabantur enim mox à uaſtatione ciuitatis Hieroſolymitanæ, templiq́; demolitione rurſus aduenturum Chriſtum cum maieſtate. Chriſtus autẽ quo redderet ſuos uigilantiores, ita temperat ſermonem, ut nolit eos ſcire tempus extremi aduentus: & tamen commemorandis malis efficiat illos ſollicitos, & ad malorum incurſionem paratos: Non ſtatim, inquit, aderit uel urbis excidium, uel orbis conſummatio: multæ exorientur prius calamitates, quæ præcedent uaſtationem. unde omnibus ſanctis uigilandum erit, ne quis à uera pietate & religione abducatur in errorum & impietatũ præcipitia. Inter illas calamitates nõ poſtrema erit, quòd multi uenient in nomine meo, qui dicturi ſunt: Ego ſum Chriſtus, & multos inuenient ſuæ adhærentes ſtulticiæ. Tradunt autem hiſtoriæ, poſt aſcenſionem Domini in cœlos, & ante urbis excidium non paucos ueniſſe Iudæis, qui ſe pro Meſſia uero ac liberatore uẽditarint.

* Euſebius libro 4.cap.22.

Ioſeph.libro 2. cap.12. & 17.

*Sub hæc ait Dominus, quoniam complures exorientur pſeudomeſſiæ ſiue liberatores, quibus ſeditioſi quiq; adhærebunt homines, ideo exorientur bella triſtia. Verùm ne protinus iſta deijciant animos ueſtros, ut exiſtimetis inſtare tempus illud extremum, oportet quidem hanc rerum perturbationem exoriri: ſed non ilico finis erit malorum, latius uagabitur hæc tempeſtas. Non enim Hieroſolyma tantum uaſtabitur: ſed totus orbis bellis ac cædibus miſcebitur. Inſurget gens aduerſus gentem, & regnum cum regno conflictabitur. Quin & Deus addet ſua flagella, peſtilentiam, famem, uarijsq; in locis terræmotus. Et oportet quidem rem ſic geri, quando ab ingratiſſimo mundo ſalus, pietas, & Euangelica ueritas tam impiè reſpuitur atq; conculcatur. Nec hæc quidem arguent mundi finem: ſed tantum prælidia ſunt mali, uelut parturientis extremam illam mundi tempeſtatem. Enimuerò annis triginta octo & amplius tumultuatum eſt à Iudæis, priuſquam ultimo & finali bello radicitùs excinderentur: ſic quoq;, utut mundus diuexetur malis & calamitatibus diutinis, nec tamen ſtatim ſperandus eſt malorum finis. Quemadmodum enim homines nouis ſubinde ſceleribus adinuentis maliciam ſuam infandam ſuperare contendent: ita iuſtiſſimus Deus nouis ſubinde repertis calamitatibus, execrabilem hominum conſcelerationem ineffabilibus ſupplicijs collidet. Iam & aliud malum atq; periculum, & ingens quidem illud prædicit Dominus futurum: exorituros uidelicet doctores falſos, quorum doctrinis erroneis multi ſint ſeducendi. Legimus autem, ex Iudæis plurimos recepiſſe Euangelij prædicationem: ſed huic miſcuiſſe legalia, corruptamq́; & doctrinam & fidem concepiſſe, docuiſſeq́; plurimos. Acto. 15. Paulus ad Galatas, Philippen. Corinth. Romanos, & Hebræos. Meminit & Ioannes Apoſtolus in ſua Canonica pſeudoprophetarum & antichriſtorũ. * Cõſtat enim & Cherithum & Ebionem errorum & impietatis magiſtros Apoſtolorum temporibus emerſiſſe, ac ſeduxiſſe plurimos. Prædixit quoq; S. Petrus, uenturis temporibus ad conſummationem uſq; ſeculi, plurimos pſeudoprophetas exorituros, qui pro ſpiritu Chriſti Satanæ ſpiritum inferent diſcipulis, pro regno cœlorum regnum huius mundi docebunt. Porrò (Chriſto docente)*

cente) quia copia erit hominum contemnentium Deum & uerbum eius, exundante multitudine uitiorum multorum, charitas refrigeſcet: id eſt, uera pietas, beneficentia & religio deficiet. * *Tamē pijs nil erit periculi, modò cōſtanti fortiq; animo perſeuerent in uera pietate. Nulla malorum uis quenquam poterit perdere, niſi quem animus rectus defecerit. Iam ne quis obijceret: Quorſum uerò opus eſt multa diligentia perſeuerantiaq;, cum in tantis turbis & impoſturis nemo quicquam incrementi Euangelici poterit ſperare? reſpondet Dominus: Nec uos perire patiar, nec Euangelium opprimi. Quantumuis enim inſaniat mundus, Euangelium tamen regni Dei nunquam excindere poterit. Vincet ueritas, & ſemper ſuum fructum referet in cordibus hominum fidelibus. In ijs autem, in quibus ſalutarem fructum non progignit, ad hoc ſaltem conducet, quòd intelligent ſe ſua culpa, nulla Dei iniuſticia condemnari. Et ſignificanter dicit, Gentibus. Nam à reſurrectione & miſſione ſancti Spiritus in Apoſtolos, ablegantur hi ad gentes per totum orbem. Priuſquam uerò caperetur urbs, & diſpergeretur gens Iudaica per totum terrarum orbem: annunciauerunt Apoſtoli Chriſti Euangelium. Paulus enim ab Hieruſalem, & circumiacentibus regionibus uſq; ad Illyricum impleuit Euangelium Chriſti: Deinde ipſe & Petrus Romæ 14 anno Neronis martyrio coronati ſunt. At circa illa ipſa tempora, Nero imperator militiæ magiſtrum Veſpaſianum contra Iudæos tranſmittit in Syriam. Mira autem Dei prouidentia ſeruata eſt urbs ſancta, & populus ille peculiaris Domini, donec Euangelium Chriſti per orbem prædicaretur: nimirum ut populus Iudaicus iudicaretur per gentes.*

* Vide Paulū 2. ad Tim. 3 & 4.

Vide Euſebiū

CAPVT SECVNDVM.

CVm ergo uideritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto ubi non debet (qui legit, intelligat.) Cum autem uideritis circundari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote, quia appropinquabit deſolatio eius. Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiāt ad montes: & qui in tecto, non deſcendat aliquid tollere de domo ſua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicā ſuam: & qui in medio eius ſunt, diſcedant: & qui in regionibus, nō intrent in eam: quia dies ultionis hi ſunt, ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt. Væ autem prægnātibus & nutrientibus in illis diebus. Orate, ne fiat fuga ueſtra hyeme uel Sabbatho. erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes: & Hieruſalem calcabitur à gentibus, donec impleātur tempora nationū. Erunt autem dies illi tribulationis, & tales quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus, uſq; nunc, neq; fient. Et niſi abbreuiaſſet Dominus dies illos, nō fuiſſet ſalua omnis caro: ſed propter electos, quos elegit Dominus, abbreuiabit dies. Tunc ſi quis uobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere, nolite ire, neq; ſectemini. Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, & portenta, ita ut ſeducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Ecce prædixi uobis omnia: uos ergo uidete. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deſerto eſt: nolite exire. Ecce in penetralibus: nolite credere.

COMMENTARIA.

Tandem & poſt uarias admonitiones plenè & apertè reſpondet Dominus Ieſus ad quæſtionem diſcipulorum quærentium, Quando hæc erunt: id eſt, quādo excindetur cum urbe templū? Tunc, inquit, quando exercitus Romanorum obſidione graui & pertinaci urbem cinxerit Hieroſolymorum. Per abominationem itaq; deſolationis, intellexit Dominus tam ipſius Dei iram deſolationemq;, qua populum ſuum dereliquit, quàm horribilem terræ urbiſq; uaſtationem. Stupendū enim & abominabile erat, quòd Dominus illam gentem, quam hactenus ardentiſſimè amauerat, nunc tradiderat in manus ethnicorum calcandā. D. Hieronymus: Abominatio, inquit, poteſt ſimpliciter aut de Antichriſto accipi, aut de imagine Cæſaris quam Pilatus poſuit in templo, aut de Hadriani equeſtri ſtatua, quæ in ipſo ſancto ſanctorum loco uſq; in præſentē diem ſtetit. Hæc ille. Quòd ſi igitur de conſummatione ſeculi intelligenda duxerimus, ſenſus uerborum Domini hic erit: Non

uenturus eſt mundi finis, priuſquam hoc Euangelium regni per omnia regna mundi prædicetur, ne qui parere noluerint, prætexere queant ignorantiam. Antichriſtus. *Hoc ubi factum fuerit, idolum abominabile conabitur funditùs ſubuertere religionem Euangelicam, de quo uobis olim uaticinatus eſt Daniel, dicens: Et in dimidio hebdomadis auferetur ſacrificium & libamina, & in templo abominatio deſolationum erit, uſq; ad conſummationem temporis. Porrò ſanctis, conſiliaq; ſana non reſpuentibus præcipit Dominus, quomodo ſe gerant, excidio iam imminente. Iubet autem ut ſibi fuga conſulant, poſthabitis omnibus. Tolerabilior enim eſt iactura fortunæ, quàm uitæ. Itaq; ad montes confugere, eſt in tutum ſeſe recipere. Euſebius hanc cladem & urbis deuaſtationem deſcribens: Eccleſia, inquit, quæ in urbe Hieroſolymorum fuerat congregata, reſponſo à Deo accepto emigrare iubetur, & tranſire ad oppidum quoddam, Pellam nomine, trans Iordanem, quo ablatis ex urbe ſanctis & iuſtis uiris, uindictæ cœleſti fieret locus, tam de urbe ſacrilega, quàm de populo impio per excidiũ patriæ euerſionemq; ſumendæ: Eccl. hiſt. lib. 3. cap. 5. Cæterùm quando inquit, tum non uacabit rebus conſulere: magnum eſt, ſi celeri fuga uitæ conſulatur. Proinde malè erit prægnantibus, & mamma nutrientibus. Neq; enim grauidæ poterunt onus uentris abijcere, ut expeditè fugiant: neq; lactentes ſic poſſunt abijcere liberos, quos tenerius quàm ſeipſas amant, quemadmodum pecuniam aut ueſtem abijciunt. Iam uerò atrocitatem mali auget, ſubiecta hac præceptione: Orate ut fuga ueſtra expedita ſit, nullis impedita remoris, uel tempeſtatis uel religionis. hyems enim ad iter faciendum eſt incommoda: tum ob frigoris rigorem, tum ob dierum luciſq; breuitatem. Et Sabbathis nephas erat Iudæis iter facere, niſi ad pauca ſtadia. Fuit autem Hieroſolymitanum hoc excidium bellumq; omnibus alijs in orbe calamitatibus maius & miſerius. Et hoc propter electos & paucu-los aliquot fideles decurtatum fuit. Si enim tantum & tam diu permiſſum fuiſſet hoſtib. ſæuire, quàm diu libuiſſet, nemo omniũ ex gente iſta euaſiſſet. Cæterùm coniungit nunc excidio urbis Dominus conſummationem ſeculi. Nam quæ adducit, Iudaicis quidem rebus congruunt, ſimul autem & poſtremis aptanda ueniunt temporibus. Et (ut tradit Ioſephus) diuerſis rebus turbata prouincia, Feſtus multitudinem deſtinauit equeſtriũ atq; pedeſtriũ ſuper populos, qui decepti fuerant à quodam mago, ſalutem eis & malorum requiem promittente, ſi eum ſequi in deſertum cõtenderent. Quo facto, & ipſum ſeductorem & ſeductos, irruentes qui miſſi ſunt, occiderunt: lib. 20. cap. 14. Et cum hic locus quoq; iuxta D. Hieronymum de hæreticorum cõtra Eccleſiã pugna, qui ſub opinione falſæ ſciẽtiæ cõtra Chriſtũ dimicãt, & cõſummatione mundi differẽdus ſit: tunc, inquit Chriſtus, in hac confuſione rerum quum expectabitur aduentus meus, cauendum eſt, ne quis decipiatur arte impoſtorũ. exorientur enim multi pſeudochriſti, qui ſe iactabũt eſſe Chriſtũ, cum nõ ſint: imò aduerſarij mei, qui ſe dicẽt eſſe prophetas, cũ nõ ſint, ſed magiſtri errorũ. Hi nõ ſolùm erũt inſtructi dolis, falſaq; ſpecie ſanctimoniæ, uerumetiam prodigijs ac magicis oſtẽtis imitabũtur meam potentiã: adeoq; multis ac miris præſtigijs ſibi uindicabunt meam perſonã, ut electi quoq;, ſi fieri poſſit, in errorem ſint adducendi. Ex hoc aũt loco diſcũt omnes ſtudioſi pietatis, qui reuera ſint pſeudochriſti et falſi prophetæ. Nam qui ſibi extra Scripturas, aut ex ipſis quoq; Scripturis, humana tamẽ prauitate corruptis, dogma aut ſenſum fidei catholicæ aduerſum, quẽ pertinaciter tueatur, deligit, ſchiſmaticus eſt, et hæretic⁹. Hinc piè admodũ monuit Ioãnes: Nolite, dicẽs, credere omni ſpiritui, ſed ꝓbate pri⁹ Spiritus, nũ ex Deo ſint: quoniã multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. 1. Ioannis, cap. 4.*

CAPVT TERTIVM.

STatim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo. Et erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium præ confuſione, ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione eorũ quæ ſuperuenient uniuerſo orbi. Et uirtutes cœlorum, & quæ ſub cœlo ſunt, mouebuntur. Et tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo, & plangent omnes tribus terræ. Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube, cum poteſtate magna, & gloria, & maieſtate. Et mittet angelos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos à quatuor uentis, à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum, à ſummo terræ uſq; ad ſummum cœli. Ab arbore fici diſcite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, cognoſcitis

quia

quia in proximo ſit æſtas. Videte ficulneam & omnes arbores, cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitote quia propè eſt æſtas: ita & uos, cum uideritis hæc fieri, ſcitote quia propè eſt & in ianuis & oſtijs regnum Dei. His autem fieri incipientibus, ſuſcipite & leuate capita ueſtra, quoniam appropinquat redemptio ueſtra. Amen dico uobis, non tranſibit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum & terra tranſibunt, uerba autem mea non tranſibunt. De die autem illo & hora nemo ſcit, neq; angeli cœlorum, neq; filius, niſi ſolus pater. Attendite autem uobis, ne forte grauentur corda ueſtra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, & ſuperueniat ſuper uos repentina dies illa. tanquam enim laqueus, ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.

COMMENTARIA.

*Prædicit Dominus maximas in orbe ante iudicium calamitates futuras. Vbi uerò impius & ingratus mundus ſatis diu fuerit exercitatus, & omnibus ſatisfactum de quibus prædixerũt Prophetæ, tunc omnis cœli exercitus, omnis militia quam hic dicit uirtutem cœlorum, commouebuntur. Iam quod de ſigno mentionem facit, hoc fore crucẽ Theophylactus docet. ait enim: Crux tunc apparebit in cœlo ſupra ſolem fulgens, ad arguendos Iudæos. Veniet enim Chriſtus cõtra Iudæos, habens crucem, ut magnam iuſtificandi materiam et teſtimoniũ, ueluti ſi quis lapide percuſſus, oſtendat lapidem. Quidam uerò dicunt, alluſiſſe Dominum ad morem regum ac principum, qui in militiam & pugnam egreſſuri, prius ſigna ad quæ miles ſpectet ac congregetur, proferũt. Mox autem Ieſus Chriſtus Dominus noſter aderit ſublimis in cœlo, ad quem protinus congregabuntur omnes electi, & Chriſto obuiam rapiẽtur ineffabili cum lætitia: impij uerò hæc uidentes, & iudicium Dei ſibi inſtare ſentientes, plangent. Et ſignãter dixit, Videbunt filium hominis. Nam Dominus noſter humanã naturã non depoſuit, cum in cœlos aſcendit. Clarificauit quidem eam, ut iam uiueret Deo: dicente Apoſtolo. In eadẽ ergo forma & ſubſtantia deſcendet Chriſtus in iudicium, qua aſcendit in cœlum. Quamuis autẽ cum cruce ueniet Dominus, ueniet tamen cum gloria & uirtute: tanta ui inſtructus, ut nulla ei reſiſtere poßit creatura. Iã uerò iterum alluditur ad mores potentißimorum principũ, euocantiũ miniſtros ſuos per *tubæ clangorem, ad ſtandum coram rege. Simul autem ſignificatur & mortuorũ reſurrectio, quã olim per os ſancti Prophetæ oſtendit futuram. ita enim legis: Hæc dicit Dominus Deus: A' quatuor uentis ueni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, et reuiuiſcant. Et prophetaui, ſicut præceperat mihi. Et ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & uixerunt, ſteteruntq; ſuper pedes ſuos, exercitus grandis nimis ualde. Ezech. 37. Additur: A' ſummis cœlorum uſq; ad terminos eorum, ut hinc colligamus, nullã creaturam poſſe iudicium Domini ſubterfugere: præterea nulla ſanctorum corpora, utut diſcerpta ſint atq; diſperſa in mundo, uel relinqui uel amitti poſſe. Vt uerò excitet illos ad obſeruationem harum rerum, quarum hactenus meminit: Ex germinatione ficus, inquit, cum iam ramo tenereſcente protrudit gemmas ac folia, ceu ex indicijs certißimis colligitis, æſtatem haud procul abeſſe. Proinde cum uideritis turbas, clades, peſtes, fames, ſeditiones, & prauas doctrinas oriri, iam ſcitote excidium eſſe præ foribus, & in proximo. Porrò, ne quis de rebus tantis uel tantillum dubitaret, iureiurando ſuperiora de calamitatibus futuris & excidio urbis omnia confirmat. Et generationem hoc loco dicit fidelium, quæ quidem non interibit malis his (ut Theophylactus docet) ſed permanebit donec hæc fuerint conſummata, ut poſtea immortalis & impaßibilis fiat. His præmißis, iubet Dominus ſuos ſuſpicere in cœlum, & cohortatur ad fiduciam collocandam in Deum, & ad fidelem diligentiam in rebus diuinis accuratè adhibendam, & ait: Redemptio ueſtra adeſt: conſummatio utique utriuſq; libertatis, animæ inquam, & corporis. Præpoſitio ἀπὸ (ſcribit Theophylactus) inſinuare uidetur perfectam à corruptione libertatem, quam & corpus tunc accipiet, gratia Domini extremum inimicum abolentis, mortem. Aboleuit enim principatus & poteſtates, & animas redemit: reliqua autem erat mors, corpora noſtra depaſcens: quæ & ipſa cum abolebitur, erit nobis libertatis & redemptionis author. Hæc ille. His appendit ſententiam de certitudine uerbi ſui: Cœlum & terra, inquit, nullis concuti poſſunt uiribus: tamen facilius eſt, hæc firma & immobilia aboleri, quàm ut quoddam ex meis dictis mendax ſit. Beatus Hieronymus re ipſa futurum dicit, quod uerba uolunt. Præteribunt igitur cœlũ*

* Theophyl. Tuba autẽ dicitur, ad maiorem terrorẽ.

& terra, ſed immutatione, non abolitione ſui. Cæterùm quòd Apoſtoli forſan expectabant, ut articulum cõſummationis indicaret: proinde ſoli Deo, ait, temporis articulus cognitus eſt. quare exactè diem illum aut horam, qua filius ſit aduenturus, non eſt ueſtrum inquirere, quando nec angelis cœlorum hæc ſcire datum eſt. Satis itaq; fuerit ſanctis, ſcire atq; credere, Dominum uenturum in iudicium neceſſariũ: item ut ad eius aduentũ ſe præparent ſobrietate, fide & precibus. Quod autem ait, ſe ut filium hunc diem ignorare: non equidem dictum putemus ſecundum diuinam naturam (ut uoluêre Arius & Eunomius) ſecundum eam enim omnia nouit cum patre. Ioan. 5. ſed ſecundum humanam: ſecundum quam nimirum aliquid neſcire dicitur. Nam (ut D. Athanaſius docet) Chriſtus eſt perfectus Deus, & perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens: æqualis patri ſecundum diuinitatẽ, minor autem patre ſecundum humanitatem. Præterea diligentiſſimè hortatur Dominus ad uigiliam & ſobrietatem. Cumq; nõ peccatum ſit, edere ac bibere ad neceßitatem: dicuntur hæc à Domino contra luxum, & nimis anxiam curam rerum præſentium. Luxuria enim & auaricia ita demerguntur animi mortalium, ut nihil cogitent amplius rerum cœleſtium. Poſt hæc aptiſſima utitur Dominus metaphora: dies, dicens, extrema opprimet clauſos habentes oculos, neq; expectantes ullum periculum: ſed paſcentes ueluti aues in medio retium, quorũ complexu tunc maximè implicantur, cum minimè putant, & maximè cuticulam ſaginare cogitant. Studijs igitur rerum cœleſtiũ perpetuò uigilate, cõtinenter deprecãtes, ut uos Deus dignetur habere in numero eorũ qui poterũt effugere hæc tãta rerũ pericula, et ſubſiſtere ante iudicẽ ineuitabilẽ, filiũ hominis: qui ut nũc omnes magna lenitate prouocat ad pœnitentiã, ita tũ magna ſeueritate iudicabit omnes.

CAPVT QVARTVM.

TVnc ſimile eſt regnum cœlorum decem uirginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierũt obuiam ſponſo & ſponſæ. Quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes. Sed quinq; fatuæ acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum: prudentes uerò acceperũt oleum in uaſis ſuis, cum lampadibus. Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus uenit, exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes uirgines illæ, & ornauerũt lampades ſuas. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo ueſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur. Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non ſufficiat nobis & uobis, ite potius ad uendentes, & emite uobis. Dum autem irent emere, uenit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Nouiſſimè uerò ueniunt reliquæ uirgines, dicentes: Domine domine, aperi nobis. At ille reſpondens, ait: Amen dico uobis: Neſcio uos. Vigilate itaq;, quia neſcitis diem, neq; horam.

COMMENTARIA.

*Vt penitus infigeret animis ſuorum Ieſus, non eſſe ceſſandum aut dormitandum in hac uita, ſed aßiduo cultu pietatis & officijs in proximum parandum uiaticum in uitam futuram: adiecit parabolã hanc. Deſumpta eſt autem à uulgari more ac ritu nuptiarum populi Iudaici, qui talis eſſe uidetur, ut circa mediam noctem uenienti ſponſo chorus Iudaicarum puellarum tædis inſtructus obuiã effunderetur, deduceretq; domum ſponſum ac ſponſam. Porrò uirgines iſtæ ſignificant genus Chriſtianorum. Diſtinguuntur illæ in fatuas & prudentes. Sunt enim Chriſtianorum alij pietatis ſtudioſi & uigilantes: alij non admodum curant pietatem, ſed affectibus corrupti, ceu lethargum dormiunt. Omnes autem lampades habent. Omnes enim Chriſtiani nominis ſplendore radiant, cum ſint baptizati baptiſmate Chriſti, & recenſentur in Eccleſia. Iam fatuæ gloriantur inani ſplendore & ſtrepitu rerum externarum: oleum autem non habent. Prudentes non tantũ ſplendẽt titulis: ſed ipſum quoq; oleũ habẽt. Quid eſt oleũ? Vis certè & nutrimentum luminis. At Dominus in * Euangelio: Sic luceat (inquit) lux ueſtra, ut uideant homines ueſtra bona opera, & glorificent Deum patrem cœleſtem. Illuminans ergo et ueram lucem nutriens & conſeruans oleum, fides eſt, charitate efficax. Galat. 5. Hac cum non deſtituantur prudentes, perpetuum lumen gerunt. Porrò ſponſus, Chriſtus eſt, quem Eccleſia expectat uenturum in iudicium. Tardat autem ſpõſus.*

* Matth. 5.

Non

Non enim parum temporis (docente D.*Hierony mo) inter priorem & ſecundum aduentum* Domi *ni prætergreditur.* Et *uirgines omnes obdormierunt:id eſt, mortuæ ſunt. Statutum eſt enim omnibus hominibus ſemel mori, dicente Apoſtolo : qui etiam mortem ſomnum appellat.*1.*Theſſ*.4. *Dormientibus aũt illis, ſubitò (inquit* S.*Hieronymus) quaſi intempeſta nocte & ſecuris omnibus, quando grauiſſimus ſopor eſt, per angelorum clamorẽ & tubas præcedentium fortitudinum, Chriſti reſonabit aduentus.* Ad *quem clamorem exurgent omnes uirgines. Omnes enim manifeſtari oportet,* Paulo *teſte, coram tribunali* Chriſti, *ut reportet unuſquiſq; quod fecit, ſiue bonum ſiue malum.* 2. Cor. 5. Hic *autem denuò relucet ingens diſcrimẽ inter pios & impios, inter uigilantes et ſtertentes.* O*rnauerunt quidem lampades ſuas omnes: fatuæ autem queruntur lampades ſuas extingui.* Hinc *colligendum, malos in die iudicij tum demum intellecturos deeſſe ſibi plurima, nedum omnia: pij uerò erecta ſunt in* Deum *fide, & feruent ardentiſſima charitate : interim nituntur merito* Chriſti, *credentes ſe & ſua opera accepta* Deo, *propter* Chriſtum *mortuum & exuſcitatum.* Q*uòd autem oleum prudentes alijs denegant, hoc non de auaricia (ut* D.*loquitur* Hieronymus *) ſed de timore reſpondent.* V*nuſquiſq; enim pro operibus ſuis mercedem recipiet: neq; poſſunt in die iudicij aliorum uirtutes, aliorum uitia ſubleuare.* Hic *igitur oleum colligendum eſt, ut ibi cum tempus fuerit, paratũ nobis aſſit. Equidem ſancti* Dei, *ut alienis non nituntur meritis, neq; cõſequentibus quicquam confidunt: ita nemini ſuas uirtutes, ſuaq; opera uendunt.* Et *dant quidem prudentes conſilium, quòd non debeant ſine oleo lampadum ſponſo occurrere : uerùm quia iam emendi tempus exceſſerat, & adueniente iudicij die locus non erat pœnitentiæ, non noua opera parare, ſed præteritorũ coguntur rationem exoluere.* Prudentes *autem fide ac dilectione cum ſponſo ſuo ingrediuntur ad nuptias: ad æterna inquam gaudia.* Et *clauditur mox ianua, quæ tantum patet fidelibus, & per* Chriſtum *introeuntibus.* Q*uod quum minimè putant imprudentes, ueniunt nouiſſimè, &* Domine *domine uociferantur. Egregia quidem (inquit* D. Hieronymus *) in* Domini *appellatione confeſſio, idemq; repetitum indicium fidei eſt. Sed quid prodeſt uoce inuocare, quem operibus neges?* Gra*uiſſimam ergo audiunt ſententiam :* Non *agnoſco uos pro meis, unde non recipiam uos in meorum conſortium.* Non *enim omnis qui dixit mihi,* Do*mine domine, intrabit in hoc regnum cœlorum: ſed qui fecit uolũtatem patris mei qui in cœlis eſt.* Q*ui igitur ſibi optimè conſultum uolunt, monente* Chriſto Domino, *ad exemplum prudentium uirginum uigilent, & in tempore parent ſibi bonorum operũ commeatũ.* H*æc admoneant unumquemlibet ſui officij: ut dum tempus habet, operetur bonum, quia neſcimus diem & horam huius aduentus: qui cum ſubitò extiterit, iam nõ erit amplius tempus benefaciendi, ſed cuiq; ferendum erit præmium pro retrò geſtis.*

CAPVT QVINTVM.

CVm autem uenerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli eius cum eo: tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, & cõgregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis: & ſtatuet oues quidem à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, poſsidete paratum uobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare : ſitiui, & dediſtis mihi bibere : hoſpes eram, & collegiſtis me : nudus eram, & cooperuiſtis me : infirmus eram, & uiſitaſtis me : in carcere eram, & ueniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti, dicentes : Domine, quando te uidimus eſurientem, & pauimus? ſitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te uidimus hoſpitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te uidimus infirmum, aut in carcere, & uenimus ad te? Et reſpondens rex, dicet illis : Amen dico uobis, quamdiu feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & his qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & nõ dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non uiſitaſtis me. Tunc reſpondebunt ei & ipſi, dicentes: Domine, quando uidimus te eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum,

aut infirmum, aut in carcere: & non miniſtrauimus tibi? Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico uobis, quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in uitam æternam.
Lucæ 21. Erat autem diebus docens in templo: noctibus uerò exiens, morabatur in monte qui uocatur Oliueti. & omnis populus diluculò ueniebat ad eum in templo, audire eum.

COMMENTARIA.

Parabolis aliquot Dominus Ieſus diſcipulos ſuos & præmiorum magnitudine, et ſuppliciorum metu extimulauit ad ſtudium Euangelicæ pietatis: ſed idem multo dilucidius fecit extrema narratione, qua breuiter totam iudicij imaginem ſubijcit oculis. Alluſit autem Dominus uerbis, ad illa Danielis 7. Aſpiciebam ergo in uiſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis ueniebat. Et uſq; ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum: & dedit ei poteſtatem, & honorem, et regnum. Sciebat enim, Diuinum uatem hæc de ſe ut filio Dei pronunciaſſe. D.Hieronymus in Danielem. *Gloria igitur illa diuina erit maieſtas, lux immenſa, & potentia ineffabilis. In hac quidem gloria uenturus eſt Chriſtus, ſtipantibus illum omnium angelorũ agminibus. Et in ipſis cœli nubibus ceu in tribunali ampliſſimo conſidens iudex apparebit. Cæterùm in conſpectum illius conuocabuntur omnes totius orbis nationes. Nullus enim hominum, quamlibet excelſus aut humilis, poterit illud iudicium effugere. Simul igitur, ut relicti & uiuentes in illo die immutabuntur, iſti quoq; qui ab exordio mundi obierunt, in propria carne quiſq; reſurget. Et hactenus quidem bonos & malos indiſcriminatim tolerauit Eccleſia. At qui corda ſcrutatur omnium, iudex & Dominus Deus, ſeparabit bonos à malis, impios à pijs: atque duas partes conſtituet. Vniuerſo autem mortalium genere ſic in duos ordines diſtributo, Dominus Ieſus tanquam iuſtus iudex, utriſque rationem proferet ſui iudicij, ut boni cognoſcant quibus officijs promeruerint tantam felicitatem: & mali audiant, quibus culpis commeruerint æterna ſupplicia. Ac dextrum quidem ordinem placido uultu ſalutans: Venite, inquiet, amici mei, quos mundus quidem deſpicatos & execrabiles habuit: ſed pater meus pro honoratis & laudabilibus. nunc pro malis, quæ mea cauſſa perpeſſi eſtis, accipite hæreditatem regni cœleſtis, quod uobis diuino conſilio paratum fuit à Deo, omnium rerum præſcio, ante conditum mundũ. Hic iam quæritur: Si ab exordio mundi uita beata parata eſt ſanctis, quomodo nunc operibus ſanctorum tribui uidetur? Ait enim Chriſtus: Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. Sanè præparauit Deus uitam æternam, & ineffabilia gaudia, nullis hominum bonis operibus præcedentibus. Nam Paulus: Elegit nos in Chriſto, ait, ante mundi conſtitutionem. Sed idem mox adijcit: Vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius, in charitate. Proinde qui gratuitò ſanctis ſuis uitam beatam ab exordio mundi præparauit: idem & à ſanctis poſtulant fidem, innocentiam, charitatem ſeu beneficentiam. Quicunque itaque Dei ſunt, per fidem Dei facti ſunt. Qui autem fidem ueram habent, timorem Dei & charitatem habent. Ita fit, ut in præſenti iudex non dicat, Venite, quia credidiſtis: ſed, Venite quia benefici fuiſtis. Iam uerò delineatur ſanctorum modeſtia & humilitas. Nõ ignorant illi, qua fide fecerint omnia, & quòd omnia bona dona Dei ſunt. hinc non fidunt operibus illis, neque gloriantur in illis: ſed humili animo uoluunt, quod dixit Chriſtus: Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt uobis, dicite: Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus: Lucæ 17. Illud uerò diligenter obſeruandum eſt omnibus pijs, quòd Chriſtus in membris ſuis colitur, idq; ſibi impenſum putat, quod ſuis fidelibus impenditur. Poſtquam autem Dominus Ieſus pijs ipſam iuxta diuinum decretum ſententiam tulit: tum horribili uultu uerſus ad eos qui ſtabunt ad læuam, ſententiam proferet formidabilem: Diſcedite, dicens, à me uos, patri meo mihiq; execrabiles: ite in nunquam extinguendum incendium. Vide autem (inquit Theophylactus) quòd Deus ignem non præparauit hominibus. ſupplicium enim non fecit propter nos, ſed propter diabolum. Vt ergo pij in regno Dei cum Chriſto & angelica turba exultabunt, & in æternum nomen Dei laudabunt: ita impij apud inferos diaboli, omniumq; complicum eius conſortes & ſocij plorabunt, dolebunt'que æternùm, & indeſinentem habebunt pœnam. Quia enim (ut Theophylactus ſcribit) compaſſionis expertes ſunt diaboli, & inimicè erga pios affecti: meritò idem ſupplicium habent qui eiuſdem uoluntatis ſunt, qui & proprijs operibus maledicti facti ſunt. Cum autem inclementiæ & immi-*

ſericordiæ

ſericordiæ eos accuſat, defenſionem parant impij. Verùm hanc non accipit Dominus: ſed ſententia ſemel prolata, irreuocabilis & obſirmata manet. Porrò cum iam inſtaret tempus mortis, Dominus Ieſus exemplo ſuo docuit diſcipulos, tum maximè inuigilandum pijs ſtudijs, quum imminet dies uitæ ſupremus. Proinde interdiu docebat populum: noctu uerò demigrabat in montē Oliueti, quo magis uacaret precationi, qua continenter patrem pro ſalute mundi interpellabat. Populus autem diluculò in templum ueniens, pendebat ab ore Domini.

CAPVT SEXTVM.

APpropinquabat autem dies feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha. Et factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis: Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet: & filius hominis tradetur, ut crucifigatur? Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores, in atrium principis ſacerdotum, qui dicitur Caiphas, & conſilium fecerunt. Et quærebant ſummi ſacerdotes & ſcribæ, quomodo eum dolo tenerent & occiderent: timebant uerò plebem. Dicebant autem, Non in die feſto: ne fortè tumultus fieret in populo. Intrauit autem Satanas in Iudam, qui cognominatur Iſcarioth, unum de duodecim. Et abijt, & locutus eſt cum principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et ait illis: Quid uultis mihi dare, & ego uobis eum tradam? Et illi audientes, gauiſi ſunt: & pacti ſunt, & promiſerunt pecuniam illi dare. Et conſtituerunt illi triginta argenteos: & ſpopondit. Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum opportunè traderet, ſine turbis.

COMMENTARIA.

Quum Dominus Ieſus finiſſet ſermones, quibus tot modis confirmârat animos ſuorum aduerſus afflictiones imminentes, ne planè deijcerentur, quum mox uiderent Dominum ſuum rapi ad ignominioſum ſupplicium: tandem palàm auſus eſt illis aperire diem ac modum mortis ſuæ. Is autem erat dies Paſchæ, qui magna religione celebrabatur apud Hebræos, anniuerſariam memoriam ſibi reuocantes eius diei, quo quondam apud Aegyptios agni ſanguine poſtibus illito liberati ſunt ab angelo interfectore, & incolumes mare rubrum tranſierunt. In huius rei memoriam immolabant agnum anniculum immaculatum, eumq́; ab angeli tranſitu, mariq́; feliciter tranſito uocabant Phaſe: hoc eſt, tranſitus. Cæterùm hæc erat imago Ieſu Chriſti, totum orbem à tyrannide peccati ſuo ſacro ſanguine redempturi, qui ſolus omnium à peccatorum maculis fuit immunis. Porrò quum lex præciperet, ut unum tantum haberent pontificem per omne illius uitæ tempus: illi contra legem multos faciebant, quos quotannis mutabant. Et idcirco ad pontificem illius anni ueniunt, qui dicebatur Caiphas, homo corruptiſſimus. Illic autem impio conſilio decretum eſt, ut non palàm ac ui, ſed dolo Ieſu manus inijcerent, & occiderent. Ergo cum de homicidio conueniret inter malè concordes proceres, conſultatum eſt de tempore. Quanquam enim uehementer ſitiebant ſanguinem innoxium, liuore & odio rabidi: tamen uiſum eſt, in aliud tempus differre cædem, quòd immineret dies ille, præcipuè ſacer ac feſtus Iudæis. Verebantur enim, ne ſi illum aggreſſi fuiſſent eo die quo populus ſolet frequentiſſimè conuenire, tumultus aliquis exoriretur, propterea quòd non pauci eſſent in populo, qui miraculis conſpectis & audita doctrina mirabili, & animaduerſa morum manſuetudine, magnificè de illo ſentirent. Quòd autem ſatanas ipſe Ieſum prius tentauerat, nunc eundem per ſuos miniſtros & organa perſequitur. Occupauit itaque cor Iudæ. Hunc ſola pecuniæ cupiditas, quam contrectarat, huc ueſaniæ perpulit, ut ultrò adiret primarios, ſacerdotes ac magiſtratus (hi Theophylacto uidentur fuiſſe præfecti ædificijs templi, uel etiam cenſores: ut qui curarent ea quæ ad bonum ordinem ſeruandum pertinebant. Præfecerāt enim Romani quoſdam populo, ut non turbaretur: quoniam ſeditioſi erant) tractans cum illis de prodendo in manus ipſorum Ieſu. Nouerat enim hoc illos agitare. Emphaſim uerò habet quod dicit, Vnus de duodecim: ut inde colligamus,

nihil ab omni parte eſſe beatum, cum uidelicet in ſacroſancto Apoſtolorum choro uideamus furem reperiri, & proditorem: item corruptionem carnis, & effectum auariciæ. Nam uictus cupiditate fœdiſſima obliuiſcitur omnium beneficiorum, deſerit Saluatorem, & confert ſe ad turbatores. Infelix Iudas, inquit S. Hieronymus: damnum (inquit) quod ex effuſione unguenti ſe feciſſe credebat, uult magiſtri precio compenſare: nec certam tamen poſtulat ſummam, ut ſaltem lucroſa uideretur proditio: ſed quaſi uile tradens mancipium, in poteſtate ementium poſuit, quantum uellent dare, &c. Atque illi pacti ſunt cum eo triginta argenteis. Tantula mercede ad facinus immaniſſimũ Iudas cõductus, operã ſuam elocat: tanq; uili æſtimatus eſt precioſus ille ſanguis, qui ſufficiebat uniuerſo mortaliũ generi redimendo. Dubiũ uerò eſt, an Siclos Hebræos intellexerit Matthæ⁹ per argenteos, an denarios Romanos. Si ſiclos intellexit, apparet Dominũ diuẽditũ eſſe aureis quindecim: ſi uerò intellexit Denarios, aureis quatuor. Auid⁹ igitur et inhiãs pmiſſæ pecuniæ Iudas, ſtatim ex eo tẽpore captabat opportunitatẽ prodẽdi Ieſum: ſumma diligẽtia quærit opportunũ tẽpus, quo illũ ipſis citra motũ atq; turbã traderet. O' perditiſſimum, omniumq; ſceleratiſſimũ hominẽ.

CAPVT SEPTIMVM.

ANte feſtum diem Paſchæ, ſciens Ieſus quia uenit hora eius ut tranſeat ex hoc mundo ad patrem, quum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, & dicunt ei: Quò uis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha? Et mittit ex diſcipulis ſuis Petrum & Ioannem, dicens: Euntes, parate nobis Paſcha, ut manducemus. At illi dixerunt: Vbi uis paremus? Et dixit ad eos: Ite in ciuitatem ad quendam. Et ecce introeuntibus uobis in ciuitatem, occurret uobis homo, amphoram aquæ portans: ſequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamiliâs domus: Dicit tibi magiſter, Tempus meum propè eſt: apud te facio Paſcha, ubi eſt refectio mea? ubi eſt diuerſorium, ubi Paſcha cum diſcipulis manducem? Et ipſe oſtendet cœnaculum magnum, ſtratum: & ibi parate. Et abierunt diſcipuli eius, & uenerunt in ciuitatem. Euntes autem inuenerunt, ſicut dixit illis Ieſus: & parauerunt Paſcha. Veſpere autem facto, uenit cum duodecim. & cum facta eſſet hora, diſcubuit: & duodecim apoſtoli cum eo. Et cœna facta, cum diabolus iam miſiſſet in cor Iudæ Simonis Iſcariotis, ut traderet eum, ſciens Ieſus, quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum uadit: ſurgit à cœna, & ponit ueſtimenta ſua: & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deinde miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum ſuorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis modò: ſcies autem poſtea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei Ieſus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos: ſed & manus, & caput. Dicit ei Ieſus: Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Et uos mundi eſtis: ſed non omnes. Sciebat enim, quis'nam eſſet qui traderet eum. Propterea dixit: Non eſtis mundi omnes.

COMMENTARIA.

Præfatiunculam præmittit Ioannes rei ſecuturæ, reuera maximæ, paſſioni uidelicet Domini, & ijs quæ proxime mortem præceſſerunt. Sciebat autem, inquit, iam nunc inſtare horam ipſius, fatalem horam ſcilicet: hoc eſt, paſſionis tempus. Quod (ut D. Cyrillus ſcribit) diligentes Euangeliſtæ oſtendunt à Domino fuiſſe præcognitum, ne quis hæreticorum inſurgat, dicens infirmitate ſua traditum, & Iudæorum laqueis irretitũ, crucis patibulum non ſponte ſuſtinuiſſe, &c. Tranſiuit autem Dominus Ieſus corpore per mortẽ, à terris ad cœlos. Quanquã enim ubiq; ſit

pater

pater in cœlo: tamen peculiariter ſe exhibet ſuis uidendum. Vnde, Ad patrem tranſiuit, perinde eſt ac ſi dicat, mortuus eſt, reſurrexit, & aſcendit in cœlum. Dilexit quoque ſuos, qui ſunt in hoc mundo: & dilexit in finem. quia non ignorans (ut D. ſcribit Cyrillus) quot quantaq́ue paſſurus eſſet, libenter propter nos cuncta ſuſcepit. Cum igitur temeritatem Iudæorum effugere potuiſſet, & crucis patibulum: adeò dilexit ſuos, ut nō recuſauerit pro uita omnium mori. Quòd autem perfectiſſima hæc dilectio ſit, ipſum Saluatorem mihi teſtem citabo: Hoc eſt, inquit, mandatum meum, ut diligatis inuicem, ſicut dilexi uos. Maiorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis, &c. Incipiunt porrò iam deſcribere Euangeliſtæ dicta & facta Domini, in ultima illa & maximè memorabili cœna. Deſcripturus uerò Matthæus, quomodo celebrarit Paſcha cum diſcipulis ſuis Dominus: indicat locum, urbem ſcilicet Hieroſolymorum. neque enim licebat ullo alio in loco celebrare Paſcha, ita conſtituente Domino Deut. 16. Proinde quando diſcipuli interrogant, ubi uis paremus tibi Paſcha? nihil dubitant de loco, ſed de domicilio, & hoſpite ad quem diuertant. Et Dominus ſigno quodam dato dirigit illos ad commodum domicilium, ea re demonſtrans, ſe eſſe Dominum cùm omniſcium, tum omnipotentem Dei filium, qui extra urbem poſitus uidet quæ geruntur in urbe, efficitq́; potentia ſua, ut audito uerbo illo diſcipulorum, magiſter ille domus & ædes Domino ſuisq́; aperiat, & omnia ſua eis concedat. Hic igitur edit Dominus Ieſus cum diſcipulis ſuis agnum Paſchalem, iuxta præceptum Dei patris, ac ritum patrum in Aegypto, cum mox eſſent egreſſuri: Exod. 14. Quod autem ſcribitur, Et cœna facta, &c. non ita debemus intelligere (ait S. Auguſtinus) cœnā factam, ueluti iam cōſummatam atq; tranſactam. adhuc enim cœnabatur, cum Dominus ſurrexit, & pedes lauit diſcipulis ſuis. nam poſtea recubuit, & buccellam ſuo traditori dedit, utique cœna nōdum finita: hoc eſt, dum adhuc panis eſſet in menſa. Cœna ergo facta dictum eſt, iam parata ad conuiuantium menſam, uſumq́;. Hæc ille. Cæterùm miſſio iſta, ſpiritalis fuit ſuggeſtio. Immiſit enim diabolus per cogitationem in cor Iudæ proditionē Ieſu. Exiuit autem Dominus Ieſus à Deo: quia filius Dei eſt, genitus à patre ab æterno. Deſcendit autem idem in uterum uirginis, & uerus ex illa homo factus eſt: ac iuxta hanc naturam iuit ad Deum, dum uidelicet iuxta carnē terras relinqueret, & aſcenderet in cœlum. Hæc ſciens licet Ieſus: ſic tamen ſeipſum humiliauit, ut linteo præcinctus diſcipulorum lauerit pedes. Venit ergo ad Simonem Petrum. Certè S. Chryſoſtomus conſtanter aſſerit, Dominū Iudæ Iſcariotæ primū omniū lauiſſe pedes: ſi fortè admiranda illa benignitate & humilitate maxima eum reuocare poſſet à concepto ſcelere, &c. Iam aūt ſerui habitu præcinctus Dominus, peluim geſtans, cum ueniſſet ad Petrum, eiq́; procumberet loturus pedes, exhorruit Petrus inauditum humilitatis exemplū. hinc Domini dignitatem conſiderans, quā ex miraculis & admirabili doctrina utcunque perſpexerat, ac dixit: Domine, quid iſtud eſt rei quod paras? Tu'ne mihi lauas pedes? Dominus ſeruo, magiſter diſcipulo, iuſtiſſimus peccatori ac iniuſtiſſimo? & pedes quidem, uiliſſimam & ſordidiſſimam corporis partem? Cui Dominus: Sine me Petre, reſpondit, quod facio, facere. Non leue eſt, non ocioſum eſt quod ago. Hoc quid ſibi uelit, nondum quidem intelligis: ſed pòſt intelliges myſterium. At Petrus non expendens Domini dicta, magis etiam refugit, dicens: Nunquam patiar, ut tu tantus, mihi tali laues pedes. Reſpondit ei Ieſus: Reclamas inſtituto meo Petre? Atqui aliud eſt quod ago, & quod ceremonia hac ſignifico: ad quid uidelicet conducat aduentus meus in hunc mundū, & paſſio mea quam nunc ſubiturus ſum: ad expiandum uidelicet atq; purgandum peccatorum totius mundi ſordes. Nunc ergo pro indubitata ueritate tibi dico, quòd mei regni nequaquā ſis futurus hæres, niſi te ſic lauero. Petrus aūt, tametſi non intelligebat quid ſibi uellet ſermo Ieſu: tamen cum audiret, fore ut ab illius ſecluderetur conſortio quem unicè diligebat: Domine, inquit, potius quàm abs te diuellar, non ſolùm permitto tibi lauādos pedes, quando ita uis, ſed & manus & caput. Cæterùm ad hæc reſpondens Dominus Ieſus, Petro ait: lotū nō indigere alia lotione niſi pedum, ſed mundū eſſe totum. Sic ſanè loti ſunt, qui ſemel per fidē recepti in gratiam, redemptionis Chriſti participes facti ſunt. Hi enim ex integro plenè ac toti ſunt mundi. In ipſis tamen remanent carnis reliquiæ, ſiue affectus: & hi pedibus ſignificantur. Vt enim corpus pedibus fertur: ita animus ducitur affectibus. S. Auguſtinus: Ipſi, inquit, humani affectus ſine quibus in hac mortalitate nō uiuitur, quaſi pedes ſunt, ubi ex humanis rebus afficimur: & ſic afficimur, ut ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & ueritas in nobis non eſt. Quotidie igitur pedes lauat nobis, qui interpellat pro nobis. & quotidie nos opus habere ut pedes lauemus, id eſt, uias ſpiritalium

greſſuum dirigamus, in ipſa oratione Dominica confitemur, cum dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut et nos dimittimus debitoribus noſtris. Si enim confiteamur (ſicut ſcriptum eſt) peccata noſtra: profectò ille qui lauit pedes diſcipulorū ſuorum, fidelis et iuſtus eſt, qui dimittat nobis peccata noſtra, & mundet nos ab omni peccato: id eſt uſque ad pedes, quibus conuerſamur in terra. Hæc ille. Porrò dicit Dominus, diſcipulos eſſe mūdos, tametſi non omnes. Certè erant illi mundi, non propter uiſibilem pedum ablutionem: ſed propter Chriſti gratiam, qua illos hic complectebatur & purgabat, & illi uiciſſim hunc fide recipiebant. Proditori uerò tum auaritiæ crimen, tum affectionis erga Chriſtum infirmitas inabſtergibiles (utor uerbis D. Cyrilli) peccatorum ingeſſit ſordes. Lauerat etiam huic pedes Dominus: quoniam uerò fide carebat, ideo nihil profuit exterior pedum ablutio, etſi centies illi pedes lauiſſet Dominus.

CAPVT OCTAVVM.

POſtquam ergo lauit pedes eorum, & accepit ueſtimenta ſua, quum recubuiſſet iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me magiſter & domine, & bene dicitis: ſum etenim. Si ergo ego laui pedes ueſtros, Dominus & magiſter: & uos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplū enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis. Amen dico uobis: Non eſt ſeruus maior domino ſuo: neq; apoſtolus maior eo qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Non de omnib. uobis dico: ego ſcio quos elegerim. Sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum ſuum. Amodò dico uobis, antequam fiat: ut cum factum fuerit, credatis quia ego ſum. Amen aūt dico uobis, qui accipit ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me miſit. Et diſcumbentibus & manducantibus eis, cum hoc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus dixit: Amen dico uobis, quia unus ex uobis me tradet, qui manducat mecum. Aſpicientes ergo ad inuicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret, & contriſtati ualde, cœperunt ſinguli dicere: Nunquid ego ſum Domine? At ille reſpondens, ait: Vnus ex duodecim, qui intingit manum mecum in paropſide, in catino, hic me tradet. Filius quidem hominis uadit, ſicut ſcriptum eſt de illo: uæ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Reſpondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego ſum, Rabbi? Ait illi: Tu dixiſti. Et ait illis: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare uobiſcum, antequam patiar. Dico enim uobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter uos. dico enim uobis, quòd non bibam de generatione uitis, donec regnum Dei ueniat.

COMMENTARIA.

Recipit ueſtes ſuas Dominus, quas prius depoſuerat ſuperiores: accumbit rurſus, & magna cum grauitate applicat exemplum ſuum diſcipulis, imò omnibus ſuis fidelibus, & ait: Intelligitiſ'ne quid ſibi uelit, quod omnibus uobis laui pedes? En ediſſeram uobis myſterium. Si ego ueſtros pedes laui, qui uerè magiſter ſum & Dominus: uos qui inter uos fratres eſtis & conſerui, multo magis non grauabimini mutuis officijs inuicem inſeruire. Nam ideo tanto maior exemplum exhibui, ne uos inter pares pigeat imitari, quod ego diſcipulis ac ſeruis exhibui: pudeat'que faſtus & ſupercilij homines, quum ipſe qui angelorum & hominum Dominus ſum, memet uſque ad lauandos pedes ueſtros abiecerim. Iam iterum ſuum urget exemplum, & ita urget, ut nemo poſſit porrò ſuæ ſuperbiæ, ambitioni & neglectui fratrum ullam quantumuis præcellentem dignitatem prætexere. His uerò adiungit præmium maximum, beatitudinem ſcilicet, ſi fecerint quæ didicerunt. didicerant autem, Chriſti gratia & ſanguine purgari credentes, reliquias carnis mortificandos eſſe humilitate, & officijs humanitatis, inſeruiendum omnibus hominibus. Sed hæc, inquit, beatitudo non erit omnium ueſtrûm. Elegi quidem uos omnes: ſed non

ſed non omnes reſpondebunt huius muneris dignitati. His quidem redarguit Dominus Iudæ proditoris ſui ingratitudinem, & impietatem inſanam. Reuelauit Deus illi per filium ueritatem: uerùm ille plus dilexit tenebras, & precium iniquitatis, quàm lucem & ſtudium pietatis. ideo traditus eſt in reprobum ſenſum, quem idcirco Dominus Ieſus nõ agnoſcit pro ſuo electo diſcipulo.* Addit Scripturam, quæ olim protulit, in eadem cum filio Dei menſa futurum qui ipſum ſit proditurus, & quantum in ipſo pedibus conculcaturus. Beatus Cyrillus: Nemo putet, ait, idcirco quæ à prophetis dicta ſunt euenire, ut impleatur Scriptura. Nam ſi ſic eſſet, laudari potius tanquam Scripturæ miniſtri quàm uituperari nequã homines poſſent. Non ergo ut impleatur Scriptura, nec iſta de cauſa facta ſunt à quibuſdam, quæ Scriptura prædixit: ſed contrà, quoniam ita nonnulli ſponte facturi erãt, idcirco præſciens Spiritus ſanctus futura prædixit. Quum igitur facta ſunt quæ prædixit, pignus fidei prædictionem habentes, eum iam cognoſcimus de quo iſta prædicta fuerunt. Hæc Cyrillus. Ait porrò Dominus Ieſus: Iam nunc hoc uobis prædico futurum priuſquam fiat, ut cum uideritis factum quod Scriptura prædixit, credatis me eſſe illum de quo uaticinata eſt: nec quicquam in me temerè geri, ſed diuino conſilio negocium hoc omne temperari. Porrò quum uel à proditoris ipſius inſania ſe eſſe Chriſtum oſtenderit, occultius adhuc, & illi utiliter, ſi quicquam mentis habuiſſet, ſic carpit, ut honorem (utor uerbis D. Cyrilli) atque beneuolentiam omnem ſibi exhibitam in Dei patris perſonam referri aſſerat. Horribile igitur proditoris crimen, qui propter impietatem in filium, in ipſum etiam patrem impius inuenitur. Cum autem hæc dixiſſet Dominus Ieſus, quia uerus homo erat, ac ut Deus cernebat iam horam mortis imminere, uidebatq; coràm, per quem tradendus erat in manus hominum peccatorum: turbatus eſt ſpiritu. S. Auguſtinus: Quia ipſe, ait, traditor iam erat exiturus, ut Iudæos quibus Dominum traderet, adduceret: turbauit eum imminens paſſio, & periculum proximum, & traditoris impendẽs manus, cuius fuerat præcognitus animus. Sub hæc teſtificatur Dominus, id eſt, liberè et apertè loquitur, quoniam nihil mouebatur Iudas modeſta & occulta admonitione, & ait: Vnus nõ è prætorio Pilati, aut ex aula Herodis, aut curia Pontificis, ſed ex uobis, delectis meis diſcipulis, me proditurus eſt. Hic ſermo expergefecit animos diſcipulorum, quos alioqui mœror ingens occupârat. Et uehementer turbati, ſeſe excuſare incipiũt.

Simplex enim probitas ad accuſationem ſcelerum obſtupeſcit, dolet, & cupit ex animo ſe quàm alieniſſimam eſſe ab omni ſuſpicione ſcelerum. Impietas uerò non expaueſcit, nec compungitur: quod in Iudà hoc uidere licet. Solus ſibi conſcius, nec exhorruit, nec pudefactus eſt. Tum Ieſus, ut cæteros propemodum mœrore exanimatos aliquo pacto confirmaret, acriuſque feriret Iudæ (* Pſalm. 41.) conſcientiam, ſi fortè poſſet ad pœnitudinem commoueri, ſigno certiore notauit autorem eius facinoris: Qui intinxit mecum manum in catino, hic me proditurus eſt. O mira Domini patientia, ait S. Hieronymus. Primùm dixerat: Vnus ueſtrùm me proditurus eſt. Perſeuerat proditor in malo: manifeſtius arguit, & tamen propriè non deſignat. Iudas cæteris contriſtatis, & retrahentibus manum, & interdicentibus cibos ori ſuo: temeritate & impudentia qua proditurus erat, etiam manum cum magiſtro mittit in paropſidem, ut audacia bonam conſcientiam mentiretur. Hæc ille. Atque hæc quidem ut acciderent filio hominis, ſic erat præfinitum à patre, ſic prædictum à Prophetis. Hic obijciunt Caiani: Quòd ſi Dei prouidentia ita cõſtitutũ eſt, & Scripturis traditũ: certè nõ uidemus quod peccarit Iudas, qui, quod Deus uoluit, ordinauit, & quod per Scripturas prædixit, fecit. His reſpondens Epiphanius ait: Non quia dixit diuina Scriptura, Iudæi crucifixerunt, & Iudas prodidit Saluatorem: ſed quia traditurus erat Iudas, & Iudæi crucifixuri, ea de cauſa Scriptura prædixit. Non igitur, uelut hi dicunt, ex cognitione futuræ mundo beneficentiæ prodidit Dominum Iudas, & ut nobis cederet in ſalutem: ſed per ignorantiam, & æmulationem, & auaritiam, & Dei abnegationem, & cæt. Abuſa eſt quidem illius impietate ſapientia diuina, ad ſalutem humani generis: ſed non ideo minus nocens ille, qui ſua malitia ad facinus perductus eſt: ſed manet illum pro facto tam impio pœna crudeliſſima, ita ut (dicente Chriſto) bonum eſſet ei, ſi nunquam natus eſſet. Porrò oratione quæ uel pudore ſanare poterat improbum, uel pœna deterrere impium, adeò nõ eſt correctus Iudas, ut impudentiam etiam addens ſceleri, quaſi nullius mali ſibi conſcius rogarit Dominum: Num ego ſum is, Rabbi? At Dominus reſpondens, ait: Quanquam omnino uideri nolis proditor, interim tibi probè conſcius es, tè ad meam admonitionem rectè reſpondiſſe. Et ait ad eos: Ego ſum agnus ille immaculatus, propter cuius cruorem effuſum parcetur generi mortalium. Ergo cum hoc paſcha quod nũc celebramus, poſtremum ſit, et iam uerũ immolandũ, perficiendáq;

daq; ſalus fidelium: gaudeo, imò ingenti deſiderio expetiui illud edere, quo citius deinceps ad ueram progrederer uictimam. Hoc enim affirmo uobis, poſthac non comedam uobiſcum hoc paſcha, iuxta legis præſcriptũ: ſed aliud perfectius paſcha iuxta ſpiritum, perficietur in regno Dei. Nunc adeſt ueritas, & ceſſabit umbra: poſthac ſpirituale & efficax phaſe mihi celebrabitis, cuius eſus uos reddet immortales. Vbi uerò ſinguli guſtaſſent de carnibus agni, porrecto calice dixit eis: Capite, et diuidite hoc inter uos. Illud affirmo uobis, poſthac non bibam de fructu uitis iuxta carnis neceſsitatem: ſed mox aderit regnum Dei. Hæc omnia quæ lex habuit carnalia, ſpiritualiter exhibebuntur. Hactenus figurarum legis eſt finis: adeſt namque ipſa ueritas.

CAPVT NONVM.

COenantibus autem illis, accepit Ieſus panem, gratias egit, & benedixit, & fregit, deditq; diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite. Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, accipiens, gratias egit, & dedit illis, dicens: Accipite, & bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti. Hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro uobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Dico autẽ uobis, quia non bibam amodò de hoc genimine uitis, uſque in diem illum, cum illud bibam nouum uobiſcum in regno patris mei Dei (Et biberunt ex eo omnes.) Veruntamen ecce manus tradentis mecum eſt in menſa. Et filius quidem hominis, ſecundum quod definitum eſt, uadit: ueruntamen uæ homini illi, per quem tradetur. Aſpiciebant ergo ſe inuicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret. Et contriſtati ualde, cœperunt ſinguli cogitare, quis eſſet ex eis qui hoc facturus eſſet? Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis eſt, de quo dicit? Itaq; cum recubuiſſet ſuper pectus Ieſu, dicit ei: Domine, quis eſt? Reſpondit Ieſus: Ille eſt, cui intinctum panem porrexero. Et cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotis. Et poſt buccellã tunc introiuit in eum Satanas. Et dicit ei Ieſus: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat, quia dixiſſet ei Ieſus: Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut egenis ut aliquid daret. Quum ergo accepit ille buccellam, ſtatim exiuit. Erat autem nox. Cũ ergo exiſſet, dicit Ieſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo. Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo, & continuò clarificabit eum.

COMMENTARIA.

Poſtquam typicum Paſcha (inquit S. Hieronymus) fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat: aſſumit panem, qui confortat cor hominis, et ad uerum Paſchæ tranſgreditur ſacramentum: ut quomodo in præfiguratione eius, Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos panem & uinũ offerens fecerat, ipſe quoq; ueritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret. Theophylactus uerò: Porrò dicens, ait, Hoc eſt corpus meum: oſtendit quod ipſum corpus Domini eſt panis, qui ſanctificatur in altario, & non reſpondens figura. Hæc ille in Matthæum. Et in Marcum: Quum benedixiſſet (ſcribit) hoc eſt gratias egiſſet: fregit panem, id quod & nos facimus, preces adiungendo: Hoc eſt corpus meum, hoc inquam quod ſumitis. Non enim tantum figura & exemplar quoddam eſt corporis Dominici panis, ſed in illum cõuertitur corpus Chriſti. Et poſt pauca: Et quomodo, inquit, caro non uidetur? O' homo, noſtrã propter infirmitatem iſtud fit. Quia enim panis quidem & uinum ex his ſunt quibus aſſueuimus, ea non abhorremus: ſanguinem uerò propoſitum et carnem uidentes, non ferremus, ſed abhorreremus: idcirco miſericors Deus noſtræ infirmitati condeſcendens, ſpeciem quidem panis & uini ſeruat, in uirtutem autem carnis & ſanguinis tranſelementat. Hæc Theophylactus. Porrò ſanguinẽ noui teſtamenti dixit Ieſus, opponendo ueteri. Habebat enim (ait Theophylactus) & uetus teſtamentum ſanguinem, quo aſpergebantur & populus &

lus &

lus & liber legis. Deinde teſtamentum reuera legatum illud eſt, quod nobis legauit, promiſit & ordinauit Deus per filium: peccatorum uidelicet remiſsio. Heb. 8. Quoniam autem teſtamentum non niſi in mortuis ratum eſt, ac ſine ſanguinis effuſione non fit remiſsio: ideo mori oportuit filium Dei, & effundere ſanguinem ſuum, ut effuſo innocenti cruore, omnes fideles legatum illud cœleſte acciperent: remiſsionem peccatorum æternam. Lege 8. 9 & 10. cap. Epiſtolæ ad Hebræos. Quod autem Dominus dicit, Non bibam poſthac ex hoc fructu uitis, &c. quidam (teſte Theophylacto) intellexerunt, donec reſurgam. Poſt reſurrectionem enim conuerſatus eſt cum diſcipulis, & comedit & bibit cum eis. ſicut & Petrus dicit ad Cornelium: Qui comedimus & bibimus cum eo poſt reſurrectionem. Actor. 10. Quidam uerò, regnum putarunt futurum ſtatum: bibere autem Dominum nobiſcum, reuelatione myſteriorũ. Cæterùm ut non ſolùm oſtendat Dominus, ſe non ignorare quod euenit, uerumetiam oſtendat ſuam bonitatem, & proditoris malitiam, qui non erubuerit ſecum conuiuari: tunc dicit: Manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Mouens porrò quæſtionem Theophylactus: Quare, inquit, omnibus alijs & Petro ipſo tremente, Ioannes quaſi delicatior recumbit in ſinu Domini? & quare dicit de ſe ipſo, quòd eum diligebat Ieſus? Recumbebat quidẽ primùm, quia præ omnibus alijs diligebatur maximè: deinde ut oſtẽderet, ſe alienũ à crimine ꝑ hoc, quod tam libera illi cũ Chriſto eſſet familiaritas. Et Ioannes inquit: Ille diligebat me, qui propter miſericordiam ſuſceperat me. Et ita magis humilitatis quàm oſtentationis uerbum eſt. Permittit autem ei Dominus, ut recumbat ſuper pectus, mœrorem eius ſoluens, & mitigans turbationẽ mentis illorum, et in ſumma, triſticiam ſopiens. Hæc ille. Porrò Petrus, qui ubiq; inducitur ardens Domini amator, cupidè gliſcit proditorẽ nouiſſe. Cũ autem non ſemel à Domino acerbiora retuliſſet reſponſa, non auſus de proditore percontari Dominum, nutu poſtulauit à Ioanne, ut ipſe ſciſcitaretur. Diſcipulus ergo ille Domino gratiſsimus, ſecretò dixit illi: Domine, quis eſt qui tantum audebit facinus? Ieſus clanculum illi reſpondit: Cui offulã intinctam porrexero. Sicq; perſpicuũ diſcipulis ſuis ſignũ dedit. tinxit enim panem, & dedit Iudæ: leuaturũ calcaneum aduerſus ſe oſtendẽs, qui panẽ illum manducaret. Et tunc impietatis totius princeps, et malorũ omniũ excogitator, in animũ Iudæ penitùs inſilijt. D. Auguſtinus: Prius, inquit, intrauerat, immittendo in cor eius cogitationẽ qua traderet Chriſtum. talis enim iam uenerat ad cœnandum. nunc autem poſt panem intrauit in eum, non ad hoc ut alienum tentaret, ſed ut proprium poſsideret. Hæc Auguſtinus. Nemo aũt putet, panem à Chriſto exhibitum Iudæ, cauſam fuiſſe ingreſſus in ipſum Satanæ. Perfidia & impietas Iudæ diabolo merum contradidit imperium: Chriſtus ſalubri panis oblatione infelicem monere uoluit, ne uiolaret & religionem menſæ & iura amicitiæ. Quod autẽ ait Dominus Ieſus Iudæ, Quod facturus es, fac citius: nõ eſt adhortantis ad perditionem (ait Theophylactus) ſed exprobrantis; & permittentis ei ad proditionem uenire. quaſi dicat: Ecce, reliqui te facere quod uis: non impedio tuam mentem, non retineo te ultrà. Video te ſemel inſtituiſſe rem fœdiſsimam, nec eam tibi poſſe eximi. omnino perire uis: age pereas tua culpa, licebit. Porrò accumbentium nemo, quorſum hoc dicti pertineret, intelligebat. Quidam ergo ſic interpretabantur uerba Domini, quaſi iuſſerit Iudam uel emere aliquid earum rerum quibus ad celebrandum diem feſtum opus erat: uel erogare aliquid egenis, eo quòd crediti ei erant loculi. Cæterùm Iudas accepta buccella, ac cernens iam conceptum ſcelus diutius latère non poſſe, præſertim cum apertius iam ageret Dominus: diſsimulato Domini dicto, protinus exiuit è conclaui. Erat autem nox, tempus arguens mentem illius auariciæ tenebris excæcatam, qui ſe ſubduceret à luce, & ad opus principis tenebrarum adeò feſtinaret, ut nec temporis intempeſtiuitate commotus, facinus conceptum prorogaret. Submoto igitur illo qui ſe fecerat hoc indignum contubernio, Ieſus multa loqui cœpit diſcipulis ſuis, quæ partim illos conſolarentur confirmarentq;, partim aduerſus tempeſtatem armarent. Ac primùm ſignificauit, mortem ſuam inſtare: quæ licet iuxta mundum ignominia plena uideretur, tamen patris ſimul & ſuam gloriam eſſet illuſtratura. Beatus Cyrillus: Conſummatio, inquit, gloriæ in morte ſita eſt, quam pro uita mundi ſuſtinuit, per quam reſurrectionis modus innotuit. Factus ergo patri obediens uſque ad mortem crucis, exaltatus rurſus eſt, nomen ſupra omne nomen accipiens. Et ſic exaltatus eſt, ut Deus uerus & uerus Dei filius eſſe demonſtretur. Filio autem clarificato, Deus etiam pater in filio clarificatus eſt: non quia gloriæ clarificationiſque adiectio illi acceſsiſſet (non enim indiget his rebus natura ineffabilis) ſed quia clarum hominibus factum eſt, cuius filij pater ſit. Hæc diuus Cyrillus.

CAPVT DECIMVM.

FActa eſt autem & contentio inter eos, quis eorum uideretur eſſe maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici uocantur. Vos autem non ſic. ſed qui maior eſt in uobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis maior eſt: qui recumbit, an qui miniſtrat? Non'ne qui recumbit? Ego autem in medio ueſtrûm, ſum ſicut qui miniſtrat. Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono uobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Filioli, adhuc modicum uobiſcum ſum. quæretis me: & ſicut dixi Iudæis, quò ego uado, uos non poteſtis uenire. Et uobis dico modò: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis uos inuicem, ſicut dilexi uos. In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò uadis? Reſpondit Ieſus: Quò ego uado, non potes me ſequi modò: ſequêris autem poſtea. Dicit ei Petrus: Quare non poſſum te ſequi modò? Animam meam pro te ponam. Reſpondit Ieſus: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges. Ait autem Dominus Simoni: Simon, ecce Satanas expetiuit uos, ut cribaret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Qui dixit: Domine, tecum ſum paratus & in carcerem & in mortem ire. Et ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges me. Et dixit eis: Quando miſi uos ſine ſacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit uobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram: & qui non habet, uendat tunicam ſuam, & emat gladium. Dico enim uobis, quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea quæ ſunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hîc. At ille dixit eis: Satis eſt.

COMMENTARIA.

Quoniam Dominus Ieſus in cœna meminerat de regno Dei, incidit inter diſcipulos adhuc infirmos, & carnem ex parte ſapientes contentio, quis à morte Domini primatum haberet in regno Dei? Dominus autem pro ſua bonitate et miſericordia, non abijcit prorſus & condemnat ſuos diſcipulos: ſed fert eos ſpiritu lenitatis, dicens: Nolite tale *quippiam imaginari in regno cœlorum, quale uidetis in regnis mundanis. longè aliud regni genus eſt quod beneficijs conſtat, non ui: ſpiritualibus præſidijs obtinetur ac defenditur, & non uiolentia. Principes huius mundi magnificis titulis honorantur à populo, quòd poteſtate ſua premant inferiores: inter uos autem quos inſtituo ad regnum Euangelicum, longè diuerſa erit ratio. Quo quiſque maior erit inter uos, hoc minus ſibi uindicabit uiolentæ poteſtatis aut gloriæ. In hoc regno futurus eſt ordo: ſed is qui delectus eſt ad primatum, alijs dux ſit ad pietatem: adeò ſeruiet omnium commodis, ut uideatur miniſter eſſe potius quàm princeps. Ducit autem eos (ait Theophylactus) exemplo ſuo ad humilitatem, dicens: Ego, quem omnis ratio & angelica creatura adorant, in medio ueſtri miniſtro. Et neque ego uni quidem ſeruiui, alteri autem non ſeruiui: ſed omnibus uobis. Omnes igitur unum & idem ſentiatis: &c. Porrò ne hac doctrina & inſtitutione ſatis graui deijcerentur, erigit rurſum mentes ipſorum, præmio fidelibus Dei miniſtris in cœlis parato: Hactenus, inquit, mecum permanſiſtis in afflictionibus meis, quibus pater cœleſtis uoluit ſpectatam eſſe meam obedientiam. Quòd ſi perſtiteritis iſthoc animo, nec uos piguerit imitari meam humilitatem: ego uos transferam in regnum illud cœleſte, quod parauit & decreuit mihi pater meus. Ego profectus ad regni dignitatem, uobis mea ueſtigia ſectantibus parabo regni conſortium, ut qui hic geſſiſtis uos omnium miniſtros, ſedulò diſpenſantes doctrinam Euangelicā, in regno illo uelut honorabiles filij Dei accumbatis ad*

tis ad

tis ad menſam meam, & uelut primores ſedeatis, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Hæc figuratè locutus eſt Dominus Ieſus, ſermonem ſuum ad ruditatem diſcipulorum ſuorum attemperans. Nam qui cum regibus cœnant, uidentur primos honores ſortiri. Comedere ergo & bibere dixit (teſte Theophylacto) non quaſi edulia illinc ſint poſita, neq; quaſi ſenſibile quoddam regnum ſit. Ipſe enim per ea quæ Sadducæis locutus eſt, docet, quòd conuerſatio quæ illic, angelica ſit, &c. Ait porrò Dominus: Filioli mei, ne uos exanimet mea mors: quæ tametſi uidetur infirmitatis eſſe, tamen erit potentior mea uita: tametſi uidebitur ignominioſa, tamen illuſtrabit gloriam & meam & patris: tametſi uidebitur abolitio mei, tamen ſalutem adferet & uobis & uniuerſo mundo. Expedit igitur uobis, ut hoc corpus ueſtris oculis ſubducatur. Iamq; inſtat tempus, ut id fiat. Mox enim diuulſum à uobis impiorum manus me capiet, & trahet ad mortem. Vos miro mei deſiderio tenebimini: ſed in præſentia non poteritis conſequi. Iam quia diſceſſurus erat à diſcipulis Dominus, paucis totam uiuendi regulam præſcribit, omnes ad charitatem reuocans. Charitatem autem non ideo appellat nouum mandatum, quòd hactenus fuerit inauditum: ſed quia præclarum, illuſtre & precioſum: uel quòd per Chriſtum innouatum ſit. Quomodo autem? Sic ſanè, quemadmodum ipſe dicit: Veſtram ſalutem amaui, & amaui gratis, & uſque ad mortem amaui. Siquidem hanc animam uolens impendo pro uobis. Cæterorum magiſtrorum diſcipuli, titulis, cultu, uarijsq; obſeruatiunculis dignoſcuntur. nihil iſtarum rerum à me didiciſtis, nihil tale à uobis exigo. Vna nota cognoſcent omnes in orbe homines, quòd ueri & genuini mei ſitis diſcipuli: ſi talem charitatem mutuam inter uos retinueritis, qualē ego uobis præſto. Hoc autem à beatis Ieſu diſcipulis factitatum legimus, qui uitam propriam contempſerunt, omnem laborem, omne periculum ſubierunt, ac demum etiam mortui ſunt, ut hominū animas à perditione liberarent. Porrò interrupit cœptam orationem Domini apoſtolus Petrus. Cum enim non intelligeret, quò pertineret illud Domini dictum, Quò ego uado, uos non poteſtis uenire: rogat Dominum, quò ſit abiturus? Reſpondit Dominus: moriturum quidem ſe, Petrum uerò nunc non moriturum: ſed poſtea, ſuo tempore. Petrus autem, qui totus flagrabat amore Domini ſui, magnificè pollicetur Domino. Dominus uerò: Quid ais, inquit, Petre? quàm magnifica de te polliceris? Hæc dicis, quia futuras te ferre poſſe tentationes opinaris. Illud certiſſimum habeto, incumbent impetu magno: quo tu uictus, priuſquam gallus hac nocte cantet, ter me negaturus es. His uerbis cohibuit Dominus Petri magniloquentiam, licet ex amoris magnitudine proficiſcentem: ſimulq; cæteros admonuit, ut in periculis non fiderent uiribus ſuis: ſed intelligerent uirtutis muneriſq; eſſe, ſi quid huiuſmodi præſtarent. Vbi uerò ampliſſima promiſit Dominus diſcipulis ſuis, de periculis imminentibus, diaboliq; artibus & improbo ſtudio uaticinatur, certè in hunc finem, ut humiliores eſſent, & fidelius precarentur, uigilarentq; diligentius. Et quòd ingeminat Simonis nomen, uehementiam & affectum fideliter monentis habet ac ſpirat. Ait igitur: Ecce, Satanas expetiuit uos ſtudio, ut uentilet uos, cribretq; ueluti triticum, diſſipaturus ſi poſſit. Et facturus erat, ſi ueſtræ imbecillitati fuiſſetis relicti: ſed ego deprecatus ſum patrem pro te Petre, ut quamuis uacillatura ſit fides tua, non deficiat tamen. Et tu à malo ad bonū, à Satana ad me conuerſus, confirma eâdem imbecillitate lapſos, neque unquam deſperent. Diſcant à te Petre, pœnitere, & gratiæ & miſericordiæ diuinæ non diffidere, omnes qui uſque ad conſummationem ſeculi futuri ſunt fideles. Petrus his auditis, adhuc fidens ſuis uiribus, reſpondet: Domine, quam defectionem aut quam conuerſionē mihi narras? Imò quemadmodum hactenus non deſerui te, ita nec poſthac unquam ſum deſerturus, adeò ut paratus ſim tecum extremum adire periculum capitis. Dominus autem ubi uidit eum temeraria loqui (oportebat enim, inquit Theophylactus, ſemel audita ueritate, quæ ei dicebat quòd tentandus eſſet, non reluctari) manifeſtat ei tentationis ſpeciem, nempe negationem. Hocq; loco diſcimus, quòd nō ſufficiat propoſitum abſque ſubſidio Dei. Cæterum in principio quidē prædicationis (inquit Theophylactus) mittens diſcipulos Dominus in caſtella & ciuitates, etiam abſque neceſſarijs dimiſit. Illorum enim curā gerens tanquam infirmorum, faciebat eis omnia affluere abundè, citra ipſorum curam. Nunc autem ait, opus eſſe eis ut curent ea quæ uirorum ſunt, & prouideant ſibi ipſis. Hæc autem dicit, non ut omnino gladijs ſint accincti: ſed ſignificans bella & pericula, & docens ut ad omnia præparati ſint. ait ergo: Ex hoc tempore peras geſtate: hoc eſt, ſic affecti eſtote, & curam habete, ut eſuriem habituri. Et gladiū emite: hoc eſt, prouidete uobis ipſis, tanquam hi qui in bella & prælia multa incident. eſt enim tempus periculorū & cædium. Nam ego magiſter ueſter ad mortem abducor, neq; ad glorio-

ſam: ſiquidem implebitur in me, quod futurũ prædixit olim Eſaias, dicens: Et cum iniquis deputatus eſt. Iam enim inſtat tẽpus, ut quicquid de me prædictum eſt à Prophetis, *perficiatur*. Hunc *ſermonem cum non intelligerent diſcipuli, exiſtimarunt omnino opus eſſe gladijs: ſed illud tantum uerentur, duos gladios non ſuffecturos ad eam pugnam*. D. *Ambroſius tropum in his uerbis eſſe autumat. Mouet tamen adhuc, quòd duos gladios diſcipuli protulerunt: ne fortè unum noui, alterum ueteris ſit teſtamenti, quibus aduerſus diaboli armamur inſidias. Quidam autem (teſte* Theophylacto) *Dominũ ironicè dixiſſe uoluerunt, Satis eſt. quaſi dixerit: Quia duo ſunt, omnino multi ſunt: & ſufficiunt nobis contra multitudinem, quæ uenit ſuper nos. Quid uobis uidetur?*

CAPVT VNDECIMVM.

ET ait diſcipulis ſuis: Creditis in Deum, & in me credite. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Si quo minus, dixiſſem uobis: quia uado parare uobis locum. Et ſi abiero, & præparauero uobis locum, iterum uenio ad uos, & accipio uos ad me ipſum, ut ubi ego ſum, & uos ſitis: & quò ego uado, ſcitis, & uiam ſcitis. Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quò uadis: & quomodo poſſumus uiam ſcire? Dicit ei Ieſus: Ego ſum uia, ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem, niſi per me. Si cognouiſſetis me, & patrem meum utique cognouiſſetis: & amodò cognoſcetis eum, & uidiſtis eum. Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. Dicit ei Ieſus: Tanto tempore uobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui uidet me, uidet & patrem meum. quomodo tu dicis, Oſtende nobis patrem? Non credis, quia ego in patre, & pater in me eſt? Verba quæ ego loquor uobis, à meipſo non loquor: pater autem in me manens, ipſe facit opera. Non creditis, quia ego in patre, & pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite. Amen amen dico uobis: Qui credit in me, opera quæ ego facio, ipſe faciet, & maiora horum faciet: quia ego uado ad patrem. Et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.

COMMENTARIA.

Dixerat Dominus *conſtanter, Petrum una nocte ter negaturum: unde conijcere potuerunt diſcipuli, nouam quandam & atrocem imminere tempeſtatem. toti ergo conciderant animis, ac ualida conſolatione opus habebant. Hanc inſtituens* Dominus, *ait: Erunt quidem hæc omnia quæ prædixi: Verùm non eſt quòd ob ea deſpondeatis animum, aut perturbemini. Si fidem ueſtram uerè in Deum fixiſtis, ſeruabit ille uos. Quòd ſi illi uerè fiditis, mihi quoque debetis fidere. Qui enim in Deum credit, in me quoque credit, qui ſum Deus uerus, unius cum patre eſſentiæ, poteſtatis, & gloriæ. Cæterùm domus patris eſt ipſa cœlorum regia, in qua ſe uidendum exhibet beatis. Manſiones multas ad imitationem rerum humanarum dixit, quaſi cœlum ſit regium & auguſtum aliquod palatium, quod manſionibus multis & amœnis ſit inſtructum, ad habitationem hoſpitum*. S. Auguſtinus *hinc colligit diuerſitatem præmiorum in futuro ſeculo. Has quidem parauit* Deus *pater, quas ut hæreditate genus hominum aſſequeretur, condidit hominem. Hic uerò propter peccata ſuo ipſius uitio admiſſa excidit ſpe ampliſſima, & eiectus eſt in exilium: præterea occluſum eſt ei ipſum cœlum. Deſcendit filius* Dei *è cœlis in terras, ut moriens tranſiret de hoc ſeculo, atq; de exilio reduceret homines in æternam illam patriã. Ideoq; dicit Dominus Ieſus: Vado paraturus uobis locum. Quod uerò ait, Iterum ueniam, & aſſumam uos ad meipſum: beatus* Cyrillus *interpretatus eſt de ſecundo Chriſti in mundum aduentu. Sic enim ſcribit*: Non abibo, *inquit Dominus Ieſus, manſiones paraturus quæ multæ ſunt: ſed uiã innouaturus, quam propter peccatum amiſiſtis, ut per eam ad angelorum conſortia conſcendere poſſitis. Quod cum fecero, & ſuperiora inferioribus coniunxero, ac planum iter in ſupremam ciuitatẽ uobis cõſtruxero: iterum ueniam regenerationis tempore, & accipiam uos mecum, ut ubi ego ſum, & uos ſitis, &c. Et ænigmate quodam indicarat* Dominus, *ſe proficiſci ad patrem: ſed per mortem crucis*. Hoc *diſcipuli neſcire non poterant, toties auditũ à* Domino: *ſed mœror et obliuio faciebant, ut quod ſciebãt neſcirẽt. Hinc* Thomas *cõpellebat*

Domi-

Dominũ,ut apertius diceret,quò nam eſſet abiturus. Dominus Ieſus autẽ: Qui fit,inquit,Thoma, ut neges te noſſe uiam? Iam dixi me redire ad patrem: ad hunc,aditũ ſolus ego omnibus aperio. Et quoniam ad hunc factis Deo dignis peruenitur, in me habetis exemplũ:tum autem quoniam ſine fide nemo peruenit ad patrem,ex me didiciſtis ueritatem. Quòd ſi interim perturbat animos ueſtros formido mortis, ſcitote certam uobis immortalitatem eſſe,quum ego ſim uita. Verùm quoniam additur,neminem ire ad patrem, niſi per Chriſtum, exponens D.Cyrillus: Qui filium,inquit,ut uerè filium ſuſcipit, is ad cognitionem patris cõſcendit. nunquam enim filius eſſe intelligitur, non intellecto patre. Nam ut ad cognitionẽ filij cognitio patris facit:ſic ad cognitionem patris,filij concurrit cognitio,&c. Iam ut confirmaret ſuos in fide, ſignificantius Ieſus diſcipulis indicat,ſe eſſe Deum & patri æqualem:Si cognouiſſetis me,inquit,plenè & uerè,utique & patrem cognouiſſetis. In me enim cognoſcitur illius diuinitas,æternitas,potentia,iuſticia:quando in me operatur opera, quæ æternitatem & maieſtatem ipſius teſtantur. Hinc D.Cyrillus:Non tantummodò,inquit,nuda mentis agnitione uitam eſſe patrem cognouimus, mortuos uiuificantem in filio, & corruptos ad eſſe iterum reducentem: ſed uidimus ipſum in filio uitam naturaliter eſſe,& omnia illi eſſe ſubiecta,quando mari et uentis cum ſuprema poteſtate increpãs dicebat:Tace,obmuteſce. Hæc ille. Porrò hæc myſteria nondum aſſequebatur Apoſtolorum ruditas. geſtiunt igitur uidere patrem: imaginantes ſic poſſe conſpici patrem,quemadmodum conſpiciebant filiũ. Philippus itaq; cæteris auidior diſcendi:Domine,inquit,ais nobis uiſum eſſe patrem: imò hoc utinam nobis largiaris, omnes nos gaudij plenos profitebimur, nec deeſſe ad beatitudinem nobis quicquam arbitrabimur,ſi (quod maximè optamus) Deum patrem uidebimus. Iſtam admodum rudem Philippi poſtulationem Dominus corrigẽs, dicit:Philippe,tantũ iam temporis uobiſcum uerſor,& nondum cognouiſti me? Non ideo me noſti,quia faciem uides:ſed quoniam uirtutem ac ueritatem meam intelligis. Hæc non uidetur oculis corporeis,ſed animo cernitur. Multa edidi miracula, multis docui me æqualem eſſe patri, adeoq; eundem cum patre natura,poteſtate,eſſentia,gloria. Proinde hoc tibi pro certo confirmo,quòd qui me uidit, ipſum patrem uidit. An nondum credis quod inſeparabili naturæ, uoluntatis, & uirtutis conſortio pater in me eſt, & ego in patre? Quicquid loquor,ex illius animo loquor:quicquid facio, ex illius facio ſententia. Profert autem Dominus uerba & opera,ac ſimpliciter docet, utraq; illa ſe communia habere cum patre: adeoq; ea non ex humana facultate, ſed diuina potentia facere. Ab operibus autem ſuis mirificis,quæ ipſe facit uirtute patris,deſcendit ad ea quæ faciunt ſancti,ſed uirtute & nomine Ieſu. Hoc ſanè factum ipſa Apoſtolorum acta teſtantur. S. Auguſtinus: Sed quæ ſunt tandem iſta maiora,inquit? An fortè,quòd ægros,ipſis tranſeuntibus,etiam eorum umbra ſanabat? Maius eſt enim,ut ſanet umbra quàm fimbria, &c. In 19. Acto. cap. de Paulo ſcriptura commemorat, dicens: Ac uirtutes non uulgares edebat Deus per manus Pauli,ita ut etiam ſuper infirmos deferrentur à corpore eius ſudaria et ſemicincta, & recederent ab eis morbi,& ſpiritus mali egrederentur. Iam Dominus: Ideo,inquit, maiora deſignabitis miracula, quia aſcendo ad patrem in gloriam, ut inde in uos transfundam uirtutem cœleſtem, quæ operetur & perficiat in uobis maxima quæq;. Annotauit hic quoq; D. Chryſoſtomus, quòd nõ dixit Chriſtus, Vt glorificem patrem: ſed, Vt glorificetur in me pater. ait enim: Cum filius magna poſſe apparet, in eo pater glorificatur. Sed quid eſt in nomine meo? Quod Apoſtoli dicebant: In nomine Ieſu Chriſti ſurge, & ambula. Quæcunq; enim ipſi operabantur, eorum author erat Chriſtus,& manus Domini erat cum illis. Quòd uerò Dominus ſuſcepturum orationes ſuorum ſe dicit,omniaq; conceſſurum ſe eis quæ petant (ſpiritales ſcilicet petitiones,et à ſuperna maieſtate nõ alienas) liquidò ſe Deum uerum eſſe oſtendit. non enim aliena ut miniſter,ſed ſua ſe daturum pollicetur. omnia ergo per ipſum ex patre ſunt.

CAPVT DVODECIMVM.

SI diligitis me, præcepta mea ſeruate: & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis,ut maneat uobiſcum in æternum,ſpiritum ueritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non uidet eum,nec ſcit eum: uos aũt cognoſcetis eum,quia apud uos manebit, & in uobis erit. Non relinquã uos orphanos,ueniã ad uos. Adhuc modicũ, & mundus me iam nõ uidet:uos aũt uidetis me, quia ego uiuo, & uos uiuetis. In illo die uos cognoſcetis, quia ego ſum in patre meo, & uos in me,& ego in uobis. Qui habet mandata mea,

& ſeruat ea, ille eſt qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Dicit ei Iudas, non ille Iſcariothes: Domine, quid factum eſt, quia nobis manifeſtaturus es teipſum, & non mundo? Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Si quis diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum ueniemus, & manſionẽ apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus: ſed eius qui miſit me, patris. Hæc locutus ſum uobis, apud uos manens. Paracletus autem, ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & ſuggeret uobis omnia, quæcunque dixero uobis. Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis: non quomodo mundus dat, ego do uobis. Non turbetur cor ueſtrum, neque formidet. Audiſtis, quia ego dixi uobis: Vado, & uenio ad uos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia uado ad patrem: quia pater maior me eſt. Et nunc dixi uobis priuſquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar uobiſcum. uenit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoſcat mundus, quia diligo patrem: & ſicut mandatũ dedit mihi pater, ſic facio: ſurgite, eamus hinc. Et hymno dicto, exierunt.

COMMENTARIA.

Cum petituris omnia ſe largiturum pollicitus ſit, nec falſò hæc ſibi dicta eſſe uideantur (multi enim in eius nomine petunt, & non accipiunt) pauciſſimis ſtatim uerbis expoſuit Dominus, *quibus hæc facta pollicitatio eſt.* Diligentibus *ergo ſeipſum, & præcepta ſua obſeruantibus, gratia ſolummodò ſpiritualium bonorum conceditur*. His *apponit, dicens:* Ego *quidem uobis breui tempore patrocinatus ſum. nunc enim abeo ad patrem, & deſtituam uos præſentia corporali: ſed alium aduocatum dabit uobis pater. Quod autem ait,* Vt *maneat uobiſcum in æternum: dicit, conſolãs eos.* Non *enim ita inquit: temporaria erit eius conſuetudo uobiſcum, ut mea (uerbis utor* Theophylacti*) ſed uſque in æternum durabit, neque deficiet, cum uos mortui fueritis: ſed ſimul permanebit, & glorioſiores reddet, &c.* Porrò *per mundum intellexit filios huius ſeculi, homines incredulos, & uoluptatibus deditos.* Cum *huiuſmodi nihil commercij eſt* Spiritui *ſancto, ueritatiſq́;, nec ipſi cum illo quicquam habent negotij: quia nõ uident eum, nec cognoſcunt eum.* Craſſi *ſunt, unde ſpiritualia cœleſtiaq́; dona nec intelligunt, nec cupiunt.* Vos *autem cognoſcitis eum, inquit.* Fuit *enim in pectoribus diſcipulorum ſtudium pietatis & religionis, puritatis et ſanctimoniæ. commodam ergo ſedem ſibi nactus* Spiritus *ſanctus, coniunxit ſe ſpiritibus ipſorũ, ac totos ſibi uendicauit.* Ait *porrò* Dominus *diſcipulis ſuis:* Nõ *eſt quod exanimetur cor ueſtrum filioli.* Quanquam *enim ad tempus abeo, nec mortalis cum mortalibus uicturus ſum: tamen nec interea relinquam uos mei ſolatij deſtitutos.* Exiguum *tempus eſt, quũ me mundus hic nõ uidebit.* Mors *enim & ſepulchrũ ſubtrahet me cõſpectibus illorũ: uobis tamẽ me rediuiuum exhibebo.* Viuam *enim etiã poſt mortẽ: et nõ ſolùm ipſe uiuã, ſed etiã uobis uitã perennẽ conferã.* Tum *plenius intelligetis, quemadmodũ nulla res diuellere poteſt à me patrẽ, nec à patre me: ita me quoq; uobis ſic agglutinatũ eſſe mutua charitate, uoſq; uiciſſim mihi, ut nec mors nos poſſit diſtrahere.* Quod *autem paulo ſuperius propoſui, repeto, ac denuò uos fideles adhortor per charitatem, ad obſeruationem eorum quæ hucuſq; commendaui.* Veram *charitatem arguet obſeruatio præceptorum meorum.* Nec *enim ex animo diligit, qui iuſſa negligit* Domini *ſui.* D. Cyrillus: *Habet, inquit, mandata, quicunq; fidem ſuſcepit, & tenaci memoria candidam* Euangelicorum *præceptorum cognitionem retinet: ſeruat autem, ſi ſecundum ea uiuit.* Ita *perfectus eſt pietatis alumnus, qui fide atq; operatione ſanctè in* Chriſto *uiuere cognoſcitur, etc.* Huic *autem magna pollicetur* Ieſus: In *æterna, inquit, illa patria me ipſi glorioſum, & talem qualis reuera ſum, lux et ſatietas omniũ gaudiorũ, exhibebo: interim dona illi mea augebo, ut ſubinde rectius & plenius regni* Dei *myſteria intelligens, pleniſſima tandẽ fide mihi cõiungatur.* Cæterùm Iudas, Lebbæus *cognomento, cũ nõ ſatis intellexiſſet ſermonem* Domini *(opinabatur enim, ut* Theophylacto *uidetur,* Dominũ *ſic appariturũ amicis, quẽadmodũ lemures ac ſpectra nocturnis tenebris ſeſe nõnunquã offerũt: aut quẽadmodũ in ſomnijs uiſa quædã occurrũt) præ multa admiratiõe et ſtupore:* Domine,

mine, inqt, quid accidit, quod quũ nunc omnib. ſis cõſpicuus, tunc nõ ſis appariturus mũdo, ſed nobis duntaxat? Ad hanc quæſtionem reſpondens Dominus, ait: Corporalis coniunctio finem habeat oportet, ut contemptis his quæ temporaria ſunt, ea conſueſcatis diligere quæ ſunt æterna: & nos inuiſibili modo, ſed efficaci ueniemus ad uos, pectoris ueſtri templum inhabitaturi gratia atq; uirtute. Quum autem dixerit, non ſuum eſſe ſermonem: non in quantum uerbum ac Deus, ſed in quantum ſerui formam habebat, hoc dictum eſt. Et ne humanitùs traditam Euangelij doctrinam arbitremur, ne'ue à Deo hanc diſciplinam ſeparemus, ſed Deo eam attribuamus: optimo diſpenſationis modo (utor uerbis D. Cyrilli) quia in ſerui habitu cernebatur, diuinæ naturæ per perſonam patris ſermonem attribuit, ex quo & in quo ſecundum naturam eſt ut uerbum & ſplendor eius, & ſubſtantiæ ſuæ perfectiſſimus character. Porrò: Hæc locutus ſum uobis, ait, apud uos manens: utiq; præſentia corporali, qua cum illis uiſibilis loquebatur. Illa itaq; manſio (ut S. inquit Auguſtinus) alia eſt, quam promiſit futuram: hæc uerò alia, quam præſentem eſſe teſtatur. Illa ſpiritalis eſt, atq; intrinſecus mentib. redditur: hæc corporalis, forinſecus oculis atq; auribus exhibetur. Illa in æternum beatificat liberatos: hæc in tempore uiſitat liberandos. Secundum illam Dominus à dilectoribus ſuis non recedit: ſecundum hanc it & redit. Hæc ille. Cæterùm quoniam obſcura erant diſcipulis quæ dicebantur, & alia quidem non intelligebant, & de alijs multum dubitabant: liberat eos à turbatione, dicens: Paracletus obſcura et intellectu difficilia, cognita uobis faciet. Igitur de diſceſſu non oportet uos eſſe triſtes, qui tanta uobis bona, tantamq; uobis ſapientiam afferet. Subinde autem (inquit Theophylactus) paracletum nominat, propter continuas ipſorum afflictiones, bono illos animo eſſe faciens, quòd ab ipſo refocillandi eſſent. Quod autem dicit, In nomine meo: oſtendit ſpiritum nihil alienum ab ipſo docturum, neq; propriam opinionem ſibi uindicaturum: ſed in eius nominis gloriam uenturum, etc. Videns porrò Dominus Ieſus, turbari corda diſcipulorum, & maximè propter afflictiones imminentes, & certamina: Quid nocebunt, ait, uobis mundi turbationes, quum mecum pacem habeatis? Non enim talis eſt pax mea, qualis mundi, quæ ſæpe in malo fit, & planè ſtulta eſt: ſed ego talem do, ut & inter uos pacem habeatis, & unum corpus ſitis. Hoc autem fortiſſimos omnium uos faciet, etiamſi multi contra uos inſurgent, nihil patiemini, cõcordia paceq; mutua muniti. Quia autem uidit Dominus, Apoſtolos non plenè reſurrectionem ſuam ſperare, neq; ſcire quid eſſet, & propterea ualde mœrere ac turbari, ut priuandos ipſo: attemperans ſe illorum infirmitati, dicit: Quia ego dixi uobis, uado & iterum ueniam: adhuc tamen triſtes eſtis, & mihi non fiditis. quamuis enim moriar, etiam in afflictionibus non relinquam uos. Nunc ergo cum audieritis, quod ad patrem meum uado, qui magnꝰ uidetur, et me maior: deberetis gaudere, quòd ad illum eo, qui me maior, & omnia dura poterit auferre. Quid uerò ſit, Pater maior me eſt: docet S. Auguſtinus, dicens: Cum in forma Dei eſſet Chriſtus, ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens. non ergo amittẽs illam, ſed accipiens iſtam, eo modo ſe exinaniens, quo hic minor apparebat quàm apud patrem manebat. Forma quippe ſerui acceſſit, nõ forma Dei receſſit: hæc eſt aſſumpta, non illa conſumpta. Propter hanc dicit, Pater maior me eſt: propter illam uerò, Ego & pater unum ſumus. Hæc ille. Iam nolite, inquit Chriſtus, in Prophetarum conditionem me ponere. Nam illi, quoniam nudi homines erant, à morte detenti ſunt: ego uerò cum Deus ſim, ſecundum naturam detineri à morte nequeo. mittam igitur paracletum, quo illuminati, cum patre me in cœlis ſedere firmiter credatis. Poſthac mortalis cum mortalibus non multa loquar. Adeſt enim per ſuos ſatellites huius mundi princeps ille ſatanas, ſummis uiribus aggreſſurus me, ut prorſus deijciat & extinguat. Sed nihil ab eo periculi eſt. Nam in me nihil habet iuris: cum in mundi cultores, & eos qui peccato obnoxij ſunt, tantum tyrannidem habeat. Ego non morior coactus, nec ob ullum facinus: ſed ut mea morte redimã homines à peccati mortiſq; tyrannide. Vult pater meus cœleſtis genus mortalium à peccatis purgari, ut homines hæredes regni Dei fiant: oportet ergo me meo cruore abluere mundum à peccatis, ut purgatus cœlorum regiam poſſit adire: atq; hoc illud patris mandatum eſt. Ego ſponte mea morior, ut omnibus commendem ſinceram Dei dilectionem, & promptam in exequenda Dei patris mei uoluntate obedientiam. Hinc morti ueluti obuiam pergens: Satis, inquit, iam diu ſumus in hoc accubitu: ſurgite, egrediemur ex hac urbe. Et hymno dicto exierunt. Audiant hoc omnes (inquit D. ille Chryſoſtomus) qui quaſi porci, cum iam comederint, euerſa calcibus menſa, temulenti conſurgunt: cum agere gratias debeant, & in hymnum à menſa deuenire. Tantum ille.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

EGo ſum uitis uera, & pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructuum plus adferat. Iam uos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum uobis. manete in me, & ego in uobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in uite: ſic nec uos, niſi in me manſeritis. Ego ſum uitis, uos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. quia ſine me nihil poteſtis facere. Si quis in me non manſerit, mittetur foràs ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manſeritis in me, & uerba mea in uobis manſerint, quodcunq; uolueritis, petetis, & fiet uobis. In hoc clarificatus eſt pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli. Sicut dilexit me pater, & ego dilexi uos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea: ſicut & ego præcepta patris mei ſeruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus ſum uobis, ut gaudium meum in uobis ſit, & gaudium ueſtrum impleatur. Hoc eſt præceptum meum, ut inuicem diligatis, ſicut dilexi uos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio uobis. Iam non dicam uos ſeruos: quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci uobis. Non uos me elegiſtis: ſed ego elegi uos, & poſui uos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus ueſter maneat, ut quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, det uobis. Hæc mando uobis, ut diligatis inuicem.

COMMENTARIA.

Allegoria docet Dominus Ieſus, quomodo diſcedens corpore in cœlos ad patrem, nihilominus maneat in ſuis, ac præſens ſit ſuæ Eccleſiæ, & quomodo per ipſum fructificent ſancti in Eccleſia. Et hæc petita eſt è Prophetarũ literis, qui ſparſim Eccleſiam uineæ, homines in Eccleſia uitibus, & opera fidei, dilectionis ac iuſticiæ, fructibus comparant. Vnde S. Auguſtinus: Iſte locus Euangelicus, inquit, ubi ſe Dominus dicit uitem, & diſcipulos ſuos palmites, ſecundum hoc dicit, quod eſt caput Eccleſiæ, nos quoq; membra eius, mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Vnius quippe naturæ ſunt uitis et palmites: propter quod, cum eſſet Deus, cuius naturæ non ſumus, factus eſt homo, ut in illo eſſet uitis, humana natura, cuius & nos homines palmites eſſe poſſimus. Tantũ ille. Agricolam autem patrem appellat, ne à ſolo filio fieri hoc uideatur, quod totius Trinitatis mirabile opus eſt. Pater igitur nos ad pietatẽ & fidem per filium in ſpiritu nutrit, & agricolæ opera facit (uerbis utor D. Cyrilli) aſpiciens & fouens, & omni ad uirtutem redigens cura, per filium ſimiliter in ſpiritu. Iam quiſquis mihi adhærens, inquit, meoq; ſpiritu uiuens, fructum uitæ dignum attulerit, hunc pater meus repurgabit, ſuperuacuas amputans cupiditates, quo fructum afferat copioſiorem. Cæterùm qui mihi quidem inhæſerit per fidei profeſſionem, charitatis autem Euangelicæ fructum nullum adferat: hunc pater amputabit à uite, uelut inutile membrum. Iam uos quidem hactenus purgati mundiq; palmites eſtis, propter doctrinam quam hucuſq; de uſu, fine & fructu mortis meæ tradidi. Hactenus credidiſtis in me, & eſtis mihi inſiti per fidem, ut iam in me maneatis, ac mihi coniuncti ſitis. quòd ſi ſic perrexeritis in me per fidem manere, ego uiciſſim manebo in uobis: nimirum per ſpiritum, ſuccum illum meum. Quod uerò dicit Dominus, Sicut palmes non poteſt ferre fructum, &c. manifeſtius diſcimus, ſincera fide palmites inſertos uiti fideles fieri. Sed non eſt minoris curæ, iugiter per charitatem, id eſt, mandati ſeruationem Chriſto inhærere. Vt enim palmes deciſus à uite nunquam fructum feret: ſic nos à Chriſto deciſi, nunquam ſecundum uirtutem germinabimus. Chriſtus enim nos per gratiam ſpiritus, quaſi per aquam irrigat & nutrit, ut poſſimus facilè pietatis edere fructus. Optimo nobis ipſi Apoſtoli exemplo ſunt: qui quoniam manſerunt in Chriſto, nec ulla ui ab illo ſeparari potuerunt, æternas laudes conſecuti, fructum ſuæ uirtutis, conuerſionem orbis attulerunt, unde immarceſſibiles apud Deum

habituros

habituros coronás nõ dubitamus. At auariciæ ſeruus Iudas à uite ſpirituali deciſus, gratia ſpiritus amiſſa forâs eiectus, igni ut inutile ſarmentum traditus eſt. Ait porrò Dominus (ut Theophylacto placet) Si mandata mea cuſtodieritis, hoc eſt, adhæſeritis mihi per opera. Nam quicunq; Deo placere cupiẽs, uiuit uoluntate ſua, manet in uite, quũ unitur illi per dilectionem & ſeruationem mandatorum. Porrò ait Chriſtus, clarificatum ſuum patrẽ. Certè clarificatus pater eſt, proprio filio (inquit D. Cyrillus) pro redemptione hominũ dato, quem uoluit hominem fieri, nõ ut quicquã boni ſibi acquirat, qui ſemper perfectiſſimus eſt: ſed ut homines plurimũ ferant fructũ, & Chriſti efficiantur diſcipuli. Oſtendens autẽ Chriſtus charitatis modũ: Quemadmodũ, ait, dilexit me pater impenſiſſimè & ineffabiliter: ita dilexi uos diſcipulos meos. Hoc tam ingens bonum magna ſolicitudine ſeruate; ne ueſtra negligentia pereat uobis. Non peribit aũt, ſi, quemadmodũ ego uſq; ad mortẽ perſtiti in charitate patris, ita uos perſeueraueritis in charitate mea. perſeuerabitis aũt, ſi præcepta non Phariſæorũ, ſed mea ſeruaueritis, quemadmodum ego conſtanter ad mortem uſq; ſeruo iuſſa patris mei. Hæc locutus ſum uobis, ut ſemper & uſq; ad finem, gaudium ueſtrũ integrũ maneat, plenumq; ſit & perfectum, ſemper augeſcens in maius meliusq;, donec impleatur in perpetuã immortalis uitæ felicitatem. Vnum hoc eſt præceptum propriè meum, quod omnia complectitur quæ doceo, quod omnia cõdulcabit quæ inciderint triſtia, ut ea charitate uos mutuò complectamini, qua ego uos ſum amplexus. Amorem meum non dictis tantum, ſed factis etiam teſtor. Inter homines nullum maius eſt indicium charitatis, quàm ſi quis uitam impendat amico. ego plus præſto, qui pro inimicis etiam uitã impendo, modò fiant amici. Vos illi mei eſtis amici, pro uobis me in mortem impendo, ut uos morte mea uiuatis: ſi, quemadmodum ego uolens obtempero iuſſis paternis, ita uos lubentes peregeritis quæ præcipio. Vos autẽ idcirco dixi amicos, quia ſemel omne conſilium animi mei communicaui uobis. Quicquid pater uos per me ſcire uoluit, hoc tanquam fidis amicis impertij. Obuenit autem uobis tanta dignitas, haudquaquam ex ullo ueſtro merito, ſed ex benigna mea gratia, & electione gratuita. Præterea iubet Dominus ſuos ſpectare finem, ob quem electi ſint: nimirum ut eant in orbem terrarum, & afferant Deo fructum copioſiſſimum, fructum nunquam periturũ: hoc eſt, pietatem, timorem Dei, iuſticiam, uirtutẽ, & ſpem futuri ſeculi. Hæc enim in pectoribus eorum plantarunt per prædicationẽ Euangelicã, quos à ſuperſtitione & impietate cõuerterunt ad ueram religionem ac pietatem. Deinde uerò docet, ipſis omniũ præmiorũ & præſidiorũ loco eſſe, quòd quicquid petierint à patre in nomine ipſius, daturus ſit pater: nihilq; eſſe, quod ille non poſſit largiri.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SI mundus uos odit, ſcitote quia me priorẽ uobis odio habuerit. Si de mundo fuiſſetis, mũdus quod ſuum erat, diligeret: quia uerò de mũdo nõ eſtis, ſed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mũdus. Mementote ſermonis mei quẽ ego dixi uobis: Non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & uos perſequentur: ſi ſermonẽ meum ſeruauerũt, & ueſtrũ ſeruabũt. Sed hęc omnia facient uobis propter nomen meũ, quia neſciũt eum qui miſit me. Si nõ ueniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatũ nõ haberẽt: nunc aũt excuſationem nõ habent de peccato ſuo. Qui me odit, & patrẽ meum odit. Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc aũt & uiderunt, & oderũt & me & patrem meũ. Sed ut impleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: Quia odio habuerunt me gratis. Quum autem uenerit paracletus (quem ego mittam uobis à patre) ſpiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me: & uos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. Hæc locutus ſum uobis, ut non ſcandalizemini. Abſq; ſynagogis faciẽt uos. Sed uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. & hæc facient uobis, quia non nouerũt patrem, neq; me. Sed hæc locutus ſum uobis, ut cum uenerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi uobis. Hæc autem ab initio uobis non dixi, quia uobiſcum eram. At nũc uado ad eum qui miſit me: & nemo ex uobis interrogat me, Quò uadis? Sed quia hæc locutus ſum uobis, triſticia impleuit cor ueſtrũ, Sed ego ueritatẽ dico uobis, expedit uobis ut ego uadã. Si ẽm nõ abiero,

paracletus

paracletus non ueniet ad uos. Si autẽ abiero, mittã eum ad uos. Et cum uenerit ille, arguet mundũ de peccato, & de iuſticia, & de iudicio. de peccato quidem, quia non credunt in me. de iuſticia uerò, quia ad patrem uado, & iam nõ uidebitis me. de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Adhuc multa habeo uobis dicere: ſed non poteſtis portare modo. Cum autẽ uenerit ille ſpiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatẽ. Non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcunq; audiet, loquetur: & quæ uentura ſunt, annunciabit uobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. Omnia quæcunq; habet pater, mea ſunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis.

COMMENTARIA.

Quoniam nõ ciuitatis aut regionis unius, ſed totius orbis terrarũ doctores futuri erant diſcipuli, ad Euangelicã uirtutem homines traducentes: neceſſariò nullã curam ſibi faciundam eſſe monet, ne à mundo, id eſt, ab hominib. uoluptati impietatiq; deditis, odio habeantur. ac inquit: Mementote quod dixi uobis, cũ primùm uos ablegarẽ ad prædicandum, ſerui cõditionem non eſſe potiorẽ quàm ſit Domini. Si mihi nõ pepercerũt qui dominus & princeps ueſter ſum: haud uobis parcent. Si meam recipiebãt doctrinã, recipient et ueſtrã. ſed ut meã non tulerunt: ita ueſtrã planè cõtemnent. Cæterùm iſti qui uos perſequẽtur, nõ intelligẽt, neq; credent, me à patre profectũ cœleſti, filium eſſe Dei, miſſum in mundũ, ut mea interceſſione reconciliẽ Deo peccatores: ergo perſequentur uos, ceu blaſphemos, & omnis religionis peſtes. Si nõ tam diſertè Iudæis myſteria regni Dei explicaſſem, ignorantia ipſorũ potuiſſet uideri malicia carere. Nũc aũt cum nil à me ſit omiſſum, quo ſeruari poterãt, cum ipſi pertinacib. odijs pugnarint aduerſus eum qui ſalutẽ gratuitã offert: non habent quo purgent incredulitatem ſuã. Porrò quiſquis odit me, nõ poteſt nõ odiſſe patrem meũ, è cuius authoritate loquor quæ loquor, cuius uirtute facio quicquid facio. Si nõ edidiſſem inter illos miracula, quæ nemo Prophetarũ ante me prodidit, ſiue magnitudinem ſpectet aliquis, ſiue multitudinẽ: non tenerentur hoc peccato longè grauiſſimo. Nunc aũt & audierunt & uiderunt, tantoq; magis oderũt non tantũ me qui locutus ſum & feci, ſed & patrẽ meũ qui per me locutus eſt, & per me uirtutẽ ſuam exercuit. Sed hæc nõ accidũt fortuitu. Prædixerũt enim hæc Prophetæ: futurũ uidelicet, ut pro beneficiis quib. debebatur gratia, maleuolentiã reponerent. Cæterùm Dominus Ieſus nõ ignorãs mundi huius & principis tenebrarũ furorẽ, ſuorũ item metũ & imbecillitatẽ: Scio, inquit, quàm uideatur uobis difficilis prouincia, quã mando. Dabitur autem uobis Spiritus ſanctus, qui uos inſtruet, ut teſtificari liberè multa cum cõſtantia et certitudine de me & negocio Euangelico poßitis apud homines, propterea quod ordine uidiſtis quæ geſſerim, audiſtis quæ dixerim. Hæc ideo denuncio uobis euẽtura, ut nõ animo tum cõſternemini, cum uobis præter ſpem ingruerit ignominia, cõtumelia & calamitas grauiſſima. Hoc primùm occurret uobis, Euãgelij prædicationẽ auſpicãtibus. Qui legis cognitionẽ profitentur, uos uelut impios & execrabiles ſubmouebũt è ſynagogis ſuis, quod apud iſtos eſt probroſiſſimũ. Deniq; res eò procedet, ut quiſquis interfecerit uos, exiſtimet ſe uictimã immolare Deo gratiſſimã. Non aũt iſta cõmittent in uos, quòd fures ſitis, aut maledici, aut alioqui talibus digni malis: ſed quia nondum ad plenũ nouerũt neq; me, neq; patrem meũ. Expediebat aũt de his præmonere uos, ut cum inciderint uobis hæc mala, fortiter & infractis animis perferatis, dum uobis ueniet in mentẽ, quòd hæc omnia prædixerim euentura. His de rebus ſilui, cum uos mihi iungerẽ: quia nondũ erat tempus. Ego corporaliter uobis præſens, foui imbecillitatẽ ueſtrã: nunc, quoniã à uobis ſubducor, oportuit uos palàm præmoneri, quid ſitis perpeſſuri. Nunc abeundũ eſt ad patrem, à quo ſum miſſus. Hic magno uos dolore moueri ſentio, eo quòd malebatis hac mea cõſuetudine perpetuò frui. Verùm quoniã iucundis utilitas præponenda eſt, ueritatẽ uobis aperiã: longè præſtabilibus eſt, ut hinc abeã. Niſi enim ſubmoto carnis cõſpectu cœperitis eſſe ſpirituales, ſpiritus ille cõſolator qui uos fortes reddet et inuictos, nõ ueniet ad uos. Sic enim uiſum eſt cõſilio paterno. Nec erit inefficax ille Spiritus: ſed plus efficiet per uos, quàm ego nũc præſto: non quod non ſit eadem potentia, ſed quòd ſic expediat humani generis ſaluti. Ego argui mundum: ille plenius & euidentius idem efficiet. Et arguet quidẽ. oſtendet enim eos peccatores, quia non credũt. Quãdo enim uiderint (utor uerbis Theophylacti) per manus diſcipulorũ in ſpiritu egregia ſigna et miracula fieri, et neq; ſic credẽt: quomodo

nõ cõdemnatione digni, et peccato maximo obnoxij? Nam nunc quidẽ, inquit, poſſunt dicere quòd fabri filius ſim, & humilis matris, quamuis ego miracula faciam: tunc aũt incredulitas omni carebit excuſatione, ſpiritu in meo nomine talia perficiente. Deinde arguet: hoc eſt, oſtendet eis, quòd ego quũ iuſtus fuerim, & irreprehenſibilẽ egerim uitam, iniuſtè occiſus ſim, & in eius iudiciũ ad patrẽ uadã: neq; enim ſi iniuſtus fuiſſem, ad patrem aſcendiſſem. Quia enim ut aduerſariũ Deo & iniquũ occiderũt, oſtẽdet eis ſpiritus, quòd non ſim talis. neq; enim ſi aduerſarius Dei fuiſſem, apud Deum & legiſlatorẽ hunc honorẽ aſſecutus eſſem, non temporariũ, ſed æternum. Iam quod dicit, Poſthac nõ uidebitis me: æternã eius apud patrem cõuerſationẽ manifeſtat. Demũ de iudicio arguet eos: hoc eſt, etiã per hoc me iuſtũ & à peccato immunem oſtẽdet, eo quòd rector mundi immundi à me iudicatus eſt, & uictus. Quia enim dicebãt: Dæmonium habet, et quòd in Beelzebub miracula facit, & impoſtor eſt: hæc omnia oſtendẽtur uana, quũ apparuerit diabolus cõdemnatus, & oſtenſum fuerit omnibus, quòd à me ſit uictus: id quod nequiuiſſem, ſi nõ ipſo fuiſſem fortior, & ab omni peccato alienus. Porrò, quia animi diſcipulorũ obſtrictiores erant affectibus quàm qui tantis idonei eſſent myſterijs ritè percipiendis, proinde ait: Sunt alia multa quæ uobis poteram dicere: ſed non eſt huius temporis ea promere, nec uos adhuc capaces eſtis: ea ſpiritui uenturo reſeruo. Ille ubi uenerit, reperiet uos plenioris ſcientiæ capaciores: tumq; non modò illa copioſius & diligentius explicabit, ſed etiã ducet uos in omnem ueritatẽ. Rectè uerò dixit, Ducet. Niſi enim Spiritus ſanctus uiã oſtendat, et in oſtenſa uia etiã deducat, greſſus noſtros cõfirmans, nunquã in uiam ueritatis perueniemus. Cæterùm omnem ueritatẽ diſertè exprimens, nihil ueritatis relinquit quod ignorarint Apoſtoli. Poſt hæc iterum diſſerit de Spiritu ſancto, oſtendens doctrinã eius nihil diſcrepare à doctrina ſua: Non, inquit, loquetur à ſemetipſo: nimirum nihil alienum loquetur à me, aut noui, ſicut ſolent qui non ea loquuntur in legationibus quæ commiſſa ſunt, ſed quæ ipſis uidentur: ſed patris mei. Mea uobis conſilia, myſteria, atque uerba, quæ ipſius quoq; ſunt, reuelabit. À patre proficiſcuntur omnia: ſed nihil eſt illius, quod idem non ſit meum: nec quicquam eſt patris aut meum, quod ſpiritui non ſit commune. Per illum igitur ego uobis loquar, quemadmodum per me locutus eſt pater. Qui mihi credit, credit patri: qui ſpiritui credit, credet utriq; noſtrûm.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

MOdicum & nõ uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me: quia uado ad patrem. Dixerunt ergo ex diſcipulis eius quidam ad inuicem: Quid eſt hoc quod dicit nobis: Modicum & nõ uidebitis, & iterum modicũ & uidebitis me: &, quia uado ad patrem? Quid eſt hoc quod dicit, modicum? neſcimus quid loquitur. Cognouit aũt Ieſus, quia uolebãt eum interrogare, et dixit eis: De hoc quæritis inter uos, quia dixi, Modicũ & non uidebitis me, & iterum modicũ & uidebitis me. Amen amen dico uobis, quia plorabitis & flebitis uos: mundus aũt gaudebit, uos aũt cõtriſtabimini: ſed triſticia ueſtra uertetur in gaudiũ. Mulier cum parit, triſticiam habet, quia uenit hora eius: cum aũt pepererit puerũ, iam nõ meminit preſſuræ, propter gaudiũ, quia natus eſt homo in mundũ. Et uos igitur nunc quidẽ triſticiã habetis: iterum aũt uidebo uos, & gaudebit cor ueſtrũ, & gaudiũ ueſtrũ nemo tollet à uobis, & in illo die me non rogabitis quicquã. Amen amen dico uobis, ſi quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit uobis. Vſq; modò non petijſtis quicquã in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudiũ ueſtrũ plenũ ſit. Hęc in prouerbijs locutus ſum uobis. uenit hora, quũ iam nõ in prouerbijs loquar uobis, ſed palàm de patre annunciabo uobis. In illo die in nomine meo petetis. Et non dico uobis, quia ego rogabo patrẽ de uobis: ipſe enim pater amat uos, quia uos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo exiui. Exiui à patre, & ueni in mundũ: iterum relinquo mundũ, & uado ad patrẽ. Dicũt ei diſcipuli eius: Ecce nũc palàm loqueris, & prouerbiũ nullũ dicis: nũc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi ut quis te interroget: in hoc credimus, quòd à Deo exiſti. Reſpõdit eis Ieſus: Modò creditis? Ecce uenit hora, & iã uenit, ut diſpergamini unuſquiſq; in ꝓpria, & me ſolum relinquatis: & tamẽ nõ ſum ſolus, quia pater mecũ eſt. Hæc locutus ſum uobis, ut in me pacẽ habeatis. In mundo preſſurã habebitis: ſed cõfidite, ego uici mundũ.

Quum Dominus Ieſus non admodum obſcurè indicaret, ſe per mortem ac ſepulturam abfuturum à conſpectu ſuorum, ſed rurſus corpore iam immortali uidendum eſſe ſuis, ut per aliquot dies confirmatis diſcipulorum animis ſeſe reciperet in cœlum: tamen quod dictum erat non intelligentes diſcipuli, muſsitabãt inter ſeſe: Quid ſibi uult hoc breue tempus, quo ſui uidendi nobis copiam adimet? rurſum aliud breue, quo ſui nobis uidendi copiam faciet? obſcurus eſt hic ſermo, nec intelligimus quid loquatur. Ieſus intelligens quòd uellent percontari ſe, præuenit illorum interrogationem: ut oſtenderet, ſibi notas eſſe quamuis arcanas hominum cogitationes: De hoc, inquit, eratis me interrogaturi, quod dixi uos meo conſpectu breuiſſimo tempore fruituros, & rurſus puſillum temporis interceſſurum, ac denuò uos me uiſuros. Quod dixi, ueriſſimum eſt. Inſtat tempus, quum uos ob ademptam hanc noſtram amicitiam ac conſuetudinem, luctu & mœrore conficiemini, uelut omni præſidio deſtituti: contrà, homines mundani ineffabili exultabunt gaudio, omnino ſibi perſuadentes, res in tuto eſſe, cum me adegerint in crucem, ac ueluti oppreſſerint morte turpi & funeſta: ſed breui commutabuntur rerum uices. Vt enim mea mors uos diſcruciabit, & Iudæos afficiet gaudio: ita reſurrectio mea uos afficiet gaudio, contrà Iudæos cõturbabit. D. Cyrillus: Viuit ſemper Chriſtus, inquit, & mors per eum deſtructa eſt: contraria uerò mundus omnia patietur, perpetuos cruciatus ſubiturus. Nam ſicut Chriſto ſecundũ carnem mortuo, mœrore ſancti, mundus autẽ læticia eſt affectus: ſic conſequenter, deſtructa morte, reſuſcitatoq; Saluatore, mœror ſanctorum in gaudium, & læticia mundi in triſticiam conuertetur. Hæc ille. Ornat porrò Dominus, & illuſtrat quod propoſuit, parabola è uiceſimoſexto cap. Eſaiæ ſumpta, & ait: Quemadmodum mulier grauida, et partui iam uicina, tum grauiter diſcruciatur, cum iam enitendi tempus appetijt: dolores tamen patienti tolerat animo, quòd ſciat non fore diuturnos, & mox ſe conſecuturam ex edita prole uoluptatem: itidẽ uos quoq; hoc exiguo tempore quod inſtat, uehemẽter animo diſcruciabimini: ſed poſt paucos dies, ubi uictor me uobis exhibuero rediuiuum, magno gaudio perfundetur cor ueſtrum, quòd quem mortuum luxiſtis, uideatis immortalitate donatum: luctus erit breuis, ſed gaudium perenne. Nunc multa ſunt, de quibus animus ueſter geſtit interrogare me. Tum (ubi in cœlum ſublatus, & glorificatus uobis miſero Spiritum ſanctũ) adeò ſatisfactum erit animis & oculis ueſtris, ut nihil amplius exiſtimetis interrogandum. Cæterùm licet Deus nobis ampliſſima quæq; promittat, omnes ſuos theſauros aperiens & offerens: uult tamen ſeriò ac ſedulò orari. Orandum eſt autem in nomine Chriſti. D. Cyrillus: In nomine meo, (inquit) addidit, ut mediatorem ſe & collargitorem oſtendat. Nullus enim accedit ad patrem, niſi per filium, per quem adductionem habemus ad patrem in ſpiritu, ſicut ſcriptum eſt. Ideo ſe portam & uiam appellat. (quia Nemo, inquit, uenit ad patrem, niſi per me.) Nam in quantum filius & Deus eſt, unà nobis cum patre bona largitur: in quantum uerò mediator eſt, & pontifex, et paracletus, noſtras preces ad patrem adducit. ipſe enim nobis libertatem atq; fiduciã ad patrem largitur. Orandum eſt igitur in nomine Saluatoris, ſi exaudiri à patre uolumus. Tantum ille. Ait porrò Dominus: Hactenus obſtitit uobis præſentia corporis, quominus petieritis aliquid à patre, meo nomine: poſthac petite, ſublatis in cœlum animis, ubi ſcitote me præſentem fore patronum, ut gaudium ueſtrum fiat plenum ac perpetuum. Hæc interim obſcurius locutus ſum uobis (ſic enim obſequendum erat imbecillitati ueſtræ.) tandem & per ſpiritum meum certò renunciabo uobis, quid uelit pater meus. Nõ dico, me patrem rogaturum, quaſi aut odientem & negligentem. amat enim uos impenſiſſimè: ſed ideo amat, quia uos mecum per fidem conſentitis, & me amatis mutuò, et quia creditis quòd ab ipſo profectus ſum. Quod uerò inquit Dominus, Exiui à patre, & ueni in mundũ: interpretans S. Auguſtinus: Neq;, ait, propterea debet incredibile uideri, qui ſic ad mundũ ueniens exijt à patre, ut non deſereret patrem: & ſic uadit ad patrem relicto mundo, ut nõ deſerat mundum. Exijt enim de patre, quia de patre eſt: & in mundum uenit, quia mundo ſuum corpus oſtendit, quod de uirgine aſſumpſit. Reliquit mundum, corporali diſceſſione: perrexit ad patrem, hominis aſcenſione: nec mundum deſeruit præſentiæ gubernatione. Hæc Auguſtinus. Quum autem audiſſent diſcipuli (inquit Theophylactus) amicum illis futurum Deum patrem, neq; indigere ſe illius interceſſione, uti maximè familiares patri, exijſſeq; illum à Deo, dicunt: Nunc ſcimus, quòd cognoſcis quæ uniuſcuiuſq; cor offendunt, & non opus habes ut ab aliquo diſcas ea. Et in hoc credim⁹, quòd à Deo exieris, Dei enim eſt, ſcire occulta cordis. Hæc

audiuit

audiuit Dominus quidem: probè autem ſciens, ex quo hæc proficiſcerentur animo, & quòd nondū plenè quid dixiſſet intelligerent: Quid audio, inquit? Quod ego pòſt polliceor, iam firmioribus ſacri ſpiritus afflatu factus, hoc nunc uobis arrogatis ante tempus: quaſi uirtutis humanæ præſidijs poſſitis quicquam. imò iam inſtat tempus, quo declarabitis quàm ſitis imbecilles. ingēti enim metu perculſi, me deſerto ſolo in manibus ſatellitū, alius aliò fugietis, ut ſaluti ſuæ unuſquiſq; conſulat. Verùm idcirco non ero deſolatus: quia nunquam me deſeret pater ille cœleſtis, ex quo & in quo ſum naturaliter. Diſſerui hactenus multa uobiſcum, ut in me pacem habeatis, utq; ſciatis preſſuram uos in mundo non paruam habituros propter me: ſed non ſuperabit mundus. nam à me uictus eſt. Vincetis & uos, meo ſpiritu fortes & inuicti futuri, quum tempus & res poſtulabit.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

HAec locutus eſt Ieſus, & ſubleuatis oculis in cœlū, dixit: Pater, uenit hōra, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te, ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne quod dediſti ei, det eis uitam æternam. Hæc eſt autem uita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum uerum, & quē miſiſti Ieſum, Chriſtum. Ego te clarificaui ſuper terram: opus cōſummaui, quod dediſti mihi ut faciā. Et nunc clarifica me tu pater apud temetipſum, claritate quā habui priuſquam mundus fieret apud te. Manifeſtaui nomē tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem meum ſeruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia quę dediſti mihi, abs te ſunt. Quia uerba quæ dediſti mihi, dedi eis. Et ipſi acceperunt, & cognouerūt uerè, quia à te exiui, & crediderunt quia tu me miſiſti. Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo: ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Et mea omnia tua ſunt, et tua mea ſunt, & clarificatus ſum in eis. Et iam nō ſum in mundo, & hi in mundo ſunt: & ego ad te uenio, pater ſancte. ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos. Cum eſſem cum eis, ego ſeruabā eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui: & nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Nunc autem ad te uenio, & hęc loquor in mundo, ut habeāt gaudium meum impletum in ſemetipſis. Ego dedi eis ſermonē tuū, & mundus eos odio habuit: quia non ſunt de mundo, ſicut & ego nō ſum de mūdo. Non rogo, ut tollas eos de mūdo: ſed ut ſerues eos à malo. De mundo non ſunt, ſicut & ego nō ſum de mundo. Sanctifica eos in ueritate: Sermō tuus ueritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundū. Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in ueritate. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per uerbum eorū in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te: ut & ipſi in nobis unū ſint, ut credat mundus, quia tu me miſiſti. Et ego claritatē quam tu dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unū ſumus. Ego in eis & tu in me, ut ſint conſummati in unum: & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, uolo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum: ut uideant claritatem meam quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante cōſtitutionem mundi. Pater iuſte, mundus te non cognouit: ego aūt te cognoui. Et hi cognouerūt, quia tu me miſiſti. Et notū feci eis nomē tuū, & notum faciam, ut dilectio qua dilexiſti me, in eis ſit, & ego in ipſis.

COMMENTARIA.

Poſteaquam Dominus Ieſus ſermonibus planè diuinis diſcipulos ſuos partim conſolatus eſſet, partim inſtruxiſſet aduerſus imminentē malorū procellam: iam ſuam ſubiens paſſionem, incipit eam à precibus ad patrem fuſis, cui ſe primùm commendat: deinde Apoſtolos: poſtremò omnes Apoſtolorum doctrinæ credentes. Ait itaq;: Pater, nunc adeſt tempus, mihi ſemper optatum: glorifica me filium tuum apud homines, morte ac reſurrectione. Sic expedit ad humani generis ſalutem, ut mundus per te cognoſcat filiū, ac uiciſſim per filium cognoſcat patrē. Sic enim tibi uiſum eſt, ut mihi traderes poteſtatem uniuerſi generis mortalium, ut omnes à morte liberati, uitam aſſequantur æternam.

 Porrò

Porrò uitæ æternæ fons eſt, ut utroq; alterum illuſtrante, per fidem cognoſcant utrunq;: uidelicet te, qui ſolus uerus es Deus omnium orbis nationū, unde proficiſcitur quicquid eſt uſquàm boni: et me Ieſum Chriſtum, quem pro ſalute generis humani miſiſti in mundum. Ego hactenus miraculis & doctrina nomen tuum illuſtre reddidi in terris, obij quod mihi mādaras, prōptus ac paratus ad id quod ſupereſt. Et nūc mi pater tu uiciſsim effice, ut mundus intelligat, me totum receptum in eam gloriā, quam habebam apud te, priuſquam hic orbis conderetur. Effeci, ut nomen tuum innotuerit ijs, quos afflatu tuo exemptos à mundo mihi tradidiſti. Nō enim poterāt eximi huic mundo, et inſeri mihi, niſi tua gratuita bonitas afflaſſet illorū animos. Tui erant quos condidiſti, & huic negocio deſtinaſti, & eos mihi docendos ac formandos tradidiſti: et hoc cognitū & perſuaſum habent, quòd quicquid docui, quicquid geſsi, ex te autore profectū eſt, tua uirtute geſtum eſt. Sermonē igitur meū uelut abs te profectū receperūt, cui credentes uerè cognouerūt, quòd abs te miſſus uenerim in hunc mundū. Ego igitur pro his rogo, ut tua bonitas quod cœpit in illis perpetuū ac proprium eſſe uelit. Pro mundo nunc non rogo, qui malis cupiditatibus excæcatus pertinaciter reclamat doctrinæ meæ, ſibi ipſi ſalutem gratis oblatam inuidēs. Tuos igitur tibi pater cōmendo, ut perpetuò tuos eſſe uelis. Quemadmodum aūt tu mea doctrina glorificatus es apud homines: ita ego per horū credulitatem glorificatus ſum, qui mihi conſtanter adhæſerunt. Peregi prædicationis meæ munus, in quod iſti ſuccedēt, ſparſuri per uniuerſas orbis nationes quod à me didicerūt. Ego uerò relictis illis, ad te uenio totus. Pater ſancte, ſerua eos in prædicatione tui nominis, ut ea doceant quæ tu me docere uoluiſti, ut quemadmodum ego à tuis præſcriptis nuſquam diſceſsi: ita & horum doctrina, horū uita nuſquā à mea diſſentiat. Quamdiu cum illis egi ſecundū corporis conſuetudinem, etiā corporalibus officijs ſtudui illos ſeruare, ueluti tuos & abs te mihi cōcreditos, & hacten⁹ cōtinui illos in fœdere noſtro. Quotquot mihi tradidiſti, hos traditos bona fide cuſtodiui: neq; quiſquam ex hoc contubernio perijt præter unū, qui licet mecū uiueret, perditioni tamē natus erat, quam ipſe ſibi ſuopte uicio accerſiuit. Nec id quidē fortuitu obtigit: ſed hoc fore iam olim Scriptura diuina prædixerat, ut domeſticus conuictor proderet in mortē dominū ac magiſtrū ſuū. Hæc loquor abiturus, ut cōſoler & cōfirmem meos, ut intelligāt me reuicturū: et ubi uiderint me ſublatū in cœlū, & acceperint ſpiritū illū cœleſtem, cōcipiant gaudiū perpetuū atq; perfectū. Homines inhiant rebus terrenis et caducis: et doceo cœleſtia. Hāc doctrinam abs te mihi traditā tradidi illis, & ideo odit eos mundus, quòd ſimplici credulitate pareāt meis decretis: quemadmodū me quoq; mundus odit, quòd tuæ uoluntati paruerim. Nolim aūt adhuc illos eſſe mihi comites, nondū eſt tempus ut & hi ſuſtollātur è mundo, donec et ipſi perfuncti fuerint ſibi delegādo munere. Hoc tantū rogo, ne uiuētes in mundo, mundi uicijs cōtaminentur, & à nobis deſciſcētes reuoluātur in mundi factionem. Quemadmodū enim ego ſum alienus à mundo, quoniā adhæreo tibi: ita & hi ſint à mundo alieni, quoniā adhærēt mihi. Ego me purū ſeruaui ab inquinamentis mundi: ita tu hos puros ſerua ab omni mundi cōtagio. Id fiet, ſi tuo præſidio perſeuerauerint in ueritate. Mūdi ſapiētia plurimū habet falſitatis admixtū: ſed tuus ſermo quē ego docui, pura ueritas eſt. Ego tuus apoſtolus, bona fide geſsi tuū negociū: ita & hos mei uice mitto in mundum, ut quod à me acceperūt, purè ſincereq; doceāt. Huius rei gratia memetipſum uictimā immolo tibi, ut & hi purgati à peccatis, puri perſeuerēt in prædicatione ueritatis Euāgelicæ. Nec ꝓ his tantū rogo: ſed ꝓ omnib. q per meā doctrinā ab his prædicatā mundo renūciaturi ſunt, et in me fiduciā omnē collocaturi. Sic enim fiet, ut quēadmodū tu uim tuā exeris in me, et ego tibi indiuulſus inhæreo: ita et uim noſtrā exeram⁹ in his nobis indiuulſè adhærētib⁹, ut mūdus horū cōcordi doctrina, horū miraculis, horū caſtis morib. cōmotus, credat me ꝓfectū abs te, & quicquid ꝑ te geſsi, redeat in gloriā nominis tui. Ego per ſpiritū meū agā in illis, quēadmodū tu in me ueritatem tuā exeruiſti. ita mūdus intelliget nō eſſe doctrinā humanā: ſed profectā à me, quē tu in mundū miſiſti. Intelliget et illos tibi charos eſſe, uoluntati tuæ obtēperantes: quemadmodū ego tibi charus ſum, nuſquā deflectēs ab animo tuo. Pater, cupio, ut quēadmodū hi futuri ſunt imitatores afflictionū & crucis meæ: ita ſint & gloriæ cōſortes. Pater iuſte, à me nihil eſt præteritum, quo minus innoteſceres omnibus: ſed mundus magna ex parte ſuis uicijs occæcatus, noluit te agnoſcere, qui mihi te docenti noluit credere. Ego uerò purus à mundo, te noui, et per me cognouerūt te hi quos in hoc delegeras, ꝙ abs te profectus ſim. Et quandoquidē per me receperunt noticiā nominis tui, efficiam ut magis ac magis eis innoteſcat, ut ſumma charitate qua me complexus es, complectaris & illos: atq; illi uiciſsim plenius edocti per ſpiritū meum, & nos redament, & ſe inuicem mutua beneuolentia foueant ac tueantur.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

HAec cum dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron: & ibat ſecundum cõſuetudinem, in montem Oliuarum. ſecuti ſunt autem eum & diſcipuli eius. Tunc dicit illis Ieſus: Omnes uos ſcandalum patiemini in me, in nocte iſta. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorẽ, & diſpergentur oues gregis. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam uos in Galilæã. Reſpondens autem Petrus, ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcãdalizabor. Ait illi Ieſus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequã gallus bis cecinerit, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt. Tunc uenit Ieſus cum illis in uillam quæ dicitur Gethſemani, ubi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locũ: quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Et dixit diſcipulis ſuis: Sedete hic, donec uadam illuc, & orem. Et aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contriſtari & mœſtus eſſe, pauere & tædere. Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. ſuſtinete hic, & uigilate mecum. Orate, ne intretis in tentationem. & ipſe auulſus eſt ab eis, quantum eſt iactus lapidis: & progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam ſuper terram, & orabat: ut ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora. Et dixit: Abba pater, omnia poſsibilia ſunt tibi: transfer hunc calicem à me. Mi pater: ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte: uerumtamen non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu. Et uenit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes. & dixit Petro: Simon, dormis? non potuiſti una hora uigilare mecum? Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt: caro autem infirma. Iterum ſecundò abijt, & orauit eundem ſermonem, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix trãſire niſi bibam illum, fiat uoluntas tua. Et reuerſus, denuò inuenit eos dormientes: (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant, quid reſponderẽt ei. Et relictis illis, iterum abijt, orauit tertiò, eundem ſermonem dicens. Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum. Et factus eſt in agonia, prolixius orabat. & factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Et cum ſurrexiſſet ab oratione, & ueniſſet ad diſcipulos ſuos, inuenit eos dormientes præ triſticia. & ait illis: Dormite iam, & requieſcite. Sufficit, quid dormitis? Surgite, & orate, ne intretis in tentationem. Ecce appropinquabit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce qui me tradet, propè eſt.

COMMENTARIA.

Poſteaquam Dominus Ieſus cõfirmaſſet ſuos, & patri cõmendaſſet, lubens iam periculis & morti ſe exponẽs, tranſmiſſo torrente Cedron, in hortum ſeſe cum delectis recipit diſcipulis. Porrò in hortũ concedit Dominus, quòd is aptus eſſet precationibus, utpote ſemotus à turbis. Quærens D. Cyrillus in hoc myſterium: Hortus autem, inquit, admonebat paradiſi. Ad priſtinum enim omnia recurrere oportebat. Et ut in paradiſo malorum initium factum eſt: ſic in horto paſsio Chriſti incœpit, per quam à malis liberati, in priſtinum habitum reſtituti ſumus. Cæterùm Dominus rurſus prædicit diſcipulis, fore ut mox grauiter turbarentur, uiſo ſupplicio ſuo: ſed ne penitus abijciant animum, conſolatur eos prophetia, & mox futurã reſurrectione: ſimul tempus locumq; uicinum deſignans, ubi rurſus ipſum eſſent conſpecturi. Ob multã aũt mentis cõfidentiam (ut Theophylactus docet) Petrus ſolus pollicebatur, ſe non ſcandalizatum iri. & idcirco permiſit illum Chriſtus cadere: ut doceat, ne quis in ſe ipſo confidat, ſed in Deo: & fide digniora exiſtimanda uerba Chriſti, quàm noſtram conſcientiam. Proponit ergo Petrum nobis Scriptura in exemplum, omnes nos modeſtiæ & humilitatis admonens, quo minus uel tantillum de noſtris præſumamus uiribus. Non autem omnes aſſumit ſecum diſcipulos Dominus, aſcendens in montem, oraturus patrem:

ſed tres tantum, quibus & transfigurationem exhibuerat: ut qui in monte Thabor ſpectatores ſuæ maieſtatis fuiſſent, eſſent item humilitatis ſuæ & imbecillitatis extremæ teſtes. Atq; hic cœpit Dominum ſenſim inuadere horror mortis, cum quo uidentibus & audientibus diſcipulis grauiſſimè conflictabatur. Quòd igitur mœſtus eſt, & piget, per diſpenſationem (inquit Theophylactus) fiebat, ut credatur uerus eſſe homo. Humanæ enim naturæ eſt, timere mortem, eo quòd præter naturam ingreſſa eſt mors: & propterea illam fugit natura. Item, ut ignoret diabolus, & inuadat eum ut purum hominem, quo conficiatur ipſe morte, & ſic cōteratur. Ait autem illis: Subſiſtite hic, & uigilate mecum. tempus enim hoc non ſomnum poſtulat, ſed uigilantem & intentam deprecationem. Cæterùm ſecedit ab illis puſillum, quo tranquillior minuſq; perturbata eſſet oratio: atque ardentiſſimas effunditur in preces. Procidit autem coram patre in faciem, uel geſtu corporis animi ardorem ſimul & anxietatem ſignificans: præterea reuerentiam ſummo numini exhibendam eſſe docens. Dicit autem, Pater mi: patrem utiq; Deum appellans, non tam quòd eius eſſet naturalis, quàm quòd iuxta humanam naturam crederet Deum ſe habere clementiſſimum. Deinde uerò: Nihil non potes: Si uis, transfer hoc mortis poculum à me. nam ſentio corporis affectum uehementer abhorrentem à morte.

Quòd ſi uerò ita comparatum eſt, ut non poſſim liberari à morte impendente, adeóq; patiendum ſit: omnino fiat quod tu uis ad ſalutem humani generis, & non quod ego uolo iuxta corporis imbecillitatem. D. Athanaſius: Quum dicit Chriſtus (ait) Pater ſi poſſibile eſt, etc. duas uoluntates oſtendit, alteram humanam quæ eſt carnis, alteram diuinam. Siquidem diuina natura prompta eſt, humana ob imbecillitatem deprecatur paſſionem. Porrò ne oſcitanter contemplemur acerrimum Chriſti agonem, ueniens à precibus ipſe, & reperiens diſcipulos dormientes, increpat Petrum, & ait: Non'ne tu ille es, qui pollicitus es te mihi commoriturum? Vnam horam non potuiſti uigilare, & quomodo mortem contemnes? Dein ad cæteros: Vos unà mecum uigilate, & orate patrem, ne incidatis in tentationem, & ſuperemini. S. Hieronymus: Impoſſibile eſt, inquit, humanam animam non tentari. unde & in oratione Dominica dicimus, Ne nos inducas in tentationem: non tentationem penitus refutantes, ſed eam quam ferre non poſſumus, ſed uires ſuſtinendi in tentationibus deprecantes. Ergo & in præſentiarum non ait, Orate, ne tentemini: ſed, Ne intretis in tentationem: hoc eſt, ne tentatio uos ſuperet & uincat, & intra caſſes teneat, &c. Porrò ne quis putaret, leui pugna ſpiritus beneficio & robore omnes omnium hoſtium uires confringi poſſe: ſubijcit Dominus, Spiritus hominis bonus & Deum amans promptus eſt, & facilè quidem uinceret mundum, & omnia mundi, niſi coniunctam ſibi haberet carnem. Hæc tarda eſt, rebellis, & ad malum propendens, & facilè frangitur periculis: idcirco maximopere uigilandum eſt. Quòd iterum & ſecundò abijt Dominus, oſtendit uoluntatem ſe Dei omnino continere, & ubiq; uoluntatem Dei quærendam & eligendam eſſe. Redit autem ad diſcipulos. illi uerò more ſuo dormiunt, miram oſtendentes humanæ naturæ ſocordiam: quanquam & ex naturalibus cauſis oculi ipſorum eſſent grauati, mœrore conduplicante ſomnolentiam. Quòd uerò tertiò abit Dominus, ac orat: docet, pertinaciter tantoq; uehementius orandum, quanto ſæuius imminet tentationis procella. Cæterùm deſcendit cœlitùs miſſus angelus, ac confortat certantem Dominum: id quod manifeſtiſſimè declarat primùm quidem, Chriſtum uerum eſſe hominem qui conſolatione indigeat: deinde, Deum audire uoces inuocātium ſe, uidere pericula & afflictiones quibus exercentur ſancti, & mittere angelos ſuos qui eos diuina uirtute confortent. Alibi legimus (ait Beda) quòd angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. In documentum ergo utriuſq; naturæ, angeli & ei miniſtraſſe, & eum confortaſſe dicuntur, &c. Quidam uerò dicunt, quoniam apparuit ei angelus glorificans eum, ac dicens: Domine, tua eſt uirtus. tu namq; potes contra mortem & infernum humanum genus liberare: Hic corripuit Dominum uehemens quidam angor, qui ſolet accidere mortem iam cernentibus, & quaſi cū morte conflictantib. Tanta uerò fuit in Domino hæc mortem præcedens trepidatio, tantus fuit angor, ut exprimeret etiam ſudorem ſanguineum, eumq; non modicum, ſed decurrentem in terram. Precibus autem finitis, & commendata cauſa uniuerſa Deo, animo item compoſito & obfirmato ad mortem perferendam: redit ad diſcipulos Dominus, quos nihilo reperit uigilantiores. Grauius ergo ſegnes increpans: Hactenus, inquit, non potui impetrare, ut pauliſper mecum uigilaretis: nunc ipſa res excitabit. Iam enim & meum ſupplicium, & ueſtrum maximum periculum inſtat. Poſt hæc ueternum excutiens Dominus, adhortatur ad fidele & pertinax precandi ſtudium. & ſubiungit graue dictū,

ſed

ſed ſalubre interim. Ideo enim traditur in manus peccatorum, ut peccatores liberet è manu peccati. Porrò hactenus Chriſtum Dominũ tædere ac pauere iuxta humanã imbecillitatẽ audiuimus: iam expendamus diuinã quoq; ipſius uirtutẽ. Iam enim hortatur diſcipulos obuiam ire hoſtibus, ultrò pergere ad mortem: Ne nos, inquit, inueniant quaſi timentes, & retrahentes (utor uerbis D. Hieronymi) ultrò pergamus ad mortem, ut confidentiam & gaudium paſſuri uideant.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

IVdas ergo cum accepiſſet cohortem à pontificibus, & Phariſæis miniſtros, uenit illuc cum laternis, & facibus, & armis. Et adhuc Ieſu loquente, Iudas Iſcariotis, unus ex duodecim, & cum eo turba multa cum gladijs & fuſtibus, à principibus ſacerdotum, & ſcribis, & ſenioribus populi miſsi. Dederat autem traditor eis ſignum, dicens: Quemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt: tenete eum, & ducite cautè. Ieſus itaq; ſciens omnia quæ uentura erant ſuper eum, proceſsit, & dixit eis: Quem quæritis? Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus: Ego ſum. Stabat autem & Iudas qui tradebat eum, cum eis. Vt ergo dixit eis, Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo eos interrogauit: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi uobis, quia ego ſum. ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire. ut impleretur ſermo quem dixerat: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Et Iudas ſtatim appropinquauit ipſi Ieſu, ut oſcularetur eum. & cum ueniſſet, ait ad eum: Aue Rabbi. & oſculatus eſt eum. Dixit autem ei Ieſus: Amice, ad quid ueniſti? Iuda, oſculo filium hominis tradis? Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum. Videntes autem hi qui cum ipſo erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio? Et ecce unus ex his qui erant cum Ieſu, extendens manum exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum principis ſacerdotum, amputauit auriculam eius dextram. erat autem ſeruo nomen Malchus. Reſpondens autem Ieſus, ait: Sinite uſquehuc. Et cum tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum. Et dixit Ieſus Petro: Conuerte gladium in locum ſuum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?

COMMENTARIA.

Quoniam pſeudoſacerdotes Scripturis Dominum uincere non poterant, conuertuntur ad arma. & cohortem contractam ablegant, duce Iuda Iſcariote, in montem Oliuarum, ut Ieſum Dominum armata manu obruant & capiant. Adducebant autem ſecum faces & laternas, quò poſſent in tenebris agnoſci: ueniebantq; non ſine gladijs & fuſtibus, ſi fortè diſcipuli conarentur defendere Dominum ſuum. In turba autem illa conſceleratiſsima, ſpectandus nobis impiorum primas, Iudas ſcilicet, ex Apoſtolo factus ſicariorum dux. Hic antecedebat cohortem: & ne in perſona errarent, pactus erat cum impijs, ut quemcunque oſcularetur, eum comprehenderent protinus, & arctius conſtringerent, ne (quod non ſemel factum fuiſſet) elaberetur. Erat uetuſtis oſculum reuerentiæ ſignum: & uſitatiſsimum fuit Hebræis, oſculari ſe mutuò. Ieſus itaque, quem nihil fugiebat eorum quæ gerebãtur, ut planè doceret, ſe & præſcium & uolentem pati quæ patiebatur: non expectato illorum aduentu, proceſsit illis obuiam ultrò, percontans quem quærerent. At illi per contemptum reſpondent: Non quærimus uirum bonum aut ſanctum, ſed illum populi ſeductorem, Nazarenum. Tum ille intrepida uoce reſpondet: Ego utique nequaquam impoſtor ſum, ſed uerus Dei filius, & Saluator mundi. Ad hanc autem Ieſu uocem territa cohors, concidit in terram. Quid iudicaturus faciet (inquit S. Auguſtinus) qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Cæterùm ubi recepiſſent animos, ac rurſum pararent adoriri Ieſum: iterum percontatus eſt, quem nam quærerent? Cum uerò iſti cum contu-

melia conclamarent ut prius, repetens ſe eſſe Ieſum, non utique maleficum, ſed beneficum: permittit ſe eis, potentiam ſuā denuò exerens, dum uidelicet præcipit ipſis, ne diſcipulos adfligant. Hoc præceptum tam efficax fuit, ut ne Petro quidem ferienti Malchum, uel tantillum nocuerint. Videamus porrò, quanta impietas Iudæ. Non ueretur hic Dominum ſalutare magiſtrum, & oſculari ceu chariſſimum: cum tamen nec illius agnoſceret magiſterium, neq; oſculo aliud quàm letaliter uulnerare cuperet. Videamus quoq; admirandam Domini manſuetudinem. nec impium hominem ab oſculo repulit, nec fulmine cœlitùs euocato cōtriuit: ſed blandiſsimo dicto ipſius feriens conſcientiam: Quò tandem, inquit, recidit res tua, ô Iuda? agnoſcis'ne quid agas? Oportebat ueteris & fidei & amicitiæ meminiſſe: & quàm indignum ſit, oſculo amicitiæ ſymbolo filium hominis tradere. In hoc autem captus eſt, & uincula pertulit Ieſus: ut nos aſſereret è ſeruitute peccati & diaboli in libertatem filiorum Dei. Cæterùm rogant diſcipuli, an gladijs aſſerant Dominū? cum autem taceret, reliqui ceſſant. Petrus uerò uel reliquis ubiq; feruentior, uel quia magnifica quædā de ſe pollicitus fuerat, ne Domino ſuo deeſſe uideretur, educto gladio percuſsit Caiphæ ſeruum. Id reprehendens Dominus generali ſententia, petita ex Geneſ. 9. cap. utitur. Intelligenda eſt autem de priuata gladij, non publica & legitima uſurpatione. Gerunt ergo rem gladio, quos nullum ius, & nulla Dei commiſsio, ſed priuata uindicta armat ad cædem. Deinde uerò ait: Nobis non eſt opus iſta defenſione: poculum ebibendum eſt, ut iuſticiæ Dei ſatisfiat. Si neceſſarium eſſet dimicare pro ſalute mea, pater meus cœleſtis mitteret aliquot legiones angelorum, qui pro me pugnarent:

Sed ita uiſum eſt patri: ita prædictum eſt à Prophetis.

CAPVT DECIMVMNONVM.

IN illa hora dixit Ieſus turbis, & ad eos qui uenerant ad ſe, principes ſacerdotum, & magiſtratus templi, & ſeniores: Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus, comprehēdere me: quum quotidie fuerim uobiſcum in templo, & ſedebam docens: & non me tenuiſtis. Sed hæc eſt hora ueſtra, & poteſtas tenebrarum. Hoc autem totum factum eſt, ut adimplerentur ſcripturæ Prophetarum. Tunc diſcipuli relicto eo omnes fugierunt. Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum, amictus ſindone ſuper nudo: & tenuerunt eum. Ille uerò relicta ſindone, nudus profugit ab eis. Cohors autem, & tribunus, & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & tenentes ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primùm. erat enim ſocer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui conſilium dederat Iudæis, quia expedit unum hominem mori pro populo. Et conuenerunt in unum omnes ſacerdotes, ſcribę, & Phariſęi, & ſeniores. ſequebatur autem Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus pontifici: & introiuit in atrium principis ſacerdotum cum Ieſu. Petrus autem ſtabat ad oſtiū foris. Exiuit ergo alius diſcipulus qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum: & ingreſſus intrò, ſedebat cum miniſtris, & calefaciebat ſe ad ignem, ut uideret finem.

COMMENTARIA.

Allocutus Dominus Ieſus ſicarios iſtos impios: Inuaditis, dixit, me ceu latronem, & publicæ pacis turbatorē. At ſi quid contra Deum aut rempublicam, aut cuiuſquā ſalutem peccaram: quare non cepiſtis me in templo, in quo cauſæ meæ nihil diffidens palàm atq; legitimè docui? nunc uerò quia intempeſtam noctem delegiſtis, apertè declaratis me eſſe innoxium: ueſtram autem poteſtatem non æquam eſſe, ſed tenebrarū ac diabolicam. Sed omnia fiunt non ueſtra uiolentia, ſed diſpenſatione cōſilij diuini, de quo iam olim uaticinatæ ſunt ſcripturæ Prophetarū. Videntes aūt diſcipuli nullam eſſe ſpem, Dominū iam uinctum, & quomodo ſe ultrò offerret ad necem: cōijciunt ſeſe in pedes, & deſerto domino fuga conſulunt uitæ ſuæ. Cæterùm adoleſcentulū illū quidā (docente Theophylacto) dicunt fuiſſe Iacobū, fratrē Domini, qui cognominabatur Iuſtus. Hic enim una duntaxat ueſte per omnē ſuā uitā uſus eſt: aut erat quidā è domo ubi comederāt paſcha. At quiſqs tandē ille fuerit, parū refert. Ioānes, ut notaret crudelitatem, ſignificāter ſcripſit de cohorte & tribuno. Potuiſſet uel unus

reluctantē Ieſum uincire. Adducitur autē ligatus Dominus ad Annam: primum nimirum authorem huius parricidij, non poſtremū. Commodùm quoque repetitur mox in initio paſsionis Domini, impium Caiphæ conſilium: ut inde colligamus, paſſione Chriſti nos liberari à uinculis tenebrarum, atq; ab interitu. Et præſtat quidem (docente S. Bernhardo) hunc paſsionis Domini finem perpetuò habere ob oculos. Coeunt autem in palatio Caiphæ qui tum erat ſummus pontifex, omnes doctores & ſenatores populi Iudaici, ut cauſam Domini excutiant ac iudicent. Ad eum autem uſque locum ſequitur Petrus, cæteris diſcipulis ingenti perculſis formidine, ut oſtenderet ſuum amorem feruentiſsimum erga Dominum. Verùm quòd Ioannes Dominū ſecutus eſt in atrium ſummi pontificis, & ingreſſus eſt omnibus aufugentibus, cauſam ipſe affert: quòd ſcilicet notus fuèrit pontifici: ne quis ſe ſecutum admiraretur, neue id aſcriberet fortitudini. Hinc etiam locutus eſt cum oſtiaria, ut intromitteret Petrum: quod & illa fecit. Et magnæ incogitantiæ argumentum eſt; quòd Petrus ingerit ſe gregi aulicorum Pontificis. Nam calefiebat unà inter miniſtros, ad lumen ſedens: quod ſanè lumen, ut nonnulli uolunt ac docent, prodidit illum.

CAPVT VIGESIMVM.

PRincipes autem ſacerdotium, & omne conſilium, quærebant falſum contra Ieſum teſtimonium, ut eum morti traderent: & non inueniebant. Multi autem teſtimonium falſum dicebant aduerſus eum, & conuenientia teſtimonia non erant. Nouiſsimè autem uenerunt duo falſi teſtes, & falſum teſtimonium ferebant aduerſus eum, dicentes: Quoniam nos audiuimus eum dicentem: Ego diſſoluam templum hoc manu factum, & poſt triduum aliud nō manu factum ædificabo. Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud. Et non erat conueniens teſtimonium illorum. Et exurgens ſummus ſacerdos in medium, interrogauit Ieſum, dicens: Non reſpondes quicquam ad ea quæ tibi obijciuntur ab his? Ille autem tacebat; & nihil reſpondit. Rurſus ſummus ſacerdos interrogauit eum, & dixit ei: Adiuro te per Deum uiuum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei benedicti? Dixit illi Ieſus: Tu dixiſti, Ego ſum. Veruntamen dico uobis, amodò uidebitis filium hominis ſedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cœli. Tunc princeps ſacerdotum ſcidit ueſtimenta ſua, dicens: Blaſphemauit, quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam: quid uobis uidetur? At illi omnes condemnauerunt eum reum eſſe mortis. Et uiri qui tenebant eum, illudebant ei. Tunc expuerunt in faciem eius, & uelauerunt eum, cædentes eum colaphis. & interrogauerunt eum, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſsit? Et miniſtri eum alapis cædebant, & alia multa blaſphemantes dicebant in eum.

COMMENTARIA.

Inſtituerat Dominus populo ſuo iudices, qui ex uerbo Dei cauſas intricatas explicarēt, Deut. 16. Tales non fuiſſe iſtos, ex eo maximè colliqueſcit, quando finem ſibi priuſquam cognouiſſent cauſam, propoſuēre: occidere uidelicet Dominum. Addit autem Euangeliſta, quod memori memoria retinendum: uidelicet, non inueniſſe ſacerdotes quicquam in Domino morte dignum; quantumuis ſtatuiſſent teſtes innumeros. Magnum hoc eſt innocentiæ Chriſti teſtimonium. S. Hieronymus: Quomodo, inquit, falſi teſtes ſunt, ſi ea dicunt quæ Dominum dixiſſe legimus? Sed falſus teſtis eſt, qui non eodem ſenſu dicta intelligit, quo dicuntur. Dominus enim dixerat de templo corporis ſui. Sed & in ipſis uerbis calumniantur, & paucis additis uel mutatis, quaſi iuſtam calumniā faciunt. Saluator dixerat, Soluite templum hoc: hoc iſti commutant, & aiunt: Poſſum deſtruere templum Dei. Vos, inquit, ſoluite: non, ego: quia illicitum eſt, ut ipſi nobis inferamus manus. Deinde illi uertunt, Et poſt triduum reædificare illud: ut propriè de templo Iudaico dixiſſe uideatur. Dominus aūt, ut oſtenderet animale & ſpirans templum, dixerat: Et ego in triduo ſuſcitabo illud. Aliud eſt ædificare, aliud ſuſcitare. Hæc ille. Hoc teſtimoniū illorū, quoniā aliquid ponderis habere

uidebatur, nec reperiebatur aliud magis idoneum: ſurrexit princeps ſacerdotum, & iudicis æqui ſimulans imaginem, quaſi Ieſu facturus poteſtatem defendendi ſui, dixit: Nihil reſpondes ad hæc te*ſtimonia, quæ feruntur aduerſus te? Ieſus autem tacebat. Sciebat enim, ut uerus Deus, quicquid dicturus eſſet, rapiendum in calumniam. Tum princeps ſacerdotum cupiens extorquere nonnihil, unde condemnaretur, ait illi:* Adiuro te per Deum uiuum, *&c.* Erat hoc *inſidioſum problema pontificis impij. Si enim negaſſet ſe filium* Dei, *exclamaſſet:* Cur igitur tibi ſumis, *quod non es? Si uerò affirmaſſet, calumniaturus erat blaſphemiam: ſi'que obticuiſſet adiuratus, uiſus fuiſſet contemnere* Deum, *& authoritatem ſummi ſacerdotis. Ieſus autem quem non fugiebat ſumma atque execranda omnium malicia, confitebatur ſe eſſe quod erat, & quod rogatus fuerat: ut tamen uitaret arrogantiæ notam. Et adiecit, quod impium pontificem ab inſtituto facinore meritò potuiſſet reuocare:* Illud, *inquiens, dico uobis: poſthac uidebitis filium hominis aſſidentem dextrum uirtuti* Dei, *cum'que maieſtate uenientem in nubibus cœli. His utique ſubindicabat* Dominus, *ſe tum humilem & ab impijs condemnatũ tamen olim uenturum cum poteſtate diuina, iudicem totius mundi. Porrò aſſecutus quod uenabatur* Pontifex *impijſſimus, prætextu ſingularis religionis, & quo Chriſti crimen faceret atrocius, diſcidit ueſtimenta ſua. Fuit enim conſuetudinis* Iudaicæ, *ad horrenda nuncia, præſertim uerò ad blaſphemias auditas, diſcerpere ueſtes. Ita* David *audiens fatum* Saulis, *ſcidit ueſtimenta ſua, & omnes uiri qui cum eo erant.* 2. Regum 1. *Ezechias quoq; audiens blaſphemias execrabiles magiſtri militiæ regis Aſſyriorum, diſrupit ueſtes, operuit ſe ſacco, & abijt in domum* Dei. *Clamat porrò pontifex:* Quia *uſurpat ſibi diuinos honores, cum ſit homo, & proinde locutus eſt blaſphemiam: quorſum opus teſtibus erit? confeſſionem blaſphemam audiſtis omnes ex ore ipſius.* Pronunciate *itaq;, quid uideatur cõmeruiſſe. Ad hanc pontificis uocem omnes conclamant:* Nulla *eſt uenia dignus, cõmeruit mortem. Damnationis uerò ſententia pronunciata, uelut in iure damnatum ſæuire cœperunt ludibrijs. Et principiò expuunt in faciem eius, ceu in faciem deprehenſi conſpurcatoris diuini nominis. Maxima hæc erat contumelia: ex lege nimirum* Deut. 25. *uſurpata. Deinde peplum uultui mijcientes, ſtrictius obnubunt. Rurſus impingebant illi colaphos, adiecto hoc problemate:* Vaticinare *nobis Chriſte, quis is ſit qui hunc tibi colaphum infregerit. Si enim ille filius Dei es, quem te eſſe dicis, nihil ignoras. Scis ergo alapam quam ſentis, à quo incuſſa ſit. Hæc omnia manſuetiſſimè paſſus eſt Ieſus, ut abſolutum exemplum tolerantiæ ſuis exhiberet.*

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

ET cum eſſet Petrus in aula inferius, accedit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras. at ille negauit coram omnibus, dicens: Neſcio, quid dicis. Exeunte autem Petro ianuam, cum uidiſſet illum alia ancilla, cœpit dicere circumſtantibus: Quia hic ex illis eſt. hic erat cum Ieſu Nazareno. Et poſt puſillum alius uidens eum, dixit: Et tu de illis es. Erat autem Simon Petrus ſtans, & calefaciens ſe. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex diſcipulis eius es? Et iterum negauit cum iuramento, Quia non noui hominem. Et poſt puſillum, interuallo quaſi horæ unius, rurſus qui aſtabant, dicebant Petro: Verè ex illis es: nam & Galilæus es, & loquela tua manifeſtum te facit. Dicit unus ex ſeruis pontificis, cognatus eius cui Petrus abſcidit auriculam: Non'ne ego te uidi in horto cum illo? Ille autem cœpit anathematizare, deteſtari & iurare, quia neſcio hominem iſtum quem dicitis. Et continuò adhuc eo loquente, & conuerſus Dominus reſpexit Petrum. & recordatus eſt Petrus uerbi Domini, ſicut dixerat, quòd priuſquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et egreſſus foràs, fleuit amarè. Pontifex interrogauit Ieſum de diſcipulis, & de doctrina eius. Reſpondit ei Ieſus: Ego palàm locutus ſum mundo, ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, ubi omnes Iudæi conueniũt, & in occulto locutus ſum nihil. quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt, quæ locutus ſum ipſis. Ecce hi ſciunt, quid dixerim ego. Hæc cum dixiſſet, unus aſsiſtens miniſtrorum, dedit alapam Ieſu, dicens: Sic reſpondes pontifici? Reſpondit ei Ieſus: Si malè locutus ſum, teſtimoniũ perhibe de

malo:

malo: ſi autem bene, quid me cædis? Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham, pontificem & principem ſacerdotum.

COMMENTARIA.

De Petri negatione, cum tentaretur, quæ inter has Domini contumelias facta eſt, non eodem ordine omnes narrant. S. Auguſtinus ſentire uidetur, totam fuiſſe factam in domo Annæ: & hunc ſequi placuit, citra tamen præiudicium aliorum. Abſoluta itaque deſcriptione iudicij corruptiſſimi, in quo ab iniquiſſimis iudicibus morti condemnatus eſt author uitæ Chriſtus, deſcendunt iam Euangeliſtæ ad narrationem abnegationis Petri. ſcribunt ergo: Interea Petrus ſedebat in atrio procul, contemplans triſte ſpectaculum, & operiens exitum rei. Atque eo in loco adoriebatur ipſum non miniſter aliquis, aut ſacerdos: ſed uilis quædam ancilla, quæ non aſperis, ſed placidis uerbis ipſum compellans: Tu quoque, ait, aſſectator fuiſti iſtius Galilæi? Quanquam non ſine dente atque contemptu uideatur Dominum appellaſſe Galilæum. Petrus uerò ad ancillæ uocem exanimatus, & oblitus illius magnificæ uocis, Et ſi oportuerit me tecum abire in carcerem, & in ipſam mortem, non te negabo: coram omnibus abnegauit Dominum ſuum. Porrò Petrus (ut D. ſcribit Cyrillus) ne mœſto uultu condolere uideretur, ac ita expulſus uidere non poſſet quæ uellet: cum miniſtris ſe miſcuit, & quæ illi faciebant, alto corde premens dolorem, facere ſimulat. Ab illis autem æquè interrogatur, num ſit ex diſcipulis Ieſu? Et Petrus quidem audiens quæ obijciebantur, exiſtimauit iam ipſum periculum humeris incumbens, non ſimplicem aliquam exigere negationem, cœpit non ſolùm abiurare Ieſum, ſed execrationibus deuouere ſeipſum, ſi unquam nouiſſet hominem. Quantum hoc peccatũ ſit, uel inde colligere licet, quòd apud Matthæum prius dixerat: Tu es Chriſtus filius Dei uiui. Et ut Ioannes ſcribit, rogante Domino: Num & uos uultis abire? reſpondit: Domine, ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes: & nos credidimus, & cognouimus, quòd tu es Chriſtus filius Dei uiui. Hic iam conſiderandum erit, quomodo ultrà ſe geſſerit Petrus. Audiens ipſe gallicinium, ad ſe reuerſus, recordatur uerborum Domini. Sed unde illi? Quia (ut apud Lucam ſcribitur) Dominus intuitus eſt Petrum, oculis nimirum miſericordiæ ſuæ immenſæ. Videtur mihi (inquit S. Auguſtinus) illa reſpectio diuinitùs facta, ut ei ueniret in mentem, quotiens iam negaſſet, & quid ei Dominus prædixiſſet: atque ita miſericorditer Domino reſpiciente, pœniteret eum, & ſalubriter fieret, ſicut quotidie dicimus: Domine, reſpice me, &c. Hinc ſanè colligimus, tum conuerti peccatores, cum eos reſpicit diuina & gratuita miſeratio. Cæterùm conuerſus iam Petrus, è loco excedit infami. deinde, quia contrito erat ſpiritu propter commiſſa peccata, doleret que ex animo, ideo fleuit amarè: quemadmodum & peccatrix illa. In his interim omnibus fide uera erexit ſpem ſuam in miſericordiam Dei, qua reuera ſeruatus eſt. Porrò pontifex reuera hoc agens, ut ex uarijs Ieſu reſponſis aliquid excerperet, quod illi criminis uice poſſet impingi: multa percontatus eſt Ieſum de diſcipulis ſuis, quales eſſent, utrum maiorum mores ſequi, an nouam cultus & ceremoniarum uiam ingredi uelint, & in quem uſum eos collegiſſet, & quid illos docuiſſet clanculum: utrum legi Moſaicæ conueniat, an aliena ſit à lege doctrina ipſius? Ieſus, quoniam non ſinceriter, ſed captiosè interrogarat de doctrina præſul impius, nihil reſpondit: ſed à ſuo ſuorum que teſtimonio relegat eum ad teſtimonium publicum: Nihil, inquit, doctrinæ meæ metuo, cum palàm locutus ſim omnibus, uel in ſynagogis per Galilæam & Iudæam, uel in auguſto Hieroſolymorum templo, in quo ex omnibus Syriæ partibus undique Iudæi conueniunt. Quorſum ergo pertinet, me interrogare de re omnibus manifeſta? Sic que reſponderat liberè, & abſque conuicio dixerat, interrogandos eos qui publicè docentem audiuiſſent: miniſter tamen hic miſer, imò nulla miſeratione dignus, contumeliam appellat: & uolens tueri dignitatem ſui Pontificis, impingit alapam in faciem Ieſu, ait que: Siccine, tam uidelicet irreuerenter, reſpondes pontifici? Porrò Dominus Ieſus, quamuis indigniſſimè eſſet cæſus, manſuetiſſimè tamen: Oſtende, inquit, in quo erraui: ſin uerò id facere non potes, cur ita furiosè moueris? S. Auguſtinus quæſtionem hic moueri forſan ſcribit, cur non fecit quod ipſe præcepit? percutienti enim non ſic reſpondere, ſed maxillã alteram debuit præbere. Quid? quod ueraciter, manſuetè, iuſteque reſpondit: & non ſolùm alteram maxillam iterum percuſſuro, ſed totum corpus figendum præparauit in ligno. & hinc potius demonſtrauit; quod

quod

quod demonſtrandum fuit, ſua ſcilicet magna illa præcepta patientia, non oſtentatione corporis, ſed cordis præparatione facienda. Tantum S. Auguſtinus.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

MAne autem facto, atque ut factus eſt dies, concilium inierunt omnes principes ſacerdotum & ſeniores populi aduerſus Ieſum, ut eum morti traderent. Et adduxerunt eum in concilium, dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis. Et ait illis: Si dixero uobis, non creditis mihi: ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis ſedens à dextris uirtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego ſum. At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimoniũ? ipſi enim audiuimus de ore eius. Et ſurgens omnis multitudo eorum, & uincientes Ieſum, duxerunt illum à Caipha ad Pilatum, in prætorium. Tunc uidens Iudas qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi, dicens: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu uideris. Et proiectis in templo argenteis, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Principes autem ſacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet mittere eos in corbonam, quia precium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc uocatus eſt ager ille, Ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem. Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, precium appreciati, quod appreciauerunt à filijs Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.

COMMENTARIA.

Sacerdotes quidem in ſua ſynodo morti adiudicarant Dominum, quem ueluti iure damnatum per bonam noctis partem infandis affecerunt contumelijs. Mane ergo ut illuxit dies, conueniunt in atrio Caiphæ (miſerat enim uinctum Ieſum Annas ad Caipham, pontificem anni illius) & conſultant, quomodo cauſam præſidi Pilato proponant, & quibus illum argumentis ad cædem patrandam propellant. Iam'que legitimi concilij formam exhibituri, accitum in concilium ſuum Ieſum percontantur, uenantes aliquid ex illius dictis, quod in eo criminentur. Aiunt itaque: Si tu es ille Chriſtus, quem iuxta Prophetarum oracula expectamus, dic nobis. Ieſus autem, ſciens illos ſciſcitari non ut diſcerent ueritatem, ſed ut uenentur calumniam, reſpondit illis: Quòd ſi uos perconter ex Scripturarum teſtimonijs, qualis ſit promiſſus Meſſias, & an ea ſigna competant in me, non reſpondebitis mihi ex animo: nec ideo abſoluetis me, ſi declarauero meam innocentiam. Illud igitur dicam, quod uerum eſſe comperietis: Filius hominis, qui nunc ob infirmitatem carnis, & humilitatem à nobis elatis non agnoſcitur, poſthac erit ſublimis, aſſidens dexter maieſtati diuinæ. Hæc ideo dixit Ieſus, ut quoniam humilem Chriſtum, per quem ſeruari poterant, occidere quàm amplecti maluerunt, ſcirent ſeſe conſpecturos iudicem & ultorem impietatis ſuæ. Ea autem uox uiſa eſt omnibus idonea anſa calumniandi, ſi modò apertè profiteretur ſeſe filium Dei. Aiunt igitur: Tu'ne es igitur ille filius Dei, de quo meminerunt Prophetarum uaticinia? Ieſus ad hæc ita reſponſum temperat, ut neque neget ſe eſſe quod erat, nec illis anſam calumniandi præbeat: ſiquidem Dominus ubique maluit factis declarare naturam diuinam, quàm uerbis profiteri. At illi iudicantes hanc eſſe ſatis idoneam cauſam, cur illum accuſarent de blaſphemia: conſurgit itaque concilium omne, & adducunt Ieſum ad Pilatum, Iudææ præſidem, ut in damnatum animaduerteret. Porrò uidens ſceleratiſſimus traditor Iudas, Dominum adiudicatum morti, pœnitet, dolet, & confitetur peccatum ſuum, dicens: Peccaui, qui prodiderim ſanguinem innoxium. damnat ergo & execratur peccatum: præterea ſanguinis precium reſtituit, imò cum indignatione quadam proijcit ad pedes ſacerdotum in terram. quaſi dicat: Maledicta ſit pecunia illa, pro qua Dominum meum uendidi, &c. Et mox diſcedit ab impijs ſacerdotibus, ſi-

bus, ſicut & Petrus exceſſerat ex atrio pontifi-cis. Verùm ille per deſperationem proximà feſtinat ad laqueum: hic ſe melioribus rebus in certa ſpe miſericordiæ Dei cõſeruabat. Itaq; nihil profuerunt Iudæ omnia illa pœnitentiæ opera, quæ præceſſerant. Principes autem ſacerdotum acceptis argenteis, dixerũt: Nihil noſtra retulerit quid feceris, aut quem uendideris: Tua quidem refert. Deinde non eſt fas, inquiunt, pecuniam hanc referre in donaria templi, cum humanum ſanguinem oleat. O quàm uerè de illis dixit Ieſus: Duces cæci, excolantes culicem, camelum autẽ glutientes. Si enim ideo nõ mittũt pecuniam in gazophylaciũ et dona Dei, q̃a preciũ ſanguinis eſt: cur ipſum ſanguinẽ effundũt? Conſilio aũt inito mercati ſunt ea pecunia agrũ, ut illic ſepelirentur peregrini. Vide aũt (ait quidã) quomodo infatuet illos Deus, ut traducatur mens illorũ ſanguinaria. uſq; in hunc enim diẽ dicitur Ager ſanguinis, ut omnes ſint memores, quòd Dominũ occiderint. Prophetiam uerò hic citatam, S. Hieronymus Matthæum enarrans, ingenuè fatetur apud Hieremiã nuſquã legi, ſed Zachariam: ù prædixit, Dominum uendendum triginta argenteis. Cap. 11

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Erat autem mane: & ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha. Exiuit ergo ad eos Pilatus foràs, & dixit: Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt, & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum uos, & ſecundum legem ueſtram iudicate eum. Dixerunt ergo Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam: Vt ſermo Ieſu implerentur quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus. Cœperunt autem accuſare, dicentes: Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem, ſe Chriſtum regem eſſe. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & uocauit Ieſum. Ieſus autem ſtetit ante præſidem. Pilatus ergo interrogauit eum, dicens: Tu es rex Iudæorum? At ille reſpondens, ait: À temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Reſpondit Pilatus: Nunquid Iudæus ego ſum? Gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti? Reſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique certarent, ut non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit itaque Pilatus: Ergo rex es tu? Reſpondit Ieſus: Tu dicis, quia rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc ueni in mundum, ut teſtimonium perhibeam ueritati. Omnis qui ex ueritate eſt, audit uocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid eſt ueritas?

COMMENTARIA.

Quoniam omnis poteſtas uitæ & necis erat apud Romanorum præſidem: ideo Dominum Ieſum ducunt ad præſidem. Varro præſidem dictum putat, quòd præiret iure & exercitu. Iam prætorium eſt ipſa domus prætoris: locus item in quo prætor ius dicit. Cæterùm ipſi Iudæi non ingreſſi ſunt prætorium, domum uidelicet ethnici hominis, ne contaminarentur, propterea quòd comedendus eſſet illis agnus Paſchalis, ad cuius eſum puri uolebant accedere: peruerſa nimirum religione, qui ſe crederent præſidis, quia Iudæus non erat, innoxia domo prophanari, quum ipſi tot artibus molirentur necem homini nihil commerito. Pilatus uerò ubi reſciuit uinctum quendam eſſe adductum, primoreſque populi Iudaici ipſius aduentum operiri ante prætorium: prodit foràs, & per initia quidem ſatis æquum & ſtrenuum præbet iudicem: Ducitis, ait, hunc ad me capite plectendum. Atqui non eſt moris Romani, quenquam afficere ſupplicio, niſi conuictum de crimine capitali. Quod igitur crimen huic intenditis? D. Cyrillus: Vir alienigena, inquit, Moſaicæ legi non ſubiectus, & incircumciſus, cauſas quærit diligenter, iniuſtum putans, hominem uexare innocentem. Illi autem parum de mandatis Dei curantes, cum nihil poſſent dicere, ut latronem tamen adduxerunt: Non iniuria ergo ad ſynagogam dicitur:

Viciſti

Viciſti ſorores tuas, Sodomam & Samariam, peccatis tuis, ſceleratius agens ab eis: iuſtificatæ enim ſunt à te. Ezechiel. 16. Pontifices autem clamorib. rem agunt, nõ argumentis. Sit tibi ſatis, inquiũt, pontificũ, Phariſæorũ & ſacerdotũ autoritas. Si non eſſet iſte maleficus, quæ noſtra eſt religio, non tradidiſſemus eum in manus tuas. Ita arbitrabantur abundè ſatis probatũ eſſe, Ieſum commeruiſſe mortem, ſi ipſi, qui uidebantur ſacerdotes eſſe ſummi Dei, patres totius populi, eruditione item & ſanctimonia præcellentes, dicerent Ieſum eſſe malefactorem. Tradunt uiri fide digni, Valerium Publicolam tuliſſe legem, ne quis indicta cauſa condemnaretur. Quia ergo Iudæi Ieſum poſtulabant ad ſupplicium, & legitimè agere nolebant, Pilatus indignitate rei commotus: Non eſt fas mihi, inquit, nullo accuſatum crimine hominem, ſecundum leges punire. Ipſi ergo eum ſecundum legem ueſtram iudicate, ſi etiam innocentes lex ueſtra condemnat. Ego Cæſaris nomine præſidem ago: ſi quid aduerſus huius leges commiſſum eſt, quod capitali ſupplicio dignum ſit, adferte: & legitimè conuictum afficiam ſupplicio. His auditis, Iudæi ſimpliciter negant ſibi ullam eſſe poteſtatem, ſupplicio extremo afficiendi quenquam. Hoc autem dixerunt, ſcientes necis & uitæ poteſtatem ſibi ereptam, traditamq; Romanorũ præſidi. Cæterùm hoc fore prædixerat Ieſus, Matth. 20. cuius prædictionis idcirco meminit Euangeliſta, ne quis putet inuitum ac ui ad mortem tractum Dominum fuiſſe. Quoniam autem Iudæi uidebant, apud tribunal profani iudicis plus æquitatis eſſe, magna crimina intendunt Ieſu: Deprehendimus, aiũt, hunc peruertentem populum. Hoc erat crimen ſeductionis atq; corruptelæ omnium tum diuinarũ tum humanarum rerum. Quando igitur ſuas traditiones uenditabant pro uerbo Dei, ideo quicquid eis erat aduerſum, damnabãt pro errore peſtifero. Inſimulant igitur Dominũ, quòd corrumpat atq; ſeducat ſimplices. Secundò accuſant eum, quaſi prohibentem tributa pendi Cæſari. Calumnia, & manifeſtum hoc erat mendacium. At plurimùm faciebat ad commouendam mentem iudicis in reum. Tertium, quod magis exacerbare potuit iudicis animum, illud eſt: Tenetur reus criminis læſæ maieſtatis. Dum enim ſe Meſſiam regem eſſe ait, Cæſari omni modo contradicit. Mox atq; audiſſet Pilatus regis uocem, rurſus ingreſſus eſt in prætorium, & accerſito ad ſe priuatim Ieſu, ut quid res eſſet expiſcaretur, dixit: Tú ne es rex ille Iudæorum, nimirum quem dicuntur expectare? Audierat enim Pilatus à Iudæis, expectari Meſſiam quendam, quem promiſerint Prophetæ, qui ipſos liberaturus ſit, oppreſſis Romanis & omnib. Iudæorum hoſtibus. Proinde rogat Pilatus, num Ieſus is liberator ſit? Ad quam quæſtionem reſpondens Dominus: Tu'ne talem, ait, me regem arbitraris: an alij hanc tibi opinionem ſuggeſſerint? Scio autem, te non poſſe huiuſmodi quiddam de futuro Iudæorum liberatore ex temetipſo habere, neq; me talem regem ſuſpicari. conſequens eſt itaque, falſa me tibi criminatione eſſe delatum. Hanc mitem & prudentem Chriſti reſponſionem audiens Pilatus, rem totam (ut D. docet Cyrillus) aperit, & Iudæos in medium adducit: Num ego Iudæus ſum, inquit, qui quicquam de futuro liberatore ſciam Iudæorum? eſt iſta de uenturo rege fabula. Gens illa cuius tu alumnus es, & pontifices qui religionis tuæ præſides ſunt, unà & te mihi uinctum tradiderunt, & affectati regni crimen tibi impegerunt. Quid ergo feciſti, quod tibi hoc criminis intentant? Hæc, quoniam Pilatus ſimpliciter ſciſcitabatur, Ieſus illi per ænigma dignatus eſt reſpondere, docens, aliud genus regni eſſe de quo Prophetæ fuiſſent locuti, longè ſublimius hoc regno quod humanis legibus, humanis præſidijs conſtaret. Sicq; (ut D. ſcribit Cyrillus) liberauit à formidine Pilatum, qui dignitatem Cæſaris in Iudæa ſeruare debebat. Regem ſe eſſe nõ negat Ieſus, mentiri enim non poterat: ſed regno Cæſaris non eſſe hoſtem oſtendit. Principatus eius mũdanus non erat: ſed cœli, terræ, cæterarumq; omnium creaturarum. Dicit ergo Ieſus: Regnum meũ non eſt terrenum, ſed cœleſte: ſi eſſet huius mundi, nimirum haberem & ipſe more cæterorum regũ inſtructas copias, decertantes armis pro me, ne Iudæis quod moliuntur in me, impunè liceret. Monuit S. Auguſtinus, Dominum non dixiſſe, Regnũ meum non eſt in hoc mundo: ſed, Non eſt de hoc mundo. In mundo enim & in terra eſt Eccleſia, quæ regnum Chriſti eſt: ſed hæc non eſt mundana. regitur enim ſpiritu Dei ſancto, defenditur protectione Dei altiſſimi è cœlo, & omnem huius mundi ſuperbiam & luxum conculcat. Audit autem Pilatus, Chriſtum non prorſus abnuere regis titulum, & tamen diſtinguere inter regnum ſuum & regnum mundi. dicit ergo: Eſt'ne uerum, te regem eſſe alicubi, quodcunq; ſit iſtud regnum quod ad nos non pertineat? Hic Ieſus ſeriò rogatus à iudice, an aliquo modo rex eſſet: quod uerum eſt, modeſtè profeſſus eſt. Natum autem iuxta D. Cyrillum aſſerit, ut falſitatem à mundo expelleret, & diaboli tyrannide deſtructa, Deum regnare faceret. Ergo regnum Chriſti, eſt regnum ueritatis, in

quo ui-

quo uidelicet prædicatur ueritas, ipſum uerbum Dei. Subditi huius regis, & regni huius municipes, ſunt omnes ueritatis ſtudioſi, qui uocē Chriſti audiunt, & doctrinæ eius obſequuntur. Quæ, quoniam Pilatus non intelligit, quid nam ueritas ſit, interrogat Ieſum.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

ET cum dixiſſet, Pilatus iterum exiuit ad Iudæos, & dixit ad principes ſacerdotum, & turbas: Nihil inuenio cauſæ in hoc homine. Et accuſabant eum principes ſacerdotum de multis. Et quum accuſaretur, nihil reſpondit. Tunc dicit ei Pilatus: Non audis, quàm multa aduerſum te dicant teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum uerbum. Pilatus autem rurſus interrogauit eum, dicens: Non reſpondes quicquam? Vides, in quantis te accuſent? Ieſus aūt amplius nihil reſpondit, ita ut miraretur Pilatus præſes uehementer. At illi inualeſcebant, dicentes: Commouit populū, docens per uniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa uſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit, ſi homo Galilæus eſſet? Et ut cognouit, quòd de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat illis diebus. Herodes autem uiſo Ieſu, gauiſus eſt ualde. Erat enim ex multo tempore, cupiens uidere eum: eo quòd audierat multa de illo, & ſperabat aliquod ſignum ſe uiſurum ab eo fieri. Interrogabat ergo illum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. Stabant autem principes ſacerdotum, & ſcribæ, conſtanter accuſantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum ueſte alba, & remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa hora. nam antea inimici erant ad inuicem. Pilatus autem conuocatis principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hominem hunc, quaſi auertentem populum: & ecce coram uobis interrogans, nullam cauſam inuenio in homine iſto, ex his in quibus eum accuſatis: ſed nec Herodes. Nam remiſi uos ad illū: & ecce nihil dignum morte actum eſt ei, Corripiam ergo illum, & dimittam.

COMMENTARIA.

Quoniam manifeſtè deprehenderat Pilatus, Chriſtum nullam parare rebellionem, nec affectare regnum: prodit, & ingenuè confitetur, accuſationem Iudæorum prorſus eſſe friuolam, & Ieſum eſſe innocentem. Quid multis opus eſt, inquit? examinaui hominem, nec ullum inuenio crimen in eo, capitis ſupplicio dignum. Cum autem rurſum inſtarent accuſatores, Pilatus cupiens ex ipſo elicere quo liberaretur: Non audis, inquit, quàm atrocia crimina tibi impingunt iſti? Ieſus autem ſe non dimiſſum iri ſciens, quantumuis ſe excuſaret, ad hæc nihil omnino reſpondit. ut quoque adimpleretur illud Eſaiæ: Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Et præſes uehementer admiratus eſt, hominem innoxium in periculo capitis tanta manſuetudine obticeſcere. At Pontifices & ſacerdotes minimè ſilent: quin de nouo inſtaurant accuſationem, ac clamant: Commouit, nimirum ſeditioſa prædicatione, uulgus noſtrum, ſeditioſum illud docendi genus orſus in Galilæa, & proſecutus per Iudæam, in metropolim uſque gentis Hieroſolymam, in qua omnes ordines turbat. Pilatus autem audiens hunc motum primò exortum eſſe in Galilæa, Romanorum legem ſequens (ut Theophylactus docet) mittit Dominum ad Herodem. Illa enim cauet, ut unuſquiſque ad tribunal ſuæ regionis iudicetur. Herodes rex tum temporis fortè erat Hieroſolymis: nimirum propter feſti religionem, quam (ſicut & pater eius fecerat) ſimulabat. Vbi uerò audiuit ille adduci Ieſum, gauiſus eſt eo ſpectaculo. Iam enim ex multo tempore habebat hominem cupiditas quædam & libido uidendi Ieſum, de quo tam multa audierat. Iam'que ſperabat, fore ut ſe quoque ſpectante miracula aliquot ederet, qualia didicerat ab eo permulta geſta. Vnde nos colligimus, Herodis animum non fuiſſe ſincerum, neque ueritatis diſcendæ cupidum. De Domino enim Ieſu non aliter iudicabat, quàm de mago quodam. Deſiderabat (inquit Theophylactus) & ipſe ſignum quoddam uidere à Ieſu, non ut credat: ſed ut oblectet oculos, ſicut in ſpecta-

culis uidemus præſtigiatores apparere, qui deuorant ſerpentes, gladios, ac ſimilia, &c. Ieſus autem qui non in hoc uenerat, ut impij principis libidini ſeruiret, ſed ut ſalutem omnium procuraret: nihil illi reſpondit. Vrgent interim pontifices & ſcribæ, & acriter accuſant eum apud Herodem, miſerè metuentes, ne quà reus elaberetur. Herodes, tametſi rex eſſet impius, tamen nihil commotus eſt illorum criminationibus: ſed indutum Dominum ueſte candida, ac illuſum tanquam morionem, ac ſtolidum regni petitorem, remiſit ad Pilatum. Gratum quoque interim erat, quòd Pilatus hoc honoris habuerit ſibi, ut uidendi Ieſu fecerit copiam. Itaque ex eo die coïjt amicitia inter Herodem & Pilatum, quum antehac inter eos fuerit ſimultas. Cæterùm Pilatus ubi uidet remitti reum, conuocatis pontificibus, ſcribis, primoribus, & populo qui illos comitabatur, ſic locutus eſt ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem, uelut auertentem populum ueſtrum ab obedientia Cæſaris, ac legum ueſtrarum: & ego uobis præſentibus uarijs interrogationibus conatus ſum ab eo expiſcari: uerùm nec reperio illum ulli horum criminum obnoxium, de quibus accuſatis eum. Idem accidit Herodi, qui me certius his de rebus poterat iudicare, peritus legum ueſtrarum. Qui quoniam comperit nullam in eo eſſe culpam capitalem, illuſit tantum homini: nimirum abſoluens à capitis periculo. Proinde præſtat, imitari & nos Herodis æquitatem: pœna quapiam caſtigatum dimittam hominem.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

PEr diem autem ſolennem conſueuerat præſes, populo dimittere unum uinctum, quem uoluiſſent. Habebat autem uinctum unum inſignem, qui dicebatur Barrabas, qui in ſeditione fecerat homicidium. Et cum aſcendiſſet turba, cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Eſt conſuetudo uobis, ut unum dimittam uobis in Paſcha. Vultis dimittam uobis regem Iudæorum? Quem uultis, dimittam uobis? Barrabam, an Ieſum qui dicitur Chriſtus? ſciebat enim, quòd per inuidiam tradidiſſent eum principes ſacerdotum. Sedente autem eo pro tribunali, miſit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi & iuſto illi. multa enim paſſa ſum hodie per uiſum, propter eum. Principes autem ſacerdotum & ſeniores, perſuaſerunt populis, & concitauerunt turbam, ut peterent Barrabam: Ieſum uerò perderent. Reſpondens autem præſes, ait illis: Quem uultis uobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barrabam. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus? quem dicitis regem Iudæorum? At illi ſucclamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Pilatus autem præſes tertiò dicebat ad eos: Quid enim mali fecit? nullam cauſam mortis inuenio in eo. At illi magis clamabant: Crucifigatur.

COMMENTARIA.

Mos erat apud Iudæos, ut in die feſto religionis gratia præſes dimitteret eis unum aliquem ex ijs qui ſeruabantur in uinculis. Habebat autem tunc in uinculis inſignem quendam ac famoſum latronem, cui nomen Barrabas, quod nomen ſciebat inuiſum populo. Conuocatis igitur ad ſe Iudæis, rogabat utrum uellent ſibi condonari: ſperans fore, ut præ tam infami notæque uiolentiæ latrone mallent abſolui Ieſum: ſciens, Ieſum non eſſe reum, ſed inuidia traditum. Sedente autem illo pro tribunali, ut pronunciaret in cauſa capitali, mittit ad eum uxor, qui diceret illi ſuo nomine: Ne obſecro contamines te cruore iſtius iuſtiſſimi hominis, nihil pronuncia contra innoxium. Dimitte quæſo nil mali commeritum: terribilibus enim uiſis hac nocte propter iſtum ſum uexata. Cæterùm cum populus nutaret, utrum mallent ſibi donari, ſuaſu ſacerdotum & ſeniorum factum eſt, ut ſibi poſcerent Barrabam, & huius loco Ieſus occideretur. Dum autem miſer populus conſilijs ſacerdotum prauis obtemperat, præſes (uolente ſic Domino, quo magis eluceſceret Chriſti uirtus, patientia & innocentia) urget plebem, denuò interrogans, quem ſibi deligat è duobus? At hæc inſtructa dolis ſacerdotum, deligit latronem. Rurſus Pilatus: Quid igitur agam cum Ieſu? &c. ſperans fore, ut mitiore quadam pœna forent contenti. At illi magna uocum conſenſu acclamant, crucifigendum eum: non ſolùm occidere uolentes eum (ut Theophylactus

phylactus ait) ſed et malam cauſam impingebant. Crux enim peßimorum ſupplicium erat. Quibus Pilatus: Quo iure, inquit, crucifigam innoxium? quid commeruit? Veſtrum fuerat, claris argumentis euincere, illum meruiſſe crucis ſupplicium atrox. Nullum ego crimen capitale comperio in eo. Multas liberandi Saluatoris Pilatus occaſiones dedit (inquit D. Hieronymus) primùm latronem iuſto conferens, deinde inferens: Quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus? hoc eſt, qui rex ueſter eſt. Cum'que reſponderent, Crucifigatur: non ſtatim acquieuit, ſed iuxta ſuggeſtionem uxoris, ipſe quoque reſpondit: Quid enim mali fecit? Hoc dicendo Pilatus, abſoluit Ieſum. Hæc ille.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

TVnc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius, & ueſte purpurea circumdederunt eum. Et ueniebant ad eum, & dicebant: Aue rex Iudæorum. & dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus foràs, & dicit eis: Ecce adduco uobis eum foràs, ut cognoſcatis, quia in eo nullam inuenio cauſam. Exiuit ergo Ieſus foràs, portans coronam ſpineam, & purpureum ueſtimentum. Et dicit eis: Ecce homo. Quum ergo uidiſſent eum pontifices & miniſtri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum uos, & crucifigite. ego enim non inuenio in eo cauſam. Reſponderunt ei Iudæi: Nos habemus legem, & ſecundum eam debet mori: quia filium Dei ſe fecit. Quum ergo audiuiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit. Et ingreſſus eſt prætorium iterum, & dicit ad Ieſum: Vnde es tu? Ieſus autem reſponſum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondit Ieſus: Non haberes poteſtatẽ aduerſus me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum: Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. Pilatus autem cum audiſſet hos ſermones, adduxit foràs Ieſum, & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos: Hebraicè autem, Gabbatha. Erat autem paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta. & dicit Iudæis: Ecce rex ueſter. Illi autem clamabant: Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: regem ueſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices: Non habemus regem, niſi Cæſarem. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius: uos uideritis. Et reſpondens uniuerſus populus, dixit: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Pilatus autem uolens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barrabam, & tradidit Ieſum flagellis cæſum, ut crucifigeretur.

COMMENTARIA.

Præſes Pilatus, ubi tentatis omnibus perſpiceret ſeſe nihil proficere apud furentem Iudæorum populum, quo uel ſic mitigaret illorum ueſaniam, & innocentem morti ſubduceret: iuxta morem Romanum iuſsit Ieſum uirgis cædi. Porrò milites qui aderant in atrio, de ſuo ingenio multam crudelitatem adiecerunt ſupplicio. Nam cæſo ludibrij cauſa induxerunt chlamydem purpuream, & coronam è ſpinis contortam impoſuerunt illius capiti. D. Chryſoſtomus graues has Chriſto contumelias irrogatas, & paßionem amariſsimam deſcribens: Extremas, inquit, certè ille contumelias ſuſtulit. Quippe eum non membrum unum, ſed uniuerſum corpus atroces has iniurias pateretur: caput corona, calamo, pugnis: facies ſputis, maxillæ alapis: corpus reliquum flagellis, nuditate, amictu chlamydis, adoratione ſimulata: manus calamo, quem pro ſceptro tenere dederunt: os quoque ipſum, & lingua, aceti potione & fellis affligebatur. Quid iſtis unquam grauius, quid contumelioſius excogitari poteſt? Omnem iſta excedunt orationem,

quæ illi quaſi timentes ne quid relinquerent, crudeliter excogitarunt, & audacter fecerunt. Hæc ille. Cæterùm quod ab ipſis recenſetur Euangeliſtis, mox tradita in manum ſceptri uice arundine, impij homines illi uelut regnum affectatum exprobrantes, Chriſto humili & contempto dicebant: Aue tu, qui uolebas eſſe rex Iudæorum. Fructum & uſum huius rei D. Cyrillus pulchrè exponens: Flagellatus, inquit, iniuria fuit: ut à uulneribus quæ iure peccatis noſtris perpeſſi ſumus, nos liberaret. Alapis cæſus, & illuſus eſt: ut illuſori Satanæ nos illudere poſſimus, & præuaricationis peccatum fugiamus. omnia enim propter nos, & pro nobis Chriſtus ſuſcepit, quæ repulſiuas uires habuerunt, quibus ea repulſa ſunt quæ nobis merito præuaricationis crimine acciderunt, &c. Vbi uerò tam Pilatus quàm Ieſus in eminentiore loco conſtitiſſent, ac iam cerni poſſet præſes, & exaudiri ab uniuerſa plebe, clamat ille: Neſcitis fortaſſe, quid cum rege ueſtro actum ſit in prætorio. Produco igitur illum ad uos foràs, ut ipſi cernatis, quàm miſerè ſit tractatus, & quòd nullam in ipſo inuenio cauſam necis. D. Cyrillus in hunc locum: Verum, ſcribit, in Chriſto inuenitur, quod dixerat: Venit princeps mundi huius, & in me non inuenit quicquam. Huc enim atque illuc reuolutis omnibus, nihil diabolus delicti poteſt inuenire, quo inuento iure quoq; Chriſtum poſſet detinere. Quare quemadmodũ totam naturam hominis in Adam uno ſuperatam peccato ſubiecit: ſic modò ab ipſa per unã ſuperatus eſt. Tantum ille. Porrò ut Iudæorum odium hac afflictione placaret Pilatus: Ecce, ait ad illos, ut miſerum tractari iuſſerim: adeò regem non refert ullũ, ut uix hominis aliquid in ipſo appareat. Quo ſanè tam triſti ſpectaculo potuiſſet quantauis barbarorum feritas miteſcere: uerùm animi Iudæorum non ſolùm non ſunt mitigati: ſed magis etiam accenſi, ut quod hactenus ſucceſſiſſet, perficerẽt. Quam execrandam illorum malitiam deteſtatus D. Cyrillus, dixit. Monſtrauit iniquè flagellatum, & à militibus illuſum rerum omnium Dominum, miſerabili'que hac re iram eorum ſedari poſſe putauit. Illi uerò ab omni humanitate fuerunt alieni, ut immanitatem ferarum excederent, feruentius'que clamarent, crudeliſſimo ipſum genere mortis occidendum. Quid enim amarius, aut crudelius cruce? &c. Ad illam uerò infandã Iudæorum truculentiam commotus Pilatus: Ego, inquit, iuris adminiſtrator ſum, & nocentes ex legum autoritate punio: non ſum innocentiæ carnifex. Quòd ſi certum eſt, illum in crucem agere: uos ueſtro periculo crucifigite. Ego non ſoleo crucifigere, niſi facinoroſos. In hoc nullum inuenio crimen, cruce dignum. Iudæi autem, ut erant inuicti & pertinaces in ſuo prauo & cruento propoſito, ueluti nouam accuſationem inſtituunt, ac dicunt: Vt maximè demus illum nihil peccaſſe in Cæſarem, uel rebellione uel affectatione regni, uel crimine maieſtatis læſæ: tamen nos legem habemus à Deo traditam, quam Cæſar etiam nobis relinquit, & ſecundum hanc legem commeruit mortem: quoniam diuinitatem ſibi arrogans, in Deum fuit blaſphemus. Lex extat Leuit. 24. Pilatus uerò magnitudine rei ad formidinem impellitur, & diligentius quærit quàm prius, unde & quis ſit. Credidit enim (ut mihi uidetur) poſſe Deum eſſe Chriſtum, licet homo uideretur: non tamen id ut decet, neque à Scriptura, ſed errore gentili inductus credidit. Semideos enim & Deorum filios (ut D. teſtatur Cyrillus) gentilium fabulæ multos confingunt. Romani uerò etiam Imperatoribus ſuis Dei nomen donabant, & aras eis conſtituebant. Reduxit ergo Ieſum iterum in prætorium, ac cupit expiſcari originem ipſius. Ethnicorum enim Dij patria atque gente clari erãt, atque inſignes. Cæterùm Pilatus ad hanc ſuam quæſtionem nullam merebatur reſponſionem, nõ tam quòd contra ius & phas præcepiſſet flagellari Ieſum, quàm quòd prophanus & impius non ſine cachinno dixerat, Quid eſt ueritas? Pilatus admiratus hominis ſilentium: Cur taces? inquit. An ignoras, coram quo conſtitutus ſileas? Is ſum, ſi forté neſcis, cuius uitæ & necis eſt in te. In meo enim arbitrio liberum eſt, uel crucifigere te, uel dimittere. Dominus autem Ieſus, quantumuis patiens & longanimis, non fert tamen inſolentem prophani præſidis arrogantiam: Non poſſes mihi, inquit, quicquam nocere, niſi id tibi permiſſum eſſet cœlitùs. Habes tu quidem poteſtatem iuxta leges humanas: Dei uerò poteſtas ſuperat omnem humanam poteſtatem. Ais tu, tibi eſſe in me poteſtatem uitæ & necis, propterea peccas: qui uidelicet noſti me eſſe innoxium, & cum poſſis liberare, non autem liberas. Grauius autem peccant Iudæi, quia me tibi & tradiderunt, & nunc te in excidium meum impellere non ceſſant. Hoc audito Pilatus quum intelligeret hominis & modeſtiam & innocentiam, & Iudæorum malitiam, tentabat omnes uias, ut aliquo pacto Ieſum abſolueret. Id ſentientes Iudæi deprauatiſſimi, ad primam conuertuntur calumniam, urgentes Pilatum affectati regni crimine, quod iterum impingunt Chriſto: Cæſar, inquiunt, Iudæorum Domi-

nus & rex eſt, qui hoc nomine te Pilate præfecit Iudææ, ne quis oriatur motus, & ut in fide Cæſaris retineatur populus Iudaicus. At iſte ſe regem facit. Tu itaque uideris, quomodo tuo ſatisfeceris officio, ſi huic fauere perrexeris perduelli. Quòd ſi hunc abſolueris, non es amicus Cæſaris, qui faueas Cæſaris hoſti. Cum hæc audiſſet Pilatus, metuebat, ne Iudæi ſibi magnam apud Cæſarem inuidiam calumnijs excitarent: metuebat item dignitati & honori, ne fortè deponeretur per Cæſarem. Proinde prodit tandem forâs in publicum, ac ſedet pro tribunali in loco edito, ut omnibus eſſet conſpicuus, nomine & loco Cæſaris, imperijque Romani ſententiam pronunciaturus in Ieſum. Productus eſt igitur Ieſus, ueluti reus, in coronam totius populi. Erat autem præparationis dies, quo Iudæi parabant omnia quæ ad feſtum erant neceſſaria. Præſes uerò ait ad illos: Illud unicum crimen eſt, quod miſero huic intenditis, quia regem ſe ueſtrum eſſe dixit. Atqui liquet uel ex ipſa miſeri hominis ſpecie, quàm in eum non competat affectatæ tyrannidis crimen. Ecce quàm nihil regium uel ſpiret, uel præ ſe ferat. Tum accuſatores Iudæi ad clamores & tumultum conuertuntur, et nihil aliud ſitientes quàm ſanguinem innoxium, clamant: Tolle eum, indignus enim eſt quem terra ferat: ut crucifigatur mortalium nequiſſimus, poſtulamus. Ea importunitas cum non poſſet probari Pilato, nec tamẽ ſeriò ipſam compeſcere uellet, non ſine contemptu & irriſione inſanæ mentis: Quid, inquit, an regem ueſtrum tanta afficiam ignominia, ut ſuffigam in crucem? Hoc dedecus recidet in gentis ignominiam, quæ regem ſuum ad crucem adegerit. Iudæi, & in primis principes ſacerdotum, Meſſiam ſuum abnegant, & Cæſarem Dominũ agnoſcunt: Non agnoſcimus, inquiunt, ullum regem. Cæſar Tiberius, ille noſter rex eſt. Viuat ille, & pereat hic pſeudorex Ieſus Galilæus. Ad hunc clamorem grauiter perculſus Pilatus, intelligit Ieſum non poſſe abſolui, niſi magno ſuo malo, quod apud Cæſarem ſibi à Iudæis adornandum præuidebat. Sibi ergo cum maximo innoxij detrimento conſultum cupiens, permiſit Iudæorum arbitrio Ieſum, ut per ſuos milites crucifigeretur. Quo autem teſtatior eſſet hæc res, minusq́ue ueniret in obliuionem apud homines, celebri ac ſpectabili ipſam conſecrat ſymbolo. Nam iubet palàm proferre aquam, hacq́ue ſedens in conſpicuo loco, & conſpiciente uniuerſa plebe, abluit manus, his ſimul additis uerbis: Vos eſtis huius mortis autores, non ego: in ueſtrum caput recidet ultio ſanguinis huius innoxij. Ad hæc uerba Pilati pulchrè reſpondens D. ille Chryſoſtomus, ait: Cur igitur tradis, cur non eripis, ſicut poſtea militum tribunus Paulum? qui etiam ſciebat gratum fore Iudæis, ſi Paulus traderetur. Et quanquam ſeditio atque tumultus ea de re ortus fuerat: reſtitit tamen generoſè, atq; repugnauit, &c. Et quòd tam iniquiſſimam in Dominũ Ieſum tulit ſententiam Pilatus, tantis ac talibus malorum cladibus cruciatus eſt (teſte Euſebio) ut propria ſe manu tranſuerberans, nephariam uitam ui abieciſſe referatur. Nec enim poterat tanti piaculi miniſter impunitus euadere. Vide autem ſtupendam cæcitatem, & rabiem quandam ferinam indurati & perditiſſimi populi Iudaici. Nihil territi tanta obteſtatione, in ſe recipiunt omne malum: ſeſe deuouent, imò in poſteros deriuant omnem culpam atque uindictam. Clementiſſimus tamen Ieſus (ait D. Chryſoſtomus) quamuis ipſi maximè & aduerſus ſe & aduerſus filios inſanirent: non tamen ex ſententia ipſorum eos condemnauit, ſed tam ex ipſis quàm ex filijs ſuſcepit qui pœnitentiam egerunt, milleq́ue bonis honorauit. Nam & Paulus ex ipſis erat, & multa eorum milia, qui Hieroſolymis in Chriſtum crediderunt, &c. Pilatus itaque uictus illorum pertinaci ueſania, condonauit illis Barrabam, autorem ſeditionis & homicidam, & omnium iudicio damnatum: Ieſum autem ex more Romano flagris cæſum, tradidit ut crucifigeretur.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

TVnc milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorio, congregauerunt ad eum uniuerſam cohortem. Et exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerũt ſuper caput eius: & arundinem in dextera eius. Et genu flexo ante eum illudebant, dicentes: Aue rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et poſtquam illuſerunt ei, exuerũt eũ chlamyde, & induerunt eum ueſtimentis eius, & duxerunt eum ut crucifigeretur. Et baiulans ſibi crucem Ieſus, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè Golgatha. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonẽ quendam Cyrenenſem, uenien-

uenientem de uilla, patrem Alexandri & Rufi: hunc angariauerunt, ut tolleret crucem eius. Et impoſuerunt illi crucem portare poſt Ieſum. Sequebatur autem illum turba multa populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuerſus autem ad illas Ieſus, dixit: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me: ſed ſuper uos ipſas flete, & ſuper filios ueſtros. quoniam ecce ueniunt dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & uentres qui nõ genuerũt, & ubera quę nõ lactauerũt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Cooperite nos. Quia ſi in uiridi ligno hoc faciũt, in arido qd fiet?

COMMENTARIA.

Suſcipiunt ipſum Ieſum ut damnatum, milites Roman. Congregatur ergo ad ſupplicium ſumendum uniuerſa militum cohors. Præſidium enim militum habebat Pilatus Hieroſolymis, ad cõpeſcendos motus tumultuantis populi Iudaici. confluxerant iſti ex multis nationibus: unde erant inter eos audaciſſimi nebulones. Hi pro ingenio ſuo crudeliſſimo, uelut exprobraturi homini tam contempto ſuperbiam affectati regni, exuunt ſuis ueſtibus Dominum, & induunt ei pallium regale. Deinde diadematis loco coronam imponũt capiti, è ſpinis contextam. Sceptri loco arundinẽ dant illi in dextram. Iamq; ueluti cõſalutantes nouum regem, flexis genibus illudunt eum. Nec his contenti contumelijs, expuerunt in eum, & arundine quam ſceptri uice dederant, percutiunt ſpinis coronatum caput eius: nimirum ut aculei figerentur altius. Poſtquam igitur milites omni ludibriorum genere ſatiaſſent animos & oculos cohortis, rurſus detrahunt illi chlamydem, & induerunt eum ueſtimentis proprijs, quo magis agnoſceretur ab omnibus. Iam ergo paratis omnibus, & effuſa ad ſpectaculum tota urbe, educunt milites è prætorio Ieſum, uerberibus & uexationibus infandis fatigatum debilitatumq;, baiulantem crucẽ ſuam: quod nouum erat crudelitatis genus. Porrò dum in itinere Dominus graui crucis pondere oppreſſus, atq; continua illa diuexatione exhauſtus ſubinde magis ac magis deficeret, neque iam uideretur crucem ad locum uſq; ſupplicij baiulare poſſe: adiungunt ipſi ſocium, Cyrenenſem quendam Simonẽ, quẽ renitentẽ quidẽ ſtrenuè, militari ferocia cõpellunt baiulare crucẽ Ieſu. Et uenerunt in locũ ubi crucifigendus erat, qui dicebatur Caluariæ locus, quòd funeſtus eſſet oſſibus et caluarijs interfectorum. Comitabatur autem Ieſum numeroſa multitudo populi ac mulierum, quæ ſacerdotib. ac ſcribis gaudentibus lamentabantur de morte innocentis. Ieſus aũt qui ſuã mortem nõ lugubrem, ſed glorioſam eſſe uoluit: nec eam deplorari, ſed adorari, ut quæ ſponte pro ſalute totius mundi ſuſcipiebatur: compeſcuit illarum lamentationem, quanquam ab affectu pio proficiſcẽtem, ac dixit: Filiæ Hieroſolymitanæ, nolite deflere me: ſed ueſtram ipſorũ ac filiorũ ueſtrorũ uicẽ deflete. Non enim eſt deflenda mors innocentis: ſed illorum exitium deplorandum eſt, qui pro ſuis ſceleribus & hic miſeris cladibus afficientur, & in poſterum pœnis addicentur æternis. Imminet enim huic regioni tam miſeranda calamitas, ut homines appellaturi ſint eas mulieres beatas, quæ nõ genuerũt, & felices uteros qui nullũ fœtũ ediderũt, feliciaq; ubera quæ nunquam lactauerunt. Grauius enim cruciatur materna pietas in malis liberorũ, quàm proprijs. Nunc exultant pleriq;, quaſi re bene geſta: ſed quũ uenerit ille dies ultionis diuinæ, tanta formido malorũ ingruentium corripiet animos illorum, ut montibus dicturi ſint, Obruite nos: & collibus, Operite nos. Etenim ſi hæc faciũt in uiridi ligno: id eſt, in filio Dei nihil mali merito, ac Deus permittit illa fieri: quid quæſo aridi Iudæi, et omnes impij expectabunt à iuſto iudice Deo? Quib. ſanè uerbis Dominus Ieſus teſtatus eſt ſummã innocentiã ſuã q. ſolus eſſet hominũ, nullo uiciorum carie uitiatus; ſed omni uirtutum genere totus florens, ac perpetuò germinans.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

DVcebantur autem & alij duo nequam cum eo, ut interficerentur. Et uenerunt in Caluariæ locum. Et dederunt ei uinum myrrhatũ bibere, cum felle mixtũ: & cum guſtaſſet, noluit bibere, & non accepit. Et ibi crucifixerũt eum, & latrones, unum à dextris, & alterũ à ſiniſtris, hinc & hinc. medium autem Ieſum. Et implera eſt Scriptura, quæ dicit: Et cum impijs deputatus eſt. Ieſus autem dicebat: Pater, dimitte illis. non enim ſciunt, quid faciunt. Scripſit autem Pilatus titulũ cauſæ eius, & poſuit ſuper crucem, ſuper caput eius.

Erat

Erat autem ſuperſcriptio ſcripta ſuper illum literis Græcis, Latinis, & Hebraicis: Hic eſt Ieſus Nazarenus, rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Iudæorum, quia prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus eſt Ieſus. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli ſcribere, Rex Iudæorum: ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi. Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt ueſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partem: & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non ſcindamus eam: ſed ſortiamur de ea, cuius ſit. ut impleretur Scriptura, dicens: Partiti ſunt ueſtimenta mea ſibi, & in ueſtem meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Erat autem hora tertia. Lucæ. Et ſtabat populus expectans, &c.

COMMENTARIA.

Inter eundū euenit & hoc, quòd Domino adducti & copulati ſunt infames duo latrones. Hoc procuratum erat à Iudæis hauddubiè, quo magis infamem redderent Dominum, iunctū tam odioſo hominū ſodalitio. Peruenit tandem Dominus multa cum anxietate ad infamem illum locum, in quo decutiebantur capita damnatorū, in quo item crania illorum hominum albicabant. Hic, ne qua pars corporis eſſet à cruciatu libera, ne quid omitteretur ludibrij: porrexerunt illi poculum ad bibendum, aceto & felle temperatum: nimirum factum fuit hoc, ut impleretur illud uaticiniū: Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti potauerunt me aceto. In hoc autē caluariæ loco, teſte Hieronymo, crucifixus eſt Dominus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigeretur uexillū martyrij. Et quomodo pro nobis crucis maledictū factus eſt: ſic pro omnium ſalute quaſi noxius inter noxios crucifigitur, &c. In caluariæ ergo loco crudeliter cruci affigitur clauis Chriſtus, ac medius inter duos ſuſpenditur latrones, ueluti latronū anteſignanus. Ieſus aūt adeò nō ulciſcitur, adeò non regerit cōuicia, ut patrē oret pro his à quibus indigna patiebatur. Nec fuit inefficax deprecatio. Multi enim ex his qui per errorē adegerūt Dominum ad crucem, cognita ueritate per Apoſtolorū prædicationē profeſſi ſunt nomen crucifixi: ſicut manifeſtè teſtātur acta Apoſtolorū. Solebat autē iuxta morē Romanorū, facinoroſis pœnam nunc pendentibus affigi cauſa uel crimen, propter quod ſic affligerentur. Proinde Pilatus curauit cruci ſaluatoris Ieſu imponi titulum: quo nimirum ipſā etiam inſcriptione teſtatam faceret & Iudæorū maliciam, & pendentis innocentiam. Hunc titulū quo magis grauaret inuidia pontifices & Phariſæos, curauit triplici lingua deſcribendum: utpote tunc maximè uulgaribus. Cæterùm Iudæi hunc titulū legentes, grauiter offenduntur. Agunt itaq; cū præſide de mutando titulo, ne ſcriberetur Rex Iudæorum: ſed, quòd ſibi nomē hoc falſò uſurpaſſet. Pilatus aūt cum indignatione ipſos reijciens, negauit ſe hic quicquā mutaturū. Iam ubi crucifixus eſſet Ieſus, et titulus cruci infixus, penderetq; iam nudo corpore inter latrones: milites qui crucifixerāt eum, ex cōſuetudine partiebātur inter ſeſe ueſtimēta Ieſu. Nā hoc illis cedebat uelut in operæ præmiū. Supererat aūt tunica, ueſtis interior, ita cōtexta à ſummo uſq; ad imū, ut diſſecta futura eſſet inutilis. Viſum eſt itaq; militibus, ut hæc nō ſcinderetur: ſed ei tota cōtingeret, cuicūq; ſors fauiſſet. Hæc autem euentura aliquando Meßiæ, prædixerat iam olim Dauid in pſalmo myſtico, dicens: Partiti ſunt inter ſe ueſtimenta mea; & ſuper ueſte mea miſerunt ſortes.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

STabat autem iuxta crucem Ieſu Maria, mater eius, & ſoror matris eius, Maria Cleophe, & Maria Magdalena. Cum uidiſſet ergo Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem quem diligebat, dixit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua, & dicentes: Vah, qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas. Salua te ipſum: ſi filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & principes ſacerdotum illudentes ad alterum cum ſcribis & ſenioribus, dicebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluū facere. Si rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credemus ei. Cōfidit in Deo: liberet eū, ſi uult, dixit enī: filius Dei ſum. Alios

ſaluos fecit:ſeipſum ſaluum faciat,ſi hic eſt Chriſtus Dei electus. Illudebāt autem ei & milites accedentes,& acetum offerentes illi, & dicentes: Si tu es rex Iudæorum,ſaluum te fac. Vnus autem ex his qui pendebant, latronibus, blaſphemabat eum,dicens: Si tu es Chriſtus,ſaluum fac teipſum, & nos. Reſpondens autem alter,increpabat eum,dicens:Neq; tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iuſtè:nam digna factis recipimus.hic uerò nihil mali geſsit.Et dicebat ad Ieſum:Domine memēto mei, dum ueneris in regnum tuum.Et dixit illi Ieſus:Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Erat autem ferè hora ſexta.

Matthæus: Idipſum autē & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabāt ei.

COMMENTARIA.

Non inutiliter huius quoq; rei Euāgeliſta meminit. Acceßit enim & illud ad malorum dolorumq; cumulum, quòd Domino amicißimi homines unà cum matre eius aderant. At à dilectißimis maximeq; familiaribus per mortem diſiungi, non modicè affligit hominis mentem. Ieſus igitur de cruce conſpiciens matrem ſuam, ſimulq; diſcipulum quem cæteris familiarius dilexerat, dicit: Mulier,ne putes te eſſe deſolatam,diſcipulus iſte meus integerrimus, erit tibi poſthac filij loco: is res tuas diligenter curabit, & in omnibus fidelis tutor tibi aderit. Mox autem & ad diſcipulum conuerſus: Ecce, inquit, commendo hanc mulierem tuæ fidei: quam non minori affectu & cura recipies,quàm ſi mater tua eſſet. Atq; ex eo tempore diſcipulus ille ſuſcepit erga matrem Ieſu affectum filij,per omnia curam illius agens. Nam in ſua,concordantibus & antiquißimis uoluminibus,poſuit: pro eo quod eſt, in ſuum ius uel ſuam curam. Sic etiam interpretatur D. Ambroſius hæc Domini uerba,in libello ad uirginem. Porrò ut piè credendum,indoluit uirgo & mater Ieſu Maria,& dolore quidem acerbißimo,dum coràm cerneret, unicè charum illum filium tantis diſcruciari tormentis. Hic certè dolor à Simeone prænunciatus fuit Lucæ 2. Atqui tanta fuit in ea uirtutum gratia, ut omnia in ipſa modeſta & decora fuerint. Et qui uirginem reddidit fœcundam, ut nihilominus intemerata maneret, ſic conſolari ac confirmare potuit,ut mortem filij toti mundo ſalutarem, modeſtißimo ferret animo. Cæterùm tantis malis Ieſu illatis, nondum erat ſaturata Iudæorum crudelitas. Inſultant crucifixo,ac prætereuntes conuicia iaciebant in eum motis capitibus; ſubſannantes eum,ac dicentes: Tu'ne ille es, qui demoliris templum Dei auguſtißimum, & in triduo rurſus inſtauras? Iactaſti diuinam potentiam, dixiſti te eſſe benedictum omnipotentis Dei filium: Si talis es, deſcende de cruce. Item: Alijs ſalutem contulit, nunc ſibi ipſi non poteſt eſſe ſaluti. Si rex eſt ille promiſſus Iſraeli, ut uideri uoluit, declaret nunc quid poßit, exerat potentiam ſuam, uincat hoſtes ſuos: & credemus, ipſum eſſe diuinitùs nobis miſſum Meßiam. Fraudulenta hæc erat promißio, inquit S. Hieronymus. Quid eſt plus, De cruce deſcendere adhuc uiuentem, an de ſepulchro mortuum reſurgere? Reſurrexit: & non credidiſtis. Ergo ſi etiam de cruce deſcenderet, ſimiliter non crederetis. Sed mihi hoc uidentur dæmones immittere. Statim enim ut crucifixus eſt Dominus, ſenſerunt uirtutem crucis, & intellexerunt fractas eſſe uires ſuas: & hoc agunt, ut de cruce deſcendat? Sed Dominus ſciens aduerſariorum inſidias, permanet in patibulo, ut diabolum deſtruat. Hæc ille. Præterea obijciunt impij illi Domino fruſtratam ſpem, & blaſphemiam in Deum: Docuit, aiunt, perpetuò fidem in Deum, & neminem confundi qui firma in Deum fide ſit: id ſi ita habet, liberet ipſum Dominus, cui nimirum credidit: hoc cum non fiat, certum eſt, Ieſum illum nec eſſe filium Dei, nec Deum ipſi bene uelle. Quod aūt Matthæus ſcribit de latronibus, exiſtimat D. Hieronymus, quòd primùm uterq; blaſphemauerit: dehinc ſole fugiente, terra commota, ſaxiſq; diſruptis, & ingruentibus tenebris (ſic enim ſcribit) unus crediderit in Ieſum, & priorem negationem ſequenti confeßione emendauerit. Sed uideamus & expendamus diligenter, quæ hic latro fecerit & dixerit. Principiò diſplicet ipſi ex animo blaſphemia ſocij, quem ſuper ea acriter obiurgat: Tu, inquit, ſi moriturus non uerêris homines, certè Deum metuere debes, qui morituro inſultas, præſertim cum ſis illi ſupplicij ſocius: uel hoc ſolùm debebat te à conuicijs cohibere, etiamſi ſocius eſſet criminis. Nunc alia eſt illius, alia noſtra conditio. Nos pro malefactis pœnas damus: ille innoxius moritur. Hæc omnia magni in latrone ſpiritus, & optimi quidem fructus ſunt. Deinde idem ille non deſperat in ſceleribus, licet maximis, non deſpondet animum in cruciatibus grauißimis: ſed ſicut patientißimè patitur tormenta, ita rectà confugit ad miſericor-

diam

dicam Dei, & ſupplex fit Chriſto, cui ſe & ſuam ſalutem per fidem hiſce commendat uerbis: Domine, memento mei, etc. Mira fides latronis, qui cum uideret pendentem ac morientem, cruce moriturus & ipſe, ſalutem uelut à rege petit. Agnouit ergo latro ille immortalitatem animorum, & quòd poſt hanc uitam ſit parata conſortibus Chriſti uita longè iucundiſſima. Hinc beatus Auguſtinus auſus fuit hunc conferre cum beatis Apoſtolis. De anima enim & eius origine: Tanto, inquit, ponderè appenſum eſt, tantumq; ualuit apud eum qui hæc nouit appendere, quòd confeſſus eſt Dominum crucifixum, quantum ſi fuiſſet pro Domino crucifixus. Tunc enim fides eius de ligno floruit, quando diſcipulorum marcuit: niſi cuius mortis terrore marcuerat, eius reſurrectione reuireſceret. Illi enim deſperauerunt de moriente, ille ſperauit in commorientem: refugerunt illi autorem uitæ, rogauit ille conſortem pœnæ. doluerunt itaq; tanquam hominis mortem: credidit ille regnaturum eſſe poſt mortem. deſeruerũt illi ſponſorem ſalutis: honorauit ille ſocium crucis. Inuenta eſt in eo menſura martyris, qui tunc in Chriſtũ credidit, quando defecerunt qui futuri erant martyres. Et hoc quidem oculis Domini clarum fuit, qui non baptizato, tanquã martyrij ſanguine abluto, tantam felicitatem ſtatim contulit. Hactenus Auguſtinus. Dominus Ieſus ergo, qui mutus erat ac ſurdus ad omnia cõuicia, non eſt ſurdus ac mutus cum fiducia poſtulanti: Illud, inquit, confirmo tibi, hodie mecum futurus es in paradiſo: nimirum requiem ac refocillationem pollicens mox à peracto ſupplicio. Sic ſanè (ut Theophylactus ſcribit) latro eſt in paradiſo, hoc eſt, regno: & non ſolus ipſe, ſed & omnes quos enumerat Paulus in epiſtola ad Hebræos, etiamſi nondum promiſſionem acceperint. Promiſſionem enim dicendo, integram felicitatem poſuit, Hebr. cap. 11.

CAPVT TRICESIMVM.

A' Sexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper uniuerſam terram, uſq; ad horam nonam, & obſcuratus eſt ſol. Et circa horam nonam exclamauit Ieſus uoce magna, dicens: Eli Eli, lamaſabachthani. Quod eſt interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Quidam autem illic ſtantes, & audientes, dicebant: Eliam uocat iſte. Poſtea ſciens Ieſus, quia iam omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo poſitum erat, aceto plenum. Et continuò accurrens unus ex eis, acceptam ſpongiam impleuit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri uerò dicebant: Sine, uideamus an ueniat Elias, liberans eum. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et clamans uoce magna ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritũ meum. Et hæc cum dixiſſet, inclinato capite emiſit, tradidit ſpiritum. Et ecce uelum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſq; deorſum. Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum qui dormierant, reſurrexerunt, & exeuntes de monumento poſt reſurrectionem eius uenerunt in ciuitatem ſanctam, & apparuerunt multis. Centurio autem & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum, uiſo terræmotu & his quæ fiebant, & quia ſic clamans expiraſſet, timuerunt ualde, dicentes: Verè filius Dei erat iſte. & glorificauit Deum centurio, dicens: Verè hic homo iuſtus erat. Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & uidebant quæ fiebant, percutientes pectora ſua, reuertebantur.

COMMENTARIA.

Conuenit & tempus noſſe, quamdiu durarit ſacroſanctum immolati corporis Ieſu in cruce pendentis ſacrificium. Cum autem ſexta hora nobis duodecima ſit, conſtat paulo ante duodecimã damnatum, & ad ſupplicium eductum eſſe Dominum, & duodecima ſuffixum in crucem. Quo facto ſol ipſe ſenſit innoxij ſupplicium, & huius facinoris tam impij non ſuſtinuit eſſe ſpectator: obduxit ergo atra nube faciem ſuam, & totam terram caligo quædã obtexit. De qua re in hunc ferè modum ſcribit Paulus Oroſius: Ad horã diei ſextam ſol in totũ obſcuratus, tetraq; nox ſubitò obducta terris eſt, impiaq; æternã timuerũt ſecula noctẽ. Vſqueadeò aũt neq; lunã lumini ſolis, neq; nubes obſtitiſſe manifeſtũ eſt, ut 14 luna ea die tota cœli regione interiecta, longiſſimè à conſpectu ſolis abfuiſſe,

abſuiſſe, & ſtellas tunc diuturnis horis, uel potius in illa horrenda nocte toto cœlo fulſiſſe referatur. Quod non ſolum ſanctorum Euangeliorum fides, ſed etiam aliquanti Græcorum libri atteſtantur. Hæc ille. Porrò cum iam tribus propemodum horis uiuus in cruce pependiſſet Dominus Ieſus, & ſentiret ipſam mortem nunc fores pulſare: conuerſus ad Deum patrem, clamat. Sunt autem hæc non deſperantis uerba: ſed in magna anguſtia conſtituti, maximoq́; cum deſiderio optantis finem tandem diu perpeſſis imponi malis. Et uidetur derelinquere, in præſenti eſſe, permittere. ut ſit ſenſus: Deus meus, quare ſinis me ita excruciari? quare hæc hoſtibus meis permittis? quando tandem liberabis? Quidam autem aſtantes, et audientes procul Eli, ſuſpicabantur eum implorare auxilium Eliæ prophetæ, de quo 4. Regum 2. S. Hieronymus: Non omnes, inquit, ſed quidam, quos arbitror milites fuiſſe Romanos, non intelligentes ſermonis Hebraici proprietatem: ſed ex quo dixit Eli, putantes Eliam ab eo inuocatum. Sin autem Iudæos qui hoc dixerint, intelligere uoluerimus: & hoc more ſibi ſolito faciunt, ut Dominum imbecillitatis infament, qui Eliæ auxilium precetur. Tantum ille. Tum Ieſus ut oſtenderet ueram eſſe mortem quam pro omnibus oppetebat, clamauit ſe ſitire. Et quod ſiti ſit preſſus, ueriſsimum eſt. Solent enim qui hoc ſupplicij genere moriuntur, uehementer diſcruciari ſiti: ſanguine uidelicet per uulnera corporis exhauſto. Et accurrens quidam, ſpongiã imbuto aceto admouit ori pendentis. Fecit forſan miles illud, ut citius excederet Chriſtus. Plutarchus enim teſtis eſt, acetum uulneratis porrectum maturare mortem. Theophylactus autem exiſtimat, milites hoc facto declarare uoluiſſe impietatem ſuorum morum. D. Hieronymus autem: Sed hæc, inquit, facta ſunt, ut compleretur prophetia, Pſal. 68 In ſiti mea potauerũt me aceto. Quidam uerò dixerunt: Ne propinaueris acetum, expectemus potius an Elias illum ſit à cruce depoſiturus. Cum uerò guſtaſſet acetum Ieſus, dixit: Conſummatum eſt: ſignificans iam ritè peractum ſacrificium iuxta patris uoluntatem, & ſatisfactum pro peccatis pariter, & omnibus quæ prædixerant implenda lex & Prophetæ. Hæc ubi præmiſiſſet Dominus, clamauit iterum uoce magna: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Hæc uerba ſumpſit Dominus ex Pſalmo 31. quem fortaſſe recitauit in cruce integrum. Eſt autem commendare, ueluti commendatur depoſitum ſeruandum, ac ſuo reddendum tempore. Dominus uerò poſtquam animam ſuam commendaſſet patri, inclinato capite expirauit. Hæc nobis magnæ ſpei fundamentum atq; originem præbet (dicit beatus Cyrillus.) Credere namq; debemus, cum à corporibus ſanctorum animæ abierint, tanquam in manus chariſsimi patris, bonitati diuinæ commẽdari: nec, ut quidam infidelium crediderunt, in terris conuerſari, quo uſq; ſepulturæ honoribus affectæ ſint: nec ut peccatorum animæ, ad immenſi cruciatus locum, id eſt, ad inferos deferri, itinere hoc nobis à Chriſto primùm præparato, ſed in manus potius patris euolare. Tradidit enim animam ſuam manibus genitoris, ut ab illa et per illam facto initio, certam huius rei ſpem habeamus, firmiter credentes, in manibus Dei nos poſt mortem futuros, uitamq́; multo meliorem, ac perpetuò cum Chriſto uicturos. Ideo enim Paulus deſiderauit reſolui, et eſſe cum Chriſto. Hæc ille. Quia uerò commiſerat patri benigno & iuſto omne negocium ſuum, Ieſus ipſe interim ueluti eſſet nocentiſsimus, patienter omnes ferebat iniurias, & tandem mortẽ probroſiſsimam. Decebat nunc, & exigebat ipſa res, ut filij innocentiam tueretur pater. Fiunt itaque nunc pariter ſtupenda quædam prodigia, uel totum mundum excitantia ac protinus omnia teſtata ſunt mortem efficacem Domini Ieſu. Principiò uelum templi quod ſeparabat ſancta à reliqua parte templi, ultrò ſciſſum eſt in duas partes: indicans, Moſaicæ legis umbras poſthac euanituras ad coruſcantem Euãgelij lucem. Ioſephus quoq; refert, uirtutes angelicas præſides quondam templi, tunc pariter conclamaſſe: Tranſeamus ex his ſedibus. Deinde motu horribili commouetur terra, diſsiliuntq́; petræ, tanquam indignitate rei, ac horrore quodam concuſſæ, Iudæis exprobrantes cordis inuincibilem duritiem. Ad hæc monumenta aperta ſunt, atq; mortui euidenter reſurrexerũt, ut reſuſcitato à mortuis Domino, ipſi quoq; ingrederentur ciuitatem, & apparerent multis, ueluti præcones reſurrectionis Ieſu. S. Hieronymus ſcribens in hunc locum: Quomodo, inquit, Lazarus mortuus reſurrexit: ſic & multa corpora ſanctorum reſurrexerunt, ut Dominum oſtenderent reſurgentem. Et tamen cum monumenta aperta ſint, non antea reſurrexerunt quàm Dominus reſurgeret, ut eſſet primogenitus reſurrectionis ex mortuis, &c. Cæterum Centurio qui Romanus erat, à præſide Pilato miſſus, ne quid orireturtumultus, & huius comites, ſentientes prodigia, & quod ſic clamans expiraſſet, (ſolent enim morientes paulatim deficere, ita ut morti uicini ægrè trahant anhelitum, tantum abeſt ut uocem ullam emittant:) uehementer

timuerunt,

timuerunt, dicentes ipſum eſſe uerum filium Dei. O' miram rem. Ethnicus ſignis credit, cum his qui ſecum erant, inquit Theophylactus: Iudæi autem qui legem & Prophetas audierant, increduli manent. Tantum malum eſt malignitas. Et teſtificatur hic centurio Chriſtum. Cum autem in turba populi promiſcui ſemper ſint uiri honeſti & boni, quibus inſolentia nebulonum dolet, probitas autem ſanctorũ probatur: & in hac turba quæ prodierat ad ſpectaculum, fuère plures qui ex prodigijs & patientia Saluatoris colligebant, innoxium & optimè meritum peſſimè eſſe tractatum. Percutiunt itaq; pectora ſua, partim præ dolore, quòd homo tam innocẽs ac beneficus tam indigna paſſus eſſet: partim metu uindictæ diuinæ, quam ex oſtentis conſpectis ſuſpicabantur imminere.

CAPVT TRICESIMVMPRIMVM.

STabant autem noti eius à longè. Erant autẽ & ibi mulieres, de longè aſpicientes, quæ ſecutæ eum fuerant à Galilæa, & miniſtrabant ei: & aliæ multæ quæ ſimul aſcenderant cum eo Hieroſolymam. Iudæi ergo quoniam paraſceue erat, ut non remanerent in cruce corpora ſabbatho (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur crura eorum, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cum ueniſſent, uiderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: ſed unus militũ lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Et qui uidit, teſtimonium perhibuit, & uerum eſt teſtimoniũ eius: Et ille ſcit, quia uera dicit, ut uos credatis. Facta ſunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os nõ comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerũt. Venit autem quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioſeph, nobilis decurio, uir bonus & iuſtus: hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum, quia expectabat & ipſe regnum Dei. Et diſcipulus erat Ieſu: occultus autem, propter metum Iudæorum. Et audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. Pilatus autem mirabatur, ſi iam obijſſet. Et accerſito Centurione, interrogauit eum, ſi iam mortuus eſſet? Et cum cognouiſſet à Centurione, donauit, & iuſsit reddi corpus Ieſu.

COMMENTARIA.

Habuit Dominus Ieſus mortis ſuæ ſpectatores, non tantum ignotos ac hoſtes, ſed familiares ſuos ac amicos intimos. Aderant ergo illic & fœminæ complures, quæ ſecutæ fuerant Ieſum, ſubminiſtrantes illi neceſſaria. Vincebat autẽ eam beneficentiam præſens illa amoris conſtantia, qua fiebat, ut ne damnatum quidem deſerendum putarent, ſed ad crucem uſq; ſequerentur. Porrò audimus rurſum præpoſteram ac peruerſam Iudæorũ religionem. Innoxium ac benemeritum ſceleratis odijs adegerunt in crucem, nihil deterriti à tam immani facinore, diei feſti religione: de tollendis autem de cruce corporibus ſuperſtitioſè laborant. Pilatum ergo adeunt, poſtulantes ut ipſius iuſſu crura frangerentur pendentibus, quo mors acceleraretur: deinde cadauera tollerentur è medio, ne conſpectu ſui diem feſtum funeſtarent, qui iam imminebat. Annuente itaq; Pilato, milites utriuſq; latronis crura fregerunt, quos adhuc uiuentes repererant. Porrò cum uentum eſſet ad Ieſum, quoniam uiderunt illum iam exanimem, ſuperuacuum putarunt, eius confringere crura (nam in hoc alijs fregerant, ut morerentur citius) ſed aſtabat inter milites quidam, qui explorare uolens, num uerè mortuus ſit Ieſus, lancea perfodit latus eius. Atq; hinc ſe promunt clariſſima redemptionis myſteria, declarantia quis nobis ex morte Domini Ieſu exoriatur fructus. Quòd enim protinus profluxit è latere aperto ſanguis & aqua: ſignificatum eſt, quòd eius mors nos ablueret à peccatis, & quòd eadem uitam nobis largiretur æternam. Nam baptiſmus aqua conſtat: in ſanguine uerò uita eſt hominis. Quoniam uerò non abſq; miraculo (quia præter naturam è corpore uulnerato aqua profluxit) idcirco magna cum aſſeueratione Euangeliſta ait: Atqui ueriſſima ſunt quæ retuli: quæ uidi hiſce oculis, hæc retuli: nec quicquam ex meipſo confinxi, & ipſe ſcio quòd uera dicam, ut & uos credatis: uerè uidelicet paſſum & mortuum eſſe Dei filium Ieſum Chriſtum, ac ex latere ipſius aquam profluxiſſe, & ſanguinem, ad plenariam emundationem & expiationem omnium peccatorum totius mundi. Porrò tametſi caſu geri uidebantur, poſtquam cruci-

fixus

fixus eſt Ieſus: diuini tamen conſilij diſpenſatione geſta ſunt, ut hac etiam in parte Prophetarũ oraculis rerum euentus reſponderet. Nam inter cæteros ritus, quib. in Exodo Moſes docet celebrandum eſſe Phaſe, & illud præſcripſerat, ut agnus ille ſic occideretur, ne quod os illius confringeretur. Quòd igitur Domino Ieſu crura illæſa manſerunt, declarauit ipſum eſſe uerum illud Phaſe, cuius imaginem agnus ille Moſaicus geſſerat. Huius enim ſanguis credentes ſeruat à morte, huius myſticus eſus nos ab Aegyptiaca ſeruitute: hoc eſt, à mundi cupiditatibus, & peccati tyrãnide liberos transmittit in terram cœleſtem. Alterum teſtimonium quod ex Zacharia producit, cap. 12. Et effundam ſuper domum Dauidis, et ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ & benignitatis: ut aſpiciant ad me, eum uidelicet quem transfixerunt, plangentq; ſuper eo, ut ſolet ſuper unicè dilecto. Hinc colligimus ſanè, Chriſtum cum eodem corpore uenturum, quo pependit in cruce, tametſi iam glorioſo, tamen ueſtigium uulneris oſtende omnibus, & fontem fruſtra apertum incredulis exprobrabit, cuius profluxu ſanari poterant. Vetuſtiſsimus ille ſcriptor Tertullianus: Idem, inquit, ueniet de cœlis Dominus, qui eſt paſſus: idem omnibus apparebit, qui eſt reſuſcitatus: & uidebunt & agnoſcent, qui eum cõfixerunt: utiq; ipſam carnem in quam ſæuierunt, ſine qua nec ipſe eſſe poterit, nec agnoſci. Hæc ille. Videant ergo quo ſpiritu imbuti quidam hodie, magna cum audacia doceant, Chriſtũ in gloria iam nõ eſſe amplius creaturam, ſed creaturam in ipſo eſſe deificatam. Quũ autẽ immineret nox, diues quidam decurio ſiue ſenator, nomine Ioſeph, uir bonus et iuſtus, & diſcipulus Ieſu, ſed occultus, timens ne à ſynagoga ſubmoueretur: adijt præſidem, petens ſibi donari corpus Ieſu. Pilatus admiratus ſi iam eſſet mortuus, uir florenti ætate, & cuius crura non fuiſſent fracta, ſimulatq; ex Centurione certò cognouit eſſe mortuum, iuſsit illi donari corpus exanime.

CAPVT TRICESIMVMSECVNDVM.

IOſeph autem mercatus ſindonẽ, & deponens eum, inuoluit ſindone munda. Venit autem & Nicodemus, qui uenerat ad Ieſum nocte, primùm ferẽs mixturam myrrhæ & aloes, libras quaſi centum. Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis eum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in loco ubi crucifixus eſt Ieſus, hortus, & in horto monumentum nouum. Et poſuit eum Ioſeph in monumento ſuo nouo, quod excîdit in petra, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Ibi ergo propter paraſceuen Iudæorum, quia iuxtà erat monumentum, poſuerunt Ieſum. Et aduoluit Ioſeph ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abijt. Maria autem Magdalena & Maria Ioſeph, aſpiciebant ubi poneretur, ſedentes. Et reuertentes parauerũt aromata, & unguenta, & ſabbatho quidem ſiluerunt ſecundum mandatum. Altera autem die quæ eſt poſt paraſceuen, conuenerunt principes ſacerdotũ & Phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc uiuens, Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum, uſque in diem tertium: ne fortè ueniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis. Et erit nouiſsimus error, peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam. Abite, cuſtodite, ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.

COMMENTARIA.

Abijt igitur Ioſeph ad crucem, ad quem uenit Nicodemus, uir inter Phariſæos præcipuæ nobilitatis. Hi duo uiri illuſtres, ſublatum Ieſu corpus communi officio undiq; aromatis obleuerunt, & oblitum ſindone munda linteiſq; circumligarunt, et pro more Iudæis recepto ſepelierunt. Videntur autem morem hunc ſuum ſic ſepeliendi accepiſſe à patribus, qui ita uoluerunt fidem reſurrectionis profiteri, ac quodammodo conteſtari. D. Cyrillus ſepulturæ Chriſti fructum exponens: Reputatus quidem in mortibus, inquit, ſecundũ carnem, propter nos, qui uita naturaliter ac uerè per ſeipſum eſt, ut omnem impleret iuſticiam quæ generi noſtro conuenit, corpusq; ſuum morti & ſepulturæ ſponte cõceſsit: Monumentum autem in horto erat, inquit, & ipſum nouum: quæ res ſignificat, recurſum ad paradiſum morte Chriſti eſſe reparatũ. Monumenti autem nouitas, nouum atq; inauditũ

de

de morte ad uitam reditum ſignificat. Nam & ipſa mors in morte Chriſti innouata, ad ſomni conditionem mutata eſt. Viuimus enim Deo: & ipſa corpora noſtra reuictura ſunt, iuxta Scripturas. Vnde mortui dormientes iam ab omnibus, & maximè à Paulo appellantur. Hæc Cyrillus. D. Hieronymus exiſtimat, ideo Dominum Ieſum in nouo poſitum fuiſſe monumẽto, ne poſt reſurrectionem cæteris corporibus remanentibus, reſurrexiſſe fingeretur. Cæterùm oſtio monumenti aduoluerunt ſaxum ingens boni illi uiri eam ob rem, ne quis uel in mortuum ſæuiret cadauer, uel illud ſuffuraretur. Cæteris autem relinquentibus Dominum, mulieres aliquot in officio perſeuerant, expectantes quod promiſerat Ieſus. Poſtridie uerò paraſceues rurſum principes & Phariſæi conueniunt ad Pilatum præſidem, dicuntq́;: Quia impoſtor ille dixit, ſe reſurrecturum poſt triduum, præcipe Centurioni alicui, ut uigili cuſtodia ſepulchrum cingat, atq; obſeruet ne quis ſuffuretur corpus eius, & tum plebs credat eum ſurrexiſſe. His & aliud adijciunt, quòd magis poßit iudicis Pilati animum commouere: Quòd ſi fiat, inquiunt, longè periculoſior erit poſterior qui ex illo ſequetur error, quàm fuerit prior. Pilatus uerò non grauatim poſtulatis illorum aſſentiens, ait: Concedo uobis pro uoto ueſtro cohortem. abite igitur, ac ſumma fide & diligentia, quod inſtituiſtis, facite. Illi autem adhibitis cuſtodibus muniuerunt ſepulchrum: lapide quoq;, qui claudebat os ſepulchri, obſignato, ne quid fraudis eſſe poßit, uel in cuſtodibus. Sicq́; dum reſurrecturo conantur exitum occludere, auxerunt miraculum & fidem reſurrectionis.

CAPVT TRICESIMVMTERTIVM.

VEſpere autem ſabbathi, quæ luceſcit in prima ſabbathi: & cum tranſiſſet ſabbathum, Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome, emerũt aromata, ut uenientes ungerẽt Ieſum. Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus autem Domini deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidẽ ab oſtio monumenti, & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & ueſtimenta eius ſicut nix: præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt uelut mortui. Maria Magdalena uenit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, uidetq́; lapidem ſublatum à monumento. Currebat ergo, & uenit ad Simonem Petrum, & alium diſcipulũ quem diligebat Ieſus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerũt eum. Et ualde mane, una ſabbathorum, ueniunt ad monumentũ, orto iam ſole & dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes, uiderunt reuolutum lapidem: (erat enim magnus ualde.) Et introeuntes in monumentũ, uiderunt iuuenẽ ſedentem à dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt. Reſpondens autem angelus, dixit ipſis mulieribus: Nolite expaueſcere. Scio, quòd Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, non eſt hic. Ecce locus, ubi poſuerunt eum. Sed citò euntes dicite diſcipulis eius, & Petro, quòd ſurrexit à mortuis, & precedet uos in Galilæam: ibi eum uidebitis, ſicut dixit uobis. Ecce dixi uobis. At illæ exeuntes, fugerũt de monumẽto. Inuaſerat enim eas tremor & pauor, & nemini quicquam dixerunt. timebant enim.

Terræmotus ſignificauit, prædicatione mortis & reſurrectionis omnia regna mundi fore concutienda.

COMMENTARIA.

Deſcribitur hoc capite glorioſa Ieſu Chriſti ex mortuis reſurrectio. Et Matthæus ante omnia deſignat tempus quo reſurrexit Dominus Ieſus: principium uidelicet diei tertiæ. Nam die paraſceues poſitus eſt in ſepulchrum, ſabbato quieuit, in principio diei ſubſequentis reſurrexit. Hic aũt uidere licet pium ſtudiũ mulierum iſtarum. uolunt ungere corpus Domini, ut fragrans maneat, & ne quid fœtidum oriatur ex putredine. Cumq́; appeteret reſurgendi illud ſacroſanctum & omnibus ſeculis expectatũ tempus, angelus ad ipſum ſepulchrum cœlitùs deſcendens, ſaxum illud ingens amouit ab oſtio monumenti, è quo protinus rediuiuus egreſſus eſt Dominus, illo ipſo corpore reſurgens quo in cruce pependit, & quo illatus eſt ſepulchro: attamen nunc clarificato. S. Hieronymus: Dominus noſter, inquit, unus atq; idem filius Dei & filius hominis, iuxta utramq; naturã diuinitatis & carnis, nunc magnitudinis ſuæ, nunc humilitatis ſigna demonſtrat. Vnde & in præſenti

loco, quanquā homo ſit qui crucifixus eſt, qui ſepultus eſt, qui clauſus tumulo quē lapis oppoſitus cohibet: tamē quæ foris aguntur, oſtendūt filium Dei: tenebræ ingruentes, terra cōmota, uelū ſciſſū, ſaxa dirupta, mortui ſuſcitati, angelorum miniſteria. Et poſt pauca: Tentatur in ſolitudine, & poſt uictoriam ſtatim ſeruiūt angeli. Nunc quoq; angelus uenit, cuſtos ſepulchri, & ut oſtendat gloriam triumphātis Ieſu, &c. Ad huius uerò Angeli conſpectum expauefacti cuſtodes adeò ſunt exanimati, ut mortuis ſimiles iacērent, tandē & aufugerent. Poſt hæc uenit Maria Magdalena, & lapidem quo monumentū tegebatur, reuolutum inſpiciens, ſuſpicatur corpus Domini tranſlatū fuiſſe, Iudæosq; id ex inuidia feciſſe. Cuius rei atrocitate perculſa, ad chariſſimos Domini diſcipulos currit, nec propter crucē & paſsionē Domini fidem amiſit: ſed etiā mortuū eum, Dominū appellat. Tales in ea pietas egit radices: quòd Marcus ſcribit, piæ mulierculæ ueniunt uncturæ corpus Domini, quò uidelicet ſeruēt illud incorruptū. Apparet aūt, ipſum monumentū ueſtibulum ac antrum quoddam habuiſſe. Proinde ueſtibulū ingreſſæ, quòd lapis ille ingēs obſtruxerat, uidēt ponè ſepulchrū in intima antri parte angelū. Amictus hic erat ueſte candida, propter mundiſsimā glorioſiſsimamq; reſurrectionē Domini. Ac mulieres pro imbecillitate ſua expaueſcūt. Angelus uerò cum feliciſsimi nuncij eſſet præco & teſtis, benignis uerbis attonitas alloquens cōſolatur, ſicut olim quoq; fecerat, cum paſtorib. natiuitatē Saluatoris eiuſdē annunciaret, ac dicit: Omnia hic felicia ſunt ac fauſta, nihil eſt quod terrorem incutiat, aut metū. Ne timueritis: quæ uidelicet ex fide & dilectione Chriſtū quæritis. Iſti meritò exanimātur ad gloriam reſurrectionis, qui perſeuerāt in incredulitate ſua. Ieſum Nazarenū quæritis, quē noſtis ab impijſsimis crucifixū: non inuenietis eum. Præſtitit enim quod ſe facturū promiſerat, dicēs: Et tertia die reſurgā. Videte locū corpore uacuū: corporis adhuc habet ueſtigiū, habet & corporis exuuias, lintea quibus inuolutū fuit. Hæc uobis fidē facient, ſi mihi parū creditis. Sed properè abite, & annunciate hæc quæ uidiſtis reliquis diſcipulis, morte Domini ſui mœſtis. Quòd uerò præſertim hæc iubentur annunciare Petro: ineffabilē Dei miſericordiā, & effectū pœnitentiæ inſignē commendat. Negarat Petrus Dominū, & grauiſsimè deliquerat: quia aūt ob commiſſum facinus fleuit amarè, per immenſam Dei miſericordiā recipitur in gratiā. Porrò angelus & hæc apponit: Si eum uidere cupitis, in Galilæā neceſſe eſt ut proficiſcamini, ſiquidē ante mortē dixit: Poſtquā aūt ſurrexero, præcedā uos in Galilæā. Ibi ergo licebit eum aſpicere uiuū, quē luxiſtis mortuū. Et ego qui angelus ſum Dei, propono ueritatem uobis indubitatam. Quòd aūt dicit, diſcipulos uiſuros Dominum in Galilæa: intelligit de familiariore diuturnioreq; conuictu ac conuerſatione Domini cum diſcipulis ſuis. Alioqui enim ipſo die & aliquot cōſequentibus apparuit diſcipulis ſuis Dominus, in urbe Hieroſolymorum.

CAPVT TRICESIMVMQVARTVM.

EXiuit ergo Petrus, & alius diſcipulus quem diligebat Ieſus, & uenerunt ad monumentum. Currebāt ergo duo ſimul, & ille alius diſcipulus citius Petro, & uenit ad monumentum. Et cum ſe inclinaſſet, uidit linteamina poſita: non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus, ſequens eum, & introiuit in monumētum, & uidit linteamina poſita, & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in unum locum. Tunc ergo introiuit & ille diſcipulus qui uenit primus ad monumentum, & uidit, & credidit. Nondū enim ſciebāt Scripturā, quia oportebat eum à mortuis reſurgere. Abierunt ergo iterum ad ſemetipſos diſcipuli. Maria aūt

Marci 16. Surgens autē Ieſus, &c. erat ad monumentū foris, plorās. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentū. & uidit duos angelos in albis ſedētes, unum ad caput, & unū ad pedes, ubi poſitū fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerūt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerūt eum. Hæc cum dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & uidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat quia Ieſus eſt. Dicit ei Ieſus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimās quòd hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti illum, dicito mihi ubi poſuiſti eum, & ego illum tollam. Dicit ei Ieſus: Maria. Conuerſa illa, dicit ei: Rabboni: quod dicit, magiſter. Dicit ei Ieſus: Noli me tangere. nondū enim aſcendi ad patrem meū. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad patrē

meum,

meum, & patrem ueſtrũ: Deum meum, & Deum ueſtrũ. Venit Maria Magdalene, annuncians diſcipulis, Quia uidi Dominum, & hæc dixit mihi.

COMMENTARIA.

Reſiliens à monumento Maria, duobus Domini diſcipulis Petro & Ioãni quod intellexit annunciat, ut hi rem omnem inueſtigarent diligẽtius. Ad hanc uocem excitatus uterq; prodijt foràs. Spes ſanè perquàm tenuis habebat illos: tamen ingenti ſic dilecti præceptoris deſiderio tenebantur. Itaq; ſimul curſu contendunt ad monumentum, & oculis miraculum cernunt. Et quamuis Chriſtum nõ uiderint: à collectione tamen linteaminum quibus corpus fuerat obuolutum, & inuolutione ſudarij quo cõtectum fuerat caput Ieſu, ſeparatim poſiti, ſurrexiſſe ipſum intellexerunt. Porrò quid'nam crediderit Ioannes, S. Auguſtinus indicans ait: Hic nonnulli parum attendentes, putant hoc Ioannem crediſſe, quòd Ieſus reſurrexerit: ſed quod ſequitur, hoc non indicat. Quid ſibi enim uult, quod ſtatim adiunxit: Nondũ enim ſciebant Scripturam? Credidit ergo, tantum illud eſſe uerum quod dixerat Maria, corpus ſublatũ à monumento. Cæterùm ſcriptura Prophetica certò prædixerat, futurũ ut Ieſus moreretur, ac tertio die reuiuiſceret: Pſal. 18. & 131. Dan. 9. Ionæ 3. docente Ieſu Matth. 12. Poſt hæc diſcipuli quidem ad ſecretiora loca ſeſe receperunt: Maria uerò uidetur denuò prodijſſe ad monumentum. ardebat enim incredibili quodam amore deſiderioq; Domini, nõ aliud magis cupiens quàm amiſſum (ſicut putabat) Domini corpus inuenire, & obſequijs uel officijs proſequi. Dum autem foris iuxta monumenti oſtium ſtaret, & pro muliebri ingenio fleret, & inclinato capite proſpiceret in monumentum: uidit duos Domini angelos, læta & glorioſa ſpecie, locum eum aſſeruantes. Certè Deus angelos ſuos ordinarat, ut teſtimoniũ ferrent reſurrectioni filij ipſius, quòd nimirum reſurrexiſſet uirtute cœleſti & diuina. Cæterùm cum illa animo eſſet prorſus conſternato, ac ploraret, perpetuò mortuum quærens, quem uiuum dilexerat, Lucæ 7. & 10, angeli ultrò ipſam compellantes, ploratus inquirunt cauſam. Illa uerò animi ſui uulnus angelis detegit, exponens quid cor eius affligat: nimirum quòd uideat corpus Ieſu ſublatum. Hoc ſtudium mulieris ardentiſsimum merebatur ſingularem aliquam Domini reuelationem. Exhibet igitur ſe iam Mariæ Domi us, uero ſuo & rediuiuo corpore: ſe tamen diſsimulat ad tempus, ut & deſiderium eius uehementius incendat, & fidem ipſius amore plenam probans, toti mundo declaret. Quanquam ergo corpore uero quo reſurrexerat ſe Mariæ ſiſteret: hæc tamẽ nõ agnouit, quòd Ieſus eſſet. D. Cyrillus: Videt, inquit, Ieſum, ſed non cognoſcit: aut quia diuina ſe poteſtate diuinus cognoſci nõ permitteret, aut quum tenebræ adhuc eſſent, certius diſcernere non poterat, &c. Iam & uocem magiſtri notam alioqui ſatis, nunc non agnoſcit: nimirũ ob eandem Domini diſpenſationem. Iiſdem autem uerbis, & blandiſsimis quidem, quibus angeli, ipſam appellãs: Mulier, inquit, quare ſic fles? quæ eſt ratio huius tuæ magnæ perturbationis? Cumq; illa arbitrabatur, quod cultor & cuſtos eſſet eius horti in quo erat monumentum, dicit ſe corpus Domini iouicè inquirere: rogat inſuper mira ſimplicitate & candore integerrimo, ut reſtituat illud, uel indicet ſiquidẽ ipſe aſportarit, ac aliò amouerit. Dominus ergo amore et candore mulieris delectatus, animum ſimul & oculos eius aperiens, uoce iam nota & familiari compellat illam. Ad hanc uocem ſubitò conuerſa mulier, agnoſcit Ieſum, ac ſolito titulo præceptorem dilectiſsimum ac colendiſsimum appellat, ſimulq; haudubiè procidens uoluit oſculari pedes illius, memor adhuc ueteris familiaritatis. Ieſus autem ſciens illam adhuc nihil magni de ſe ſentire, quanquam ſinceriter ac flagranter amaret: à cõtactu corporis prohibuit, dicens: Noli me contingere. corpus idem eſt quod pependit in cruce: ſed iã immortalitatis gloria condecoratũ. Tuus autem affectus adhuc carnem ſapit, quia nondum aſcendi ad patrem: quod cum fecero, mittam uobis ſpiritum conſolatorem, qui uos perfectos reddet, meoq; conſortio ſpirituali dignos. Beatus Fulgentius putat, Dominum locutum de tactu credulitatis, non corporis. dicit enim: Quid eſt, Noli me tangere: niſi, noli in me hoc tantum credere, quod putas: noli in corde hoc firmare, quod æſtimas. quia quandiu in me illa tantum quæ ſunt carnis, attendis, æqualitatem meam cum patre nõ ſentis. Non igitur Euangeliſtarum diſcrepat intellectus, nec Chriſtus aut inaniter ſe tangi nondum aſcendens ad patrem prohibuit, aut incaſſum ſibi pedes teneri permiſit. In uno enim demonſtrauit ueritatem carnis, in altero inſinuauit gloriam Deitatis. Illic permiſit manũ, hic amouit intellectum: ut in homine Chriſto reſuſcitatæ carnis tangeretur ueritas, & in eodem Deo Chriſto paternæ diuinitatis crederetur æqualitas. Hæc ille. At porrò Ie-

ſus: Abi potius ad fratres meos, Apoſtolos, ob mortem meam deſolatos: & hoc gaudij quod ex meo conſpectu es adepta, quamprimum illis imperti: hiſq; meis uerbis annuncia, quòd in hoc reuixi, ut dies aliquot cum eis commoratus terras relinquam, et aſcendam ad patrem mihi uobiſcum communem, & eundem Deum mihi uobiſcum communem. Non conturberis (inquit D. Cyrillus) quum patrem Deum nominet ſuum: ſed diligenter cōſidera, patrem quidem ſuum eſſe naturâ, Deum autem noſtrum ut creatorem & Dominum. Non conturberis, quum dicentem audias: Aſcendo ad patrem meum, &c. Nam ut naturâ filius patrem, ut autem uerè homo Deum ſuum appellat. Tantū Cyrillus. Obtemperauit autem Maria Magdalene, & reuerſa ad diſcipulos renunciauit, ſe uidiſſe Dominū, & quæ iuſſerat ſuo nomine referri, retulit, ut ipſi præpararent animos ad deſideriū rerū æternarum ac cœleſtium, quòd corporis fruitio iam non eſſet diuturna futura.

CAPVT TRICESIMVMQVINTVM.

SVbſecutæ autem mulieres uenerunt, & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Et ingreſſæ non inuenerunt corpus Domini Ieſu. Et factum eſt, dum mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo uiri ſteterunt ſecus illas, in ueſte fulgenti. Cum timerent autem, & declinarent uultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis uiuentem cum mortuis? Non eſt hic, ſed ſurrexit. Recordamini qualiter locutus eſt uobis, cum adhuc in Galilæa eſſet, dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia reſurgere. Et recordatæ ſunt uerborum eius. Et exiuerunt citò de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nunciare diſcipulis ſuis. Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Ieſus: Nolite timere. Ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me uidebunt. Quæ cum abijſſent, ecce quidam de cuſtodibus uenerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus ſacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum ſenioribus, conſilio accepto pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite, diſcipuli eius nocte uenerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus. Et ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos ſuademus ei, & ſecuros uos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt ſicut erant edocti. Et diuulgatum eſt uerbū iſtud apud Iudæos, uſq; in hodiernum diem.

COMMENTARIA.

Ex D. Marco oſtenſum fuit, mulierculas retroacto ſabbato cum aromatibus ueniſſe ad monumentum: idem factum denuò à nonnullis oſtendit S. Lucas. Cum autem non inuenirent corpus Ieſu, nec intelligerent ipſum reſurrexiſſe: perplexæ itaq; animis, incertæ erant quid cogitarent aut dicerent, quò ue ſe uerterent. Dominus autem qui ſuos non ſinit æternùm angi, mox per angelorum teſtimonia rei ueritatem ſignificantiſſimè edocet. Mulieres uerò inſueto ſpectaculo exterritæ, deijciunt præ pauore uultus ſuos in terram. Angeli itaq; blando ipſas colloquio erudientes, diſerte teſtimoniū dant ueræ ex mortuis reſurrectioni Domini Ieſu. Ac initiò cum admiratione quadam inquiunt: Quid quæritis? Ieſus uiuens Deus eſt, uiuificans omnia, uitamq; præbens ueram omnibus credentibus. Proinde non eſt quòd uitam & uiuificatorē quæratis inter homines mortuos. Iam impleta ſunt ea omnia quæ in Galilæa dixit Ieſus de ſua morte & reſurrectione. Nam crucifixus, mortuus, et ſepultus eſt: hodie uerò, quæ tertia eſt dies à morte ipſius, reſurrexit. Mulieres ſatis quidem apertè inſtitutæ ab angelo, celeriter à uacuo feſtinant monumento ad urbem: partim pauidæ & timentes ob rei magnitudinem, & angelos uiſos: partim ingenti gaudio correptæ ob Euangelium auditum, & ob ſpem atq; deſideriū uidendi Dominū. Dominus itaq;, qui nuſquā ſuos deſerit, inter eundum obuiam fit illis. Salutauit autem atq; conſolatus eſt ipſas, quo magis confirmaret in fide reſurrectionis. Hæ uerò ſumpto animo, & cognito Domino acciderunt ei ad pedes, & adorauerūt eum. Præterea contrectarunt ipſius rediuiuum corpus: quod ipſe benignè conceſſit, quo certior eſſet cognitio reſurrectionis ſolidæ. Et ut illis omnem pauorē adimeret, atq; ſic plenè edoctæ nil iam dubitarent amplius de reſurrectione uera Domini, ut rectius quoq; diſcipulis plenū Euangeliū nunciare

poſſent:

poſſent: Nolite timere, ait: uici mortem, peccatũ, diabolũ atq; infernũ. Ite iam, & nunciate fratrib. meis quæ uidiſtis, ac iubete eos proficiſci in Galilæã, ibi me uidebũt. Obſeruandũ, quòd diſcipulos appellat fratres, atq; idcirco hæredes uitæ æternæ. Id fidelibus ſuis Chriſtus morte atq; reſurrectione ſua uiuifica parauit. Iam quo reſurrectionis fides etiam inimicorum teſtimonio confirmaretur, quidam è cuſtodibus adeunt pontifices, ac his quid uiderint exponunt: nempe, quòd angelus de cœlo deſcendit, incuſſo telluri terræmotu lapidem ab oſtio monumenti amouit, & quòd Ieſus Nazarenus ſurrexit, ipſis interim angeli metu propemodum exanimatis. Hic uerò iterum proponitur nobis ſpectanda ſacerdotum malicia atq; impietas. Nam cum manifeſtiſſimis ſignis ad pœnitentiam commoueri debuerant, ipſi mendacium à militibus precio redimunt: Tacete, inquiunt, quæ uidiſtis: ſed in uulgus ſpargite, quòd diſcipuli eius noctu uenerint, & ſuffurati ſint eum, uobis dormientibus. Quòd ſi hoc commentum fuerit delatum ad præſidem ueſtrum, nos illi perſuadebimus, uosq; liberabimus omni periculo negocij. Milites igitur accepta pecunia, fecerunt quemadmodum fuerant edocti, & inuenit commentum tam friuolum in populo fidem.

CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM.

ET ecce duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſtadiorum ſpacio ſexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus. Et ipſi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum eſt, dum fabularentur, & ſecum quærerent, & ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis. oculi autem illorum tenebãtur, ne eum agnoſcerẽt. Et ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes? Et reſpondens unus, cui nomen Cleopas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Ieſu Nazareno, qui fuit uir propheta, potẽs in opere & ſermone coram Deo & omni populo, & quomodo tradiderunt eum ſummi ſacerdotes & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum? Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael. Et nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt, quo hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædã ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius uenerũt, dicentes ſe etiam uiſionem angelorum uidiſſe, qui dicunt eum uiuere. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum, & ita inuenerunt ſicut mulieres dixerunt: ipſum uerò non inuenerunt. Et ipſe dixit ad eos: O' ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ. Non'ne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erãt. Et appropinquauerũt caſtello quò ibãt, & ipſe ſe finxit longius ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum, quoniam aduesperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipſe euanuit ex oculis eorum. Et dixerũt ad inuicem: Non'ne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia, & aperiret nobis Scripturas? Et ſurgentes eadem hora regreſsi ſunt in Hieruſalem: & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: Quòd ſurrexit Dominus uerè, & apparuit Simoni. Et ipſi narrabant quę geſta erant in uia, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

COMMENTARIA.

Accidit eadem die quo Chriſtus uero ſuo corpore uerè reſurrexit ex mortuis, ut duo ex diſcipulis, quibus per mulieres nunciatum erat de ſepulchro uacuo, relicta Hieroſolyma proficiſcerẽtur in ciuitatem Emmaus. Vnus nomen exprimitur: in nomine autem alterius uariãt ſcriptores, Nonnulli (teſte Theophylacto) uolunt ipſum fuiſſe Lucam. Inter eundum autem uarios miſcent ſermones de Ieſu, deq; rebus omnibus quæ uiderant, quæq; audierant ſuperioribus diebus. Tandem illis multa ultrò citroq; diſſerentibus, Ieſus tanquã uiator † adiũxit ſe illis, et itineris ſociũ ſe præbuit.

† Marcus inquit, In alia forma apparuit. Vide Theophylactum.

Quòd autem iſti notiſſimũ aliàs non agnouerunt: diuina potentia diſpoſuit Ieſus, ut commodius cum ipſis agere, & reſurrectionis myſterium plenius declarare poſſet. Factũ eſt èrgo in præſenti, quod aliquando factum legimus Gen. 19. & 4. Regum 6. Quoniam autem ſic flagrabant amore Ieſu, ipſe interrogans illos, ait: Quos ſermones cõfertis inuicem, uultu interim triſticiam ac mœrorem animi ſignificante? Reſpondet Cleopas: Res omnibus eſt notiſſima, quicunq; uerſantur Hieroſolymis. Ex ea ciuitate quum tu quoq; uenias, qui fieri põteſt, ut tu ſolus ueluti nouus hoſpes hæc ignores, hiſce diebus illic acta? Tum Ieſus quaſi diſcere cupiens, quærit quæ' nam ſint iſta? Et illi: De Ieſu, inquiunt, Nazareno, qui fuit uir eximius, potens dictis & factis apud Deum et uniuerſum populũ, apud quem ſibi miraculis, doctrinaq; ac beneficijs ſuis ſummam comparauerat authoritatem. Hunc populi noſtri primores apud præſidem reum capitis peregerunt, & in crucem deniq; adegerunt. Nos autem mirificam quandam ſpem de illo conceperamus, quòd is eſſet Meſſias, à Prophetis olim promiſſus, & redempturus Iſrael: neq; quicquam affulget certioris ſpei, niſi quòd mulieres quædam è ſodalitio diſcipulorum illius, nos nouo & inaudito nuncio magis etiam attonitos reddiderunt, quæ ante ſolis exortum profectæ ad monumentũ, negãt ſe inueniſſe corpus, addentes ſibi apparuiſſe angelos, qui dicerent illum uiuere. Et quidam è noſtris abierunt ad monumentum, periculum facturi, nunquid haberet ueri mulierculorum narratio. Et repererunt apertum et uacuum monumentum, linteamina & exuuias corporis in eo poſitas: cæterùm ipſum nuſquam inuenerunt. Hos diſcipulos ſuos benignus Dominus non abijcit à ſe, propter incredulitatem: ſed ſuffert illorum infirmitatem, & inſtituit eos rectius, ut ſalui fiant: O' parum, inquit, dociles ad intelligendas Scripturas, et corde difficili tardoq; ad credendum tot Prophetarũ oraculis, quæ de Ieſu prodiderunt. Nónne docent hoc afflatu cœleſti proditæ Scripturæ, ſic fuiſſe uiſum conſilio diuino, ut Chriſtus hæc omnia pateretur, & ſic noua ratione per mortem repararet uitam, per crucem aſſereret regnum, per ignominiam intraret in gloriam ſuam? Exorſus eſt autem Dominus ſermonem ſuum à Moyſe & Prophetis. Poſt hæc ex omnibus diuinæ Scripturæ uoluminibus aliquid decerpens, quod fidem aſtrueret ijs quæ acciderant, ac fidem præſtrueret ijs quæ pòſt eſſent euentura. His uerò peractis, iam appropinquabant oppidulo: Ieſus autem quo magis accenderet illorum deſiderium, præ ſe ferebat quaſi nollet in Emaunte commorari, ſed longius adhuc proficiſci. Diſcipuli uerò quoniam auelli nõ poterant à tam facundo comite, obteſtãtur, & iniecta pallio manu recuſantem compellunt, ut apud ipſos diuerſaretur, iam Dominum appellantes, eo quòd ex admirabili confabulatione coniijcerent, illum non eſſe uulgarem uiatorem. Acquieuit Dominus Ieſus eorum petitioni, et accubuit cum illis: deinde uerò benedictum fractumq; panem porrexit illis. Hunc morem quoniam ſciebant Chriſto eſſe peculiarem, duo diſcipuli uelut expergefacti cœperunt cogitare de Ieſu. Mox ſublato impedimento, agnouerunt illum eſſe Ieſum. Quòd autem ab oculis repentè euanuit, uirtutis Dei fuit (ut D. Hieronymus docet) nõ umbræ & phantaſmatis. Alioqui & ante reſurrectionem, cum eduxiſſent eum de Nazareth, ut præcipitarent de ſupercilio montis, tranſiuit per medios, id eſt elapſus eſt de manibus eorum. Cæterùm ubi Dominus ab illis diſceſſit, dixerunt inter ſe: Non'ne cum nobis familiari colloquio per uiam exponeret è Scripturis figurarum & prophetiarum ænigmata, ſenſimus admirabilem quendam ardorem animi. Quumq; uterq; alteri faſſus eſſet, ſe pariter affectum fuiſſe, nec iam dubitarent quin ille eſſet Ieſus, à morte rediuiuus: magna celeritate redierunt Hieroſolymam, ut tanti gaudij reliquos quoq; diſcipulos redderent participes. Viciſſim uerò conſolationem accipiunt, qui uenerãt cõſolaturi fratres. Hi enim clamant: Surrexit Dominus uerè, & apparuit Simoni. Hunc ſanè Dominus Ieſus primum conſolari uoluit, & confirmare ſua præſentia, quem ſciebat præter commune diffidentiæ malum, etiam abiurati Domini conſcientia grauari.

CAPVT TRICESIMVMSEPTIMVM.

CVm ſerò eſſet die illa, una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, uenit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax uobis, ego ſum: nolite timere. Conturbati uerò & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum uidere. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda ueſtra? Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum. Palpate & uidete, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me uidetis habere. Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes, ac latus.

Gauiſi

Gauiſi ſunt ergo diſcipuli, uiſo Domino. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantib. præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerũt ei partem piſcis aſsi, & fauum mellis. Et cum manducaſſet corã eis, ſumens reliquias, dedit eis. Dixit ergo eis iterum Ieſus: Pax uobis. ſicut miſit me pater, & ego mitto uos. Hæc cum dixiſſet, inſufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorũ retinueritis, retenta ſunt. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando uenit Ieſus. Dixerunt ergo ei alij diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi uidero in manibus eius figuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cũ eis. Venit Ieſus ianuis clauſis, & dixit eis: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meũ: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Ieſus: Quia me uidiſti Thoma, credidiſti: Beati, qui non uiderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autẽ ſcripta ſunt, ut credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus: & ut credentes, utiam habeatis in nomine eius.

COMMENTARIA.

Quum quibuſdam apparitionibus Dominus Ieſus paulatim erexiſſet animos ſuorum, ad alacritatem & ſpem peractæ reſurrectionis: ad ueſperam diei Dominicæ, cum iam eſſent diſcipuli congregati clanculum, qui ob metum Iudæorum luce non audebant cõuenire, ingreſſus eſt foribus clauſis: & quo eſſet conſpicuus omnibus, ſtetit in medio. S. Cyrillus admodum ſollicitus eſt, ne quis huius loci occaſione de uera Domini reſurrectione dubitet, ideó que: Clauſis, inquit, foribus repentè Dominus, omnipotentia ſua natura rerum ſuperata, ingreſſus eſt ad diſcipulos. Nullus igitur quærat, quomodo clauſis ianuis corpus Domini penetrauerit, cum intelligat non de homine nudo, ut modò nos ſumus, ſed de omnipotenti filio Dei hæc ab Euangeliſta cõſcribi. Nam cum Deus uerus ſit, rerum naturæ non ſubiacet, quod in cæteris quoque miraculis patuit. Omnem enim mentem ac rationem excedunt quæ fecit. Qua enim ratione dices, ipſum ſuper maria quaſi per aridam ambulaſſe: quum aquarum natura corporibus noſtris naturaliter non ſubſternatur? Aut quomodo mille alia ſigna uerbo ſolùm effecit? Scio, quia ſupra omnem rationem humanam illa fuiſſe contendes. Cum illis igitur etiam hoc numera, nec (ut quidam ex imperitia dicunt) credas, non ſurrexiſſe cum corpore ſuo Dominum, ſed nudum corpore omnino apparuiſſe. Quòd ſi hanc operationem Chriſti percipere nequeas, cur nõ potius ingenij humani imbecillitatem accuſas? Cur non ſeruas ſilentio datam tibi à creatore menſuram? Hæc ille. Cæterùm ut pauorem omnem adimeret illis Ieſus, blandè notá que uoce ſalutauit eos. Diſcipuli uerò cernentes in medio aſtare Dominum, metu propè exanimati, exiſtimant ſe uidere ſpectrum quoddam. De ſpiritibus autem Dei bonis & malis indubitatum eſt, ipſos aſſumptis corporibus apparere hominibus. Hoc enim innumeris in locis docet Scriptura. Negat aũt ea, animas hominũ poſt mortẽ in his regionibus oberrare, ſpeciebus corporũ aſſumptis. Piũ lectorẽ remittim⁹ ad Chryſoſtomũ, Auguſtinũ, atque Lactantiũ. Dixit porrò illis Ieſus: Quid expaueſcitis, quũ me cõſpiciatis oculis ueſtris, et formam agnoſcatis, cũ audiatis uocẽ uobis notã ac familiarẽ? Quur adhuc diffidẽtiæ cogitationes oboriũtur animis ueſtris? Nõ ſum ſpectrũ, nõ ſum phãtaſma, neq; ſpiritus. Satisfacite omnib. ſenſib. ueſtris. Inſpicite me totũ, quãtus quãtus ſum, per ſingula mẽbra. Ego ſum: nimirũ ille Ieſus qui cruci affix⁹, ac ſepulchro illatus ſum: reſurrexi, et iã meipſum ſiſto uobis; in ea ipſa corporis ſubſtantia ac forma, in qua prius uobiſcũ ſum uerſatus. Spiritus enim nec carnẽ habet, nec oſſa, quẽadmodũ cõſpicitis habere me. Hæc uerba enarrãs Theophylactus: Domini corpus, inqt, ſpiritus quidẽ nõ erat, ſed ſpirituale: hoc eſt, abſq; omni craſsitudine, à ſpiritu gubernatũ, et extraneũ ab omni ineptitudine, neq; cibi neq; alterius cuiuſquã indigẽs. Quod enim comedit, non ſecundũ naturam comedit, ſed ſecundum diſpenſationẽ: ad docendũ, quòd illud ipſum corpus quod paſſum eſt, ſurrexerit, &c.

Cum autem tam ſignificanter ſe exhiberet ſuis diſcipulis Dominus Ieſus, *rediuiuo ſuo corpore, ut coràm illum ipſum oculis cernerent proprijs: ineffabili exilierunt gaudio.* His denuò *pacem imprecatur, ut norint* Deum *præſenti gratia & auxilio perpetuò affuturum.* Deinde ait: Ego *bona fide glorificaui nomen patris: uos ſimili fide conſentientes inter uos, patris meum que nomen prædicabitis.* Interim *& ipſe uobis pro captu ueſtro* Spiritum *ſanctum impertio. Flatus autem hic* Domini *indubitatum* Spiritus *ſancti indicium, argumentum, ſiue teſtimonium fuit: uidelicet teſtificans, ſpiritum* Chriſti *certò affuturum diſcipulis, ac per ipſos omnem mundi potentiam ſuperaturum.* S. Auguſtinus: *Inſufflando, inquit, ſignificauit,* Spiritum *ſanctum non patris ſolius eſſe ſpiritum, ſed & ſuum, &c.* Ac*ceperunt ergo* Spiritum *ſanctum nunc quoque: in die uerò* Pentecoſtes *expreſſiorem operationem gratiæ, manifeſtationemq; habitantis in eis ſpiritus habuerunt.* Cæterùm *expreſſius officium ſiue miniſterium ipſorum deſcribens* Dominus, *dicit:* Do *uobis authoritatem remittendi peccata cunctis hominibus, uel retinendi.* Remiſerunt *itaq; hominibus peccata, cum docuerunt per mortem & reſurrectionem peccata credentibus remiſſa, & uitam donatam: retinuerunt, cum annunciarunt ſuper infideles manere iram* Dei. Hæc *cum agerentur, cæteris diſcipulis congregatis in unum, ſolus aberat* Thomas. Huic *cum renunciant diſcipuli ſe uidiſſe* Dominum, *ſuſpicatus ipſe illos ludificatos aliquo phantaſmate fuiſſe, negat ſe crediturum, niſi teſtibus oculis ſuis: ac ne oculis quidem ſuis fidem habiturum, niſi conſpectis in manibus clauorum recentibus ueſtigijs, manu quoque lateri* Ieſu *admota, deprehenderet lanceæ uulnus.* Egregiè *quidem hanc hæſitationem tum* Thomæ *tum cæterorum diſcipulorũ exponens beatus* Leo: Apoſtolorum, *inquit, de reſurrectione corporis* Chriſti *hæſitationem, nequaquam permiſiſſet ueritatis ſpiritus ineſſe pectoribus, niſi illa noſtræ fidei ieciſſet fundamentũ.* Nos *ergo illorum inſtruxit aſpectus, nos erudiuit auditus, nos confirmauit attactus.* Gratias *agamus diuinæ diſpenſationi, et ſanctorum patrum neceſſariæ tarditati.* Dubitatum *eſt ab illis, ne dubitaretur à nobis.* Hæc *ille.* Quum *autem die octauo rurſus in unum furtiuo cõgreſſu conueniſſent* Apoſtoli, *iamq;* Thomas *hactenus incredulus ſimul adeſſet: ingreſſus* Ieſus, *ſolito more ſuos ſalutauit. mox uerſus ad* Thomam: Quando, *inquit, non ſatis eſt tibi* Thoma, *audiſſe à tam multis qui me uiderant & audierant, niſi & uiſui & tactui certa fiat fides: adſis modò, & inſpice uera ferri ueſtigia, inſuper contrecta lanceæ uulnus: & poſthac fidem habe promiſſis meis quamlibet incredibilibus, iuxta communem hominum ſenſum.* Leo *epiſcopus* Romanus: Iugiter Dominus, *ait, dubitantium oculis manẽtia in manibus ſuis & pedib. crucis ſigna oſtendit, & ut diligentius pertractetur, inuitat: quoniam ad ſananda infidelium cordium uulnera, clauorum & lanceæ erant ſeruata ueſtigia, ut non dubia fide, ſed conſtantiſſima ſcientia teneretur, eam naturam in patris ſeſſurã throno, quæ iacuerat in ſepulchro.* Per *omne igitur hoc tempus (40 dierum, antecedentium aſcenſionem proximè à reſurrectione) hoc prouidentia* Dei *curauit, hoc docuit, hoc ſuorum & oculis & cordibus inſinuauit, ut* Dominus *noſter* Ieſus Chriſtus *agnoſceretur uerè ſuſcitatus, qui uerè & natus erat, & paſſus, & mortuus, &c.* Thomas *autem ubi uidiſſet & contrectaſſet, agnoſcens & faciem & ſolitam* Domini *uocem, iam plena concepta fide exclamauit:* Confiteor *te ô* Domine Ieſu, Dominum *ac* Deum *meum eſſe, qui te pro peccatis meis tradideris in mortem, & redemeris me à cõdemnatione: reſurrexeris autem propter me ex mortuis, ut uita tua mea ſit, ipſeq; aliquãdo reſurgam per tuam potentiam.* S. Cyrillus *annotauit, utrumq; uocabulũ poni cum articulo: ne quis noſtra uel angelorum ſimilitudine, ſed ſingulariter ipſum* Dominum *& ipſum* Deum *dici exiſtimet.* Et Ieſus *amplexus quidem eſt* Thomæ *profeſſionem.* Cæterùm *credendi difficultatem taxauit, dicens:* Vidiſti *quidem, & contrectaſti me* Thoma, *ideo credidiſti.* Nunc *itaq; beatos profiteor fore, qui cum non uiderint ac palparint rediuiuum meum corpus, ſicut tu: credituri tamẽ ſunt, quòd uerus* Deus *& homo, uerè ex mortuis reſurrexerim, ac fidelium animas in exitu ex corpore uiuas conſeruare, eorumq; corpora in extrema die ad uitam excitare poſſim perennem ac ſempiternã.* Porrò Euangeliſta Ioannes: Multa, *inquit, ſigna fecit* Dominus Ieſus *poſt reſurrectionem ſuam coram diſcipulis ſuis, ad probandam ueram reſurrectionem, quæ hic non recenſentur.* Hæc *ſcripta ſunt nequaquã oſtentationis gratia, uel ut oſtendatur gloria unigeniti: ſed ut uos credatis, quòd* Ieſus *eſt* Meſſias, *in* Lege *&* Prophetis *promiſſus, uerus* Deus *et homo, q morte peccatũ expiauit, & reſurrectione uitam reduxit.* Quòd *ſi feceritis, continget uobis illa beatitudo, quam* Dominus Ieſus *promiſit ijs, qui quum non uidiſſent, credidiſſent.* Quemadmodum *enim ille paſſus eſt mortem,*

mortem, & uiuit immortalis: ita & uos profeßione nominis illius, uitam æternam aſſequimini.

CAPVT TRICESIMVMOCTAVVM.

POſtea manifeſtauit ſe iterum Ieſus ad mare Tyberiadis. Manifeſtauit autem ſic. Erãt ſimul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanael qui erat à Cana Galileæ, & filij Zebedei, & alij ex diſcipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei: Venimus & nos tecũ. Et exierunt, & aſcenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autẽ iam facto, ſtetit Ieſus in littore: non tamen cognouerunt quia Ieſus eſt. Dicit ergo eis Ieſus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Reſponderũt ei: Non. Dixit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miſerunt ergo, & iam non ualebant illud trahere præ multitudine piſcium. Dicit ergo diſcipulus ille quem diligebat Ieſus Petro: Dominus eſt. Simon ergo Petrus cum audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alij autem diſcipuli nauigio uenerunt (non enim longe erant à terra; ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete piſciũ. Vt ergo deſcenderũt in terram, uidẽt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem. Dicit eis Ieſus: Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquagintatribus. Et cum tot eſſent, non eſt ſciſſum rete. Dicit eis Ieſus: Venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum, Tu quis es? ſcientes, quia Dominus eſt. Et uenit Ieſus, & accepit panem, & dabat eis, & piſcem ſimiliter. Hoc iam tertiò manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis, quum reſurrexiſſet à mortuis.

COMMENTARIA.

Quo magis ac magis confirmaret fidem ſuorum diſcipulorum Ieſus, frequenter illis apparuit. rurſus itaq; exhibuit ſe iuxta lacum qui dicitur Tyberiadis, conſpiciendum. Diſcipuli enim, quo tutiores eſſent à Phariſæis, receperant ſeſe in Galilæam. Quoniam autem præſidio Domini fuerant deſtituti, per quem ali conſueuerant: ex amicorum ultronea benignitate Petrus ad priſtinam artem reuertitur, & trahit ſecum reliquam diſcipulorum turbam. Vbi uerò iam diluxiſſet, Ieſus ſtetit in littore: non tamen agnouerunt eum diſcipuli, partim ob interuallum longius, uel lucem adhuc ancipitem: partim quia noluit ſtatim agnoſci Dominus. A' littore uerò amiciſſimè ipſos compellans, interrogat nunquid obſonij habeant. Piſcatores uerò diſcipuli putantes alium quempiam eſſe, qui ueniſſet ad lacum mercaturus piſces, reſponderunt ſe habere nihil. Tum Ieſus, ut paulatim declararet quis eſſet, iuſsit rete mitti in mare: Et capietis, inquit, piſces. Paruerunt illi iubenti: & tantam piſcium copiam ceperunt, ut onuſtum rete, ægrè poſſet ad ſcapham trahi. Hæc uidelicet erat imago multitudinis hominum, quæ poſt Apoſtolica prædicatione ex omnibus totius orbis linguis ac regionibus adiungenda erat Eccleſiæ. Porrò reliquis circa rete & piſcium copiam occupatis, Ioannes animum conuertit ad Dominum miraculi authorem: Dominus hauddubiè is eſt, ait Petro, qui tanti operis beneficij que author eſt. Petrus autem ubi intellexit, Dominum eſſe ſtantem in littore, tunica ſuccinctus coniecit ſe in mare. Hic annotauit Theophylactus, Ependyten ueſtis genus fuiſſe linteum quoddam, quo Phœnices et Syri piſcatores ſe amiciebãt, ſiue nudi eſſent ſiue ueſtiti hoc ſuperimponentes. Inſtruxit autem Dominus mirabiliter conuiuium diſcipulis ſuis: is quidem qui olim dedit toti Iudaicæ genti panem & coturnices in deſerto, & deinde panes & piſces aliquot uirorum milibus, quorum conuiuium aliquot reliquit cophinos fragmentis onuſtos. Illud autem prudenter præcipit Dominus, ut de ſuis piſcibus quos iam in lacu prendiderant, afferrent. Nam & ſuſpicionem ita eluit, ne fortè phantaſma tam cibus appoſitus, quàm cibo ueſcens uideretur. Cæterùm quum eſſet tanta multitudo piſcium capta, & tamen rete non fuit ſciſſum onere, adumbrauit humilem Eccleſiam, & iuxta mundum imbecillem & anguſtam: tamen omnes orbis nationes complexuram, auſpice Domino Ieſu. Iam ut certius etiam daret ſpecimen Dominus, ſe uerum eſſe hominem, non phantaſma, qui ueritatem ſui corporis

oculis uiſus, auribus auditus, & manibus contrectatus approbarat: cibum quoque cum illis capere uoluit. Quia uerò agnoſcebant Dominum diſcipuli, ſed auguſtiore iam ſpecie: diſcubuerũt, ſed taciti. Et uoluiſſent quidem (inquit Theophylactus) de ea interrogare aliquid: ſed metus & manifeſta aſpectio, quòd non eſſet alius, ſed ipſe, non permittebant interrogare, ſed ſolùm comedebant quæ ille creauerat, &c. Ieſus autem pro more panem accipit, ac diſtribuit cum gratiarum actione, ſimiliter et piſcem: facto docens ſuos, quos paſtores Eccleſiæ delegerat, ut gregem Euangelicum ſacra doctrina, ſed ab ipſo tradita, paſceret. Quomodo autem comederit, non eſt noſtrum dicere: ait ille. More enim admirabili facta ſunt hæc, non quòd nunc quoq; cibo habuerit opus: noſtri cauſa, ad confirmationem ſcilicet reſurrectionis, facta ſunt. Beda presbyter: Dominus, inquit, ne quid in eorum mente reſideret ambigui, ſumptis etiam epulis comedit coram eis, ut ſi uiſibus oculorum, ſi ſuorum tactibus non crederent digitorum: uel alimentorum carnaliũ perceptione carnem eſſe quæ apparuit, cognoſcerent. Simpliciter itaque & piè ſentiendum eſt, reſuſcitatum à morte, & clarificatum, ac immortale iam factum corpus Dominicum, nullam quidem neceſsitatem, attamen facultatem habuiſſe ueſcendi. Ideoq; ubi opportunitas probãdæ ſubſtantiæ naturalis exigebat cibis refici, uidem⁹ eſſe refectũ: q nimirũ cibi nullũ ſanguini adiumentũ, ut mortaliũ corporib. ſolẽt, illi præbuerint: ſed quomodo in ignẽ miſſa aqua, ita mox comeſti ſpiritali eius ſint uirtute abſumpti. Hæc ille.

CAPVT TRICESIMVMNONVM.

QVum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò Amas me, & dixit ei: Domine, tu omnia ſcis, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce oues meas. Amẽ amen dico tibi, quũ eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas ubi uolebas: cũ autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non uis. Hoc autem dixit, ſignificãs qua morte glorificaturus eſſet Deum. Et quũ hoc dixiſſet, dicit ei: Sequere me. Conuerſus Petrus, uidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus, ſequẽtem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit: Domine, quis eſt qui tradet te? Hunc ergo quũ uidiſſet Petrus, dicit Ieſu: Domine, hic aũt quid? Dicit ei Ieſus: Si ſic eum uolo manere, donec ueniam, quid ad te? Tu me ſequere. Exiuit ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Ieſus, Non moritur: ſed, Si ſic uolo eum manere donec ueniam, quid ad te? Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus quia uerum eſt teſtimonium eius.

COMMENTARIA.

Poſteaquam ſatis firmis & perſpicacibus argumentis ueram ſuam diſcipulis demõſtrarat Dominus Ieſus reſurrectionem, ac nunc accingeretur itineri, abiturus ad cœlos: uoluit etiam Apoſtolos ſuos in eo confirmare officio, ad quod ipſos delegerat. A' cibo ergo corporis tranſit ad cibum animæ, docens cibum appetendum qui reddat immortales. Hinc S. Petro paſcendas oues ſuas committit, ſed ter ſtipulatus amorem ſui: ut inculcaret animis ſuorum, neminem eſſe paſtorem idoneum gregis Euangelici, niſi qui talem amorem gereret erga ſuæ cuſtodiæ creditos, qualem Chriſtus iam præſtiterat erga ſuos, pro quib. impenderat uitam ſuam. Quod autẽ Chriſtus, qui ſcrutator eſt cordis, nihilq; ignorat, interrogat: non hoc facit (ait Theophylactus) ut diſcat ſicut nos, ſed ut doceat & manifeſtet aliorum fidem. ſicut & cum interrogaret: Quem dicunt homines eſſe filium hominis? quam fidem confeſsionemq; à nobis requirat, indicabat. Petijt autem ab eo Dominus, ſi plus cæteris diligeret, quòd maiorem clementiam in ſe Domini fuiſſet expertus. Nam etſi communiter omnes diſcipuli magna perculſi fuerunt formidine, quando Dominus tradebatur: maius tamen crimen fuit Petri, qui breuiſsimo in tempore ter Chriſtum negauit. Porrò toties iterata Domini percontatio, ſcrupulum ac mœrorem iniecit Petro. Reſpondit igitur ſincerè quidem, ſed timidè ac modeſtè, iam tota fiducia tranſlata in eum cui ſoli oportet fidere: Domine, inquit,

quit, cur hoc toties interrogas, cum nihil te fugiat? Scis ipſe, quòd amem te. Tum Ieſus: In oues meas, ait, declara quanti me facias. Boni autem paſtoris exemplum ex me ſumes. Ego pro meis ouibus uitam impendi: tu quoque uſque ad uitæ iacturam, fidum ages paſtorem ouium mearum. Meæ ſunt, quas meo ſanguine redemi: nunc rediturus ad patrem, tibi paſcendas committo. Audiant Epiſcopi (inquit Theophylactus) & prædicatores uerbi, quid eis commendetur. Non facit dominum, non principem, non regem, Petrum: ſed paſtorem eſſe iubet. Non facit mentionem lactis, uel lanæ, quæ tamen gratæ oues debent paſtoribus: ut ne ſua ſectetur, ſed quæ aliorum. Paſce, inquit: non, occide: ad ædificationem, non ad deſtructionem officio fungere: paſtor eſto, non lupus, &c. Cæterùm qui pro ſalute gregis non dubitat uitam ſuam in diſcrimen adducere, is abſolutæ charitatis certiſſimum documentum dedit. Id olim Petrum facturum ſubindicare uolens Dominus, aiebat: Cum eſſes iunior, &c. Hoc ænigmate ſignificabat Ieſus, quo mortis genere Petrus Deum eſſet glorificaturus. Cum ergo Petrus conſtanti & diuturna prædicatione Euangelij omnia in ſe odia impiorum conſciuit, tandē à Nerone Romæ affixus cruci, † martyrio coronatus eſt, capite ad terram uerſo, & in ſublime pedibus eleuatis: aſſerens ſe indignum ut ſic crucifigeretur, ſicut Dominus ſuus: anno ætatis ſuæ 72. Quòd autem Dominus ait Petro, Sequere me: etſi intelligi poteſt, ut tanquam diſcipulus doctorem ſequatur: ænigmaticè tamen oſtendit Chriſtus, ueſtigia & paſſionem ſuam Petro ſequendam eſſe, ut per eandem (ſic enim loquitur D. Cyrillus) opere ſimul atque ſermone uocatorum animas iuuans, ad crucem uſque proficiſcatur. Verùm Petrus cum unicè diligeret Ioannem, ac Domino cæteris chariorem ſemper fuiſſe ſciret: rogat Dominum, quid de illo futurum eſſet? Iam enim de ſua morte cognouerat. Et ſcire cupit, an hunc mortis ſuæ comitem eſſet habiturus. Nam hoc ſibi glorioſum eſſe ducebat, quòd Ieſu mortem eſſet imitaturus. Reſpondet ei Dominus Ieſus: Quòd ſi uellem illum non mori, ſed ita manere uiuum donec redeam in iudicium, hoc que ſaluti eius conduceret: quid id tua referret? Audiſti Petre, quæ ad te pertinent. cur aliena quæris? cur diuinæ iuſticiæ ſecreta rimaris? Ortus eſt ex huius ſermonis occaſione inter diſcipulos rumor, quòd diſcipulus ille Ieſu dilectus, non eſſet moriturus uiolenta morte, ſed permanſurus in uita, donec rediret Dominus, iudicaturus uiuos & mortuos, quod omnes tum breui futurum opinabantur. Scribunt de Ioanne iſto uetuſtiſſimi ſcriptores, Euſebius & Tertullianus, eum ſcilicet fuiſſe ſacerdotem Domini, & doctorem optimum, ac proinde mitram pontificalem geſtaſſe. Nec uerentur ipſum appellare martyrem, ideo quòd teſtis Ieſu fuit fidelis, & quòd pro nomine Chriſti multa paſſus eſt, licet per tormenta perſecutorum non clauſerit uitam. Cum enim in oleum feruens demerſus, nihil paſſus eſſet Romæ ſub Domitiano: in inſulam Pathmos eſt relegatus. Inde uerò actis Domitiani à ſenatu reciſſis, reductus Epheſum fuit, ibiq; dormiuit ætatis ſuæ anno 99. Cæterùm teſtem ſe uocat Ioannes, eo quòd dixiſſet Dominus: Vos eritis horum teſtes. Teſtis autem uerus nihil de ſuo dicit, ſed duntaxat ea quæ uel uidit, uel audiuit, fideliter narrat. Proinde S. Ioannes quod audiuit à Domino, & uidit ipſum facientem, patientem que, fideliter & uerè expoſuit.

† Vide Abdiā Babyloniæ Epiſcopum, & Hieronymū.

Pius lector legat Abdiam Babilo. Epiſc.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

VNdecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi conſtituerat illis Ieſus. Et uidentes eum, adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Et accedens Ieſus locutus eſt eis, dicēs: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui uobis. Et ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus, uſq; ad conſummationem ſeculi. Hæc ſunt uerba quæ locutus ſum ad uos, cum adhuc eſſem uobiſcum: quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis, de me. Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas, & dixit eis: Quoniā ſic ſcriptū eſt, & ſic oportebat Chriſtū pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius remiſſionē peccatorū in omnes gentes, incipientibus ab Hieroſolyma: uos autem teſtes eſtis horum. Et ego mittam promiſſum patris in uos: uos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini uirtute ex alto.

Theophylactus: Non ſufficit baptizari tantum: ſed etiam bene operandum eſt poſt baptiſma.

COM-

Porrò diſcipuli in Galilæam profecti, conſcenderunt montem quem illis deſignarat Ieſus. Adeſt & ipſe inter eos, & ſeſe conſpiciendum præbuit. Viderunt & agnouerunt eundem Dominum ſuum, & adorauerunt ueluti iam ſublimem & cœleſtem. Nonnulli tamen adhuc dubitabant, donec plurimis ac certiſsimis argumentis, & illis fides facta eſt. Et illorum dubitatio, S. Hieronymo teſte, profecit ad fidei noſtræ certitudinem. Accedens igitur propius Ieſus ad illos, non ſolùm cominus ſe conſpiciendum et contrectandũ præbuit: uerumetiam uoce nota conſueta'que locutus eſt eis, declarans ſeſe morte ſua conſecutum regnum in cœlo & in terra, & authoritatem. In cœlo, ubi ſemper regnarat cum patre: in terra, ubi poſthac regnaturus eſſet per fidem credentium. Præterea: Quoniam, inquit, uolens ac ſponte omne genus contumeliarum, ac denique ignominioſiſsimam mortem toleraui pro ſalute mortalium: pater me immortalitatis gloria donatum euexit ad regni ſui conſortium, meæ'que poteſtati ac ditioni ſubiecit omnia quæ cœlo terra'que continentur. Ite igitur tanquam bonæ fidei legati, ac me autore freti docete primùm quidem Iudæos, mox finitimos, deinde cunctas totius orbis nationes docete, quid de me credere, quid ex me ſperare debeant. Si crediderint quæ docuiſtis, ſi pœnituerit uitæ prioris, ſi parati fuerint amplecti doctrinam Euangelicam: tum tingite illos aqua, ut hoc ſacro ſymbolo confidant ſeſe liberatos ab omnium peccatorum ſuorum ſordib. gratuito beneficio mortis meæ, tanquã cooptatos in numerum filiorum Dei. S. Hieronymus: Primùm, inquit, docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua. Non enim poteſt fieri, ut corpus baptiſmi recipiat ſacramentum, niſi antè anima fidei ſuſceperit ueritatem. Baptizantur autem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: ut quorum una eſt diuinitas, una ſit largitio, nomen'que trinitatis unus Deus eſt. Tantum ille. Mandans porrò Dominus officium Euangelij prædicandi apud uniuerſas gentes, authoritatem baptizandi, & per Spiritum ſanctum condonandi peccata omnibus qui ſincero pectore profiterentur uitam Euangelicam: Et hos, inquit, docete non iuxta legem Moſaicam, neque conſtitutiones Phariſaicas: ſed iuxta præcepta mea, donec adoleſcant, uſque ad perfectionem Euangelicæ doctrinæ ac uitæ. Ac ne quid diffiderent, quòd iam non cum eis aſſiduè uerſaturus eſſet: promittit nec illorum ſodalitium unquam interiturum, nec ſe ſuis unquam defuturum: ſed ſpiritu uirtute'que ſemper ſuis fore præſentem, uſque ad huius mundi finem extremum. Cum'que iam omnibus illorum ſenſibus fidem feciſſet, ſe uerum & uiuum hominem, quem antea uiderant & uiuentem & morientem: redit ad Scripturas ſacras, quibus erat habenda fides, etiamſi ſenſus hominis reclamarent: Mirari, inquit, non oportet quæ uidetis eſſe facta. Quicquid hactenus factum eſt, id prædictum ac præfiguratum erat in libris Moyſi, in Prophetis & Pſalmis. Hæc ſunt quæ uobis toties inculcaui, cum adhuc mortalis agerem inter mortales. Tum ea non inſederant animis ueſtris: nunc non poteſtis addubitare, poſteaquam uidetis mea dicta conſentire cum arcanis ſcripturis, & rerum euentus cum utriſque. Quoniam myſticæ literæ non intelliguntur, niſi Deus aperiat nobis mentem: Ieſus aperuit illis oculos mentis & cordis, ut quod ſcriptum eſſet legerent, crederent, & intelligerent. & dixit eis: Hoc ordine uiſum eſt patri reſtituere genus humanum, per mortem & ignominiam crucis: iter erat ad gloriam, reſurgendum erat tertio die, ut ſciretis uos habere Dominum ac patronum uiuum, poſthac non moriturum. Is relatus in cœlum, inde mittit uobis ſpiritum cœleſtem. Tunc oportebit in nomine Ieſu Chriſti prædicare pœnitentiam anteactæ uitæ, & remiſsionem omnium peccatorum. Ego dependi pœnam omnium nomine: tantum credant, & gratis aſſequentur innocentiam. Hæc autem oportebit prædicari non ſolùm Iudæis, uerumetiam uniuerſis mundi nationibus: ſed ita, ut ab Hieroſolymis ſumatis initium. In Iudæa natus ſum, illic edidi miracula, Hieroſolymis docui, ac mortem obij: apud hos inuenietis animos, iam multis modis ad fidem præparatos. Reclamabit mundus ueſtro teſtimonio: ſed ego mittam uobis à patre ſpiritum, quem olim per Prophetas miſſurum promiſit. Addet ille uobis uirtutem ad edenda miracula, ut ſit efficax ueſtrum de me teſtimonium. Vos interim ſimul congregati in hac ciuitate Hieroſolyma conquieſcite, Eccleſiæ naſcituræ concordiam auſpicantes: uoſq; inuicem ſanctis colloquijs exhortemini, deprecantes & gratias agentes Deo, donec è ſublimi ueniat ille ſpiritus, qui uos inſtruet uirtute robore'que cœleſti.

CAPVT QVADRAGESIMVMPRIMVM.

NOuiſsimè autem recumbentibus undecim, apparuit illis Ieſus, & exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis: quia his qui uiderant illum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum uniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturę. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquētur nouis, ſerpentes tollent: Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Eduxit autem eos foràs in Bethaniam, & eleuatis manibus benedixit eis. Et factum eſt, dum benediceret illis, receſsit ab eis, & ferebatur in cœlum. Et Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Et ipſi adorantes regreſsi ſunt Hieruſalem, cum gaudio magno: & erant ſemper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Illi autem profecti prædicauerunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

COMMENTARIA.

Poſteaquam Dominus Ieſus clariſsimè demonſtraſſet, ſe rediuiuo corpore ex mortuis reſurrexiſſe: nouiſsimè adeſt in conuiuio, accumbentibus diſcipulis, & increpat eos ueluti duros atq; incredulos, quòd adhuc diffiderent tam apertis demonſtrationibus. Quibus autem uerbis exprobrarit illis incredulitatē, non exprimitur. Leguntur quidem quædam huius generis apud Lucam, cum expauefacti & perterriti diſcipuli exiſtimabant ſe ſpectrum uidere. Tunc enim dixit eis: Quid turbati eſtis, et quare cogitationes exurgunt in cordibus ueſtris? Aſpicite manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum: contrectate me, & aſpicite, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me uidetis habere. Cæterùm ut oſtenderet Dominus, iam ſalutem partam atq; oblatam hominibus, iam tempus inſtare ut innoteſcat omnibus, ait: Poſteaquam tandem uobis hæc omnia multis ac certis argumentis probata comperta'que ſunt, ite in mundum uniuerſum, &c. Habet uox Mundus ſuam emphaſim, quæ nobis miſericordiam Dei immenſam commendat: quippe quæ mundum totum in malo poſitum, ex tenebris ad lucem uocare dignatur. Deinde quid euntes faciāt, exprimit Dominus, finem utique miſsionis indicans, modum exponens, per quem omnibus uult innoteſcere hominibus, ac per quē participes fiant ſalutis. Quòd ergo iubet eos prædicare, intelligimus maieſtatem gloriam'que omnem uitæ & ſalutis eſſe ſolius Dei: doctorum autem ſiue præconum, miniſterium. Et neminem excludit Dominus Ieſus, nullam ætatem, nullum ſexum, conditionem nullam: imò iubet omnis generis hominibus ſalutiferum proclamare Euangelium. Eſt autem Euangelium, ſermo ſiue prædicatio de Chriſto, quòd credentes in ipſum Chriſtum à peccatis abſoluti, & à diabolo morte'que æterna liberati, hæreditatem conſequuntur uitæ æternæ: rurſus qui non credunt in filium Dei, condemnantur. Proinde iuſtificantur homines per Chriſtum in fide: iuſtificati autem, faciunt opera iuſticiæ. Nec ſine fide tinguntur infantes. habent enim fidem Eccleſiæ, & ſunt in fœdere & gratia Dei per Chriſtum. quare etiam dixit ille: Sinite paruulos ad me uenire, & ne prohibueritis eos: talium enim eſt regnum Dei. Marci 10. Obſeruandum uerò eſt, quod non repetit Dominus, Qui non crediderit & baptizatus fuerit, &c. ſed duntaxat, Qui non crediderit, condemnabitur. Si enim obſtat neceſsitas & contemptus ordinationis Dei, temerarius non accedit, qui credit fidelis uerè in filium Dei: nullum uidetur eſſe uitæ periculum. Sic enim D. Cyprianus (teſte Auguſtino) docuit: non tantum ſcilicet paſsionem pro nomine Chriſti, ſed etiam fidem, confeſsionē cordis ſufficere: ſed tunc, cum myſterium baptiſmi, non contemptus religionis, ſed articulus neceſsitatis excludit. Porrò commendans illis doctrinam Euangelicam Dominus: Ne ueſtra prædicatio, inquit, fide careat, addetur & miraculorum uis. Præcipua Euangelicæ gratiæ uis in animis eſt: ſed tamen ob incredulos & infirmos quoque præſtò erunt magna miracula, ut homines craſsi uideant, in ijs qui in me poſuerint fiduciam, eſſe ſpiritum humanis uiribus potentiorem. Eduxit autem eos foràs. Theophylactus putat, hoc quadrageſimo die factum.

De conſe. diſtinct. 4. Bap.

B Quod

Quod enim illi (Euangeliſtæ uidelicet) inquit, tu intellige in multis diebus eſſe facta: ſicut & ipſe Lucas dicit in Actis, quòd per quadraginta dies uiſus ſit eis. Sæpe enim ad eos acceſsit, & ab eis iterum abceſsit, &c. Singula uerò uerba declarant ueri corporis ueritatem. Nam educit eos Bethaniam uſque, & inde aſcendens in montem Oliuarum, attollit manus in altum, ut uel ualedicat more recedentium, & bona imprecetur ſuis tanquam dilectiſsimis: uel infundens eis uim (quod Theophylacto uidetur) quæ cuſtodiret uſque ad aduentum ſpiritus. Sic autem receſsit, ut corpus eius uerum delatum ſit in cœlum. Cœlum hac ſignificatione appellatur regnũ Dei, regnum patris æterni, in quo gaudium, uita perpetua, æterna pax atque tranquillitas eſt. Peruenit ergo corpus Chriſti ad dexteram Dei, ibi ſedet. Ad dextram intelligendum eſt (teſte Auguſtino) dictum eſſe, in ſumma beatitudine, ubi iuſticia & pax & gaudium eſt: ſicut ad ſiniſtram hœdi conſtituuntur, id eſt in miſeria, propter iniquitates, labores, atque cruciatus. Et alio in loco: Vbi, & quomodo, inquit, ſit in cœlo corpus Dominicum, curioſum et ſuperuacaneum eſt quærere: tantummodò in cœlo eſſe credendum eſt. non enim eſt fragilitatis noſtræ, cœlorum ſecreta diſcutere: ſed eſt noſtræ fidei, de Dominici corporis dignitate ſublimia & honeſta ſapere, &c. Iam uerò diſcipuli Domino Ieſu ut Deo, & Deo quidem ſuo, humiliter & deuotis mentibus ſupplicant. Et memores uerborum eius, Ecce ego mittam promiſſum patris mei in uos, uos autem ſedete in ciuitate Hieruſalem, donec induamini uirtute ex alto: redeunt in urbem, expectaturi Spiritum ſanctum. id quidem faciunt totum cum gaudio, & exultatione magna. iam enim fides excuſſerat omnem mœrorem, & certa ſpes promiſſorũ addebat alacritatem. Interea frequentes erant in templo, tunc Euangelicas uictimas immolantes, laudibus ferentes diuinam benignitatem erga genus humanum, & gratias agentes ei, qui tanta beneficia decreuiſſet per filium ſuum gratis largiri mortalibus. Poſt acceptum uerò ſpiritum cœleſtem diſcipuli prædicauerunt, ſicut erant iuſsi: non in Iudæa tantum, uerumetiam in omnibus regionibus. & ſucceſsit res, licet aduerſante mundo: uidelicet Domino Ieſu per ſpiritum ſuum uim ſuam exerente per Apoſtolos, & quòd illi uerbis promittebant, miraculis ubique paratis cõfirmante. Hæc autem tradiderunt hucuſque indubitatæ fidei teſtes diui Euangeliſtæ de Domino noſtro Ieſu Chriſto, uero Deo & homine, & mundi Saluatore: quæ ſcilicet dixerit & fecerit, dum diſpenſationis diuinæ negocium ab æterno decretum abſoluit. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum: Amen.

August. de fide & symb.

COMMENTARIORVM IN HARMONIAM Euangelicam Finis.

REVE-

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC ILLVSTRISSIMO PRINCIpi, Domino Eraſmo à Limpurg, Epiſcopo Argentinenſi,

RENHARDVS LVTZ ERYTHROPOlitanus Salutem dicit plurimam.

QVOD has Euangeliorum, ut uocant, recitandorũ Dominicis atq; alijs feriatis diebus coram populo Dei enarrationes compendiarias in lucem dare uiſum fuit, ornatiſsime Præſul, duæ ſubeſſe uidentur rationes. Vna, quòd uidi haud abs re fore, ſi meæ inſtitutionis, ac, ut puto, pię necnon orthodoxę doctrinæ ſpecimen (quod pollicitus ſum) tuæ amplitudini exhiberem: cui utinam tam commendatiſsimus eſſem, quàm addictiſsimus clientulus eſſe uolo. Altera, ut hoc modo alijs ſeruirem Symmyſtis, qui uel tantos authores ac pios ſcriptores ad manum nõ habent: uel ipſis ocium non eſſe poteſt, ipſos ut ſemper euoluant, cum eos qui ruri ſunt, hiſce terrenis ac domeſticis rebus occupari ſit neceſſe. Neque ſcripſi poſt Homerum Iliada: id eſt, poſt tot claſsicos & doctiſsimos uiros, Homilias. Ipſorum enim Homiliæ ſunt, & nõ meæ: & quicquid hoc eſt, ipſis acceptum fero, atque ferendum eſſe planè affirmo: quo magis abeſt, ut mihi uel ullam gloriam, uel laudem iure deberi dicã. Optimè noui, ac prorſus agnoſco, quàm curta mihi ſit literarum ſupellex. Totum itaq; attribuatur illorum priſcorum Patrum abſolutiſsimæ eruditioni, ex quorum ſcriptis conſtat hanc meam rhapſodiam conſarcinatam eſſe. Quia autem hoc pacto Eccleſię Chriſti deſeruire conor, confido in primis tuam amplitudinem hunc meum conatum approbaturam, ac boni conſulturam. Deinde alios quoque laudaturos meam promptam atque paratam uoluntatem, etiam ſi uideant alicubi defuiſſe uires, quibus proinde me ſummè commendatum eſſe cupio: potiſsimùm autem tuæ Dominationi, quam pientiſsimus Ieſus nobis diu ſuperſtitem atque incolumem eſſe uelit. Seletſtadij,

Anno à Virgineo partu

M. D. LVII.

VERAM CHRISTI FIDEM, AC SINCERAM *charitatem, ipſam'que Salutem, pio atque dilecto Lectori,* RENHARDVS LVTZ *Erythropolitanus dicit.*

QVI monimenta doctorum uirorum perluſtrarũt (ut enim plurimùm fieri ſolet, quando ingenij humani fœcunditas omnium rerum profunditatem expiſcari conatur) optime Lector, hi ſciunt quàm olim laudatus ſit Mercurius ob inſignem facundiam, qua feros hominum cultus formauit. Quòd ſi uerò ultra progrediuntur in campum hunc quàm amœniſsimum Scripturarum, inueniunt Græcos etiam uſque ad aſtra laudibus euehere Demoſthenem, ob ſummam dicendi peritiam. Vt autem Latini nulli facilè cedunt genti propter uaria dona à Dijs ipſis conceſſa, tum quoq; mirum in modum criſtas erigunt, propter M. Tullium Ciceronem, ut lucem doctrinarum fulgentiſsimam, ac Romanæ eloquentiæ uberrimum fontem. At utcunque omnes glorientur, optimum atque facundiſsimum Oratorem nos eum eſſe dicimus, qui nouiſsimis tempo-
Baruch.3. ribus è cœlo lapſus, & ut Propheta inquit, cum hominibus conuerſatus eſt: is
Matth.2. eſt autem Ieſus Chriſtus, quem Nazaræum Scriptura appellat. Nam accedant licet quotquot unquam extiterunt, res'que omni admiratione & ſtupore dignas, tanta præſtantia, tam'que iucundè, ut etiam omnes in admirationem raperent, dixerunt: nullus tamen huic noſtro Ieſu comparandus ue-
2.Pet.1. nit, quandoquidem non humana uoluntate, ut Petrus de Prophetis ſcribit, allata eſt ipſius prophetia atque excellentiſsima doctrina, ſed Spiritu ſancto
Eſa.61. inſpiratus locutus eſt. Plenus gratia & ueritate euangelizauit: quæ nullus
Ioan.1. unquam potuit, licet diſertiſsimus. Quis enim hominem contritum & captiuum ſic conſolatus eſt, ut affirmaret certò, præſentiſsimam adeſſe medicinam, & ex omnibus malis liberationem? Nemo certè: omnes ſiquidem facti erant inutiles. Hic ſolus potuit miſerè ſaucium hominem conſolari ac refice-
Matth.3. re, cui cunctipotens Pater dixit: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Præterea non docuit ille more aliorum. Homines hunc oratorem diuinum audientes, neſcio quò rapti ſint, & quàm exſtaſim paſsi. Stupebant, inquit
Marci 1. Marcus, ſuper doctrina eius: erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens. Vt interim omittamus magna ac ſtupenda ſigna & miracula, quibus fidem fecit huic tam excellenti doctrinæ. Cæterùm eam primùm auribus haurientes uiri duodecim, quos ad ſe traxerat, eodem Spiritu ſancto, quem abundè ſatis in eos effudit Ieſus, afflati, in tam doctos euaſere uiros, ut ſua doctrina totum orbem replentes, homines à tenebris ad lucem, ex erroribus ad ueritatem, denique à morte ad æternam beatitudinem atque felicitatem deduxerint. Quo factum profectò fuit, ut perdita ſapientum ſapientia, uera & æterna ſapientia cœli cœpta ſit, omnium'que ad uitam æternam præordinatorum uox atque iubilatio eſſet: Viuat Chriſtus Ieſus, uiuat per ſecula, uiuat. donec & ad nos quoque illud iucundiſsimum nuncium dimanauit, qui Chriſtum in carne minimè quidem uidimus, credidimus tamen ipſum filium Dei eſſe, & omnium hominum ſaluatorem. At quo pacto id fieri potuerit, haud mireris credo, ſi rem ipſam, totius'que religionis negocium probè intellexeris. Principió enim uiua uoce Apoſtoli feras & indomitas mentes demulcebant, ut relictis erroribus ac impietate ad ueram ac ſolidam ſeſe conuerterent uitam. Vt autem omnes mortales ſeſe eſſe ſciebant, ne ipſorum morte res tam ſaluberrima interiret, imò ad poſteros, quoniam Chriſtus uult omnes homines ſaluos fieri, eadem ſalus translata, inſtar lucidiſsimi ſolis luceret: uoluerunt literis demandatam, & ita legitima ſucceſsione quaſi per

manus

manus ſalutis myſterium accepimus. Hinc Euangeliſtarum ſcripta, quibus
docent à principio ad finem uſque uitam, mores, doctrinam, & mortem
Chriſti, & quæ poſt deuictam mortem acta ſunt, nec non quæcunque nobis
ſcitu neceſſaria ad ſalutem in cœlis conſequendam, dicente Euangeliſta Io-
anne: Hæc ſcripta ſunt, ut credatis quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut cre- Ioan. 20.
dentes uitam habeatis in nomine eius. Quandoquidem igitur ſacra Scriptu-
ra in hunc finem nobis contradita eſt, atque collata, ut inde addiſcamus quis
uerus hominis ſit finis atque ſcopus, dicente Apoſtolo, Omnis ſcriptura uti- 2. Tim. 3.
lis eſt ad docendum: minimè intermittendum erit Scripturæ ſtudium. Fre-
quens ergo atque aſsidua debet eius eſſe lectio, fida ac pura interpretatio.
Sint ergo doctores ſacrarum literarum, qui (ut Chriſtus inquit) de theſauro
ſuo proferant noua & uetera. Sint quoque homines ſitientes aquam Scriptu- Matth. 13.
ræ ac uerbi Dei uiuam: præſertim quando nil precioſius eſſe poteſt anima
hominis, quam ex uerbo tantum uiuere, certiſsimum eſt, & fiet quod
dictum eſt à Domino: Qui audit uerbum meum, & cre- Ioan. 5.
dit ei qui me miſit, habet uitam æter-
nam. Vale.

EVANGELIORVM DOMINICIS ET ALIIS FERIATIS DIEBVS COMPENDIARIA interpretatio, Renhardo Lutz Erythropolitano autore.

DE NATIVITATE DOMINI NOSTRI IEſu Chriſti Euangelium, Lucæ 2. Exijt edictum à Cæſare Auguſto, &c.

QVOD *Octauianus Romanorum Imperator, ob ſummam felicitatem Auguſtus appellatus, omnium ſeditionum motib. ſedatis, paceq́ inaudita ſeculis reddita, ita ut totius orbis iam eſſet Dominus, hoc de cenſendo uniuerſo orbe decretum emiſit: ſignum fuit uniuerſæ pacis inter Deum & hominem, quæ iam nato filio Ieſu Chriſto facta fuerat. Vidit autem hoc acceptabile tempus ante multos annos* Dauid *propheta, quando cecinit ille:* [a] *Orietur in diebus eius iuſticia & abundantia pacis. Quanquam hoc potiſsimum non de illa pace ac tranquillitate intelligatur, ſed iuſticia & pace ſecundum ſpiritum, ut ſit iuſticia, fides in Chriſtum filium ſummi regis, quæ continet perfectam iuſticiam: & pax, tranquillitas conſcientiarum, perpetuò in cœlis duratura. Hic enim incipit, iuxta illud:* [b] *Nõ contriſtabit iuſtum quicquid acciderit ei. Et alibi:* [c] *Finietur, imò iam demũ incipiet, quia abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, hoc eſt ſanctorum, & non erit neque luctus neque clamor.* Vt profiterentur.] *Cyrinus, teſte Ioſepho, uix uſque ad conſulatum aſcendens, cum paucis in Syriam uenit, ius dare gentibus miſſus. Profitebantur autem ſinguli in eis ciuitatibus quæ ſuæ erant familiæ, ubi deputati accedentium nomina excipiebant.* Factum eſt.] *Spiritus ſanctus nunquam non pijs uiris inſtillauit opus redemptionis, omni adoratione di-*
gniſsimum. itaque Micheas propheta multis retro Mich. 5.
ſeculis locum in quo naſceretur Saluator expreſ-
ſit: Et tu Bethleem, &c. Et peperit fi-
lium ſuum primogenitum.] *Abeat hic* a Pſal. 72.
Heluidius. non enim propterea dicitur primogenitus, quòd poſt illum alios genuerit filios: ſed quia præter illum, nullum alium habuit. ipſe filius Dei primogenitus in tempore eſſe noluit, qui erat unigenitus in æternitate. Nec refert, quod ſcribitur illam fuiſſe deſponſatam uiro Ioſeph. habuit e-
nim intemerata uirgo idcirco ſponſum Ioſeph, ne b Prou. 12.
(dicente Ambroſio) uirginitati aduereretur infa-
mia. Virginem autem permanſiſſe Mariam in par c Apoc. 21.
tu, uel illud argumento eſſe poterit, quòd ipſa filium quem genuit, faſcijs inuoluit, et poſuit in præ-

Ambroſius in Lucam. ſepe, tanquam quæ nullos dolores ſenſiſſet, iuxta
mulierũ maledictionem & morem, ſed cum ſum-
a Exod.12. mo gaudio & delectatione. Eua ſiquidẽ audierat:
b Ioſuæ 2. Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos.
c Ioſephus li.11. Maria uerò uidit nunc adimpleta eſſe, quæ ange-
Geneſ.3. lus Domini futura prædixerat: quoniam paritura
Lucæ 1. eſſet filium altiſsimi, Spiritu ſancto ſuperueniente,
& ex uirtute altiſsimi quaſi præter omnem natu-
ram, nouo quodam pariendi modo, ſeculis omni-
bus inaudito. Magnum igitur hic declaratur my-
ſterium, & innouantur naturæ, cum utero uirgi-
nis clauſo, tanquam radius de lucida ſolis camera
ad nos egreſſus eſt filius Dei. Per Mariæ itaque
partũ mutata eſt natura protoplaſtorum, & præ-
ciſum eſt in ea Euæ infelicitatis elogium, quia ma
ledictio in benedictionem mutata eſt. At quis au-
diuit talia dic rogo facta? Angelus ait: Paries filiũ
magnum, cuius regni non erit finis. Et: Ieſus eſt no
men eius, quia Saluator eſt totius mundi, & ecce
naſcitur in ſtabulo. Nemo profectò mirabitur,
quoniã uenerat filius Dei ut propter hominem e-
tiam abiectiſsima ſubiret, ipſum ut redimeret. Sic
ergo noſtram mortalitatem aſſumpſit, ut per eam
nobis immortalitatẽ conferret: ſic pauper eſſe uo
luit, ut nobis æternas diuitias daret. Quid maius
eſſe poſſet quàm quòd ipſe innocẽtiſsimus, ignomi
nioſiſsimã crucis mortẽ tulit, cum inimici eſſemus
Philip.2. Dei capitales? Pro bono, ait Apoſtolus, audeat
quis forſan mori. Et paſtores.] Nato ſum-
mo paſtore, paſtoribus magnũ myſterium Dei de-
claratur, ſimplicibus & nulla uana ſuperbia tur-
gidis: talibus autẽ ſolent fieri illuminationes. Sa-
1.Cor.3. pientia enim huius mundi ſtultitia eſt apud Deum:
dicente Apoſtolo, ſapientia nimirum humanitùs
inuenta. Et Chriſtus ſuperbis patrem reſiſtere. hu
milibus uerò dare gratiã oſtendit, cum dixit: Con
fiteor tibi pater cœli et terræ, quia abſcõdiſti hæc
d Rom.5. à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis, Matth.11.
Et ecce angelus.] Claritas & exterius &
interius circumfulſit paſtores, & natum Domi-
num cœli ciues teſtantur, ut ſuum ſeruitium im-
pendant, & fideles ſufficientiſsimè imbuant. At
illi ob inſolitam uiſionem timuerunt, quibus ange-
lus: Nolite, inquit, timere, ſed bono eſtote animo.
annuncio enim uobis non timorem, ſed ſecurita-
tem: non triſtitiam, ſed gaudium magnũ atq; æter-
num, quod futurum eſt omni populo: non ſolùm Iu
dæorum, ſed & uniuerſarum totiuſ terræ natio-
num: quia natus eſt quem omnes prophetæ uentu
rum uaticinati ſunt, ad redemptionem & gloriam
plebis ſuæ Iſrael, quæ præ cæteris hactenus coluit
Deum uerum ac uiuum, omnem ſpem ſuam atque
fiduciam in unum Saluatorem collocans: natus
eſt hodie Saluator ille Chriſtus Dominus, uobis.
Moſes [a] ſaluauit populũ, ex Aegypto illum ducẽs.
Sic [b] Ioſue, ſic [c] Cyrus rex Perſarum mediã ſalu-
tem populo contulerunt: at nullus eorum ſaluum
fecit populum à peccato illo maximo, quod com-
merebatur æternũ exitium, præter unicum illum
ſaluatorem Ieſum. Nec etiam fruſtra dixit an-
gelus: Natus eſt uobis. nam etſi angelica natura
poſt lapſum ſubiaceret peccato, tamen non erat
redimenda, quia illud peccatum erat uerè media-
bile, ut ita dicamus. Angelis uerò qui non pecca-
uerunt, non ſaluandis, ſed tantum glorificandis ue-
nit Chriſtus. Semen Abrahæ, ait Apoſtolus, ap-
prehendit. Hebr.2. Et cum unctum audirent, am-
plius nihil expectarent, quod in Prophetis hacte-
nus eſſet promiſſum, ſed impleta iam demum om-
nia. quæ illi futura cecuniſſent, Eſa. Hieremias, Da
niel & alij. Nec his contentus, ſignum huius augu
ſtiſsimi facti euidentiſsimum oſtendit: Inuenietis,
dicens, infantem pannis inuolutum, non auro, non
gemmis ornatum, ſed faſcijs tanquam pauperrimi
cuiuſdam hominis filium: ut oſtendatur, ſuperbia
quemadmodũ homo paradiſo pulſus æternæ dam
nationi obnoxius factus eſt, ita ſalutem ſumma hu
militate rurſum acquiri debere. Et ſubitò fa
cta eſt.] Milites cœleſtes angeli ſuum ducẽ lau
dant, ut eum qui deducturus eſſet homines ad ſalu
tem, & reparaturus ruinam. & canunt: Gloria
in excelſis Deo. licet gloria Dei ubiq; reluceat:
maximè tamen relucet in cœlo, ubi eſt beatorum
habitatio iucundiſsima. Glorioſa igitur in cœlis
Deo gloria ſit, canunt: quia reſpexit afflictionem
populi ſui, largiturus uberrimam benedictionem
ex nimia charitate, ut oſtendat ſuperabundantes
diuitias gratiæ ſuæ, quæ ueræ pacis ſunt. Homini-
bus in terra pax: ſiquidẽ amiſſa erat propter præ-
uaricationem Adæ. nam ex traduce illa omnes na
ſcebãtur [d] filij iræ, et æternæ damnationis. ex quo
dictum fuerat: Qua hora comederitis ex hoc fru
ctu, morte moriemini. Geneſ.2. Hoc autem Chri
ſto nato, omnis indignatio Dei cecidit, propter u-
num illum filium in quo Patri benecomplacitum
fuit. quod alij dicunt, bona uoluntas. Si quis autem
ſecundum communem uſum uelit loqui, certè pax
oblata eſt nato Saluatore hominibus bonæ uolun
tatis: quemadmodum Scriptura dicit. pacem nul-
lam eſſe impijs. Hæc igitur fuit longè feliciſsima
annunciatio natiuitatis filij Dei Ieſu Chriſti, &
Meſsiæ ueri expectati, ex uirgine Maria: quæ
ut omnibus ad ſalutem ſit facta,
precamur.

IN DIE S. PROTOMARTYris Stephani Euangelium, Matth. 23. Ecce ego mitto ad uos prophetas & ſapientes & ſcribas, & ex illis occidetis.

OBijcit Dominus Phariſæis impiam ipſorum uitam, atq; dicit illos manere uæ ſempiternum, quoniam menſuram patrum adimpleãt ſuorum: quandoquidem ad ipſos Prophetæ miſſi ſunt, at quia non loquebantur placentia, necati fuerunt: ueluti Eſaias, qui prophetauit ſub Manaſſe rege Hieroſolymis, et propter ipſiſſimã ueritatem ſectus in duas partes occubuit. Et Hieremias ſub Iecomia rege, dum contra impia Iudæorũ facta intonaret, tandẽ apud Taphnas in Aegypto à populo lapidibus obrutus, uita functus eſt. Eò uesaniæ (ait Chriſt.) ueniſtis, ut haud minus geſtiatis iuſtũ effundere meorũ prophetarũ ſanguinẽ. Ecce ego mitto ad uos ſapiẽtes & ſcribas.) Obſeruandũ quos hic dicat Chriſtus eſſe ſcribas ſapientes atq; prophetas, nimirum ſuos Apoſtolos. quandoquidẽ apoſtolus Paulus dicit, alios prophetas, alios doctores à Chriſto fuiſſe inſtitutos: Vos inquit, eſtis corpus Chriſti. [a] Et ipſe dedit quidem quoſdã Apoſtolos, quoſdã aũt prophetas, alios uerò Euangeliſtas, alios aũt doctores et paſtores, ad cõſummationem ſanctorũ, etc. Eph. 4. Et 1. Cor. 12. Quibus nil uerius eſſe poteſt, ſi ſcriptis ſanctis credatur. Et ex illis occidetis.) Veraciſſimus propheta Chriſtus, quoniã ipſe ut uerus Deus omnia manifeſtè cernebat, tanquã iam acta atq; trãſacta: idcirco Occidetis ait. Equidẽ ſi ſcripturæ creditur, Stephanus à Iudæis lapidatus eſt. Act. 7. Deinde Iacobus ſub Herode gladio occubuit: & tandem ſub Nerone crudeliter necati ſunt Petrus & Paulus Romæ, ornamenta fidei et lumina totius orbis. [b] Petrus enim accepto mãdato paſcẽdi oues Chriſti, inter Iudæos uehementiſſimè floruit: & Paulus doctor gentium factus, coruſcauit ut lux inter eos ſole clarior per uerbũ ueritatis. Qui aũt nõ ſtatim interempti fuerũt, nõ tamẽ abſq; cõtumelia abierũt, uel uirgis cæſi, uel extra ſynagogam eiecti. Vt ueniat ſuper uos.) Hæc fient à uobis maleuolis in iuſtã uindictam, ut rei ſitis omniũ iuſtorũ ſanguinis pœnã olim luentes. Quod autẽ Abel meminit, nulla eſt ambiguitas. [c] Nam ut lib. Geneſeos ſcriptũ eſt, nequiſſimus Cain frater fratrẽ occidit, quãdo ambo obtulerũt Domino ſacrificiũ, unus de terræ fructib. alter uerò de primogenitis gregis ſui: & Dominus reſpexit ad munera Abelis, ad Cain uerò nõ. Quis autẽ ſit filius ille Barachiæ, meritò quærunt. nam hic non apud omnes cõuenit ſcriptores. Hieronymus probabilius eſſe teſtatur, eum fuiſſe filiũ Ioiadæ ſacerdotis, qui uel hoc nomine dici poſſit Barachias, id eſt, benedictus Domini, propter ſanctitatem. Nec abs re erit ſcire, quare ſanguis Abel iuſti uſq; ad Zachariã ab illa generatione requiratur, cũ neutrũ eorũ occiderit. Duas habet diuina Scriptura generationes, unã bonorũ, et alterã malorũ. Quis, inquit Dauid propheta, aſcendet in montẽ Domini, hoc eſt, ad cœleſtẽ Hieroſolymã? Vtiq; reſpondet, innocẽs & mundo corde: quia hæc eſt generatio quærentiũ Dominũ, quærentiũ faciẽ Dei Iacob. Pſal. 23. Et hæc eſt atq; dicitur generatio iuſtorũ. Pſal. 111. Alia porrò generatio eſt, peſtilentiſſima quidẽ, quã Ioannes Baptiſta, nec nõ ipſe Chriſtus progeniẽ uiperarũ appellarunt, & bene quidẽ. Matth. 3. & 12. Sicut enim de uiperis naſcũtur uiperæ: ſic mali plerunq; malos procreant, coruus coruũ, de homicidis homicidæ ueniũt, & hæc generatio uix effugiet iudiciũ gehennæ. Cæterũ ut euidentiora fiant, ſubijciamus exẽpla. Ezechiel Ezech. 13. cum peccata terræ cõmemoraſſet, inter cætera ſic dixit: Si Noe & Iob & Daniel ibi fuerint inuenti, non dimittam peccata terræ illi. Per Noe, Iob & a Eph. 4. Daniel omnes ſignificãs plenos Spiritu ſancto atque uirtutibus, quorũ oſtendit acceptam Deo conuerſationem eſſe quidem: at minimè patrocinaturam peſſimæ illi genti, ut poſſint eam ſubtrahere iræ Dei. Ergo gentem ſiue generationẽ diſtinguit à generatione, unam iuſtam, alteram uerò iniuſtã pronunciãs. Hieruſalem Hieruſalem.) Vehemens exclamatio non ad ſaxa, ſed habitatores ciuitatis, quos patris plangit affectu. quemadmodum & alio in loco habetur, quòd uidens Hieruſalem fleuerit Chriſtus. In eo autem quod dicit, Quoties uolui, &c. omnes retrò prophetas à ſe miſſos teſtatur. Gallinæ uerò ſimilitudo appoſitè b Actor. 12. adiungitur, propter eximium amorem quo fouet illa pullos ſuos. Lynus in epiſtola tradita Eccleſijs orientalium. Quo pacto autem Iudæi diſperſi fuerint, uel ipſi Prophetæ teſtantur, quando apud illos clarè reperitur, propter negligentiam paſtorum diſperſas fuiſſe oues, Hier. 23. eaſq; factas in deuorationem omnium beſtiarũ agri. Ezech. 34. Sed quæritur, quomodo dixerit Chriſtus: Quoties uolui uos congregare, & uos noluiſtis? cum Dauid dixerit: Omnia quæcunq; uoluit, fecit in cœlo Pſalm. 113. & in terra. c Gen. 4. Voluntas equidem Domini, ſi de neceſſitate abſoluta dicendum eſt, nunquã non fiet: at uoluntate Dei ſic aliquando contempta fiunt ab hominibus, quæ, ut ita dicam, contrariſſima ſunt ipſi. Voluit Deus hominem eſſe beatum: at ille malit eſſe miſer. Vnde autẽ iſta niſi ex libero

arbitrio hominis, quod homini reliquit Deus, ut ſuũ uirtus haberet meritũ. Non enim eſſet uirtus, niſi quoq; eſſet uitium. Hinc præclarè meo iudicio ait Aurelius Auguſtinus: Liberũ arbitriũ nec ſic aſſerendum eſt, ut nihil prorſus tribuamus gratiæ Dei, quemadmodũ uoluerũt Pelagiani: nec gratia admodũ prædicãda, ut negemus liberũ hominis arbitriũ. Quòd ſi enim nõ eſt Dei gratia, quomodo ſaluatur mũdus: et ſi nõ eſt liberũ arbitriũ, quomodo iudicatur mundus? Ergo hoc eſt iudiciũ, quia lux uenit in mundũ, filius Dei Chriſtus Ieſus, lux uera ad illuminãdos omnes homines: at dilexerunt homines magis tenebras quàm lucẽ, occluſerũt oculos ut lucẽ illã nõ uiderẽt. Et idẽ nunc fieri ſolet. Deus enim exhibebit nobis ſuã lucem, & ui dere poſſumus, quando apertis oculis eam intuemur, & non occluſis oculis in tenebris deliteſcimus. Hoc uerò lumine nõ lucente, nihil uidebit homo, etiãſi Lynceo perſpicacior ſit. Itaq; Deus una eſt cauſa noſtræ ſalutis, & nos altera. Ecce relinquetẽ uobis domus deſerta.) Per domũ intelligit Hieronymus templum illud augustiſsimum, Hieroſolymis ædificatũ, quod certè deſertũ eſt, quia uerũ inhabitatorẽ, nempe Chriſtũ, perdidit: quoniã illi dixerũt, nolumus hunc regnare ſuper nos. Poteſt & ad Iudæos referri, quos propter peruicaciã & perfidiã repulit Dominus, quãdo ab eis regnum abſtulit, & dedit populo faciẽti bonos fructus, ita ut iam ſit populus Dei qui nõ erat populus. Facta eſt hæreditas quondã Domini populus Iudæorũ ex pacto atq; promiſſo. uerùm ut dilecta fuit, ita nunc omnino odioſa reddita eſt, quemadmodũ Propheta apertiſsimè olim dixit: Reliqui domũ meã, dicit Dominus, dimiſi hæreditatẽ meã. Dico enim uobis.) Ad populũ loquitur Chriſtus, & ſecundũ aduentũ ſuũ qui erit glorioſus denotat, concordẽ ſe patri oſtendens, & etiã incredulos Iudæos tunc adoraturos. Veniente ergo Chriſto, ut diſtricto iudice, Iudæi relicti ex prædicatione Enoch & Heliæ, fidẽ recipient, atq; ipſum Ieſum Nazarenũ benedictũ in nomine Patris proclamabũt. Cum enim, ait Apoſtolus, plenitudo gentiũ intrauit, omnis Iſrael ſaluus fiet. ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Syon qui eripiat, & auertat impietatem Iacob.

Eccl.15.
a Matth.16.
b Vide Theophylactum in hũc locum, & Eraſmũ in Paraphraſibus.
Hierem.12.
a Matth.9.
Chryſoſtom. in Matth.
Roman.11.
Eſa.36.
d Eſaiæ 49.

IN FESTO DIVI IOANNIS apoſtoli & euangeliſtę, Euangelium, Ioannis ultimo. Dixit Ieſus Petro, Sequere me. Conuerſus Petrus, &c.

REfert ſanctus Euãgeliſta, cui hic dies feſtus eſt, quo pacto inter prandendũ ter Petrum Dominus interrogauit de amore: et haud fruſtra. ipſe enim ſciebat animũ Petri, amore feruentem. Voluit enim magno ſtudio illi Eccleſiã ſuam Chriſtus cõmendare. Cui quidẽ Petrus: Tu ſcis, reſpondit, quia amo te. Tu es Chriſtus filius Dei, cui omne cor patet, coram cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt: nõ poteſt meus intimus in te Domine amor te latere, quare nõ opus eſt ut dicã. Et Chriſtus ad eum: Paſce oues meas, Petre: amorẽ tuum exploratũ habeo, eum autem ſic potiſsimũ reipſa præſtabis, ſi meis ouibus, quas per uerbũ credituras optimè noui, ſummo ſtudio paſcendo uerbis et factis præfueris.[a] Dixerũt te eſſe Petrũ, propter ueram ac ſolidã fidei tuæ confeſſionẽ: & me ſuper hanc petrã Eccleſiã, quæ erit congregatio omniũ fideliũ, fundaturũ atq; ædificaturũ.[b] Tu ergo ſollicitè, ſicut bon⁹ paſtor, eis inuigila: hoc ſumma ſit tibi inculcatũ diligẽtia, maiorem hac dilectionem non oſtendes. nõ enim ignoro, exorituros qui pro paſtorib. lupos agent. Tu me ſequere. Scis me animam poſuiſſe pro ouibus meis, et quàm turpiſsimã pro earũ redemptione mortẽ pertulerim. Si amas me, idem facito: ſic paſcendas oues tibi commiſſas uolo, ut pro illarum ſalute haud cunctaris uſq; ad martyrium crucis peruenire. Boni paſtoris exemplum ex me ſumes: quia ipſe pro tua aliorumq; redemptione, crucis ſuppliciũ ſubire nõ timui, ſed uitam impendi: cur tu pro mei nominis cõfeſsione crucẽ pati formidares? Age Petre, ſi me diligis, fidum paſtorẽ, uel uſq; ad capitis iacturã. Conuerſus.) Secutus eſt Petrus Chriſtũ, diſcipulus magiſtrũ, & quidem corpore & animo, cupiens implere quod fuerat iuſſus. Verùm cõuerſus uidit Ioannẽ quoq; ſequentem. Obſcuris enim uerbis ſe ſignificat hic Ioãnes, propter modeſtiã, ne gloriari uideretur in eo quod à Domino tantopere diligeretur. Matthæus neq; nomẽ neq; uitã ſuam anteactã celat, nimirũ ut oſtenderet uirtutẽ uocantis Dei, qui uenerat propter peccatores. Cum ergo dixit,[c] Vidit hominẽ ad teloniũ ſedentẽ Matthæum nomine: ſuam impiam uitam oſtẽdit. quaſi uellet dicere: Ego ſum ille impius peccator, quem è medio malorum Dominus Ieſus extraxit. Dilexit autem Ieſus Ioannem uel ſecundum carnem, quoniam conſobrini erant: uel amore illo pio uerõq; ipſum cõplexus eſt, iuxta quem ut Deus omnem hominem amat, iuxta Scripturam: Nunquid mater poteſt obliuiſci infantis uteri ſui? ego tamen tui non obliuiſcar.[d] Et uiciſsim dilexit Chriſtum Ioannes præ cæteris. quod uel inde apparet, quia cæteris diſperſis atque abſentibus, ipſum ad patibulum uſq; ſecutus eſt. Sic enim de ſeipſo ſcri-

pſit

pſit ille: Quū uidiſſet Ieſus matrē & diſcipulum quem diligebat,ſtantē,dicit matri ſuæ,Mulier ecce filius tuus. Ioan.19. **Qui recubuit.**] Cœnā fieri iuſſerat Chriſtus Hieroſolymis ut Paſcha ederet cū diſcipulis ſuis, iuxta mandatū Dei: utq; [b] nouū paſcha inſtitueret atq; teſtamentū,ſui corporis & ſanguinis myſterio.Cum aūt Iudas Chriſtum erat traditurus,cæteris neſcientib.ſolus hoc reſciuit Ioānes.Beda exiſtimat haud myſterio caruiſſe, quòd Ioannes ſupra pectus Domini recubuit. fuiſſe enim ſignū Euāgelij quod Ioannes ſcripturus eſſet, longè eminentius cæteris Euangelijs. id quod factū uidemus:quandò diuinā Ieſu maieſtatē deſcripſit adeò diſertè,ut ora iniqua loquentiū penitùs obſtruxerit. **Hic autem quid?**] Audiuit Petrus ſuā paſſionem, qua clarificaturus eſſet Deū.Nam cū dixit ei Ieſus:[c] Quū eſſes iunior Petre, ipſe tibi cingulū ſoluebas aut addebas:uerùm ubi ſenueris,alius cinget te,ducturus quò nolis.ænigmate ſignificauit Petro mortis genus.Interrogauit ergo Ieſum Petrus, & cognoſcere uoluit, qua eſſet ipſe Ioannes morte ad perpetuā tranſiturus uitam. **Sic eum uolo manere.**] Cyrillus, Hieronymus, Chryſ. & Theophylactus legūt, Si.quaſi dixerit Dominus Petro:Quòd ſi uoluntas mea eſt ut ipſe transferatur ad aliā uitā, abſq; paſſionis uiolentia,nihil ad te: tu tantū crucis patibulum ſubeundo,mea ueſtigia ſequere. Vbi doceri poſſumus, nos debere eam quæ nobis offertur uocationē ſuſcipere, nō interrogātes quid cum alijs agat Deus. Dauid olim diuinum illud iudiciū perſcrutari conabatur,at longè alium modū inuenit.dixit ergo:[d] Ecce nationē filiorū tuorū reprobaui.Cæterū quia dixerat Dominus Ieſus,Ioannē naturali,ut dici ſolet,morte caſurū,atq; in æternæ beatitudinis manſionem uenturū:diſcipuli fratres intellexerunt, quaſi Ioannes nunquā mori poſſet. At nō dixit Ieſus,Quia nō moritur.Quis eſt enim homo qui uiuet, & non uidebit mortē? Enoch & Helias licet[e] rapti uel ſublati ſint,mortem tamē nō euaſerūt,uenturi in nouiſſimis temporibus. Quēadmodum enim in Adam omnes moriuntur, quādo per peccatū mors in omnes homines pertranſijt: ita licet tulerit eos Dominus,nihilomin⁹ tamē eorū diſſolutio corporū erit,[f] quos Ioannes in Apocalypſi habet teſtes futurorū bonorū. Nec tamen Ioannes martyr nullus fuit:multa namq; paſſus eſt pro nomine Ieſu. Nam in actibus Apoſtolorum clarè habemus, quo pacto cum cæteris Apoſtolis flagellis fuerit cæſus, & quanta cum exultatione iuerit à concilij conſpectu, quoniam dignus eſſet habitus pro nomine Chriſti contumeliam pati. Deinde cum ſæuiſſimā Domitianus in Chriſtianos exerceret crudelitatem,inter cæteros & ipſum ſumma contumelia affecit Ioannē, ob diuini uerbi prædicationem & teſtimoniū ueritatis: à quo deniq; in exilium relegatus eſt, poſtquā in feruenti oleo illæſus permanſerat. **Hic eſt diſcipulus.**] Pro aſſerenda ueritate ſe ocularem eſſe teſtem omniū à ſe ſcriptorū,apertè pronunciat. Cauſam autem ſcribēdi Euangelij alio ex loco petendam ducimus, uel ex Hieronymi ſcriptis, uel ex Irenæo: quorum unanimis ſenſus hic eſt,ut cum Marciō & Cherinthus negarēt Chriſtum Ieſum ante Mariā fuiſſe, & ſimplicitatē fidei Euangelicæ peruerſa macularent doctrina. Cherinthus enim aſſerebat, Ieſum nō ex uirgine natū, ſed Ioſeph & Mariæ filium eſſe, plus tamen potuiſſe prudentia & ſapientia cæteris, in quē, poſt baptiſmū,ſuum Deus miſerit Chriſtum. Hanc impiam doctrinā ſanctus Ioannes poſtquā ſub Nerua ab exilio in Pathmos inſula reuocatus eſſet, rogatus,imò cōpulſus quodāmodo ab omnib. Aſiæ Epiſcopis, acerrimè æquè ac diſertè eā cōfutauit dānauitq; ſcripto Euangelio de diuinitate Ieſu coæterna patri.Cumq; fortiſſimè affirmaret: In principio erat uerbū,et uerbū erat apud Deū,et Deus erat uerbū:id eſt,una natura Patris et Filij et Spiritus ſancti, et una diuinitas:omnes illorū hæreticorū tenebras diſcuſſit, ut iam nemo pius dubitet quin Ieſus ſit Chriſtus,hoc eſt,uerus Deus et homo,q uenit quærere et ſaluū facere quod perierat.

Actor.9.
b Nouum Paſcha.
Tertullianus libro de præſcript. hæret.
Hieron. in Catalogo. Irenæus lib.1. cap.25 & 29.
c Petrus admodum ſenex ductus eſt ad crucem: ita ſcribit Linus.
Vnus natura in ſancta Trinitate Deus pater, & filius, & ſpiritus ſanctus.

DOMINICA INFRA OCTAVAS natiuitatis Domini Euangelium Lucæ 2. Erant pater & mater eius mirantes ſuper his quæ dicebantur, &c.

PAſtores circa Bethleē cuſtodiētes greges,uiderūt claritatē magnā: & angelū audiuerūt dicentē,natū eſſe ſaluatorem Chriſtū. qui angelo fidē habentes uſq; Bethleē uenerūt,narrātes bona fide uerbū factū atq; oſtenſum: & omnes qui eos audierunt,admirati ſunt. Mirati ſunt igitur Ioſeph quoq; atq; Maria, et eo magis,quòd Simeō, homo iuſtus, accepto in ulnas puero ad Deū exclamauit ac dixit: Nunc dimittis ſeruū tuum Domine, etc. **Et benedixit illis.**] Sacerdotū erat benedicere populū,iuxta mandatū Domini præcipientis Moyſi,ac dicētis:Aarō et filijs ei⁹ dices, Sic benedicetis filijs Iſrael:Benedicat tibi Domin⁹;et cuſtodiat te,oſtēdat faciē ſuā tibi,et miſereatur tui, cōuertat uultum ſuum ad te, & det tibi pacem, &c. Non ſolùm aūt benedixit eis Simeon,ſed et futura prædixit,ſic dicēs: **Ecce poſitus eſt hic.**] Hic eſt illud benedictum ſemen, Mariæ; Abrahæ; in quo

d Pſal.72.
e 4 Regum 2. Gen.5.
Nume.6.
f Apocal.2.

Gen.22. in quo benedictiones accipiẽt omnes gẽtes. Et ue-
rus ille filius Dauid, quẽ iuramẽto Dauid promiſit
Pſalm.131. Deus, cum dixit: De fructu uentris tui ponã ſuper
a Tit.2. ſedẽ tuã. Hunc filiũ tuũ omnes Prophetæ teſtati
Hæc eſt uoluntas Dei, ſanctificatio noſtra. ſunt: at non omnib. hæc gratia eueniet, quãdo mul
ti in malo obſtinati, eum ut Saluatorẽ reijciẽt. Eſt
quidẽ hic uera lux, quæ in mundũ ad illuminandũ
Ioan.1. omnẽ hominẽ uenit: at multi occluſis oculis, ne lu-
men illud uideãt, in ſempiternũ exitiũ cadẽt. Qui-
bus ſanè uerbis tumidi potiſſimũ notantur ac de-
ſcribũtur Iudæi, quos excæcãdos Eſa. uidit ca. 6.

Et in reſurrectionẽ.) Iudæorũ ueſana gẽs
exiſtimabat, ſe ſtare propter legẽ atq; prophetas:
quare à ueritate exciderũt, qui ſuã uolentes cõſti
tuere ſapientiã & iuſticiã, iuſticiæ Dei noluerũt
ſeſe ſubijcere. Cæteri ſe eſſe cæcos ignorantes,
miſericordiã cõſecuti, illuminati ſunt, quemadmo
dum pollicit⁹ fuerat Deus per Prophetã dicentẽ:
Eſaiæ 28. Ponã lapidẽ ſummũ, &c. qui crediderit in eum, nõ
1. Pet.2. cõfundetur. Et in ſignũ cui cõtradicet.)
De ſigno fœderis inter Deũ & hominẽ facti in-
Gen 17. telligi poteſt, quando ad Abrahã Deus dixit: Am
b Philip.2. bula corã me, & eſto perfectus. Ponã fœdus meũ
c Apoc.1. inter me & te, & multiplicabo te uehementer ni
mis. Nam licet operib. demõſtrauerit euidentiſſi-
mis Ieſus, ſe Meſchiã eſſe, cũ in ꝓpria uenit, ſui ta-
Ioan.8. mẽ eum nõ receperũt: imò dixerũt, Malus eſt, &
Lucæ 11. ſeducit turbas, dæmoniũ habet, & in Beelzebub
principe dæmoniorũ eijcit dæmonia. quẽ proinde
Matthæi 27. uſq; ad crucẽ egerũt, dicẽtes: Si filius Dei eſt, de-
d Galat.4. ſcendat de cruce, &c. Contradictũ fuit & huic
e Ioan.1. ſigno quoq;, poſtquam Apoſtoli cœperunt Ieſum
Actor.2. prædicare, ac dicere: Certiſſimè ſciat omnis Iſra-
el, quia & Dominũ eum & Chriſtũ fecit Deus
hunc Ieſum: quẽ uos crucifixiſtis, quoniã uocãtes
Actor.4. Apoſtolos ſeniores & ſcribæ, denunciauerũt ne
omnino loquerẽtur neq; docerẽt in nomine Ieſu.

Beda preſbyter. Et tuam ipſius animã.) Beda gladiũ do
lorem eſſe dicit, quẽ Maria ſenſit pendente in cru
ce filio ſuo. Quî enim nõ potuiſſet excruciari illa,
quãdo uidit tam ignominioſe pati inſontẽ et iuſtũ,
Lucæ 1. quẽ angelo oſtendẽte ex ſpiritu ſancto cõceperat,
Matth.2. & ediderat ut mater uniuerſo orbi Saluatorem?
Lucæ 2.

Vt reuelẽtur.) Chriſto pendente in cruce
f Gen.17. uariæ fuerũt opiniones: diſcipuli fugerũt, & cæ-
teri ſpem quoq; de Ieſu cõceptam abiecerũt. Erat
item incertũ, qui Iudæorũ Chriſti gratiã recipe-
g Pſal.50. rent, quiq; reſpuerent, donec omnib. cõſummatis
quæ ſcripta fuerãt in Lege, Pſalmis atq; Prophe-
tis de illo, et ipſe ianuis clauſis intrauit, & ſtetit in
Ioan.20. medio illorũ, oſtendens ſuas manus ſuoſq; pedes:
ubi ingenuè Thomas cõfeſſus eſt, ſe ſuũ Dominũ
atq; Deũ uidere. Anna prophetiſſa.) Cõ
mendatur uidua illa à caſtitate, commẽdatur etiã
ab orationis ſedulitate: quæ omnia bene notanda
nobis ſunt, atq; imitanda, ut pia, ut Chriſtiano ho
mine digna. ait enim Apoſtolus:[a] Apparuit gratia
Dei ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, erudiẽs nos, ut
abnegãtes impietatẽ et ſecularia deſideria, ſobriè,
iuſtè & piè uiuamus in hoc ſeculo, expectantes
beatã ſpem & aduentũ gloriæ magni Dei & ſal-
uatoris Ieſu Chriſti. Hæc aũt uidua ſpiritus ſan-
cti reuelatione atq; impulſu loquebatur de puero
Ieſu. Verùm qd dixerit, digeſtũ nõ eſt. at cõijcere
facile poſſumus, ipſam annunciaſſe natũ iam Me-
ſchiã & redemptorẽ: huncq; puerũ illũ ipſum eſ-
ſe. loquebatur aũt omnib. qui expectabãt redem-
ptionẽ Iſrael: id eſt, liberationẽ ciuitatis & popu-
li à tyrãnide alienigenarũ. Ipſi enim exiſtimabãt
Chriſtum regnaturũ temporaliter toti mundo, in
gloria maxima & honore ſuper omnes gẽtes. Sed
potiſſimũ nobis locuta eſt, qui firmiter credimus,
Dominũ Ieſum eſſe Chriſtũ, & nos redẽptos per
eum à poteſtate diabolica,[b] et ſeruitute peccato-
rum noſtrorũ, quãdo dedit ſemetipſum pro nobis,
factus obediẽs uſq; ad mortẽ,[c] & lauit nos in ſan
guine ſuo, &c. Et ut perfecerunt om-
nia.) Arrij impia aſſertio fuit, Chriſtum nõ eſſe
æqualẽ patri. Cherinthus atq; Marciõ ipſum ante
Mariã nõ fuiſſe, impiè docuerũt. Fides aũt catholi
ca credit Chriſtũ uerum Deũ & hominẽ. Quod
igitur dictũ eſt, Puer aũt creſcebat, &c.[d] ad ue-
rum hominẽ referri debet, quem ex uirgine filius
Dei ſibi aſſumpſit: & non ad id quod uerbũ erat
in principio apud Deũ.[e] Nam ſic dicitur plen⁹ gra
tia & ueritate, quaſi unigenitus à patre. Et ipſe
quidẽ ſapientia & gratia ipſiſſima ab inſtanti ſuæ
conceptionis totam plenitudinẽ gratiæ habuit: ſed
quantũ ad effectũ, magis indies apparebat, ratio-
ne ita exigente, ne ipſum monſtrum eſſe putarent
homines. Et hæc ſcripta ſunt ut credamus in eum,
& credentes uitam habeamus æternam.

CIRCVMCISIONIS DOMINI feſto, Euangelium Lucæ 7. Poſtquam completi, &c.

Circumciſio à Deo data eſt, et præcepta A-
brahamo[f] et ſemini eius, propter originale
peccatũ. Siquidẽ omnes homines obnoxij illi pec-
cato erãt, Dauid dicẽte: In peccatis cõceptus ſum,
& in peccatis peperit me mater mea.[g] Et Apoſt.
Per Adã, ait, intrauit peccatũ in hunc mundũ, &
per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors
pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. Rom. 5.
Item in ſignum fœderis magnæq; fidei, qua credi-
dit

dit Abraham diuinæ promiſſioni, de ſemine illo in
quo benedicēdæ eſſent omnes tribus terræ. Gen.
17. Verùm hæc lex iniuſtis tantū poſita erat, qua-
les erāt omnes nati mulierū, iuxta illud: [a] Omnes
declinauerūt & facti ſunt inutiles, & non eſt qui
faciat bonū. Ieſus aūt erat ſanctus ſanctorū, uerus
Dei filius, quemadmodum Angelus Mariæ dixit:
[b] Et quod naſcetur ex te ſanctum, uocabitur filius
Dei: unde hæc lex ipſum minimè obligabat. Quid
igitur eſt quòd octauo die circunciditur ille, qui in
principio erat uerbū per quod omnia facta ſunt, et
ſine quo factū eſt nihil? Hoc equidē cū uerus eſſet
Deus, & erat ſemper apud patrē: ita uerus homo
factus eſt, carnē uerā ſuſcipiendo, idq; propter ſa-
lutem noſtrā. Deus, inquit Auguſtinus, factus eſt
homo, ut homo fieret Deus. Quid mirū ſe circum
cidi quòd paſſus eſt, qui deinde mortē etiā ignomi
nioſiſſ. pro homine tulit, pro nobis peccatū fecit,
inquit Apoſtolus, ut nos efficeremur iuſticia Dei
in ipſo. 2. Cor. 5. Vnde abeat in malā crucē Mani-
chæus, qui dixit Chriſtū habuiſſe corpus phanta-
ſticū, uel aereū, quale corpus angelus habet cum
apparet uiſibiliter, ut factū legitur in Veteri teſta
mēto. Cōfunditur hic quoq; Valētinus, docēs Chri
ſtum corpus de cœlo ſecū attuliſſe. Demū circum
ciſus eſt Ieſus, ut in ipſo tanquā in eo qui eſt princi
pium & finis, carnali circumciſioni finis impone-
retur, et ſpirituali fieret exordiū, quemadmodū in
agno illo Paſchali factū uidemus quod Chriſtus
edit Hieroſolymis cū diſcipulis ſuis, & ſuū corpus
ſuumq; ſanguinē teſtatus eſt, eſſe nouū cum homi-
nibus teſtamentū. [c] Omni tēpore originale pecca
tum oportebat expiari, ut intelligeretur immutabi
le decretū & iudiciū contra ipſum Adā: [d] In qua-
cunq; hora ex ligno ſciētiæ boni et mali comedes,
morte morieris. Vbi uerò Chriſtus uenit de quo in
capite libri ſcriptum erat, ut morte ſua patris adim
pleret uoluntatē, ceſſarūt ſacrificia, & ſic quoq;
circūciſio deſijt, & illa quæ cordis eſt eſſe cœpit:
de qua et in Propheta erat: Circumcidimini Domi
no, et auferte præputia cordiū ueſtrorū uiri Iuda,
ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & ſuc
cēdatur, et nō ſit qui extinguat. [e] Circumcidimur
ergo nūc uerè ac ſpiritualiter, quādo abſcindimus
et abijcimus mala, quæ de corde exeūt, ueluti ſunt
malæ cogitationes & cōcupiſcentiæ. [f] Hæc enim
uera eſt circūciſio, qua accepti fiunt ipſi Deo, qui-
cunq; renaſcūtur per filiū: [g] Chariſſimi, inquit Ioā
nes, ſi cor noſtrū nō reprehēderit nos, fiduciā ha-
bemus ad Deū, ut quicquid petierimus accipiamus
ab eo. Poſtremò obediētiæ uirtutē hoc modo de-
monſtrare atq; cōmendare uoluit, ipſe legis præce
ption obſeruās, cui tamen nō erat ſubiectus. Nam
Adā propter præuaricationē mandati à Deo auul Gen. 3. & 22.
ſus eſt, quemadmodū Abrahā iuſtus & perfectus
atq; Deo ſummè obediēs, ſummā adeptus eſt gra- a Pſal. 13.
tiā, et uſq; adeò euectus ut pater multarū gentiū et
dici meruerit & permanſerit. Porrò ſi quis uellet
Paulū huc applicare, nouerit miſſum eſſe filiū Dei
Ieſum, et factū ſub lege, ut eos qui ſub lege erāt re b Lucæ 1.
dimeret: ut in ipſis circunciſa carne animi, ſibi ac- Galat. 4.
quireret gentē mundatā atq; ſanctā. Vocatū
eſt nomē eius Ieſus.) Nomen tā glorioſum,
ut tale nomen nō ſit datum ſub cœlo, de quo apud
Prophetam ſic legitur: Propter Syon nō tacebo, Eſa. 62.
et propter Hieruſalē nō quieſcā, donec egrediatur
ut ſplēdor iuſtus eius, & ſaluator eius ut lampas
accēdatur, et uidebūt gentes iuſtū et cuncti reges
inclitū tuū, & uocabitur tibi nomē nouū quod os
Domini nominauit. Et mox ſequitur. Quod
uocatū eſt ab angelo priuſquā cōcipe
retur.) Dixit angelus, ſcribēte Luca, ad Mariā:
Ecce cōcipies et paries filiū, & uocabis nomē eius Lucæ 1.
Ieſum. Et ad Ioſeph: Noli timere. quod enim in ea Matth. 1.
natū eſt, de ſpiritu ſancto eſt: pariet filiū, & uoca
bis nomē eius Ieſum: ipſe enim ſaluū faciet populū
ſuum à peccatis eorum. Vnde licet hoc nomē alijs
quoq; fuerit impoſitum, ut Ioſuæ, Othoniel, tamen Deut. 31
nouū fuit Chriſto, quū illi fuerit innatū tanquā fi Iud. 3.
lio Dei, q ſolus ſaluator eſt et ſaluare poteſt, quē-
admodū dicit: Ego ſum Deus, ante me non eſt for
matus Deus, et poſt me nō erit: Ego ſum Domin⁹,
et nō eſt abſq; me Saluator. Cū itaq; nomina olim Eſa. 43.
uarijs ex cauſis impoſita fuerint: ut Moſes ob id c Exodi 12.
Moſes dictus eſt, quia ex aqua eū filia Pharaonis d Gen. 2.
tulit: Et primogenitus Iſaac Eſau appellatus eſt, Exodi 2.
quia de utero matris exiuit rufus, et totus in modū
pellis hiſpidus. Hoc nomen Ieſus proprijſſimè Ieſu Gen. 25.
Nazareno cōpetit propter ſaluādi potentiā, quæ
ei ab æterno fuit uti uerò et æterno Deo. Qui ſua Pſal. 2.
uirtute propria, & non in facto aliquo particulari
ſaluare poteſt, & peccata remittere, qui ob inde di
xit: Venit filius hominis quærere & ſaluū facere
quod perierat. Quid quæris perierat, & quid ſal- Lucæ 19.
uare uenit? Vtiq; humanū genus, quod aſtu diabo e Hier. 4.
li homine primo circumuēto perierat. Factū eſt e-
nim ut homo in locū Angelorū, qui ſuperbientes è
cœlo ceciderant, ſola pietate ſurrogatus ſit, ita ut f Matth. 15.
primū paradiſi uoluptate perfrueretur, et tandem
ad immortalitatē tranſiret. Eſaiæ 14. & Gen. 2. g 1. Ioan. 3.
Verū cum ille ingratè cōtra plaſmatorē ſuū pecca
ret, eueſtigiò & ipſe è paradiſo in terram proſcri-
ptus eſt, ut peccatū lueret, & æternæ pœnæ foret
obnoxius, niſi inueniret redemptorē; Gen. 3. Cæ

terùm

terùm tantum abſuit ut is pro peccato ſuo ſatisfaceret, ut etiam peccatis peccata accumularet, utpote à Deo creatore ſuo uſq; adeò alienatus, ut ipſius gloriam mutauerit in ſimilitudinē imaginis corruptibilis hominis, Iouis ſcilicet, Neptuni, Mercurij, &c. nec non uolucrum & quadrupedum, Rom. 1. Præterea impoſsibile erat oblationibus et ſacrificijs uarijsq; generibus expiationum auferri peccata. Idcirco propter nimiam charitatem qua hominem dilexit Deus, miſit ſuum filium unigenitum Ieſum Nazarenū, ut ſaluum faceret genus humanū. Factus eſt igitur ille propitiatio pro peccatis noſtris: & non noſtris tantum, ſed etiam totius mundi. 1. Ioan 2 uerus Emanuel, Eſaiæ 7.

a Iuxta Epiphaniū & Euſebium uenerunt nō 13 die, ſed poſt duos anuos.

Hebr. 10.

b Num. 23.

EPIPHANIAE DOMINI EVANgelium, Matth. 2. Cum natus.

c Vide Chryſoſt. atq; Theophylactū, qui uolunt, inuiſibilem uirtutē in ſpeciem ſideris transfiguratā fuiſſe.

POſtquā ſanctus Euangeliſta & uirginē concepiſſe è ſpiritu ſancto dixit, & uirginē peperiſſe filium cui nomen Ieſus, iuxta oraculū Prophetæ dicentis: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel, id eſt, nobiſcum Deus: oſtendit nunc locum ubi natus eſt, & quid eo nato acciderit enarrat, ac ait.

Eſaiæ 7.

Cum natus eſſet Ieſus, &c.) Dominum ſub Herode natum, Euangeliſta diligenter annotat, ſanè ut indicet tempus Meſsiæ adueniſſe. Cū enim prophetauerit Iacob regiam dignitatem non de Iudaica ſtirpe auferri poſſe, antequam ueniat Meſchias, ut Chaldaica habet tranſlatio: Id autē factū eſt tempore illo, quia Herodes Idumæus accepit imperij poteſtatem à Romanis. Vnde coram Pilato dixerunt Iudæi, non habemus regem niſi Cæſarem.

Vaticinium Iacob, Gen. 49.

Ioan. 19.

Ecce Magi ueniunt, &c.) Satis abiectam natiuitatem Chriſti Ieſu legimus: quare extitiſſe nonnullos conſtat, qui neſcio quo phanatico ſpiritu ducti, dicere auſi fuerint, Chriſtum non ſemper fuiſſe, ſed incepiſſe more aliorū hominū: qualis, Hieron. teſte, Cerinthus et Ebionitæ. unde nec uerum Deum eſſe. Hos, ut impios, ſolus conuellit Ioannes: In principio, dicens, erat uerbum. Et poſt pauca. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti à patre: hoc eſt, in eo uidimus gloriam quæ non niſi uerum unigenitum Dei decet. Puer ergo Ieſus infans eſt, ſed nihilominus admirabilis, Deus fortis, pater futuri ſeculi, et princeps pacis. Ponitur in præſepio, ſed ut ille qui ait: Cœlum ſedes mea. & terra ſcabellū pedum meorum: quæ igitur eſt domus mea quam ædificabitis mihi, & quis eſt locus quietis meæ? Hinc ergo, diuino ex inſtinctu, ad oſtendendam & declarandam diuinam illam & regiam maieſtatem, potentiam & gloriam Ieſu Chriſti, tanti uiri, reges & ſapiētes ([a] Perſæ enim appellāt Magos, qui ſapientia pollent, & bonarum ſcientiarū ſtudio ſunt addicti, maximè Aſtronomiæ, qui ut reges regnauerunt) Bethlehem uenerunt, & à longinquo, ut adimpleretur quod dictū erat per Eſaiam prophetā: Filij tui de longe uenient. 55.

d Pſal. 47.

Ioan. 1.

e Prou. 29.

Eſaiæ 9.

f Sacrilega mēs Herodis.

Et ecce ſtella.) Qui literas deguſtarunt ſacras, ſciunt quòd in terra Moab inſignis fuerit magus nomine Balaam, & quomodo is compulſus à rege Balac, ut Iſrael malediceret: ipſe uerò ex ſpiritu Dei ſuper ſe irruēte prophetarit, dicens:[b] Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget uirga de Iſrael, & percutiet Moab. Hunc quoniam uirum magnum eſſe crediderunt terræ illius inhabitatores, diligēter iſti hæc ipſius uerba annotata fuerunt. Verum ut hæc de Ieſu Nazareno dicta erant, ita nato eo ſpecialis ſtella apparuit, noua & admiranda ſpecie. nam, ut docent alij, in luce fulgebat, & à ſeptentrionali parte contra communem curſum mouebatur, qualis à ſeculo prius uiſa non fuerat.[c] Exiſtimantes ergo reges ac uiri illi, nunciam eſſe cuiuſdam regis inſignis & diuini, accincti itineri, Hieroſolymam uenerunt, ac dixerunt:

Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum.) Mirabilis fides, & admirabilior fiducia. neq; enim dubitaſſe uidentur, uerum Iudæorū regem natum eſſe: neq; ipſam Herodis aut Cæſaris formidaſſe potētiam, quin affirmarent diuinum eſſe regem, cuius ſtellā uidiſſent in oriente. Tanta fides non erat in Iſrael. Etſi enim tempus adeſſe ex Scriptura ſcirēt, tamē deſides fuerunt, ad inquirendum unctum Domini. Figuratum itaq; eſt, quòd gentes eſſent in Chriſtū crediture, Iudæis pro maiori parte in infidelitate permanentibus.

Audiens autem Rex.) Herodes turbatus eſt, quia exitium ſui regni timebat, propterq; Romanum imperium: & omnis Hieroſolyma cum illo. ut adimpleretur quod dictum fuerat:[d] Reges terræ congregati ſunt, conuenerunt in unum: conturbati ac commoti ſunt, & tremor apprehendit eos. Et alibi:[e] Rex iniuſtus impios & iniuſtos miniſtros habet.

Et illi dixerunt.) Intelligens Herodes Magos ſciſcitatos de inſigni rege Iudæorum, conuocato concilio interrogabat, ubi'nam Chriſtus naſceretur? & illi ex oraculo Micheæ, illi locum Bethleem indicarunt.

Tunc Herodes clā uocatis Magis.) [f] Herodes ſemotis ſacerdotibus & ſcribis, didicit à regib. tempus ſtellæ. timebat enim, ne quaſi ex Dei oraculo promiſſum occultarēt. ſi ſe uelle eum perimere ſentirent. Itaq; ſcelerata conſcientia diligenter quæſitum & inuentum puerū, ſibi à Magis

indicatum

indicatū iri uoluit, mentienti ſe uelle adorare eum, quem ſacrilega mente conceperat enecandū. Cuius perſonam repreſentant omnes hypocritæ, qui fictè omnia agentes, nunquam uerum Deum inuenire merentur. Qui cum audiſſent regem, &c.) Verum eſt quod diuina dicit parœmia:[a] Non eſt conſiliū cōtra Dominū. Illi namq; uiri abierunt, & ſtella præfulgente locū ubi erat puer inuenerunt: & ingreſsi, prout Euangeliſta ſcribit, ipſum infantem adorauerūt: quod equidem ſignum fuit plus quàm regiæ maieſtatis, quū ſolus Deus adorandus ſit, ſicut ſcriptum eſt:[b] Dominū Deum tuum adorabis. Cognouerunt ergo tanti uiri, pueri huius diuinitatē, per reuelationē diuinā: nec etiam ſolùm adorauerunt, ſed & apertis theſauris ſuis munera obtulerunt, aurū, thus, & myrrham:[c] quæ myſterio quodam inſinuabant qualis is eſſet, cui honorem exhiberent.[d] Aurum ſiquidē regiam & diuinam maieſtatem indicabat, quam puer ille in ſe habebat ſummam, utpote Regis regum filius.[e] Et quid thure aliud ſignificatum eſt, quàm puerum faſcijs inuolutum amplius quid eſſe quàm purum hominem? Nam ex antiquo more thura adolebant Deo, Exod. 30. in oblationibus ſacerdotes. Verus itaq; Deus, ipſeq́; ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, qui una oblatione conſummaret inæternū ſanctificatos, declaratus eſt.[f] quemadmodū & Myrrha mortalē oſtendit, & pro omnibus moriturū, ut mortem deſtrueret, & uitam reuocaret. Quapropter edocemur nos, omnesq́; ſalutis ſuæ cupidi, diuinis inſpirationibus edocti, neminē præter Mariæ filium Ieſum eſſe Saluatorē mundi: dicant quicquid uelint antichriſtiani, quales ſunt Iudæi, hæretici, & eorū dogmata ſequētes:[g] nemo noſtrûm dubitet, an uenerit Chriſtus, aliumq́; uenturum expectet: præſertim cum ipſe Iudæos olim efficaciſsimis argumentis ſuis & miraculis deuicerit. Nam rogatus an ipſe eſſet Meſsias, reſpōdit:[h] Opera quæ ego facio nomine Patris mei, hæc teſtimoniū perhibent de me. quaſi uellet dicere: Ecce quæ omnes de ueſtro Meſchia prædixerunt Prophetæ, iam palàm coramq́; uidetis. Non'ne ſcriptum eſt:[i] Deus ipſe ueniet, & ſaluabit uos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: Ecce cæci iam uident iuſſu meo, & claudi ambulant. Quid igitur hæſitatis? Cæterùm cum iſtis noſtris patribus qui de longè uenerunt, offeramus noſmetipſos Chriſto Ieſu, quo de nobis dixerit ille:[k] Dico uobis, quòd multi ab oriente & occidente uenient, & recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cœlorum, filijs regni eiectis. Abraham propter magnam fidem plus cæteris à Deo accepit. Verùm nos de ſtirpe ipſius minimè ſumus: imò à natura filij iræ, et æternæ damnationis. Si autem credimus Ieſum ſemetipſum exinaniiſſe, formam ſerui accipiendo, ut noſtra auferret crimina: iam non amplius qui in fidem ipſius baptiſati ſumus, erimus lōgè à Hieruſalem, hoc eſt, uiſione pacis: imò propè; ac ueri Iſraelitæ, quibus uera facta eſt promiſsio: & ipſe Ieſus pax noſtra eſt, haud minus quàm eorum qui dixerunt, Tu es Chriſtus filius Dei uiui qui in hunc mundum uenisti: ut iam acceſſum habeamus ad patrem, tanquam futuri eius hæredes in regno cœlorum.

a Prou.11.

Matth.16.

b Deut.6.

DOMINICA PRIMA POST Epiph. Euangelium Lucæ 2. Cum factus eſſet Ieſus annorum 12.

c Myſterium in donis Magorum.

d Aurum.

TRia celebrabantur feſta olim à Iudæis, ex mandato Dei. Exod. 23. Primum erat ſolennitas azymorum, quæ fiebat in memoriam liberati populi de iugo ſeruitutis Pharaonis. Pharao enim mirè affligebat populum Dei, & cor eius omnino erat induratum. Miſit ergo Deus omnipotens eis liberatorem Moſen, ac iuſsit ut comederēt agnum, & dein proficiſcerentur cum ſpolijs per uiam deſerti iuxta mare rubrum. Exod. 13. Secundum, Pentecoſte, quod ſolenni peragebatur celebritate, quinquageſima nimirum die à primo, idq́; propter beneficium legis datæ: quod cap. 19. ſecundi libri Moſi ſtudioſus lector inueniet. Tertiū uerò feſtum fuit, quod appellauere Tabernaculorū, ea propter, quoniam ſub tentorijs aut tabernaculis habitaſſent annis 40 in finibus ſolitudinis Sin. Doctores itaque feſto Paſchæ factum autumant, quod Lucas ſcribit puerum Ieſum Hieroſolymis manſiſſe, parentibus iam à feſto domum reuertentibus. Exiſtimantes autem, &c.) Videtur propter deuotionem cultumq́; diuinū à Deo per Moſen fuiſſe inſtitutum, ut ad feſta confluentes ſeorſim uiri & ſeorſim mulieres irent. Deut. 4. Ideoq; uterq; putabat, puerum Ieſum cum altero parentum reuerſum. Metuebant autem propter Herodem, eo quòd inſidias tendiſſet adhuc infanti, atq; ob regem Iudæorum à Magis quæſitum obtruncari feciſſet paruulos omnes à bimatu & infrà in Bethleem. Et factum eſt.) Poſt triduum inuenitur Chriſtus. Hoc forſan ex myſterio, quòd ob noſtræ ſalutis recuperationem puer iſte eſſet tribus diebus occultandus, quaſi uerè amiſſus ac mortuus, ac demum die tertio, per gloriam patris reſuſcitatus, in ſede cœleſti & honore

e Thus.

f Myrrha.

g Ieſus Nazarenus ſolus Saluator mundi.

h Ioan.10.

i Eſa.35.

k Matth.8.

nore diuino.fidei noſtræ reſurgens ſe oſtenderet. Inuenitur autem in medio doctorum quaſi fons aquæ uiuæ, de quo promanarent flumina uitæ æternæ. Qui & eos audit, licet eſſet qui dat os & & ſapientiam, exemplum dans ueræ humilitatis,
Prou.1. *ut nemo erubeſcat doceri. Audiens enim ſapiens, ſapientior erit, cum nemo ex omni ſit parte perfectus. Præcipuè autem fieri idipſum debet, cum res ipſa ſacra eſt, atq; de capite agit. Nemo igitur (ut ait Leo papa) ad cognitionem ueritatis magis propinquat, quàm qui in rebus diuinis, etiamſi multum proficiat, intelligit ſemper ſibi ſupereſſe quod quærat.* Stupebant autem omnes.) *Signum diuinitatis Ieſu. non enim hominis erat, prudentia tanta pollere puerum duodennem. Igitur ſublimis illa doctrina ab eo erat, ad quem di-*
Matth.3. *xit Pater: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et*
Ioan.1. *de quo Ioannes: Vidimus, inquit, gloriam eius quaſi unigeniti à patre, plenum gratia & ueritate. Diuina lingua ſapientiam ſummam prodebat, unde mirabantur Iudæi. at non mirantur fideles, imò*
Eſaiæ 9. *cum propheta clamitant: Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius nomen admirabilis, Deus fortis, conſiliarius, pater futuri ſeculi, & princeps pacis. quæ ab ipſo Propheta prædicta, non niſi in noſtrum Ieſum transferri debent. Ipſe enim uerè admirabilis fuit, et Deus fortis eſt, atq; erit in perpetuum, propter inaudita quædam miracula, quæ patrauit: ſic quoq; conſiliarius eſt optimus. quòd namq; omnem ſalutem oſtendit, ab ipſo declamatum eſt in corona hominũ. Quòd ſi uerò patrem noſtrum requirimus uerum, certè ipſe ſolus is erit, dum à principis huius mundi, hoc eſt, diaboli nos exemit ſeruitute, infernum ſpolians, & nos reddidit priſtinæ libertati, non ut ſimus amplius hoſpites & aduenæ, ſed ciues & domeſtici Dei, ipſius cœleſtis regni atq; ciuitatis, ſicut dicit Apoſtolus, inhabitatores.* Et dixit mater.) *Ex materno affectu (uera enim, contra omnium ora iniqua loquentium, mater Ieſu erat, & Deipera) dolebat: idcirco ipſum quem genuerat filium perijſſe exiſtimans. ait ergo: Fili quid feciſti nobis ſic? cui ille, Quid eſt quod me quærebatis? Non uituperat parentum in quærendo ſtudium: ſed quis ſit ſibi uerus pater inſinuat, & quid potius debeat ei cuius ſit æternus filius.*

Et deſcendit cum eis.) *Ad noſtram certè inſtructionem, ut honorem & obedientiam præſtemus noſtris maioribus. ad quod & Pau-*
Ephes.6. *lus alibi monet, dicẽs: Filij, obedite parentibus ueſtris. hoc enim iuſtum eſt coram Deo, ſic præcipiente: Frugi filij Iſaac imitentur, ſi non Chriſtum, qui patri ſuo Abraham etiam ad aram uſque obediens fuit, refugiantq; hoc quod Cam perpetratus eſt, deridens ſcilicet patrem ſuum Noe, nudum præ ebrietate iacentem. Geneſ.22. & 9.*

Et proficiebat.) *Sicut eſt carnis, ætate proficere: ſic eſt animæ, ſapientia, & gratia. Hæc autem omnia iuxta hominis naturam, non quòd ipſe ſapientior tempore factus ſit, qui à prima conceptionis hora ſapientia plenus erat: ſed eandem qua plenus erat ſapientiam, ex tempore cæteris paulatim demonſtrabat, ad laudem Dei, atq; hominum ſummam ſalutem. Hæc enim eſt uita æterna, ut cognoſcant homines ſolum Deum, et quem miſit Ieſum Chriſtum.*

DOMINICA SECVNDA poſt Epiph. Euangelium Ioan.2. Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ.

POſtquam Euangeliſta oſtendit diuinitatem Chriſti per æternam emanationem à patre, dum ait: Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & uidimus gloriam eius quaſi unigeniti à patre, plenum gratia & ueritate: modò declarat eam in opere miraculoſo, quod eſt ſolius diuinæ uirtutis. tranſcendit enim uirtutem totius naturæ creatæ. Suntq; miracula ſufficientiſſimum teſtimonium, quia rationem humanam excedũt, quod doctrina Chriſti proceſſerit à ueritate prima.

Vocatus eſt & Ieſus.) *Oſtenditur non ex diabolo atq; condemnandas eſſe nuptias, quemadmodum impij uoluerunt Tatiani & Marciani. Si enim nuptijs debitis culpa ineſſet, nequaquam Chriſtus ad has ueniſſet, aut conſecraſſet eas ſignorum ſuorum initijs. Vnde igitur matrimoniũ niſi ex Deo, qui iſtud inſtituit, primò ante peccatum in paradiſo, quo ipſum genus humanum uſq; ad finem mundi generatione ipſa duraret. Quapropter Chriſtus cum interrogabatur de uxore dimittenda, præclarè interpretatus eſt, quomodo Deus hominem creaſſet, atq; feciſſet maſculum et fœminam: & proinde neceſſe ſit, ut homo patrem & matrem relinquat, & adhæreat uxori ſuæ, & ſint duo in carne una: Matth.19. Non igitur damnandæ nuptiæ (inquit Auguſtinus) quas ad propagationem ſuperna benedictio inſtituit. Cæterùm ut nuptias pias eſſe conſtat, ita ſalutares eas eſſe oportet contrahentibus. Primùm igitur fieri illas oportet in Cana Galilææ: id ex zelo Domini, magno ſcilicet ex deſiderio uoluntatis Dei legiſq; diuinæ implendæ. nec enim ad ſolam libidinem explendam Chriſtiani conuenire debent, quibus*

certè exemplo eſſe debet, quod de Tobia iuniore ſcriptum eſt, qui cum Sara filia Raguelis contraxerat: at non ſicut cæteri, quos proinde dæmon occidit, ſed cum timore Domini. Tob.8. Secundò adeſſe oportet Chriſtum, hoc eſt, fidem indiuiduæ & ſinceræ ſocietatis ac dilectionis, quemadmodum indiuidua atq; ſincera fides eſt atq; coniunctio ſeu dilectio Chriſti & ipſius Eccleſiæ. Cuius ſacramenti Apoſtolus meminit, cum inquit: Viri diligite uxores ueſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuam. Eph.5. Et deficiente uino.] Potuit mater Ieſu condolere & commiſereri penuriæ hominum, ex eo quem gerebat erga illos affectu. Verùm cum ab Angelo perceperat, hunc natũ eſſe altiſſimi filium, in ipſum tanquam potentem confidit: ideò interpellat eum, quaſi illis patrocinatura. At quid ait Ieſus?

Quid mihi & tibi mulier?] Mirum fortaſſe uideri poſſet, cur tam durum reſponſum matri dederit, cum ipſe mandarit maximam reuerentiam omnemq; honorem parentibus deferendum:[a] Honora, dicens, patrem & matrem, ut longæuus ſis ſuper terram. Verum eſt, Chriſtũ Mariæ filium eſſe, ſic tamen ut Dei filius eſſe non deſierit. cui pater:[b] Tu es filius meus, ego hodie genui te. Facere igitur miracula, dicente Auguſtino, competebat Chriſto ſecundum diuinam naturã, quam à matre non habuit. & ideò dixit: Quid mihi & tibi mulier? quaſi diceret: Tempus aptum ad miracula facienda, non eſt mihi et tibi commune: ſolùm mihi conuenit. Vnde etiam adiungit, Nondum uenit hora mea: id eſt, tempus conueniens ad faciendum miraculum mihi ſoli notum. Falſum enim eſt quod Priſcillianiſtæ ſenſerunt, facta Chriſti & aliorum hominum ſubiacere fato. Non enim autor temporum fato temporis regitur, nec ullus hominum abſoluta neceſſitate & fato uiuit, qua uirtus intellectualis (ut ait ille) non eſt alligata organo corporali. quod Aſtronomiæ peritiſſimus Ptolemæus probè ſciens: Sapiens, dixit, dominabitur aſtris: nam ſequitur dictamen rectæ rationis. Et de Socrate fertur, quod cum quidam eum ex Phyſionomia hominem peſſimum iudicaſſet, reſponderit, rectè iudicaſti. nam talis à natura ſum: at ratio naturam ſuperat, & uirtus contra uitia pugnat, &c. Porrò quanquam Chriſtus denegaſſe ſuppetias uideretur, non tamen eos diuina ſua ope deſtitutos uoluit. Cum ergo ex conſuetudine & traditione ſeniorum hydriæ adeſſent, quib. Iudæi ſe lauantes purificabant, has ad ſummum impleri aqua iubet, illamq; mirabiliter iubet uinum fieri, quo uirtus latentis Deitatis appareret: quod quia inſolitum fuit, homines rapit in admirationem. At maior uirtus eſt (inquit Auguſtinus) in creatione & gubernatione cœli & terræ: et quid aliud eſt, quàm aquam uinum fieri, cum pluuia de cœlo in terram diſtillat ac cadit, & per uites in uinum conuertitur? Credamus itaq;, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei, qui in hunc mundum uenit tempore plenitudinis & gratiæ, quemadmodum diſcipuli crediderunt: & habebimus poſt hanc uitam, uitam ſempiternam.

DOMINICA TERTIA POST Epiphan. Cum deſcendiſſet Ieſus, &c. Matth.8.

LEx diuina data eſt Moſi in monte Synai, & Chriſtus legem ſuam Euangelicam in monte tradidit ſuis, quos è mundo elegerat diſcipulis: ad quam confirmandam, miracula quædam edit. Porrò quòd ipſum turbæ ſint ſecutæ, uel propter doctrinam ſublimem factum fuit, uel propter admirationem & curationem. Curabat enim omnes male habentes, uel ex charitate, quos imitari debent, qui modò uerbum Dei audiunt. Ecce leproſus ueniens.] Adorando Chriſtum oſtendit fidem, per quam profectò Chriſto copulari & in precibus exaudiri poſſumus. Qui credunt in eum, filij Dei fieri poſſunt. Ioan.1. Si uis.] Pia ex Spiritu ſancto inſtructio, ut id quod petimus, in Dei uoluntate ponamus: quoniam ipſe ſolus nouit, quid nam nobis utile ſit uel conducat. Vnde haud fruſtra precationi noſtræ addidit Chriſtus, Fiat uoluntas tua. Extendens autem.] Solo uerbo quidem Chriſtus potuiſſet curare leproſum. Qui enim in principio, Moſe dicente, creauit cœlum & terram: & iuxta Dauidem, Dixit & facta ſunt: nullis alijs indigebat cæremonijs, aut externis quibuſdam ritibus: tamen appoſuit manum, quia humanitas eius erat quaſi organum ſeu inſtrumentum ſuæ diuinitatis, quam mundo manifeſtaturus erat. Et ait, Vide, nemini dixeris, &c.] Præceptum erat à Domino, ut populus ſequeretur iudicium ſacerdotum: & qui nollet, moreretur. Sanat itaq; leproſum Chriſtus, & mittit ad ſacerdotem. Primò ut ſacerdotibus honorem deferat debitũ, iuxta mandatum: muneraq; offerantur, ut uidentes credant ei: uel ſi non credant, inexcuſabiles ſint, ipſe uerò excuſatus. Denique ne legem ſoluere uideretur, quæ durare debebat uſq; ad paſſionem eius, in qua omnia erant cõſummanda ſcripta in lege, Pſalmis & Prophetis de Chriſto, Leuit.16. Erat quidem ſacrificium expiationis: at illud non poterat au-

a Deut.5.
b Pſal.2.
Gen.1.
Pſal.32.
Deut.17.
Leuit.14.

*ferre peccata penitus, & abolere. Sed Chriſtus
ingrediens mundum conſummauit una oblatione
in æternum ſanctificatos. Vnde haud ineptè per il*
Hebr.10. *lum leproſum humanum genus ſignificatum eſt,
quod lepra peßima infectum fuit, quando omnes
declinauerunt, factiq; ſunt inutiles, & naturâ fi-*
Eph.2. *lij iræ, dicente Apoſtolo: donec Deus qui diues
eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem,*
Ibidem. *qua dilexit hominē, ſuum filium miſit Ieſum Chri
ſtum: qui extenta manu, id eſt, uerbo Dei huma-
nam contingente naturam, & quando pro impijs
turpiſsimā tulit mortem, à priſci erroris peccato,*
a Exod.39. *omnibus item delictis mundauit. Vnde Apoſto-*
Epheſ.5. *lus: Chriſtus, inquit, tradidit ſeipſum pro Eccleſia,
ut illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ
in uerbo uitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Ec-
cleſiam, non habentem maculam neq; rugam, aut*
b Eſa.8.49. *quid huiuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.
Cum igitur uerè ſic mundati ſumus ab ipſo, qui ui
ſus noſtri cauſa leproſus, Eſa.53. iubet ille ut of-
feramus munera, in teſtimonium noſtræ purifica-
tionis: hoc eſt, corpora noſtra ac noſmetipſos,*
Roman.12. *hoſtiam uiuentem, ſanctam & Deo placentem:
dicēte Apoſtolo. Secundū miraculum eſt, quòd
Ieſus Centurionis ſeruum paraliticum curauit, ni
mirum rogatus ab illo Centurione Romanorum
gentiliū, qui auditis miraculis Chriſti, petijt ſana-*
c Ioan.1. *tionem ſeruo ſuo. Cuius exemplo nos qui unius
corporis membra ſumus, pro inuicem ſolliciti eſſe*
1.Cor.12. *debemus. Patitur unum membrum, ait Apoſtolus,
compatiantur & cætera. Et reſpondit Chriſtus:*

Ego ueniam.] *Magna humilitas, quòd Dei filius abiectißimum hominem uiſitare dignatur. At quid mirum, cum ipſe pro nobis inimicis ſuis mortuus ſit? Et iuſtum hic ſeſe exhibet Deum, qui nullam perſonam reſpiciat more humano: ubi plerunq; fit ut deſpiciatur pauper. unde etiam natum eſt illud: Pauper ubiq; iacet, & potentum ac diuitum beneuolentia captatur. Chriſtus itaq; ad ſeruum ſe iturum promittit, qui ad filium reguli uenire recuſauit.* Domine non ſum dignus.] *Confert Centurio ſemetipſum alijs idololatrijs. æſtimans autem ſanctißimum uirum eſſe Ieſum, minimè decere putauit, ut ſuam domum ingrederetur: nec neceſſe eſſe, ſiquidem potens ille ſit uerbo atq; opere, qui ſolo uerbo, imò nutu tantum ſanare poßit hunc atque alium languorem. Et magnum quidem adducit argumentū, dicens: Ego ſum homo, etc. quaſi dicat: Si mihi Domine ſerui mei obediunt, quanto magis tibi tanto uiro, quem miracula teſtantur aliquid maius homine eſſe, ac poteſtatem habere omnem hominum poteſtatem ſuperantem. Dic ergo tantum; & ſanabitur puer meus.* Audiens autem Ieſus.] *Cognouit Ieſus animum ac mentem Centurionis, & quam ſincerè quæq; dixiſſet. extollit itaq; illius fidem, eamq; præfert fidei Iudæorum: & futurum dicit, ut multitudo gentium diſperſa ad ſalutem conuocetur, eamq; gratiam & gloriam percipiat, quam pollicitus ſit Deus Abraham, Iſaac & Iacob, filijs regni eiectis in perpetuos cruciatus: quod equidem factum eſſe uidemus. Iudæi enim gens ſancta, populus acquiſitionis, & regale ſacerdotium, uiderunt pariter ac audiuerunt* [a] *prophetam Chriſtum in lege promiſſum, concionantem ac prædicantem cœleſtis regni Euangelium: at ſic ipſum ſuſceperunt, ut dicerent, Dæmonium habet, inſanit, homo peccator eſt, & ſeducit turbas. ut bene de illis dixerit Propheta:* [b] *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt: Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me, &c. Illis itaque ita reijcientibus Chriſtum, & Euangelium eius repellentibus, in omnem terram exiuit Euangelium, & ad omnes gentes tranſlata eſt ſalus: quemadmodum prædictum erat à Propheta. In propria uenit, dicit Ioannes, & ſui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* [c] *Quotquot igitur eum non recipiunt, eijcientur in denſißimas tormentorum tenebras. quod quidem fiet in extremo iudicio, cum Dominus ueniet in maieſtate ſua, & dicet: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Matth.24.*

DOMINICA QVARTA POST Epiph. Euangelium Matth.8. Aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.

IN hac nauigatione (inquit Beda) Dominus utramq; unius eiuſdemq; ſuæ perſonæ naturam oſtendit, dum is qui ut homo dormit in naui, furorem maris ut Deus uerbo coercet. Porrò iuxta allegoriam, mare ſiue ſtagnum tenebroſus amarusq; huius ſeculi æſtus eſt: nauicula autem quam aſcendunt, Dominicam paßionem intellige: cuius beneficio quiq; fideles adiuti, emenſis mundi fluctibus habitationem patriæ cœleſtis quaſi ſecurum littus obtinent. Et ecce motus factus eſt magnus.] *Quod ſi eos quibus Dominus adeſt, tentationum procellæ perturbat: aduertamus, & credamus neminem pium ſine*

tentatione poſſe ex hoc uitæ curriculo migrare, & tentationem exercitium fidei eſſe, dicente Apoſtolo: [a] *Omnes qui piè uiuere uolunt in Chriſto, perſecutionem patientur. Et ipſe Chriſtus dixit:* [b] *Qui uult uenire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem & ſequatur me.* Erat autem illis uentus contrarius.] *Ventus cõtrarius diabolum ſignificat: motus & fluctus ſunt blaſphemiæ perſequentiũ, dæmoniacis excitati procellis, quibus non ipſe turbatur Dominus (uenit enim princeps quidem huius mundi, ſed in eo non habuit quicquam) ſed diſcipulorum concutitur imbecillitas.* Ipſe uerò dormiebat.] *Diſcipulis nauigantibus Chriſtus obdormiuit, quia calcantibus ſeculum fidelibus, futuriq; regni quietem animo meditantibus, & uel ſecundo Spiritus ſancti flatu infidos mundi faſtus, certatim poſt terga iactantibus, tempus ſubitò Dominicæ paſsionis aduenit.*[c] *Vnde bene Marcus hoc imminente noctis tempore geſtum fuiſſe ſcribit, ut ueri ſolis occubitum non ſola Domini dormitio, ſed & ipſa decedentis lucis hora ſignificet.* Et acceſſerũt, & ſuſcitauerunt eum.] *Suſcitant Dominum diſcipuli, ſi iuxta allegoriam loquimur, quia cuius mortem uiderant, maximis uotis reſurrectionem quærebant: ne eorum animæ ſpirituali in perpetuum morte perirent. Siquidem illum oportebat moriendo mortem deſtruere, & uitam reſurgendo reuocare.* Et dixit eis: Quid timidi eſtis, modicę fidei?] *Bene arguũtur, qui præſente Chriſto timebant. Cum utiq; qui ei adhæreat, perire non poſſet. Ergo confirmauit fidem, refudit tranquillitatem, uentum ceſſare præcepit non Aquilonem, non Africum, ſed illum utique uentum cui dictum eſt ab angelo*[d] *Michael in epiſtola Iudæ: Increpet te Dominus. Cæterùm ex hoc loco intelligimus, quòd omnes creaturæ ſentiant creatorem. quibus enim increpatur & imperatur, ſentiunt imperantem, nõ errore hæreticorum qui omnia putant animantia inſenſibilia eſſe, ſed maieſtate cõditoris. nã quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt. Et ut ad allegoriam redeamus: uentum quippe ſurgens increpauit, quia reſurrectione celebrata, diaboli ſuperbiam ſtrauit deteſtandam: dum per mortem deſtruxit eum qui habebat mortis imperium. Tempeſtatem aquæ ſurgens ceſſare fecit, quia ueſanam Iudæorũ rabiem, quæ caput quatiens clamauerat, Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credemus ei: de ſepulchro reſurgens labefecit.* Porrò homines mirati ſunt.] *Non diſcipuli, ſed nautæ & cæteri qui in nauicula erant mirabãtur. ſin autem quis contendere uoluerit, eos qui mirabantur fuiſſe diſcipulos: reſpondebimus, rectè homines appellatos, qui necdum nouerant potentiam Saluatoris.* [a 2.Tim.3.] *Et nos quoq; (inquit Beda) ſinguli cum ſigno Dominicæ crucis imbuti, ſeculum relinquere diſponimus,* [b Lucæ 9.] *nauem profectò cum Ieſu conſcendimus; ſtagnum transfretare conamur: ſed qui non dormitauit neq; dormiet, cuſtodiens ſemper Iſrael, nobis tamen ſæpe nauigantibus, quaſi inter æquoris fremitus obdormiuit, quando crebreſcente inter medios uirtutum niſus uel immundorum ſpirituũ uel hominum prauorum, uel ipſe noſtrarum cogitationum impetum fidei ſplendor obtenebreſcit, ſpei celſitudo contabeſcit, amoris flamma refrigeſcit. Verùm inter huiuſmodi procellas ad illum neceſſe eſt gubernatorem curramus, illum ſeduli excitemus, qui non ſeruiat, ſed imperet uentis: mox tempeſtates compeſcat, & facta tranquillitate portum ſalutis æternæ indulgeat.* [c Marci 4.] *Ieſus Chriſtus Dominus noſter det nobis ſuam pacem. Amen.*

DOMINICA SEPTVAGESImæ Euangelium, Matth. 20. Simile eſt regnum cœlorum, &c.

DOminus Ieſus parabolis uſus eſt, quòd hoc genus dicendi familiare ſit & accommodatiſſimum ad docendum populum. Collatio ſumpta à rebus etiam idiotarum ſenſibus notiſsimis, ſtatim permouet unumquemlibet, ſtudium diſcendi excitat, & hærent tenacius dicta. Proinde Salomone loquente parabolas, uenerunt de cunctis populis ad audiendam ſapientiam eius: [3.Reg.4.] *dehinc parabolæ nullum publicè uel apertè traducentes,* [d Iudæ 1.] *ſed tacitè taxantes, minus offendunt. Cum ergò diſcipuli Ieſum interrogaſſent, quid nam eſſent accepturi, eo quòd omnibus relictis eum ſequerentur: perpulchrè ipſis atq; alijs communem eſſe uitam præparatam in regno Dei oſtendit, ac dixit:*

Simile eſt regnum cœlorum.] *Paterfamiliâs eſt ipſe uerus Pater & Deus cœli & terræ: uinea uerò, Eccleſia atq; fides in Meſsiam;* [Eſaiæ 5.] *quoniam olim patribus ille promiſſus erat, nunc* [Hierem. 2.] *autem publicato Euangelio, uinea Domini electa Eccleſia ſpiritualis eſt, ſanctificata ſanguine Chriſti, & mundata lauacro regenerationis. Operarij itaq; ſunt homines uocati ad fidem à Deo. Merces eſt, ipſa uita æterna, quam Deus daturus eſt pro uirtuoſa actione, ex fide per charitatem ueniente. Primùm mane eſt tempus ab Abel iuſto* [Gen. 4. 7.] *uſq; ad Noe, qui in arca ſeruatus eſt. Hora autem*

tertia intelligitur mundi diſcurſus, atq; ad æternã
ſalutem uocatio, à Noe ad Abraham uſq; , cui iura
a 1.Pet.2. mento ſe obſtringens Deus ſummum eum eſſe uo
Geneſ.17. luit à quo cæteri genus ducerent. Sexta ab Abra-
Exod.3. ham uſq; ad Moſen, ducem illum clariſſimum po-
puli Iſraelitici. Nona autem, ab eo uſq; ad Chriſtũ
filium Dei, & liberatorem generis humani. Vn-
decima, uſq; ad mortem cuiuſq; hominis, & ad
mundi finem. Serò autem, tempus ultimi iudicij.
Dicturus eſt uerò paterfamiliâs ſuo procuratori,
id eſt Chriſto: Voca operarios. cuius uocatione
omnes qui in monumentis ſunt, reſurgẽt. Certum
autem eſt, hanc parabolam Chriſtum de Iudæis
ac gentibus dixiſſe: hinc primùm uocati ſunt per
legem à Moſe datam omnes pij, qui per Abraham
ab Abel deſcenderunt. Iudæis autem pro maiori
parte in infidelitate permanentibus, gentibus di-
ctum eſt: Quid hic ſtatis tota die ocioſi? bene
ocioſi. laborare enim bonis operibus neſciebant,
b 1.Ioan.2. ferm entes iniuſticiæ, & mutantes gloriam incor-
c Rom.3. ruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis ho-
minis: quod uel inde quoq; euenit, quia nullus pro-
pheta ad eos inſtruendos uenerat. Legem & Pro-
d 1.Cor.9. phetas habebat Iudaicus populus, quo ſpirituali
ſanctitate fulgeret, donec uideret Chriſtum Do-
mini, de quo Apoſtolus: Multis modis, inquit, olim
Deus in Prophetis locutus eſt: nouiſſimè autem lo
cutus eſt nobis in filio ſuo, &c. Hebr. 1.

Multi ſunt uocati.] Grandis hinc &
intricata emergit quæſtio. Cum enim Deus om-
nes homines à principio uſq; ad finem mundi uult
ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, di-
cente Apoſtolo: quid ſit quòd Chriſtus dicit, Pau-
cos eſſe electos, præſertim cum alibi dixerit ille:
Ioan.3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigeni
tum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat,
ſed habeat uitam æternam. Motus eſt, & ipſe
Ambroſius eam ob cauſam. quapropter dixit: Si
Deus omnipotens eſt, quare non impletur eius
e Vide Origenem in hũc locum, cap. 22. uoluntas? at mox ſoli Deo id conuenire cogno-
ſcens, ſubdit: Ad occulta diuinæ iuſticiæ iudicia
referendum eſt, quam & Paulus admirabatur,
& ideo clamabat, Roman 11. O' altitudo diuitia-
rum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Ergo in Dei po-
teſtate cuncta conſiſtunt. quare igitur illum tra-
hat, alium uerò non: noli quærere (ait D. Augu-
ſtinus) ſi non uis errare: quia miſeretur cui uult,
& quem uult, indurat. Num ergo iniquus eſt
Deus? abſit. quia iuſtus eſt, & rectum ipſius iu-
f Ioan.3. dicium, qui nemini iniuriam facit. Omnia itaq;
relinquenda inſcrutabili eius iudicio, & dicen-
dum: Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Omiſsis ergo iјs ad uocatos conferendus erit ſer-
mo, qui iam uerbum conceperunt, & in admi-
rabile lumen fidei; [a] iuxta Petrum, deducti ſunt:
eos certè accedere oportet. non enim ſic uult, ut
nolentes ſaluentur: ſed uult illos ſaluari, ſi & ipſi
uelint. Omnibus illis propoſuit ſalutis reme-
dia, conſilia, atque præcepta, exigitq; nihil ni-
ſi animi promptitudinem: unde neminem oportet
eſſe ocioſum, hoc eſt, nulli prodeſt in Chri-
ſtum fides, niſi operibus adornetur: quare mi-
hi etiam optimè dixiſſe uidentur quidam, fidem
eſſe informem atque formatam: ut ſit fides in-
formis ſiue hiſtorica, quæ credit Chriſtum na-
tum & paſſum, omneſq; articulos fidei: fides
autem formata, quæ habet uerbum perfectè, &
cognoſcit & ſpirat amorem, operatur opera pie-
tatis & miſericordiæ. Sic enim ait Apoſtolus:
Nam in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid
ualet neque præputium, ſed fides per charita-
tem operatur: Galat. 5. [b] Verum eſt, quòd Chri-
ſtus pro nobis ſatisfecerit, [c] & promeruerit ui-
tam ſine noſtris meritis antecedentibus, fuſo ſan-
guine ſuo: at nihilominus propoſuit brabium
ut curramus, [d] & remiſit nos ad opera, tanquam
ad uiam in qua ad uitam illam ueram atque æter-
nam ambulemus. Ait enim, Matth. 7. Intrate per
anguſtam portam, quæ ducit ad uitam. Et rurſum,
Matth. 19. Si uis ad uitam ingredi, ſerua manda-
ta Dei. Gloriemur ergo benefacientes, & ope-
ra pia exercentes? non: ſed agamus gratias ei qui
largitus eſt nobis ſuum ſpiritum, quemadmo-
dum Apoſtolus fecit, quando dixit, 1. Cor. 15.
Gratia Dei ſum, quod ſum. Et ad Philipp. 4.
Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Ergo no-
ſtra merita nihil aliud ſunt quàm dona Dei, quæ
cum Deus coronat (inquit Auguſtinus) ſua dona
coronat. Caueamus itaq; à Phariſaica illa iactan-
tia, atque ſuperbia, imò potius dicamus: O' Do-
mine, ſerui inutiles ſumus. [e] Quòd igitur Chri-
ſtus ait, Multi ſunt uocati, pauci uerò electi: non
tantum de infidelibus dictum eſt, qui uocati per
uiſibilia hæc creata, per Prophetas, ac demum
Apoſtolos, ſimpliciter neglexerunt uenire: ſed
etiam malis Chriſtianis, non quia nunquam cre-
diderunt: uerùm quia malè crediderunt. Equi-
dem Iudæi, & omnes qui uocationem ad Chriſti
fidem non receperunt, damnantur. quoniam dixit
Chriſtus: Hoc eſt iudicium, quia lux uenit in mun
dum, & dilexerũt homines magis tenebras quàm
lucem. Et iterum: [f] Qui non credit iam iudicatus
eſt: quia non credit in nomine unigeniti filij Dei.
haud tamẽ ſecuri de ſalute ſua eſſe poſſũt, qui ueſte
nuptiali

nuptiali carent, & nullam operantur iuſticiam,
quia ſunt infideles corde, coinquinatas uitijs ha-
bentes conſcientias: horum ſanè poſteriora, [a] di-
cente Petro, erunt peiora prioribus. melius enim
eſſet non cognouiſſe uiam ueritatis, quàm pòſt re-
trorſum conuerti. Sanè ingratitudo eſt diuini præ-
accepti beneficij, & aggrauat peccata. [b] Hos di-
cit Apoſtolus malos homines crucifigentes ſibi-
metipſis filium Dei, & oſtentui habentes. At ne-
mini tamen regnum cœlorum claudimus hoc pa-
cto, cum ſcriptum ſit: [c] Quandocunq; auerterit ſe
impius ab impietate ſua, fecerit'que iuſticiam &
iudicium, animam ſuam uiuificabit: quod quidem
dilucidè patet in Paulo maximo perſecutore, at-
que alijs. Non eſt igitur, ut peccator quamuis in-
ueteratus, deſperet. Quæcunq; enim producun-
tur, eo ſaltem referenda ſunt, quo nemo nimium
diuinæ miſericordiæ tribuat, neq; in ſuis operibus
confidat plus quàm oportet. bonum enim quantū-
cunq; quis operetur: ſoli Dei tamen bonitati fidere
debet, cuius impulſione id fit.

DOMINICAE SEXAGESIMAE Euangelium, Lucæ 8. Exijt ſeminare ſemen ſuum.

EX quo Dominus Ieſus cœpit prædicare E-
uangelium regni, hoc eſt, myſterium iuſti-
ciæ, beatitudinis promiſſionē, hominum adoptio-
nem, reſurrectionem carnis humanæ, cœleſtem
hæreditatem, & angelorum ſocietatem: & cura-
uit omnem languorem in populo, ut ipſe erat uera
ſapientia patris, & in quo omnes theſauri erant
ſcientiæ abſconditi: doctrinam ad utilitatem &
captum adaptauit auditorum. Quare iam locutus
eſt per ſimilitudines, modò per diſſimilitudines,
modò ſine parabolis & apertè, deinde in parabo-
lis & obſcurè, quemadmodum & hic facit, unde
ipſum diſcipuli interrogarunt, quid nam hac para-
bola ſignificaretur. quibus ille: Vobis da-
tum eſt.] Apoſtoli erant quaſi fundatores Ec-
cleſiæ Dei: nam Chriſtus erat fundamentum. ea-
propter ſecreta à diuina diſpoſitione præordinata
ad ipſos pertinebant. Idcirco quoq; ſæpiſſime eos
Dominus ſeorſim aſſumpſit ſecum, & expoſuit
coràm myſteria regni Dei. Turbis autem non i-
tem, nec non Phariſæis fecit: ne uidelicet marga-
ritæ proijcerentur ante porcos, qui neque intueri,
neque cognoſcere curabant ueritatem. de quibus
proinde Propheta: [d] Excæca, dixit, eos ut uiden-
tes non uideant, & audientes non intelligant. un-
de nos docemur, ut intelligentiam diuinorum uer-
borum inquiramus: & qui dignatus eſt diſcipu-
lis ſuis auidè expoſcentibus obſcura interpretari,
haud grauabitur ediſſerere per ſuum ſpiritum, a 2.Petri 2.
quæcunque ſalubria atque ad ſalutem neceſſaria.
Dixit autem: Eſt parabola.] Semen eſt
uerbum Dei: qui exijt ſeminare Chriſtus eſt, qui
de utero matris exiuit in mundum ad docendum b Hebr.6.
uerbum ueritatis, quod apud patrem uidit. Fue- Chryſoſto-
runt & alij ſeminatores, nimirum Apoſtoli, poſt mus.
ipſum: nec poſt illos defuerunt, atq; deerunt. Nam
& hodie quicunq; ſincerè ac purè uerbum Chri- c Ezech.18.
ſti prædicant, ſeminare dicuntur. unde Apoſto-
lus: Legatione, inquit, fungimur pro Chriſto, tan-
quam Deo per nos exhortante. Quapropter 2.Cor.5.
certè monemur, ne diuinum ſermonem ex perſo-
na ipſum dicente æſtimemus, ſed æquè atque à
Chriſto, probatum habeamus, modò fideliter de-
nuncietur. Oportet ergo ut exactius conſiderent
ſuum miniſterium diuini præcones uerbi, ne fer-
mentum & ſcoriam pro tritico & auro propo-
nant, tradant'que. Durum enim eſt ac graue;
quod Apoſtolus dixit: Obedite præpoſitis ueſtris. Hebr.13.
ipſi enim redditurí ſunt rationem pro animabus
ueſtris. Et aliud cecidit ſecus uiam.]
Via eſt cor, ſedulo malarum cogitationum tranſi-
tu attritum & arefactum, ne ſemen uerbi poſſit
accipere & germinare: conculcatur ergo, & à
peſſimis dæmonibus rapitur. Nam dæmones uo-
lucres cœli dicuntur: quia cœleſtis & ſpiritualis Epheſ.6.
ſunt naturæ, & quia per aerem diſcurrunt.
Et aliud ſupra petram.] Petra ſignificat
cor durum, in quo non poteſt eſſe uerus amor
Dei. Sunt ergo qui audiunt quidem uerbum Dei,
& utilitatem uerbi probant, eius'que deſiderio
tenentur: ſed ne perueniant ad id quod geſtiunt,
uel per aduerſa terrentur, uel proſpera retardan-
tur. Quod autem in ſpinas ceci-
dit.] Hi ſunt, inquit, qui audierunt, & à ſoli-
citudinibus & diuitijs & uoluptatibus uitæ e-
untes ſuffocantur, & non referunt fructum.
Multi enim audientes, quàm execranda auaricia
& uoluptas carnis, dicente Chriſto: Væ uobis Lucæ 6.
diuitibus, quia habetis conſolationem ueſtram: a-
iunt contemptores ſeculi & uoluptatum fore
beatos, & illa deteſtantur: at ubi diuitiæ af-
fluunt, & ſpecies concupiſcibiles eorum obtui-
tibus præſentantur, mox recedit ab eis, quic-
quid rectè cogitauerant. Idem faciunt multi, u-
bi ingruunt mala multa, quando Deum in pro-
ſperitate confeſſum iam negant. Et aptè qui- d Eſaiæ 6.
dem diuitiæ ſpinis comparantur, etſi delecta-
re uideantur: quia poſſeſſoribus ſuis mentes

curarum aculeis confodiunt, quando auidè quæruntur, & ſeruantur ſollicitè. Vt bene dixerit il-
Virgil.3.Aen. le: Auri ſacra fames, quid non mortalia pectora cogis? Sunt quoque fallaces diuitiæ, quia non im-
Semper auarus eget: Horat. plent mentis inopiam: tam deeſt namque auaro quod habet, quàm quod non habet, nec diu manere poſſunt. Quod autem in terram bo
a Eſaiæ 7. nam.] Boni auditores uerbum Dei audire ſatagunt, illudq́; memoriæ commendant, quo opportuno tempore fructum piæ operationis proferant, ſecuri ac patientes reb. tam ſecundis quàm aduerſis. Patientia enim uera eſt, quæ nullo furore uincitur. quales etenim fuere Iob, Tobias, Elias, Apo
b Galat.4. ſtoli & eorum ſucceſſores, quorũ imitatores profectò nos omnes eſſe oporteret, eo quòd Apoſto-
Philip.3. lus ait: Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, & non quæ ſuper terrã. Qualis autem illos fructus ſeu merces maneat qui patienter flagella ſuſcipiunt, uide Matth.5.

FESTO PVRIFICATIONIS MAriæ Euangelium, Lucæ 2. Poſtquam, &c.

DVo hic potiſſimum aguntur, quibus intendere debemus, Vnum eſt, pueri Ieſu oblatio iuxta ritum ac morem Iudæorum ex præce-
Leuit.12 pto Domini: Mulier quæ peperit, immunda erit ſeptem diebus, &c. Præceptum iſtud oſtendebat reatum & uitam hominum, maculatam atque corruptam propter peccatũ primi hominis, qui transgrediendo omnes poſteros ſuos æternæ damnationis ac mortis fecit obnoxios, quemadmodum Apoſtolus docet, dicens: Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit: ſic per peccatum mors pertranſijt in omnes. Rom.5. Abſtulit ergo Adam nobis benedictionem, & induxit maledictionem atque ſummam miſeriam, ita ut à natura omnes filij iræ propagentur: quod quidem negauerunt Pelagius & Celeſtius: at malè ac impiè, ut luculenter probat Auguſt. in Pſal. 103. Cæterùm hæc lex obſeruabatur in genere circa omnes mulierum natos, præcipuè tamen circa primogenitos qui erant conſecrati Domino, eo quòd percuſſerat Dominus in medio noctis omne primogenitum in terra Aegypti, ſaluis primogenitis
Exod.18. Iſrael. In memoriam huius offerebantur quidem primogenita, ſed redimebantur muneribus alijs. Vnde ſequitur: Vt offerrent par turturum.] Dicebat lex, cum expleti fuerint dies purgationis, mulier deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ ſiue turturem. Quòd ergo Maria par turturum obtulit, pauperum erat, ait Beda. Et bene quidem: quandoquidem dicente Apoſtolo, Chriſtus egenus factus eſt in mundo, ut inopia illius nos diuites eſſemus. Verùm id ut fieret, lege minimè obſtringebantur Ioſeph & Maria: quia hæc præter communem modum, quoniam ex Spiritu ſancto ſuum conceperat filium, eum'que ſic genuerat, ut nihilominus maneret uirgo inuiolata. [a] Quicquid ergo fecerint, factum fuit pro ſuſpicionis occaſione tollenda, & ut intercluderet Chriſtus Iudæis omnem uiam calumniandi: nec non ut tanquam uerus filius Abrahæ, legem datam adimpleret. Dehinc legis onus ſuſtinens, nos à legis onere liberaret, ſicut Paulus ait: [b] Miſit Deus filium ſuum factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret, &c. Quia uerò ſic diſpoſitum erat, hancq́; rem minimè obticuerunt ſancti Prophetæ, ut Malachias capite tertio, qui ait: Ecce ego mittam angelũ meum, & præparabit uiam ante faciem meam: Et ſtatim ueniet ad templum ſuum dominator quem uos quæritis, & angelus Teſtamenti quem uos uultis. Et ecce homo.] Alterum uerò eſt pueri Ieſu oblati ſuſceptio, multis myſterijs plena. Non ſolùm enim Iudæis angeli, qui paſtoribus apparuerunt, ut Ieſum eſſe Chriſtum crederent, teſtati ſunt: ſed omnis ætas, omnis'que ſexus palàm coramq́; dixit: quemadmodum hic Simeon iuſtus ſenex'que uenerandus, qui ſuis deuotis dudum orationibus à Deo impetrauerat, ut non uideret mortem priuſquam uidiſſet Chriſtum Domini. Videbat enim quàm omnia deficerent, tum maieſtas, tum religio. Pro ſua igitur ſanctitate cupiebat uidere eum, de quo Propheta dixiſſet: Regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iuſticiam in terra. Præſertim quia rumor erat, iam iuxta ſigna à Patriarchis & Prophetis data, aduentum Chriſti imminere. Regnabant enim Romani, idquòd à Iacob fuerat dictum: tum quoque hebdomades ſeptuaginta completæ erant. Iuſtus autem erat Simeon, & timoratus, qui obſeruabat mandata Dei ſui, atque ambulabat in Dei iuſtificationibus, nec ſuam, ſed populi quærebat gratiam. unde etiam Spiritus ſanctus erat in illo, à quo conſolabatur, illuminabatur'que diuinitùs ac ſpiritualiter. Venit ergo hoc ſpiritu agitatus in templum, & accepit puerum Ieſum cum maximo cordis gaudio, cognoſcẽs iam promiſſionem Dei præſtitam: iamq́; mundi Saluatorem eſſe natum, benedixit Deo, ſummas agẽdo gratias propter redemptorẽ, ac dixit: Nunc dimittis Domine ſeruũ tuum.] Omnes ſuos patres credebat in pacem abiiſſe,

abiiſſe, unde expectarent qui redempturus eſſet Iſrael. Igitur poſtquam per reuelationem Spiritus ſancti cognouit hunc puerum eſſe Chriſtum, cupit diſſolui, eſſeq; cum alijs, donec impedimentum gloriæ per paſsionem Chriſti eſſet amotum. quare inquit: Quia uiderunt oculi mei ſalutare tuum. ac ſi apertè diceret: Hucuſq; nobis nulla ſalus fuit, ſed miſerrimi fuimus omnes: nunc autem nemo ultrà expauſcere debet, quoniam hic præſtò eſt qui omnem noſtram abſterget lachrymam: omnes ſaluabimur, quia Salus ipſa uenit. Quod paraſti, &c.] Omnibus populis myſterium incarnationis & redemptionis prædicatum eſt per Apoſtolos. Cum enim repuliſſent Euangeliō Iudæi, ſalus ad gentes & barbaros ex miſericordia tranſlata fuit. [a] ſic enim aiebat Paulus: Quoniam repellitis uerbum Dei, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. ſic enim præcepit nobis Dominus, &c. Simeon itaque omnium populorum ſalutare natum proclamat: Item,

Lumen.] Vt prophetam ueracem aſſereret, quando ille dixit: [b] Populus gentiū qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt. Diuinus ille Vates probè nouerat, quàm in denſiſsimis tenebris obambularent, uel potius deliteſcerent, dum omnium mentes corruptæ eſſent. nec quiſquam uerè Deum cognoſceret, & animarum ſalutem. Magnum igitur edicit myſterium miſericordiæ Dei, quo impios ad ſe reuocare dignatus eſt, ut non ſolùm liberarentur è faucibus Satanæ, uerumetiam hæredes regni ſui ſempiterni fierent. Clamat etiā pius ille ſenex Simeon: Et gloriam plebis tuæ.] Quo omnium Iudæorum mentes excitaret ad gratificandum Deum, atque laudandum, quoniam iam demum uera gloria orta eſſet, in qua gloriari oporteret. Siquidem multum gloriabantur illi, eo quòd ſeparati eſſent in Noe & Abraham ab alijs populis, quod que Moſes eos magno titulo ſignaſſet, populum Dei peculiarem ipſos appellando. Hanc autem ueram dixit eſſe gloriam, quòd Chriſtum acceperint, ueram uitam atque ſempiternum honorem. Et apertè quidem pronunciauit, iam demum Deum ſuum promiſſum præſtitiſſe, quoniam hic adeſſet modò, de quo Abrahæ dictum fuiſſet: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Ergo ſalutis noſtræ author eſt Ieſus Chriſtus, ſanctus ſanctorum, & mundi redemptio. Ipſe det nobis ſuam gratiam, & uitam æternam,

DOMINICA QVINQVAGEſimæ Euangelium, Lucæ 18. Aſſumpſit Ieſus, &c.

HOc ſæpe eis dixerat, ait Hieronymus: ſed quia multis interpoſitis poterat labi de memoria, rurſus eis idipſum proponit, ut paret ad tentationem, & ne de ignominia crucis ſcandalizentur: & quia etiam ſecreta myſteria eis reuelanda erant. Sic ergo prædicit eis paſsionis pœnam & reſurrectionis gloriam, ut cum morientem cernerent, reſurrecturum non dubitarent. et ait: Con Eſa 53.
ſummabuntur omnia.] Prophetæ ſcripſe- Dan. 9. Hier. 11.
runt de paſsione Chriſti futura, diſpenſationis my Zach. 11. & 13.
ſterium intendentes, quod erat, ut genus humanū Pſal. 21.
Chriſti morte liberaretur. Nulla enim oblatio, nul Eſaiæ 64.
lum item holocauſtum pro peccatis ſufficiebant. Iob 25. a Actor. 13.
omnium namq; hominū iuſticiæ (dicente Propheta, erant tanquam pannus menſtruatæ mulieris: et nemo mundus à ſorde, nec infans unus diei. Quis ergo ſuppetias ferret niſi Deus ipſe? Is igitur miſit Galat. 4.
filium ſuum in carne, factum ex muliere, ut Apo- b Eſa. 9.
ſtolus loquitur: cui nomen indidit Ieſus, quoniam Matth. 1.
ſaluum facturus eſſet populum à peccatis eorum. Vnde uox patris audita eſt dum eſſent cœli aperti: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cō Matth. 3.
placui, ipſum audite. Cum autem mors ipſa alterius, & nempe ipſius filij Dei morte deſtruenda erat: idcirco non tam natiuitatem, quàm paſſionem Prophetæ oſtenderunt, dicentes: Obla- Eſa. 53.
tus eſt, quia ipſe uoluit. Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum. Omnes quaſi oues errauimus, unuſquiſque in uiam ſuam declinauit, & Dominus poſuit in eo iniquitates omnium. Et alius: Poſt hebdomadas 72 occi- Dan. 9.
detur Chriſtus, & non erit populus eius, qui eum negaturus eſt. Hic ergo ponderare deberent, qui Chriſtiano nomine cenſentur, humani generis conditionem, quàm ſcilicet miſeri olim fuerimus, Epheſ. 2.
& perditiſsimi propter peccata noſtra; nimirum naturâ filij iræ & æternæ damnationis: & quanto cum labore magnoque precio ab 1. Pet. 1.
huiuſmodi dura noſtra damnatione liberati ſimus. Non certè corruptibilibus, ueluti auro uel argento, ſed precioſo ſanguine agni immaculati & incontaminati Ieſu Chriſti. Id que multo decentius atque ſalubrius eſſet, quàm omni flagitiorum genere gentium inſtar Deum ignorantium, noſtrum Chriſtum offendere, & ſcandalo eſſe haud minimo aduerſarijs & inimicis crucifixi Chriſti, & ſanctiſsimæ fidei.

Factum

Factum eſt autem ut nihil horum
intelligerent.] *Apoſtoli Dominum Ieſum cre
debant non ſolùm hominem innocentem, ſed etiam
filiū Dei. dixerūt enim: Tu es Chriſtus filius Dei
uiui. Matt. 16. et Ioan. 6. Domine ad quem ibimus?
uerba uitæ æternæ habet: & nos credimus & co*
a 1. Regum 17. *gnouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei. Ideo eum
mori poſſe nō putabant. Quoties igitur aliquid de
ſua paſſione dicebat Ieſus, exiſtimauerunt uel alle-
goricum eſſe, quemadmodū & in alijs per parabo
las loquentem audire conſueuerant. Ipſi aūt Iudæi
longè aliter ſentiebāt: moliebantur enim mortem*
Ioan. 11. *ei. ſicut Ioannes oſtendit, dicens: Collegerūt Pon-
tifices & Phariſæi concilium, &c.* Cæcus
quidam.] *Cæcus ille humanum genus ſignifi-*
Grego. Mag. *cat, quod à ſuperna claritate excluſum, damnatio-
nis ſuæ patiebatur tenebras. Adam enim quia Pa-
radiſo expulſus eſt, æternæ felicitatis gloriam a-*
b Exod. 24. c 3. Reg. 19. *miſit. unde, Apoſtolo docēte, peccatū in hunc mun*
Rom. 5. *dum intrauit, & per peccatū mors in omnes homi*
d Lucæ 2. *nes pertranſijt. Verùm à Domino appropinquan-
te Hiericho curatur. Hiericho ciuitas olim deſtru
cta, Ioſue cap. ſexto, Luna interpretatur: per quā
ergo haud ineptè defectus mortalitatis intelligi po*
e Ioan. 1. *teſt. Poſtquam igitur uerbum Dei infirmitatem
carnis humanæ ſuſcepit, redijt homo ad cogno-*
Ioan. 1. *ſcendum diuina ac ſalutifera. Verbum caro factū*
Lucæ 19. *eſt, & uenit quærere ac ſaluum facere quod perie
rat. Cæterùm ſedit iuxta uiam cæcus ille, dum in-*
Ioan. 15. *cepit credere in eum qui dicit: Ego ſum uia, ueri-
tas & uita. quales olim fuere Catechumeni, quos
D. Chryſoſtomus appellat illuminandos. Qui Ie-*
f Cyrill. *ſum præeunt, uitia ſunt, quæ diſſipant cogitationes
hominis, eaſq; perturbant, ne Ieſus ad illuminan-*
1. Pet. 2. *dum ueniat. de quibus proinde D. Petrus admo-
nuit, & dixit: Obſecro uos tanquam aduenas &
peregrinos, ut abſtineatis à carnalibus deſiderijs
quæ militāt aduerſus animam. Cum autem cæcus*
g Deut. 8. *ſentit ſe eiuſmodi grauari uitijs, & uocem oratio-
nis ſuæ impediri ne pro ſe exoret, ardentius cla-
mat, ac uehementius: Ieſu fili Dei miſerere mei. Et
Ieſus ſtans per potentiam ſuæ diuinitatis, quam a-*
h Exod. 16. *perit clamantibus, & inuocantibus in ueritate, ſi-*
Matth. 11. *quidem ait: Venite ad me omnes qui laboratis &
onerati eſtis, & ego reficiā uos. Cæcum alloqui-*
i Exod. 17. Hebr. 4. *tur, atq; benignè iuxta uotum ſe facturum pollice-
tur. Nec quærit tanquam ignorans, cum ſit ille co
ram oculis: omnia nuda & aperta ſunt. ſed ut men
tem ad orationem excitet, etſi nouit quid nobis
opus ſit antequam petamus: uult tamen, ut creator,
à nobis tanquam ſuis creaturis rogari, & ut gra-
tiam petamus. Rogabimus ergo ipſum Ieſum, ut in
mente & corpore ſanet nos, tribuatq; lucem æter-
næ uiſionis, et uitam perpetuò duraturam, Amen.*

DOMINICA QVADRAGESIMAE

Euangelicum Matth. 4. Ductus eſt Ieſus in deſertum, &c.

EGreſſus eſt de caſtris Philiſtinorū uir ſpurius nomine Goliat, [a] quando Saul & filij Iſrael congregati ſunt ad pugnandum contra Philiſtijm, cum quo in harenam deſcendit Dauid Bethlehemita, & percuſſum interfecit. Quæ certè monomachia typus fuit conflictus Chriſti & Sathanæ, quem hic Euangeliſta deſcribens ait: Vt tentaretur à diabolo.] *Ductus eſt igitur à Spiritu ſancto, à quo iuxta humanitatem regebatur. Ibi autem ieiunauit, nec tamen ultra quadraginta dies, quo uirtus diuinitatis, Sathanæ celaretur, [b] quemadmodū Moyſen et [c] Heliam ieiunaſſe legimus.* Si filius Dei es.] *Conflictus primus, cui occaſionē præbuit eſuries, argumentū humanæ infirmitatis & naturæ Chriſti: Si filius, inquit, Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. [d] Potuit ille nouiſſe filium Dei in mundum miſſum, uel ex prophetis, Eſaia uidelicet & Daniele: uel quia angeli cecíniſſent hymnum Deo. glorioſe nato Saluatore noſtro Chriſto: [e] et quòd Ioannes magnificum de eo perhibens teſtimonium dixerat, Hic eſt agnus Dei, &c. Habebat igitur ſuſpicionē, & propter eminentiā ſanctitatis Ieſu nonnihil cōijciebat. mox aūt humilia et fragilis naturæ indicia ſeu argumenta cōſpiciens, cœpit addubitare: hinc ergo interrogat Chriſtum. cui ipſe:* Non in ſolo pane.] *Hic erat uerbum, per quod facta & creata fuerāt omnia, [f] ut per uirtutem, ut per ſapientiā Dei patris. quapropter facile erat è lapidibus facere panes: ſed ille citius addidiſſet adhuc 40. dies, quàm ceſſiſſet tentatori: docens omnia potius ferenda, quàm ut obſequamur diabolo: imò omnē uoluntatē illius auerſemur, tanquā eius qui lethifera perſuaſione occidit, & mendax eſt. [g] Addit aūt Chriſtus Scripturā, quaſi dicere uellet: Putas me inedia moriturū, ſi famelicus nunc nō edā? uita nō cōſiſtit in pane duntaxat, cum homo ex anima et corpore cōſtet. [h] Quid enim edebāt Iſraelitæ? num panes è lapidib. factos? habebāt uerbum promiſſionis, quòd à Deo ſuo ſuſtentādi ubiuis eſſent. Id quod factū eſt. [i] Pluit enim illis Manna, & percuſſa petra fluxit aqua ad bibendū abundè. Itaq; neceſſe nō eſt, ut ipſe mihi panes faciā: ſed ipſe pater cœleſtis, qui dat eſcā omni carni, prouidebit, cuius uolūtas meritò præponi debet. Quod autem Chriſtus Satanæ reſpōdit, nobis dictū eſſe, quis inficiabitur? Cum manifeſtū ſit, docēte Chryſoſtomo,*

*ſoſtomo, nequaquã noſtra induſtria, ſed prouiden
tia Dei omnia ea perfici, in quibus ipſi uidemur o-
perari. quod ſi ille nos deſerat, non cura, non labor
apparebũt, ſed cuncta infeliciter euaneſcent. Cor
pus quidem, quia ex terra eſt, terreno alitur cibo:
anima aũt, principaliſsimum hominis, de uerbo Dei
uiuit, & ſpiritus Dei eam conſeruat.* [a] *Quare piè
docuit Chriſtus: Quid prodeſt homini ſi mundum
uniuerſum lucretur, animæ uerò ſuæ detrimentũ
patiatur? Et alibi:* [b] *Quærite primũ regnũ Dei, &
hæc omnia adijcientur uobis.* Tunc aſſum-
pſit eum diabolus.] *Alia uia tentat, quia hac
non ſucceſsit, uincere Ieſum: ſed rurſum confundi-
tur. Quid mirum aũt quod ille ſe duci permittit,
qui uenerat occidi? Verùm quia callidus dæmõ ait
iterũ, Si filius Dei es: argumentũ eſt quòd ſibi ti-
muerit dæmõ, quaſi iam natũ uideat ſemen in quo
omnes gentes eſſent benedicendæ. Ait ergo, Mit-
te te deorſum: quæ uox cõuenit illi qui omnes de-
cipere ſatagit, ut ad inferos demergantur: quod ta
men nulli euenit, niſi qui ultrò ſeſe demittit. Et po-
tuit equidem Chriſtus non tantũ ut Deus, ſed etiã
propter miniſteriũ angelorũ, ſemet è pinnis deijce-
re, è cœlo qui fuerat lapſus, & in cœlum regreſſu-
rus.* [c] *Qui ſuper mare ambulauerat ſiccis pedi-
bus, poterat ſibi inde facere nomen ſuũ illuſtrius:
at noluit tẽtatus à diabolo, ne illi ſeruiret. proinde
ait:* Non tentabis Dominum.] *Ten-
tare Deum eſt, quærere experimentũ diuinæ po-
tentiæ atq; uirtutis præter neceſsitatẽ. Hocq́; pec
catũ eſt grande. nam quandocunq; aliquid fieri po
teſt ſecundũ uiam humanã ad euadendũ periculũ,
non debet homo Deũ aſciſcere, ac experiri ipſius
potentiam.* Iterum aſſumpſit eum dia-
bolus.] *Abſit, ut eum cœlo & terræ dominari
poſſe credamus, qui princeps mundi dicitur: cum
Deus creauerit omnia, Dominus uniuerſorũ Chri
ſtus, rex cœli & terræ. Non igitur hoc dixit, tan-
quam creator iſtorum inferiorum: ſed quia cupie-
bat adorari et coli ut numen, quæ maligna natura
eſt Luciferi,* [d] *ſolium ſuum ponentis in cœlum, &
ſimilis eſſe altiſsimo uolentis. Sed audit ille: Scri-
ptum eſt, Dominũ Deum tuum adorabis, & illi ſo
li ſeruies. Latriam hic edicit Chriſtus, quæ eſt ue-
neratio ſoli Deo conueniens, ut creatori, ut cõſer
uatori, in quo uiuimus, mouemur et ſumus.* [e] *Cæte
rùm & ſi uicerit atq; abegerit Satanã ſua poteſta-
te Chriſtus: non deſinit tamẽ criſtas erigere et ca
put in membra Chriſti. quod uel inde patet, quia di
xit Chriſtus:* [f] *Petre, Satanas expetiuit ut cribra
ret nos ſicut triticum, &c. eoq́; laborat, ac ualde
urget, num poſsit hominẽ ab amore Dei depelle-
re. quare tela ſua ignita cõtinuè in internũ hominẽ
noſtrũ iaculatur, & pugnat contra nos omni ho-
ra, omni momento. Bene itaq; dixerũt ſancti uiri:* Epheſ. 6.
*Non ſolùm eſt nobis colluctatio aduerſus carnis
peccata, ſed etiam poteſtates & rectores harum* 1. Petri 5.
*tenebrarum. quapropter ſobrij eſtote, & uigilate,
ne deuoremini ab aduerſario ueſtro. Quid igitur* a Lucæ 9.
*obſtat quin paremus arma, ſtemus maſculo animo
in acie probè inſtructi, fiduciã habentes in capite
Chriſto, inuocato nomine Dei Iſrael, & ſumpto* b Matth. 6.
*animo feriamus hoſtem? Audiamus ducem no-
ſtrum Paulum, piè exhortantem, ac dicentem: In* Epheſ. 6.
*omnibus ſumite ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia
tela nequiſsimi extinguere, & galeam ſalutis aſſu
mite, & gladium ſpiritus, quod eſt uerbum Dei.
Tela illius quib. nos impetit, ſunt malæ perſuaſio-
nes, ut ſcilicet impiè uiuamus. hic præſtat rebelles
eſſe, nimirum ut pertinaciter iuſſa illius exequi re-
cuſemus, qui in uerba Regis immortalis Chriſti iu
rauimus. Et quia militia eſt uita hominis ſuper ter* Gregor. mag.
ram, nihil niſi exercitiũ, ait Gregorius, contra ho in Iob cap. 7.
*ſtes deſignatur: et quod tentatio ſemper ad utrum
que latus hæret, eam potiſsimùm ob rem, ut exem
plo Iob probemur. Dicitur ergo nobis: Fratres, o-* Iacob. 1.
mne gaudiũ exiſtimate, ſi in uarias incideritis ten c Matth. 14.
*tationes, ſcientes quòd probatio fidei ueſtræ pa-
tientiã operatur, patientia autem perfectũ habeat,
&c. Et mox: Beatus uir qui ſuffert tentationem,
quia cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ.
Victoria ſine certamine conſtare non poteſt, ſic
nec uirtus quidem ipſa ſine hoſte. itaq; ait Lactan* Lactantius de
tius: Quoniam uirtutem homini dedit Deus, ſta- opif. Dei, capi-
tuit ei inimicũ, ne uirtus ocio torpens naturã ſuam te 20.
*amitteret. Atq; ita fit nobis hoc Euangelium con-
ſolatio & admonitio. Conſolatio, quia audimus
Chriſtum uiciſſe Sathanam, infenſiſsimum hoſtẽ
humani generis: admonitio autem, ut ſtemus ad-
uerſus inſidias ipſius Satanæ, quo poſsimus & nos
uictores eius fieri, & fiat quod Paulus de ſe ipſo
prædicauit, dicens: Bonum certamen certaui, con* 2. Tim. 4.
ſummaui curſum, fidem ſeruaui, repoſita eſt mihi d Eſaiæ 14.
*corona iuſticiæ, quã reddet mihi Dominus iuſtus
iudex.* Et angeli acceſſerunt.] *Nõ quaſi
non ſemper præſtò fuerint, ut Domino ſuo & filio
Dei: ſed poſtquam uictus hoſtis abiuit, acceſſerũt
parati ad obſequium. reliquerant enim Dominum* e Beda.
*dimicantem cum diabolo, quo magis occultaretur
Ieſu diuinitas, & uictoria eſſet excellentior. Acce
dentes uerò, ipſam diuinitatẽ oſtendere uoluerunt.* f Lucæ 22.
*& ſicut in hoc agone militia noſtra præſtruitur:
ita in obſequio angelorum, glorioſa remunera-
tio docetur.*

DO.

DOMINICA REMINISCERE

Euangelium Matth. 5. Egreſſus Ieſus, &c.

a Actor.13. *SAluator humani generis Deus Chriſtus, con-
dens eam fidem quæ impios ad iuſticiam, & mortuos reuocat ad uitam (quales erant & Iudæi
Matth.5. & gentes. Iudæi quidem, quoniam habebant fi-
ctam iuſticiam, exteriora dum tantum curabant,
Rom.1. de corde nihil ſoliciti: gentes uerò, quoniam Deum
ignorantes dæmonibus ſeruiebant) uarias pera-
grauit regiones. Cum autem egreſſus eſſet de ter-
ra Geneſar, ſeceſſit in partes Tyri & Sydonis.*
Et ecce mulier Cananea.] *Tyrus & Sy-
don ciuitates erant in terra promiſſionis, ubi habi-
tabant Cananæi, tributarij filijs Iſrael facti. non
Ioſuæ 3. enim Ioſua in uniuerſum expulit gentes. Audiens
autem mulier iſta miracula & famam Ieſu, à fini-
b Eſaiæ 6. bus illis egreſſa eſt, & ſequebatur eum ad impe-
trandum ſuæ filiæ ſanationem. Quia uero fortaſ-
ſe à Iudæis Chriſtum fore filium Dauid didicit,
hac fiducia accedit ac clamat: Miſerere mei fili
Dauid. Hæc mulier noſtra omnium qui de genti-
bus genus noſtrum duximus, mater eſt, quam id-
circo meritò imitari debemus. Scribit autem Mar
cus, eam poſtquam intrauit procidiſſe ad pedes Ie-
ſu, & diuinam imploraſſe miſericordiam, quò &
noſtræ dirigendæ erunt precationes. Quid enim
oraremus, ſi non eſſet miſericordia Dei immenſa?
Dan.9. quemadmodum Daniel inquit: Non in iuſtifica-
tionibus noſtris, ſed in miſerationibus tuis multis
Lucæ 18. proſternimus preces noſtras, &c. Et publicanum
c Deut.6. iuſtificatum Chriſtus pronunciat, eo quòd miſe-
ricordiæ Dei innixus dixiſſet, Propitiꝰ eſto Deus
mihi peccatori. Porrò rogauit illa pro filia à Dæ-
mone obſeſſa, ex naturali parentum affectu. Mi-
d Eſa.53. ſerum autem eſt quòd ſpiritus ille tenebrarũ tan-
ta ui aduerſus hominem ſæuit. magna poteſtas e-
ius. Vnde hæc diabolo poteſtas? Hoc oſtendit
Auguſtinus his uerbis: Quid eſt, inquit, diabolus?
angelus eſt, per ſuperbiam ſeparatus à Deo. Hic
inuidit, hominem accepiſſe quod ipſe amiſerat. eum
itaque turpem ac nudum reddidit, ſibi obſtrin-
gens atque obligans omnem prolem. Eadem ferè
habet diuus Baſilius in concione, Quòd Deus
non ſit autor malorum. Sequitur:* Qui non
reſpondit ei uerbum.] *Non certè hoc fecit
ex faſtu & ſuperbia, more aliorum, quando nul-
lius perſonam reſpiciebat, qui corda hominum ſo-
lùm probabat: ſed ne reſcinderet quod mandatum
Matth.10. erat diſcipulis, In uiam gentium ne abieritis: & ut
uitet calumniam Iudæorum, qui ſoli de Meſſia
gloriabantur, dicentes: Notus in Iudæa Deus, &
in Iſrael magnum nomen eius. Vnde etiam rogan-
tibus, & pro muliere intercedentibus Apoſtolis,
reſpondit:* Non ſum miſſus, &c.] *oſten-
dens, quomodo ſalus eſſet ex [a] Iudæis, iuxta pro-
miſſionem: quemadmodum quoque à Paulo poſt-
modum Iudæi audiuerunt. Verùm conſtans mu-
lier in fide in Chriſtum, fortius inſtat, & ait: Do-
mine adiuua me. cui ille: Non eſt bonum ſumere
panem filiorum, & dare canibus. quibus uerbis
Chriſtus primò oſtẽdit ſe Apoſtolum Iudæorum,
ut filiorum electorum Dei. Nam per panem in-
telligit doctrinam & miracula promiſſa Iudæ-
is, tanquam ſpiritualibus filijs, propter cultum u-
nius Dei: per canes uerò gentes, deditos cultui i-
dolorum, & in eo rabidos inſtar canum. Venit igi
tur Chriſtus maledictionem ſoluere, & iram pa-
tris ſedare: at Iudæi oues perditæ, non audiuerunt
uocem paſtoris. [b] Dedit illis Deus ſpiritum com-
punctionis, oculos ut non uideant, et aures ut non
audiant: hoc eſt, permiſit Deus ut haberent inſa-
nabilem mentem, & in malo conſtantem. habebãt
oculos quibus poterant miracula intueri, & aures
quibus Domini doctrinam perciperent: his tamen
nihil uſi ſunt. Porrò ait mulier:* Etiam Do-
mine.] *Scio uobis Iudæis deteſtandam noſtram
idololatriã: tamen ut irrationabilibus catellis non-
nihil conceditur de micis menſarum domini, de
tua obſecro dimanet ad me aliquid gratiæ & be-
nignitatis. Ait Ieſus:* O' mulier.] *Adoran-
do Ieſum, oſtendit ſe fidem habere inſignem. Et
reuera non niſi adoratione uera ac ſolida in Chri-
ſtum fides declaratur, cum Scriptura dicat: [c] Do-
minum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſerues.
Adorandus eſt autem Ieſus, quia uerus Deus &
homo: Deus quidem ante tempora, ſine initio, in-
enarrabiliter à patre genitus: [d] quam generatio-
nem nemo, dicente Propheta, enarrabit. Impoſſi-
bile enim eſt, diuinæ natiuitatis enarrare myſte-
ria, quomodo ante luciferum genitus, & ante ſe-
cula natus ſit filius Dei, & idem homo. nouiſſimo
enim tempore ſecundum humanitatẽ creatus eſt,
quãdo carnem ſibi ex ſubſtantia uirginis fabrica-
uit, & hanc pro ſalute noſtra ſuſcepit. Deinde ma
gna iſtius mulieris fides fuit, quando patienter ſu-
ſtinens durum Chriſti ſermonem, cœpta depre-
catione non deſtitit, ſed in omni humilitate in do-
mini confidit clementiam. tali autem fide audire
meruit:* Fiat tibi ſicut uis.] *Hoc igitur
exemplo diſcamus & nos ſuſtinere opprobria &
uexationes cũ animi tranquillitate, et ut mites, do-
nec det Deus ſuã benedictionẽ: neq; ſimꝰ indignã-
tes ſi nõ ſtatim exaudiamur, quẽadmodũ Naamã
indigna-*

indignabatur Heliſeo prophetæ, 4. Reg. 5. Laudat Chriſtus mulieris fidẽ, et cõfitetur uerũ eſſe quod dixiſſet, ſe ſcilicet tanto munere tantiſq; gratijs indignam: & nos æquanimiter feramus catelli nomine cenſeri, & uix micis uel quantulacunq; portione gratiarum Chriſti dignos? Deinde quia nõ ſecuta eſt uates, uelut Apollinem, aut aliũ quempiam Beelzebub more aliarum gentium (nam dæmones idolis ſeſe iungentes reſponſa dabant) ſed uenit ad Ieſum, ſalutem quæſitura apud ipſum, ut pium, miſericordem & unicum Deum: quanto magis nos auxilium quærere debemus à Domino qui fecit cœlum & terram, & uero adiutore in tribulationib. qui propterea ait: [a] Inuocabitis me, & uiuetis: orabitis me, & ego exaudiam uos: quæretis me, & inuenietis. Erit mulier hæc ſymbolum eccleſiæ è gentibus collectæ. nam & gentes prius repulſæ fuerunt, & poſtea in filiorum ordinem allectæ, ſicut prædictum erat per [b] Eſaiam dicentem: Poſui te in lucem gentium, ut ſis in ſalutem uſq; ad extremũ terræ. quaſi Pater ad Filium dicat: Parum eſt ſi ſeruias mihi ad ſuſcitandas tribus Iacob, quæ ſuo uitio corruerunt. pro illis enim poſui te, ut illumines uniuerſum mundũ, & ſalutem meam ad extremum terræ facias peruenire. quod ſymbolũ his uerbis D. Apoſt. [c] explicat: Dico, inquit, Chriſtum Ieſum miniſtrũ fuiſſe circumciſionis propter ueritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum: gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum. Porrò ſanata eſt filia, et liberata à dæmonio. Faxit Chriſtus, ne nos liuor edax dæmonis obruat, ac demergat uel in inferos, Amen.

IN FESTO MATTHIAE APOſtoli Euangelium, Matth. 10. Miſit Ieſus, &c.

OMnino conſtat, pro totius generis humani ſalute Chriſtum Dominũ ueniſſe, quandoquidẽ ipſe [d] dixit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiã uos. Nõ hic, non ille [e], ait Chryſoſtomus, ſed omnes qui curis, qui laboribus, qui peccatis laboratis. Quis autẽ non laborabat? quis non maxima ſarcina peccatorũ oneratus inceſſit? dicente Scriptura: [f] Omnes declinauerunt, & facti ſunt inutiles, & nõ eſt qui faciat bonum, uſque ad unum. Quid igitur ſibi uult, quod prohibet Ieſus diſcipulis ſuis ingreſſum ad gentes & Samaritanos, niſi quòd omnia ordine fieri & ſalutem eam operari uoluit, nimirum ut [g] oues perditæ domus Iſrael in primis reducerentur ad ſalutis ouile. Cum autem Euangelium regni ab ipſis Iudæis repulſam paſſum fuiſſet, iuſtè ad gentes poſſet transferri: quemadmodum etiam factum eſt, poſt Chriſti paſſionem, & in cœlum aſcenſionem. ſic enim acta teſtantur ſanctorum Apoſtolorum, dicentibus Paulo & Barnaba: Vobis oportebat primùm loqui uerbum Dei: at quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. Audientes autem gentes gauiſæ ſunt, & glorificabant uerbũ Domini, &c. [Acto. 13.] Verùm ualde occultum eſt hoc iudicium Dei, & inperſcrutabile. Sanctiſſimè ſanctus Propheta dixit: Venite & uidete opera Dei, quàm terribilis in conſilijs ſuper filios hominũ. [Pſalm. 65.] Vbi Auguſtinus: Verè, inquit, terribilis eſt. Ecce enim Iudæi, ex quibus Chriſtus natus eſt, foris ſunt, & gẽtes intrò receptæ. Qui mirum non eſſet, quòd alius miſericorditer uocatur, alius uerò iuſticia exigẽte repellitur? De una maſſa (ait Hieronymus) oẽs creati ſunt, & alij eliguntur, & alij reprobantur & in ignem mittentur. O altitudo diuitiarum, ſapientiæ & ſciẽtiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, et inperueſtigabiles uiæ eius. Quis cognouit ſenſum Domini, niſi is qui eſt in ſinu patris? [Rom. 11.] Cæterùm miſſis prædicatoribus, quid præcipiatur, audiamus.

Euntes prædicate.) Vide diuini myſterij magnitudinem: unde etiã ſublimem Apoſtolorum dignitatem. nihil quod ad corpus pertineat, nec ſimilia Moyſi doctrinæ, quia terrena hæc bona promittebat. ſic enim ſcriptũ eſt: Iſrael obſerua, ut facias præcepta Dei, & dabit tibi Dominus Deus ſicut pollicitus eſt, terrũ lacte & melle manantem: [Deut. 9.] ſed noua quædam & inaudita, cœlorum nimirum regnum, & totam illam beatitudinem prædicare iubentur: unde primus homo propter tranſgreſſionem pulſus, in hunc mundum ut peccatum lueret, uenit, cunctæ proinde ſubiacens miſeriæ, & multis ærumnis. Illos ergo homines ſic rebus terrenis immerſos iubet reuocari, ad regnum ſuum præſtantius & perpetuò duraturũ, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Difficillimum autem hoc factu erat, quoniam longè lateq; regnum terrarum florebat, cunctos philtro ſuo intoxicans. Vnde pleriq; diuitias, honores, omnem deniq; uoluptatem atque luxuriam affectãtes dixerunt: Edamus & bibamus, cras enim moriemur, et poſt mortem nulla uoluptas eſt. Præſertim cum nullum redire poſt mortem uiderent, non eſſet qui agnitus reuerſus ſit ab inferis: Sapiẽtiæ 2. Adiũgit ergo Chriſtus Apoſtolis ſanctis miracula, ut fidem uerbis daret uirtus oſtẽſa.

Infirmos curate.) Florente mundo, creſcente humano genere, exuberante rerum opulentia,

[a] Hier. 29.
[b] Eſa. 49.
[c] Rom. 15.
[d] Matth. 11.
[e] Chryſoſt. in Matth.
[f] Pſalm. 13.
[g] Ezech. 34. Eſaiæ 53.

lentia, quis quæſo crederet uitam eſſe aliam? quis inuiſibilia uiſibilibus præferret? Addita ſunt igitur miracula doctrinæ nouæ, ut tot uiſibilibus uiſis crederet quod de inuiſibilib. audiret. Et ut optimè nouit quod illi Sal terræ futuri, quo hominũ animæ cibus Deo ſuauiſſimus condirentur: nõ minorem curã habuit Dominus ut mores eorum in

a Colloſ.2. melius reduceret, quàm ut ſignorum præbeat poteſtatem. monet ergo, ut in nullum animi faſtum

b Gen.2. incidant, neq; cupiditate pecuniarum moueantur. & ait: Gratis accepiſtis, gratis date.) Præſciuit ipſe Dominus futuros nonnullos, qui

c Rom.5. hoc ipſum donũ Spiritus ſancti in uſum negociationis inflecterent, & ad auariciæ obſequium declinarent, quæ res non tam Deo exoſa quàm exitialis: dum enim iis implicantur, miniſterium negligitur, & cibus ille Dei condiri nõ poteſt. Eapro-

d Lactant. de iuſticia. pter peſtiferum hominem fuiſſe conſtat Simonem

Acto.8. magum, qui cum per impoſitionem manus miracula conſpiciens, donum pecunia emere uoluit, quo

Matth. 21. deterius illud uenderet. Hinc quoq; Chriſtus ementes & uendentes de templo eiecit, ſignificans turpe lucrum ſanctis ac ſacris minimè cõuenire: operarium ſua mercede dignum & contentum eſſe debere. At ut genus & formam regina pecunia donat: ita D. Gregorius nonnullos auro ſacro corruptos ſuo tempore conqueſtus eſt, qui ſpiritualem gratiam uenalem haberent. Quid igitur

e Eſa.53. mirum ſi noſtro nunc infeliciſſimo ſeculo regnet impietas, ita ut neceſſe foret redire Chriſtum, quo euerteret numulariorũ menſas? ſed non tam malum, quàm dolendum, inde ludibrio & contemptui haberi ſanctiſſima, & ad ſalutem noſtram conceſſa ſacramenta. Non poſsideatis.) Non dixit (ait Chryſoſtomus) non accipiatis uobiſcum aurum uel argentũ, ſed Ne poſſideatis: ut doceret pernicioſam auariciæ ægritudinem fugere, & ut ipſi ab omni ſeculari cura liberi redditi, prædicationi ſolùm uacare poſſent: ne tamen quæ ad uitam neceſſaria ſunt ipſis defutura exiſtimarent, ſolatur eos, ac ait: Dignus eſt operarius mercede ſua.) Ne diffidatis: alent uos diſcipuli ueſtri, & ſuppeditabunt mercedem uobis, ut rem debitam, beneuoli erga uos ac liberales. Quod quidem quia nouit dignũ & iuſtum diuus Apoſtolus, Corinthios cohortatus eſt, ut miniſtris Eccleſiæ iuſta ſalaria & ſtipendia aſſi-

1. Corint.9. gnent: Qui in ſacrario, inquiens, operantur, de ſacrario edant. Vbi laudabilis mos ueterum fuiſſe dinoſcitur, ut ex communi ærario miniſtros ſuſtentarẽt Eccleſiæ, quo omnibus idem munus illi

f Matth.12. adminiſtrarent iuſtè, ritè & æqualiter. Quòd ſi ſinceri ſunt miniſtri, non deerunt fortaſſe qui foueant Chriſti miniſtrum, & Euangelii ſinceritatem.

DOMINICA OCVLI EVANgelium, Lucæ 11. Erat Ieſus eiiciens dæmoniũ, &c.

OLim dæmones poteſtatem habebant maximam in homines, iuxta [a] chirographum quod tenebant. Pactum enim pepigerat Deus cum Adam: [b] Quacunque die, dicens, ex eo comederis, morte morieris. Hanc quidẽ pactionem Satanas obſeruabat. Quamprimùm ergo Adam præuaricatus eſt, peccatum, ut Apoſtolus dicit, [c] in mundum intrauit, & per peccatum mors: & homo ſub imperium Satanæ uenit. quo factum fuit, ut nõ rarò homines à dæmonibus obſiderentur, & uexarentur peſſimè, dum ſpiritus contaminati, quibus ueritas inuiſa eſt, ſe inſinuabant hominum mentibus, [d] eosq; inſtigabant neſcios in furorem. At Chriſtus uerus ille Dei filius, in quo nec quicquam dæmoni iuris erat, poteſtatem illam in nihilum redacturus, plures à dæmonibus liberat. Locutus eſt mutus.) In teſtimonium ueri miraculi, quo reprehenderentur Iudæi ſuæ cæcitatis, qua occæcati Chriſtum negabant: & hoc contra apertam Scripturam, quæ teſtimonium dabat, Ieſum eſſe Chriſtum. Eſaias enim euidentiſſimè ſigna talia patranda ab ipſo Meſſia præcinuerat, [e] dicens: Puſillanimes confortamini, & nolite timere: Deus ipſe ueniet, & ſaluabit uos. tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Et quia hoc negare non potuère, ecce in ſiniſtram partem rapiunt, Chriſtum conſortem diaboli facientes, & dicunt: In Beelzebub, &c.) Ninus rex Aſſyriæ, Belo patri ſuo ſtatuam conſecrauerat, ei diuinos honores fieri inſtituens. Iudæi autem unius Dei cultores, ad deridendum gentes illas, Beelzebub appellabant: hoc eſt, uirum muſcarum, propter cruorẽ qui in templo eius immolabatur uolantium. Aſſerebant etiam Iudæi, in hoc ſimulachro habitare principem dæmoniorum. Non igitur diuinæ uirtuti miracula Ieſu adſcribentes, ſed dæmonibus: In principe, dicunt, dæmoniorum eiicit dæmonia. Grandis autem iſthæc blaſphemia fuit. Nam aſcribere dicta uel facta Satanæ, quæ Dei ſunt uirtutis propriæ, non poteſt non eſſe peccatum maximum. Hoc peccatum appellat Chriſtus, peccatum in Spiritum ſanctum, quod neque in hoc ſeculo neque in futuro dimittatur. Peccatum grande erat, dicere Chriſtum eſſe ſolum filium Ioſeph, [f] & magum

uocare

uocare eum Samaritanum. At habere dæmonem per quem operaretur, & cuius inſtinctu doceret, maxima & irremiſſibilis blaſphemia erat. Ergo omne peccatum quantumuis inexcuſabile ſit, confugere tamen licet ad humanam infirmitatem, & eſt ueniæ locus, ſolo peccato in Spiritum ſanctum dempto. Sic Iudæi ueniam habuiſſent, quando reprehenderunt Chriſtum cum meretricibus atq; peccatoribus cõuerſantem: uidebantur enim (ait Theoph.) rationabiliter offendi: operantem autẽ miracula condemnantes, & dæmoniacum eſſe dicentes, peccatum perpetrarunt quod ipſis ueniale non erat, tã in præſenti uita, quàm in futura: quẽadmodum etiam poſt eos Baſilides, Cherinthus, Donatus, Eunomius, Photinus & Valentinus de diuinitate Chriſti unita & indiuiſa impiè ſentientes pertinaciter uoluerunt. Veri itaque adoratores Dei confitentur Chriſtum Spiritum ſanctum in terris habuiſſe, ſicut Eſaias dixit: [a] Ecce ſeruus meus electus, cõplacuit animæ meæ in illo. Dedi Spiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus proferet. Et alio loco, ipſe filius dicit: [b] Spiritus Domini ſuper me, eo quòd unxerit me. Hic autem piè cauendum erit, ne ex uerbo Dei uerbum diaboli fiat: hoc eſt, ne affirmet homo Dei eſſe, quod propriè Satanæ attinet. Satius eſt hæſitare piè, ut ille dixit, quàm temerè aliquid affirmare. Siquidem propheta ait: [c] Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponẽtes tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum dulce, & dulce amarum. Sunt autem, docente Hieronymo, omnia dogmata contraria ueritati amara, ſola dulcis ueritas. itaque uidendum, ne pro ueritate ſequamur mendacium, ne pro lumine tenebras. Cæterùm dum hæc agerentur, ait Lucas, alij tentantes eum ſigna quærebant. Signa de cœlo.) Sic ſolet euenire, ubi piè docetur & agitur: una pars blaſphemat, altera non credit, niſi ſignis uiſis. Pone, quòd Chriſtus euocaſſet è cœlo ignem, quemadmodũ [d] Helias fecit, quando claudicabat populus ſub Achab in duas partes, alijs Baal, alijs uerò Deo uiuo ſeruientibus: aut feciſſet mugire tonitrua, quemadmodũ [e] de Samuele hiſtoria prodit, non tamen occæcati & obdurati Iudæi credidiſſent: imò potius opus Magiæ clamaſſent factum, quale in [f] Exod. de maleficis Pharaonis habemus. Errant igitur, qui credere nolunt, niſi ſignis doctrina probetur. Nam Moſen & prophetas habemus, quibus credamus oportet. ut fiat quod dictum eſt: [g] Beati qui non uiderunt, & crediderunt. Nihil tam utile eſt, quàm Scripturarũ diligens perſcrutatio, illa lucerna eſt & lumen. Quæcunque enim ſcripta ſunt, ait Apoſtolus, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per conſolationem Scripturarũ ſpem habeamus. Generatio mala & adultera ſignum quærit. Ipſe autem.) Virtute diuina ſecreta cordium rimatus eſt, quando Hieremias ait: Prauum cor hominis eſt, et inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda, & uniuerſas cogitationes. Porrò ut Dominus maleuolentiæ Iudæorum obſtreperet, eamq; eliminaret penitus: Rom. 15. Hier. 17.

Omne regnum, inquit, in ſe diuiſum.) Si ego, ut uos dicitis, in principe dæmoniorum eijcio dæmonia, Satanas Satanam expellit, nec poteſt regnum eius ſtare. Omne namque regnum diſcordia dilabitur. ipſa namq;, regnorũ ſumma pernicies eſt. cuius equidem euidentiſſima exempla extant de filijs Ariſtoboli regis Iudæorum, & Hircani ipſius fratris, inter ſe diſceptantibus. ſic enim perdita urbs eſt, & templum prophanatum, de quo & apud Eſaiam quoque habes, dicentem: Tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem: ruit Hieruſalem, & Iuda cecidit. Nullum ergo regnum perpetuũ eſt, dũ homines regnant, niſi regnũ Chriſti: quandoquidẽ ſumma eſt concordia & unanimitas, ut ita dicam, Patris & Filij & Spiritus ſancti. Manet & regnum Eccleſiæ eius, in qua eſt unus Deus, una fides, & unum baptiſma: euaneſcente interim omni hæreſi ac ſchiſmate. Verùm cum inquit Chriſtus, ſe in digito Dei dæmonia eijcere: Spiritum ſanctum miraculorum potentem autorem oſtendit. Filius enim brachium dicitur, uel manus patris: Spiritus ſanctus autem, digitus, propter differentiam uariorum donorum. Hoc digito ſcripta eſt lex Dei in tabulis lapideis, & hunc digitum Magi confeſſi ſunt in Aegypto. Et hoc patefactum eſt in Iudæis, regnũ Dei ueniſſe, hoc eſt, iudiciariam poteſtatem, qua bonos à malis ſecernet Deus, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. Et ſupernam beatitudinem, quemadmodum omnes prophetæ fuerant teſtati, & præſertim Eſaias, quando dixit: Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me, &c. Cum fortis armatus.) Diabolum intelligit, cuius arma ſunt omnia genera peccatorum, quæ ignea tela ab Apoſtolo appellantur, quibus dæmon homines impugnat antè & retrò, à ſiniſtris & à dextris. Atrium uerò mundus eſt: hunc ipſe in pace poſſedit, utpote idololatriæ deditum uſque ad aduentum filij Dei Ieſu Chriſti, qui fortior illo uenit eiuſq; poteſtatem confregit, dum mundum ab ipſius damnatione liberauit, & animas ab eo detentas

Ioſeph. lib. 4. capite 8. a Eſa. 42. Eſa. 3. b Eſa. 61. c Eſa. 5. Exod. 31. Exod. 8. Math. 25. d 3. Reg. 18. Eſa. 61. e 1. Reg. 7. f Exod. 7. & 8. g Ioan. 20.

cœlo inuexit, Apoca. 20. 1.Ioan.3. Cum im-
a Rom.1. mundus ſpiritus.) Exiuit Satanas à Iudæis,
quando legem & cultum unius Dei illi ſuſcepe-
b Ioan.10. rant: & tranſiuit ad gentes qui erant ſteriles in
dilectione Dei & proximi, in quibus non inue-
nit requiem, quia ſuſceperunt fidem Chriſti. Re-
c Coloſſ.3. uerſus eſt ergo ad Iudæos, quos inuenit obſerua-
tionibus & cæremonijs, quæ iam nihil ualent
poſt Chriſtum, nimium deditos. aſſumptis igitur
alijs dæmonibus, fortius ipſos poſſedit, & facti
illi deteriores, Chriſtum execrabiliter blaſphe-
mant. Intelligi poteſt etiam hoc de quolibet ho-
mine, qui poſt acceptam gratiam negligit operari
bonum, in priſtina relapſus crimina. In baptiſmo
enim ſpiritus immundus eijcitur per confeſſio-
nem diuini nominis. Verùm pulſus ille, quærit ſta-
tim ſicubi conſcientias inueniat lubricas, unde &
fortius tentando inſtat. qua fraude ſi quem cepe-
rit, fiunt poſteriora illius peiora prioribus. qua-
2.Pet.2. propter: Melius eſſet, inquit Petrus, uiam ueri-
tatis non agnouiſſe, quàm retrorſum conuerti à
ſancto mandato, quod traditum eſt. Beatus
uenter.) Laudat mulier illa Mariam, quæ ta-
lem genuerit filium. Quod confirmans Chriſtus,
dixit: Quinimo. quaſi diceret, Nõ ſolùm laudan-
da Maria, quia uerbum Dei portauit in utero:
ſed quia præcepta Dei ſeruauit in opere. ſic om-
nes beati ſunt, qui uerbum Dei auditum fide con-
cipiunt, & boni operis cuſtodia in ſuo uel proxi-
morum corde pariunt & nutriunt.

DOMINICA LAETARE Euangelium, Ioan. 6. Abijt Ieſus trans mare Galileæ.

HOc præſens Euangelium argumento eſt,
Chriſtum Ieſum eſſe uerum filium Dei, qui
in Eſaia populo Iſraelitico promiſſus fuerat: Par-
Eſa.9. uulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis,
d Num.11. &c. Atque ipſum ſolum, & nullum alium poſt
eum uenturum niſi filiũ perditionis, qui (Apoſto-
2.Theſ.2. lo docente) extolletur ſuper omne quod dicitur
Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſeſſu-
rus oſtendat ſe tanquam ſit Deus. Et ſe-
quebatur eum.) Audiuimus, qui ſecuti fue-
runt ſignis commotos fuiſſe, quæ ſuper ijs facie-
bat qui infirmabantur. Hac autẽ uia Saluator ad
uitã omnes inducit. Nam quemadmodũ à creatu-
rarũ pulchritudine creator cognoſcitur, ſicut in
Pſalmo dicitur: Cœli enarrãt gloriã Dei, et opera
Pſalm.18. manuum eius annunciat firmamentum. Et Pau-
lus, gentes dicit inexcuſabiles, quoniam ex hac
mirabili rerum ſtructura cognoſcere poſſunt inuiſibilia Dei.[a] Sic à ſignis Deitatis poteſtas percipitur. Proinde & dicebat ille: Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.[b] Subijt in montem.) Fugiamus, qui Chriſtum Deum atque Dominum profitemur, turpem mundum, ipſiq; adhæreamus corde et animo, ſicut & Paulus docet, dicens:[c] Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite. Et iterum: Vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit, tunc & nos apparebimus cũ ipſo in gloria, ibi perpetuò manſuri, quemadmodum dixit ille: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen uitæ. Cum autem ſubleuaſſet oculos Ieſus.) Spiritualiter ſubleuatis oculis Chriſtus eos uidet, qui ipſum quærunt ac diligunt, dicente Scriptura: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Et dixit ad Philippum.) Alio ſcribitur loco, quòd cõuocarit diſcipulos ad ſe, proculdubio non abſque ratione. primum hoc fecit credo, ut ſimul eos, adeoq; omnes prælatos & ſuperiores, ad miſericordiam erga ſuos prouocaret, in neceſſitatis præſertim tempore. quod D. Paulus obſeruans, Epheſi maiores natu uocauit, ad eóſq; dixit, Attendite uobis & uniuerſo gregi, in quo uos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos, regere Eccleſiã Dei, quã acquiſiuit ſanguine ſuo. Et ait Philippus.) Hoc factum eſt, ut attentius conſiderarent miraculum. Quod autem reſpondent, Ducentorũ, &c. extollunt miraculum, ac faciunt ut maiores Chriſti uirtutes uideantur. Diſcipuli homines erant, loquebantur ut homines, intendentes naturæ. uerùm incredulitatis illa uis in certius conuerſa teſtimonium fuit. Huiuſmodi fidem & Moſen quoque habuiſſe comperimus, cum Hebræi Aegyptiæ copiæ memores, & diuinorum obliti bonorum, in Moſen inſultabant,[d] & Deus ſe illis daturum ad ſaturitatem promiſit. quæ res cum impoſſibilis in deſerto uideretur, inquit Moſes: Sexcenta millia hominum hic ſunt, & tu dixiſti, Dabo eis carnes ad ſaturitatem? Quid autem ad hæc Deus? An, ait, manus Domini non ſufficiet? Quid enim non poterit Deus? Quo certè commoniti eſſe debemus, ut cum Deus feciſſe aliquid aut facturus eſſe dicitur, omni cura remota facile illud Deo eſſe credamus, nec imbecillitate noſtra diuinas uirtutes metiamur. Eſt fides, ait Apoſtolus Heb.11. argumentum rerum non apparentium: & ex illa fide iuſtum uiuere certum eſt. Peſſimi certè

ſunt

ſunt fructus infidelitatis, ſiue incredulitatis, quemadmodum in Moyſe uidere eſt, cui fluctuanti, & dicenti: [a] Nunquid ex hoc lapide aquam uobis educemus? dictum fuit: Quia non ſanctificaſtis me (alloquitur enim Deus Moſen & Aaronem) coram filijs Iſrael, non introducetis eos in terram, quam dedi eis. Prudentis itaq; uiri eſt, credere non quantum oculis cernimus, & quantum uolumus, ſed quantum uiſus acies ferre poteſt. Nihil enim ſupernaturalium comprehendere certius poſſumus, ſed credimus nulla tenẽtes principia, unde illa colligere queamus, ut in nobis uerum appareat quod dixit Chriſtus: Ioan. 20. Thomæ, beati qui non uiderunt, & crediderunt.

Facite homines diſcumbere.] Hoc quaſi ſignificare uoluiſſe uidetur: O' tardi ad intelligendum uires meas, & percipiendum quis uobiſcum loquatur. facite homines diſcumbere, ut uideatis, quo illos ſaturabo miraculo: ut uideatis cuncta uiribus meis ex nihilo eſſe producta, me uerbum eſſe in principio apud Deum, ſine quo factum eſt nihil, ſed per quem omnia, &c.

Accepit ergo Ieſus panes.] Manichæi dicebant, non hominem aſſumpſiſſe filium Dei. Arius uerò ipſum Chriſtum creaturam dicebat, & tempus fuiſſe quo non fuerit. Catholici autem geminam ſubſtantiam agnoſcunt: Diuinam quidem, qua æqualis eſt patri: & humanam, qua minor patre eſt. Gratias itaq; agit Chriſtus, ut naturæ Deitatis ſicut homo attribuat uirtutem miraculi. & fuit iſte modus Chriſto uſitatiſsimus, ratione diſpenſationis, ante paſsionis tempora dignitatem ſuæ Deitatis occultanti, & ſimul ſeculi huius principem omnia iſta cælanti: & dein ut exemplo ſe nobis præbeat, quòd Deus creauit cibos percipiendos cum gratiarumactione. 1. Tim. 4. & nihil reijciendum, ſiquidem omnis creatura Dei bona eſt, quamuis olim Iudæis caro porcina, & nonnulla alia prohibita fuerint, hoc tamen non ſecundum ſe, ſed quia immundorum figuræ erant, quemadmodum porcus immundum eſt animal & ſpurciſsimum.

Vt autem impleti ſunt.] Liberalitas nobis in hoc miraculo commendatur: ut uiſcera miſericordiæ indigentibus aperiamus, faciamusq; libenter quod ſcribitur: [b] Frange eſurienti panem tuum, &c. Et quod Apoſtolus inquit: [c] Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Quis enim erit fructus poſt mortem? quia non eſt in morte qui memor ſit Dei, dicente ſcriptura: [d] Lignum ubi ceciderit, ibi manet.

Illi ergo homines.] Excellentia huius
inauditi ſigni affecti ſunt, ut prædicent hunc il-
lum eſſe, qui Propheta in mundum uenturus ſcri- a Num. 20.
bitur, Deuteron. 18. Suſcitabit uobis Dominus
prophetam de fratribus ueſtris. Deferamus, &
meritò quidem, & nos noſtro Ieſu laudem, quòd
ſcilicet hic eſt uerè mediator inter Deum & ho-
minem, qui creauit cœlum & terram, & uenit
quærere, & ſaluum facere quod perierat, & qui
nobiſcum eſt uſq; ad conſummationem ſeculi, &
ueniet redditurus unicuique iuxta quod geſsit hic
in corpore ſuo, nimirum malis ignem æternum:
iuſtis uerò bona præmia: hoc eſt, uitam illam
æternam, ubi uiuit ac regnat Deus cum patre
in unitate ſpiritus ſancti, in ſecula ſeculorum:
Amen.

DIE FESTO ANNVNCIAtionis Mariæ, Euangelium Lucæ 1. Miſſus eſt.

COrruptum peccatis originalibus & actu-
alibus mundum, mundi conditor ſecre-
to & admirabili conſilio, per myſterium Verbi
incarnati uoluit reparare: qui tamen eo uerbo quo
potuit de nihilo creare cuncta, Ipſe dixit (inquit
Propheta) & facta ſunt, mandauit, & creata Pſal. 32.
ſunt: potuit quæ perdita fuerant reformare. Igitur
filius Dei hominem induere uoluit, ut mortali-
tatem moriendo ſuperaret, & ad immortalita-
tem reuocaret. Vbi ergo uenit plenitudo tem-
poris, hoc eſt, tempus præfinitum à patre qui ſo- Galat. 4.
lus nouit omnia conſilia, & cuius iudicium incom
prehenſibile eſt, miſit Deus pater filium ſuum fa-
ctum ex muliere, ut Apoſtolus ſcribit, factum
ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret.
Quod ſacratiſsimum myſterium ſanctus Lucas
ita deſcribit.

Miſſus eſt, inquit.] Hunc angelum non
de minoribus fuiſſe, uel ex eius nomine declaratur.
quid enim Gabriel quàm fortitudo Dei? Mittitur
ergo fortitudo Dei, ut nunciaret uirtutem Dei
maximam, & ut uirginem natura pauidam de mi-
raculi nouitate confortaret.

Virginem deſponſatam uiro.] Sed
intactam, & uiro nunquam tangendam. La- b Eſaiæ 58.
tent hic diuina myſteria, iuxta quæ bene utrun- c Galat. 6.
que poſuit Scriptura, uirgo quidem ut expers
uirilis conſortij cognoſcatur, & impleretur quod
dictum erat per Eſaiam dicentem: Ecce uirgo Eſaiæ 7.
concipiet, Alma uel uirgo abſcondita. Deſpon- d Eccle. 11.
ſata uerò, ne intemeratæ uirginitati adureretur

 infamia,

infamia. Et maluit (*inquit* Ambroſius) *aliquos de ſui ortu, quam de matris pudore dubitare.* Maximum enim erat crimen, ſi quæ concepiſſet ex illegitimo thoro. Quid igitur Iudæis, quid Herodi improperari poſſet, quod ex adulterio quaſi natum perſecuti fuiſſent, ſi uideretur Chriſtus à legis iniuria cœpiſſe, cum partus innuptæ lege damnetur? Factum fuit & hac quoque cauſa, ut uirginitas Mariæ falleret principem mundi: qui cum deſponſatam uiro cerneret, partum non potuit habere ſuſpectum. Fallendi autem mundi principem hoc fuiſſe conſilium, etiam Apoſtolus
1.Cor.2. declarauit, cum inquit: Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio abſconditam, quam nemo principum iſtius ſeculi cognouit. ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Scierunt quidem (ait Ambroſius) ipſum eſſe qui in lege promiſſus erat: ſed myſterium quod filius Dei eſſet, neſcierunt. Nec nos moueat, quòd frequenter Scriptura Mariam coniugem dicit. non enim uirginitatis corruptio, ſed coniugij teſtificatio declaratur, ut piè admodum docent Hieronymus & Chryſoſtomus. Et ſi uerò apertæ hac de re non extent Scripturæ, Auguſtinus tamen Ezechielem hanc perpetuam Mariæ
Ezech.44. uirginitatem his uerbis figuraſſe contendit: Porta clauſa erit, nec uir tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael tranſiuit per eam. dicit enim ille: Quid eſt, Clauſa porta erit, niſi quòd Maria ſemper intacta erit? Quod autem Euangeliſta ſcribit, Et non cognouit eam donec peperit filium ſuum primogenitum: non ſic accipiendum erit, quaſi deinde cognouerit eam. Donec enim perpetuitatem ſignificat, quemadmo
Pſal.109. dum in illo Pſalmo: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Nunquid poſtea non ſedebit Chriſtus à dextris Dei? Quis hoc dicet? Ergo Maria templum Domini eſt inuiolatum, ſacrarium Spiritus ſancti: cui ſola placuit, ſine exemplo, in qua perficeret incarnationis myſterium.

Et ingreſſus angelus.] Miſſus eſt ange
a Dan.7. lus, deſcendit, & ingreſſus eſt ad eam in noſtræ redemptionis exordium, & dixit:

b Hier.31. Aue gratia plena.] Gratia plena dicitur (inquit Ambroſius) quæ ſola gratiam, quam nulla alia meruerat, conſecuta eſt, ut gratiæ repleretur authore. Perinde eſt igitur ac ſi dixiſſet: Maria ecce per te mutabitur natura protoplaſtorum, culpa delebitur Euæ, & maledictio in benedictionem conuertetur.

Dominus tecum.] *Tecum in corde, tecum in uentre, tecum in auxilio. Gratulare uirgo, quia magnum myſterium in te perficietur: ex ſinu patris deſcendit filius* Dei, *ut incarnetur in utero tuo.*

Benedicta tu.] *Quia Eua uniuerſalis mali initium ex ſeipſa, & afflatu maligni, & proinde maledicta fuit: ſic tu Maria, ex Dei dono totius boni, & gratiæ initium eris. paritura enim es uitam & uiris & mulieribus. Mater generis humani pœnam intulit mundo: tu uerò ſalutem afferes illi, & proinde es benedicta.*

Quæ turbata eſt.] *uidens nempe angelum claritate coruſcum.* Nam *ſi lux circumfulſit paſtores, multo magis matrem filij* Dei, *regis angelorum atque hominum. Ad hæc uerba, illa inſolita, quomodo non turbata fuiſſet, & ut cogitaſſet quid nam prætenderet hæc tam rara, tam ſublimis, tam inſolita ſalutatio? Sed angelus continuò mentem eius ſedauit, quando aperuit qualis eſſet gratia, & cuius eſſet iſta ſalutatio. Dixit enim:*

Inueniſti gratiam.] Ne timeas, ne turberis Maria, præ cæteris inueniſti gratiam apud Deum. Ecce omnium & totius mundi concipies Saluatorem, cui nullus comparandus uenit. Hic enim erit magnus, utpote filius altiſſimi, uerbum quod in principio erat apud Deum, quo cœli firmati ſunt, & omnis uirtus eorum, omnia condita in cœlis & in terra, uiſibilia & inuiſibilia, per quod omnia facta, & ſine quo factum eſt nihil: & ipſe tuus, qui naſciturus eſt ex te, filius ante omnes eſt, & omnia in ipſo conſtant.

Dabit illi Deus.] Deus altiſſimus, qui pater eſt omnipotens, faciet eum regem Iſrael, poſt uerum regem Dauid, de cuius domo tu genus ducis. Sed regnum ipſius tui filij non erit humanum, temporale, & in faſtu hominum collocatum: ſed diuinum, æternum, & uerè glorioſum. nam regnabit in fidelibus, & in omnibus qui ſpiritu ſancto renouati, carnis opera & concupiſcentias ſupplantauerunt, quemadmodum à Prophetis prædictum fuit:[a] Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.[b] Et alius inquit: Dabo legem meam in uiſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.

Dixit autem Maria.] Videtur hæc non credidiſſe, niſi diligenter aduertamus. Non igitur incredula fuit electa uirgo, ſe ad generandum unigenitum Dei filium præelecta: ſed tantum his

uerbis

uerbis inquirit arcani myſterij modum. Sciendum ergo, eam non fidem renuiſſe, non officium refutaſſe, ſed accommodaſſe affectum, ſpopondiſſe obſequium. Quare cum dicit, Quomodo? non de effectu dubitauit, ſed ipſius effectus quæſiuit modum, uel qualitatem. Vnde cognoſco, pro cognoſcam, more Hebræo poſitum eſſe debet, qui eadem uoce præſens & futurum proferunt: ita ut præſens certitudinem, futurum uerò propoſiti decretum ſignificet.

Spiritus ſanctus.] Nunquid legiſti quod propheta dicit: [a] Ecce uirgo concipiet? diuini igitur eſt ſignum myſterij, non humani. Hoc fiet Spiritus ſancti & Filij & Patris æterni intima operatione. Quod ego dico, crede abſque dubio futurum, & hoc modo, quia ſpiritus ſanctus ſuperueniet in te: hoc eſt, Deſuper, ad intimam huius myſterij operationem in te deſcendet. [b] Et uirtus altiſſimi Dei patris, id eſt, filius carne ex te ſumpta ueſtietur. ſic autem naſcetur, ut te uirginem matrem habeat, & patrem in cœlis, cuius uerus uocabitur filius: [c] quo ſanè obſtructum eſt os loquentium iniqua, Sabellianorum ſcilicet, qui fingunt Mariam non decurſis menſibus peperiſſe, ſed fortuitò inueniſſe paruulum. Porrò ut modum conceptionis filij Dei ſupra naturæ poßibilitatem inſinuaret, addit:

Quia non erit impoſsibile apud Deum omne uerbum.] Deus ipſe, cum ſit omnipotens, quid enim eſt quod non poſſit ille? factum igitur quodcunque uoluerit, quantumcunque etiam ſupra naturam fuerit illud, fiet. Nam ut Propheta uerè dicit: [d] Omnia quæcunque uoluit Deus fecit, in cœlo & in terra, in mari & omnibus abyſſis. Et hoc modo expreßit angelus communem fidei regulam, cui & uirgo firmiſſimè inhæſit, & ſe concepturam ac parituram intacta uirginitate, poſtquam ita Deo placitum ſit, minimè diffidit. ait ergo:

Ecce ancilla Domini.] Reſponſum fide plenum. Nam hoc pacto omnia diuinæ tribuit potentiæ ac maieſtati. Inſuper admirandam oſtendit humilitatem, cum ſe ancillam dicit, etſi iam declarata eſſet mater Saluatoris, filij æterni regis. Hanc, puto, habuit illa ab initio humilitatem. Quare qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, eam elegit, reſpexit illam humilitatem, ut damnaret Euæ ſuperbiam.

Fiat mihi ſecundum uerbum tuum, &c.] Secundum nuncium tuum uoluntati diuinæ meipſam trado. Et mox, ut piè credendum eſt, ſecreta ſuperbenedictæ trinitatis operatio effecit, ut filius carneo uelamento contegeretur. Subitò quapropter prægnans beata uirgo Maria facta fuit. Et hoc eſt illud nouum, quod, dicente propheta, Dominus creauit ſuper terram. O ſtupendum & admirabile nouum, quòd mulier circumdedit uirum Deum & hominem. A ſeculo non eſt auditum, eſt'que mirabile in oculis noſtris, quòd mulier Deum, quem cœli capere non poſſunt, ſuo gremio claudit, & nihilominus tamen uirgo inuiolata permanet. Quòd ergo uerbum caro factum eſt, filius Dei factus eſt homo, ut homines filios Dei faceret, nullo quidem propriæ gloriæ detrimento factum fuit. Quod enim erat, permanſit: & quod non erat, aſſumpſit. ſuam namque naturam deſcenſu illo nihilo inferiorem reddidit. Idem enim ipſe eſt, & anni eius non deficiunt, imò nos meliores redditi ſumus. nam nos hoc modo qui in ignominia & in tenebris fuimus, ad ſupernam erexit gloriam. Hic non decet curioſè uelle rimari & diſquirerere, quo pacto ex Spiritu ſancto conceptus filius Dei: & quomodo qui eſt infinitus, cuncta'que continet, à muliere geſtatus ſit. Sufficit enim credere, Chriſtum filium Dei ex muliere factum: factum autem ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret; ut adoptionem filiorum reciperemus, dicente Apoſtolo. Quemadmodum itaque ſcriptum eſt, uidiſſe Dominum Deum afflictionem populi ſui in Aegypto, & per Pharaonem haud ineptè Satanas ipſe poteſt intelligi: certum erit, quòd hoc potiſſimùm tempore noſtram miſeriam atque calamitatem aſpexit Deus, quando miſit ſuum filium unigenitum, & eum uoluit incarnari, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam.

Hier. 31.

a Eſaiæ 7.

b Vide Auguſtin. ad Laurétium.

c Chryſ. in Matth.

Galat. 4.

Exod. 2.

d Pſalm. 134.

DOMINICA IVDICA EVANgelium, Ioan. cap. 8. Quis ex uobis.

CHriſtus Seruator noſter Hieroſolymis in templo, ubi oblationes ponebantur, Iudæis multa egregia dixit, quòd uidelicet à patre miſſus, in hunc ueniſſet mundum, ipſis potiſſimum in ſalutem. At repulſam paſſus, immeritò ac iniuſtè interficiendus eſſet ab eis, filijs proinde non Abrahæ, ſed diaboli ſceleratiſſimi homicidæ, atq; omnis mendacij patris. & dixit:

Quis ex uobis.] Hoc ſolus Chriſtus dicere potuit. Nam licet quemlibet iuſtum diſcu-

tias in hac uita, non tamen peccati expers erit, & mundus à ſorde. quamobrem Ioannes ſcri-
1 Ioan.1. bit: Si dixerimus quia peccatum non habemus,
a Philip.2. ſeducimus noſmetipſos, & ueritas in nobis non eſt. Oportebat enim Chriſtum eſſe ſine omni peccato, quoniam humani generis peccatum auferre uolebat, cum ei expiando neque oblatio,
b Deut 8. Hebr.10. neque hoſtia, aut ulla holocauſtomata ſufficerent, atque Deo placerent. Quare autem ab eis non ſit receptus, & doctrina ipſius exploſa, rationem hanc eſſe dicit, quia ex Deo non ſint. Qui enim ex Deo eſt, uerba Dei audit: quæ
c Matth.3. & noſtra regula uel amußis eſſe poteſt, num ex Chriſto ſimus, uel non. qui enim ex Chriſto ſunt, ſummo gaudia afficiuntur, quoties Chriſtum prædicari audiunt, eiuſq; laudes ſubuehi, animoq; uerè geſtiunt quæcunque ipſius capeſſere
d Gen.17 & 22. iuſſa. Hoc enim uerè eſt audire uerba Dei.

Reſponderunt Iudæi.] Licet Iudæi probè ſcirent, Dominum Ieſum Iudæum eſſe, & minime Samaritanum: tamen appellant eum Samaritanum, odio plus quàm Vatiniano perciti,
Samaritani. ut dici ſolet. Erant autem Samaritani gentiles, legem diuinam partim ſeruantes: unde uulgare apud Iudæos erat, malos, & eos quibus inuidebant, appellare Samaritanos. Dæmonium autem Chriſtum habere iudicabant, propter mirabilia quæ patrabat. ea enim magicis artibus imputabant, & non diuinæ uirtuti: nec aliter Chriſti doctrinam putabant, quàm arreptitij cuiuſdam.
1.Reg.18. Sciebant enim Saulem à Dæmonio arreptum
e Eſa.cap.9. propheteſſe, & aliquando ſecreta ſublimiaq; dixiſſe. Reſpondit Ieſus.] Ecce quàm manſuetè declinat iniuriam Chriſtus, ſe dæmonium habere negando: O` cæci & inſenſati Iudæi, qua-
Hiere.23. re non ſcrutamini ſcripturas? uidetis Hieremiam,
Ezech.34. Deut.18. Ezechielem, & in primis Moſen uobis hunc facundum & diſertißimum prophetam annunciaſſe, cuius mundißima & honeſtißima doctrina uiam aperit ad regnum Dauid ſempiternum.
f Leuit. 24. Quid miracula uos offendunt, cum ea ipſa ſint quæ uates ueſtri de Meßia prædixerunt: quis
Deut. 32. 1. Reg. 2. mortificat & uiuificat quàm Deus? dæmonis hæc non ſunt, cum omnium dæmonum uirtutem tranſcendant. Ergo in peccato ueſtro moriemini. Ego gloriam meam non quæro.] Gloriam patris ſui Chriſtus quæſiuit, quando homines docuit hanc eſſe uitam æternam, ut
Ioan.17. cognoſcant patrem ſolum eſſe Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum, cui quia non crediderunt Iu-
g Ioan.18. Ioſeph lib.4. & 7. dæi, iudicati ſunt, quum in uindictam mortis Chriſti deſtructa eſt ciuitas, & miſerè populus occubuit, teſte Ioſepho: Chriſto uerò ſic exaltato, ut nomen à patre acceperit quod ſupra omne nomen eſt, ſicut ait Paulus.[a] Amen dico uobis.] Loquitur Chriſtus de morte ſpirituali, quæ uitæ beatæ in uiſione Dei conſiſtenti opponitur. Sicut enim corpus corporali cibo nutritur & ſuſtentatur:[b] ita anima uerbo Dei, aduerſus inſultus dæmonum, donec Chriſto in æterna beatitudine incorporetur. Iudæi autē hoc non intelligentes, ualde ſcandalizati ſunt. Chriſtus uerò uera locutus pergit, ſi uel ipſum ut Meßiam cognoſcere uellent, ac inquit, ſe à patre glorificatum. quod equidem factum eſt, quando paterna uox dixit:[c] Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Hunc patrem non cognouerunt Iudæi, quia non receperunt filium eius, quem ipſe iureiurando Abrahæ pollicitus fuerat. ad quem idcirco redit Chriſtus,[d] quo magis illos erudiret, & ait.

Abraham pater ueſter.] Cum tentaſſet Abraham Deus, atq; is dicto obediens filium ſuū Iſaac immolare uoluiſſet, audiuit: Quia in ſemine tuo benedicentur omnes Gentes. Deſiderauit itaq; Abraham uidere diem Chriſti, & uidit hunc in ſpiritu: quia ueracem credens Deum, futurum ſaluatorem minimè dubitauit. Iudæi uerò ſolum naturam humanam conſiderantes, quid uerbis iſtis ſibi uellet Dominus Ieſus cogitare cœperunt, ac admirati ſunt. quod ut falſum & contra ſanam Scripturæ doctrinam erat, ita expreßius ſe illis inſinuat Chriſtus, & ait: Amen dico uobis.] Nunquid legiſtis Prophetam dicentē uobis: Paruulus natus eſt nobis,[e] & filius datus eſt nobis, & uocabitur nomen eius Deus fortis, &c. Idcirco in ueritate dico uobis, quia ego ſum uerus Deus, & non tantum homo, ante luciferum genitus à patre. Sum igitur antequam Abraham erat. Ego Deus ueſter, qui eduxi uos de terra Aegypti, et reducam captiuitatē ueſtram. Verùm hoc ſummam blaſphemiam arbitrantes Iudæi, tulerunt lapides ut interimerent eum, uerùm magis ob inuidiam quàm ex iuſticiæ zelo:[f] ſiquidē contrarius erat Ieſus operib. illorum. Blaſphemum lex iubebat cōuinci teſtibus coram iudice, & tandem extra ciuitatem lapidari, et non in loco ſancto. Porrò certū tempus Chriſti immolationis erat iuxta diuinā diſpoſitionē: eapropter Ieſus abſcondit ſe, uirtute diuina, & exiuit per medium illorum. Has autem atq; ſimiles iniurias ignominioſas, tulit pro nobis & noſtra ſalute Ieſus Chriſtus. Igitur credamus in eum:[g] & credentes, inquit Ioannes, habebimus uitam æternam in nomine ipſius.

DOMINICA PALMARVM Euangelium, Matt. 21. Cum appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymam, &c.

PRæceptũ erat [a] Iudæis, ut decimo die primi menſis, Niſan uidelicet, agnus ad ueſperam immolaretur, agnus abſque macula, per familias & domos omnium Iudæorum. Venit itaq; Ieſus hoc die Hieroſolymam, quo oſtenderet ſe eſſe agnũ illum immaculatum, [b] per quem auferenda mundi peccata. Fuerat enim agnus ille anniculus Iudæorum, figura Ieſu, quemadmodum id quod de Iona ſcribitur miſſo in uentrem ceti, [c] in quo delituit tribus diebus & tribus noctib. utq; per hoc clareſceret, quia non inuitus & coactè, ſed ſponte ſua pro humani generis ſalute mortem pateretur ab ipſis uatibus, [d] multis retrò ſeculis prænunciatam. Plurima autem turba.) Non certè ridiculum eſſe debet, nec leue, quod tanto honore & applauſu plebs Hebræa Ieſum excepit aſino inſidentem, [e] quẽ tamen prius dicebant malum & populi ſeductorem, quodq; Ieſus tantam impendi ſibi gloriã permiſit: q tamẽ, cũ ipſum rapere ac regẽ facere uolebãt, in montẽ ſolus fugit. Hæc enim omnia eò faciũt, ut uerus Meſſias oſtẽderetur eſſe, mundiq; Saluator. Quid enim aliud ſibi uoluerũt ramis [f] Iudæi, quàm Dominũ Ieſum eſſe uerũ animarũ medicũ? ſiquidẽ ex oliuis exprimitur oleũ, quo uulnera uncta leniũtur, & demum curãtur: quemadmodũ in illo homine uidere eſt, qui in latrones inciderat, Luc. 10. Sunt & oliuarum rami pacis ſignũ: unde columba illa à Noe emiſſa, oliuam portaſſe dicitur. Ipſum ergo Ieſum pacis authorem, miſſũ numq; eſſe ſignificauerunt: qualis profectò reuera erat, pacem faciens inter Deũ et hominẽ, [g] pacemq; ſummè ſuis obinde diſcipulis commendans. Cæterùm palmis naturam eſſe quidam ſcribunt, ut non cedãt oneri impoſito, imò aduerſum pondus ſurgãt: quare uictoribus tradere conſueuerunt ueteres, qui hoſtibus non ceſſiſſent. unde de his quoque qui hoſtem in certamine martyrij uicerunt, & in patria gaudent, ſcriptũ eſt: [h] Et palmæ in manibus eorum. Hinc certè uictoria qua erat Dominus moriendo mortem ſuperaturus, et crucis trophæo de diabolo mortis principe triumphaturus, hac ſolenni cæremonia Iudæorum ſignificata fuit. quod uerè factum eſt, quando Ieſus per mortem ſuam innocuam uictor à morte rediit ad uitam, & animas ab inferis redemit, dicentibus [i] Apoſtolo et Propheta. Oſanna.) Hoc unico uerbo licet ipſis pleriſque inſcijs confeſſi ſunt, uerùm iam Saluatorem adueniſſe. tantum enim hoc eſt dicere: Saluum fac obſecro qui habitas in altiſſimis. qualis ipſe profectò erat, & nemo alius, cui teſtimonium uel omnes perhibebant prophetæ. inſuper opera tam eximia atque euidẽtiſſima, eum ipſum eſſe, de quo toties ſuſpiraſſent ex intimis cordis patres affectibus, ac animis clamaſſent: Vtinam cœlum diſrumperes ac deſcenderes. quare ſæpius quoque Iudæi audierunt: Scrutamini Scripturas, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Et quo efficacius eſſet eorum de Domino Ieſu teſtimonium, ecce Dauidis oraculo diuino quidem utuntur, dicentes: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Quæ certè laus & bona imprecatio meritò Iudæos erigere deberet, quòd Ieſus noſter minimè ueniſſet ad deſtruendam legem, & quaſi Deo contrarius: quin potius ſecundum beneplacitum uoluntatis Dei, ut legem adimpleret, & omnia ea quæ ſcripta erant in Prophetis propter repromiſſionem. Demum ut Ioannes ſcribit, Ioann. 12. Iſrael regem appellarunt, non quidem cui tributum ſoluerent, ſed eum qui mentes hominum optimis inſtitutis ac legibus eſſet recturus: quemadmodum Dauid dixit, ſuo nimirum nomine, Pſal. 2. Ego autem conſtitutus ſum ab eo rex ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans ipſius præceptum. Quæ omnia eo tenacius memoriæ infigenda erunt, quo minus in fide in Chriſtum hallucinemur, ad dubitantes uel Ethnicos uel Iudæos ſuorum errorum cauſas habere iuſtas. Excipiamus igitur & nos illum noſtrum Saluatorem, non equidem eo modo quo Iudæi eum præconio exceperunt pariter ac ſalutarunt, quoniam hoc iam haudquaquam fieri poteſt: ſed in Spiritu; quod longè auguſtius eſſe poterit, quando mentis affectu concupiſcitur, ut non uiſibili humanitate, ſed ſpirituali cohabitatione in noſtris mentibus eſſe uelit. quemadmodum ipſe ait Ioan. 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionem apud ipſum faciemus. Certum eſt nos factos templa Spiritus ſancti uiua, in quibus Spiritus ſanctus habitare paratus ſit. Venit igitur, docente Auguſtino, ad nos, dum nos uenimus ad eum. Ipſe uenit ſubueniendo, ueniamus nos obediendo. Nec minus Chriſtus Deus noſter apud nos diuertit, quàm olim ad Iudæos Hieroſolymis ſeſe recepit, quando pauperum fratrum ac ſororum curam habemus. ait enim Matt. 25. Amen dico uobis, quamdiu feciſtis uni ex minimis meis,

mihi

a Exod. 12.
Eſai. 64.
Ioan. 5.
b Ioan. 1.
c Ionæ 3.
Pſalm. 117.
d Eſaiæ 53.
e Ioan. 7.
Ioan. 12.
f Ioan. 6.
g Epheſ. 2.
Ioan. 20.
h Apoca. 7.
2. Corin. 6.
i Pſalm. 97.
Epheſ. 4.

mihi feciſtis. Quibus & proinde dicturus eſt:
Matth.25. Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum
a Sepulchrum Domini. uobis regnum. quod etiam per Dauidem dudum
Pſal.40. commendari uoluit, dicentem: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

SANCTISSIMO PASCHATIS FEſto Euangelium, Marci 16. Cum tranſiſſet Sabbathum.

TEmporibus Oziæ, Ioathan & Ezechiæ, regum Iuda, Oſeas Spiritu ſancto repletus prophetare cœpit. Hic eo quòd Ezechias idola ſubuertiſſet, ſalutem domui Iuda annunciauit, ac
Oſeæ 6. dixit: Venite, reuertamur ad Dominum, quia ipſe
b 1.Corin.15. ſanabit nos, et uiuificabit poſt duos dies, & tertia
1.Theſ.4. die ſuſcitabit nos, & uiuemus in conſpectu eius. Hæc enimuerò prophetia hodierno die impleta fuit. nam Dominus Ieſus duobus diebus paſſionis & mortis, omnes ſua innocentiſſima morte uiuificauit, & ex ſepulchro uirtute propria mirabiliter reſurgens, omnes uerè ſuſcitauit, ut uiuere queant. quod Euangeliſta hic noſter deſcribens, ferè in hunc modum ediſſerit. Cum tranſiſſet ſabbathum.) Secundum conſuetudinem, ſanctæ mulieres quæ Dominum fuerant ſecutæ, ad monumentum uenientes, ungere uolebant corpus Ieſu, ut fragrans maneret, & ut incorruptũ illud ſeruarent, nihil diuini de eo adhuc ſentientes, nihil magni, ſed ut amorem ſuum ſaltem de-
Sabbati ſolennitas. clararent. Verùm quàm diu durauerat Sabbatum, non licebat aliquid emere. unde Sabbati ſolennitate terminata, emerunt aromata, ut mane corpus Ieſu ungerent. Ideoq; ſubditur: Et ualde mane.) Solennitas Paſchalis durabat ſeptem diebus, & omnes dies hebdomadæ illius uocabantur Sabbatum, erantq; omnes feſtiuæ: prima tamen & ſeptima erant celebriores intermedijs. Et uenerunt orto iam ſole, inquit: id eſt,
Luc.24. ad ortum appropinquante. Lucas enim dicit, diluculo: quod eſt, inter tenebras & diei claritatem.

Et dicebant.) Quaſi animo conſternatæ, loquuntur, & quibus ſpes omnis ablata introeundi ſepulchrum. Sed mox uident reuolutum la-
Matt.28. pidem, quod equidẽ (teſte Matthæo) angelus fecerat, nimirum ad manifeſtandam glorioſam re-
c Philip.2. ſurrectionem Ieſu Chriſti. Nam uoluit Dominus Ieſus, Deus & homo, diuinitatis & ueræ humanitatis ſigna oſtendere. Igitur ut homo crucifi-
d Matt.27. xus eſt, & ſepultus. At tenebræ ingruentes, terra commota, ſaxa diſrupta, mortui ſuſcitati, etiam angelorum miniſteria, oſtendunt filium Dei.

Viderunt ergo iuuenem.) Beda ſepulchrum Domini [a] ſecundũ omnem formam deſcribens, rotundũ fuiſſe ait, & de rupe exciſum, tantæ altitudinis ut homo rectus uix extenta manu culmen poſſet attingere. Introeuntes itaque mulieres illæ, uiderunt angelum aſſidentem ſepulchro, coopertum ſtola candida: qua ſignificatum eſt, Redemptorem noſtrum iam præſentis uitæ corruptionem tranſiſſe, perennemq; uitam adeptum, & noſtrum gaudium. Illa enim Domini reſurrectio, nos ad immortalitatem reduxit. Qui & dixit illis.) Quia caput ueſtrum ad gloriam reſurrexit, & uos uerè reſurgetis: quoniam primitiæ Chriſtus, tam in Spiritu quàm in carne. Filiũ ſuum Deus ſuſcitauit, corporis mortem ſubeuntem, ut hi qui ſunt eius, [b] qui in aduentum eius crediderunt, quoque reſurgant, unuſquiſque in ordine ſuo. Deinde paueant illi, qui non amant aduentum Domini, uel ſupernorum ciuium, in quibus permanet infidelitas. qui enim nõ credit, iam iudicatus eſt: qui que huius mundi illecebris preſſi, ad angelorum ſocietatem uix ſunt uenturi. Ieſum quæritis.) Saluatorem quæritis. Bene quidem. nam hic Ieſus, cui piè adhæſiſtis, cum uobiſcum uerſaretur, ſaluum fecit populum ſuum à peccatis eorum. moriendo ſiquidem, mortem deſtruxit, & uitam in ſe credentibus reuocauit. unde hic non eſt. Videte locum, quia nuſquam corpus eius apparet. Quapropter citò euntes, dicite diſcipulis eius, & Petro. Quare potiſſimùm Petro? quia Petrus exiuerat animo conſternatus. ſuum nanque Dominũ ac Saluatorẽ abiurans, in omnem miſeriam incidit. Vocatur itaque ex nomine, ne deſperet ex negatione. Niſi enim eum angelus nominatim accerſeret, qui poſſet ſuum Dominũ adire, quem iureiurando denegaſſet? Exemplum igitur omnibus peccatoribus eſt, ne de miſericordia Chriſti deſperent. Quid autem diſcipulis dicere debent? Quia præcedet uos in Galilæam. Rectè quidem. nam Galilæa tranſmigratio interpretatur: & iam Dominus Ieſus à paſſione ad reſurrectionem, à morte ad uitam, & à pœna ad gloriam tranſmigrauerat. Et ita certè manifeſtum factum fuit, quòd data eſſet ei omnis poteſtas tam in cœlo quàm in terra. tantusq; ipſe Dominus, ut rectè ſcripſerit Apoſtolus: [c] Quia in nomine eius omne genu flecti oporteat, cœleſtiũ, terreſtriũ ac infernorum. Et ubi ſunt modò qui dicebant ad Pilatũ: [d] Domine recordati ſumus, quia hic ſeductor dixit adhuc uiuens: Poſt tres dies reſurgam. iube ergo cuſtodiri ſepulchrum. Aut ergo ſepultũ nobis reddant,

bis reddant, aut nobiſcum adorent filium Dei Ieſum perfidi Iudæi, ac dicant, Quia uiuit Chriſtus Deus noſter.

IN OCTAVA PASCHAE Euangelium, Ioannis 20. Cum ſerò eſſet die illo.

QVòd Dominus noſter Ieſus ſe ſuis diſcipulis poſt reſurrectionem ſuam in multis argumentis uiuum præbuit, ut Lucas refert: [a] factū eſt, ad probandam carnis reſurrectionem ueram, quæ creditu ut difficilis, ita neceſſaria eſt omnibus. Verùm quòd ianuis clauſis ad ipſos diſcipulos ueniſſe ſcribitur: hoc non fecit nudus homo, ſed filius Dei, qui rerum naturæ non ſubiacet: quod & in cæteris quoq; miraculis patuit, quando [b] ambulauit ſuper mare ſiccis pedibus. Factum id quoq; eſt, quia poſt reſurrectionem ſuam corpus habuit glorificatum, cui nihil reſiſtere poteſt, quale & omnes habituri ſunt homines, dicente Apoſtolo: [c] Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Præclarè ſcribit Auguſtinus, ac inquit: Corpus uetuſtate mutatum reſurget, incorruptione atque immortalitate ueſtitum: quod etſi conteratur in puluerem, uel in aquas diſperſum ſit, omnipotentiæ tamen Dei non ſubtrahetur. Eſt igitur glorificatum corpus ſpirituale, ſubtile, & plenum abſq; omni occupatione: ut lux plena eſt, & non occupat. Et gauiſi ſunt uiſo Domino.) Sic enim dixerat illis: [d] Mundus gaudebit, uos autem contriſtabimini, ſed triſticia ueſtra uertetur in gaudium. Videbo uos, & gaudebit cor ueſtrum. Dixit præterea illis: Pax uobis.) Pacem affert, qui propter pacem uenit. Iterat, ut oſtendat per ſuū ſanguinem pacificata, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra, quemadmodum D. Apoſt. ſentit, quum ait: Chriſtus ueniens euangelizauit pacem uobis qui lōgè fuiſtis, & pacem ijs qui propè, &c. Nec aliam pacem Chriſti intelligimus quàm ſpiritum ipſius, cuius particeps ſi quis fuerit, repletur omni bono. de qua quidē Apoſtolus ſic ait: [e] Et pax Chriſti quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat ueſtra corda, ueſtraſq; intelligentias. Mundus quoque habet pacem, ſed ſimulatam: [f] ſicut Iudas cum Chriſto, [g] & Ioab cum Amaſa: ſed inquinatam in malo [h] quemadmodū Pilatus & Herodes. Vera igitur pax eſt, corporis et animæ ordinata uita, & obedientia in fide ſub æterna lege Dei immortalis. Cæterùm quòd oſtendit eis cicatrices, factū fuit, quo magis pateſceret gloria ex ſua morte cōſecuta. Et gauiſi ſunt, ut antea diximus, qui ingenti mœrore premebantur, pendere Ieſum de ligno ſciētes. ſed morte à uita Chriſto deſtructa, læticia extincta eſt Iudæorum, & gaudiū incepit diſcipulorū, mœrore abiecto. Gaudeamus et nos, quia Chriſtus ſemel peccato mortuus eſt, & iam uiuit Deo, & ſpirantibus nobis præbebit læticiā ſempiternā, Amen. Sicut me miſit uiuēs pater.) Ordinat diuinorū myſteriorū miniſtros ad illuſtrandū uniuerſum terrarū orbē. Et cū inquit, Sicut me miſit uiuēs pater: Apoſtolatus dignitatē oſtēdit, ſimulq; aperit magnitudinē poteſtatis. Pater enim miſerat eū ut operaretur ſalutē: ipſe uerò nihil uerbis à patre acceptis detraxit, quā certe uiā Apoſtolos in ſtudijs uitaq; ſequi oportebat, nimirū ut nō faciant uoluntatē propriā, ſed eius à quo eſſent miſsi, utq; ſummo ſtudio uocarent peccatores ad pœnitentiam. Bene itaq; ac piè, meo quidē iudicio, ſcribit ſanctus ille Gregorius: Grādis honor, ſed graue pondus iſtius eſt honoris, ut qui neſcit tenere moderamina uitæ ſuæ, iudex fiat alienæ. Quod equidem de Apoſtolorū ſucceſſoribus dixiſſe eū autumo, qui ut plurimùm fragiles eſſe conſpiciuntur, ita ſanè alijs facilè offendiculū præbent. quo rectius Chryſoſtomū dixiſſe reor: Si recta docet, nō uitæ, ſed uerbis eius intendere debes. Et eam ob rem ſancti uiri non temerè ſeſe huic tam prægrandi negocio ſubmiſerūt. ait enim Chryſoſtomus: Leuius mihi ſupplicium adfore puto, ſi accuſer cur & alios nō ſeruauerim: quàm ſi & me item unà cum illis perdidero. quod diligēter & accuratè perpendere deberent, qui quoſq; ſacris initiant, & illi hoc grauiſsimum nō ſubire & aggredi, ni prius probè perpendiſſent, qua ratione poſſent explicare. Accipite Spiritū ſanctum.) Chriſtus fuerat à patre Deo miſſus, ad docendam fidei ueritatem. Quia uerò rurſum ad patrem abiturus, mundum relinquere uolebat, hoc officij demandat ſuis diſcipulis. Quandoquidem autem hanc ueritatem publicare per totū mundū, excellentiſsimū negociū erat, ideoq; alios infirmos proprio ſanctificat ſpiritu atque corroborat. Et licet Spiritus ſanctus abundè eis collatus ſit hac die: tamen Pentecoſtes die expreſsiorem operationem gratiæ habitantis in eis ſpiritus oſtenderunt. in cuius argumentum, ſcribente Luca, apparuerunt linguæ diſpertitæ. Omnes enim gentes in unitatem fidei cōgregandæ erant. Thomas autem.) Permiſſum hoc eſt ex diſpoſitione, ut nos per exquiſitam fidem, ipſius carnem Chriſti quæ de cruce pependit in uitā reuocatā credamus, et nō apparitionem, ſpirituale corpus & aereum. Quare etiam Chriſtus

a Acto.1.
b Matt.4.
c 1.Corin.15.
D.Chryſoſt. de Sacerdotio.
d Ioann.16.
e Philip.4.
Vide Cyrillū.
f Matt.26.
g 2.Reg.20.
Acto.2.
h Lucæ 23.

Chriſtus in prima figura tangi & uideri uoluit,
Galat.4. *& non in ſui gloria cerni, ne aliud corpus quàm*
Philip.2. *quod de uirgine aſſumpſit, putarent reſurrexiſſe,*
& quod crucifixum & mortuum fuit. Hinc ta-
men nō putandum eſt, ullas corruptionis reliqui-
as, ulla ſigna poſt reſurrectionem in hominibus
futura, ſed reſurrecturos in gloria, qua coram A-
a Ioan.4. *poſtolis in mōte transfiguratus eſt, reſplendente*
Matt.17. *facie ſua inſtar ſolis. Oportuit autem Chriſtum*
reſurgere. quomodo enim mors uicta fuiſſet, ſi
Chriſtus non reſurrexiſſet? ſi mortuum ipſius
corpus non comparuiſſet rurſum? Aut ubi mortis
imperium retruſum eſt, ſi idipſum quod morte ce-
Oseæ13. *cidit, non reuixit? Hæc diuina fuit diſpoſitio, ut*
Thomas tardè crederet, quò nos in fide ſolidaret.

Et poſt dies octo.) *Interuallo Chriſtus*
apparebat diſcipulis, & non conuerſabatur cum
eis continuè ut ante paſſionem, quo oſtenderet ſe
ſurrexiſſe ad uitam ab hominibus huius uitæ ſe-
paratam, hoc eſt immortalem, & ineffabilis glo-
b Ezec.34. *riæ, quæ oculis hominum cerni non poteſt. Et di-*
xit Chriſtus Thomæ: Infer digitum tuum huc, ne
dubites, ne ſis obſtinatus, inquire et explora, quia
uerè ſum tuus Chriſtus. Et ipſe uidit, & palpauit
latus Saluatoris, & ictum lanceæ, & curioſius
pertractans illa, & clauorum fixuras, inquit:
Dominus meus, & Deus meus.) *Ecce*
animus Thomæ ilico ab omni ambiguitate libe-
ratus confirmatur, conſiderans ipſum eſſe uero
c Hebr.13. *corpore quod cecidiſſet: quoniam nullo pacto*
uulnera ei inerunt, qui nullo modo corporeus eſt,
ut Dominum & Dei uerum filium appellat. Sed
quid audit? Thoma, quia.) *Non ignora-*
d 1.Petr.5. *uit Dominus, futuros nōnullos qui reſurrectionē*
mortuorum non faterentur ac credituri eſſent,
niſi cum Thoma uiderent atque palparent. hunc
ergo lapſum depellit Chriſtus, ac dicit: Beati om-
nes illi erūt, qui me in carne non uiderunt, credi-
derunt tamen propter Apoſtolorum prædicatio-
nem, qui me uiderunt operari miracula, & ſermo
nis mei fuerunt miniſtri. in hoc commendans fi-
dem gentium, & ad credendum eorum prom-
ptitudinem. In hoc ſtat conſolatio noſtra, qui non
uidimus, ſed credimus tamen, idq; ex doctrina
ſcripturisq;, ſanctorum Apoſtolorum ad nos ſuc-
e Act. 20. *ceſſione legitima deriuatis.*

DOMINICA MISERICOR- dia Domini Euangelium, Ioan.10.

Ego ſum paſtor bonus.

SEruator noſter Ieſus Chriſtus, ut pro ſua er-
ga homines clementia, ex qua ſemetipſum
f 1.Petri 5. *exinaniuit, formā ſerui accipiens, ut homines fa-*
ceret deos, facilius eos ad ſe ueram ſalutem quæ
ipſe erat alliceret: uſus eſt ſæpenumero metapho-
ris, alijsq; obſcuris ſermonibus. Sic dixit ſe eſſe pa
nem uiuum, ex quo quiſquis manducauerit, mortē
non guſtaturum. Ioan.6. Sic ait: Qui biberit ex
aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalien
tis in uitam æternam. Et iam eodem modo dicit
ſe eſſe paſtorem bonum: quo ſanè indicare uoluit,
quam ſiniſtrè Scripturā ſacram Scribæ ac Pha-
riſæi intelligerent: quoniam ſi exactius eam ex-
quiſiſſent, ſcirent utique quid Ezech. propheta
olim dixiſſet, Deum & Meſchiam ipſis oſtendēs:
Ecce ego ipſe requirā oues meas, et uiſitabo eas,
atque liberabo. Quod igitur dicit Ieſus, Ego ſum
paſtor bonus, perinde eſt ac ſi diceret: Ego ſum,
ne dubitetis, ille paſtor bonus, in medio ouium diſ
ſipatarum. Fuerunt & alij boni paſtores, ut Pro-
phetæ ueſtri, et ante illos Abraham, Moſes, & ſi
qui fuerunt alij, qui & ipſi fideliter paſcebant gre
gem: ſed mihi nequaquam ſimiles. Ego enim non
tantū paſco oues meas in paſcuis uberrimis, [b] *ue-*
rumetiam defendo eas fortiter, ut ne quiſquam ra
piat eas de manu mea. Educo item oues meas è te-
nebris uitiorum in æternam ſaturitatem: & quod
omnium maximum eſt, à nullo aliàs præſtitum,
pono ego animam meam pro ouibus meis. En mo
rior ut ipſæ à morte liberatæ, uitam & lætitiam
habeant ſempiternam. Quiſquis igitur Chriſti
oues paſcendas ſuſcepit, quemadmodum illi fe-
cerunt de quibus Apoſtolus ſcribit dicens: [c] *O-*
bedite præpoſitis ueſtris, ipſi enim uigilant pro uo
bis, olim rationem reddituri: diligenter attendat
boni paſtoris officiū, ut iuxta [d] *Petri ſolidam at-*
que inſignem doctrinam, paſcant gregem ſibi cō-
miſſum, non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundū Deū:
neque turpis lucri gratia, ſed uoluntariè: neque ut
dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex a-
nimo. Subiūgit enim Chriſtus, ac dicit: Mer-
cenarius autem.) *Enimuerò mercenarij pa-*
ſtores ſunt, qui inhiant ſaltē rei temporali, ac pri-
uato commodo. quibus proinde dicitur: Væ uobis
paſtoribus qui paſcitis uoſmetipſos, rem ouium
mearum omnino negligentes. quod & diuum A-
poſtolum olim commouebat, ut ad ſuos, quos o-
uium Chriſti conſecraſſet paſtores, diceret: At-
tendite [e] *uobis & uniuerſo gregi, in quo uos Spiri*
tus ſanctus poſuit epiſcopos, regere eccleſiā Dei,
quam acquiſiuit ſanguine ſuo: ſolum uobis curæ
ſit, oues Chriſti precioſoq; ſanguine redemptas cu-
ſtodire ac conſeruare. Vidit lupum ue-
nientem.) *Non ſolùm Satanas lupus eſt diſſi-*
pans oues Chriſti [f], *dum eas ad peccādum inducit*

ſua peſtifera perſuaſione: ſed & illi de quibus dicitur, [a] Principes in medio eius quaſi lupi rapientes prædam. Item hæretici, ac omnes qui falſa doctrina Chriſto oues abripiunt ac dilacerant, de quibus diuus Paulus ſuos fideliſſimè præmonuit, ac dixit: [b] Scio poſt diſceſſum meum, quoniam intrabunt lupi rapaces in uos, non parcentes gregi: Et ex uobis ipſis exurgent uiri loquentes peruerſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe. Quando autem eiuſmodi lupi gregem inuadunt, ait Ieſus, fugit mercenarius, quia mercenarius eſt: non animas ouium quærens, ſed lac & lanam. [c] Fugit autem, quia tacet, nec reſiſtit, & mala non arguit, opponens ſe murum pro domo Dei, quam fugere dicitur, quia timor eſt fuga animi. Ergo mercenarij non fuerunt, ſed ueri paſtores, ſancti prophetæ, Ioannes baptiſta, Apoſtoli, & multi eorum ſucceſſores, quando uſq; adeò non fugerunt, quin etiam mortem ultrò ſubirent. Cæterùm quid fit fugientibus tam ignominioſè mercenarijs? inquit Chriſtus: Lupus rapit & diſpergit oues. Idem & Propheta dixerat. Rurſum itaque palàm dicit: Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas. quibus ſanè uerbis oſtendit, ueri paſtoris ſignum eſſe cognitionem mutuam, paſtoris uidelicet & ouium, quæ quidem cognitio prouenit ex frequenti & ſollicita uiſitatione paſtoris, quia ſic explorat ſingulas conditiones ouium. Vnde concilium Cabilionenſe ſtatuerat, [d] ut ſingulis annis quæque Eccleſiæ uiſitarentur, uel quoties opus fuerat, quando peragrandæ parochiæ neceſſitas incubuiſſet: unde quoque fieri poteſt, ut ſimiliter oues ex frequenti imaginatione ipſum paſtorem attendant. Cognoſcit autem Chriſtus oues ſuas: nouit enim qui ſui ſint, pro quibus ipſe paſtor ſuam impendit uitam. Hi ſolùm ſunt oues Chriſti, quos ipſe nouit noticia approbationis, quibus proinde dicturus eſt: [e] Venite benedicti patris mei, &c. **Et alias oues habeo.**] Quaſi diceret: Ego neſcio uos. ipſi enim me neſcitis & reijcitis. habeo igitur alias oues, quæ non ſunt de ſtirpe Abraham, in quo multum gloriari ſoletis, & illas me oportet adducere. [f] Abrahæ factæ ſunt repromiſſiones, quod ſemen ſuum ultra omnem numerum eſſet multiplicandũ. In hoc ueni, in hoc miſit me pater: at uos neq; me neq; patrem ſcitis. balatis quidẽ inter oues meas, dicentes: [g] Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius: cum tamen nil ſitis quàm hirci putidi. Quia igitur non uultis oues meæ eſſe, ad fidem Prophetarum & Patriarcharum alij uenient, qui non uſq; adeò inobedientes, imò uocem meam audient, hoc eſt obediẽt Euangelio, facturi quæ præcipio eis: quib. certè uerbis omnes gentes expreſſit, quas uidit adducendas per Apoſtolorum ſuorum prædicationem. **Et erit unum ouile.**] Hoc eſt, docente Cyrillo, una Eccleſia credentium: non Iudæus, non Græcus, ſed unum omnes in me, & unus paſtor omnium ego Chriſtus. Vt igitur doctrinæ ſpargantur, una tamen tantummodo fides eſt, per quam fiunt ſalui omnes homines, ſicq; unus paſtor eſt, utcunq; multi paſtores ſe eſſe profiteantur. Humaniſſimè id quidẽ tractatur ab Auguſtino in libro De ouibus, ibi nimirum & oues & paſtores ſui admonet officij. quoniam ait Deus: Ecce ego iudico inter ouem & ouem, inter hircos et arietes. Sit ergo una illa noſtra ſolicitudo quæ nobis imponitur, audire ſcilicet uocem ueri paſtoris Ieſu Chriſti.

a Ezec.22.

b Actor.20.

c Fugiſti, quia tacuiſti. Gregorius.

d Viſitatio Eccleſiarum.

e Matth.25.

f Gen.17.& 22.

g Pſal.49.

DOMINICA IVBILATE Euangelium, Ioan.16. Modicum & iam non uidebitis me, & iterum modicum, &c.

CVm Dominus Ieſus ex hoc mũdo ſe ad patrẽ iturũ ſciret, nec eſſet ignarus quàm ex ſuo diſceſſu diſcipuli futuri eſſent mœſti, utpote quẽ ſupra quàm dici poſſit diligebant, eo quòd miræ manſuetudinis et magnæ clementiæ eſſet, nec non ſanctimonia uitæ ſumma polleret: nihil æquè ſtuduit, atq; facere ut bene ferrent quæ fieri omnino oportebat. Meminit igitur Chriſtus ſic ſuæ apud illos ambitionis, ut interim eoſdẽ de ſua reuerſione cõſoletur, ac tantum eſt dicere: Diſcipuli mei, reuera chari ac intimi mei, fortem animũ aſſumite aduerſus tempeſtatẽ imminentẽ. breue tempus eſt quòd orbabimini cõſpectu meo. Rurſus reddar oculis ueſtris poſtquã morte deuicta ſurrexero: uidebitis enim me uiuũ, & gaudebit cor ueſtrũ: mox ad patrem regreſſus, largiturus ſum uobis maiora atq; excellentiſſima. & dixerunt illi: **Quid eſt hoc?**] Chriſtus ſæpiſſimè obſcura locutus eſt, quo diſcipulorũ ſuorũ animos excitaret. Porrò quoniã hic interrogant inuicẽ, illi hoc ſanè docẽt, de obſcuris et tamẽ cognitu utilibus interrogandũ eſſe, ne qs temerè de his iudicet pronuncietq;. quod etiam à Domino præceptũ fuit, dicente: Interroga patrẽ tuũ, et annunciabit tibi: ſeniores tuos, & dicent tibi. Quod quia à multis neglectũ eſt, factũ uidemus ut iuxta Prophetã in ſua ſapientia ſint perditi, & tandẽ à fide alienati: cuius licet ſe illuſtratores iactarent, ſicut Arius, Ebion, Cherinthus, & Pelagius. Beatus Petrus de Paulinis locuturus epiſtolis: Chariſſimus, inquit, frater noſter Paulus ſecundũ datã ſibi ſapientiã ſcripſit quædã difficilia intellectu, quæ indocti et inſtabi-

Deut.32.
Hiere.8.

1.Pet.3.

les deprauant, ſicut et cæteras Scripturas, ad ſuam
ipſorum perditionẽ. Hæc utinam perciperent cor
de importuni diſputatores, ne Dei profunda in nõ
exiguã ſuam perniciẽ curioſius perſcrutarentur.
Hiere.17. Amen dico uobis.] Ait propheta: Prauum
a Rom.5. eſt cor hominis & inſcrutabile: quis cognoſcet il-
lud? Ego Dominus ſcrutans cogitationes, & exa-
minans affectiones. Cum igitur uerus ſit Deus
Chriſtus, cognouit quòd animis uoluebant diſcipu
li, & ait: Sic res ſeſe habebit, quòd uos me occiſo
plorabitis: inimici aũt mei gaudebũt, quaſi penitus
extinxerint me, meamq; fidem. At rurſum appa-
rebo uobis, et ſummo gaudio afficiet uos hic meus
b Sapien.5. cõſpectus. His aũt uerbis diſcernit Chriſtus diſci
pulos ſuos à mundo, id eſt, hominib. uitijs deditis,
& uirtutes odio habentibus. Nec inepte hinc col-
ligi poteſt, diſcipulos Chriſti ſemper fore tribulã-
Iob 7. dos, præter id quod dicitur: Militia eſt uita homi-
nis ſuper terram. Omnem hominẽ oſtendens nihil
prorſus gaudij habere, ſed omnia in hoc mũdo eſſe
c Rom.8. mœroris & doloris plena, ita ut ueriſſimè dixerit
Iob 14. Iob: Homo natus de muliere, breui uiuens tempo-
Eccleſiaſt. 1. & 2. re repletur multis miſerijs. Et Eccleſiaſtes: Vni-
uerſa uanitas et afflictio ſpiritus, cuncti dies homi
nis dolorib. et ærumnis pleni ſunt, nec per noctẽ
mente requieſcit. Quæ quidẽ uerba ſi latius inda-
gare libet, profectò non niſi ueriſſima inueneris.
d Actor.4. Non'ne multa cautela cuſtoditur ſalus corporis
e Marci 1. quæ in dubio ſemper eſt, et amiſſa cum graui labo
In Iobum. re reparatur: dicẽte Gregorio. Non'ne animus di-
uerſis fatigatur cogitationib. dum quandoq; labo-
rat cognoſcere, quod homini nõ cõceditur? Quã-
in Prolog. libri 7. obrẽ Ethnicos dixiſſe Plinius ſcribit: Bonum eſſe
f Lucæ 16. hominẽ nõ naſci, uel quàm ocyſſimè mori. Præter
illã aũt omniũ hominũ miſeriã, diximus peculiarẽ
diſcipulos Chriſti manere, nempe perſecutionẽ ab
Ioan.16. impijs propter ueritatẽ, dicẽte Chriſto: In mundo
g Sapien.5. preſſurã habebitis, in me uerò pacem. Nemo itaq;
exiſtimet ſe à Domino odio haberi, quũ in uarias
inciderit tentationes, imò exiſtimet hanc eſſe uerã
2. Tim.3. uiam ad ſalutem æternam. Sic enim Apoſtolus in-
quit: Omnes qui piè uolũt uiuere in Chriſto, perſe-
Hebr.12. cutionẽ patiẽtur. Curramus itaq;, ut idem monet,
ad propoſitũ nobis certamẽ, aſpiciẽtes in authorẽ
fidei et cõſummatorẽ Ieſum, qui propoſito ſibi gau
dio ſuſtinuit crucẽ. Mulier cum parit.]
Vnde tantus mulierũ in partu dolor, Gen. cap.3.
habemus, ubi Deus mulieri Euæ dixit: Multiplica
bo ærumnas tuas, et conceptus tuos: In dolore pa-
ries filios, &c. Si enim mulier innocentiã ſuã ſer-
uaſſet, in qua erat ad ſimilitudinẽ Dei facta, habẽs
de rebus rectum iudiciũ, amorẽ & obedientiã er
ga Deum, procreaſſet quidem liberos ex commix
tione, at ſine concupiſcentia, ſine item dolore, do-
nec cum uniuerſa poſteritate ſua ad meliorem ſta
tum, ubi cœleſti et æterno bono ſibi parato frue-
retur, fuiſſet tranſlata.[a] Iam uerò dicitur: Per unũ
hominem peccatum in hunc mundum intrauit, &
per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors
pertranſijt. Hinc ergo illæ lachrymæ. Et uos
quidem.] Adaptat ſimilitudinem illam Chri-
ſtus, et ut clementiſſimus Dominus cõſolatur ſuos
Apoſtolos ne deficiant: quoniam quicquid hoc ſit
triſticiæ & tribulationis, alibi uertetur in gaudiũ.
Maximè uerò iſthæc conſideranda ſunt, quando-
quidem ubiq; nobis acclamat mundus:[b] Exiguum
eſt tempus uitæ noſtræ, nõ eſt refrigerium in fine
hominis. Venite ergo fruamur bonis, cõſtituendo
ibi finem noſtrum, uino precioſo et unguentis nos
impleamus. Hic oportet diligentiſſimè ut attenda-
mus, quàm maximum & incomparabile gaudium,
firmũ, ſimulq; æternale Deus daturus ſit pro mo-
dica illa triſticia. ita enim Apoſtol' ait:[c] Exiſtimo
quòd nõ ſunt condignæ paſſiones ad futuram glo-
riam quæ reuelabitur, quam præparauit Deus his
qui diligunt eum. Magnam et ſempiternã læticiam
habebunt electi, & fulgebunt (ait Auguſtinus) iu
ſti in regno patris ſicut Sol. magna claritas illorũ,
quando claritatem ſolis habebit lux corporũ. Ab-
eant itaq; mundi huius amatores, lætentur licet, et
in delicijs uiuant:[d] nos planè quos ſpiritus regit
diuinus, cum beatis Apoſtolis flere malumus,[e] &
cum Ioanne baptiſta in deſerto uiuere, quàm illorũ
bonis frui: memores quantis in tormẽtis cruciatur
diues ille epulo, qui fruſtra toties clamat,[f] Pater
Abraham miſerere mei. Idem omnibus euenturũ
dicit ſcriptura impijs, quando illi dicturi ſunt: Heu
quid nobis profuit ſuperbia noſtra, aut diuitiarũ
iactantia? tranſierunt illa tanquam umbra, & nun
cius præcurrens.[g] Habebunt & ij uitam æternã,
inquit Auguſtinus, ſed cruciatib. plenam: iuſti aũt
in perpetuũ uiuent. hoc eſt, habebunt iucunditatẽ
infinitam, ſempiternamq; beatitudinem: quam qui
ſemel adipiſcitur, ſemper tenet, dicẽte Domino: Et
gaudium ueſtrum nemo tollet à uobis.

DOMINICA CANTATE EVANgelium, Ioan.16. Vado ad eum qui me miſit.

POſtquã Dominus noſter Ieſus Chriſtus in
ultima ſua cœna ſuis diſcipulis prædixit, quã
eſſent paſſuri perſecutionem, nimirum ut abſq; ſy-
nagogis fierent: item horam eam uenturam, ut om
nis qui eos trucidaret, arbitraretur ſe obſequium
Deo ipſi præſtare: mox eiſdem quoq; ſuam ex hoc
mundo

mundo abitionem denunciat. Iam enim peractum erat officiũ prædicationis ſuæ, quod à Deo ut uerus Meſſias[a] et promiſſum ſemẽ Abrahæ acceperat, cui ob magnam in Deum fidem iureiurandò erat promiſſum, fore ut ſemen benedictũ ex ipſius ſtirpe orireur omnib. gentibus.[b] Quando igitur uenit plenitudo temporis ſacri, miſſus fuit hic noſter Chriſtus ab arce patris, orbis conditor, atque uentre uirginali caro factꝰ prodijt. Et ipſe unctus diuino ſpiritu prædicauit indulgentiã, annum Domini placabilem. & hoc expleto, reuerſus eſt unde uenerat. Inquit ergo: Vado ad eum qui me miſit.] In quæſtionem autem uenit, cum dixerit Chriſtus tanquam uerus filius Dei,[c] Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, et ego reficiam uos: nunc quomodo dicat, ſe abiturum ad patrem? Qui intelligunt, quo pacto dixerit Chriſtus ſe à patre exiuiſſe, nimirum ut Hilarius docet, qui uenit per incarnationem, rurſum abiuit uiſibili forma aſcendens in altum, uidentibus Apoſtolis, & hoc dicit, Vado ad eum qui me miſit. Et cur promiſerit alium paracletum, & ipſum nõ uenturum niſi ſe recepto in cœlum. At facilis erit credenti huius quæſtionis diſſolutio. Etſi enim una eſſentia, unaq; Deitas ſit, & una operatio: Scriptura tamen uni perſonæ tribuit quod non alteri, nempe perſonas diſcernens. ſic patri authoritas adſcribitur, quia principium, unde filius & ſpiritus ſanctus ab æterno ſunt, ita ut tres ſint qui teſtimoniũ dant, Pater Filius et Spiritus ſanctus.[d] Et ſicut patri authoritas, ita filio redemptio attribuitur, quoniam ipſe ſolus humanitatem aſſumpſit. Sic quoq; Spiritui ſancto iuſtificatio, peccatorum remiſſio, & interna animi cõſolatio, quũ ipſe ſit donũ patris et filij, dicẽte Chriſto:[e] Si qs diligit me, ſermonẽ meũ ſeruabit, & ad eum ueniemus, et manſionem apud ipſum faciemus. Deinde præſentia filij nequaquã impediuit præſentiam Spiritus ſancti: ſed tale erat decretum, ut filio Dei in mundo præſente, ſpiritus ſe non manifeſtaret, tanquam cum patre manens, ut plenitudo ſpiritus nõ eſſet uiſibiliter præſtanda, niſi facta plena reſtauratione, quæ certè conſummata fuit per Domini aſcenſionẽ. et hoc eſt quod Dominus ait: Expedit uobis ut ego uadam. Erant diſcipuli nimium triſtes, quoniam ipſum unice amabant, ſicq; timebant ſe omni bono deſtitui. Cuius haud ignarus ipſe pius eorum Dominus & magiſter Chriſtus, hunc eximit ex illorum mentibus pauorem, & excutit illis omnem de malo futuro timorem, ſic dicens: Et cum uenerit ille.] Chriſtus ut ſatis ſuperq; Dei patris mandata docuit, ita quoq; ſcelera peccatorum arguebat uehementer, & ſubinde. At plenius et euidentius hoc fecit paracletus. In Chriſto enim uidebant, quod utcunque offendere poterat ipſos: uidelicet [a Gen. 17. & 22.] quòd more aliorum laſſus reddebatur, ſitim patiebatur et eſuriem, habebatq; conuerſationem cum peccatoribus. [b Galat. 4.] Verùm perfectis omnibus quæ ad carnis diſpoſitionem pertinebant, cum homines audiuerunt ipſum, quem mortuum putabant, reuixiſſe, & in cœlos ſublatum, Apoſtolos intrepidè loqui & cum fiducia: uirtutes item admirandas emicare ad nomen Chriſti inuocatum: nihil planè [Actor. 3.] poterat reliquum eſſe excuſationis incredulis. De quo autem arguet mundũ ſpiritus paracletus per Apoſtolos? ait ille: De peccato.] Scilicet [c Matth. 11.] infidelitatis, quod cætera peccata omnia complectitur: quo manente, cætera omnia detinentur: et hoc diſcedente, cætera dimittũtur. Sine fide enim, ait Apoſtolus, impoſſibile eſt placere Deo. [Hebr. 11.] Et fides fundamentũ eſt ſalutis humanæ, dicẽte Chriſto: Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitũ ſuum [Ioan. 3.] daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Oſtenſurum igitur ſpiritum dicit Chriſtus mundum damnabilem, quia ſaluatorem ſuum reiecerit, licet uidiſſet omnia Prophetarum oracula cum euentis conuenire. Et de iuſticia.] Humana uidelicet & falſa, quam illi ſibi eſſe gloriantur ex operibus legis, & maiorum conſtitutionibus, quæ uidentur quidem ſpeciẽ habere iuſticiæ ueræ. [d Auguſt. contra ſermonem Arianorum.] Enimuerò homines plurimùm in ſua confidebant opera, & ita ueram iuſticiam Ieſum Chriſtum reiecerunt. [Galat. 3.] Vnde ſancti Apoſtoli dixerunt palàm, [Chryſoſt.] non datam legem ut ex illa eſſet iuſtificatio: ſed ut oſtenderet hominũ peccata, & ut ægroti medicum uerum quærerent: id eſt remiſſionem peccatorum, apud illum qui traditus [e Ioan. 14.] eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. ſic lex quidem non omnino inutilis fuit, dum mediocrem docuit uirtutem, & quærere ueram iuſticiam, hoc eſt, filium Dei: ut ex fide iuſtificaremur per gratiam Dei, & per redemptionem factam in ſanguine Chriſti Ieſu. Demum ſpiritus ille, inquit Chriſtus, arguet mundum de Iudicio.] Contempto ſcilicet, quaſi Chriſtus iudicandi et condemnandi copiam atq; poteſtatem non habeat. Iudicium nullũ Chriſto tribuebant Iudæi, nimirum purum hominem ipſum eſſe credentes. quare etiã dicebant: Non'ne hic eſt fabri filius? [Matth. 13.] de eo reprehenderunt Apoſtoli eos, quoniam paſſim è templis dæmones eijciebantur ad nomen Ieſu, & corpora obſeſſa relinquebant. Poſſunt & hæc uerba de iudicio futuro dicta eſſe, & generali, in quo ſicut iã princeps huius [Cyprian.]

mundi iudicatus eſt, id eſt, diuina ſententia condẽ-
natus: ita condemnabuntur omnes Chriſti incre-
duli, qui ſequi eum malunt in mortem æternam,
quàm Chriſtum omnis innocentiæ & uitæ autho-
1. Pet. 2. rem. quod equidem manifeſtè Petrus oſtendit his
uerbis: Si Deus, inquit, angelis peccantibus nõ pe
percit, ſed in tartarum tradidit cruciandos: nouit
pios de tentatione eripere, iniquos uerò in diem iu
a Rom. 8. dicij reſeruare cruciandos. Adhuc multa.]
b Actor. 17. Multa profunda, & ultrà quàm humanus animus
ferre poteſt, eos habituros pollicetur congruo tẽ-
pore à paracleto: propterea non eſſe cur diffidant
ait, quoniam congruo tempore ea omnia ſint acce
pturi à paracleto, quem dicit ſpiritum ueritatis eſ-
c Eſa. 9. ſe. Vbi rurſum diuinum decretum eſſe arcanumq́;
conſilium oſtendit, ut quandiu ipſe in mundo præ-
d Pſal. 2. ſens ſit, ſpiritum paracletum mundo non manife-
ſtum fieri, ſed poſt ſuum diſceſſum mundi doctorẽ
ſpiritum fore excellentiſſimum: ubi ſanè tenendũ
erit, Spiritum ſanctum ut doctorem, omnia neceſ-
Matth. 13. ſaria ad ſalutem docuiſſe. Quòd ergo hæreſes o-
riuntur, ſchiſmata, horrendiq́; abuſus, nemo iuſtè
e Matth. 3. illi imputabit, ſed negligentiæ eorum quos ipſe po
ſuit epiſcopos regere Eccleſiam Chriſti: uerſutiæ
quoq́; & malitiæ diaboli, qui ſolutus eſt, ut ſedu-
f Chryſoſt. de orando Deũ. cat uniuerſum orbem. Ille me clarifica-
bit.] Oſtendet enim, quis ego natura ſim, quan-
ta ſit mea uirtus atq́; poteſtas: & uobis annunciãs
efficiet, ut uniuerſus mundus confiteatur, me eſſe
in gloria patris mei.

DOMINICA VOCEM IOCVNditatis Euangelium, Ioan. 16.

g Pſal. 120. Amen dico uobis, &c.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus, ipſe pius
pater noſter, à filijs abiturus, quæq́; opti-
ma diſpoſuit ad ſalutem noſtram ſummè neceſſa-
ria. Et quàm propenſus ſit apud patrem ſuum me-
diator & aduocatus futurus (ſicut Paulus inquit:
1. Tim. 2. Vnus Deus, unus mediator Dei & hominum eſt
homo Chriſtus, ad noſtram omnium ſalutem) uel
hinc inter cætera facilè dinoſcitur, quòd patrem
orare nos iubet in nomine ſuo, dicens: Amen
h 1. Ioan. 2. amen.] Humana infirmitas tanta eſt, & adeò
per ſe quidem nihil poteſt, ut etiam inſufficientes
i Hebr. 4. ſimus aliquid ex nobis, tanquam ex nobis cogita-
1. Cor. 3. re, ſicut ſcripſit Apoſtolus. Quam ſanè infirmita-
tem nobis fecit lapſus Adæ, qui Deo inobediens,
gloriam & honorem ſuum amiſit, & uitam æter-
nam morte commutauit. Idcirco & nos, et omnia
quibus opus eſt nobis ſiue ad corporis ſiue ad ani-
mæ ſalutem, Deus elargitur atq́; conſeruat. Solus ipſe uitæ ac mortis noſtræ poteſtatẽ habet, in nobis operans uelle & perficere pro bona uoluntate ſua. In bona enim cogitatiõe ipſe operatur, quoniam in nobis manet ad bonum infirmitas, & ad malum inclinatio. Ipſius igitur gratia præueniens facit, ut principium boni operis ex parte noſtra ſit. Hinc quælibet re indigentes, ad creaturam nullam [a] quæ uanitati ſubiecta eſt, ſed ad Deũ ipſum confugere debemus, [b] in quo abſq́; dubio uiuimus, mouemur & ſumus. Et huc tendit Chriſtus, cum diſcipulos conſolatur, & ait: Amen dico uobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Patrem intelligit Deum, quoniam uerus filius Dei erat, Scriptura teſtãte: [c] Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & uocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, &c. Et alio loco ait Dominus ad eũ: [d] Tu es filius meus, ego genui te. Quæ ſcripturæ, utcunq́; detorqueantur à Iudæis: uerum tamẽ filium Dei Meſchiã oſtendũt, qualis eſt noſter Ieſus Chriſtus. Quin potius teſtatus eſt Deus, hunc Ieſum ſuum eſſe filium, cum è cœlo dixit: [e] Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Hinc quoq́; conſtat, magna arma eſſe orationem, ſi cum integra mente fiat. Et ut agnoſcas eius uirtutẽ (inquit Chryſoſtomus) audi quid dixerit iudex iniquitatis, nullis quando potuit flecti precibus: [f] et quod uidua illa amicitia promereri non potuit, promeruit aſſidua oratione.

Petieritis patrem.] Hoc eſt, Deum uerũ, regem cœlorum, qui ſolus bonus & perfectus eſt, à quo dimanat omne datum optimum, & omne donum perfectum. quod ut Dauid ipſe optimè cognouit, ita profectò dixit: [g] Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis. Et iterum: Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlũ et terram. Et licet, Chriſto dicente, pater ille ſuus noſterq́; ſciat quid opus nobis ſit, antequam petamus: adhuc tamen uult rogari, nimirum (ut Chryſoſtomus inquit) quo humilieris, & eius maieſtatem agnoſcas, utq́; peccatorum tuorum ſæpe recorderis. Vult autem Ieſus ut in nomine ſuo petamus, quia ipſe dedit ſemetipſum pro omnibus redemptionem, mediator ipſe uerus Dei & hominum, quemadmodum ſancti de eo ſcripſerunt Apoſtoli, dicentes: [h] Filioli mei, hæc ſcribo uobis ut non peccetis: ſed ſi quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrẽ, Ieſum Chriſtũ iuſtũ. Item: [i] Aduocatũ & pontificem habemus, qui poteſt cõpati noſtris infirmitatibus. adeamus igitur cum fiducia ad thronũ gratiæ ipſius, & auxiliũ inueniemus in tempore opportuno. Verùm quid in eius nomine petamus? at ille:

Vt

Vt gaudium ueſtrum plenum ſit.] Hoc eſt, ut uobis ſit uera ſalus æternaq; lætitia in cœlis: quandoquidẽ quæcunq; fiunt ſub ſole, uanitas ſunt, & afflictio ſpiritus. Mundus eſt, ſed tranſit unà cum concupiſcentia ſua. [a] Et homo uiuens, dicente Iob, repletur multis miſerijs, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Et cum ipſe uarias mundi uoluptates narraſſet, tandem ait: [b] Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. quod ueriſſimum eſt. ubi enim Achilles, ubi Hercules, ubi Plato, ubi Ariſtoteles? In ſolo cœlo igitur et apud Deum nulla eſt tranſmutatio, nec uiciſſitudinis obumbratio, neq; luctus neq; clamor, nec ullus dolor, ſed omnium bonorum abundantia. Meritò autẽ ac iuſtè modò quæritur, an ſimul omnia contemnenda ſint, nihil'que prorſus harum rerum petendum, ſed ſolum illud quod oculus non uidit, nec aſcendit in cor hominis? Profectò uerè Chriſtianus ſimpliciter nihil horum expoſcit, niſi inquantum ad eam ſalutem Deiq; gloriam deſeruiunt. quamobrẽ rectè petijt Salomon, ſibi ſapientiã dari à Domino, interrogatus quid uellet: [c] quo ſcilicet populum ſibi commiſſum iuxta uoluntatẽ Dei inſtitueret atq; gubernaret. Sic & de diuitijs, quas Auguſtinus petendas concedit: quemadmodum & poteſtates, non propter ſe, ſed propter aliud quod inde fit bonum. quo etiam modo, iuxta Chriſti doctrinam, panem noſtrum petimus quotidianum, nec non ut Deus propter nomen ſuum ſanctum, paſſionem et mortem, nos miſerrimos peccatores reſpiciat, atq; à nobis omnia aduerſa corporis & animæ auertat, quemadmodum priſcos illos ſæpiſſimè feciſſe legimus. ut Dauid [d] qui aiebat: Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomẽ tuum. [e] Et Iudith, quãdo Bethuliẽſes obſeſſos uidit: Tu qui pius es, dixit, miſerere nobis. Nec minus obnixè rogauit Ioſaphat liberari ab Ammonitis, dixit enim: [f] Clamabimus ad te in tribulationibus, et exaudies nos, ſaluosq; facies. [g] Et Dauid, cum horribiliter peſtilentia graſſaretur. Sic & Apoſtolus noſter cupiuit uehementiſſimè orationibus, Rom. cap. 15. à periculis & tribulationibus liberari: qui & obinde iuſſit orationes, poſtulationes & gratiarum actiones fieri pro omnibus hominibus, [h] & potiſſimum in ſublimitate conſtitutis: unde nos quaſi per manus accepim⁹, publicas ſæpius agere preces nos debere. Nam & diuus Chryſoſtomus hoc ipſum ſuo tempore factum fuiſſe teſtatur his uerbis: Id nouerunt, inquit, fideles, quomodo diebus ſingulis mane et ueſpere orationes fundantur ad Dominũ, pro omni rerum Eccleſiæ ſtatu, &c. Vtinam qui turbulentiſſimum inhabitamus ſeculum, tam certo tamq; pio acquieſceremus cõſilio, imò potius præcepto & traditioni maiorum noſtrorum, ubi triſtia ſunt et calamitoſa omnia et lachrymæ rerum, (a Iob 14.) præſertim cum id exigat mutua omniũ charitas: & Chriſtus promiſit ſe congregatis in ſuo nomine affuturum, & inuocantibus in ueritate patrem. (Matth. 18.) Demum ſi multum ualet deprecatio iuſti aſſidua, (b Iob 21.) quãto magis multorum, ut parcat nobis Deus, qui Sodomitis ob pauciſſimos, ſi inuenti fuiſſent, parcere uolebat?

Hæc in prouerbijs locutus ſum uobis.] Hora de qua Chriſtus hic loquitur, fuit dies Pentecoſtes, quo die dato ſpiritu cœperunt loqui magnalia Dei apertè et palàm, de Chriſto ut filio Dei, (quemadmodũ dilucidè Actorum liber docet) quæ antea non intellexerãt, ut homines animales ſiue carnales.

Ipſe pater amat uos.] Honorat atq; amat patrem, qui commendat eum creatorem omnipotentem atque æternũ. Honorat filium atq; amat, qui credit eum æqualem eſſe patri, & quòd ex nimia charitate i- (c 2. Par. 1.) pſe in hunc mundum uenerit. Et hic uiciſſim honoratur amaturq;. quod quia fecerunt ſancti Apoſtoli, quemadmodum in Petro uidere eſt, meritò dicit Ieſus: Non dico quia rogabo patrem pro uobis. ipſe enim pater amat uos, quia uos me amaſtis. Et nos Chriſtum amare debemus, per ſpiritũ qui datus eſt nobis, quo amet nos uerus pater in cœlis.

Exiui à patre, & ueni in mundum.] Exiuit Chriſtus, Hilario teſte, ut ſuprà quoq; diximus, per æternam generationem: & uenit per carnis aſſumptionem: (d Pſal. 78.) iterum reliquit mundum corporali præſentia, & iuit ad patrem, humanitatẽ ſuam (Actor. 1.) clarificatam iam ad inuiſibilia paternæ maieſtatis inducens, ubi eſt noſter aduocatus atq; mediator. (e Iudith 7.) eapropter, cum ſint nobis anguſtiæ undique, nec ſciamus quid acturi ſimus, hoc ſolum reſidui nobis eſt, ut oculos noſtros ad ipſum attollamus, & ipſe Saluator noſter erit, iuxta promiſſum, in tribulationibus, (f 2. Par. 20.) eripietq; nos, ut glorificemur in ſempiternum, Amen. (g 2. Reg. 24.)

IN FESTO PHILIPPI ET IACOBI APOſTOL. Euangelium, Ioan. 14.

Non turbetur cor ueſtrum, neque formidet, &c. (h 2. Tim. 2.)

Dixerat Chriſtus Petro: Amẽ dico tibi, antequam gallus bis cantet, ter me negabis. quod equidem fieri permiſit Dominus. Primum, ut ipſe Petrus diſceret aliorum infirmitatibus compati: item ut eſſet nobis exemplo, quàm nihil ſimus abſque auxilio Dei: & proinde nulli præſumendum

dum de ſuis uiribus. Et ut nemo deſperet peccator,
licet impiiſsimus, ſed quòd ſi defleuerit ſua peccata
cum Petro, certò credat ſperetq́; ſe miſericordiā
conſecuturum. Cæterùm ut audiuerunt hoc Chri
ſti dictum cæteri Apoſtoli, ſtatim cogitarūt, Quo
a 2.Cor. 5. *pacto nos euademus maxima pericula? ut uidem*[a]*,*
fruſtra tot labores et ſudores exantlauimus, quos
uitam nunquam intermorituram allaturos ſpera-
bamus. Eapropter Chriſtus ait ad illos: Non
turbetur cor ueſtrum.] *Non apertè, ſed oc*
cultè negantibus ueniam ſe daturum pollicetur, ne
ex timiditate negare, nullius culpæ eſſe putarent,
& dein in profundū coniectu contemnerent, cum
Pſal.50. *Dauid uelit peccata contra nos ſemper eſſe. Non-*
dum certè inerat illis, quod poſtea Spiritus ſancti
gratia repleti habuerūt. Iubet item ne turbentur,
ut doceat ſuos, omni abiecto timore libenter pe-
ricula pro uera gloria ſubire. Creditis in
Deum.] *Vt fortes milites inſtruit, datq́; arma*
quib. queant ſuperare aduerſa, dum illis Deū pro-
ponit: Deum ſcilicet Abraham, Iſaac & Iacob:
Deum qui eduxit populum ſuum ad terram lacte
& melle fluentem, et ait: Ego ſum idem ipſe Deus,
confidite ſaltem, & nolite hæſitare: per me uince-
re poteritis, ſi credideritis. ſcitote quia omnia poſ-
ſibilia ſunt credenti, & ab omnibus periculis ſal-
Pſal.6. *uamini. Mementote quid dixerit olim Dauid: Do*
minus illuminatio mea, et ſalus mea, quem timebo?
Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo?
Hunc & nos ſumamus oportet ſenſum, etſi terra-
rum in nos inſurgat orbis: Deo nos protegente,
quis affligere poterit? imò diuina ſapientia illum
uertet inſultum in noſtram gloriam. unde bene di-
Rom.8. *xit diuus Paulus: Si Deus pro nobis, quis contra*
nos? Et alio in loco luculēter docet, quo pacto de-
beamus armati eſſe, quo poſsimus inimicum nobis
Epheſ. 6. *aduerſantem uincere, ubi inquit: Induite uos ar-*
b Pſal.118. *maturam Dei, ſumentes ſcutum fidei, & gladium*
ſpiritus, quod eſt uerbum Dei. cui uel hoc modo
1.Petri 5. *aſtipulatur Petrus, quum inquit: Sobrij eſtote, &*
uigilate, quoniam aduerſarius ueſter diabolus exi
uit quærens quem deuoret, cui fortes reſiſtite in
fide. Porrò fides hæc quæ in patrem et filium eſt,
nec non ſpiritum ſanctum ipſis in omnibus æqua-
lem, in animis noſtris ſplendere debet, ut ſit nobis
unus Deus pater, ex quo omnia, & nos illo: & u-
nus Dominus Ieſus, uerus filius Dei per quem om
nia, & nos per ipſum, poſtquam factus eſt homo,
crucifixus pro nobis, ac uerè mortuus: exuſcita-
tus autem rurſum per uirtutem patris, quo & ſal-
Rom.10. *ui erimus, Apoſtolo dicente: Quod ſi confitearis*
in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo cre-
dideris quòd Deus excitauit illum à mortuis, ſal-
uus eris. Nemo autem poteſt dicere Dominus Ie-
ſus, niſi in ſpiritu ſancto. In domo patris
mei.] *Diuerſas in una uita æterna ſignificat di-*
gnitates,[a] *quas Apoſtolus tali ſchemate declarat:*
Alia eſt, inquit, gloria ſolis, alia lunæ, alia ſtella-
rum: ſic quoq́; erit reſurrectio mortuorum: Deus
tamē erit omnia in omnibus, regnabit in omnibus
charitatis unitate, quia Deus eſt charitas. Va-
do parare uobis locum.] *Inacceſsibile e-*
rat hominibus cœlum, nec ullus unquam hominū
ante Chriſtum cum ſancto angelorum conſortio
fuit, propter præuaricationē Adæ: omnes patriar
chæ & prophetæ in lymbum deſcendebant, qui
in Euangelio ſinus Abrahæ nuncupatur, ibi ma-
nentes donec Chriſtus uerum illud lumen exor-
tum eſt, miſerator miſericors & iuſtus Dominus.
Aſcendens enim ille morte deuicta in altum, ca-
ptiuam ſecum duxit captiuitatem, ut ait ille. Id re-
ctè intelligens Paulus ſcripſit: Hoc uobis dicimus
in uerbo Domini, quoniam ſemper cum Domino
erimus, perpetuò apud illum manſuri. Poſtquam
deſcendet de cœlo in uoce archangeli, & in tuba
Dei, &c. Sic enim dixit ille diſcipulis ſuis: Gau-
dete & exultate, quoniam merces ueſtra copioſa
eſt in cœlis. Matth. 5. Ego ſum uia,
ueritas & uita.] *Via pura et ſancta, per quam*
ad ſupernam ciuitatem proficiſci poſſumus, Chri-
ſtus eſt, quia uia eſt eundi ad patrem: unde nemo
errare poteſt, qui fide incedit per ipſum. unde quo-
que ſine fide in ipſum, ut filium Dei, nemo uadit ad
Deum: imò neceſſe eſt omnes qui ab amore ipſius
ſanctoq́; eius uerbo deuiant, errare. Proinde cupi-
uit & Dauid in lege Chriſti doceri, ne perderet
uiam ſalutis, & poſſet ciuitatem Dei aſpicere, non
ignorans per Euangelicam doctrinam cœlorum
portas aperiri. Legem,[b] *dicit, pone mihi uiam iu-*
ſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.
Eſt & uera ueritas Chriſtus: ſiquidem omnis ho
mo mendax, & ſolus Deus uerax, à quo nemo
decipitur: mentiri enim nequit. Denique uita eſt:
nullus enim uitam, quam ſperamus, abſque interi-
tu in beatitudine futuram nobis, præter ipſum, re-
ſtituet. Vnde addit: Nemo uenit ad patrem, niſi
per me. Niſi enim factus homo filius Dei Chri-
ſtus, diuinitatis pariter & humanitatis particeps,
inter Deum & hominem extitiſſet mediator, in
beatitudinem nemo hominum unquam perue-
niret. Si cognouiſſetis me.] *Nullus*
intellectus naturæ, Deitatem capit, quid ſci-
licet

licet Deus ſecundum naturam ſit. Dicenti igitur Moſi Deo, Oſtende mihi gloriam tuam: reſpondit Deus, a Non poteris uidere faciem meam. non enim uidebit me homo, & uiuet. oſtendens, huic uitæ corruptibilis carnis Deum, ſicuti eſt, apparere non poſſe. Ergo pater per filiũ cognoſcitur, quando per ipſum operatur mirabili poteſtate ac gloria, magna mirabilia patrando, quando uentis & mari impetrauit filius, & cæteris reſplenduit miraculis, cognitio patris in uniuerſo terrarum orbe rutilauit. Domine, oſtende nobis patrem.] Philippus putauit ſe oculis carneis Deũ uidere poſſe. At Deum nemo uidit unquam. quòd enim multi ſancti Deum uidiſſe leguntur, factum fuit in ſpecie aliqua, qua uoluit uideri ab eis, et nõ in natura ſiue ſubſtantia qua eſt ipſe quod eſt. In alia tantummodo uita uidebimus eum ſicuti eſt. Scribæ & Phariſæi ſignis Chriſti commoti, capitali odio ipſum proſecuti ſunt: & perſuadebant turbis, Moyſi toto animo inhærere, cui Deus ſæpius apparuiſſet, ac tradidiſſet ſanctam legem in Synai monte, ubi & uerba Dei populus audiuiſſet: hunc autem Chriſtum Ieſum nihil tale unquem feciſſe. cogitauit ergo Philippus omnem Iudæorum contradictionem diſſolui poſſe, ſi Chriſtus credentibus oſtenderet patrem. Tanto tempore uobiſcum ſum.] Quomodo tibi patrem oſtendi petis, quum illum uideas, qui totam naturam patris habet? Olim Deus Iudæis in ſpecie ignis uiſus eſt, ut eſſet terribilis, quoniam populus duræ ceruicis erat: modò autem clementiſſimus ſeſe exhibet Deus peccatoribus cunctis; quia miſericordiam præſtaturus, ueri patris officium facit. qui igitur me uidet, qui uobis agnum illum acceptum magnamq; gratiam Dei annuncio, uidet & patrem. Ego enim & pater unum ſumus. Philippe, ſi exactius omnia quæ Dei ſunt conſiderauiſſetis, utiq; ex operibus meis facilè cognouiſſetis, me eum eſſe Deum qui Moyſen in Aegyptum miſit, ibiq; magna miracula operatus eſt.

Verba quæ ego loquor.] Oſtendit nihil ſe mirum, diuinæq; naturæ conueniens potuiſſe facere, niſi natura Deus eſſet. Ergo ſermonem patris loquor Philippe, & facio opera patris in me manentis, omnia illi adſcribo, quia ille me miſit quærere & ſaluum facere hominem perditum. Amen dico uobis.] Chariſſimi mei eſtis diſcipuli, uobiſcum in terris conuerſatus ſum ut homo: neceſſe eſt omnia adimpleri, quæ ſcripta ſunt de me. parum igitur abeſt ut moriar, & deinde à morte reſurgam. id enim exigit incarnationis meæ myſterium. Propterea dico uobis, etſi humilis ob humanam quam aſſumpſi naturã hactenus uiſus fuerim: ueniet tamen hora, in qua poteſtatem, & uos & alij credentes in me accipient faciendi maiora, quàm ego fecerim, miracula. (a Exod.33.) Verè factum eſt hoc, quando ſaltem umbra Petri ſanauit ægrotos. (Actor.5.) Et quod petieritis patrem.] Liquidò hic ſe uerum Deum eſſe oſtendit, quando ſe conceſſurum pollicetur omnia quæ petant à ſuperna maieſtate. Idcirco Apoſtolus rectè dixit: Gratia uobis, & pax à Deo (Rom.1.) patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto: quia una & eadẽ gratia eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ab illo uno principio fluit omne datum optimum, & omne donum perfectum. Et ut olim inconſuetũ erat quicquam à filio petere, & per eum ad patrem accedere: modò tamen omnis ſpes conſequendæ gratiæ in eo ſita eſt, & nemo uenit ad patrem niſi per hunc filium. de quo proinde dixit pater: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi cõ- (Matth.3.) placitum eſt, Ipſum audite.

FESTO CELEBRI ASCENſionis Domini noſtri Euangelium, Marci ult. Recumbentibus, &c.

PSalmographus, quum uaticinatur de mirum (Pſalm.18.) in modum ſtupendo Dei myſterio, dicit filium Dei uenturũ à ſummo cœlò. quod quomodo factum ſit, fides docet noſtra ſacroſancta. Verùm quemadmodum ille in hanc lachrymarum uallem noſtri cauſa uenit, quò morbos curaret humani generis: miſerè ſaucium enim erat illud ob præuaricationem tum corpore tum anima: ſic quoq; non mundum inhabitare inſtituti fuerat, ſed eò redire unde egreſſus eſſet. quod idem Propheta in ſpiritu uidens, ſubdidit: Et regreſſio eius uſq; ad ſummum eius. Facta itaq; reconciliatione inter Deum et hominem, mundũ hunc relinquens Dominus Ieſus, ſuâ corporali præſentia cœlum conſcendit, uiam ſuis quos ſanguine proprio mercatus fuerat præparãs, ſimulq; locum inibi reſidendi perpetuum. Quam quidem Domini aſcenſionem Euãgeliſta Marcus deſcribit his uerbis: Recumbentibus.] Hæc apparitio facta uidetur, cum manus et latus exhiberet Thomæ palpanda. Erant autem diſcipuli increduli: hæſitabant enim ualde, etſi Maria Magdalena annunciauerit eis ſe uidiſſe Ieſum: & (Lucæ ult.) diſcipuli Emaus regreſſi & reuerſi Hieroſolymã: quomodo ſcilicet cognouiſſent Ieſum in fractione panis, apertè eſſent teſtati. Exprobrat autem eis incredulitatem, ut ſuccedat credulitas: & duritiam cordis lapidei, ut ſuccedat cor carneum

charitate plenum. Et dixit eis.] *Chriſtus ad inſtruendam fidem ſuæ reſurrectionis, ſuis diſcipulis præ timore incluſis apparuit, cum quibus etiam cibum ſumpſit, & præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promißionem patris, quoniam induti uirtute Spiritus ſancti, futuri eſſent præcones miſericordiæ Dei immenſæ in toto terrarum orbe. Eduxit autem eos, ſcribente Luca, forâs in Bethaniam, & dixit:*

a Ioan.3.

Ite in mundum uniuerſum.] *Chriſtus, iuxta Eſaiæ uaticinium, ſalus præordinata erat uſq; ad extremum terræ, & poſitus à Deo patre in lucem gentium. Quare hic ab eis diſceſſurus, ſeriò præcipit, ut Euangelium regni Dei diſſeminent ubiq; locorum, omnibus hominibus. omnis enim creaturæ nomine ſignatur homo. Dixit autem Ieſus: Chariſsimi diſcipuli mei, dixi uobis, ne abiretis in uiam gentium, ut promiſsio patribus facta præſtaretur: iam uerò quoniam omnia completa ac conſummata eſſe uidetis, ipſis Iudæis impiè repellentibus ipſam ſalutem, ite & prædicate eam omni nationi quæ ſub cœlo eſt, ut in me uero Dei filio regnum capiant æternæ hæreditatis, & felicitatis.*

Eſaiæ 49.

Qui crediderit.] *Haud difficile intellectu erit, quare fidem præpoſuerit baptiſmo Chriſtus, ſi quis bene attendit ordinem diuinæ diſpenſationis atq; ſalutis humanæ. Cum enim omnes idololatriæ aut uanæ ſuperſtitioni deditι eſſent, & quiſq; rationis capax à uero Dei cultu abduceretur paucis exceptis, primum omnium in Chriſtum filium Dei fides firma ac ſolida prædicanda erat, tanquam uerum illum reconciliatorem, mediatorem, & aduocatum inter patrem cœleſtem & miſerè perditum hominem. Præcedit igitur prædicatio, & prædicationem fides ſequitur, deinde uera illa regeneratio per aquam & ſpiritus S. gratiam, in merito digniſſimæ paßionis Ieſu Chriſti. Quid igitur credere oportet ſaluandum? nimirum quod Petrus confeſſus eſt, ſic dicens: Tu es Chriſtus filius Dei uiui, qui in hunc mundum uenisti: tu habes uerba uitæ æternæ, & nos credimus & cognouimus quia tu es Chriſtus filius Dei. Quòd autem huic fidei annexus eſt baptiſmus, peccatum originale in cauſa fuit. Nam ut iuxta Dauidem, omnes in peccatis concipimur, oportet ut omnes ab illis mundemur. hoc autem in nullo alio fit, quàm puriſſimo illo lauacro ſpiritus paracleti. quemadmodum olim prædictum eſt, dicente Scriptura: Ego effundam ſuper uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis ueſtris, &c. Et proinde Chriſtus Nicodemum inſtituere uolens de perfectiſsima hominis ſalute, non niſi per regenerationem eam concedi cuiquam oſtendit. dixit enim:[a] Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare regnum cœlorum. Quanquam autem ab initio Eccleſiæ Chriſti plerunq; ac potiſſimum adulti & rationis compotes baptizarentur: admiſſi tamen nihilominus fuerunt paruuli, ne diuiſio eſſet fidelium, neq; illi perirent propter labem originalis peccati, à qua nec infans unius diei immunis erat. Idq; fieri potuit propter Chriſti gratiam, quæ nemini denegatur, & fidem illam infuſam Spiritus ſancti replentis corda fidelium, fidemq; Eccleſiæ: cuius nomine patrini offerebant eiuſmodi paruulos, abrenunciantes diabolo, mundo atq; alijs. Et hæc noua minimè ſunt, ſiue recenter excogitata: quandoquidem Dionyſius, Cyprianus, Origenes, & Aug. baptiſmum paruulorum docuere. Et inter cætera Auguſt. ſic ait: Piè ac rectè creditur, paruulis prodeſſe fidem eorum à quibus conſecrandi offeruntur. Et alio in loco: Paruuli, inquit, inter credentes reputantur per Sacramenti uirtutem, & offerentium reſponſionem. Veriſimile mihi equidem uidetur, ut quemadmodum paruuli ex peccato parentum originali obligantur ad damnationẽ: ſic aliena fide eos liberari poſſe, q ut ex alijs traxerunt peccata, ſic credunt per alios: hocq; in ſacramento diuinæ gratiæ, quam ſuæ Eccl. contulit Deus.*

Fides ex auditu, auditus autem per uerbum.

Matth.16.

Ioan.6.

Pſal.50.

b 4.Reg.2.

Ezec.36.

c Mal.4.

Signa autem eos.] *Hæc neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. ut enim ad fidẽ multitudo credentium creſceret, miraculis fuerat plantanda, nutrienda, firmandáq;. Tranſcendebãt enim humanum intellectũ omnia quæ fides Chriſti dictabat. Vt igitur miraculis probata fuerunt, quæcunq; dixit Moyſes Pharaoni: ita & Chriſti diſcipulorumq; eius prædicatio miraculis ualde cõfirmata fuit, unde nemo dicat: Minimè credã, quia iſta ſigna nõ facio. quoniam iam fide firmata hæc & alia ſigna neceſſaria non ſunt: ſed tantum ſpiritualiter uel myſticè ea fieri neceſſe eſt, teſte Gregorio. Cum igitur ſacerdotes Domini ſuis gnauiter incumbunt officijs, quid quæſo faciunt aliud quàm quòd dæmonia eijciunt, ſerpentes tollunt, manuſq; ſuas ægrotis imponunt, ut melius habeant: de quibus plura uidere licet apud Gregorium, alioſq; tum pios tum doctos uiros.*

Et Dominus quidem Ieſus.] [b] *Sublatum Heliam ex Scriptura nouimus, in ſecretam certè regionem, ut pleriq; uolunt, ubi in magna quiete carnis & ſpiritus uiuat, rediturus ad finem mundi, ut reſtituat omnia, et tandem mortis debitum ſoluat.*[c] *At idem de Chriſto redemptore noſtro ſentiendum non eſt. Ille enim mortem ſuperauit, eamq; reſurgendo*

reſurgendo conſumpſit. Propria igitur uirtute, nō raptu, ut [a] Enoch: non curru, ut Helias, aſcendit, & hac ratione Deitatis qua potuit omnia: tum quoq; ex humanitate glorioſa, quam nihil impedire poterat. Quòd ergo ſcriptū eſt, [b] Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum: iam quòd angeli adfuere, ſaltem in obſequium factum fuit, quoniam erat uerus & unigenitus filius Dei. unde Euangeliſta quoq; dicit:

Et ſedet ad dextrā patris.] Etſi Stephanus uiderit [c] Chriſtū ſtantem à dextris Dei: unus tamen ac idem Chriſtus eſt. Sedere enim, iudicantis eſt: Stare uerò, pugnantis uel adiuuantis. Bene autem dicitur, Sedet ad dextram patris: quoniam nunc omnia iudicat Chriſtus, cum patre ſuo ac ſpiritu ſancto, uenturus ut omnium iudex. Hinc quoq; illa natura, cui dictum eſt, Terra es, et in terram ibis: hodie in cœlum iuit, quoniam eleuata eſt magnificentia ſuper cœlos, Chriſtus Deus noſter: modò illuc iam ſequamur corde, ubi eum corpore aſcendiſſe credimus, deſideria terrena fugiamus, & nihil iam nos delectet in infimis, qui patrem ac Saluatorem noſtrum habemus in cœlis. quemadmodum piè admodum ac fideliter monet & adhortatur nos Paulus, cum inquit: [d] Si cōſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt, in dextra patris, quæ ſurſum ſunt ſapite, &c. Et conſiderandum eſt nobis, quòd is qui placidus aſcendit, rediturus ſit diſtrictus arbiter omnium, exacturus ſeueriter quicquid nobis cum manſuetudine hic præcepit. Illi autem profecti.] Per Aſiam, Aphricam & Europam diſperſi Apoſtoli, annunciauerunt Chriſtum & Euangelium eius, miris ac ſtupendis miraculis in confirmationem editis: ſiquidem fides illa tranſcendebat omnem humanum captum: erant naturæ impoſsibilia, & omni rationi humanæ, quæ ab ipſis adducebantur Apoſtolis. Ipſe Ieſus faxit, ut edocti fidem illam ſacroſanctam, ſic ad cœleſtia anhelemus, ut in hac peregrinatione ſolo corpore conſtituti, cogitatione & auiditate in illa æterna patria uideamur conuerſari: Amen.

DOMINICA EXAVDI, QVAE ſexta eſt poſt Paſcha, Euangelium, Ioannis 15. Cum uenerit paracletus, quem ego mittam, &c.

DOminus Ieſus paulo pòſt mortem pro humano genere ſubiturus, recenſuit ſuis diſcipulis Iudæorum cæcitatem, ueſaniam, & ingratitudinem ſummam. Etiamſi enim opera feciſſet tam magna, & naturæ uirtutem excedentia: non tamen flecti potuerunt, ut ſuum agnoſcerent Saluatorem. Nos igitur qui imbuti ſufficienter eſſe debemus, Ieſum Chriſtum eſſe, nullatenus hæſitemus: hoc eſt, quoniam holocauſtum nullum peccata noſtra expiare potuit, uenit ipſe filius Dei propter expianda omnium delicta: & una oblatione, dicente Apoſtolo, cōſummauit in æternum ſanctificatos. Et quandoquidem uiſis miraculis et percepto ſermone planè diuino, nihilominus in incredulitate perſeuerauerunt Iudæi, uenturum ſpiritum ſanctum poſt ſe dicit Chriſtus, & ait:

Cum autem uenerit.] Spiritum ſanctū ſpiritum dicit eſſe ueritatis: unde idem ipſe Deus eſt, quoniam Deus uerax eſt, & mentiri nequaquam poteſt. teſtātur ea omnia, quæ populo Iſraelitico exhibita fuerunt. Nihil unquam pollicitus eſt Deus, quin re ipſa præſtiterit. Dicitur & ueritatis ſpiritus, quia omnem ueritatem habet, & nil niſi ueritatē ſuggerit. Hinc piè credendum eſt, Eccleſiam Chriſti per Apoſtolos plantatam, ritè rectéq; edoctam in ijs quæ ad ſalutem æternā pertinent: & adeò quoq; firmam, ut illius fidem ac doctrinam nec tyrannus nec hæreticus ullis dolis, ullis'ue inſidijs expugnare poſſint, quemadmodū in Ario liquet, tandem miſerè fœdiſſimeq; & alijs in exemplū extincto. Et hoc ab ipſo Chriſto promiſſum habemus, cum dixit ille: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non præualebunt aduerſus eam. Ergo Chriſti Eccleſia nihil fortius: quam ſi quis impugnare proponit, uires atterat neceſſe eſt. tale eſt enim, ueluti ſi cœlo bellum meditetur inferre. Hic autem loquimur de tritico, & non de ζιζανijs, quæ ſubinde ſeminantur ab homine inimico, quæ nemo pius defendet ut recta & pia. Ille teſtimoniū perhibebit de me.] Quoniā Spiritus ſanctus idē eſt cū patre et filio, ideo de ſe Chriſtus ipſum teſtificaturum dicit, ut de ſumma omnium ueritate, primùm in Apoſtolis, qui ut eſſent homines, illiterati licet, & ſimplices, tamen eius inſtinctu profundiſſima breui locuturi. unde addit: Et uos teſtimoniū.] Vos qui modò abiectiſſimi uidemini, magnalia dicetis: utetur uobis ſpiritus ille paracletus tanquam inſtrumento, ad laudem & gloriam nominis mei. Hinc ſanè Lucas in Actis teſtatur, diſcipulos Chriſti ſuggerente illo ſpiritu teſtimoniū magna uirtute dediſſe, quòd Ieſus Chriſtus naturâ ſit filius Dei, cū inquit: Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti. quòd ſcilicet is eſſet uerbū Dei miſſum filijs Iſrael, ad annunciandam

dam

[a] Gen.5.
[b] Actor.1.
Hebr.10.
[c] Actor.7.
Conſtantinopolitana Synodus cōtra Macedonium.
[d] Coloſ.3.
Matth.16.
Chryſoſt.
Matth.13.
Actor.4.

dam pacem, & ut conſtitutus iudex uiuorum & mortuorum. Maximum itaq; & efficax ſignum fuit ad confirmandam fidem Chriſti, quòd homi-
a Vide ipſius ſuper hac re Homiliam.
nes imperiti de profunditate Scripturarum tam diſertè ac ſincerè omnium linguis ſubitò locuti fuerunt. Nec id ſolum, quin eiuſdem Spiritus uirtute
b Ezech. 34.
ac fortitudine magna mirabilia ediderunt, uel ad mortem uſq; adhærentes ei quem dicebant Ieſum eſſe, hoc eſt, Saluatorem mundi: quemadmodum fide dignæ hiſtoriæ docent de Petro et Paulo ſub Nerone, & de cæteris Apoſtolis, Bartholomæo, Andrea atq; alijs. Et ut odium parere ſummum potuit eis, ita harum rerum minimè neſcius Chriſtus ipſis prædicit, ac inquit: Abſq; ſynago-
c Filij huius ſeculi.
gis facient uos.] A' communione Iudæorum eijci, grauiſſima erat, omniũ opinione, ignominiæ
Ioan. 12.
nota, & maledictionis: unde Euangeliſta Ioannes commemorat, multos ex principibus in Chriſtũ credidiſſe, ſed metu confeſſos non fuiſſe, ne à Synagoga pellerentur, diligentes gloriam hominum
Matth. 10.
magis quàm Dei. At quid ait Chriſtus? Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Hic autem mos poſtmodum ad Chriſtianos tranſlatus eſt, quo omnia
d Pſal. 75.
fierent ordine debito, nec eſſent ſchiſmata & ſeditiones. Teſtatur hoc ipſum Tertullianus uetuſtiſſimus author, ubi ait: Si quis ita deliquerit ut à cõmunicatione orationis, conuentus & omnis ſancti commercij relegetur, &c. Fiebat autem hoc
1. Cor. 5.
ex mandato Chriſti, & Pauli doctrina, excommunicantis eum qui cum nouerca rem habuerat.
e Gen. 17. 22.
iubebat eum Paulus de Eccleſia pelli propter delictum iſtud, & à Chriſti corpore ſeparari, ut no-
f Sapient. 2.
tatus erubeſceret, & ſic conuerſus ſaluus fieret in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. quod exemplũ imitatus pius antiſtes Ambroſius, Theodoſium Imperatorem ab illa fidelium communione relegauit. Et omnis qui interficit uos.] Iam oſtendit eis, quòd præter mala innumerabilia etiam paſſuri ſint ob Euangelicam ueritatem mortem ipſam, ac inquit: Eò atrocitatis prorumpent Euangelij mei hoſtes, ut ſacrificij uim in cæde ueſtra poſitam putent: igitur præparate animos, ut
g Oſeæ 4.
non conſternati animis ab Euangelio deficientes, me Chriſtum negetis, uel minus rectè ſentiatis. Hæc autem pia præmonitio tantum effecit, ut illi uiri ſancti ſteterint poſt accepta uerbera fortes, intrepidi, & gaudentes quoniam digni habiti eſſent contumeliam pati pro nomine Ieſu, iamiam parati propter Chriſtũ mortificari. Quis enim, dicebãt, ſeparabit nos à charitate Chriſti? an gladius, an perſecutio? Quos ut pios & ueros Chriſti cultores plures alij imitati ſunt, Athanaſius, Hilarius & Chryſoſtomus, qui cum de expulſione eius ageretur, dixit liberè: Multi fluctus, ſed ſubmergi nõ uereor. [a] Quid, putãt' ne mortem uerear? cui uiuere Chriſtus eſt, & mori lucrũ, &c. Quod equidem omnium bonorum paſtorum eſſe debet, ne audire neceſſe ſit: [b] Væ uobis paſtoribus, ecce ego ipſe requiram gregem meum. Et non ſolùm paſtoribus hæc propoſita ſint tanquam imitanda, uerumetiam omnibus Chriſto filio Dei initiatis. Eos enim omnes qui Chriſtum confitentur, paratos eſſe oportet ad ſuſtinendas tribulationes huius mundi, & illius præſtigiatoris peruerſiſſimi: contra eas uerbo ac facto ſtare oportet. Nam per hoc filij Dei à filijs ſeculi diſcernuntur. [c] Hi enim omnium flagitiorum amatores, carnem ſpiritui præponunt. refugiunt ergo, quæcunq; carni contraria eſſe poſſunt. Illi certò credentes, coronam immarceſſibilem diligentibus Deum in cœlis repoſitam, ardua attentant, ſpiritu uiuunt, facta carnis mortificantes, & perſeuerant uſq; in finem, ut promiſſionem adipiſcantur. Et hæc facient uobis.] Quomodo ais non cognouerunt, cum mirum in modum de Deo gloriati ſint, dicentes: [d] Notus in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius. Equidem Iudæi cognouerunt Deum in quantum eſt pater omnium per creationem, & ob beneficia liberaliſſima, quæ ab ipſo largiebantur: ſed non ut eum qui iuxta promiſſionẽ Abrahæ factam ſuum miſiſſet filium Ieſum Chriſtum ad ſaluandas omnes gentes, præcipuè tamen oues deperditas domus Iſrael. [e] Hinc Moſen extollebant, Ieſum uerò occidere tentabant, dicentes: [f] Circumueniamus iuſtum, quia inutilis eſt nobis, & contrarius operibus noſtris. Verùm iſta ignorantia minimè illos excuſat, quandoquidem nihil prætermiſſum fuit à Chriſto, quo poſſent ad fidem adduci. nam & uerbis monuit, & miraculis ad fidem trahebat cum poteſtate, dicẽte Cyrillo: Quòd igitur uiderunt, & non intellexerunt Iudæi, & ſanati ſunt, certè quia excæcati ſunt. factũ fuit. Excæcauit autem eos Deus, non efficiendo, ſed deſerendo, culpis id exigentibus, iuxta illud: [g] Quia oblita es legis Dei tui, obliuiſcar & ego filiorum tuorũ. Eodem modò dicendũ erit de tyrannis perſequentibus Euangelium Chriſti. quemadmodum enim Iudæorũ perſecutio ex odio & inuidia prouenit: ſic proceſſit illorum inſania ex obſtinatione in peccato idololatriæ, ob quam ſigna manifeſta non attribuebant uirtuti Dei, ſed ſcientiæ magicæ. Hæc locutus ſum.] Vt magis admiremini, et in ipſo tempore periculorũ certior ab

euentu

euentu rerum, ſtabiliorq́; in me fides efficiatur, ut uerum me Deum eſſe credatis firmiter, qui futura ut præſentia ſciam. Faxit itaq; ipſe Chriſtus, ut quemadmodum ille mundum uicit, & quæcunque mala ſiue aduerſa: ita & nos quoq; per ipſum ſpirituq́; auxiliatore uincamus Satanæ machinationes, præſtigias, & huius mundi uafriciem, donec transferamur ad regnum illud perpetuò duraturum. Amen.

GLORIOSO DIE PENTEcoſtes Euangelium, Ioan. 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, &c.

MIrum habebat Iudam Taddæum diſcipulum Ieſu, qui fieri poſſet ut mundus non manifeſtè ipſum Ieſum uideret, ſed tantum diſcipuli. Huic infirmitati pia quidem ſua qua pollebat Ieſus pietate ſuccurrere uolens: Qui habet mandata mea, inquit, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me, & manifeſtabo ei meipſum.[a] Hoc dixit, quoniam ſciebat ſuos nondũ capaces eius myſterij, cuius ipſe concionator à patre miſſus erat. Et hoc, quia maximè illorum animis infixum eſſe debebat, rurſum ad id ſermonem reflectit, dicens: **Si quis diligit me.**] Vt homines illuminarem, & mentes illorum ineffabili ſplendore ad ueram illam cognitionem erigerem, propterea in hunc mundum ueni.[b] Eſt autem potiſſimũ quod hic geritur, ut dilectionem exhibeant mihi homines, quoniam dilectio diſcernit ſanctos à mundo. Qui diligunt, quia diligunt, eliguntur. Ex quo manifeſtum fit, inter diſcipulos Domini charitatem eſſe debere, quæ idcirco haud immeritò bonorum omnium radix & fons dici poterit: qua abſente, cætera nobis nullũ fructum afferent, nullam utilitatem.[c] Hoc eſt diſcipulorum Domini indicium. In hoc enim, inquit Chriſtus,[d] cognoſcent quòd mei diſcipuli ſitis. In quo? quòd mortuos ſuſcitatis, & expellitis dæmonia? minimè. Sed ſi charitatem ad inuicem habueritis. In quo primùm ipſe demonſtrauit eam dilectionem quæ ſoli Deo debetur. nemo autem diligit Deum, quin diligat et proximum ſuum. Quod autem inquit, Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: planè oſtendit Chriſtus, primum & præcipuum ſignum eſſe dilectionis erga Deum ſinceræ, quod uerbis illius atq; mandatis libenter obtemperemus. Quando ſincero cordis affectu uerba Dei ſuſcipimus, & quod uerba uolũt nos facto ipſo implemus, uerè diligimus Deum. ſic enim ait Chriſtus:[e] Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Tales autem fuiſſe Apoſtolos, & alios uiros ſanctos, nemini pio dubium eſſe poteſt. quoniam non ſolùm coram Tyrannis dicere auſi ſunt, Magis obediẽdum eſt Deo quàm (Actor. 5.) hominibus: uerùm etiam duriſſima quæq;, & mortem deniq; turpiſſimam ſuſtinuerunt: ut interim prætereamus Abrahã, Iſaac, Ezechiã atq; alios, quos omnes conſtat ob feruentiſſimam illam dilectionem Deo ipſi charos fuiſſe atq; acceptos. Cæterùm ut facilis eſt noſtra in malis excuſatio, nemo non nouit Dei præcepta cuiq; eſſe poſſibilia. Quòd ſi enim mandata Dei à ſingulis nõ poſſent ſeruari, non minus Deus in iubendo, quàm nos in (Hieron.) non faciendo, uideri poſſet iniuſtus. Iuſtus igitur facit iuſticiam, ſed eam quæ aliquãdo in iniuſticiã mutari poteſt: & competit noſtræ fragilitati, quia in conſpectu Dei nõ iuſtificabitur omnis uiuens.

Et pater meus diliget eum, & ad ipſum ueniemus.] Deus præſcius, qui ſint conformes filij ſui, prædeſtinat: hoc eſt, ſua gratia liberum eorum arbitrium uel uoluntatem præparat, & trahit mira quadam ſtimulatione: dein uo- (a Cyrill.) cat exterius per ſuũ uerbum ad fidem, cuius quoq; cognitionem adiuuat compungẽdo eum quem ſcit auditurũ, tandemq́; uenit tãquam in ſuum templũ. Quare præclarè D. Auguſt. olim dixit: Venit Deus ad hominem, dum homo uenit ad Deum. uenit autem homo credendo, et obediendo: Deus uerò illuminando, ſubueniendo & implendo, ut ſit in eo æterna ſanctificatio. ibi conferuntur uni- (b Auguſt.) uerſa commoda ad ſalutem neceſſaria, ſicq́; homo declinare poteſt à malo, & facere bonum, non quidem uiribus ſuis, ſed gratia gratum faciente, ut illi loquuntur, ſubſequente & cooperante. Nemini igitur Deus, dicente illo, deerit, niſi quis ſibi defuerit. quamobrem Apoſtolus magnificè teſtatus (Philip. 4.) eſt, qualem ſortitus eſſet gratiam, cum inquit: Om- (c Chryſoſt.) nia poſſum in eo qui me confortat Chriſtus. **Paracletus autem.**] Quia Chriſtus minor pa- (d Ioan. 13.) tre erat, quantum ad humanitatem, ideo ſermonẽ ſuum, uerba uel doctrinã patris eſſe ut dixit, mox innuit paracletum alium uenturum, à quo plenius omnia percipere poſſẽt. Mortalis enim erat quantum ad carnẽ, quam de uirgine ſumpſerat, pro mundi redemptione offerendam: quo facto, ad patrem in cœlis redire oportebat eum, ut gloriam perennem pararet ſuis quos ex mundo elegiſſet homines. igitur conſolatorem pollicetur, qui mœſtos eos & tribulatos ſua gratia conſolari poſſit: non quòd nullam conſolationem ab ipſo Chriſto habuerint Apoſtoli: uerùm quia conſolari, etſi opus ſit trinitatis, ad perſonam tamen maximè Spiri- (e Ioan. 14.) tus ſancti pertinet, dum uni tribuitur perſonæ id

quod haud alteri more Scripturarum, quo unum Deum eſſe credamus, attamen tres diſtinctas perſonas, quarum unaquæq; ſuum opus habet, ſic tamen ut opera trinitatis maneãt indiuiſa. Sic Pater *creauit mundũ, eumq; per filiũ redemit, & ſpiritus ea quæ ſalutis ſunt planè edocuit: ſimul tamen & una fecit hoc ipſum* Pater, Filius, et Spirit⁹ *ſanct⁹.* Spiritus *igitur ſanctus, ſpiritus paracletus & ſanctificator eſt, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, quiq; per ſuam bonitatem iuſtificat, & peccata nobis remittit.* Q*uòd uerò ipſum doctorem appellat* Chriſtus, *confirmaturus hoc fecit ſuum uerbum, quod dixerat:* Et *portæ inferni*
Matth. 16.
non præualebunt aduerſus eam. ait ergo ipſum futurum doctorem, ut erudiat in omnibus quæ ſcitu neceſſaria ſunt, ne à uia ueritatis & ſalutis erretur. Et *cum* Chriſtus *ipſiſsima ſit ueritas, quis modò inficias ibit, quin diſcipuli hunc acceperint doctorem omnem ueritatem dicentem, ac aperientẽ*
a Roman. 13. *omnia ſecreta atq; myſteria* Dei? *teſtatur hoc i-*
Actor. 2. *pſum* Lucas *in* Actis, *cũ inquit:* Loquebãtur Apo-
b Hebr. 4. *ſtoli uarijs linguis magnalia* Dei. Et Petrus *hoc ſpiritus inſtinctu tam potentem ac eruditam orationem habuit, ut circiter tria milia hominum traxerit ad fidem.* Nec *illos ſolùm hic ſpiritus docuit pariter ac illuſtrauit: uerùm & alios quoq;, quibus impoſuerunt manus.* Et *alij rurſum hoc ſpiritu repleti, eandem profeſsi ſunt ueritatis doctrinam, donec per ſucceſsionem legitimam ubiq; terrarum firmata fide, acclamatũ eſt filio* Dei Chriſto: Viuat Chriſtus, *uiuat per ſecula, uiuat.*

Pacem meam do uobis.] *Pax adeò bona eſt, ut qui eam habeant, filij* Dei *uocentur.* Hinc Scriptura *paſsim nos ad eam hortatur:* Pacem, *ait* Za-
Zach. 8. *charias, & ueritatem diligite.* Chriſtus *diſcipulis*
Ephes. 4. *ſuis dicit:* Habete *pacem inter uos.* Paulus *ſollicitè inquit:* Seruate *unitatem ſpiritus in uinculo pacis.* Coarguendi *itaq; ſunt qui nullũ nõ genus hominũ ad bella & ſeditiones prouocant, qui potiſsimùm quidem autores pacis eſſe deberẽt.* Audiant *quæſo illi* Auguſtinum. Q*uid ait ille?* Ad *concordiam, inquit, uocati ſumus, iubemur pacem habere inter nos, ut aliquando perueniamus ad perfectiſsimam*
c Esaiæ 4. *pacem: propter illam totũ agitur, quod* Chriſtiani *ſumus.* Et *rurſum:* Chriſtus *pacem nobis reliquit, ut iungamus corda, & cor unum ſurſum habeamus.* Porrò *duplicem pacem eſſe definiunt, unam malam & pernicioſam: concordiam ſcilicet cum diabolo & carne, & cum peccantibus in nequitijs conſenſionem: & hanc mundi eſſe, unde illam ut mitteret non uenit* Chriſtus, *imò miſit ad eam*
Matth. 10. *tollendam gladium: id eſt uerbum ſuum* Euangelicum, *quo uitia reſcinduntur: alteram uerò bonam, quoniam quieta concordia debitum ordinem ad* Deum *in fide ſub lege & ad ſeipſum & ad proximum conſeruat.* Ergo *pax mala eſt inter infideles & iniquos, quibus eſt una malitia, & unus ad malefaciendum conſenſus.* Q*uemadmodum bona inter bonos fideles ac iuſtos, in quibus ut eſt unius fidei munus, ita & una fidei concordia: in illis fides per uerbum naſcitur, & per pacem conſeruatur.* Q*uòd igitur hac tam iucundiſsima pace caremus, in cauſa eſt, quòd mãdatis* Dei *nemo obedit, imò ſecundum carnem uiuunt plerique.* Deinde, *neq; pes neq; manus ſuum facit officium: hoc eſt, præpoſiti ſuam rem curant potius quàm ea quæ ſunt ſubditorũ, unde fit ut à ſuis ſubditis contemptui habeantur: ac illi minimè cogitent, ſe poteſtati tanquam à* Deo *ordinatæ, ad obediendum eſſe obligatos.* Q*uòd ſi poteſtas recordaretur, ſe non ad offenſionem, ſed defenſionem eſſe datam, iuxta doctrinam* Pauli,[a] *et* Eccl*ſiaſtici uerbo diuino iugularent uitia,*[b] *eodem docente, utrique ſuo gladio uterentur ad tollendum malos, defendendum uerò bonos: haud dubiè res bene conſtaret.* Q*uia uerò ſuo fortaſsis gladio utrique abutuntur, fit ut neutri ſuam dignitatem & tranquillitatem tueantur.*

Si diligeretis me.] Magnum *erat myſteriũ, filium* Dei *ueniſſe in mundum: & illud non admodum perfectè intelligebãt* Apoſtoli. Summum *itaq; hoc eſſe gaudium dicit* Chriſtus, *quoniam ad patrem abeat, mutare ſcilicet, & immortale facere quod ſuſceperat mortale, & leuare in cœlum quod erat in terris: hoc eſt naturam humanam, quæ ſic eſt aſſumpta à uerbo, ut immortalis conſtitueretur in cœlo, ut incorruptibilis ſederet ad dexteram patris, omnia bona apud patrem impetratura, nobis & cunctis fidelibus.* Q*ui pater maior eſt* Chriſto *ſecundum illã naturã, in qua conuenit ei mori & exaltari.* Q*uo quidem fortiſsimè diluitur* Arij *falſitas, aſſerentis filium in diuinis & eſſentia à patre diſtingui.*

Et nunc dixi uobis.] Vt *uerus* Deus, *cui ſoli proprium eſt uentura et futura certò prædicere, quemadmodum ex* Eſaia *patet. qui cum derideret idola:*[c] Q*uòd ſi, aiebat,* Dei *eſtis, annunciate nobis quæ uentura ſunt, & ſciemus quia dij ſitis.*

Iam non multa.] Tempus *paſsionis inſtabat: quare ſermonem ſuum in alium transfert locũ.* Et *ut nouerat, quib. animus geſtiret, quàm citiſsimè ut tolleretur, idq; inſtinctu maligni ſpirit⁹:*

Venit, inquit, princeps huius mundi] Q*uaſi dicere uellet:* Adam *præcepta* Dei *ſui contemnens, iurè morti ſubiectus eſt.* Hinc *igitur*

omnium

omnium hominum miſeria, ut ab ipſo Satana tan-
quam principe ſuo tyrannidē patiantur. Et is quo-
niam alijs me ſimilem eſſe iudicat, primùm me ag-
greſſus eſt, ſi forſan deijcere poſſet: & quia
ſpe ſua fruſtratus eſt, Iudæorum ueſanas mentes
aduerſum me incitauit, ſed in me non habet quic-
quam. Non ſum ſicut cæteri homines: Sanctus
ſum ego ſanctorum,[a] in quo nullum peccatum, &
nullus dolus: quem proinde rectè ſanctiſsiméq; di-
xiſtis eſſe filium Dei.[b] Nullum idcirco ius & cau
ſam mortis in me habet, ſed ut Cognoſcat
mundus.] Voluit pater me filium hominem
fieri, & pro uita ueſtra aliorumq; mortem ſubire,
quo mors moriatur, & interitus imperiū deſtrua-
tur. Hæc eſt igitur maxima charitas, qua dilexit
nos Deus cunctipotens, ut unigenitum ſuum da-
ret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed ha-
beat uitam æternam: Amen.

SACROSANCTISSIMAE TRI
nitatis die Euangelium, Ioan. 3.
Erat homo ex Pha-
riſæis.

INter multos qui ex conſpectis Ieſu miraculis
nonnullam de eo opinionem conceperant, erat
quidam nomine Nicodemus, ſectæ Phariſaicæ di-
gnitate præeminens & princeps. hic quoniam ſa-
tis eſſe putabat ad ſalutem, ſi tantum admira-
tione digna admiraretur. nocte adijt Ieſum, ne ſuæ
gloriæ iacturam faceret. Forma eſt Nicodemus il
le multorum credentium quidem: at ne iacturā pa
tiantur rerum huius mundi, confitentur ſe quidem
noſſe Chriſtum, factis autem negant. Et ait ille:
Rabbi, ſcimus quia à Deo uenisti,
&c.] Vt plurimum Iudæi Ieſum nihil aliud ſuſpi-
cabātur eſſe quàm Prophetam aliquem, cui Deus
faueret præ cæteris, & adeſſet in edendis mira-
culis: cui opiniones illæ uariæ apud Matthæum ar
gumento eſſe poſſunt. Verùm ut gloriæ minimè
cupidus unquā & quouis tempore fuit Chriſtus:
ſic ſanè prætериens Nicodemi uerba, blanda tan-
tum comitate eum prouehit ad penitiora, & diui
niſsima ipſa myſteria. & inquit: Amen di-
co uobis.] Non ita, ut putas Nicodeme, pieta-
tem ac fidem conſequêris: nudis uerbis iuſticiam
adipiſci nequaquam te poſſe exiſtima, longè aliud
tibi atq; alijs myſterium, aditum præbebit ad ipſam
ſalutem, paratam uerè diligentibus patrem meum.
Non enim ſatis eſt noſſe religionem, quàm uos pu
tatis in dogmatum ratione ſitam, de cōuerſatione
nihil uel parum cogitantes. Equidem ego hominē
ad regnum Dei dico uenturum, ſed non niſi rena-
tum denuò. Hinc planè docemur, Chriſtum dupli
cem natiuitatem hominum oſtendiſſe: carnalem
uidelicet, qua in hunc mundū naſcimur in pecca-
to, & morti æternæ obnoxij, dicente Apoſtolo:
Per unum hominem peccatum in hunc mundum Rom. 5.
intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes
homines mors pertranſijt, in quo omnes peccaue-
runt. Et ut alio in loco dicit: Eramus omnes natu- a Eſa. 53.
râ filij iræ. Peccante Adamo factum eſt, ut malum Epheſ. 2.
hoc in uniuerſam poſteritatē dimanarit, ita ut ue- b Matth. 16.
riſsimè dixerit D. Auguſtinus: Firmiſsimè teneas, Ioan. 6.
omnem hominem qui per concubitum maris &
feminæ concipitur, naſci cum peccato originali;
impietati ſubditum, mortiq; obnoxium, & filium
iræ dici. Vt ergo filij Dei fiant homines, aliā profe
ctò rationem eſſe oportet quam autem? niſi ut re-
nouetur homo, & renaſcatur: non quidem iuxta
carnem, ſed ſpiritum, purget infectam ac depra-
uatam naturam, & priſtinæ reddat puritati, ut in
cœleſtibus ſedere poſsit: quod apud Ioannem dici-
tur, Ex Deo naſci, & filios Dei fieri. Porrò Nico Ioan. 1.
demus animalis, nec ultra res humanas quicquam
cogitans, myſteriū iſtud minimè intelligebat, quo-
modo ſcilicet homo uerbo Dei & Spiritu ſancto
fieret cœleſtis & immortalis. Idcirco dixit:
Quomodo poteſt homo.] Craſſus
craſſa profert. At Chriſtus minimè offenſus ho-
minis cruditate, ſuam exactiſsimam doctrinā quæ
ſpiritus erat, planius explicat, ſignificās filios Dei
fieri per baptiſmum aquæ & ſpiritus, per quem
homines de tenebris peccati & mortis naſcantur
ad lucem uirtutis & uitæ æternæ, quemadmodū
Propheta dudum ſignificaſſet aperuiſſetq; his uer Ezec. 36.
bis: Effundam de ſpiritu meo, &c. & alius: Effun
dam ſuper uos aquam mundam, & mundabimini
ab omnibus inquinamētis ueſtris: hoc eſt, abijcie-
tis mortalitatem ueſtram, & uiuetis perpetuò, qui
facti eſtis filij æternæ damnationis. De hoc igitur
ſacratiſsimo myſterio equidem plura nobis com-
mendata eſſe debent, præſertim quòd uidemus
tantam gratiam uilipendi, imò contemptui haberi
ac planè negligi, dum uetus error ac ſepultus re-
pullulaſcit, Baptiſmum paruulis nec neceſſarium
nec prodeſſe. Vt igitur plura pauciſsimis abſolua-
mus, rem iſtam tractaturi, Baptiſmi ſacramētum
ex mandato Domini & diuina promiſsione habe
mus, ad ſalutem conſequendam omnimodo neceſ-
ſarium. Quis enim Dominum noſtrum menda-
cem faciet, dicentem: Niſi quis renatus fuerit ex
aqua & Spiritu ſancto, non intrabit regnum cœ-
lorum? Quare etiam ultimo feſtiuitatis die, ſuos
quos è mundo elegerat Apoſtolos emittens, iuſsit

omnes baptiʒari in nomine Patris, & Filij, & Spi
ritus ſancti: ut ſcilicet diuina uirtute ab omni pec
cato mundati & regenerati, efficiantur filij Dei,
quemadmodũ Ambroſius inquit, ſic dicens: Depo
ſuiſti ſenectutem peccatorum, ſumpſiſti gratiæ iu
uentutem: iſta gratia quam accepiſti, ſi modò eam
teneas, erit diuturna atq; perpetua. Confert igitur
baptiſmus iuſtificationem, & de ea nos planè cer
tos facit, modò ut ſecundum Apoſtolum in nouita
Rom. 6. te uitæ ambulemus. Chriſtus enim tradidit ſemet
ipſum pro Eccleſia, ut illam ſanctificaret, munda-
a Damaſcenus. tam lauacro in uerbo uitæ. Oportet ergo commo-
ri & cõſepeliri Chriſto, & reſurgere cum Chri
Galat. 3. ſto in uitæ nouitate. Quicunq;, inquit Paulus, in
Chriſto baptiʒati eſtis, Chriſtum induiſtis. Cæ-
terùm quoniam tam neceſſarium diximus unicui-
que ad ſalutem baptiſmi ſacramentum, ut etiam
Auguſtinus omnes paruulos regno cœleſti exclu-
dat, non renatos, cum inquit: Non ſolùm homines
ratione utentes, uerumetiam paruulos, qui in ute-
ris matrum moriuntur, ſiue iam de matribus nati
ſine Sacramento baptiſmi de hoc ſeculo tranſeũt,
puniendos cenſemus: quia etſi peccatum actuale
b Rom. 11. nullum habent, originalis tamen peccati damna-
tionem ex carnali natiuitate traxerunt: meritò in
quæſtionem uenit, ubi nam Abraham, Moſes, He
lias, hocq; genus alij ueteris teſtamenti uiri? Equi
dem uirtute fidei ſaluati ſunt, cuius in Abrahamo
ſignum iuſticiæ per ſignaculum circumciſionis
acceperunt, & demum iuxta promiſsionem in ſan
guine & aqua è latere Chriſti defluxis baptiʒati
ſunt. Spiritus ubi uult, ſpirat.] Vt hãc
rem Chriſtus magis probaret, explorata ſimilitu-
dine ab aere quo uegetamur deducta utitur.
Quemadmodum enim ille ab alijs atq; alijs mundi
partibus effectu ſuo ſe prodit, nobis planè neſcien
tibus, ac minimè apprehendentibus: ita mentes ho
minum ab arcanis afflatibus ſpiritus Dei rapiun-
tur ac transformantur. Reſpondit Ni-
codemus, ac dixit.] Mirum uidebatur Nico
demo, qua ratione homo corporeus renaſcatur in
ſpiritum, & fiat diuinus. Idcirco Ieſus oſtendit,
ea quæ cœleſtis doctrinæ ſunt, non percipi ratio-
nibus humanis, ſed fide, quæ difficilia intellectu ita
animo repreſentat, quaſi coràm cernerentur. &
ad hanc tanquam baſim remittit eum, dicens:
c Oſeæ 13. Quod ſcimus, loquimur.] Ne quæ-
rant homines quæ excedunt humanũ ſenſum ſiue
d Num. 21. intellectum, cum nec probè ac perfectè intelligãt
Eccleſiaſt. 3. quæ ante oculos eorum ſunt, ut ſapientiſsimè di-
ctum ſit: Quæ ſuprà nos, nihil ad nos. Socrates
enim, ut princeps facilè philoſophorum fuit, hoc di
xit, cum ſciret ne illorũ quidem rationem ſe com-
prehendere poſſe, quæ aperta oculis eſſent: quo-
modo igitur de rebus cœleſtibus exactiſsimè quis
diſputaret? Ait autem Chriſtus: Mihi credas Ni-
codeme, qui hæc quæ cœleſtia ſunt comperta cer-
taq; habeam: unde quoq; diuinam mihi eſſe natu-
ram, quanquam mortale corpus circumferam.
Nemo aſcendit in cœlum.] Sanctiſ-
ſimam trinitatem oſtendit, quæ nihil aliud eſt
quàm Deus ipſe, unus in eſſentia, & trinus in
perſonis, Patris ſcilicet, & Filij, & Spiritus ſan-
cti: quam dum ſcire uolumus, fit ut nihil ſciamus.[a]
Deus enim (ait ille) cum dicitur, non poteſt dici:
cum æſtimatur, non poteſt æſtimari: cum compa-
ratur, non poteſt comparari: quia ſimile non ha-
bet, quoniam cœlum & omnem mundi ambitum
manu ſua claudit. Hanc diuinitatis excellentiam,
& quòd Dei eſſe inſuperabile pelagus ſit, omnem
ſenſum, omnem naturam, omne deniq; tempus ſu-
pergrediens, oſtendere cum uellet diuus Apoſto-
lus, in ſtuporem uerſus exclamauit: O altitudo di
uitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incom-
prehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabi
les uiæ eius.[b] Qui uult ergo ſaluus eſſe, ſimpliciter
credat in Dei trinitate eſſe unitatem, & in eiuſ-
dem unitate eſſe trinitatem, & ibi nihil prius aut
poſterius, nihil maius aut minus, ſed tres perſonas
ſibi coæternas ac coæquales eſſe. Cui ter adoran
dæ Triadi ſit honor, et gloria: Amẽ. Porrò quia
uerus erat, eſtq; atq; erit Dei filius Chriſtus Ie-
ſus: bene equidem dixit, ſe ſolum cœlum aſcenſu-
rum. Nemo ſiquidem ſine eo aſcendet illuc. quod
enim homines ſalui futuri in cœlum conſcendent,
haud aliter eis continget quàm tanquam membris
cohærentibus ſuo capiti Chriſto. Supponit autem
de morte ſua, quæ eſt potiſsima cauſa, ut naſcan-
tur homines ex ſpiritu, & ſaluentur, ac inquit:
Et ſicut Moſes.] Etiamſi filius ſum Dei
à diuinitate nequaquam ſecluſus, humilis tamen,
& obſcurus reputabor in terris. Sed ita uiſum eſt
diuino conſilio Dei, uidelicet gloriam per ſum-
mam ignominiam mũdo declarare. Charitas Dei
omnipotentis erga genus humanum deſtinauit
me ut filium mortem ſubire, iuxta mundi exiſti-
mationem quidem probroſam, at in ueritate om-
nium ſaluberrimam: quoniam ero mortis mors
ipſiſsima, iuxta uaticinium Prophetæ:[c] quam
proinde ipſe Moſes futuram adumbrauit, quum
pereunte populo ſerpentum incurſu, ſerpentem
æneum ſuſpendit in ſtipite,[d] ut quicunque flexiſ-
ſent huc oculos ſuos, incolumes eſſent à morſu
letali. Ita exaltari oportet filium hominis, ut om-

nes

nes qui huc per fidem ſuſtulerunt oculos, à letife-
ro peccati ueneno liberentur: qui ſincero pectore
fiduciam in illo collocet, non pereat, peccato ob-
noxius quod mortem affert æternam, ſed per mor
tem unius innocentis uitam obtineat æternam.
Ipſe Chriſtus ſit propitius peccatis noſtris, in cu-
ius cruce, hoc eſt paßione gloriari oportet, in quo
eſt ſalus, uita & reſurrectio noſtra, per quem ſal-
uati & liberati ſumus. Viuat Chriſtus, uiuat per
ſecula, uiuat.

DOMINICA PRIMA POST Trinitatis, Euangelium Lucæ 16.

Erat diues.

CHriſtus Ieſus unigenitus Dei filius, nihil
eorum omiſit quæ ad ſalutem æternā per-
tinent, ita ut uerißimè dicere poßit: [a] Nunc ergo
habitatores Hieruſalem, & uiri Iuda, iudicate in-
ter me & uineam meam, quid eſt quod ultra face
re debui, et non feci? Nam nobiſcum conuerſatus
eſt, & paſſus propter delicta noſtra, moxq; reſur
rexit propter iuſtificationem noſtram, & ubi ſe
uiuum præbuit ſuis diſcipulis certißimo argumen-
to, rurſum manifeſtè iuit in cœlum, unde uenit Spi
ritus ſanctus, uerus doctor ac rector omniū Chri
ſti ſanguine redemptorum. Qui ergo pro omnib.
mortu' eſt, omnes uult ſaluos fieri. Qui igitur pe-
reunt à gratia excidentes, nō niſi ſuapte malicia
pereunt, dum oblatam ſalutem reſpuunt, negligen
do ea quæ obſeruanda à Deo demādata ſunt, ſum-
meq; præcepta. Quam rem quo maiori ſtudio no
bis inculcaret Chriſtus, hanc apertißimam hiſto
riam in medium produxit, De diuite ſcilicet, et om
nium miſerrimo homine Lazaro: & ut nihil fru-
ſtra ab ipſo Chriſto unquam dictum fuit quin ſuā
haberet energiam, ita haud abſq; ratione dixit:

Epulabatur quotidie ſplendidè.] Cauſam damnationis inſinuat. Is enim nullibi le-
gitur aliena rapuiſſe, ſed ſua ſubſtantia contentus
neminem defraudabat, & tamen in infernum de-
truſus eſt. Quis igitur modò nō cautè ambulabit
multæ ſubſtantiæ poſſeſſor, ut ſcilicet ea rectè iu-
ſteq; collecta non abutatur, ſed ut fidelis diſpenſa
tor opum ſibi conceſſarum, commodum atque u-
tilitatem hanc eſſe exiſtimet, ſi iuuetur proximus;
& honor Dei promoueatur. Vnde meritò om-
nes precari debent, ut detur ſic tranſire per bona
temporalia, quo non amittantur æterna. Factum eſt, ut moreretur mendicus.] Ad
affectus mouendos ordine miſeriā extremā Chri
ſtus recenſuit. nō enim illum tantummodo inopia
ac egeſtate preſſum dixit, ſed qui etiam ulceribus
plenus eſſet, adeoq; famelicus, ut tantum ſaturari
peteret micis, pedibus aliàs cōculcandis. Et nemo
hominum ad miſerendum ei mouebatur, etſi ca-
nes, alioquin hominibus familiares, uelle uiderētur
lenire ipſa miſeria miſerioris dolorem. Sed felicißi
mum eum, qui dolorem momentaneum cum æter-
nis gaudijs ac ſumma iucunditate cōmutauit, quan
do dicitur eum ab angelis in Abrahæ ſinum depor
tatum. Gaudeant ergo oportet pauperes ſpiritu,
& quotquot tribulationes patiuntur propter iuſti
ciam: nec deſperēt quaſi à Deo derelicti, imò ipſi
cogitēt ſe hoc modo maximè cōmendatos, ut dum
hic à malo mundo cruciātur, tandem æternaliter
conſolentur. Sic enim dictum eſt diſcipulis: Beati
eſtis, gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra Matth. 5.
copioſa eſt in cœlis, cum maledixerint uobis ho-
mines, cum perſecuti uos fuerint. Hinc quoq; illi ſe [a] Eſaiæ 5.
inuicem conſolantes dixerunt: Quoniam per mul Actor. 14.
tas tribulationes oportet intrare in regnum cœlo-
rum. Et Paulus poſt multos exantlatos labores, ua
riasq; iniurias: Bonum, aiebat, certamen certaui;
curſum conſummaui, fidem ſeruaui, & non contri
ſtor: quoniam repoſita eſt mihi corona iuſticiæ,
quam daturus eſt mihi iuſtus iudex. Mortuus eſt & diues.] Mortuus eſt, quia mors ulti 2. Tim. 4.
ma linea rerū, quæ etiā nemini parcit. ſed longè ali
ter euenit quàm diuitiarum Pluto pollicitus erat.
præter enim id q, nihil ſecum ſumpſit, nec honorē
quoq;, pro ſuperbis ædibus tartarū recepit, pro de-
licijs uerò cruciatum æternū. Vnde haud abſurdè
colligitur, difficilè hominem hic et in futuro poſſe
ſimul eſſe beatū: imò diuitias plerūq; cauſam eſſe,
quare damnentur homines. Quàm difficilè, inquit Matth. 19
Chriſtus, in regnum cœlorum diuites intrabūt. Et
Apoſtolus: Qui uolunt diuites fieri, incidūt in ten 1. Tim. 6.
tationem, & laqueum diaboli, & deſideria multa
nociua quæ mergunt homines in interitum, et per-
ditionē ſummā. Ergo malæ ſunt diuitiæ? Nō quidē,
ſed crimē malè utentiū, qui auaricia deprauati, ne-
glectis præceptis Domini, aurū dicūt & argentū
meū eſt: Agg. 2. Et proinde audiendus eſt Dauid, Pſal. 61.
ſic dicens: Diuitiæ ſi affluūt, nolite cor apponere.
quaſi circumſpiciētes diligēter, opibus ſic utimini,
ne pro præſentibus, quib. nimiū inhiatis, perpetua
perdātur. Melius equidem homo ſibi haud cōſulit
prouidetq;, quàm ut uitā bene atq; innocēter inſti
tuat: momētanea ſiquidē ſunt quæ uidētur, & cru
ciatus malorū ſempiterni, dicente Chriſto: Væ uo Lucæ 6.
bis diuitibus, qui habetis cōſolationem ueſtrā: Væ
uobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis: Væ uobis qui
ridetis, quia lugebitis. quamobrem olim quoq; Apo
ſtolus diligēter iuxta ac piè Timotheo cōmenda 1. Tim. 6.
bat, diutiū apud ſe ſummā in docēdo quo curā age-

ret, quos doceret non ſublimè ſapere, neq; ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo uiuo ac uerò, be-
a Sapien.3. ne agere, & diuites fieri in bonis operibus, &c.

Fili recordare.] Diues iſte cũ eſſet in tormentis iuxta animam, quæ ſuis potentijs perfectè fungebatur, hoc eſt ratiocinabatur, colligebat, & ſentiebat, recordatus eſt malè tranſactæ uitæ, & quàm iucundè uiueret modò Lazarus, qui fuerat omniũ abiectiſſimus: & cœpit implorare eius opẽ, at fruſtra: quoniã lignũ ubi ceciderit, ibi manet. & propterea audis, quod ſpiritui tribuere debemus, cum nulla anima loquatur niſi inſtrumẽto, id eſt, corpore aliquo rurſum aſſumpto. Veruntamen

Recepiſti bona tua.] Docemur nullum bonũ ut nõ manet irremuneratũ à Deo, ſic neq; aliquod malũ impunitũ, cum æquus ſit omniũ iudex Deus. et propterea inquit Scriptura: In die bonorum ne immemor ſis malorũ, & econtrà: quoniã
b Matth.25. Deus retribuet unicuiq; iuxta uias eas in quibus ambulauit. Ideoq; nemo ſibi de ſuis adblandiri debet peccatis, quaſi in ea Deus nõ ſit animaduerſurus, nec pius de remuneratione uel dubitare uel deſperare. Quoniã filius hominis uenturus eſt in gloria patris ſui, & tunc reddet unicuiq; ſecundũ opera eius. Itaq; peccatores ſupplicij, & rectè ui-
c Pſal.129. uentes præmij & coronæ recordari debent, & obinde dictũ eſt diuiti: Tu cruciaris.] Etiãſi Deus mitis ac miſericors ſit: tamẽ poſt hanc uitam miſericordiæ nullus locus eſſe poteſt, quia nõ promerendi ſed recipiẽdi locus eſt. quod igitur homo nõ poteſt aſſequi, uiſum fuit priſcis illis, ut pro eo preces ac ſupplicationes perſoluerẽtur ac fierent continuæ, ut uidebit pius lector in Chryſoſtomo, Auguſtino, Theophylacto, atq; alijs. Iuſtè aũt negatur miſericordia diuiti, quia ipſe dũ uiueret pau-
Iac.2. peris noluit miſereri. Iudiciũ, inquit Iacobus, illi ſine miſericordia, qui nõ facit miſericordiã: quomodo dignus eſſet miſericordia, qui nulli miſericordiã exhibet? Hoc ipſum iuſtũ erit, ut qua menſura mẽſi fuerint, remetiatur illis. Et in his omnib.]
d Theophylactus. Abrahã ſic reſpõdendo ſignat pœnã eorum qui in inferno ſunt fore perpetuã, & inde nullam futurã eſſe redemptionẽ. Sicut enim ſancti inceſſabile habebũt gaudiũ, ita iniuſti indeſinentẽ pœnã, quẽad-
Eſaiæ 69. modũ Scriptura dicit: Vermis eorũ non morietur, & ignis eorũ nõ extinguetur. Quanquã enim immenſa ſit Dei miſericordia, qualitas tamen peccati & offenſi pœnam meretur infinitã. nam homo Deũ infinitũ offendit. hoc dilucidè demonſtratur in primis noſtris parentibus, quibus pro culpa temporali mitiſſimus alioquin Deus pœnã ſempiternã inflixit. Deinde quoniã ſemper peccaret homo, ſi ſemper uiueret. quod enim peccatum dimittit, nõ eius ex parte, ſed Dei, qui facultatem peccandi morte media abſtulit, factũ eſt. Dicũt enim impij: [a]Exiguũ tempus eſt uitæ noſtræ: uenite ergo, fruamur bonis. Cumq; in profundũ ueniũt, ex obſtinatione ſibi peccãdi frena relaxant. quomodo igitur damnationem euadent, quos ab uſu ſuæ iniquitatis nulla diuini timoris memoria cohibebat? meritò ergo & iuſtè æternis deſtinãtur cruciatibus. Cæterùm quomodo mortuis cura ſit de uiuis, cũ difficilis ac intricata materia ac quæſtio ſit, nec noſtri inſtituti, pium lectorem ad Auguſtinum, eiuſmodi difficultatibus intentiſſimũ, remittendũ ducimus. Quod aũt audit diues, Habẽt Moſen, & Prophetas.] certum eſt, neminẽ excuſationẽ habiturũ, cum tam euidentiſſima Scriptura ſit uiã ad ſalutem æternã conſequendã demonſtrãs, quid ſcilicet facto opus ut in perpetuũ uiuas, et effugias malã illam auditionẽ, [b]Ite maledicti in ignem æternum: quam proferet immẽſæ iuſticiæ iudex ſuper omnes impios, ut nunquã careãt ſupplicio peccati, qui uiuentes adhuc peccato nunquã carere uoluerũt. Studeamus itaq;, dum tempus habemus, bona ad omnes operari, eſſeq; ad omnẽ miſericordes, ut ipſi miſericordiã cõſequamur, ſummè nobis neceſſariã. [c] Si enim iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? ait Propheta.

DOMINICA SECVNDA POST Trinitatis Euangelium, Lucæ 14. Homo quidam fecit cœnã magnã, & miſit ſeruos ſuos.

CVm Ieſus in parabolis iam locut' eſſet ualde docta atq; egregia, quomodo uidelicet in reſurrectione iuſtorũ, quiſque retributionem eſſet accepturus pro bonis in pauperes elargitis: quæ cum à nõnullis perperã intelligerẽtur, de rebus nimirũ corporalibus atq; mundanis, hanc aliã ipſe ſubiungens parabolã, demonſtrat cœnã illã in regno Dei paratã æternamq; eſſe, & ait: Homo.] Patrẽ ſuũ cœleſtẽ intelligit, quem hominẽ dicimus, [d]quoties illius miſericordiã prædicare libet. Fecit aũt is nuptias filio ſuo, hoc eſt, Ieſu Chriſto: ſimulq; cœnam magnã æternæ beatitudinis, quando eum incarnari uoluit. Nam quando homo propter præuaricationem in hunc miſeriæ campũ detruſus erat, inedia preſſus, refectiõe indigebat, et famelica erat omnino anima uniuſcuiuſq;. hunc diues ille pater ex mera gratia ac miſericordia ſic reficere inſtituit, ut poſthac nunquam eſuriret, in hoc mittẽs ſuũ filiũ ut redemptorẽ & ſatisfactorem, pro ijs delictis quæ hominẽ ad ſummã illã inediã detruſerãt. Erit itaq; cœna primũ fides. ſicut

ſcriptum

ſcriptum eſt: [a] Non in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Vtcunque enim corpus ſagmetur, anima ſi uerbo D:i non nũ triatur, hominem interire neceſſe eſt. Hoc uoluit Chriſtus, cum mulieri reſpondit: [b] Omnis qui bibit ex hac aqua, ſitiet iterum: qui aũt biberit ex aqua quã ego dabo ei, nõ ſitiet in æternũ. Quàm primũ aũt, ut diuinus ait Apoſt. [c] Iuſticia Dei per fidem Ieſu Chriſti uenit in omnes, et ſuper omnes qui credunt in eum: alia mox parata eſt cœna, Euchariſtiæ ſcilicet, ubi uerũ corpus uerumq; ſanguinẽ Ieſu Chriſti ſumũt, iam credentes facti. ſiquidẽ dixit ille: [d] Caro mea uerè eſt cibus, et ſanguis meus uerè eſt potus, &c. Cœnã hanc longè auguſtiſſimã nemo fideliũ ſatis explicare ac laudibus euehere poteſt. Sic ergo Chriſtũ ſumimus hic in myſterijs tremendis, ut ad cœnã gloriæ & beatitudinis in regno cœlorũ peruenire queamus, quã uerè cœnã nuncupamus, quoniã in fine erit, in nouiſſimo uidelicet die, ubi ſinguli recepturi uenient quæcunque geſta ſunt in terris, ſiue bona ſiue mala. In hac cœna aderunt omnia ad incõparabile gaudiũ cõducentia, ut nihil deſiderari poſſit. **Et miſit ſeruũ ſuum.]** Quis ſit ille ſeruus, nemo melius Paulo nobis aperiet. ait enim: [e] Cum in forma Dei eſſet Ieſus, exinaniuit ſemetipſum, formã ſerui accipiẽs. Et rurſum alio loco, ubi inquit: [f] Venit plenitudo temporis, miſit Deus filiũ ſuũ factũ ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erãt, redimeret: hoc eſt, diceret inuitatis ut uenirent, quoniam iam parata eſſent omnia quæ ſalutis humanæ eſſent. Quod equidẽ fecit Ieſus, quãdo clamauit: [g] Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, et ego reficiã uos. Et cum ipſe ſit uerus Deus & uerus homo, miſit ſeruum ſuum, hoc eſt, Apoſtolos ſuos. [h] Nunquid enim nõ illi dixerunt: Deus qui prænunciauit per os omniũ Prophetarũ pati Chriſtũ ſuũ, impleuit ſic? pœnitemini igitur, & conuertimini, ut deleãtur peccata ueſtra? At quid factum fuit?

Cœperũt, inquit, ſimul omnes excuſare.] Excuſatio eſt diuini uerbi & præceptorũ Dei contemptus, dicente Chriſto: [i] Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucẽ. Vnus dixit, Villã emi. Auguſtinus ait: In uilla empta dominatio notatur, & ſuperbia, quæ eſt peruerſæ celſitudinis appetitus, & hæc eſt initiũ omnis peccati: in cœlo incepit, & detracta eſt ad inferos. Quiſquis igitur amator mundi eſt, & dignitatum, nec nõ dominationis & ambitionis, cœleſtia obliuiſcitur ac negligit. [k] rectè igitur Salomon ſapientiã à Deo poſtulauit, qua ducente populũ ſuũ iuxta Domini uoluntatem regere poſſet. **Alter dixit, iuga.]** Auari hic notantur, et cupidi, qui dum terrenis nimis intenti ſunt, occæcãtur, et cœleſtia co- a Deut 8.
gitare nequeunt. quãobrem Chriſtus ſuos diligẽ- Lucæ 12.
ter præmonuit diſcipulos, ne ſeſe huius mundi rebus & negotijs implicarent: Cauete, inquiens, ab b Ioan.4.
omni auaricia: quia non in abundãtia cuiuſq; uitá eius eſt, ex his quæ poſſidet. Hoc malũ, ac homini
perniciosiſſimũ eſſe, cum ſciret Paulus, ſcripſit Ti- c Rom.1.
motheo: Qui uolunt diuites fieri, incidunt in ten- 1.Tim.6.
tationẽ, & laqueũ diaboli, et deſideria multa, quæ mergũt homines in interitũ: quod ut uerũ ſit, res ipſa loquitur, quam ſcilicet omnis improbitatis &
nequitiæ fundamentum ſit libido habendi. ex ea d Ioan.6.
namq; cædes, furta, ſacrilegia, et alia emanant mala. Vult ergo eſſe excuſatus, quiſquis hac labe infectus eſt, dum ore ſuũ Deũ cõfitetur, factis aũt negat. **Tertius uerò dixit: Vxorẽ duxi.]** Quid? nunquid malũ eſſe matrimoniũ hinc docetur? Minimè. qui enim omnia benefecit, illud inſtituit pariter, ac ſanctificauit. ut meritò dãnẽtur Tatiani, & Marciani, aſſerẽtes homines in ſtatu coniugali ſaluari nõ poſſe. Ergo nõ, honorabile coniugiũ et thorus immaculatus Deo diſplicẽt, faciũtq;
homines cœna illa indignos, cum dictũ ſit: Relin- Gen.2.
quat homo patrẽ & matrẽ, ut ſuo adhæreat ſimi- e Philip.2.
li, &c. Sed laſciui ac carnales, qui nõ uſum legiti- Matth.19.
mũ tenẽt, ſed ſaltẽ ut execrandã uoluptatẽ exple- f Galat.4.
ant, intelligũtur ſeparãdi: uidelicet Sodomitæ, fornicatores, & adulteri. Deinde oẽs carnaliũ uolu-
ptatũ ſectatores. Eſca enim et potus nõ ſunt regnũ Rom.14.
Dei, ait Apoſtolus. et hoc in epulone illo apparet,
quẽ in infernũ ſepultũ fuiſſe Lucas teſtatur. Ad i- g Matth.11.
ſta uerò tria uitia, omnia alia quæ hominem ab illa Lucæ 16.
cœleſti beatitudine ſecludũt, reducũtur. Nã ut ſan-
ctus Ioan. ſcribit, omne quod eſt in mundo, cõcupi- 1.Ioan.2.
ſcẽtia carnis eſt, cõcupiſcẽtia oculorũ, & ſuperbia h Actor.3.
uitæ. **Et reuerſus ſeruus.]** Ingratitudinẽ Iudæorũ uidere eſt nõ tantũ in ijs quæ circa Chriſtũ acta ſunt, uerumetiã quãdo nec Apoſt. ſuſceperunt, imò eiecerunt extra ciuitates ac ſynagogas: unde ira ſuccenſus Deus abſtulit ab eis regnũ, &
dedit illud genti faciẽti fructus bonos. Nã reiectis i Ioan.3.
principib. ac Phariſæis, etiã publicani ac meretrices, aliiq; infimæ ſortis homines, ad illud ſalutiferũ cõuiuiũ uocati fuerũt: quo facto, locus nihilominus tamẽ remãſit, qui ut quoq; impleretur, iubet Dominus ſeruũ, ut undecunq; etiã cõpellat intrare. Hoc ut de gentib. ſingulis dictũ eſt, per diuerſas orbis partes ad fidẽ & gloriã uocatis, quãdoquidẽ repu-
liſſent Iudæi ſanctiſſimũ uerbũ, ſeq; indignos iudi- k Sapien. 9.
caſſẽt æterna uita: ſic quæri poteſt tamẽ, quid ſibi uelit, cõpelle intrare. nũquid coacti uenitũt ad ſalu-

tem homines? Nō equidē. cū dixerit Chriſt⁹: Qui uult uenire poſt me, &c. Sed quia oportebat magna hoc fieri cum uirtute Dei. Nam (ut Theophylactus inquit) niſi magna prædicata fuiſſet uirtus, & magna fuiſſet uerbi ueritas, quomodo perſuaſi fuiſſēt homines in idolorū cultu inſaniētes, & fœda operātes, ut uerū repentè agnoſcerent Deū, & ſpiritualē diligerēt uitā? Igitur admirabilē tranſlationem ſignificare uolēs, neceſſitatem nominauit. Quòd aūt ait, Dico uobis.] *Simpliciter oēs regno excludit ſuo, qui per ipſum atq; Apoſtolos ad ſalutē uocati, ſuis impijs factis ſeſe excuſarunt, quo equidē triſtius quid eſſe poſſet? quid enim amarius, & magis deflendū, quàm à refectione huius cœnæ hic per gratiā, et in futuro per gloriā excludi, cū nihil iucūdius erit quàm diuina uiſione frui?*
a Ioan.10. *Audiamus itaq; Auguſtinū piè docentē: Hoc noſſe*
De Verbo Domini. *primitùs, et Chriſtiano corde tenere debemus, nō*
b 1.Pet.2. *ad præſentis tēporis bona nos factos eſſe, ſed ad aliud quod De⁹ ꝓmittit: regnū ſcilicet. ꝗ paratū eſt ab origine mūdi, uita æterna ubi nunꝗ moriemur.*

DOMINICA TERTIA POST Trinitatis Euangelium, Lucæ 16. Erāt aūt appropinquātes ei publicani & peccatores, &c.

Clemētiſſimus Saluator poſtquā docuit ſuperbiam euitare, auariciā quoq; et luxuriā deteſtari, et omnino caducis nō teneri, conſiderās quia fragilitas humana firmū ueſtigiū in tanto ſeculi lubrico tenere uix poſſit: mens enim hominis ad aliud ſemper impellitur, & niſi in ſtatu ſuo arcta cuſtodia diſciplinæ teneatur, ſemper in deteriora labitur, & cū ad meliora nititur, nititur quidem iuxtà prouerbiū, Contra torrentē. Aduerſus igitur errorē & peccatū in quod homines carnales incidūt, remedia iam demōſtrat, cum piū patrē ſuū ac miſericordē reuerſis ueniā benigniſſimè largiturū, ac oēs illos ſuſcepturū oſtēdit. Ad Euangeliū redeo. Erāt appropinquātes.] *Cum*
c 1.Pet.2. *admirādæ cuiuſdā Chriſtus eſſet erga omnes hu-*
Matth.11. *manitatis & māſuetudinis, ita ut diceret*, Venite
d Ephes.5. *ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, et ego reficiā uos: factū eſt, ut & publicani & peccatores ad illū accedere auſi ſint, haud dubiè ut emendarentur. Vidētes hoc ſcribæ et Phariſæi, partim*
e Ioan.3. *faſtu, ut qui ſanctiores cæteris uideri uolebāt, partim Scriptura dehortāte à malorum cōſortio, partim quo Chriſto infamiā impingerēt, moti, murmurare cœperūt, dicētes:* Quare hic pecca-
Exod.23. tores recipit.] *A Moyſe dictū erat: Sic ait Dominus omnipotēs: Ego eijciā ante faciem tuā Iebuſeū, &c. Caue ne unquā iungas amicitias cū habitatorib. terræ illius, ne ſint tibi in ruinā. Aiūt ergo: Hic qui nouā ſanctimoniā profitetur, & cæteris habetur ſanctior, ecce non uitat malorū cōſortia, quinetiā oēs admittat, cū illis quoq; cibū capiens. Nūquid qualis unuſquiſq; eſt, tali cōſortio delectatur? At Dominus, quo ſuæ famæ cōſuleret, et oſtēderet ſe nihil cōtra Scripturā agere, nec impiè quidem: duab. occurrit parabolis, quib. haud obſcurè rationē affert, cur cū peccatorib. cōuerſetur, nimirū nō ut uitia eorū amās, & ſequi uolēs: ſed ut ſua pia cōuerſatione & ſancta doctrina eos emēdet, ſimulq; oſtendat ꝗ pius ac miſericors Deus ſit erga omnes pœnitentiā agētes. inquit ergo:* Quis ex uobis.] *Per hominē q ouē perdiderit, Chriſtus ſeipſum intellexit: per ouem uerò, humanū genus.*[a] *Ipſe enim paſtor ille bon⁹ eſt, qui animā ſuā poſuit pro ouibus ſuis, de quo Petrus nobis ſic concionatur:*[b] *Eratis, inquit, ſicut oues errātes, ſed cōuerſi eſtis ad paſtorē animarū ueſtrarū. Hic homo quū Deus ſit, centū oues habebat, angelos ſcilicet, ac homines in paradiſo collocatos. at unā perdidit, quādo dæmonis aſtu ſeductus homo, tranſgreſſus eſt legē à Domino præſcriptā. Miſertus aūt Deus nobiliſſimæ ſuæ facturæ, dimiſit oēs angelos in ſolitudine, hoc eſt cœlo, et deſcēdit in has inferiores partes: quod equidē nō ſecundū diuinitatē, ſed (ut docet D. Hilarius) carnis aſſumptionē accipi debet. Bene aūt cœlū ſolitudini cōparatur: quādoquidem à mundi tumultu ſequeſtratū, plenū eſt omni trāquillitate ac pace. Venit ergo paſtor ille uerus paſcere homines perditos, paſcere doctrina ſalutari, & per uiā rectā ſalutis ducere in æternæ uitæ paſcua: quod alibi dicitur quærere, et ſaluū facere quod perierat. Quod quidē inuenit, quādo pro nobis uiuificādis acerbā ac ignominioſam ſubijt mortem, et humeris impoſuit ſuis: quia humana natura ſuſcepta, peccata ac infirmitates noſtras portauit, tradēs ſe iudicāti iniuſtè, & perferēs eas in corpore ſuo ſuper lignū, ut peccatis mortui, iuſticiæ uiuamus, quemadmodum diuus ait Petrus,*[c] *perſolutis omnib. ſpontè atq; libēter quæ debebamus. quod Apoſtolus Paulus his uerbis edifferuit:*[d] *Dilexit nos, & tradidit ſeipſum pro nobis oblationē Deo in odorē ſuauitatis. Portauit aūt ouem illā, id eſt homines, domū uſq;, hoc eſt in æternā beatitudinem, dicēte Scriptura:*[e] *Sic Deus dilexit mundū, ut unigenitū ſuū daret, ut omnis qui credit in eum nō pereat, ſed habeat uitā æternā. Cæterùm amici ipſius angeli ſunt, quib. cœlum cōſcendēs innotuit iā, humanū genus eſſe redemptū. Amici aūt angeli et uicini obinde dicūtur Dei omnipotentis, quia in ſtabilitate ſua uoluntatē Dei cōtinuè cuſtodiūt,*

&

& diſturbatis alijs claritate uiſionis eius fruũtur.
ut enim oēs habebãt liberũ arbitriũ, Lucifero con-
plicibusq́; ſuis auerſis, cæteri permanſerũt ſuũ Do
minum glorificantes. et illi quidem per gratiam ſic
confirmati ſunt, ut poſthac peccare non poßint,
ſed ut perpetui miniſtri Dei uoluntatẽ ipſius ſem-
per facientes. Congratulamini mihi.]
Haud equidem maius gratiusq́; gaudium eſſe po-
teſt Chriſto, quàm quum ſaluos uidet fieri homi-
nes: in hunc ſiquidẽ finem uenit. quod uel hinc
elicere poſſumus, quia tam amarè fleuit ſuper ciui
tatem Hieruſalem.[a] Vt igitur gaudent cum Chri-
ſto & lætantur angeli, ubi homines ad uitam æ-
ternam prouehuntur: [b] ita ſanè iuxta Prophetam
amarè flent, hominibus perditum euntibus. Por-
rò alia huic ſubnexa parabola ferè ad eundem ſen
ſum interpretari poteſt, ſic ut per mulierem ſei-
pſum ſignificauerit Chriſtus, quoniam ipſe eſt ſa-
pientia patris, à principio apud ipſum exiſtens, per
quam omnia ſunt facta, & ſine qua factum eſt ni-
hil: ut diuinus inquit [c] Ioannes. Sic quoq; haud ine-
ptè drachma homo erit, ea uidelicet ex collatio-
ne, quoniam factus eſt ad imaginem Dei ſui crea-
toris, ſecundum mentem ſapientiæ luce, & inno-
centiæ pulchritudine, & participatione diuinita-
tis mirificè decoratam: quæ omnia perdidit ho-
mo, quum peccando à Deo receßit, et morti æter-
næ deputatus eſt, eò reſtituendus per ſolum ac uni-
cum filium Dei, qui eſt lucerna illa ardens ac lu-
cida, lumen illud gratioſißimum, exortum in tene-
bris et umbra mortis ſedentibus: qui factus eſt ho
mo, ut homo fieret Deus. Quare etiam domus il-
la, corda hominum eſſe poſſunt, quæ Chriſtus euer
rit ſuis ſalutaribus doctrinis, nitida ſplendidáque
reddens eam fide & uirtute, ita ut rurſum uiuam
ſuam imaginem agnoſcat, ipſiq́; poteſtatem acce-
perunt filij Dei fieri. Cæterùm ut ad inſtitutum ar
gumentum retraheret Chriſtus: . Ita quoq;,
inquit, gaudium erit.] Deus omnipotẽs ho
minem uſq; adeò diligit, ut etiam excedat omnem
maternum affectum affectus ipſius erga nobiliſ-
ſimam illam creaturam. ait enim: [d] Nunquid po-
teſt mulier obliuiſci infantem ſuum, ut non miſe-
reatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego ta-
men non obliuiſcar tui. Idcirco miſeret eum huma-
næ calamitatis ac perditionis. [e] Quare rurſum
ait: Nolo mortẽ peccatoris, ſed magis ut conuerta-
tur et uiuat. Proinde Dominus Ieſus gaudiũ eſſe in
cœlo ait, peccatore pœnitẽtiã agente. Sed quo pa-
cto illud intelligendũ erit, quod, ut Chriſtus dicit,
maius gaudiũ erit ſuper uno peccatore pœniten-
tiam agẽte quàm nonaginta iuſtis: haud immeritò

quæri poteſt. Equidem ut agricola illam terrã plus
amat quæ poſt ſpinas uberes fructus ꝓfert, quàm
eam quæ nunquã ſpinas habuit: eundem in modũ
qui non uult mortẽ impij, lætatur amplius, quando Lucæ 15.
iuxta parabolã mortuus qui erat reuiuiſcit, quàm
de quorũ ſalute certißimus eſt. Sæpißimè fieri ſo-
let, ut nullius malefacti ſibi cõſcij, ſecuri quodãmo-
do de ſalute ſua ſint, et propterea pigri ad bona a-
genda; peccatores autẽ cõuertentes ſe ad Deum, ti
ment ſemper ne exhæreditentur et amittãt cœle-
ſtem patriã. unde quantũ poſſunt laborãt, ut cum
Deo ſuo in gratiã redeant. quod uel luculenter pa- a Matt. 19.
tet in filio illo, qui omnẽ ſuã dilapidauerat ſubſtan- Ibidem.
tiã. Præterea cum, iuxta Dauidem, iuſtus ſit Do- b Eſaiæ 33.
minus, iuſticias qui diligit ac æquitatẽ, et ideo iuſti Pſalm. 10.
in æterna memoria erunt: qui ergo à ueritatis uia
recedentes pereũt, meritò ſunt dolendi, et cum re-
uertũtur maximè gaudendũ erit, quoniã mortuus
Lazarus reſuſcitatus eſt. Cæterũ quod principio
polliciti ſumus, cõpendariã hanc fore interpreta-
tionem, hic nõnihil immutandũ uidetur, ac aliquid c Ioan. 1.
de mira Dei gratia intexere oportere. Quia ue-
rò, ut auditũ eſt, Chriſtus è cœlo, uenit non ſecus
atq; medicus ad ægrotantes; nimirũ ut nos ſalua-
ret, et cœlo unde cecidimus per peccatũ referret.
Non enim, ut dictũ eſt, miſit Deus filiũ ſuũ ut iudi
cet mundũ, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum, quã-
do per miſericordiã à ſeruitute uindicet, damnante
lege in iuſtificantem gratiam commutata, & ſic
à peccatorum uinculis eripiantur, prout diuus aſſe
rit Cyrillus: nullus uel quamlibet grauis peccator
de gratia Dei deſperare debet. quum nulla pecca-
ta tam grauia ſint, quin indulgentiam inueniant,
quamprimũ peccatori peccaſſe diſplicet, animum-
que ipſe inducit emendare in melius, quod ſit pec-
catum. Eſt autem deſperatio, motus quo quis pror Deſperatio.
ſus de ſua beatitudine diffidit, cum contemptu di-
uinæ miſericordiæ, quaſi impotentis uel nolentis
peccata dimittere & ſaluare: qualem motum paßi
ſunt Cainus & Iudas, quorum unus dicebat: Ma Gen. 4.
ior eſt iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. al- d Eſa. 49.
ter uerò: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. & Matth. 27.
proiectis argenteis ſe ſuſpendit. Sed impiè utero-
que fecit. Quoniam Deus uult omnes ſaluos fie-
ri, qui propterea dicit: Nunquid uoluntatis meæ
eſt mors impij, & non potius ut conuertatur & e Ezec. 18.
uiuat? Audiamus oportet ipſum Paulum dicen-
tem: Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, 1. Tim. 1.
quia Chriſtus Ieſus uenit in hunc mundum pec-
catores ſaluos facere, quorum ego primus ſum.
Profectò non ipſe ſolus hoc dixit, ſed & a-
lij quoque pij quidem uiri, ut Chryſoſtomus,

quum inquit: Innumera tibi commiſſa ſunt peccata & mala. & quid hoc? nondum in infernum deſcendiſti, ubi nemo confitebitur: ſed adhuc intra ſtadium cōſtitutus es. Et Bernhardus: *Peccaui, inquit, peccatum grande: conſcientia mea turbatur, ſed non perturbabitur ad deſperationem uſq;, quia uulnerum* Domini *recordabor: quid enim tam ad mortem, quod Chriſti morte non ſoluetur? Conſoletur itaque ſe unuſquiſque, ſecumq; animo uoluat: Quid deſperem de eius gratia, qui*
a Matth.6. *me creauit ut eſſem? Cumq; propter peccatum æternæ damnationi obnoxius factus eram, miſertus eſt mei, ita ut etiam ſuum unigenitum daret pro me redimendo, qua charitate nimia me adoptauit, & recepit in gratiā. Volo huic tam immenſæ ac ineffabili miſericordiæ* Dei mei *inniti, donec ſpiritus hos rexerit artus.* Opus *manuū ſua-*
b Matt.18. *rum haud ille pius ac miſericors pater deſpicet.*

c 2.Tim.4.

DOMINICA QVARTA POST Trinitatis Euangelium, Lucæ 6. Eſtote miſericordes, ſicut & pater ueſter miſericors eſt.

Chryſ. DIuus *Chryſoſtomus, ut omnia ſcilicet doctè pieq; tractat: ita quoque quam debea-*
d Matth.16. *mus proximo charitatem, diſertè explicat, & inter cætera ſic dicit:* Neque *iſtud gratiam eſſe putes (intelligit, ut proximum diligamus quemadmodum noſmetipſos.)* Nam *& ipſum uerè debitū eſt: debes fratri dilectionem propter cognationem*
e Rom.13. *ſpiritualem, quoniam inuicem membra ſumus, di-*
1.Cor.12. *cente Apoſtolo. Auditur i ſumus itaque quam oporteat dilectionem exercere, quæ quidem omnium uirtutum indagatrix atque uitiorum expultrix meritò appellari poteſt, eo quòd omnia bona*
f Rom.2. *in ſe continet, ita ut uerißimè dixerit diuinus A-*
Rom.13. *poſtolus:* Qui *proximum diligit, legem adimple-*
Matth.7. *uit. Cum autem ait Chriſtus, Omnia quæcunque uultis ut faciant uobis homines, facite hæc eadem ipſis: uix maius ab hominibus inuicem præſtari poteſt, quàm ut alter alteri miſericordem ſe præ-*
g 2.Cor.ca.10. *beat. quamobrem dictum eſt diſcipulis:* Eſtote miſericordes.] *Patrem ſuum cœleſtē pro exemplo adducit, qui quidem uerè miſericors eſt,*
Matth.5. *quia ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos atque malos, ſuper iuſtos & iniuſtos pluit.* Qui *aperit ma-*
Pſal.144. *num ſuam, dicente* Propheta, *& implet omne animal benedictione.* Pro *ſua inexhauſta bonitate peccatores in bonis non ſeparat à iuſtis, ne deſperent: nec in malis iuſtos à peccatoribus, ne glorien-*
Rom.2. *tur. Oſtendit quoque* Deus *ſuam bonitatem erga impios, ut uel ſic ad pœnitentiam adducantur: quos proinde* Chryſoſtomum *audire oportet, ſic dicentem:* Bonitatem *ſuam* Deus *oſtentat, ut à peccato libereris, non ut cumules: quod niſi factum fuerit, abſque dubio pœna te manebit ſeuerior.* Debet *autem hæc eadem miſericordia exhiberi ac fieri non hominum aut quæſtus, aut alterius rei cauſa: ſed* Dei *intuitu, quatenus à* Deo *præmia conſequaris. ut peraptè dictum ſit:* Nihil *terrenū eam parit, non utilitas, non beneficium, non natura, non tempus, ſed de cœlo deſcendit.* [a] Hoc *uoluit quoq; ſaluator noſter, quando iuſticiam ueram docens diſcipulos ſuos, mox ſubiecit:* Cum *facis eleemoſynā, noli tuba canere ante te, &c.* Et *mox:* Sit *eleemoſyna tua in abſcondito, & pater tuus qui uidet in abſcondito, reddet tibi.* Nolite iudicare.] Quid? *non debemus arguere peccantes?* [b] *quare igitur dixit Chriſtus, Eccleſiæ denunciandum fratrem, qui nimium deliquerit?* Et Paulus *ſuo Timotheo ſcripſit,* [c] *importunè et opportunè arguēdos eſſe peccatores. Equidem ut docet diuus Auguſtinus, in conuerſatione humana ſunt quæ rationabiliter reprehenduntur, & ſunt quæ certè non ſine peccato iudicantur. quod igitur ad Apoſtolum attinet, aperta flagitia atq; peccata intelliguntur, quæ quidem omnino iudicari atq; argui debent.* [d] Haud *enim fruſtra claues ligandi atq; ſoluendi Chriſtus ſuæ Eccleſiæ cōtradidit.* Deinde *aperta & publica mala ex charitate & debito ab illis iudicari poſſunt, quibus* Deus *corrigendi facultatē dedit: non enim eſt poteſtas niſi à* Deo, *ait Apoſtolus.* [e] Non *ſine cauſa gladium portat:* Dei *miniſter eſt, uindex in iram, ei qui malum agit.* Quicquid *ergo inhibet* Chriſtus, *hic ad priuatū iudicium hominis referri debet, ubi iudicamus, et tamen ignoramus utrum bono uel malo animo: & quia omnes iuſtè iudicandi ſunt, quia peccatis ac uitijs obnoxij, proinde* [f] D. *Apoſtolus omnem hominem, temerè alium iudicantē, reprehendit, eumq; inexcuſabilem dicit.* Eadem *enim, inquit, facis quæ iudicas: in quo igitur iudicas alterum, teipſum condemnas.* Potius *in mentem ueniat, quod alio in loco idem dicit:* [g] Qui *ſtat, uideat ne cadat.* Conſideret *quiſq;, quòd homo ſit, ac labilis, & maximæ fragilitatis, & quàm nemo ſine crimine uiuat.* Alter *igitur alterius onera portemus, & omnia iudicanda ut relinquamus ei melius erit, cui omnia nuda & aperta ſunt, & qui corda omnium ſcrutatur.* Multi *etiam hominibus apparent iniuſti, quorum tamen nomina ſcripta ſunt in cœlis: & econtrà ſanctos aliquando iudicant eos homines, quorum tamen finis interitus eſt.*

eſt. quod uel inde doceri poteſt, quia latro in cruce miſericordiam conſecutus eſt: Iudas autem, etſi apoſtolus Chriſti, ad orcum iuit. Ergo ſatis eſt quòd ſcimus iuſtum eſſe Deum, & rectum iudiciũ eius. Dimittite, & dimittetur uobis.] Inter omnia quibus humana indiget fragilitas, maximè neceſſaria eſt clementia ac indulgentia Dei. Quoniam ſepties in die cadit iuſtus: quoties igitur iniuſtus? & inquit Propheta: [a] Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereunt peccatores à facie Dei. Diſcamus ergo, quomodo in nos diuinam prouocemus clementiam. Enimuerò id docet nos Chriſtus, cum inquit: Dimittite, & dimittetur uobis. ac idem eſt, Peccatores eſtis, & niſi illa peccata uobis dimittantur à patre ſummo atque cœleſti, actum erit de uobis. Si igitur animas ueſtras cupitis peccatorum ſordibus emundari, dimittite hominibus in uos peccantibus errata ſua: tunc remittet & uobis pater cœleſtis errata ueſtra. Et eapropter nemo melius mihi dixiſſe uidetur Auguſtino: Sciendum eſt, & certiſſimè, quod unuſquiſque talem eſt accepturus à Deo indulgentiam, qualem & ipſe dederit proximo ſuo. Tunc oratio noſtra ad aures omnipotentis Dei perueniet, ſi delinquentium preces in noſtris auribus acceptabiles erunt. Date, & dabitur uobis.] Quid dabitur nobis, ſi dederimus conſilio, facto, ſiue quocunque modo, noſtris conſeruis in hoc mundo? ait, Menſura bona: id eſt, uera beatitudo: quæ ideo plena dicitur, quia omnium perfectiſſima eſt, & ea felicitas quam oculus non uidit ullus, nec in cuiuſquam hominis cor deſcendit, ubi eſt lęticia ſempiterna, quam certè ſe daturum pollicitus eſt Chriſtus in nouiſſimo die. Quid enim hoc aliud eſt: [b] Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum uobis regnum à conſtitutione mundi? Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. quamdiu enim feciſtis uni de his fratribus meis, mihi feciſtis. Sequitur: Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere.] Ad priora redit Chriſtus, quomodo ſcilicet non oportet iudicare, neque decet: quare alterum iudicans, & ipſe eadem faciens, haud ineptè comparari poteſt cæco cæcum ducenti. Videtur ille huic dux eſſe ad bonum, ſed non eſt. quin & ipſe labitur, & ut uideo magis cauſa eſt cadendi, dum ſua quoque peccatorum cæcitate alijs offendiculo eſt. Et ſi uerum fateri oportet, Omnis homo cæcus eſt: quandoquidem uias Dei derelinquens, et iuſtificationes eius, ſecundum carnis ſenſum, & non ſecundum intelligentiam ſpiritus incedit. Rectè igitur ſubijcit Chriſtus, dicens:

Quid uides feſtucam.] Hoc eſt, paruum peccatum conſideras tuum fratrem habere. quàm primùm ille perperam agit, ſoles incandeſcere, et ipſum impium iudicare: at grauiſſima tua peccata non aduertis. Meritò iudicandus es quis ſis, nimirum hypocrita. iuſtus tibi uideris, morbum non ſentiendo. uera iuſticia compaſſionem habet, nec ullum condemnat priuato ex ſenſu, propriaue æſtimatione. Eijce igitur peccatum (a Pſal. 67.) tuum primùm, ſi quem uis reprehendere, non ad hoc accepta facultate legitima: quæſo prius expurga tuas feces ac ſordes, ut poſſis dicere: Exemplum de me ſumito frater, utpote incedente in iuſtificationibus et mandatis Dei. Perpulchrè admodum docet hoc Auguſtinus, ſic dicens: Si quem uis reprehẽdere, uide primùm ſi ſimilis ſis ei: quòd ſi es, pariter ingemiſce: quòd ſi nõ es, tamen quia olim fuiſti, uel fieri potes, condeſcende. Sic ſuaſerim, ſi ſuſpiciones uitare nequimus, quia homines ſumus, à firmis ſententijs contineamus. Hactenus ille. Et proinde conſultiſſimum eſſe uidetur, ut timeamus nobis ipſis: Beatus, inquit Scriptura, qui ſemper eſt pauidus. excutiamus ſinguli actus atque cogitationes noſtras: ſuum ſit Deo iudicium, (Prou. 28.) uerum utique ac infallibile; quoniam ipſe intimos receſſus cordium rimatur: ante cuius quoq; tribunal omnes ſtabimus, ut recipiat unuſquiſque, dicente Apoſtolo, prout geſſit in corpore ſuo, ſiue (2. Cor. 5.) bonum ſiue malum. (1. Ioan. 5.)

IN SOLENNITATE D. IOannis Baptiſtæ Euangelium, Lucæ 1. Fuit in diebus.

VT uices gerebant olim Sacerdotes templi, accidit ut in ordine uicis ſuæ ſacerdotiò (b Matth. 25.) fungeretur quidam nomine Zacharias. Hic erat (1. Par. 24. Dauid primus inſtituit pro cultu diuino ſacerdotes 24.) uir pius & iuſtus, ſimilem habens uxorem, ſed ſterilem: qua de re frequentes ambo fundebant preces, & extorſerunt tandem illud à Domino Deo, in hoc mittente angelũ, qui bono animo eſſe diceret: futurum enim ut puerum haberent, non infimæ quidem ſortis, cum eſſent multi de eo gauiſuri, ut conuertente incredulos ad prudentiam iuſtorum, & præparante Domino plebem perfectam. ſic enim ſcribit Lucas: Elizabeth autem impletum eſt.] Iuxta mandatum ritum ſiue conſuetudinem, omnium Hebræorum pueri circumcidebantur, ſimulac nomina accipiebant. Vt autem plerunque patrum nomina indebant, ita uoluerunt hunc puerum uocare Zachariam, nomine ſcilicet patris ſui. At; Nequaquam (dixit Elizabet) ſed Ioannes eſt nomen

men

men eius. Voluit hoc mater non tantum ex iuſſu angeli, ſed propter myſterium quoque futuri prophetæ. Quid enim Ioannes aliud ſignificat, quam eum in quo eſt ſumma gratia, qualem meritò dicere poſſumus eum, quoniam ex utero matris ſuæ ſpiritu ſancto repletus eſt: haud minus quàm diuinus ille propheta, qui hanc gratiam de ſeipſo præ-
Eſaiæ 49. dicans inquit, Aſcendite populi, Dominus ab utero uocauit me, de uentre matris meæ recordatus eſt nominis mei. Conueniebat quoque eum ſic uocari: futurus enim erat diuinus præco, qui primus omnium ueram gratiam & remiſſionem peccatorum prædicaret. quemadmodum & fecit dicens, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim re-
Matth.3. gnum cœlorum. Et dixerunt illi: Quis putas puer iſte erit?] Vtiq; tantus, ut inter natos mulierum non ſurrexerit maior illo. quomodo enim maior eſſe poſſet, ſiquidem angelus fuit ille de quo Malachias propheta dudum propheta-
Malac.3. uerat dicens, Ecce ego mittam angelum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Et quomodo non uerè magnus, qui tanta dexteritate atque conſtantia, tanto ueritatis ſermone atque candore uſus eſt, ita ut haud cunctaretur phari-
Matth.3. ſæis dicere: Progenies uiperarum, quis demonſtrauit uobis fugere à uentura ira? Deinde fuit ille maior quoque propter Prophetiæ certitudinem. cum enim cæteri uates tantum cecinere aſ futurum Chriſtum, ipſe mundi ſcelus auferentem indice prodidit, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Fuit & ipſe magnus propter uitæ & morum clariſſimum exemplar. quapropter D. Chryſoſtomus uocauit eum ſcalam uirtutis: & demum propter officium ex quo Ieſum, cui præcurrebat, Deum ac Dominum ſuum ac redemptorem baptizauit. Hic eſt ergo Ioannes ille, qui apertè primus omnium explanauit quis eſſet Dominus Ieſus, & quamobrem è cœlo ad nos deſcendiſſet, nimirum ut agnus integerrimus, & immaculata hoſtia, quæ omnium
a Rom.6. peccata pelleret, ut ait Cyrillus, & hoſtem nobis euerteret omnium truculentiſſimum. Hic eſt inquam, qui uidit ſpiritum ſanctum ſuper Ieſum deſcendentem in columbæ ſpecie, & patrem
Marci 1. ſummum è cœlis teſtificantem audiuit: Hic eſt
Matth.3. filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Quia uero honorandi ſunt ſancti, ut Auguſtinus inquit, propter imitationem, & non uenerandi propter religionem: & contra Pelagium, Honoramus (ait) memorias eorum tanquam ſanctorum hominum Dei, qui uſque ad mortem ſuorum corporum pro ueritate certarunt, ut innoteſceret uera religio, falſa conuicta: idcirco non ſatis eſt audiuiſſe ſanctimoniam Ioannis, niſi & ipſi talem uitam inſtituamus. Etenim ueſtitus uilis, & nimia aſperitas, monſtrauere mundi contemptum, fugamq; deliciarum. Pellicea uerò zona circa renes, arctam continentiæ cuſtodiam: cibus facilis & neglectus, gulæ frenum. Aquæ uerò potus omnimodam ſobrietatem. Quæ profectò nobis ualde commendata eſſe debent, ut ſtudeamus non corpus habere pretioſe & curioſe ornatum, ſed animum uirtutibus & chariſmatibus. Quamobrē huiuſmodi inſtituti genus haud ſatis laudare potuit D. ille Chryſoſtomus. ait enim: Felix iſta conuerſatio, deſpicere homines, angelos quærere, urbes deſerere, & in ſolitudine inuenire Chriſtum. Hæc ille. Oportet igitur eos qui Chriſti eſſe uolunt, non quærere huius mundi uoluptates, ſed ueras cœli delicias: non cibos ſaginantes corpus, ſed qui paſcunt animum. hoc equidem eo modo fieri poteſt, ut qui in mundo ſunt, ſint quaſi in mundo non eſſent, quod idem Chryſoſtom9 uel his docuit uerbis: Volo, inquit, uos omnes fieri monachos, nō ut coniuges nō habeatis, ſed ut cæteras uirtutes poſſideatis. Monachus enim non propterea dicitur, quia uxorem non habet: ſed quia religioni Dei & ſeruitio eius mancipatus eſt, & cura illi eſt quemadmodum Deo & non ſeculo placeat: & qui magis eligit caſtitatem quæ Deo chara eſt, & ſpiritus ſancti habitatio. Volo ergo uos in religione Dei feruere. Hæc idem ille Chryſoſtomus. Sed ut humana fragilitas facile excuſationem quærit, ita ſanè plures ſunt quorū Deus uenter eſt, iuxta Apoſtolū, quorum finis interitus: peiores fortaſſe Sardanapalo, ipſoq; omniū delicatiſſimo Epicuro, qui propterea aiūt: Quid opus eſt tali caſtigatione? non'ne Chriſtus paſſus eſt, & ſanguinem fudit pro noſtris peccatis? Boni uiri, uobis peraptè reſponderi poteſt, paſſum quidē Chriſtum non pro noſtris tantū peccatis, ſed etiam totius mundi, ſic tamē, ut deinceps peccata uitemus. Ait enim Apoſtolus: [a] Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti per baptiſmum cum illo, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Quod ſi omnia licerent, ſic potius Chriſtus homines prouocaſſet ad peccādum, paſſus ut liberius peccarēt: quod quā abſurdum ſit, quamq; nephas dicere, nemo non fatebitur, modò Chriſtū ſapiat, & ipſius ſanctiſſima uerba meditetur. Sanè ſuffecerit peccatori, ut Deum propter Chriſti paſſionem iam ita habeat pium ac propitium,

ut mox

ut mox conuerſus peccatorum remiſsionem poſsit
impetrare. Quod equidem Deus per [a] Prophetam
pollicetur, cum inquit: Non immitam ultrà furorē,
quoniam uolens miſericordiam ſum: reuertetur ho
mo, & miſerebor ei: deponat iniquitates ſuas, &
proijciam in profundum maris omnia peccata i-
pſius. Conſtat quidem in baptiſmo, propter uirtu-
tem paſsionis Chriſti, omne peccatum deleri: ue-
rùm quoties in peccata relabimur, pœnitentia o-
pus erit, ut quemadmodum (docente [b] Apoſtolo)
exhibuimus membra noſtra ſeruire immundiciæ
& iniquitati, rurſum conuerſi à uana conuerſa-
tione noſtra, exhibeamus ea ſeruire iuſticiæ in
ſanctificationem. Quamobrem quoque impij fue
re Nouatiani, pœnitentiam in Eccleſia dandam eſ
ſe negantes, quemadmodum diuus Auguſtinus do
ctiſsimè deducit, ſic inquiens: Quis neget peccare
nunquā debere, ſi eſſet poſsibile? porrò ſciēs Deus
fragile genus humanū, ſemper remedijs ſalutarib.
proſecutus eſt eos, ut poſt peccata haberent quo-
modo ſe repararent. Hæc ille.

DOMINICA QVINTA POST Trinitatis Euangelium, Lucæ 5. Cum turbæ, &c.

CVm ait Euangeliſta turbas irruiſſe in Ie-
ſum, magnam deuotionem populi & in-
gens deſiderium audiendi uerbum Dei, id eſt, [c] ea
quæ in lege & Prophetis ſcripta eſſent, oſtendere
uoluit. Nec mirum: ſiquidem regina Auſtri uenit
à finibus terræ, audire ſapientiam Salomonis. Hic
autem plus quàm Salomon. neq; enim (ut Chryſo-
ſtomus inquit) in agendis miraculis ſolū admira-
bilis erat, ſed et uiſus eius abundabat plurima gra-
tia. Fulgor enim diuinitatis occultè relucebat in
ipſius facie, ut etiam ſolo aſpectu hominis mentem
afficeret. **Et ipſe ſtabat.**] Vniuerſus iſte
mundus, dicente Auguſtino, quaſi quoddam dilu-
uium eſt, eo quòd omnia quæ in hoc mundo ſunt,
ad ſimilitudinem aquæ incertis fluctibus decur-
runt. eapropter ſtagnum illud per anagogiam
haud ineptè mundum ſignificat, in quo homines
haud ſecus atque piſces in mari tument uarijs pec
catorum generibus, dum pleriq; illorum ſimula-
chra pro Deo coluerunt & adorauerunt, &c. E-
rant quoque homines ærumnis, curis, uarijsq; pe-
riculis undique circundati, quibus tanquam flu-
ctibus ſurſum ac deorſum iactabantur, infeſtanti-
bus horribiliſsimis dæmonum monſtris. quam mi-
ſeriam humani generis olim ſatis ſuperque deplo-
rauit conſtantiſsimus athleta Dei Iob, qui & ui-
dit Deum reſpecturum aliquando afflictionem
hominum, & redemptionem miſſurum, quando di- a Mich.7.
xit: Scio quod redemptor meus uiuit, &c. Redem Iob.19.
ptor ille Dei filius Ieſus Chriſtus eſt, qui hoſce pe-
riculoſos fluctus proſpiciēs, uenit. Exiuit à patre,
& uenit in mundum, ad liberandum homines ab
huiuſmodi periculis atque naufragio. **Et ipſe
ſtabat.**] Secus hoc mare ſtetit tantum Ieſus. nō
enim ſimilis erat cæteris filijs hominum, qui cum b Rom.6.
propheta dicere debent: In peccatis cōceptus ſum, Pſal.50.
& in peccatis peperit me mater mea. & proinde
omnes naturâ filij iræ & æternæ damnationis.
Hic Ieſus ſanctus ſanctorum erat, in quo nihil iuris
princeps huius mundi habuit. Verbum enim Dei
caro factum eſt, & habitauit in nobis ſpecioſus
præ filijs hominum unigenitus Dei patris filius,
plenus gratia & ueritate. **Et uidit duas na-
ues.**] Viuus eſt Dei ſermo, & efficax, & pene- Hebr.4.
trabilior quouis gladio ancipiti, ait Apoſtolus. igi-
tur factum eſt, ut concionante Chriſto homines
contenderent audire ipſius uerbum: tantum admi
rabantur ſuper doctrina noua, & ſermone illo di
uino, quem loquebatur cum poteſtate. ſicut uatici-
natum fuerat per Prophetam, dicentem: Stabit &
paſcet in fortitudine Domini. Ne ergo à turbis cō
primeretur, ſecedere uoluit. & uidit duas naues;
una erat innocētia, uidelicet primi hominis, quam
Deus ex benignitate & bonitate illi fabricaue-
rat: in qua ſi manſiſſet homo, tutus appuliſſet ad c 3.Reg.10.
portum ſummæ felicitatis. Eua autem frangente Gen.3.
nauem, ex mala perſuaſione dæmonis, fructū cum
deguſtauit uetitum, factum eſt ut tempeſtatibus
atq; procellis commiſſa ſit totius Euæ poſteritas.
Atqui gentilium iactationem primùm Chriſtus
non uidit, quia miſſus erat ad oues perditas do-
mus Iſrael, propter promiſsionem patribus fa- Rom.15.
ctam: ſed aſcendit in nauem, quæ erat Simonis
Petri. Etſi enim omnem hominem cognoſceret,
& omnes illos quorum corda à fluctibus ſecu-
li ad futuræ uitæ tranquillitatem, quaſi ad li-
tus miſericorditer eſſent prouehenda: in hanc
tamen in primis deſcendit, ut ueracem ſuum
patrem Deum oſtenderet, confirmaret'que quod
olim Abrahæ promiſſum fuerat: Tibi dabo ter- Gen.17. & 22.
ram, & ſemini tuo, & in eo benedicentur omnes
Gentes. Et bene Petri eſſe dicta eſt, quia ſu-
per ſublimem confeſsionem Petri, ut à doctis pa-
riter ac ſanctis uiris docetur, ſuam Eccleſiam
Chriſtus ædificatam uoluit. Nec enim fruſtra
dictum fuit: Tu es Petrus. Et alibi: Simon diligis Matth.16.
me plus his? paſce agnos meos. Relicta itaque Ioan.20.
alia naui, Chriſtus ingreſſus eſt Petri nauim:

hoc eſt, acquiſiuit ſibi Eccleſiam ſanguine ſuo, homines uidelicet fide purificatos, quibus cor unum erat, & anima una. Hæc eſt igitur Eccleſia ſancta catholica, quæ à ſpiritu S. uiuificatur, ſanctificatur & regitur, extra quam nemini ſalus, nemini remiſſio peccatorum: quemadmodum nemo ſaluatus eſt olim extra arcam Noe. Vt ceſſauit autem loqui.] Vſq; nunc è nauicula Petri doceat Chriſtus oportet: nemo enim rectè ac purè docebit, ſed nec bene doceri poteſt, niſi è nauicula Petri. Omnes igitur qui extra illam nauim docēt, ſicut olim Valentinus & alij fecerunt (teſte Irenæo) errores docent, & non ueram & catholicam fidem, uerum Euangelion, hoc eſt, quod ab ipſis Prophetis præfiguratum, à Chriſto & Apoſtolis prædicatum, & demum ſucceſſiuè per Apoſtolicos uiros mundo denunciatum fuit. Dixit ad Simonem, duc in altum.] Piſcatores deſcenderunt, aduen:ente Chriſto. lex enim & Prophetæ uſque ad Chriſtum durarunt: ipſe enim eſt perfectio legis, et adimpleuit omnia quæ ſcripta erant in lege, Pſalmis & Prophetis. Deſcenderūt piſcatores: quia præterijt ſacerdos, præterijt & leuita, ſolus Samaritanus Chriſtus ſaucium uirum ſanitati reſtituit. Vnde dixit Petro, Duc in altum. Lex fidei Chriſtianæ quæ in nauicula ſignificatur, in altum profectò ducta eſt: nulla enim alia lex tantæ altitudinis atq; profunditatis fuit. Non'ne miræ altitudinis eſt, credere Deum trinum & unum: Filium uerò ab æterno genitum patri æqualem, ipſumq; carnem factum, ac natum ex uirgine? Et laxate retia ueſtra.] Retia Apoſtolorum, doctrinæ erāt. Tunc enim laxare iuſſit, quando eos miſit in uniuerſum orbem, & dixit: Prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et reſpondens Simon.] Piſcatores per totam noctem laborantes nihil ceperunt: quo ſignificatur lex uetus, quæ neminem ad uitam æternam capere ualebat. Si enim data eſſet lex quæ poſſet uiuificare, uerè ex lege eſſet iuſticia. Ergo nō ex operibus, neq; ex nobis, ſed gratia ſaluati ſumus. Tamen tuo iuſſu laxabo rete.] Sermonem illorum retia dixit: & rectè quidem. nam fluctuantes piſces ex alto traxerūt mari huius mundi, ad uitam æternam. Magnæ quippe altitudinis erat, credere incredibilia, diligere inimicos, ſeipſum & mundum contemnere, inuiſa ſperare, & morti ſeſe exponere propter Chriſtum. Quod igitur inquit Petrus, In uerbo tuo laxabo rete: oſtendit, præter Chriſti gratiam nihil eſſe. Vtcunque enim laborauerunt ſancti Prophetæ & uiri

Vide Cyprianum.

a 1.Cor.3.

b Lucæ 21.

c 2.Pet.1.

d Hier.1.

Lucæ 10.

e Actor.2.

f Matth.13.

Mar.ult.

g Actor.13.

h Eſa.49.

ueteris teſtamenti: nox tamen fuit, hoc eſt umbra futurorum bonorum, & nihili res erat. Nihil enim ad perfectum duxit Lex: orto ſole iuſticiæ Chriſto, ueritas de terra orta eſt, & iuſticia de cœlo proſpexit. Solius Chriſti igitur erit captura piſcium, hoc eſt, hominum ſaluandorum. Niſi ergo Dominus Ieſus corda illuſtrauerit auditorum, parum proficient retia ſpiritualia diuini uerbi ejcientes. Non enim fides in ſapientia uerbi compoſiti eſt, ſed prouenit diuinæ uocationis munere. quamobrem bene dictum eſt ab Apoſtolo: [a] Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus dedit incrementum. Sciant ergo quicunq; diuini uerbi præcones, eius eſſe quicquid laboris inſumūt, qui dixit: [b] Ego dabo uobis os & ſapientiam. non uoluntate humana allatam prophetiam, dicente Petro, [c] ſed ſpiritu ſancto inſpiratos homines Dei magnalia loqui, [d] ſicut dixit Deus per Hieremiam prophetā: Ego dedi uerba mea in ore tuo, & conſtitui te ſuper gentes & regna, ut euellas & deſtruas, & ædifices et plantes. Et cum hoc feciſſent.] Duas uidit Ieſus naues: Iudæi enim erant, & gentiles. etſi utramq; uiderit, in unam tamen quæ fuit Simonis, aſcendit: id eſt, quæ populi Iſraelitici erat, ut ſuprà quoque commemorauimus. In hoc igitur Domini uerbo tantam piſcium multitudinem cepit Petrus, ut rete rumperetur. Factum eſt enim, ut concionante Petro [e] circiter tria millia hominum conuerſi ſint ad fidem. Et rumpitur rete: quia cum electis multi reprobi intrauerunt, ut Dominus aptiſſima parabola oſtendit [f] de ſagena miſſa in mare, &c. qui ipſam deinde Eccleſiam diruptione pacis per hæreſes et ſchiſmata ſcindebant. Et annuerunt ſocijs.] Cum piſcatores in hoc ſtagno doctores Eccleſiæ Chriſti ſint, qui retibus fidei comprehenſos è profundo errorum elatos, terræ uiuentium quaſi littori piſces ingerūt: in tam copioſa captura Petrus & alij meritò annuerunt illis, qui in nauicula gentiliū fuerunt: hoc eſt, Paulo cæteriſq; quo fieret unum ouile. Hinc Paulum dixiſſe cōſtat: [g] Vobis, ſcilicet Iudæis, oportebat primùm loqui uerbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. ſic enim præcepit nobis Dominus, de quo ſcriptū eſt: [h] Poſui te in lucē gentium, ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ. Et impleuerunt ambas naues.] Quandoquidem Apoſtoli gnauiter laborauerunt in toto terrarum orbe, iuſticia qua hominem Deus iuſtum efficit, ad uniuerſos per fidem peruenit, et una Eccleſia ex Iudæis et gentibus coadunata eſt, dicente Apoſtolo: Iuſticia Dei per fidē Ieſu Chriſti in

ſti in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum. Non enim eſt diſtinctio, niſi quod Chriſtus Ieſus circumciſionis miniſter fuit propter ueritatẽ Dei, ad confirmandas promiſsiones patrum, gentes autem ſuper miſericordia honorant Deum. Sequitur: Ita ut mergerentur.] Iuxta propheticum ſermonem longè latéq;, quando laxauerunt Apoſtoli retia ſua iam tota, hoc eſt, uerbum Domini purum ac ſincerum, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, fides per totum orbem diſperſa periclitari cœpit. Venit enim inimicus homo, & ſuperſeminauit zizaniã. exiiterunt enim quidam corrupti mente, reprobi circa fidem, qui reſtiterunt ueritati, ſed non profecerunt: mergi quidem cœpit fides Catholica, ſed non eſt ſubmerſa, neq; ſubmergetur unquam, quoniam à nauclero regitur ac tutatur omnium peritiſsimo potentiſsimoq;. Cum igitur hæreſes & ſchiſmata ſunt, fit hoc, ut diuinus aſſerit Paulus, [a] quò boni ac ueri fideles manifeſti fiant. Iam relicta anagogia, ad literam unde digreſsi ſumus, redeundum nobis erit. Sequitur ergo: Quod cum uideret Petrus.] Diuinam in Chriſto potentiam ſuppliciter ueneratur Petrus, & ut Cyrillus inquit, reducens ad cõſcientiam patrata delicta tremit & trepidat, & uelut immundus mundiſsimum Ieſum credit ſe non poſſe ſuſcipere. Sancta humilitas, quæ benignam meruit Domini conſolationem. Ait enim Ieſus: Noli timere.] Expoſuit et Dominus, quid hæc captura piſcium ſignificarit, nempe ut ſuprà oſtendimus, totius Eccleſiæ ſucceſſum atq; progreſſum. Et ſubductis ad terram nauibus.] Conſideranda erit nobis eorum fides. Primùm enim uocati ſunt ut Chriſtum noſcerent, poſtmodum ut familiariſsimi Chriſti eſſent. relictis ergo omnib. ſecuti ſunt eum. Talem quoq; obedientiam requirit Chriſtus ab omnibus nobis, non quidem ut dimittas uxorẽ, et omnia abijcias: [b] ſed ut animũ his terrenis reb. non infigas, & ipſis minimè tenearis, pietatem omnibus anteferendo, quæ ſola beare poteſt.

IN DIE FESTO DVORVM Apoſtolorum Petri et Pauli Euangelium, Matth. 16. Quem dicunt homines eſſe filium hominis?

VT teſtatus eſt Dominus Ieſus, ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Et nemo erat filius ille Dei, niſi ipſe qui ſolidam expoſcit hac de re ſuorũ Apoſtolorũ fidem confeſsionemq;. ſiquidem multæ ac uariæ erant opiniones, quiſnam eſſet Ieſus, propter ſermones & miracula quæ edebat. ait ergo: Quem dicunt homines.] Non dicit, phariſæi: ſed homines, ſimplicem plebeculam ſignificans, quæ ſtudioſiſsimè quærebat uiam ueritatis atque ſalutis. ſed nemo illi dabat, imò erant homines tanquam oues non habentes paſtorem. Reſpondent diſcipuli.] Audiuit Herodes famam Ieſu, & dixit pueris ſuis: Hic eſt Ioannes Baptiſta, & ſurrexit à mortuis, & ideo uirtutes operantur in eo. quem ſecuti Herodiani, Ieſum Ioannem reſuſcitatum putarunt. illud Domino diſcipuli indicant, & nonnullos dicere, quòd Elias ſit.] Hoc ipſum multi credebant, quia is raptus erat olim per turbinem, de quo cum apud Malachiam legebant: Ecce mittam uobis Eliam, &c. ſuſpicabantur nunc eum diem eſſe, ipſumq; Eliam rurſum apparuiſſe. At quando multi uidebant miram grauitatem atque conſtantiam Ieſu, qui nullo perſonarum reſpectu ueritatem profitêretur, & uiam doceret ſalutis æternæ, exiſtimarunt ipſum Ieſum Hieremiam eſſe, aut unum ex prophetis prioribus. Vt igitur certiorem & ſublimiorem Chriſtus eliceret ex Apoſtolis profeſsionem, Vos autem, inquit, quem me eſſe dicitis?] De Hieremia dictum ſcitis: Ecce conſtitui te ſuper gentes & reges, ut euellas et diſsipes & plantes, nunquid non ego maiora præſto? Vos quæro qui ſermones meos continuè auditis, nec non miracula me operari multa & magna conſpicitis, quæ teſtatam faciunt meam fidem. Vt enim dixi uobis in monte: Beati eſtis cum maledixerint uobis homines, & perſecuti uos fuerint, gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra copioſa eſt in cœlis: ſic uolo ut liberè ac ingenuè fateamini, quem me, qui propter homines redimẽdos ueni, eſſe credatis. Reſpondens Simon Petrus.] Cordatus homo erat Petrus, & amantiſsimus Ieſu: prorumpit ergo in medium, ac omnium nomine reſpondet audacter. Tu es Chriſtus.] Dauid & Eſaias, prophetarum omnium facilè clariſsimi, propter mundi ſaluatorem, quem euidentiſsimis argumentis oſtenderunt, unctum Domini eum dicebant. Cum igitur inquit Petrus, Tu es Chriſtus: tantum eſt ac ſi diceret, certa & indubitata fide et ſententia te illum eſſe profitemur, quem ſcimus à prophetis promiſſum, non prophetam tantum, ſed & filium Dei uerum. Piiſsima hæc fuit confeſsio, quam minimè amittendam cuiuis certiſsimum eſſe debet. Vnctus eſt autem Ieſus, teſte Hieronymo, quando à Ioanne in Iorda-

Matth. 14.

4. Reg. 2.

Malac. 4.

a 1. Cor. 11.

Sic enim de Hieremia legitur cap. 1.

Matth. 5.

b Chryſoſt.

c Ioan. 3.

nis flumine baptizatus eſt, & Spiritus ſanctus in
a Actor.cap.2. columbæ ſpecie deſcendit ſuper eum, ſpiritus ſa-
pientiæ, ſcientiæ & pietatis, ex quo Deus & ho-
mo unus erat Chriſtus. meritò quapropter audit
Petrus: **Beatus es Simon.**] Humanus
b Actor.20. affectus non ſuppeditat tam ſublimia, ſed pater cœ
leſtis afflatu ſecreto ſuggerit animo. Nullus enim
dignè ſentit de filio, niſi Patris inſtinctu. Beat⁹ es
igitur Petre, cui pater meus tam arcana profun-
diſſimaq; ſecreta reuelauit per Spiritum ſanctum.
Tu dicis uerum, quia ego ſum Chriſtus filius Dei
uiui: quod quia à diuina gratia acceptum firmiter
confeſſus es, meritò uocaris Petrus. **Et ſu-
per hanc petram.**] Id eſt ſuper hanc fidem
& confeſſionem. ſic enim legit Chryſoſtomus, &
abbreuiator eius Theophylactus. ait enim: Quia
enim confeſſus erat eum Dei filium Petrus, dixit:
quòd hæc confeſſio quam confeſſus eſt, fundamē-
tum erit futurum credentium, ita ut omnis homo
extructurus fidei domum, hoc iacturus ſit funda-
mentum. Nam licet innumeras condimus uirtu-
tes, non habeamus autem fundamenium rectam
confeſſionem, inutiliter ædificamus. Hæc ille.
Quod autem adiungit Chriſtus, dicens: **Et ti-
bi dabo claues.**] Iudicij poteſtatem præſen-
tis Eccleſiæ, quæ iuſtè regnum cœlorum dicitur
promittit, tanquam Deus, magna poteſtate. Cla-
ues autem intellige quæ ligant et ſoluunt delicto-
rum uel indulgentias, uel pœnas. Vt enim eſt cla-
uis materialis qua quid aperitur & clauditur: ita
hoc loco myſticè et figuratè poteſtas dicitur, quæ
peccatorem claudit, id eſt, extra communionem
eijcit: & reſerat, hoc eſt, eidem rurſus peccata
remittit, & in ſanctam communionem recipit. Ec
Matth.13. cleſia enim habet bonos & malos, ſicut Chriſtus
parabola docuit de ſagena miſſa in mare, uſq; dum
in nouiſſimo die ſegregatio & ſeparatio fiet. Et ut
Pſal.50. in ſolum Deum peccatur, dicente propheta: ita ſa-
nè ipſe ſolus peccata dimittit, qui ſolus peccata
mundi tollit Ieſus Chriſtus, & remittit ſua poten-
tia. Hanc igitur ligandi atque ſoluendi poteſtatem
Petro & omnibus eius ſucceſſoribus, tanquam mi
niſtris & inſtrumentis Spiritus ſancti, cuius potiſ
ſimum eſt ſanctificare & mundare mentis tene-
bras, delegauit. Habēt ergo (ut Theophylactus di
cit) hanc poteſtatem remittendi & ligandi, qui ſi-
cut Petrus epiſcopatus gratiam aſſecuti ſunt.
Quicquid ſolueris in terra.] Tantum eſt
dicere: Petre, quia tu me tam magnificè confeſſus
es, delego tibi poteſtatem educendi & inducendi
c Pſal.142. in patriam homines, hoc eſt, uitam æternam: &
quod facies, habebo firmum atque ratum. Hac au-
tem poteſtate uſum fuiſſe Petrum, apertè liquet
ex actis Apoſtolicis,[a] ubi oſtenditur, circiter tria
millia hominum ad fidem conuerſa. Et quamuis
Petro ſoli dictum ſit, Dabo tibi: omnes tamen de-
inceps eam authoritatem acceperunt, quando eis
dixit Chriſtus:[b] Quorum remiſeritis peccata, re-
mittuntur eis. Iſtum locum, inquit Hieronymus,
epiſcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid
ſibi de Phariſæorum ſupercilio aſſumunt, ut uel
damnent innocentes, uel ſoluere ſe noxios arbi-
trentur: cum apud Deum non ſententia ſacerdo-
tum, ſed reorum uita quæratur. Et poſt pauca:
Quomodo ergo ibi leproſum (de Leuitico locu-
tus) ſacerdos mundum uel immundum facit: ſic
& alligat uel ſoluit epiſcopus & presbyter, non
eos qui inſontes ſunt uel noxij, ſed pro officio
ſuo, cum peccatorum audierit uarietates, ſcit qui
ligandus ſit, qui ſoluendus. Hæc Hieronymi uer-
ba huc ſubijcienda obinde duximus, ut perſpicuū
fiat alijs, quid & quomodo de poteſtate clauium
in Eccleſia Dei ſenſerint ſancti patres: ex quibus
etiam nonnulli uolunt Petrum exordium eccle-
ſiæ Chriſti fuiſſe, & ſucceſſionem hanc omnino
perſeuerare, nec ulla Satanæ malignitate poſſe im-
pediri, quantumuis perſonæ uitijs inquinentur.
ſemper enim Eccleſia perdurabit in fide. Non e-
nim portæ inferi, ut Chriſtus dixit, præualebunt
contra illam: hoc eſt, uitia atque peccata, uel cer-
tè hæreticorum doctrinæ, uel ulli perſecutores.
Quamobrem omnes rogare atq; obteſtari Do-
minum Ieſum debemus, ut cum Petro firmi in fi-
de maneamus, & perſeueremus uſque in finem:
quando hic demum ſaluus erit, qui perſeuerabit
uſque ad extremum animæ flatum. Non enim in-
cepiſſe, ſed perfeciſſe, uirtutis eſt. Ita ut cum Pe-
tro credamus Chriſtum filium Dei uiui, à quo ni-
hil omnino nos diuellat aut ſeparet, quū ipſum ſcia
mus eſſe uitam æternam.

DOMINICA SEXTA EVANgelium, Matth. 5. Niſi abundauerit iuſticia ueſtra.

IVſticiam aliquam hominis eſſe, & hominem
dici poſſe iuſtum, Chriſtus hic palàm pronun-
ciat, & fucatam Phariſæorum iuſticiam idcirco
damnabilem dicit. uidendū ergo qualis uera Chri-
ſtianorum iuſticia eſſe debeat. Nulla planè noſtra
iuſticia eſt, quum comparata fuerit diuinæ iuſti-
ciæ, quæ ſola natura dici meretur iuſticia, quum
omnino nihil habeat uel iniquitatis uel peccati.
Deus enim ſolus iuſtus eſt,[c] qui nec peccat, nec
peccare poteſt. Et proinde Dauid dixit: Ne in-

tres

*tres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtifica-
bitur in conſpectu tuo omnis uiuens. quod uel ſic
uerum eſt, quia, ut Hieronymus ſcribit, ſuis uiri-
bus nemo poteſt in ullo opere quod facit carere
peccato. quamuis enim aliquis iuſtus ſit, tamen
dum in hac carne conſtitutus eſt, ſubiectus eſt ui
tijs atque peccatis, & maiori præſidio indiget.
Quod ergo Zacharias*[a] *& Elizabeth iuſti ſunt
dicti, ut idem uult cõtra Pelagianos, ſecundũ eam
iuſticiam dictum eſt, quæ poßit in iniuſticiam ali-
quando mutari, & quæ competit fragilitati huma
næ, ex qua maculis ſaltem uenialium peccatorum
reſpergimur: unde fieri ſolet ut nemo uiuentium
ſit, qui penitus omni peccato careat. quo rectius
mihi dixiſſe uidetur D. Gregorius: Omne uirtu-
tis noſtræ meritum, uitium eſſe conſpicitur, ſi ab
interno arbitro diſtrictè iudicetur, quia multis ui-
tijs ſcatet. Satis eſt igitur ut iubente Deo, quòd iu
ſtum eſt ſequamur, iudicium ſuum relinquentes
ei qui ſcrutatur corda & renes.* Niſi abun-
dauerit.] *Phariſæi de ſubtilitate paternæ legis
gloriabantur, & cultum diuinum certis cæremo-
nijs ſimulabant, non ut eſſent Deo grati, ſed ut ho
minibus iuſti apparerent: ideo'que à conſortio ho-
minum alieni, perinde ut alijs præſtantiores, quum
interim intus eſſent multo deteriores, ſicut Chri-
ſtus ipſis dixit, quum perſimiles eos iudicabat ſe-
pulchris dealbatis,*[b] *&c. Secundò reputabant
duntaxat malum factum externum, non autem
interiorem malum affectum, de mente nihil ſolli-
citi, modò palàm non malè agerent. Hoc autem ma
lè & falſò, ſiquidem Deus corda hominum pro-
bat quoq;. unde opera noſtra quæ factis & dictis
operamur, poſſunt eſſe nota hominibus: ſed quo a-
nimo fiant, & quò per illa peruenire cupiamus, ſo-
lus ille nouit qui ſcit cogitationes hominum, quo-
niam uanæ ſunt. Et proinde uult Chriſtus ſuo-
rum fidelium iuſticiam eſſe perfectiorem illa iu-
ſticia Phariſæorum, ut ſcilicet ipſi in omni bo-
no opere abundent: hoc tamen non apparentèr,
ſed uerè: non coram hominibus, ut uideantur ab
eis, ſed intus coram Deo, & recta intentione, no-
mine & amore Dei. Intentio dirigit totũ opus. cu
iuſmodi enim illa eſt, eiuſmodi eſt & opus ipſum,
Chriſto dicente: Si oculus tuus ſimplex eſt, totũ
corpus lucidum erit. Non itaque uirtus, ſed cauſa
uirtutis, apud Deum mercedẽ habet.*[c] *Vnde quo-
que diſcipuli Chriſti, non ſolùm à malefactis ca-
uerunt, uerumetiam ab omnibus ijs quæ impiè in-
tus geruntur malis: ut ſunt malæ cogitationes,
quæ ex propria naſcuntur uoluntate, quas diabo-
lus incendit, quum ex corporis geſtibus æſtimat
quid uerſemus intrinſecus: & hæc ſunt, inquit* Matth. 15.
Chriſtus, quæ contaminant hominem. Au-
diſtis, quia dictum eſt antiquis.] *Pha-
riſæi legentes, Quicunq; effuderit ſanguinem hu-* Gen. 9.
manum, fundetur ſanguis eius: quocirca ſolum pec Exod. 21.
*catum mortis eſſe homicidium actuale putabant.
Chriſtus igitur ut adimpleret legem, ſupplendo* a Lucæ 1.
*quod deerat, et ſuperaddendo plura ad perfectio-
nem eius, more peritiſsimi pictoris, oſtendit non
ueram iuſticiam hanc eſſe, ut non ſolùm non occi-
damus hominem: ſed ne etiam fratri iraſcamur. I-
ra enim eſt malus motus animi ad nocendum, &
proceſſu homicidij cauſa: ut uidemus in Cain, qui
poſtquam contra fratrem ſuum iraſci cœpit, com-
miſit fratricidium. Sed hic arbitrari haud debe-* Gen. 4.
*mus, quaſi non ſit ira quæ etiam lege permiſſa ſit.
Nam non ſine ſpiritu ſancto cecinit Dauid: Ira-* Pſalm. 4.
*ſcimini, & nolite peccare. Ergo ille condemnatur,
qui iraſcitur fratri ſuo temerè: non autem qui ra-
tione iuſta motus, et ut alium erudiat, et ſpirituali
zelo iraſcitur. Vnde & Paulus uerba iræ locu-
tus eſt ad Elymam magum, & ad pontificem. Quo* Act. 13. & 23.
*ſanè modo et poteſtas à Deo ordinata, uindex eſt
in iram ei qui malum agit. Chriſtus enim in uni-
uerſa ſua republica uoluit eſſe ordinem. ea autem
quoniam bonis et malis conſtat, idcirco magiſtra-
tus ab ipſo ordinatus eſt, propter eiuſmodi ordinẽ
tuendum ac conſeruandum. Idem quare facit ma-* b Matt. 23.
giſtrat⁹ dum punit malèfacta zelo iuſticiæ, quòd Exod. 32.
*olim Moſes, alioquin manſuetiſsimus, quum om-
nes Leuitarum manus in fratrum cædem armauit.
quibus proinde dicebat quoque: Conſecraſtis ma
nus ueſtras hodie Domino, &c.* Quicun-
que uerò.] *Volens nos & de paruis ſollicitos
eſſe, & mutuum uenerari, admonet horum, ne
uidelicet imprecemur fratribus. Etenim, ait Theo-
phylactus, qui ſcommatis & contumelijs perſe-
quitur, charitatem deſtruit: qua deſtructa, ſimul
omnes tolluntur uirtutes, ſicut omnes conſeruan-
tur ea ſalua. Non ergo ſolùm ille peccat, qui ma-
num mittit ad illicita: ſed & ille, qui uerbo, aut e-
tiam conſenſu perpetrat nepharia aduerſus proxi
mum ſuum, & ignis incendio dignus erit.* Si
ergo obtuleris munus tuum.] *In lege o-
lim fiebant oblationes, in cultum diuinum & uſus
miniſtrorum: quæ etſi Deo grata, tamen Chriſtus
contemnit, tantum ut nos diligamus: & oſtendit* c Matth. 6.
*ampliorem iuſticiam. Quòd ſi enim nõ licet Chri
ſtiano homini fratri iraſci, multo minus licet in a-
nimo retineret odium & liuorem. Inuidiam odit
Chriſtus, quia inuidia diaboli mors intrauit in or-* Sapien. 2.
bem terrarum. Deinde quia inuicem membra ſu-

mus, eodem ſanguine redempti, & uocati ad u-
a Actor.20. nam eandemq́; hæreditatem, ut filij Dei, qui Deus
pacis eſt. Quamobrem rectè quidem Apoſtolus
reijcit omnia alioquin bona & Deo grata, ſi deſit
1.Cor.13. fraterna dilectio, cum inquit: Si linguis hominum
loquar, & angelorum: ſi nouerim omnia myſte-
ria: ſi fidem habeam ita, ut montes transferam,
charitatem autem non habeam, nihil ſum. Qua-
propter diſcipulis Chriſti prima debet eſſe cura
pacis & concordiæ. Sciens autem Ieſus ex natu-
ræ imbecillitate accidere aliquando nonnihil of-
fenſæ inter ſuos, rebus omnibus operam dare iu-
bet, ut ſarciatur concordia. Quare inquit: **Di-
mitte munus tuum.**] Satanas inuidit homi-
ni beatitudinem, quare etiam aſtu ipſum circumue
nit. Is igitur rixarum amator, & contentionum,
inſtigat homines ad diſſidia & maleuolentiam.
b Pſal.135. Hinc ſæpiſſimè oriuntur digladiationes acerbæ,
& ſunt qui habeant ora maledictione plena, & pe
Pſal.13. des ueloces ad effundendum ſanguinem, dicente
Propheta. Iubet ergo Chriſtus, ut alter alteri re-
c Deut.8. concilietur, priuſquam aliquid muneris ipſi Deo
offeratur. Cum autem difficile cum nonnullis re-
ditur in gratiam, conſilio diui Pauli utendum erit,
Rom.12. dicentis: Si fieri poteſt, quod in uobis eſt, cum o-
mnibus hominibus pacem habentes, non uoſmeti-
pſos defendentes, date locũ iræ. Qui igitur Deus
d Hebr.10. pacis eſt, det nobis ſuam pacem, & concordiam
quam filius Dei Ieſus Chriſtus euangelizauit no-
Epheſ.2. bis qui longè fuimus, & alijs qui propè erant, ut
per ipſum omnes acceſſum habeant in uno ſpiritu
ad patrem, ſicut dicit Apoſtolus.

DOMINICA SEPTIMA POST Pentecoſten Euangelium, Marci cap. 8. Conuocatis diſcipulis ait illis, &c.

e Eſaiæ 46. CHriſtus Ieſus ut erat uerus filius Dei, ita
f Pſal.144. quoque uerus homo. Cum igitur, ut Euan-
geliſta ſcribit, per Sydonem ad mare Galilææ ue-
niſſet, ac uidiſſet multam turbam adeſſe, nec habe
g 2.Cor.5. re quod manducarent, humano more miſericordia
erga eam motus, dixit: **Miſereor turbæ.**]
Verba ſunt miræ dulcedinis, & magni amoris
Chriſti, qui non ſolùm uarijs malis obnoxios, ut
clementiſſimus Dominus, ſanabat quos ingens
h Ioan.20. multitudo hominum in deſertum locum, cõfluens
ſecum detulerat: uerumetiam & animos & cor-
pora paſcere dignatus eſt, non tam ſuæ magnitu-
dinem miſericordiæ oſtenſurus, quàm diſcipulos
adeoq́; omnes præpoſitos ad miſericordiam erga
i in Ioan. ſuos prouocaturus, in neceſſitatis præſertim tem-
pore. quam rem ipſi Paulo uſque adeò cordi ac
curæ fuiſſe conſtat, [a] ut præſules à ſe ordinatos
ſubinde eius rei admonuerit, dicens: Attendite uo-
bis & uniuerſo gregi, in quo poſuit uos ſpiritus
ſanctus regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit
ſanguine ſuo. Hic cogitemus quod dicit pius ille
Bernhardus: Si, inquit, ſtillantem Domini ſangui-
nem penes me haberem in uaſe, quid animi habe-
rem? & certè id ſeruandum accepi, pro quo mer-
cator ille ſanguinem illum dedit. **Triduo ſu-
ſtinent me.**] Internum iam diem adhærebant
Ieſu, & ieiuni quidem: tantus erat ardor eorum,
tamq́; audi erant ad audiendum eum, qui dulciſſi-
mo ſuo uerbo, & diuina doctrina illos reficiebat,
quos equidem imitari debent omnes qui uolunt ſal
ui fieri, ut non tam curent corporis refectionem
quàm animæ. Quemadmodum igitur corpus pa-
ſcit Deus, [b] qui dat eſcam omni carni in tempore
opportuno, producens fœnum & herbam ſerui-
tuti hominum, ut Pſalmographus inquit: ſic ſuo
ſanctiſſimo uerbo nutrit animas noſtras, Scriptu-
ra dicente: [c] Non in ſolo pane uiuit homo, ſed in
omni uerbo quod procedit de ore Dei. Ad ſar-
ciendas animi ruinas neceſſarius eſt panis diuini
uerbi, haud minus quàm materialis panis ad ſu-
ſtentandam hanc corporis molem. Et qui ex Deo
eſt, ueſcitur hoc pane: id eſt, audit uerbum Dei.
Cum Apoſtolus dicit, [d] Impoſſibile eſt ut ſine fide
quis placeat Deo, fides autem ex auditu, au-
ditus uerò per uerbum: certum eſt, quòd ex uerbo
Dei uiuimus, quia inde diſcimus mandatum Dei
quod dat uitam. facere enim uoluntatem patris,
uita æterna eſt. **Deficient in uia.**] Hinc
certè liquet, quàm non ſit alius qui ſic miſera-
tor ſit, quemadmodum pijſſimus conditor no-
ſter Ieſus Chriſtus. Miſeretur mater filij ſui:
& ſi, inquit Chriſtus Deus noſter, illa eius obli-
ta fuerit, [e] ego tamen tui non obliuiſcar. quo-
circa alius propheta dicit: [f] Miſerationes eius ſunt
ſuper omnia opera eius. Cum ergo omnes hic
ſimus tanquam aduenæ & peregrini (dum e-
nim ſumus in hoc corpore, ait Apoſtolus, [g] peregri
namur à Domino) tendimus indies in Latium,
hoc eſt, ueram noſtram patriam cœleſtem:
quos ſi dimitteret ieiunos Chriſtus, certè defi-
ceremus. quod ne fiat, iamiam in cœlum rur-
ſum abiturus Petro ter commiſit, [h] oues ſuas dili-
gentiſſimè ac fideliter ut paſceret. Eſt igitur
populus Dei grauiter uerbo diuino paſcendus ab
ijs, quibus commiſſus eſt à ſummo paſtore, paſto-
ribus, quemadmodum præclarè docet Cyrillus,
dicens: [i] Prælati Eccleſiæ diſcant, non aliter ſe
poſſe

poſſe Chriſto coniungi, niſi omni cura & opera ſtudeant, ut rationales oues rectè paſcantur, & rectè ualeant: qualis fuit Paulus, qui compatiebatur infirmis, & coronam Apoſtolatus ſui eos eſſe putabat, quos ad pietatem & ad uirtutem prædicando reduxiſſet. Hæc ille. **Quidam enim ex eis de longè uenerunt.**] Deus eorum miſeretur, qui à longè ueniunt: cuiuſmodi ſunt omnes uerè pœnitentes, qui propterea dicuntur à longè uenire, quoniam à peccatis ueniunt, quibus inuoluti longè à Deo ſunt, dicente Propheta: [a] Longè à peccatorib. ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt. Et alius: [b] Longè, inquit, eſt Dominus ab impijs. Cum autem Deus non uult mortem peccatoris, imò omnes homines ſaluos fieri: ipſi peccatores, ut Ambroſius dicit, ſunt ſui authores periculi, qui Domino non appropinquarunt, & uoluntate ſua ſe à ſalutis gratia ſeparauerunt. [c] Non refugit eos ſalus, ſed ipſi ſalutem. Porrò hortatur Deus à ſe longè receſſos, ut reſipiſcere ac redire uelint, cum inquit: [d] Audite me duro corde, & qui longè eſtis à iuſticia: propè feci iuſticiam meam, & non elongabitur, & ſalus mea non morabitur. Cum igitur nos, etſi olim lauacro regenerati ac mundati, à iuſticia longè ſimus propter peccata, in quæ ſubinde relabimur: citò conuerti conuenit ad eam quæ tam piè nobis offertur, gratiam atque ſalutem. Si enim, ut Petrus dicit, [e] angelis peccantibus Deus non pepercit, ſed in tartarum tradidit cruciandos, nouit pios de tentatione eripere, iniquos uerò in diem iudicij reſeruare puniendos. **Vnde iſtos.**] Inſipienter ſe habentes diſcipuli, ex circumſtantijs impoßibilitatem arguunt: cum potius ſecundum diuinam uirtutem illud quicquid erat æſtimare debuerant, cognoſcentes Chriſti uirtutem ex prioribus ſignis. **Et præcepit turbæ diſcumbere.**] Felix conuiuium, ubi famelica turba diſcumbit iuſſu Ieſu: quod fit, quoties populus auidus uerbi Dei conuenit. Diſcumbit autem, quum omnibus cõpoſitis affectibus, ſolius uerbi intendunt fructus. Vnde etiã ſeptem panes Beda ſeptem Spiritus ſancti dona eſſe dicit, quibus ſummis delicijs Chriſtus, qui nullum uult dimittere ieiunum, alit homines, maximè qui triduò apud ſe manent: hoc eſt, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti ſunt renati. Quòd igitur Chriſtus gratias agit, [f] oſtendit pro his donis ac beneficijs nos gratias agere oportere Deo, tanquam liberalißimo patri: qui non graue aliquid aut moleſtum à nobis requirit, ſed ſolum ut teſtemur & fateamur beneficia ſua, & pro his gratias agamus. Et ut maximè nutrimur ſuperna & cœleſti gratia, neceſſe erit ut ſemper frangat Chriſtus panes illos diuinorum myſteriorum. Nec enim quis noſcet patrem, niſi cui reuelauerit filius. Eſt autem, dicente filio, hæc uita æterna, ut co- Ioan. 17.
gnoſcamus ſolum & uerum Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum. Hoc fieri aliter non poteſt, quàm per apertionem ſacramentorum, & uerbi Dei, quod Ioannes Apoſtolus unctionem appellat, ubi inquit: Vnctio docebit uos. quæ uerba i. Ioan. 2.
doctißimè Auguſtinus interpretatur, & ait: Vnctionis ſacramentum uirtus ipſa inuiſibilis, un- a Pſal. 118.
ctio inuiſibilis Spiritus ſanctus. Et poſt pauca: b Eſa. 46.
Nolite, inquit, putare, quenquam hominem aliquid diſcere ab homine. Admonere poſſumus per ſtrepitum uocis noſtræ: ſi non ſit intus qui doceat, inanis fit ſtrepitus noſter. Magiſteria forinſecus adiutoria quædam ſunt, & admonitiones. cathedrã in cœlo habet, qui corda docet. Hæc ille. Ni- c Sua ſed pereunt ob facta nefanda: Homer.
ſi ergo prius fregerit panes diuinæ ſcripturæ Ieſus, inuanum uigilant oculi noſtri, & incaſſum laborabunt diuinorum myſteriorum diſpenſatores. d Eſaiæ 46.
Comederunt autem, & ſaturati ſunt.] Diſcamus, ſpem noſtram potißimùm in diuinam gratiam & benedictionem reponendam, qua aperta omnia implebuntur bonitate: & quàm primùm illa ſe auerterit, omnia deficiunt, & in puluerem ſuum reuertuntur, ut ait ille. Peropti- Pſal. 103.
mè igitur admonuit nos Chriſtus, ut primùm d 2. Pet. 2.
quæramus regnum Dei, & iuſticiam eius: qui Matth. 6.
paſcit uolatilia cœli, pater ipſe ſummus ſciẽs quib. nobis opus ſit, largiter omnia nobis eſt ſuppeditaturus. Cæterùm quòd ſaturi illi abierunt à refectione corporali, euenit & illis ſpiritualiter & in anima, qui ſummo ſtudio uerbum Dei audiunt, & cuſtodiunt illud, ut bene de illis dixerit Dauid: E- Pſal. 21.
dent pauperes, & ſaturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirent eum, uiuent corda eorum in ſeculum ſeculi. Quemadmodum è diuerſo tardis auditoribus ac tepidis obijcitur: Comediſtis, & Agg. 1.
non eſtis ſaturati. **Dimiſit eos.**] Dimittat & nos, ut feliciter diſcedamus, refecti cibo diuino, in uitam æternam.

DOMINICA OCTAVA POST Pentecoſten Euangelium, Matth. 7. Attendite à falſis Prophetis, qui ueniunt ad uos, &c.

f Chryſoſt. in Geneſim.

LEx Euangelica, lex perfectißima atque excellentißima eſt, quæ gaudium attulit uniuerſo mundo: quia promißio gratiæ & miſericor-

diæ Dei, adeo'que condonatio peccati, cuius pro-
miſsionis pignus Chriſtus fuit. Traditurus itaque
ipſe tam ſanctiſsimam legem, aſcendit montem,
non abſque myſterio certè: ſublimia ſiquidem e-
rat tractaturus. Quoniam autem de regno patris
ſui diſputabat, præmonuit ſuos diſcipulos ne la-
a Ezech. 13. tam inambulent uiam, quæ mox ducat in exitium
æternum, & multi per eam intrent. Aliam cer-
b Epheſ. 4. tè eſſe portam arctam, per quam intrare conten-
dere debeant. Eapropter caueant ſibi à falſis pro-
phetis. Sunt autem falſi prophetæ, doctores at-
que interpretes diuinarum atque propheticarum
literarum peruerſi, qui uenenato animo & inten-
tione nocendi id faciunt, unde dicunt bonum ma-
Eſaiæ 5. lum, & econtrà lucem tenebras, & amarum dul-
ce, quò alliciāt homines ad latam illam uiam, quæ,
c Matth. 16. dicente Chriſto, ducit ad perditionem: quales ſta-
tim poſt publicatum Euangelium extiterunt, te-
ſte Apoſtolo, quibus extinctis ſubinde pullulaſce-
re rurſum alij cœperunt, hoc'que fiet donec ſecu-
lum finiatur. ut uerum omnino eſſe neceſſe ſit,
2. Petri 2. quod ſcripſit Petrus: Fuerunt pſeudoprophetæ
d Actor. 20. in populo, ſicut & in uobis erunt magiſtri men-
daces, qui introducent ſectas perditionis per quos
uia ueritatis blaſphemabitur. Veniūt in ue-
ſtimento ouium.] Id eſt, mira quadam pie-
tatis ſpecie obtecti nocebunt, uenenum melle mi-
e 1. Ioan. 4. xtum propinantes: quos proinde Apoſtolus ap-
pellant operarios ſubdolos, transfigurantes ſe in
2. Cor. 11. Apoſtolos Chriſti. Et quid mirum? ait. ipſe enim
ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis. Exem-
plo cuius eſſe poſſunt præter cæteros flagellan-
tes, qui ut ſuam malitiam tegerent, tetrici ſemper
uiſi ſunt. nec niſi ſponte oblata acceperunt.
A' fructibus eorum.] Similitudine ſumpta
ab arbore, Chriſtus docet falſos deprehendere
Prophetas. Non enim bona uel mala arbor, à
frondibus & folijs dinoſcitur, ſed à fructibus.
Si igitur audimus Scripturas detorqueri ad cupi-
ditates hominum ſpe lucri, & ut probè dite-
ſcant, ob'que uanam gloriam inde conſequen-
dam, certiſsimum eſt, eſſe ſeductorem & falſum
prophetam. Ait enim Dominus per Ezechielem
prophetam: Deceperunt populum meum, dicen-
tes: Pax pax, & non eſt pax. conſuunt puluillos
ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub
capite uniuerſæ ætatis ad capiendas animas: 13.
Nam uerorum prophetarum eſt, ueritatis eſſe aſ-
ſertores acerrimos, nec ullius perſonam uel pro-
prium commodum reſpicere. Quales profectò
fuiſſe nouimus Eſaiam, Hieremiam, Ezechielem
Matth. 22. & alios. Item Ioannem Baptiſtam, ipſum Chri-
ſtum, cui Phariſæi illud tribuerunt: & Chriſti
Apoſtolos, eorum'que ſucceſſores. Num-
quid colligunt de ſpinis uuas?] Aptiſsi-
ma ſimilitudo. Spineta opaca ſunt, & mali Pro-
phetæ luce carent, quoniam ueritatem exoſam ha
bent. Idcirco ſpiritum ſuum ſequuntur, dicente
Propheta: [a] & ſacram ſcripturam aliter intelligi
uolunt quàm ſunt edocti, cum Apoſtolus dicat, [b]
Chriſtum dediſſe Apoſtolos, Euangeliſtas &
doctores ſuæ Eccleſiæ: & qui nobis fidem con-
tradiderunt, homines Dei fuerunt ſpiritu ſancto
inſpirati. Hinc dicitur fides catholica & ortho-
doxa. Nec immeritò Chriſtus monet ab illis ca-
uendum. quia enim ſunt adulterantes uerbū Chri
ſti ſub ſpecie pietatis, homines pertrahunt in æ-
ternum exitium. q̄ uerò homini id ſit perniciosum,
uel inde coniectare poſſumus, quod Chriſtus ait: [c]
Quid prodeſt uniuerſum orbem lucrari, animæ
uerò detrimentū pati? Patitur autem anima dam-
num grauiſsimum, cum cibum ſumit non à Deo
porrectum, ſed ab illo qui ſolutus eſt, ut ſeducat
uniuerſum orbem. Cui ut reſiſterent quorum ma-
ximè intererat, [d] Paulus exhortādo tam fideliter
dixit: Ego ſcio, quoniā intrabunt poſt diſceſsionem
meam lupi rapaces in uos, propter quod uigilate.
Enimuerò ſeductor ille ad unicum illum ſcopum
tendit, atq; eo grauiter ſubinde laborat, ut uerbū
gratiæ Dei peruertat. Idcirco non omni, [e] prout
adhortatur nos Ioannes, credendum eſt ſpiritui:
imò prius probandi, num ſint ex Deo. Om-
nis arbor bona.] Hominis & arboris aliqua
eſt ſimilitudo, magna tamen inter hæc quoq; diſ-
ſimilitudo. Nam quòd arbor bona uel mala eſt,
hoc habet ex eſſentiali proprietate: quod autē ho-
minis anima bona eſt uel mala, ex electione fit, ar
bitrioq; libero, ut adiutrice gratia diuina fructus
ferre poſſit optimos. Bene ergo Chryſoſtomus lo
quitur, cum dicit: Nō ait Domin⁹, Arbor mala nō
poteſt fieri bona: quaſi qui malus eſt, à Deo eſſet
malus. Quòd ſi hoc, nihil differret homo à be-
ſtijs: cur etiam accuſaretur tranſgreſsionis? Non
igitur fert fructus bonos, quādiu malus eſt. quod
uel exemplo Dauidis poteſt edoceri, qui arbor bo
na erat, & ſua ſponte factus eſt mala arbor: &
rurſum reſpiciente Deo bona arbor factus, fru-
ctus tulit bonos. ergo falſiſsimū eſt, quod de duab.
naturis diſſeruerunt Manichæi. Hac autem me-
taphora ſiue ſimilitudine oſtendit Chriſtus, haud
fieri poſſe, quin ſuo tempore uerſutia atq; iniqui-
tas pſeudoprophetarum appareat. Et quàm fue-
rint illi ſuis commodis ſeruientes, ſuum quæſtum,
ſuam item gloriam ſpectantes, potius quàm ne-
gocium

gocium Chriſti atq; Euangeliū, pia opera utcunq; in primis ſimularint. Omnis arbor.] Denunciat arboris infructuoſæ excidium, ut ſtudeant homines bonum operari. Conſideremus quæſo, ſi tanta pœna parata eſt homini ſterili, quanta pœna eſt futura ijs qui peſſimos proferūt fructus. Equidem iuſtus iudex in ignem mittet illos æternum. Quid uerò magis horrendum, quàm in illum ignem trudi, ubi nulla expectanda redemptio? Cum enim, Chriſto dicente, [a] benedictis tantum paratum ſit regnum cœlorum, ubi erit lætitia ſempiterna: ſequitur, maledictos alium in locum uenturos, ubi grauiſſimos ac ſempiternos dolores habeant. Studeamus itaq; dum tempus habemus operari bonū, idq; ſedulò ac diligenter: quoniam dies Domini ſicut fur, ita in nocte ueniet. Sic nos adiuuet Deus, & gratia Spiritus ſancti. Non omnis qui dicit mihi, Domine.] Hic reprobat Dominus quorundam inanem fiduciā. Quū enim omnis arbor non fructum faciens bonū excidenda ſit, conſequitur, uerborum folia ſine operum fructu ad ſalutem non ſufficere. Ex quibus profectò colligitur, quantus ſit iſtorum error, qui ſola & nuda, imò ſterili fide ſe putant conſecuturos ſalutem. Quòd ſcribitur, [b] Iuſtus ex fide uiuit: de ea fide dictum eſt, quæ, docente Apoſtolo, operatur per dilectionem. [c] Credulitatis uocabulum et ad confeſſionem reſpicit, & ad actum. unde ipſe Chriſtus adiungit, & dicit: Sed qui facit uoluntatem patris mei.] Dominum Ieſum confiteri, eſt quidam ad ſalutem acceſſus, ſed inſufficiens, niſi operibus atteſteris. Chriſto enim credere, eſt ei obedire, dicente Scriptura: Si filij Abrahæ eſtis, facite opera Abrahæ. [d] Profectò niſi acceſſerint charitatis fructus, ubi credidiſti, & ore confiteris, parū à dæmonibus differs. idem enim credunt illi modò, nempe Chriſtum Ieſum eſſe filium Dei, mundumq; ſua morte redemiſſe, tanquam experti uirtutis ac poteſtatis eius. Hæc eſt autem uoluntas patris Ieſu Domini noſtri, ſanctificatio noſtra, ut abnegātes impietatem, ſobriè, piè & iuſtè uiuamus in hoc ſeculo, donec ad aliud regnum transferamur.

DOMINICA NONA POST Pentecoſten Euangelium, Lucæ 16. Homo quidam erat diues, qui habebat uillicum, &c.

QVis eſt homo ille diues? num Crœſus rex Lydorum, aut alius quiſpiam? minimè. Quis igitur? Ieſus Chriſtus Dominus noſter, diues in cœlo, diues in terra, diues ubiq; in omnibus & in omnes qui inuocant illum, plenus gratia & ueritate, de cuius plenitudine accepimus omnes, apud quem abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Is ergo diſpenſatorem habet hominem, omnium certe rerum quas habet ille. Quid enim habes (ait Apoſtolus) quod non accepiſti? ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi nō acceperis? Hanc uillicationem homo potiſſimùm accepit in baptiſmo, cum Satanæ renuncians, ſe totum obſtringit Deo. Verùm quando uaria ſunt dona ac data Dei, uarij quoq; erunt diſpenſatores bonorū à Deo acceptorū. Sanè ut quilibet homo ſuiipſius diſpenſator eſt, ita munere iam ſibi delegato aliā in ſe ſuſcepit diſpenſationem, ut præpoſiti tam ſpiritualium quàm corporalium rerū. Quando enim non ſunt merita noſtra, ſed Dei gratia, fides, doctrina, ſermo, uirtutesq; aliæ, dicente Iacobo: Omne datum optimū, & omne donum perfectū deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum: Chriſti diſcipulus non tam ſui cauſa uiuit, quàm proximi. Hinc cōuocabat Apoſtolus ſuos coepiſcopos, repetēſq; ſingula ad fidelitatē in paſcendo grege eos adhortatus eſt. Et alio loco præcipit obedire præpoſitis, quoniam curam gerere debeant, quaſi rationem reddituri pro animabus ſibi commiſſis. Et hic diffamatus eſt.] Quotidie diffamamur apud Deum: quandoquidem ipſe nouit non tam opera, quàm cogitationes noſtas. In multis offendimus omnes: & ſi dixerimus quia peccatum non habemus, ſeducimus noſmetipſos, & ueritas in nobis non eſt: quia caro quam portamus, infirma eſt, & lubrica. Accepta autē Dei bona diſſipamus, quando his nec ad ipſius honorem utimur, nec ad propriam ſalutem, ſed magis ad Dei offenſam, ad proximorū iniuriam, aut ad propriā perniciem abutimur. Et uocauit illum.] Vocat ipſe nos, dum loquitur in uniuſcuiuſq; conſcientia. uocat etiam in ſuis doctoribus, dum illi ſacram Scripturā proferūt: & increpat malè cogitātes, malè loquentes, & demum impiè uiuentes, ita dicēs: Ad finem perueniſti, nec bene nec malè amplius operari poteris. quòd equidē fit, cum iam moriendū erit, poſt mortē nullū tempus merēdi eſt, ſed tantū Dei iudiciū expectandū. piè ergo nos monet Chriſtus, cū inquit: Operamini dum dies eſt. uenit enim nox in qua nemo operari poteſt. Dies quidē præſens uita eſt, nox uerò futurū ſeculū, ubi nullus operabitur, ſed opera operata ſequuntur, ut deinceps manifeſtemur ante tribunal Chriſti, ad referēda propria corporis geſta, ſiue bona ſiue mala. Quare dicit Chriſtus: Vigilate, neſcitis enim quando Dominus

Marginal notes: 1. Cor. 4. — a Matth. 25. — Iacob. 1. — Act. 20. — Hebr. 13. — b Abac. 2. — c Galat. 5. — d Iacobi 2. — Ioan. 5. & 6. — 2. Cor. 5.

Marci 13. nus domus ueniet, ſerò an media nocte, an galli cā
tu an mane, ne cum uenerit repentè, inueniat uos
a Lucæ 17. dormientes. Vnde etiam nemo hominum nouit fi-
b Sapien. 9. nem ſuum, & conſummationem uitæ: quoniam ſi
incerti tot mala perpetramus, quid quæſo facere-
mus ſcientes? Felix profectò homo ille eſt, qui ſem
c Matth. 6. per timet diem extremum, ne is impræparato ſibi
ſuperueniat, ac neceſſe ſit deinde ſummam pati ia-
cturam. Nam durum, ſtrictum ac tremendum uer
bum hoc eſt, & unde quiſq; contremiſcere debet,
Quid audio hoc de te? Nam hoc eſt dicere: Ecce
ſola bonitate mea feci te, atq; mundo quē innume-
ris bonis inſigniui, præfeci: ecce gloria et honore
coronaui te, ac conſtitui ſuper opera manuū mea-
rum. his bonis peßimè abuſus es. Præterea con-
d Matt. 25. ſtitui te paſtorem populi mei, ouium mearū quas
proprio redemi ſanguine, quas paſceres ac ſagina-
res meo ſanctiſſimo uerbo. Sed quid audio, quòd
potius mactaueris illas, gloriam et priuatum com
modum quærendo. Inſuper tu homo accepiſti po-
teſtatem ſuper gentes & regna, ut eſſes miniſter
& uindex in iram ei qui malè ageret, & laudem
rectè agentium, quò honeſtè uiueretur, nemo læde
e Prou. 19. retur, ſed ius ſuum unicuiq; redderetur, & mea fi-
f Eccl. 3. des atq; eccleſiæ commodum promoueretur: tu
uerò odiſti diſciplinam meam, & gladio pro libidi
g Pſal. 111. ne uſus es, nec boni nec improbi rationem habui-
ſti, quin malos foueris, ſuppreſſeris uerò bonos.
Hic miſerrimus homo nil habebit quod reſponde-
at: quoniam hic acquirimus, quod ibi poßideamus:
hic labor, ibi præmium. Bene itaq; ſtatim uillicus
dixit, **Quid faciam.**] Felix enim qui de fine
cogitat, qui ſingulis momentis ſe moriturū & ra-
tionem ſtrictiſſimā redditurū cogitat atq; perpen
dit: quoniam mali ducūt in bonis dies ſuos, quem-
Iob 21. admodum Iob dicit, et in puncto ad infernum de-
ſcendunt. Ergo memorāda ſæpius nouiſſima erūt.
Fodere non ualeo.] Duobus modis ſolet
egenus conſulere neceßitati, laborando manibus,
aut oſtiatim mendicando. Quid eſt igitur fodere,
niſi ſanctarum actionum exercitijs terram men-
tis & corporis excolere? Terram certè fodimus,
cum à nobis extirpamus uitia, & inſerimus uirtu-
Apoc. 14. tes: quod fieri non poteſt poſt hanc uitam. ibi enim
nemo poterit recreare pauperes, infirmos uiſitare,
h Lucæ 12. & alijs pijs factis incumbere, quia tempus illud
tempus retributionis eſt. eapropter nō erit melius
Galat. 6. conſilium, quàm ut, ſuadente Apoſtolo, operemur
dum tempus habemus. **Mendicare erube**
Matth. 25. **ſco.**] Dicetur enim: Neſcio uos. Verè mēdicatio
erubeſcenda, ubi nihil recuperatur, cum unicuiq;
1. Pet. 4. uix ſua ſufficiāt. Vix iuſtus ſaluabitur, ait Petrus,

miſerrimus peccator ergo ubi parebit? Ergo hic mendicare oportet, hic ut ſimus omnes mēdici utile erit omnibus. mendicare aūt et dicere: [a] Domine adauge nobis fidem. [b] Item: Da mihi ſedium tuarū aßiſtricem ſapientiā, ut mecū ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore: Et, [c] Pater dimitte nobis debita noſtra. Hic enim petentibus nobis dicetur: Vade, fiat tibi ſicut uis. **Scio quid faciam.**] Salubre cōſilium reperit ad finem, qui malè exercuerat uillicationē: nempe, ut per aliorū ſuffragia reciperetur in uitā beatam, cui propria deficiebant. Diuites enim huius ſeculi ſicut ſplendidas domos habent in terra, ita pauperes ſpiritu præclaras manſiones habebunt in cœlo, ad quas ſuos benefactores recipere dicuntur, quoniam Chriſtus dixit: [d] Amen dico uobis, quicquid uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Salubre autem hic conſilium datur, ut quia proprio labore ſatisfacere non poſſumus poſt mortem, antequam amoueamur, leuemus beneficio ſarcinam peccatorum, & relaxando debita debitori. quod uerbum Scribe ſibi uult, & tribuendo inopibus ſua bona, ad quòd multis ſanè Scripturis alijs adhortamur: ut, [e] Qui miſeretur pauperi, fœneratur Deo. Et alibi: [f] Sicut aqua extinguit ignē, ita eleemoſyna peccatū. Et alio in loco: [g] Diſperſit, dedit pauperib⁹, iuſticia eius manet in ſeculum ſeculi. **Et laudauit Dominus uillicū.**] Omnis parabola (inquit Theophylactus) figurato modo rerū quarundā naturā manifeſtat, nō per omnia reb. illis aßimilata pro quibus aſſumpta eſt. Idcirco nō oportet omnes parabolarum partes curioſius inquirere, ſed quatenus ſunt propoſito utiles. Hactenus ille: Quapropter malus ille uillicus non laudatur, quia malicioſè egit, et de fraude facta: ſed de prudētia, qua ſibi in futurū prouidit, per eleemoſynarū elargitionem. **Filij enim huius ſeculi.**] Ad exēplū beneficētiæ laudatur uillicus. & ad huius imitationē Chriſtus nos omnes adhortatur, taxās interim noſtrā ſocordiam, cum illi in negocijs ſuis ſapiāt & prouideāt, nos uerò inſipidiſſimi ceſſemus parare præſidia uitæ immortalis. Enimuerò ut res ipſa loquitur, res celerē finem habituræ ſine fine quæruntur, cœleſtes uerò diuitiæ et immortales honores negliguntur. At quid dictū fuit illi, [h] Stulte, hac nocte abibis in funus: idē profectò & nobis mundū ingurgitantibus euenire poſſet. unde Chriſtus et ſaluator noſter: **Et ego dico uobis.**] inquit. Fidele cōſilium eius, à quo ſumus iudicādi. & tātum eſt dicere: Quicquid alij uobis cōſulant uel inculcēt, diuitias, honores, uel uoluptates, ego Deus ueſter,

ſaluator

ſaluator & redemptor dico: Quod ſupereſt, date
eleemoſynā, frangite eſurientibus panes ueſtros,
egenos uagoſq́; ducite in domos ueſtras, & bene-
facite illis: illi erunt ueri ueſtri amici, & erumpet
quaſi mane lumen ueſtrum, et iuſticia ueſtra citius
orietur, & gloria Domini colliget uos. ſiquidem
opes nō ut propriæ datæ ſunt, ſed ad impendia ne-
ceſsitatis fratrum ac conſeruorum. Si igitur ſumus
diſpenſatores rerum à Domino concreditarum, di
ſpiciamus diligentiſsimè oportet, ut illas bene di-
ſpenſemus. Geramus curam quò iuſtè rationem
ſubducamus, ne ex hac uita educti omni conſola-
tione deſtituamur, quemadmodum fiet impijs qui-
bus dicetur:[a] Neſcio uos, &c.

IN FESTO DIVI IACOBI
apoſtoli Euangeliū, Matth. 20.
Acceſsit ad eum mater, &c.

SCribit ſanctus Matthæus, Chriſtum mōtem
conſcendiſſe, ut qui ſublimia eſſet docturus,
eumq́; dixiſſe: [b] Beati pauperes ſpiritu, quoniam
ipſorū eſt regnū cœlorū. Beati mites, quoniā ipſi
poſsidebūt terrā uiuentiū. Beati eſtis cum maledi
xerint uobis homines, &c. gaudete & exultate,
quoniam merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Hac
equidē diuina doctrina Apoſtoli uſq; adeò inſtru-
cti fuiſſent, ſi nō, iuxta Apoſtoli uerbū, [c] carnalis
homo minimè perciperet ea quæ ſunt ſpiritus, ut
de nullo terreno ac temporali regno ſomniaſſent
quidem. At matrem terrenis adhuc immerſi ſubor
nant, ut pro principatu ac huius ſeculi magnificen
tia Dominū rogatura accedat. Nunquid ergo mi
rum, iam ferè omnes faſtu & ambitione laborare,
qui neq; Chriſtū in carne uiderūt, neq; ſanctiſsima
eius uerba audiuerūt? Ait & nunc quoq; ille, Mer
ces ueſtra copioſa eſt in cœlis: ſed mater Eua infe
cta letali morbo aliud petit, caro inquā noſtra: ni
mirum, Da Domine, ut bene ſit nobis cunctis die-
bus uitæ noſtræ. Sed quàm noceat, hinc certè li-
quet. quia Chriſti regnum non eſt de hoc mundo,
uenit enim ille ut deſtruat opera diaboli, ut ipſum
tanquam principē mundi huius uincat. quamobrē
quoq; diſcipulis ſuis dixit:[d] Ego elegi uos de mun-
do. Si de mūdo eſſetis, mūdus utiq; quod ſuū eſſet,
diligeret. Eſt igitur regnū Chriſti ſpirituale &
æternū, ad quod, cōtemptis ijs quæ uidentur, ſum-
mo labore contendere oportet. Nam ſic promiſit
Deus per filium ſuū Chriſtū nobis dona gloriæ,
ut nihilominus pugnare atq; certare ſubinde opor
teat. quod & Dauid oſtendit, dum in ſpiritu ait di
uino:[e] Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?
Quis aſcēdet in montem Domini, aut quis ſtabit
in loco ſancto eius? &c. quaſi nō niſi magno labo
re ad Dei tabernaculum peruenire queamus, ſiqui
dem magno ſudore uertices montium aſcendimus:
ita quoq; in edito loco ſummoq́; ſitum eſt regnum
Chriſti. quamobrem diſcipulis ipſe ſuaſit paternè,
ut contenderent intrare per anguſtā portā. Quia
uerò admodum humana patiebantur Apoſtoli, uiſi Matth. 7.
bilia inuiſibilibus præponentes audiunt, Neſcitis
quid petatis. Neſcitis.] Nam magnum ac mi Chryſoſt.
rabile eſt, ipſaſq́; ſuperiores uirtutes excedens,
quod petitis. Et uos toto erratis cœlo. Regnū meū
non eſt terreſtre, ſiue de hoc mundo. Dixi uobis
de beatitudine illa ſuprema: uos autem de regno
terreno cogitatis. qui igitur bona cœleſtis illius
regni acquiretis? Malè item illi omnino dixerunt: a Matth. 25.
quoniā in illa diſcretione nouiſsimi examinis, om-
nes electi ad dextram tantum ſummi regis erunt,
& nihil ſiniſtrum habebit uita illa, nihilq; repro-
bum felicitas æterna. de ſiniſtra tantum dicturus
eſt: Ite maledicti in ignem æternū, qui paratus eſt Matth. 25.
diabolo, et angelis eius. Verius itaq; dicemus nos, b Matth. 5.
nil tale petituri, cum diuino Propheta: Elegi ma- Pſal. 83.
gis habitare & abiectus eſſe in domo Dei, quàm
habitare in tabernaculis peccatorum. Pote-
ſtis calicem bibere.] Eodem poculo bibere Eraſmus.
apud ueteres uulgò dicebatur, quòd erat ijſdē affi
ci incommodis, maliſq́; communibus obnoxium c 1. Cor. 5.
eſſe. Hinc certè uaria eius poculi erit ſignificatio.
Primū eodē bibimus omnes poculo, quia per unū
hominem peccatum in mundū uenit, & per pecca
tum mors, dicente Apoſtolo: In Adam omnes mo- Rom. 2.
riuntur. Deinde omnibus ſtatutū eſt mori ſemel, 1. Cor. 15.
etiamſi Chriſtus ſuos ſuo ſanguine de morte rede
mit æterna. Demū & de calice Babylonis omnib.
bibendū erit, quoniā uariæ irrogantur ſubinde ca
lamitates: & qui piè uiuere uolūt in Chriſto, perſe
cutionē ut patiantur neceſſe eſt. Neſcientibus er-
go diſcipulis quid peterēt, Chriſtus manſuetiſsimè
reſpondet, Poteſtis calicē bibere: dicēs calicē ama
ritudinem tribulationum, quæ crebrò fidelibus ab
alijs acerbè offertur: quam quicunq; patienter pro
Chriſto ſuſceperit, ad regnū quod immortalitatis
gaudio fulget, dubio procul ſublimiter euehetur. d Ioan. 15.
Hinc Apoſtolus inquit: Spiritus teſtatur unà cum Rom. 8.
ſpiritu noſtro, quòd ſimus filij Dei. quòd ſi filij: er-
go & hæredes, & cohæredes Chriſti. Sed audi,
quid adiungat: non quia fideles ſumus, quia guſta-
uimus illud donum cœleſte, ſed ſi cōpatimur, &c.
Certè nō erit diſcipulus ſupra magiſtrum. Quòd
ſi Chriſtum neceſſe fuit pati, & ita intrare in glo
riam ſuam: nos non niſi per multas & uarias tri- e Pſal. 23.
bulationes in regnum Dei intrare poterimus: cu-
ius equidē & filij Iſrael, & omnes quotquot antea
fuerunt,

ſuerunt, exemplo eſſe poſſunt. Quanta paſſus ſit
Abraham, neminem peritum latet. Quid acciderit
a Ioan.5. Iacob, ſatis literæ ſacræ docent. Quomodo Ioſeph
ad ſublimem dignitatem euectus, ſatis teſtãtur ſcri
pta. & quid plura dicam? Non'ne Chriſtus abie-
ctiſſimus uirorum, priuſquã acciperet nomẽ quod
eſt ſuper omne nomen? Vbi reges, magnifici item
Domini fuerunt Apoſtoli in hoc mundo, marty-
Hebr.11. resq́;, quorum memoria celebris, ludibria & uerbe
ra experti ſunt, inſuper & uincula & carceres.
Ergo ſi quæramus quæ uoluptatis & lautæ ſunt
b Eſaiæ 26. uitæ, inſtigante matre noſtra carne, profectò ne-
ſcimus quid petamus. Gaudendũ erit potius cum
aduerſum nos inſurgunt faſtus & honores: quo-
niam ſi ſufferimus tentationes eiuſmodi, erimus fe
Iacob 1. lices ac beati, & accipiemus coronam uitæ pro-
miſſam omnibus uerè diligentibus Deum: quæ om
nia in Iobo præfigurata fuerunt, probato num ma
c Gen.6.19. gis mundo quàm Deo adhæreret. Dicunt autem
diſcipuli; Poſſumus.] Mentem quidem de-
uotionemq́; ſuam qualis in præſenti erat, qualis ho
minis eſt, oſtendunt, nec ipſum Chriſtum intelli-
gentes ſe poſſe affirmant. biberunt quidem, ſed nõ
niſi Domino dante, & confirmante. Cum ergo
ſcimus & nobis in dies hunc tribulationis calicem
d Ioſeph.lib. 6.&7. propinari, ſiquidem omnibus dicit Chriſtus, Ecce
ego pro uobis ſummas tuli contumelias: quid non
pro ueſtra omnium ſalute perpeſſus ſum? ita ut mi
nimè cunctatus ſim etiam ignominioſiſſ. mortem
ueſtri cauſa ſubire. quia igitur ad illud regnum an
helatis, ubi lætitia erit ſempiterna, quæro poteſtis
eodẽ bibere poculo, ſimiliter & patientiſſimè me-
cum uarias pati ærumnas? Cui liberè & ingenuè
fateri debẽt Chriſtiani, quauis licet calamitate op
preſſi: Poſſumus. Quòd ſi tu Deus ac Domin⁹ no
ſter immeritò omni noſtram ob ſalutem contume
lia affectus es, acerbiſſimã etiam mortem paſſus:
quare nos recuſaremus, propter nomen tuum ac fi
dem uel grauiſſima ſufferre: & hoc tuo confirma
ti ac corroborati ſpiritu, quia ſine te nihil poſſu-
mus. Calicem meum quidem bibe-
tis.] Hoc eſt, eritis mecum et permanebitis in tri
bulationibus multis, ita ut mortem haudquaquam
reformidare uelitis (quod equidem factũ fuit, cum
Iacobus ab Herode capite truncatus ſit, Ioãnes au
Actor.1. tem in dolium feruentis olei miſſus, uterq́; ſponte
ſua mori paratus) at meum non eſt, ſed patris, dare
felicitatem æternã. Diſpoſuit ille regnũ ſuis quos
prædeſtinauit et elegit ante mundi conſtitutionẽ,
abſq́; ullo perſonarũ reſpectu. Regnum ſuũ nulli
perſonæ dabit, ſed uitæ, ſicut dixi uobis. quia uenit
hora, in qua omnes qui in monumẽtis ſunt, audient
uocem meam, & procedent qui bona fecerunt in
reſurrectionem uitæ, qui uerò mala egerunt in re-
ſurrectionẽ iudicij. [a] Hæc animis infigite ueſtris.
Deinde nemo ad dextrã erit reuera, niſi ego uni-
genitus Dei filius. ſufficit ut mecum in regno pa-
tris ſitis, qui hæc omnia largitur: ipſi defero ſum-
mum iudicium atq́; honorem, ſiquidem ille me huc
miſit. Currite cum alijs, ut comprehendatis.

DOMINICA DECIMA POST Pentecoſten Euangeliũ, Lucę 19.

Videns Ieſus, &c.

DOminus, inquit Eſaias propheta, [b] egredie
tur loco ſancto ſuo, ut uiſitet iniquitates
habitatorum terræ. Vbi locus Dei, interpretante
Hieronymo, eſt miſericordia Dei, quia ei propriũ
eſt miſereri. Quoties igitur filios ſuos negligẽtes
ferire compellitur ex iuſticia, & iram inducit, de
ſua ſententia cõmutatur, quòd egredi Deũ dicit il
le. [c] Sic equidẽ egreſſus eſt Deus, quãdo cataclyſ-
mo mundũ deleuit. Sodomitas & Gomorritas in
cinerẽ igni de cœlo redegit, cum uidiſſet terrã eſſe
corruptã, & omnem malitiã inundaſſe. Idem fecit
& Iudæis, quando permiſit Titum & Veſpaſianũ
Romanos undiq́; graſſari, donec in nihilũ ferè re-
dacti ſunt cuncti eius nominis Iudæi. Mira calami
tas, quã Ioſephus [d] ſuo libello cõſcribit: tantas re-
fert fuiſſe Hieroſolymis anguſtias, ut nec fimo nec
fœno pepercerint homines: ut interim taceam de
inteſtina ſeditione, peſtilẽtia item, quæ tot milia cõ
ſumpſit, ut inſepulti hinc inde manerent, unde etiã
plures uiui in ſepulchra deſcenderũt. Hanc aũt mi
ſeram calamitatem, hodie Dominus ex pietate &
miſericordia ex animo defleuit, quia ipſe Deus
coràm ac præſentem uidit. ait ergo: Si co-
gnouiſſes & tu.] Ciuitatẽ uidebat ædificijs
magnificã, uiris & opibus florentem, uerùm igno
rantia uenturæ calamitatis ſecuram. unde miſeri-
cordia motus illachrymauit. quo facto oſtẽdit ad-
mirandã ſuam pietatem, quoniã commeritũ exci-
dium iuſtamq́; perditionẽ gentis peſſimæ, & ſuo-
rum inimicorũ defleuit. Et ſubiunxit: Quę ad
pacem tibi.] Ex Theophylacti interpretamen
to ſenſus eſſe poteſt: Hic eſt dies tuus, quo tibi of-
fertur pax, & remiſſio priſtinorũ criminum, quo
prouocaris ad reſipiſcentiã, & ex Dei bonitate ad
pœnitentiã inuitaris. Hic eſt dies tuus, quo te inui-
ſit redẽptor tuus. quòd ſi intelligeres, quantũ boni
tibi offertur, curares quæ ad pacẽ tuã pertinẽt, hoc
eſt, crederes et obtẽperares mihi. nũc autẽ Ab-
ſcondita ſunt tibi.] Non agnoſcis, nõ proſpi
cis, quoniã habes oculos præſentis felicitatis temu
lentia cæcutiẽtes. Perditio tua, ô Iſrael, ex te erit:
qua

quia enim ex me auxiliũ tuum: quod quia renuis, nullam habebis excuſationẽ, quin in peccato tuo moriaris. Venient dies.] *Quando pertinaciſſimè ſpernis bonitatem, & gratioſam meam uiſitationem, ac deſcendiſti in profundum impietatis, uenient dies ultionis diuinæ, in quibus pœnas dabis omnium ſcelerum tuorum. Non recipis qui uenit daturus ſalutem: recipere cogeris, qui uenient daturi perniciem.* Eo quòd non.] *Repetit Chriſtus quod dixerat, temp⁹ uiſitationis tempus gratiæ, quo ipſe homo factus apparuit, & doctrina atq; miraculis Iudæos non ſecus atq; medicus diu laborantes uiſitauit. Ipſi uerò non cognouerũt illud, quin obſtinatè ſpernerent ipſum Chriſtum, miſericordiam ac bonitatem Dei. quapropter meritò ac iuſtè tam miſeranda eis acciderunt.* Et ingreſſus Ieſus.] *Quũ defleuit Dominus impietatem hanc, ciuitatem ingreſſus, mox inuenit nempè domus Dei ſui patris prophanationẽ. Auguſtiſſimũ illud templũ* [a] *Salomon eò deſtinarat, ut inibi iugiter purus cult⁹ Deo exhiberetur. Hic autem erat ſolùm opinio religionis, quoniã (teſte Hieronymo) miniſtri eius templi auariciæ inceſſanter ſtudebant, quãdo uidebatur multitudo mercatorũ, qui uendebant animalia ritu legis mactanda: unde aberat deuotio atq; reuerentia diuinis officijs. Aderant hic quoq; numularij, qui mutua ſub cautione, & ſpe alicuius doni pecuniam dabant. Hoc igitur tanquã malum impium atq; corã Deo abominabile reprehendit Chriſtus, & uehementia quadam, ac inquit:* Scriptũ eſt, domus mea.] *Oſtẽdit Ieſus nihil negociationis uel prophanæ rei, ſed ſolùm quod cedit in Dei gloriam, & hominis ſalutem, in templo eſſe agendum. ibi enim peculiarius ſeſe exhibet, qui eſt ſanctus ſanctorum: quemadmodum Salomon petijt, hoc templum Domino conſecraturus. dixit enim: Audi Domine hymnum, & orationem, ut ſint oculi tui aperti, & aures tuæ intentæ ſuper domum iſtam, de qua dixiſti, Erit nomen meum ibi.*[b] *Speluncam igitur latronum faciunt ex domo Dei, omnes qui illicita ibi faciunt, quiq; omnia ſub prætextu religionis in ſuum uſum conuertunt.*[c] *Hinc Apoſtolus tam uiris quàm mulieribus orandũ eſſe in templo dicebat: dans quoq; orandi ritum ac cæremoniam eam, ut ſcilicet uir detecto capite, mulier uerò uelato oret: quæ quidem humana conſtitutio fuit, ſed pia & uerbo Dei conſentanea.*[d] *Nec refert, quòd Chriſtus iuſſit in ſpiritu & ueritate orare patrem: quoniam ſic docuit cultum gentilium deſiturum, qui fiebat in montibus, ſimiliter umbratiles Iudæorum figuras, idq; per nouam legem, quæ erat ſuum Euangelium, ut qui deinde eſſent Deum adoraturi, non tantum labijs, quod ipſe minimè probat, ſed & corde & ſpiritu adorarẽt. Et hoc eſt quod ille dixit: Mulier crede mihi, quia ueniet hora, quando neq; in monte hoc, neq; in Hieroſolymis adorabitis patrem, &c. Item, Tu cum oraueris, intra cubiculum tuum.* Matth.6. *Et minimè ut conuentus noſtros ſolennes, baſilicasq; deſtrueret, cũ illud ipſum ualde Chriſto placeat: quod uel inde liquet, quia Paulus uoluit collectas celebrari. ait enim: Conuenientibus uobis in unum, &c. Inſuper* 1.Cor.11. *uult obſecrationes ac poſtulationes fieri, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, et præſertim in ſublimitate conſtitutis. Quæſo quid hoc* 1.Tim.2. *aliud eſt, quàm publicas preces eſſe debere? Priuatim orare ut Deo acceptum eſt, ita ſaluti hominum conducit, interim tamen ut ſis memor publicæ ſalutis & tranquillitatis. Vis diſcere (inquit Chryſoſtomus) quanta ſit orationis in Eccleſia factæ potentia? Vinctus erat Petrus, & oratione li*- [a] 3.Reg.8. *beratus eſt. His itaq; manifeſtum ſit, oraturos tota cogitatione in cor noſtrum deſcendere debere. Vera ſiquidem oratio quoddam ſecretum eſt in animo locatum, unde requirit tranquillitatem procul ab omnibus curis: ualdeq; erroneum eſſe, ſi quis affirmet in publico non orandum eſſe. Enimuerò qui priuata ſibi loca eligunt, & conuenticula, ſchiſmatis argui liberè poſſunt. Porrò cum Paulus dicat, quæcunq; ſcripta ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe: haud fieri poteſt, quin hæc de deuaſtatione ciuitatis Hieruſalem nobis in exemplum & ſcripta & dicta ſint. Hoc ergo exitium Iudaicæ gentis, quid aliud eſſe poteſt, quàm exemplum ac fidelis admonitio, ne contemnamus Dei bonitatem, ad meliora ſubinde prouocantem. Etenim nemo dicturus eſt, tranſlato ad nos regno, reiectisq; Iudæis, quid omiſſum quod ad ſalutem fuerit neceſſarium, dum ſancti Apoſtoli ſacroſanctum Euangelium in omnes fines terræ diuulgarunt. Fuerunt Iudæi ſceleratiſſimi, ut nec uerba nec fa*- [b] Hier.7. *cta fidem mererentur apud illos. idem niſi hoc die fiat (dum titulotenus Chriſtiani ſunt, ita ut mirum, ſi redirent prioris Eccleſiæ homines, num* [c] 1.Cor.11. *pro Chriſtianis agnoſceremur, ipſos credo dicturos cum philoſopho illo, Vbi ſunt homines Chriſtiani) planè cæcus ſum. Et tamen plus quàm propitium habemus Deum, qui deflet noſtram miſeriam, & differt tempus perditionis noſtræ, no*- [d] Ioan.4. *ſtram conuerſionem expectans. Nec deſinit uiſitare nos, dum per uerbum ſuum clamat: Conuertimini ad me, & ego reuertar ad uos. Cum autem ſurdis nobis fabulam narrat, quid*

reliquum eſt,quàm ut ipſi ſimus tandem cauſa ma-
a Phil.4. lorum in perpetua damnatione. Si enim ipſe ange-
b Galat.5. lis peccantibus non pepercit,dicente Petro,mun-
do primo & Sodomitis,& naturalibus ramis,quo
pacto parceret nobis ſidefragis plus centies,&
inſiticijs? Quàm conſultum igitur eſſet,tempus
c 1.Ioan.1. gratioſæ uiſitationis agnoſcere,& à uia mala con
uerti,quemadmodum Scriptura docemur dicente:
Eſaiæ 55. Derelinquat impius uiam ſuam,& uir iniquus co
d Eccle.9 gitationes ſuas,& reuertatur ad Dominũ ſuum,
& miſerebitur eius, quia multus eſt ad ignoſcen-
e Pſal.142. dum? Facilè petentibus ueniã,& conuerſis ut igno
Ionæ 3. ſcat Deus,uel ſoli probant Niniuitæ. Quia autem
f 1.Cor.4. nos,iuxta Apoſtolum,bonitatem Chriſti contem
nimus,timeo ſanè ne grauitate pœnæ tarditatem
recompenſaturus ſit,qui reddet unicuiq; ſecundũ
g Pſal.18. opera eius. Exurge itaq; qui dormis,& illumina-
bit te Chriſtus.
h 1.Cor.4.

DOMINICA VNDECIMA

Euangelium,Lucæ cap.18. Dixit Ieſus ad quoſdam,&c.

PRopoſuerat Dominus Ieſus,referente Luca, parabolam de iudice,& uidua petente uindicari de aduerſario quodam,eamq; fuiſſe exauditã dixit propter conſtantem perſeuerãtiam. Docuit ergo perſeuerantiam ad Deum,et de non relaxando animo,dicens: Oportet ſemper orare,& non deficere. Quia autem fieri ſolet,ut multi nõ exaudiantur, eo quòd male precentur, uolensq; oſtendere quàm nihil ſit homo,quando à domino iudicetur,rurſus aliam induxit parabolam,in qua duo hominum genera nobis proponuntur, ambientiũ diuinum fauorem: Vnus,inquit,erat Phariſæus,et alter publicanus. Phariſæus autẽ.] Phariſæus ille uanus iactator fuit ſuorum operum,confiſus uiribus ſuis,quod certè peſſimum atq; coram Deo abominãdũ fuit. Non enim,ait Apoſtolus,
2.Cor.3. ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis tan-
Eccl.17. quam ex nobis,ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.
i 1.Cor.10. Hominem quidem ante lapſum nihil impediebat ut
faceret bene, nihilq; impellebat ut faceret malè. quamprimum autem lapſus eſt,eiuſmodi libertatẽ amiſit,ut iam in omne malum prolabatur,et planè inefficax ſit ad inchoandam & efficiendam iuſticiam ueram,& opera coram Deo bona. Vnde di
1.Cor.2. uus Apoſtolus: Animalis homo,inquit, non percipit ea quæ ſunt ſpiritus. Iam uerò aliter res ſeſe habet, quia per redemptionẽ filij Dei libertas prior reſtituta eſt,quoniam hoc modo à ſeruitute pec-
Rom.6. cati liberati ſumus,& ſerui facti iuſticiæ,in quo ſpiritus ſancti opificio conformamur,ita ut poſſimus nos continere à malo,& Deo obedire,eiusq; facere mandatum. Sicut ait Apoſtolus: [a] Omnia poſſum in eo qui me cõfortat Chriſtus. [b] remanet tamen ad bonum infirmitas,& ad malum inclinatio,quæ prauas cupiditates gignit,quo fit ut nemo ſit in hac uita ſine peccato. Huc igitur referendum quod Ioannes ſcribit: [c] Si dixerimus quia peccatũ nõ habemus,etc. Deinde peccauit hic Phariſæus, quoniam clandeſtinum eſt & occultũ Dei iudiciũ ſemper timendũ, [d] nemo uerè ſcire poteſt num iuſtus ſit uel iniuſtus,ſed omnia in futurum ſeruantur incerta. Bene quamobrem Dauid dixit: [e] Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo,quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. [f] Equidem Apoſtolus nihil ſibi conſcius erat, noluit tamen iuſtificatum ſe eſſe dicere, memor eius quod à Dauide fuerat dictum: [g] Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine. Et hoc alijs quoq; inculcabat. dicebat enim: [h] Nolite iudicare ante tempus,quoaduſq; ueniat dies Domini,qui illuminabit abſcondita tenebrarũ. Præclarè ubi ſancti patres philoſophantur,et aiunt: Sæpe ipſa iuſticia noſtra iniuſticia eſt, et ſordet in diſtrictiõe iudicis, quod in æſtimatione noſtra fulget. Quantumlibet rectus mihi uidear, inquit Auguſtinus, producis tu Domine de theſauro tuo regulam, coaptas me ad eam, et prauus inuenior. Demum etſi omnia bona fecerimus,tamẽ ſumus,dicente Chriſto, ſerui inutiles,qui fecimus quæ Deo ex obligatione ut Domino debuimus. & ita monſtratur quòd non oporteat extolli in bono opere, imò neque in omnium mandatorum impletione. Seruo enim neceſſitas incumbit, ut faciat mandata Domini. proinde nõ oportet de hoc honorem quærere. enimuerò opera noſtra, beneficia ſunt per miſericordiam Dei conceſſa. Hæc Theophylactus. Non ſum ſicut cæteri homines.] Iniquè egit & in hoc Phariſæus,quòd ex comparatione ſui ad alios ſuperbiuit, ſe alijs præferendo: quandoquidem qui modò ſtat, paulo pòſt cadere poteſt, adeò ut bene dixerit Apoſtolus: [i] Qui ſe exiſtimat ſtare, uideat ne cadat. nimirum memor, quàm terribilis ſit Dominus in conſilijs ſuper filijs hominum. Hinc ſæpe fieri ſolet, ut unus ex uirtutibus in fine tendat ad uitia: alter uerò ex uitijs redeat ad uirtutem, finemq; uitæ ſanctiſſimæ faciat: tam occulta ſunt iudicia Dei, ac uaria, & abyſſus multa, qui cui uult miſeretur, & quem uult indurat. Quis enim putaſſet Iudam perditum iri, Paulum uerò ſaluari? Magdalenam & plures alios ſalutem eſſe conſecutos quis exiſtimaſſet? Verùm ut omnia bene dixit Chriſtus, ita & hoc quoq; Phariſæis: Amen dico

uobis,

uobis,[a] *quia publicani & meretrices præcedent uos in regno* Dei. *Quapropter potius ſinguli exclamare debent cum ſanctiſsimo* Paulo:[b] *O altitudo diuitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei, &c.*

Adulteri.] *Nouit ille magnum malum eſſe adulterium, ex Leuitico,*[c] *ubi præceptũ fuit ambos morti deſtinandos. quam legẽ ipſe Paulus,*[d] *quamuis non repetat, tamẽ huiuſmodi tranſgreſſoribus*[e] *Dei regnum fore claudendũ dicit, quoniã Chriſtus legitimam uiri ac mulieris coniunctionẽ eſſe uoluit, dicens:*[f] *Ideo relinquet homo patrẽ & matrem, & adhærebit coniugi ſuo.* Raptores.][g] *De rapina multa ſciebat eſſe in Prophetis & lege,*[h] *quàm abominaretur eam Deus. proinde ſe iuſtum exiſtimat eſſe, quia immunis eſſet ab eiuſmodi malo.* Ieiuno bis in Sabbatho.] *Et hic peccauit Phariſæus ille. quoniã etſi hæc Deo grata & accepta ſint, non tamen ob id Deus nobis obligatur, qui nunquã ſoluendo eſſe poſſumus. Empti enim ſumus precio magno, omnes æternis deſtinati ſupplicijs. quicquid itaq; nobis datur, mera gratia eſt. Rectius igitur fecit publicanus ille, diuinam propitiationem dum implorauit, dicens:*

Deus, eſto propitius mihi peccatori.] *A' longè ſtetit ipſe, haud ignorans quàm peccatores auerſetur Deus.*[i] *in cuius ſignum olim Moyſes fuit iuſſus ſoluere calceos, antequam appropinquaret rubo ardenti. Timore quoq; tangebatur: quemadmodũ fieri ſolet, ubi mœror ac maxima triſticia inuaſit hominem. Ceterùm ut non auſus fuit appropinquare ſanctuario templi, nec oculos leuare, ob peccatorum ſuorũ grauitatem, diuinæ maieſtatis conſpectum reformidans: percutit pectus, ut oſtẽderet, ubi ulcus, ubi dolor ſuus eſſet. Caput non languebat, nec laborabat pede: tantum ſaucia erat anima, corq; ſuum infectũ incurabili morbo, niſi Deus mederetur. Et quoniam inde ſciebat omnia promanare mala, ibiq; uerã inchoari pœnitentiã, propterea percutit pectus ſuũ, atq; ait: Deus, tu ſolus potes, nemo mihi in tantis calamitatibus cõſtituto ſuccurreret: tibi ſoli peccaui. quia homo homini non peccat: quia eum aut par aut grauior culpa coinquinat. tu ſolus iuſtè peccata ulciſceris: quia ipſe ſolus, in quo non poteſt inueniri iniquitas. Dixi ergo, cõfitebor aduerſum me iniuſticiã tibi: tu obſecro Domine uelis remittere impietatem peccati mei. peccaui in cœlum & coram te, fateor liberè. At tu qui dixiſti,*[k] *Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur, & uiuat:* Eſto propitius mihi peccatori.] *Tu qui dixiſti:*[l] *Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates hominũ: propter temetipſum inclina aurem tuam ad preces meas, & audi. nullæ mihi ſunt iuſtificationes, ſed tantũ in miſerationibus tuis multis, proſterno preces ante faciem tuam: miſerere mei Deus, ſecũdum magnam miſericordiã tuam.*

a Matth.21. Dan.9. b Rom.11.

Et deſcendit hic iuſtificatus ab illo in domum ſuam.] *Iuſtus Deus, non ex aliquo uel merito uel opere impium iuſtificat: ſed ex mera gratia & miſericordia, dummodo obnixè imploret eam iuſtificandus. Et egregiè concludit hanc parabolam Chriſtus, & ait:* Omnis qui ſe exaltauerit, humiliẽt.] *Omnis qui in ſe & ſua opera glorians confidit, et proximum ſuum ex eiuſmodi hypocriſi accuſat atq; condemnat, humiliabitur: hoc eſt, deſpicietur à Deo. & econtrà, qui ſe neminem deſpectiorem peioremq; æſtimat eſſe inter mortales, exaltabitur in regno cœlorũ. Non imitemur itaq; ſuperbiam Phariſæi, ſed ſeruemus humilitatẽ pœnitentis publicani: & Dominus dabit nobis gratiam hic, & gloriam in futuro. Amen.*

c Leuit.24. d Galat.5. e 1.Cor.6. f Matth.19. g Amos 3. h 3.Reg.21.

IN FESTO DIE SANCTI Laurentij martyris Euangeliũ, Ioan. 12. Niſi granum frumenti mortuum fuerit.

V*Arijs uſus eſt Ieſus ſimilitudinibus, quo fidem hominibus perſuaderet. Vt ergo uerbum ſuum ſemini in terram deiecto comparauit, quod enatum, centeſimum dederit fructum: ita nunc grano ſeſe comparat uel hac ratione, quoniã ſicut granum ex terra natum, & rurſus in ea mortificatum, cum copioſo fœnore renaſcitur, occupat campos, et regionem ditat: ſimili modo Chriſtus è terra, hoc eſt, generoſiſsimo uirginis utero ortus eſt, & in terrã proiectus, quando uerè mortuus eſt, & deinde reſurrexit, fructum protulit uniuerſo mundo. quod ſancti Prophetæ figuris exprimentes, ſatis demonſtrauerunt fore, ut orire tur qui homines ſuo ſatiaret bono. Quid enim ſibi hoc aliud uult, quod dixit* David: *Veritas de terra orta eſt, & iuſticia de cœlo proſpexit? quàm Saluatorem hominem factum in mundum, in mundo omnem docturum ueritatem: qui cum Deus ſit, nil futurus niſi ipſiſsima iuſticia, hocq; fieri nõ poſſe, niſi morte interueniente ipſius. quemadmodum Ionas figuraſſet, latitans tribus diebus & tribus noctibus in uentre ceti, & deinceps annunciata ſalus fuit Niniuitis, modò conuerterentur à praua eorum uita? Chriſtus igitur granum mortuum eſt, & reuiuiſcens, quod multum fructum attulit omni nationi, ſicut ipſe dixit: Ego ſum panis uiu⁹, qui de cœlo deſcẽdi: ſi quis mãducauerit ex hoc pane, uiuet in æternũ. Primùm igitur hoc granum hunc*

i Exod.3. Matth.12. Pſal.84. Ionæ 3. k Ezech.18. Ioan.6. l Eſaiæ 43.

nobis tulit fructum, ut ad fidem æternæ ſalutis tra
ctu, habeam' remiſſionẽ peccatorũ. Sic enim dixit
Matth.26. Chriſtus noſter: Hoc eſt corpus meũ quod pro no
a Rom.6. bis tradetur: Et panis quẽ ego dabo, caro mea eſt,
quam dabo pro mundi uita. Hic eſt ſanguis meus,
qui pro multis effundetur in remiſſionem pecca
Hebr.9. torum. Et Paulus: Chriſtus, inquit, ſemel oblatus
eſt ad multorum exhaurienda peccata. Quæ om
nia huc referri poſſunt, ut ſciamus, certoq; creda
b Coloſ.3. mus, in morte Ieſu Chriſti noſtram ſalutem eſſe
ſitam, unde etiam panis, qui à nobis in myſterijs ſu
mitur, creditur eſſe ipſa caro Domini, & æternæ
uitæ ſubſidium: & uinum ſanguis ille, qui effuſus
eſt pro genere humano ad obſignandũ teſtamen
tum noſtrum nouum, quemadmodũ uetus bruto
rum ſanguine cõfirmabatur: Ergo hic fructus nun
1.Ioan.2. quam marceſcet, quin uerè dixerit Ioannes: Aduo
catum habemus apud Deum Ieſum Chriſtum, et
ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: & non no
ſtris tantum, ſed etiam totius mundi. Vt autem fru
ctus ille totum mundum expleret, & ditaret, dixit
c 1.Pet.2. Chriſtus iam in cœlum aſcenſurus diſcipulis ſuis:
Actor.1. Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & omni Iudæa,
& Samaria, & uſq; ad ultimum terræ. quod quidẽ
ut factum ſit, uel ipſa Apoſtolorũ acta oſtendũt:
Actor.13. Cum enim Paulus & Barnabas ueniſſent Antio
chiam, & Paulus conſtanter Iudæis Ieſum annun
ciaret eſſe Chriſtum, Iudæi uerò contradicerent,
dixerunt illi: Vobis oportebat primùm loqui uer
d 1.Cor.15. bum Dei, ſed quoniam repellitis illud, ecce conuer
timur ad gentes. et ſucceſſu temporis factum fuit,
ut ubiq; acclamaretur: Viuat Chriſtus Ieſus, uiuat
in ſecula, uiuat. Secũdò granum iſtud attulit nobis
fructum, id eſt, certiſſimæ ſalutis ſpem iuxta pro
miſſionem, ut quibus denegata ſalus fuerat, ſint fi
lij Dei, ac hæredes æternorum gaudiorum: uel, ut
Rom.9. Paulus dicit, qui non ſectabantur iuſticiam, iuſti
ciam apprehenderũt, iuſticiam autem quæ eſt ex
fide: & hoc, quando Iudæi offenderũt in lapidem,
ſicut uaticinatus erat de ipſis Eſaias propheta. Hic
Eſaiæ 8. eſt ergo fructus ille, qui in perpetuas durabit
æternitates, ubi iuſti fulgebunt quaſi ſplendor fir
mamenti, ubi iucunditas atq; lætitia ſempiterna
erit. de quo Chriſtum locutum eſſe exiſtiman
dum eſt, quando dixit: Non'ne ſic oportebat pati
Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Cæte
e Hebr.11. rùm parum proderit atq; cõducet hoc ipſum Chri
ſti factum, niſi & ipſi proiecti in terram moria
mur. quare Petrus inquit, Chriſtus paſſus eſt pro
nobis, relinquens exemplum, ut ſequamur ueſtigia
1.Pet.2. eius. Moriemur itaque cum Chriſto, primò cum
f Ibidem. carnem noſtram deperditam odio habebimus,
quòd Chriſtus dicit animam odiſſe. Adam enim
noſter ille uetus in mortem omnes deduxit, &
per Chriſti mortẽ reſtituti ſumus uitæ.[a] Qui igi
tur, ait Apoſtolus, mortui ſumus peccato, quomo
do adhuc uiuemus in illo? Equidem baptiſma effe
cit ut ſimus illuminati atq; depurgati à uitioſis il
lis inquinamentis: tantum oportet atque decet, ut
baptiſmi uis exerceatur tota uita, donec mortale
hoc induat immortalitatem. ſicuti idem hortatur
Apoſtolus, cum inquit:[b] Mortificate membra ue
ſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, im
munditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, et
auaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus, &c.
Qui itaq; omnem laſciuiam ac diſſolutam uitam
approbant, parumq; referre putant etſi indulgea
tur genio lautiſſimè: profectò mihi Chriſtũ men
dacem facere uelle uidentur, eumq; oſtentui habe
re. Sic enim maiorem aperuiſſet feneſtram, & li
centiam peccandi, poſſetq; ab Antichriſtianis dici
author omnis turpitudinis & nequitiæ: quod ab
ſit, cum ſit ipſe ſanctus ſanctorum. quo rectius di
ctum eſt à Petro:[c] Sic eſt uoluntas Dei, ut benefa
cientes obmuteſcere faciatis imprudentium homi
num ignorantiam, quaſi liberi, & non quaſi uela
men habẽtes libertatem, ſed ſicut ſerui Dei. Secun
dò oportet, & mori cum Chriſto naturaliter, ut
uulgò dici ſolet. Nam etiamſi mors perpetua per
Chriſtum fidelibus ſublata ſit, oportet tamen diſ
ſolutionem et corruptionem corporũ humanorũ
fieri. Oportet enim, Apoſtolo dicente,[d] corrupti
bile hoc induere incorruptionem, & mortale im
mortalitatẽ, &c. Sic mors iſthæc nihil erit, quàm
traiectus ad uitam, æternamq; ſalutem. Igitur ut
naturæ mori maximè contrarium ſit, tamen affe
ctus imaginatioq; illa ratione uinci debet, quoniã
non amittitur quod habemus ſed in meliorem tan
tum conditionem tranſmutatur, ut planè ſit incor
ruptibile quod reſurget. Operibus malis quibus
hæc uita plena eſt, ad Dei regnum, ubi nullus eſt
dolor, clamor aut luctus, nemo perueniet. neceſſe
eſt itaq; eam in aliud tranſmutari. Quod equidem
cum animaduerterunt pij olim homines, pro Chri
ſti nomine mori minimè dubitauerunt, & omnes
iniurias patientiſſimè ſuſtinuerunt, exiſtimantes
non condignas paſſiones ad futuram gloriam quæ
reuelabitur tempore ſuo. Igitur ſecti ſunt (ait Pau
lus)[e] in occiſione gladij mortui ſunt, floccipen
dentes hanc utcunq; uitam, quo meliorem acce
ptarẽt, & præmiũ æternũ. Præuenerũt igitur nos
in certaminibus, ſed non in cõſummata glorifica
tione. Omnes (ait Apoſtolus)[f] teſtimonio fidei
probati ſunt, at nondũ acceperũt repromiſſionẽ,

ut non ſine nobis conſummarentur, tempore hoc fiet conſummationis, ubi omnes pij ac ſancti homines ſimul glorificabũtur, corpore & anima denuò unitis in magna iucunditate. Itaq; det nobis Deus clemẽtiſsimus Dominus ac pater noſter, ut eorum intuentes exitum imitemur, & fidem, ut fiat quod ſperamus fore, nimirũ poſt hanc uitã ut poſſideamus in regno Dei læticiam ſempiternam: Amen.

DOMINICA DVODECIMA Euangelium, Marci 7. Exiens Ieſus de finibus Tyri, &c.

RElictis Ieſus calumniatoribus Iudæis, ut oſtenderet iuſtè illos priuandos regno Dei, diuertit ad Gentes. in Tyro namq; & Sydone illæ habitabant. Et poſtquam, inſtante interceſsione matris motus, filiam matris gentilis ſanauit, inde egreſſus uenit ad mare Galilææ. Verùm quoniã ipſe iuxta Prophetarum oracula, ad quæ adimplenda uenerat quidẽ, multa ac ſtupenda omnibus edebat miracula. Nam cæcis lumen reddebat, ſurdis auditum, & claudis greſſum: & circumiens totam Galilæam, docẽsq; in ſynagogis, ac prædicans Euangelium regni, inſuper ſanans omnem languorẽ: interea rumor hinc inde diuulgatus eſt maximus. & inde factum fuit, ut omnes malè affectos afferrent, unde & illum quoq; adduxerunt mutum, & ut ait Euangeliſta, Deprecabantur Ieſum.] Primùm diſcamus hic mutuam interceſsionem, quæ multum apud Deum ualet, dicente Iacobo:[a] Orate pro inuicẽ, ut ſaluemini. & facta nonnulla hoc ipſum uerum eſſe teſtantur. Non'ne Herodes apprehendit Petrum: & oratione facta ab Eccleſia, liberatus et ſaluatus fuit Petrus?[b] Et Paulus, etiamſi gratus Deo eſſet miniſter, ab ipſis tamen Romanis ac Theſſalonicenſibus ſuffragia ac deprecationes petijt: quam rem D. Ambroſius, ut ſanctus, ſanctiſsimè interpretatur, ac dicit: Orat ut adiuuetur: ordinẽ ſequitur, ut ab Eccleſia fiat oratio pro rectore ſuo. Multi enim minimi, dum congregantur unanimes, fiunt magni: & multorum preces impoſsibile eſt ut non impetrent. Deinde edocemur hoc illorum exemplo, Ieſum filium Dei eſſe eum ſolum, qui uelit ac poſsit omnes noſtras ſanare infirmitates. Omne enim malũ unde quæſo uenit, quàm ab ipſo Deo, Scriptura dicente:[c] Non eſt malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus. non quidem ut ipſe ſit author malorum quæ fiunt, ſed quia permittit, idq; uarijs ex cauſis, ut in Iob alijsq; uidere eſt. qui obinde dicit:[d] Ego occidã, et ego uiuere faciam: percutiam & ſanabo, & non eſt qui de manu mea poſsit eruere. Vt igitur hoc certum uerumq; eſt, ita laborãtes morbis uel alijs malis immiſsis, ad neminẽ aliũ niſi ſolum Chriſtũ uenire debemus (ſcimus tamẽ quomodo medicinã ad noſtram interim ſalutem crearit altiſsimus.) Enimuerò qui alios auxiliatores quæſiuerint, aut potius creaturæ quàm Deo ipſi fidem adhibuerũt, ſemper pœnas debitas luiſſe eos compertum eſt. Sic enim Ochoſias rex Samariæ iuſto iudicio (4. Reg. 1.) Dei mortuus eſt, quia ægrotans conſilium petijt à Beelzebub in Accaron: quaſi non eſſet Deus in Iſrael, qui ſaluare poſſet. Igitur minus iuſtam Dei mulctam Chriſtiani effugient, ubi relicto uero ſaluatore ac medico, ad Deos alienos ſeſe conuerterint: quod equidem fit, ubi aduerſa ingruente fortuna magicis artibus, aut illorum hominum qui eas exercent opera utuntur, potiſsimùm id malum diabolo & miniſtris eius aſcribentes. cum Apoſtolus dicat: Si Deus nobiſcum, quis contra nos? Itaq; (Rom. 8.) conſultiſsimum eſſet, meo iudicio, citò conuerti ad Dominum uitæ ac mortis poteſtatem habentem: hocq; cum regio Propheta, qui cum undiq; peccatis premeretur, malaq; innumera ſibi imminerent, ad ſolam ipſius Dei miſericordiam confugiens dixit: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſe- (Pſal. 50.) ricordiam tuam. licet enim uarijs ex cauſis ſubueniant morbi, cæteraq; mala: maiorẽ tamen in modum peccatum cauſa malorum eſt, atq; erit. Nec ta- (Eccle. 38.) men ob id medicinam quam ab altiſsimo creatore creatam nouimus, uolumus eſſe condemnatam, præſertim cum extet euidens exemplum de To- (Tob. 6.) bia, quem angelus iuſsit curari quibuſdam naturæ (a Iac. 5.) medijs. Et Ezechia, qui maſſa ficorum ulceri impo- (4. Reg. 20.) ſita ſanitatem recepit. Et apprehendens eum Ieſus.] Multis Chriſtus uſus eſt cæremo- (b Rom. 15.) nijs, quo magis pietatem ac deuotionem tenendam atque obſeruandam doceret, ut quæ intus fierent in corde, foris iudiciũ uerum præberent. Sic idem alibi ad patrem oraturus in faciem procidit, genuq; (Matth. 26.) flexit. nequaquam igitur exiſtimarim, tollendas eſſe cæremonias, quæ nos pietatis & deuotionis monent, uerùm ipſis ita eſſe utendum, ut quæ foris præ ſe ferũt, intus omnino fiant. Certumq; eſt, cæremonias ad excitandam ac retinendam pietatem, ordinis item & decoris gratia conſtitutas, ut, iuxta Apoſtolum, omnia decenter & ordine (c Amos 3.) in Eccleſia fierent. Sunt igitur incitamenta reli- (1. Cor 14.) gionis, & non diſſentiant ab Euangelica puritate, & nihil derogent Chriſtianæ libertati.

Suſpiciens Ieſus.] Suæ humanæ naturæ ueritatem Chriſtus oſtendit ex cœlo, & à patre, (d Deut. 38.) qui maior eſt eo ſecundum humanitatem, docens auxilium eſſe præſtolandum, quemadmodum &

orare docuit patrem in cœlis, ut liberet nos à ma-
lo. atq; ideo illuc omnem noſtram dirigere debe-
mus intentionem, noſtriq; cordis theſaurum eri-
gere. quod olim Dauidem factitaſſe cognoſcitur,
Pſal. 120. *quando dixit ille: Ad te leuaui oculos meos qui ha*
bitas in cœlis. & paulo pòſt: Auxilium, ait, meum
à Domino, qui fecit cœlum & terram. Et hoc re-
ctè quidem: quoniam Deus ſolus eſt, in quo uiui-
mus, mouemur & ſumus. Ingemuit.] *Natu*
ræ nimirum miſertus humanæ, & compaſſus tan-
tarum infirmitatum, in quas humanum genus pro-
pter peccatum incidit, quãdo inuidia diaboli mors
Rom. 5. *introiuit in orbem terrarum, Adam aſtu diaboli*
Gene. 3. *circumuento, unde omnes naſcuntur homines fi-*
Epheſ. 2. *lij iræ, & æternæ damnationis. Meritò igitur ob*
ſeruitutem peccati atq; mortem ingemiſcere debe
a Rom. 11. *mus, & conſiderare quàm offendamus indies*
Deum noſtrum: qui tamen ut nos redimeret atq;
b Iob cap. 1. *ſaluaret, mori dignatus eſt. Ipſum proinde rogare*
poſſumus, ut noſtris exceſſibus parſurus, cœleſtis
patriæ deſideria, ſupernæq; pietatis præſidia be-
nignus nobis largiatur. Miſit digitos ſu-
os.] *Cæremonia iſthæc, qua uſus eſt Chriſtus*
in ſanando homine, leuis quædã & nihili quodam-
modo res uideri poſſet, ſi Spiritum nemo at-
Exod. 8. *tendat. Digitus Dei igitur, ipſa humanitas erat*
Chriſti, & uirtus in eo plenaria, quam olim male-
fici confeſſi ſunt in Aegypto. Virtute igitur Spiri-
tus ſancti apertæ ſunt aures, ad intelligenda & ſu
ſcipienda uerba ſalutis. Saliua deinde ipſa patris
eſt ſapientia, qua niſi quis delinietur, nunquam lau
dabit in ſecula uiuentem. Vnde & hæc haud im-
piè adhuc obſeruari poſſunt: & doceri poteſt, cæ-
c Math. 26. *remonias, quæ nos pietatis & deuotionis monent,*
nequaquam tollendas eſſe, uerùm ita ipſis uten-
d Actor. 2. *dum, ut quæ foris præ ſe ferunt, intus omnino*
fiant, ut ſuprà quoq; oſtenſum fuit. Et ſtatim
apertæ ſunt aures eius.] *Maieſtatem ſuam*
e Ioan. 17. *Deitatis. & hoc modo declarauit Chriſtus, ſicut*
Eſa. 35. *per Prophetam fuerat dictum: Tunc aperientur*
oculi cæcorum, & aures multorum patebunt.
Quod autem inhibuit illis prædicationem facti,
factum fuit, ut non uideretur humanam affectare
uel ambire gloriam atq; laudem. Adclamant au-
tem illi multo magis, Bene omnia fecit.]
Deum hiſce uerbis ipſa turba Chriſtum confeſſa
f Galat. 4. *eſt eſſe, à quo omnia & per quem omnia facta*
ſunt. quem in modum Paulus quoq; ipſum Domi-
g Gen. 16. *num laudibus euehit, dum ait: Chriſtus imago Dei*
Coloſ. 1. *eſt inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quo-*
niam in ipſo condita ſunt uniuerſa in cœlis & in
terra, uiſibilia & inuiſibilia, &c. Cæterùm quod
hic obijci poſſet, Omnia eſſe confuſa, nihilq; ſibi
uſqueadeò conſtare: quomodo igitur omnia bene
facta eſſe poſſunt? hunc in modum diluitur: Nihil
fieri neque malè neque inſipienter, ſed omnia apud
Deum in gloriam ſuam, & propter aliquam fieri
rationem, nobis quæ latet, ſoli Deo patens, & no-
bis minimè perſcrutanda. Hic ſolus (inquit Atha-
naſius) certam habet rerum omniũ cognitionem,
& propterea habet ſapientiæ magnitudinem. Sa-
tis ideoq; eſt ſcire, quòd diligentibus Deum omnia
cooperantur in bonum. Vnde quicquid fiat, fiat
planè in ueritate. Sicq; omnia ſint committenda
Deo, qui in ſuam gloriam, & noſtram ſalutem,
pro ſua iuſticia & ſapientia diſponit omnia. quam
diſpoſitionem reputans ſecum Apoſtolus, miratur
& obſtupeſcit, & nihil diffiſus quin omnia ritè ac
ſuauiter diſponat Deus, ait: [a] *O' altitudo diuitia-*
rum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, &c. Quid me-
lius Iob dicere potuiſſet, [b] *Dominus dedit, Domi-*
nus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt:
Sit nomen Domini benedictum. Cum igitur om-
nes ſimus, plus quàm hic fuit, muti ac ſurdi, neceſſe
erit, ut ſeorſim nos abducat Chriſtus: hoc eſt,
mentem peccatis languidam uiſitando ſua gratia
illuſtret, & à conſuetæ conuerſationis moribus
auocet ad diuina facienda præcepta. Deinde mit-
tat dona Spiritus ſancti in aures cordis noſtri. Et
quia cognitionem ueritatis ſequi debet confeßio,
tangat & linguam ſputo ſuo, id eſt ſapientia, quæ
prodit ex altißimi ore. Sicq; fieri poterit, ut perfe-
ctè loquamur, non cum clarißimo illo oratore, De
moſthene ſcilicet, omnium oratorum Græcorum
facilè principe, ſed Petro orante diſertißimè præ-
ter omnes: [c] *Tu es Chriſtus filius Dei. & ubi ad*
fidem conuertit circiter tria millia hominum, di-
xit: [d] *Certißimè ſciat omnis domus Iſrael, quia &*
Dominum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum,
&c. Et id quidem in noſtram ſummam cedet ſalu-
tem. ſiquidem ipſe Saluator noſter dixit: [e] *Hæc eſt*
uita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum, & quẽ
miſiſti Ieſum Chriſtum.

IN DIE FESTO ASSVMptionis diuæ Virginis ac genitricis Ieſu Euangelium, Lucæ 10. Intrauit Ieſus, &c.

P*Aulum allegoria uſum fuiſſe, epiſtola quam*
ad Galatas dedit, clarè teſtatur. [f] *Ibi enim*
de Abraham loquitur, quòd duos habuerit filios:
unũ de ancilla, et alterũ de libera. [g] *Et hæc, ait, per*
allegoriam dicta, duo teſtamẽta ſignificant, ita ut
per filium Agar Iſmaelem intelligatur Hieruſa-
lem, quæ olim ſeruiuit cum filiis ſuis: per Saram

uerò

uerò filium Iſaac,illa quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera, & mater noſtra, &c. Nobis igitur nemo *reor uitio uertet,ſi & hæc quæ dicta ſunt allegoricè,ad matrem Domini referamus. Intrauit igitur Ieſus in caſtellum:hoc eſt,ſicut Martha Chriſtum in materialem ſuam domum recepit:ſic & diua uirgo,in ſuum uterum uirginalem recepiſſe Ieſum dicitur, quando ipſum poſt annunciationem angelicam cooperante Spiritu ſancto concepit: quemadmodum Lucas illud deſcribens,Mariam angelo dicēti,*[a] *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, et uirtus altiſsimi obumbrabit tibi,ideoq; quod naſcetur ex te ſanctum uocabitur filius Dei: reſpondiſſe dicit,Ecce ancilla Domini, mihi fiat ſecundū uerbum tuum.Porrò Martha hæc ſollicita eſt, et turbata fuit,quando affectu ueræ matris tangebatur erga ſuum quem uerè genuerat filium:quòd impiè reijcit impius Manichæus, dicens* [b] *phantaſiā eſſe quòd dicitur fœmineo ex utero Chriſtum natum:non enim decere,ut tanta maieſtas per fœminæ ſordes tranſierit. qui ſi ſpiritum illum habuiſſet,in quo pij dicunt Dominus Ieſus, aliter myſterium illud abſtruſum edixiſſet:nimirum, uirginem illæſa uirginitate hunc noſtrum edidiſſe Saluatorem: quia non eſt impoſsibile apud Deum omne uerbum.*[c] *Hinc quoq; turbata fuit uera mater Ieſu Maria, quando oportebat eam fugere Herodē in Aegyptum.Demū cum filium ſuum deriſum,uulneratum,& in cruce pendentem conſpexit,quam perturbationem Simeon in templo ei ſtatim futuram prædixerat,dicendo:*[d] *Tuā ipſius animā pertranſibit gladius. cognouit enim ille puerum ſibi oblatum Meſchiam eſſe,lumen ad reuelandas gentes,& gloriam totius Iſraelis:at non omnibus ſalutem illam euenturā, quin multis ipſe futurus in ruinam,& ideo neceſſe eſſet eum multa pati, necnon turpiſsimam mortem.Cæterùm poteſt et hæc noſtra Maria mater Ieſu,uerè Maria allegoricè dici, quæ ſumma cum cōtemplatione uerba Chriſti audiuit.ſiquidem de ea ſcribitur, quòd omnia uerba conſeruauerit in corde ſuo, & poſt aſcenſionem perſeuerauerit cum Apoſtolis* [e]*in oratione & deprecatione. Vnde & optimā partem elegiſſe meritò dicitur,mundo ſuum relinquens, & fide uera filio ſuo Saluatori adhærens,cum quo iam uiuit ac manet in cœlis, ut piè credimus, tenentes animas ſanctorum in cœlis gaudere, & leuare ſubinde capita,quando uera redemptio & conſummata uita ueniat. Iam igitur non eſt amplius ſollicita,neque turbatur, quoniam nemo filium irridendo dicit:* [f] *Vah qui deſtruis templū Dei,&c.Sed quia uidet eum à dextris ſedere patris omnipotentis Dei,qui mortuus quidē fuit,ſed peccato,unde amplius mori non poteſt, ſed uiuit Deo:cui proinde angeli ſicut Domino miniſtrant,& ſine intermiſsione clamant:* [Apoc.5.] *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere honorem & gloriam:& cadentes in facies ſuas, adorant ipſum uiuentem in ſecula ſeculorum.*

Quæ non auferetur ab ea.] *Chriſtus peccato obijt,hoc eſt noſtris erratis,morti ipſe minimè obnoxius:in Dei iam & patris uirtute uitā agit perpetuam. Et ad hanc prouecta eſt cum Stephano, Iacobo, atq; alijs ſanctiſsima uirgo ac mater* [a Lucæ 1.] *filij Dei, ut ſuperno Rege nil ſuperius habeat, cum quo gaudebit æternaliter,ipſo Chriſto dicente:Iterum uidebo uos, & gaudebit cor ueſtrum,* [Ioan.16.] *& gaudium ueſtrum nemo tollet à uobis.De tenebris huius ſeculi prodijt, mortis regionē exceſsit, & uiuentium terram ingreſſa eſt,ubi qui ſunt neque amplius eſurient,neq; ſitient,neq; cadet ſuper* [b Hæreſis Manichæi.] *illos ſol neq; æſtus,ſed ſunt omnia amœniſsima iucundiſsimaq;,initium quidem futurorum, & perfectiſsimorum,quando pax, ſerenitas & tranquillitas omnia occupabit, incorruptibilis gloria, cum Chriſto,cum angelis,& tota cœleſti curia. Fuiſſe autē diuam Virginem corpore defunctam credere fas eſt,quandoquidem omnibus hominibus ſtatutum eſt ſemel mori, dicente Apoſtolo: etſi de* [c Matth.2. Hebr.9.] *prærogatiua & immunitate à peccato originali uaria diſputentur. doctus Auguſtinum exactius conſulet.* [De Gen.ad literam, & Irenæum lib.10. c.19. li.3.ca.21.] *Porrò cum uirtuoſa ſanctaq; diuorum opera perinde ac faces ſint,nos ad æmulationem, ſequendosq; eorum mores ac uitam ſuo ardore ſuccendentes:* [d Lucæ 2.] *ſunt ſpeculum uirtutum, & operationum, unde intelligamus qua uia & actione grati Deo,cœlum & ipſi ſimus conſcenſuri.Cùm enim Chriſti paſsio, non niſi eis qui ſe ea dignos faciunt proderit: quid iuuabit ſanctos uenerari, ac eorum pias celebrare memorias, niſi ipſos imitemur? Quamobrem Apoſtolum ſcripſiſſe puto Corinthijs, ut ipſius imitatores eſſe uelint, quemadmodum ſciant ipſum Chriſti imitatorem fuiſſe.* [1.Cor.4.] *Erit itaq; diuæ uirginis & matris Ieſu Mariæ uirtuoſa actio ipſa,nobis exemplum. Cum autem nec fieri* [e Actor.1.] *poſsit,ut Chriſtum quiſq; hoc modò ſuſcipiat: ſatis enim eſt filium Dei ſemel carnem humanam aſſumpſiſſe: excipiamus eum ſaltem in domum pectoris noſtri.id ſanè fit, ſi ſemotis longè peccatis, fides adſit per dilectionem operans, quemadmodum illa credidit fidemq; ſuam uſq; in finem conſeruauit,& Deus nos inhabitabit. ait enim Apoſtolus:* [1.Cor.6.] *Templa Dei eſtis, & Spiritus ſanctus habitat in uobis.* [Hierem.31.] *ſicut ſcriptū eſt:Inhabitabo in illis, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* [f Matth.27.]

*Miniſtrare & illi poterimus æquè & ſi in cœlis
ſit. quãdo opera miſericordiæ exercebimus in eos
in quibus eſt Chriſtus, hoc eſt, egenos & paupe-
res, quoniam ipſe dixit: Amen dico uobis, quamdiu*
a Eſa. 64. *feciſtis uni de minimis meis, mihi feciſtis*. Nec abs
*re quoq; erit ut turbemur cum altera Martha, Ma
ria matre ſcilicet Domini: turbemur autem ob paſ
ſionem & mortem, quam Chriſtus noſtri cauſa
ſuſtinuit: non equidem propter ipſum, qui a uolun-*
Eſaiæ 53. *tariè ſe obtulit iudicãti ſe iniuſtè: ſed ut cernamus*
1.Pet.2. *ac conſideremus grauitatem delictorum, & ui-
deamus uehementem iram Dei, qui noluit pecca-
tores dimittere, niſi proprij filij morte redimeren-*
Cap. 53. *tur, ut ex Eſaia liquet dicente:* Propter peccata po
puli mei percuſſi eum. Quoniam uerò ad æternam
*anhelamus uitam, potius imitanda erit nobis Ma-
ria ſummo ſtudio, quæ hauſit uerbum ſalutiferum:*
b 1.Ioan.1. *parum quia eſſet,* Mariam theotocon *fuiſſe, niſi
tenaciſſimè uerbo filij ſui adhæſiſſet.* Verbum Ieſu
*uerus eſt cibus animarum, quo recreantur & ſu-
ſtentantur homines, donec ad Chriſtum ueniant
in domum patris ſui. Optima hæc pars noſtra, pa-
rata eſt à conſtitutione mundi.*

DOMINICA DECIMATERTIA

Euangelium, Lucæ 10. Conuerſus Ieſus ad diſcipulos dixit, Beati oculi.

E*Git Dominus noſter Ieſus Chriſtus gratias
ſuo patri ob mirabilem diſpoſitionẽ ſui Euan
gelij, quoniam myſterium humanæ redemptionis
ſapientibus huius mundi abſconſum uellet, & re-
uelatum paruulis, ſua peccata cognoſcentibus, &
proinde Deum uerum liberatorem quærentibus.*
c Pſal. 118. *Mox igitur ad diſcipulos ſuum ſermonem dirigẽs,
ait:* Beati oculi.] *Vos inquam, mei chariſſi-
mi filij & diſcipuli, beati eſtis, quia uidetis me, ut
Dei filium carne aſſumpta. Beati igitur ſunt atque
erunt qui uident, quæ uos uidetis. Nemo tamen tã*
d Rom. 6. *obtuſo ingenio eſſe debet, ut exiſtimet omnes fo-
re beatos, qui Chriſtum in carne uiderunt oculis*
e 2.Pet.2. *ſuis, ut ita dicam, corporeis. ſic enim impij Iudæi,*
f Ioan. 15. & 11. *Annas, Caiphas, & reliqui, ueluti Herodes & Pi
latus, & qui clamauerunt, Vah qui deſtruis tem-*
g Matth. 16. *plum Dei, &c. beati eſſent: ſed qui Chriſtum ſic*
h Deut. 6. *in carne uiderunt, ut eum nihilominus uerum filiũ
Dei eſſe crederent, quomodo eum uiderunt Apo-
ſtoli, qui etſi illum uiderunt cõmuni infirmitate cir
cumdatum, crediderunt tamẽ in homine latentem*
Matth. 16. *unum cum patre Deum. Quod inde apparet, quia
dixerunt: Tu es Chriſtus filius Dei uiui. Ergo ui-
dere Chriſtum nõ aliud eſt, quàm in illum ut Deũ*
i Matth. 7. *credere, et uerbũ pro nobis carnem factũ, quem-
admodum ipſum uiderunt Abraham, Dauid ac dij:
qui etiamſi Chriſtum cum hominibus conuerſan-
tem, & cum tanta maieſtate loquentem & ope-
rantem, non uiderũt, nec audiuerunt, quod equidẽ
ex animo optarunt, ita ut dixerint:* [a] *Vtinam cœlũ
diſrumperes ac deſcenderes: uiderunt tamẽ, quia
in ſpiritu cognouerũt Chriſtum certò uenturum.
Et uidit Abraham iam in placida ſanctorũ requie
poſitus, filium Dei de ſua ſtirpe iam eſſe incarna-
tum. quod Chriſtus dicit: Abrahã uidit diem meũ,
& gauiſus eſt. Erũt igitur haud minus omnes bea
ti, qui in ſacra Scriptura Dei filium cognoſcunt,
ipſius in conuerſatione ſanctitatem, diuinam in mi
raculis poteſtatem, reſurrectionis gloriam, & ui-
tam æternam. Quocirca ſanctus Ioannes ſumma
cum grauitate conteſtatus eſt ſe ac alios Apoſto-
los ueraces eſſe, ac dignos quibus fides adhibea-
tur, quando dixit:* [b] *Quod fuit ab initio, quod audi
uimus, quod uidimus oculis noſtris, annunciamus
uobis uitam æternam, quæ erat apud patrem, &
apparuit nobis.* Et ecce quidam legiſpe
ritus.] *Occaſionem tentandi inde ſumpſit ille,
quòd dixerat Ieſus: Gaudete, quia nomina ueſtra
ſcripta ſunt in cœlis. Cognoſcens autem Ieſus uer
ſutiam, remittit eum ad legem, qui dum ritè ac re-
ctè reſpondet ex lege, audit,* Hoc fac & ui-
ues.] *Non mirum eſt, hoc legiſperito dixiſſe Ie-
ſum, quando mirum in modum illi iactabãt legem,
deq; illa gloriabantur. Atqui num et nos ad legem
remittendi ſimus, forſan ſub iudice lis eſt. Verùm
ut Chriſtus non uenit ſoluere legem, ſed adimple
re: ita ſanè ab illa minimè exempti ſumus, nõ tamẽ
quæ umbram habuit futurorũ, ſed continet uolun
tatem patris, de qua Dauid dicit:* [c] *Beati immacula
ti in uia, qui ambulãt in lege Domini. Verum eſt e-
nim quod nos qui in ira Dei nati ſumus, ſaluamur
per fidem Ieſu Chriſti, qui hanc iram ſingularis ſa
crificij oblatione placauit: ſic tamen, Auguſtino di
cente poſt Apoſtolos,* [d] *ut in nouitate uitæ ambu-
lemus, ſerui iuſticiæ, uiuamus iuſticiæ. qua de cau
ſa Chriſtus diſcipulis ſuis dixit:* [e] *Vos amici mei
eſtis.* [f] *quare? quia cum Martha dixiſtis me eſſe fi-
liũ Dei? nõ quidẽ: Sed ſi feceritis, quæ præcipio
uobis.* [g] *Oportet igitur nõ eſſe ignauos & pigros,
ſed indefeſſè inſiſtere operib. pijs:* [h] *diligere Deũ,
& proximũ noſtrũ. Is aũt diligit Chriſtũ Deum,
qui abſtinet ijs, quibus ipſe multũ offenditur, et fa
cit omnia ab eo præcepta: quæ perfectio quamuis
in hac uita nõ poſſit haberi, præcipitur tamẽ, ut ad
plenitudinẽ charitatis currere non negligamus.
Quod ad primũ attinet, his declaratur uerbis, cũ
ait Ieſus:* [i] *Omnia quæcunq; uultis ut faciant uobis
homines,*

homines, eadem & uos facite illis. Ille autem uolens ſe iuſtificare.] *Hoc errore tenebantur Iudæi, quoniam ſcriptum erat:*[a] *Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum. &: Nõ dabis fratri tuo ad uſuram, ſed alieno: tantum Iudæum Iudæo proximum eſſe arbitrabantur. Chriſtus igitur omnem hominem omni homini proximum eſſe probè noſcens, ſiquidem omnes homines ſecundum carnem ex homine uno profluxerunt, unde omnium pater Deus, dicente propheta:*[b] *Non'ne Deus unus creauit nos? docet hunc legiſperitũ exemplo, quàm diuerſum à uero ſentiat. Et Dominus quidem ei ſic proximum oſtendit, ut interim ſe Samaritanum, hoc eſt, omnium hominum cuſtodem eſſe inſinuet. Intellexit igitur per hominem hunc Chriſtus, totum genus humanum quod in*[c] *Adam & Eua aſtu diaboli circumuentis, ut legem Domini de non edendo fructu transgrederentur, deſcendit ab Hieruſalem, hoc eſt, paradiſi delicijs, ad innumeras miſerias et ærumnas, à gaudio ad dolores, à uita ad mortem. Ergo latrones ſunt ſpiritus illi nequam, qui cum lucifero è cœlo ceciderunt, hoſtes noſtri inuiſibiles ac nocentiſſimi, à quibus proinde cauendis nos fideliter admodum monent apoſtoli Petrus*[d] *atque Paulus.*[e] *Illi etenim protoplaſtum ſpoliauerunt ſtatu innocentiæ & iuſticia originali, quod Chriſtus dicit plagis impoſitis eos abijſſe. Relictus eſt igitur homo ille ſemiuiuus: quia proprijs uiribus redire non poterat. habebat tamen repoſitam uitæ recuperãdæ gratiam, ex quo dixerat Deus ſatanæ:*[f] *Ipſum mulieris ſemen conteret caput tuum. Manſit autem homo ſauciatus omni uitiorum genere, abiectus, deſtitutus, ac deſperationi proximus, multis quidem ſeculis. Nam etſi Aaron ſummus ſacerdos Dei uiderit eum, tamẽ ſacrificijs ſuis ipſum ſanare non potuit. Impoſſibile enim erat ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata, ſicut ſcriptum erat:*[g] *Hoſtiam & oblationem noluiſti.*[h] *proinde relicto miſerrimo illo, ſacerdos præterijt. Cæterùm lex per Moſen data, multa bona populo Iſraelitico promittebat, ita ut ſupra modum gloriarentur Iudæi de lege ac Moyſe: attamẽ uſque adeò hunc hominem miſerè ſaucium curare ac ſanare non ualuit, ut & ipſum Moſen præterire fuerit neceſſe. quamobrem*[i] *D. Apoſtolus Galatis ſcribens, legem datã eſſe quæ uiuificare poſſet negat: et docet hinc iuſticiam eſſe, quia omnia concluſa ſunt ſub peccato, ut ex fide Ieſu Chriſti promiſſio daretur credentibus. Quis igitur eſt ille Samaritanus, niſi Dominus Ieſus uerus filius Dei, uerè iuſtus? cum omnium hominum iuſticiæ*

erant tanquam pannus menſtruatæ mulieris. fiebant quidem ſacrificia pro peccatis, ſed non abolebant ea: unde ſingulis annis oportebat pontificem a Leuit. 19.
ire in ſancta ſanctorum, expiandorum peccatorum gratia. Hic ergo uerus cuſtos generis humani, ſponte ſe obtulit patri, dicens: Ecce ego uenio. Accidit igitur ut & ipſe eadem uia deſcenderet, ſed non eodem modo. exiuit enim à patre, & uenit in Hiericho: hoc eſt, hunc inſtabilem & planè turbulentiſſimum mundum, ubi nihil quàm lachrymæ rerum. ſiquidem dicente Iob, Homo natus de b Malach. 2. Iob 13.
muliere repletur multis miſerijs. Vidit is hominẽ, & miſertus eſt eius. nam aſſumpta humana natura propius acceſſit ad hominẽ, iam iam morti proximũ, eumq́; lauauit ſua piſſima doctrina, ſimulac alligans uulnera, dum oſtendit ſuperabundantes ſui patris diuitias, annum acceptum, remiſſio- c Gen. 3.
nemq́; peccatorum: et ita oleum maximè ſaluiferum infudit, neminem quando reiecit, quin omnibus diceret: Venite ad me, & ego reficiam uos, Matth. 11.
&c. Quibus uerbis mirè erigebat perturbatas hominum conſcientias, ut ſpem bonam reconciliationis & pacis conciperent. Non tamen id egit ſine uino, exhortationis ſcilicet ad pœnitentiam, & ad operandum bonum, fructusq́; faciendos bo- d 1. Pet. 5.
nos. Quibus ita omnibus ritè peractis, tandẽ de- e Ephes. 6.
ſperatum illum hominem iumento ſuo impoſuit: id eſt, hominum peccata ſuſtulit in corpore ſuo, et propter eorum delicta mortuus eſt, quemadmodũ Eſaias oſtendit, dicens: Verè languores noſtros i- Eſaiæ 53.
pſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et Pe- 2. Pet. 2.
trus: Peccata noſtra, inquit, ipſe pertulit in corpo- f Chryſoſt. de dignitate hominis, & de lapſu ipſius.
re ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui iuſticiæ uiuamus. Et hæc eſt ſumma cura noſtri, quam egit, quam nemo alius potuit, dum omnes pios in fide reduxit in cœlum, atque æternam uitam, dicente Apoſtolo: Chriſtus propter delicta noſtra mor- Rom. 4.
tuus eſt, & reſurrexit propter iuſtificationem no- g Hebr. 10.
ſtram. Porrò ut regnũ illud non erat de hoc mun- h Pſal. 39.
do, ſed in cœleſtibus: Chriſto redeundum erat eò, unde deſcenderat. Contradidit ergo ſuis Apoſtolis legem ac prophetas, ſuumq́; Euangelium, quib. ſaucium illum hominem curarent, donec perfectè ſanus ad æternam rediret patriam: & aperuit illis ſenſum, ut intelligerent probè Scripturas, dato in hoc Spiritu ſancto doctore & conſo- i Galat. 3.
latore, quibus quoque promiſit præmium copioſum ſe daturum in conſummatione ſeculi. Ea propter & nunc quoque curatur genus humanum, & à uiolentia latronum colligitur, ubi ſanantur peccatorum uulnera: nimirum quoties ſobriè ac purè Chriſti Euangelium prædicatur,

a Rom.13. quo ualde conſolamur & gaudere debemus, eò
quòd redempti ſumus per mortem Ieſu filij Dei
de æterna damnatione, & reſtituti priſtinæ ſani-
tati. Huic noſtro ſaluatori Chriſto ſit laus, gratia-
rumactio in ſecula ſeculorum: Amen.

IN DIE BEATI BARTHOlomęi Euangelium, Lucę 22. Facta eſt contentio, &c.

Esaias in Hieruſalem prophetans omnibus
pijs doctoribus exemplum præbuit, huma-
num ac terrenum numen non amplectendum, ſed
ipſam ueram gloriam inſpiciendam. à quo uiri hu-
b Matth.16. ius inſtituto deflectētes Apoſtoli, in ſummam cha
rybdim inciderunt. Facta eſt contentio (ait Euan-
geliſta) inter diſcipulos Domini, quis eorum uide-
retur eſſe maior? Contentionis matrem dicit Au-
guſtinus eſſe ſuperbiam. Verùm ut Apoſtoli car-
nales erant: ſic ab affectibus humanis ſuperati cō-
tenderunt de primatu, perperam omnino myſte-
rium Chriſti intelligentes, quando dixerat illis:
Matt.20. Ecce aſcendimus Hieroſolymam, et filius hominis
tradetur principib. ſacerdotum & ſcribis, & con
c Chryſoſt. demnabunt eum morte. In quo certè minimè imi-
tandi ſunt, ſed potius quòd conualuerunt et fortes
facti ſunt, poſtquam uirtute induti fuerunt ex al-
to, & iuxta Domini Ieſu doctrinam contenderūt
intrare per anguſtā portam in regnum cœlorum.
d Philip.2. **Dixit autem eis.**] Tyrannica iſthæc paſſio
eſt, uos more gentiū peruenire uultis ad regni mei
poſſeſſionem: ſed ad ſumma uirtutum nō potentia
uenitur, ſed humilitate. Principes huius mundi do
minantur ſatis imperioſe quidē: nō enim perſuadēt
ut ament honeſta, imò metu deterrēt ſuppliciorū,
e Pſal.2. et honorē à ſuis exigunt, etiamſi nō promereātur.
f Act.4. Vera dixit Chriſtus. nam Nero et Roboam, alijq;
Impij reges ac principes. plures tales, fuerant impijſſimi reges: quorum hic
ſcorpionib. populū in ſeruitutē uolebat redigere, il
le uerò mirū in modū populū ſibi ſubiugarat. Abſit
autē hoc inter filios Dei, qui omnes ſunt fratres,
nullus omnib. reliquis ambitioſè dominetur: ſed ma
ximus erit minimus. miniſtrare enim debet alijs
doctrinā ſpiritus in charitate. Inter eos qui ad re-
gnum Euangelicū inſtituuntur, alia ratio eſſe de-
bet; quo quiſq; ex dono et gratia Dei maior erit,
hoc minus ſibi uendicabit poteſtatis et gloriæ: ſed
huc ſpectabit, ut ſuis dotibus proſit ac ſubleuet,
ut alijs dux ſit ad pietatem, adeoq; ſeruiet omniū cō
modis. Hinc certè Chriſtus leges ſuas, dicente
Chryſoſtomo, non ad hoc induxit, ut politias e-
uertat, ſed ut melius inſtituat. Omnis ergo prin-
ceps, iuxta Apoſtolū,[a] à Deo cōſtitutus eſt. Nam
ſicut in corpore noſtro, ita & in hominibus ordo
eſſe debet. Pulchrum itaq; eſt quod refertur de
Menenio Agrippa, cum ſeditio orta eſſet Romæ
contra magiſtratū, quomodo ſcilicet plebis, apolo
go de uentre et membris hominis, mentes flexerit
ſeditioſæ. Malum profectò eſſet, ſi nullus eſſet prin
cipatus, & multarum cladiū hæc res exiſteret oc
caſio, cōfuſionis & turbationum principiū. Præ-
clarè de quo & D. Auguſt. lib. 5. de Ciuitate Dei
cap. 24. **Ego in medio ueſtrûm ſum.**]
Cum ſuperiorum ſim Dominus uirtutum, uos mei
diſcipuli, homo fieri uolui, quod uos ipſi cōfitentes
dixiſtis:[b] Tu es Chriſtus fili⁹ Dei uiui. Et ecce tā-
tum honorem mihi ullum exhiberi nolui, ut etiam
abiectiſſimus ſim hactenus uiſus. Non'ne dixerūt
me dæmoniū habere, et eſſe peſtiferum hominem?
et quod maximū eſt, ad mortē ipſam ſponte feſti-
no, animam meam dare in redemptionem pro mul
tis. exemplū iſtud ſit uobis: quòd ſi me imitati fue-
ritis, ad cœlos uſq; gloria ueſtra pertranſiet. hinc
amplior & præſtantior reddetur, hinc ianua re-
gni aperietur. Et uerum eſt. ſicut enim Chriſti de-
ſcenſus gloriam eius maiorē fecit. nam antequam
[c] homo factus eſſet Ieſus filius Dei, ab angelis ſolū
cognoſcebatur. Poſtquā autem hominem aſſum-
pſit, & crucis morte ſuperata rediuiuus apparuit,
hanc acquiſiuit gloriam, quæ à cognitione orbis
reſultat, quemadmodū apud Apoſtolū[d] habemus
dicentem, Chriſtus factus eſt obediens patri uſq;
ad mortē crucis. propterea exaltauit illum, & do-
nauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, &c.
Sequitur: **Vos eſtis qui perman.**] Ten
tationes uocat hic Dominus, cōtradictiones, con
ſpirationes, et machinationes[e] aduerſum ſe, ſacer-
dotum, ſcribarum, & phariſæorum, quibus impiè
blaſphemantibus ſoli in fide firmi[f] permanſerunt
Apoſtoli. utcunq; enim illi clamarent, Dæmoniū
habet, Malus eſt, & ſeducit turbas: Apoſtoli ta-
men perſeuerabant, ac profitebantur eū eſſe Chri
ſtum filium Dei. unde etiam ipſis æternum polli-
cetur regnum, & ait: **Et ego diſpono uo-
bis.**] Quoniam de regno cogitabant ſatis ſplen
dido, iuxta morem aliorum hominum: ſolatur eos
promiſſione regni in perpetuum duraturi. Quo-
modo autē pater diſpoſuerit Chriſto filio ſuo re-
gnū, facile intellectu erit, ſi myſterium incarna-
tionis ritè intellexerimus. Quia enim filius obiuit
mortem propter hominem perditum, iuxta patris
decretum ac uoluntatem, ſedet modò ad dexterā
patris, et omnia ſibi ſubiecta habet: quam gloriam
nemini

nemini conceſſam credimus. Accumbere autē ad
menſam metaphoricè dictum eſt: in alia namq;
uita neq; eſurient, neq; ſitient amplius. Hoc eſt ita-
que, quod fruentur deſiderato & amato gaudio
ueri & inconcuſsi boni cœleſtis uitæ. Habebunt
ergo electi corpora uerè carnalia, ſed ab omni cor
ruptione aliena, pura, agilia, et ſpiritibus non infe-
riora. Eodem modo intelligenda erit ſeſsio ſuper
thronos. uoluit enim ita Chriſtus oſtendere futu-
ram eorum ſublimitatē, ut qui modò nihili habean
tur, omnibus ſuo tempore ſint præferendi cum fi-
lio Dei, cui pater iudicium dedit & omnem pote-
ſtatem in cœlo & in terra. Et hoc modo indica-
tum eſt, regnum Chriſti eſſe cœleſte & ſpiritua
le, & ſtare in uera humilitate, licet ipſius ſit terra
& omnis plenitudo eius, tamen ſitum eſt in ſpe ſu
pernorum gaudiorum. Reguntur igitur fideles à
ſpiritu S. ut ſit charitas eorum de corde puro, con
ſcientia item bona, & fide non ficta. Qua de cau-
ſa principi huius ſeculi ſuum principatū relinquūt,
& fit ut ſancti homines quamdiu in hac uita ſunt,
ſemetipſos ſollicita circumſpectione cuſtodiant,
ne Babylonis gloria ſenſum ab amore patriæ ue-
ræ auertat, monente Apoſtolo, ac dicente: [a] Si
cōſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quæ-
rite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ
ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Oſten-
dit Apoſtolus, iſtam uitam non eſſe noſtram uitā,
ſed aliā in cœlis, ubi erit læticia ſempiterna. De-
inde nequaquam præparatum eſſe regnum omni-
bus, oſtendit Chriſtus, ſed tantum iis qui perma-
neant cum eo in tentationibus uariis huius mun-
di. Fortiter igitur inhærendum eſt Chriſto, cum
immittuntur immiſsiones per angelos malos, ut
cum Apoſtolo dicere poſsimus: [b] Quis nos ſepa-
rabit à charitate Chriſti? &c. & fiat quod dictū
eſt: Qui confitebitur me coram hominibus, [c] con
fitebor & ego eum coram patre meo.

DOMINICA DECIMAQVARTA Euangelium, Lucæ 17. Et factum eſt dum iret in Hieruſalem.

SAnctæ ac fide dignæ hiſtoriæ indicāt, [d] Eſa-
iam prophetam in duas partes ſectum, ſub im
pio Manaſſe rege: Hieremiam uerò in Aegypto la
pidatum eſſe, & nullam aliam ob cauſam quàm
quòd uitiis contradicebant, & omnes arguebant
ſuper impietate. Quod cum multo uehementius
& maiori grauitate faceret prophetarum prophe
ta, ſanctusq; ſanctorum Chriſtus Ieſus, eandem
audiuit atq; expertus eſt blaſphemiam, Sed Chri
ſtus cœpto tantum non deſtitit, quin etiam ſermo-
nibus piis ſtupenda et admiratione digna miracu-
la adiungeret ederetq;, quæ perfectiſsimè proba-
bant ipſum eſſe in Prophetis promiſſum, ipſoſq; Iu
dæos incredulitatis accuſandos, & reos mortis.
Cæterùm quando, iuxta Gregorii doctrinam, o-
pera Chriſti à fidelibus ita penſanda ſunt, ut in ue
ritate facta credantur, et tamen excellentius quid
præterea innuant, haud abſurdè leproſorum illorū
mundatio, aliam quandam Chriſti curationem ſi-
gnificabit. Et primò quidem leproſi illi fuerunt, A-
dam, Eua, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Eſaias, &
omnes breuiter Deo dilecti homines, cum tota po
ſteritate, qui ad unum omnes peſsima infecti lepra
propter præuaricationē protoplaſti ægrotarunt,
donec Ieſus caſtellum huius mundi intrauit. Priuſ-
quam autem ille ueniret, lamentabiliter ac ſubinde
pii illi longè ſtantes (erant enim omnes eorum iu
ſticiæ tanquam pannus menſtruatæ mulieris) ad
Dominum: Vtinam cœlum diſrumperes, ac ad li-
berandos nos deſcenderes. Et, Oſtende nobis Do
mine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da
nobis. Quos cœleſtis pater, ut uidit eorum affli-
ctionem, conſolatus eſt ipſos, promittens ſuo tem- a Coloſſ. 3.
pore ſe miſſurū ſaluatorem. Hinc Eſaias clamabat Eſaiæ 9.
ut præco Domini: Puer natus eſt nobis, & filius
datus eſt nobis, &c. Et Hieremias: Ecce, dixit, dies Hiere. 23.
ueniunt, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum. Nato
igitur ſaluatore Chriſto Ieſu, totum genus huma-
num ſanitati reſtitutum eſt, quando ipſe factus eſt
propitiatio pro peccatis totius mundi, & ut uerus
ille ſacerdos ſeſe obtulit patri. Verùm ut oues do-
mus Iſrael primùm curare uenit, factum eſt tamē
ut ingratis Iudæis manentib. gentes per Samari-
tanum ſignificatæ, laudes ac gloriam Deo & fi- b Rom. 8.
lio eius Ieſu Chriſto agerent, quādo in facies ſuas
cadentes dixerunt: Benedictus Deus et pater Do c Matth. 10.
mini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos omni
benedictione ſpirituali, &c. Secundò Auguſti-
nus atque Beda leproſos eſſe uolunt, qui ſcientiam
ueræ fidei non habentes, uarias doctrinas pro-
fitentur erroris, uel gentili ſuperſtitione & Iu-
daica perfidia infecti ſunt. hos enim oportere
uenire ad Eccleſiam, atque uerum fidei colorem d Vide Epiphanium de prophetarum uita & interitu.
aliis ſimilem oſtendere. neque mirum eſt hoc, cum
Apoſtolus de pſeudoprophetis & Apoſtolis ſum-
mè cauendis, ſæpius admonuerit ſuum Timo-
theum, oſtendens illorum ſermonem cancri
naturam habere, membrum cui incubuerit de-
paſcentis. Certum eſt igitur, Euſebio ſcriben-
te, olim per paſtores Eccleſiæ lepram illam
perniciosiſsimam fuiſſe curatam, quando iuxta

Domini mandatum illi morbum indicantes, ægrotum uirtute ſummi pontificis Chriſti curarunt.

Euſebius lib. 9. cap. 30. Idem lib. 10. capite 28.

Vnum aſſerentes eſſe Deum, unam ideoq; fidem, quemadmodum etiam ſit unum baptiſma: nec eſſe uelit Apoſtolus ſchiſmata ac diſſenſiones inter diſcipulos filij Dei Ieſu Chriſti. Deinde ut corporalis eſt lepra, ita & ſpiritualis, hoc eſt, animæ infectio erit tanto periculoſior, quanto præſtantior anima eſt corpore. Vt igitur hoc aptè doceamus, eò redeundum erit, unde digreſsi ſumus. Venit igitur Ieſus in Samariam, quia uenit peccatores ſaluos facere: qui certè à longè ſteterunt, quia longe à peccatoribus ſalus eſt. Ita ut olim Iudæis diceret Deus: Cum extenderitis manus ueſtras, non exaudiam uos, quia manus ueſtræ plenæ ſanguine ſunt. Veruntamen oſtenſo Saluatore, omnes leproſi illi occurrerunt: quod & nunc fieri debet, cum nemo poßit dicere Mundum eſt cor meum, & purus ſum ego à peccato. Et alibi: Si dixerimus quia peccatum non habemus ſeducimus noſmetipſos, & ueritas in nobis non eſt. Ad Chriſtum igitur uenire debemus, ut uerum curatorem & ſaluatorem. uenire autem cum fiducia: id quod iubet Apoſtolus, cum inquit, nos habere pontificem, qui poßit compati noſtris infirmitatibus. Porrò decet ut à longè quoq; ſtemus, non quòd Chriſtus abhorreat aſpicere maculam lepræ noſtræ, quum ipſe omnes uoſtros dolores tulerit: ſed præ uerecundia, eo quòd offenderimus tantopere Deũ noſtrum, maximum & nobiliſsimum creatorem ac redemptorem noſtrum: quemadmodum publicanus ille ac filius prodigus nobis exemplo eſſe poſſunt. quorum unus noluit ſuos attollere oculos, ſed percußit tantum pectus ſuum dicẽs, Deus eſto propitius mihi peccatori: alter uerò ſuum peccatum agnoſcens, ſe in cœlum quoque peccaſſe dixit. Vt autem ex animo clamauerunt ueri leproſi, Ieſu præceptor miſerere noſtri: ita ſanè omnibus nobis dicendum erit. Onus graue peccatũ eſt, dicente propheta. Et quis nos hoc onere leuabit, niſi ille qui dixit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Nemo igitur ſe decipiat: ſolus Dominus miſereri poteſt, & ueniam peccatis largiri. nam ipſius miſericordia magna eſt, & incomprehenſibilis, quæ omnia peccata immenſum excedit. Quamobrem ipſe per Prophetam clamitat: Ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me: hoc eſt, & ſi me laborare feceritis in peccatis ueſtris, ego tamen quia miſericors ſum, & multarum miſerationum, delebo omnes iniquitates ueſtras. Bene itaque dixit Dauid: Confitebor aduerſum me iniuſticiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Porrò mundati ſunt leproſi, quia diuinam implorauerunt miſericordiam. mundabimur & nos à peccatorum lepra, dummodo non ceſſemus clamare. ipſe enim Chriſtus is eſt, qui dixit: [a] Nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. & obinde Petro dixit, remittendas eſſe iniquitates, quoties pro ijs homo ſupplicauerit dimittẽdis. At ut puri facti ſumus, nõ decet nos aliorſum cum nouem alijs ire: ſed grates reddere pias, & quas poſſumus ei, à quo rediit illa noſtra mundicies. Ingratitudinem enim, ut deteſtabiliſsimum uitium odit Deus: quemadmodum econtrà gratum hominem diligit, & maiora beneficia ſuperaddit ei, nõ tantum ut hic bene omnia ſuccedant, ſed quod eſt maximum omnium, ut fide ſua homo fiat ſaluus,[b] idq; in nouiſsimo die, ubi dicturus eſt Chriſtus ſuis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum ſempiternum, &c.

a Ezec. 18. Eſaiæ cap. 1. b Matt. 24. Prouerb. 20. 1 Ioan. 1. Hebr. 4. c Actor. 17. Lucæ 15. Lucæ 18. Pſal. 37. d Matth. 4. Matth. 11. e Epheſ. 6. Eſaiæ 43. Hieron. Pſal. 31.

DOMINICA DECIMAQVINTA Euangelium, Matth. 6. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.

CVm ueniſſet D. apoſtolus Paulus Athenas, Achaiæ urbem celeberrimam, uidit aram erectam ignoto cuidam Deo.[c] Quamprimũ igitur iuxta ſpiritum ſibi conceſſum, Deum uiuũ cœli & terræ eum Deum eſſe affirmauit, qui omnibus dat uitam & inſpirationem, in quo uiuamus, moueamur, ſimusq;. Hæc quidem potiſsimum nobis Apoſtolus gentium concionatus eſſe uidetur. Quia ergo Deus ipſe noſter, & omnium quæ habemus pater ac Dominus eſt, propterea ſuper omnia et per omnia quæ intus uel foris habemus, uult honorari, ſibiq; ſeruiri: quare Scriptura dicit: Diliges Dominum Deum tuum, &c. Deuter. 6. Cæterùm ut primo homini Dæmon ille peſsimus obſtitit, quo minus ipſe in amore uero perduraret: & quia Chriſto imponere uiſus eſt dicendo,[d] Si procumbens adoraueris me, omnia hæc regna tibi tradam: nullum & nunc non mouet lapidem, quo nos Chriſti membra à uero amore Dei retrahat ad ſe in æternum cruciatum uel perditionẽ. Vnde ſanctus Apoſtolus,[e] nobis colluctationem eſſe dicit aduerſus principes ac poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarũ harum, &c. Vt autem uarijs illi nos aggrediuntur modis: minimum tamen non eſt, quòd immodica rerum temporalium nos uexant ſollicitudine. Chriſtus igitur, ut fideliſsimus noſter parens, monet omnes ſuos diſcipulos ut caueant ab eis, & ait:

Nemo

Nemo poteſt.] Per duos dominos primùm intellexit Chriſtus ea, quæ à ſeipſis ita ſunt contraria ut ſimul eſſe nequeant, ceu ſunt ignis & aqua. Intelligit itaque Deum & ſatanam, quoniam omnino ſibi contrarij ſunt. Deus uult omnes ſaluos fieri, Satan uerò omnes perditū iri. Vt hic ergo ad impia quæq; ſuadet ac trahit, ita ille ad ſaluberrima ſanctiſsimaq;. [a] unde Apoſtolus Corinthios ſatis piè præmonuit, ac dixit: Nolite iugum ducere cum infidelibus. quæ enim participatio iuſticiæ cum iniquitate, quæ ſocietas luci ad tenebras? quaſi diceret, nulla, ſic nec conuentio Chriſti ad Belial. Quia ergo Chriſtus in hanc ærumnarum regionem uenit, ut imperiū diaboli diſsiparet, et regnū iuſticiæ exaltaret, iubet ſuos ut prioris Domini ſeruitium abnuant, neq; enim ſimul utriſq; obtemperari poſsit, eo quòd contraria uelint ac iubeant. Mammon itaq; ſatanas eſt. Deinde cum ipſe diuitijs huius mundi præſit, haud abſurdè diuitias hic intelligere poſſumus, præſertim cum id Syriaca uox uelit. Ergo quicunq; diuitijs ſeruiūt, diaboli ſerui eſſe cenſentur. nec ineptè dixit Chriſtus Seruire. nō enim diuitias poſsidere damnabile eſt: ſic enim damnati eſſent Abraham, Loth, Dauid, & alij: ſed eas inordinatè & cupidè acquirere, & auarè retinere. quamobrem Apoſtolicorum error conuincitur, & dictum Ambroſij approbatur: Diuitiæ ſicut impedimento ſunt reprobis, ita probis ſunt adiumenta uirtutis. Nemo igitur uerè Chriſtianus diuitijs ſuis extolletur, imò cum Dauide dicet, licet ſedente in ſolio regni: Egenus & pauper factus ſum ego, ſicut omnes patres mei. Cæterùm quia auarus ſuum morbū excuſare poſſet, ac dicere: Quid prohibes nobis Domine hæc temporalia, quibus fami, ſiti ac nuditati conſulamus? quis dabit ſi minus ſollicitè ea quæſierimus? & ſic more primorum parentum [b] ſuum excuſare peccatum. quod equidem dicente Hieronymo frequenter fieri ſolet, & infeliciſsimum eſt. pro quo itaq; rogauit Dauid, ne fieret, quando dixit: [c] Nō declines cor meum in uerba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Ait ergo Chriſtus: Dico uobis, &c.] Quaſi diceret, non prohibeo labore uictum & amictum acquirere, neq; omnem curam, ſed ne ſollicitudo uos premat. Vnde ſciendum eſt, non omnem ſollicitudinem prohibitam eſſe: et proinde Euchitas erraſſe multum, quando uoluerunt ab operibus omnino uacandū eſſe. Mala igitur hæc ſollicitudo eſt, cum cupidiſsimus eſt animus, & immoderata uexatur cogitatione, quomodo diuitias cumulet ad omnes libidines explendas: quod certè malum Apoſtolus nocentiſsimum eſſe dicit, cum inquit: Qui uolunt 1.Tim.6. diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueū diaboli, & multa deſideria inutilia & nociua, quæ mergent homines in interitum & perditionem. quod quàm uerum ſit, uel duo diuites illi apud Lu- Lucæ 12 & 16. cam exemplo eſſe poſſunt. Diſce hic, quàm Deo ipſi diſpliceat, ubi ad labores tuos atq; inanem illā curam potiſsimum ſpectas: Audi potius Prophe- a 2.Cor.6. tam dicentē: Niſi enim Dominus ædificauerit domum (ait propheta) inuanum laborant ædificatores, fruſtraq; uigilant domino non cuſtodiente ciuitatem. Pulchrè quamobrem D. ſcripſit Chryſoſtomus: Nequaquam noſtra induſtria, ſed prouidentia Dei ea perficiuntur, in quibus uidemur operari. quòd ſi ille nos deſerit, non ſollicitudo ulla, non cura, non labor apparebit, ſed cuncta prorſus infeliciter euaneſcēt. Erit itaq; primùm iſthæc ſollicitudo neceſſaria, ut quiſq; ſecundum ſuam uocationem ſtrenuè laboret, dicente Apoſt. Qui nō 2.Theſ.3. laborat, non manducet. neq; enim ei parcendū eſt, qui cum uiribus ualeat, ſit in ocio. Quiſquis proinde dixit, Tu ſupplex ora, tu protege, tuq; labora: q̄ optimè mihi dixiſſe uidetur. Sic enim omnes ſua officia faciendo, labores manuū ſuarum mādūcarent, eſſentq; beati: ita tamē, ut iuxta Petri conſiliū, o- 1.Petri 5. mnē ſollicitudinē in Deum proijcerent, cui de nobis cura ſumma eſt. Et ad hanc ſollicitudinem priuatā hortatur et ipſe Sapiens, cum inquit: O piger Prou.6. uade ad formicā, & diſce ſapientiā, quæ colligit in æſtate, ut habeat in hyeme. Vnde execrādi ſunt omnes uētres pigri, ipſis etiā Epicureis deteriores, qui ſudores pauperū expilant, ut ſuperbiæ et omni luxui indulgere poſſint. Eſt et alia licita ſollicitudo quæ prouidentia dici poteſt. qualē habuiſſe Ioſeph Gene.41. cōſtat, quando ſciebat ex ſpiritu Dei ſeptē annos uenturos ſummæ ſterilitatis: quem utinā imitarentur omnes præpoſiti, quò magis meliuſq; inedia la- b Gen.3. borantibus & in neceſsitate conſtitutis fratribus poſſent ſubuenire. Non'ne anima plus eſt.] A maiori ad minus, & econtrà à minori ad maius argumētatur Chriſtus. Nulli dubiū eſt quin c Pſal.140. homo maius ſit, q̄ auis aut ullū animal, quando ille ad imaginē Dei factus eſt, eſtq; immortalis, et habet æternitatē repmiſſam, cū cætera omnia interibūt, ſicut docet D. ille Chryſoſtomus dicēs: Omnia animalia Deus ꝓpter hominē fecit, hominē aūt ꝓpter ſe. quātū igitur præſtātior eſt hominis creatio, tanta maior eſt Dei ſollicitudo de ipſo. Quid igitur ſunt niſi modicæ fidei homines et gentes ueræ, q excruciātur curis maximis, unde uiuāt? Verꝰ is fuit patris ſummi filꝰ, q ſurſq; deq; ferēs humanas res illas, aiebat: Dominus dedit, Dominus abſtulit: Iob 1.

ſicut

ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomē Domini benedictum. Videbat enim, nulla noſtra induſtria, ſed ſola Dei benignitate omnia prouenire. **Scit enim pater.**] Patris affectus talis eſt, ut quicquid ſciat ipſe opus eſſe filijs, quàm certiſſimè largiatur: uerum multo perfectius id facit Deus, qui talis eſt erga ſuos filios, ut excedat ſuus affectus affectū cuiuſuis matris, diligentis uehemen-
a Gen. 1. tiſſimè proles ſuas. Quomodo igitur nō ſuppeditaret neceſſaria nobis, præſertim cū id poteſt ut potentiſſimus, & nouit omnia ut ſapientiſſimus?
Quærite ergo primùm regnū Dei.]
b Hebr. 13. Regnum Dei ſupernæ illius & cœleſtis ciuitatis regnū eſt, ubi uita et lætitia ſempiterna erit, dicen-
Lucæ 22. te Chriſto: Et ego diſpono uobis ſicut diſpoſuit mihi pater, ut edatis & bibatis ſuper menſam meā in regno meo. Hoc regnū omnib. Chriſti diſcipulis quærendum eſt. ad hoc enim renati ſunt, et redempti precioſo Chriſti Ieſu ſanguine. ad quod uocare uidemus Paulum nos omnes, quando ait: Si
Coloſ. 3. cōſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quæ-
c Pſal. 2. rite, etc. **Et iuſticiā eius.**] Iuſticia regni Dei fides eſt in eū ſolida, qui traditus eſt propter delicta noſtra, et reſurrexit propter iuſtificationem no-
Abac. 2. ſtrā. Hinc dictū eſt: Iuſt⁹ ex fide uiuit. Et à Paulo:
Epheſ. 2. Gratia eſtis ſaluati, per fidē. Verùm hæc iuſticia fundamentum eſt totius ſalutis: cui ſuperſtruitur altera quædā iuſticia in adultis, operū ſcilicet, quæ conſtat imitatione Chriſti, & impletione mandatorum eius, quantū ad nos. Ergo is regni Dei iuſti-
Matth. 19. Tit. 2. ciam quærit, qui omnib. agēdis uel dimittendis ſol-
1. Pet. 2. licitè quærit, utrū ſic agere uel dimittere ſit cōforme Chriſti doctrinæ: et ſecundū hoc agit, uel ab actiōe deſiſtit. Oportet aūt ut hæc ipſa iuſticia ſit
Matt. 5. pura et ſyncera, dicente Chriſto: Niſi abundauerit iuſticia ueſtra plus quàm Phariſæorū et Scribarū, nō intrabitis in regnū cœlorū. **Et hæc omnia adijcientur uobis.**] Non dicit Dabuntur, ne
d Vide Theophylactum in Ioan. ut propria, et in quibus fiducia ſit aliqua, exiſtimemus: ſed Adijcientur, tanquā ueſtræ peregrinationi neceſſaria, ut his quaſi quodā uiatico releuati, ad
e Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. ea quæ in patria ſunt bona perueniatis. Omnes aūt nos qui Chriſtū profitemur, aduenas & peregrinos eſſe, & Paulus & Petrus teſtantur: & quo-
Hebr. 13. 1. Pet. 2. tidie noſtra nos docet precatio, quæ regnū aduenire expoſtulat aliud quàm quod coram uidemus: illud nimirum, ubi Chriſtus ſedet in gloria patris ſui. Quoties igitur legimus, Paulum atq; alios ſiti & fame diuexatos: factum id fuit, ut per patientiā & conſtantiam examinati & probati confirma-
Dan. 14. 3. Regum 19. rētur. Virtus ſiquidē in infirmitate perficitur. Sic
f Hier. 23. Daniel in lacū leonū miſſus eſt, et Helias ſubter iuniperū latuit, quaſi morti uicinus, qui tamē iuſtus et rectus erat. Manet itaq; incōcuſſum: quærentibus regnum Dei, ipſiusq; iuſticiā nihil deeſſe, neq; defuturum, donec ad ſuperna ferantur.

DIVAE VIRGINIS FESTO, quando nata eſt, Euangelium, Matt. 1. initium: Liber generationis, &c.

VT Moyſes à [a] Geneſi mundi librum ueteris legis inchoauit: ſic & Matthæus librum nouæ legis, hoc eſt, Euangelium æternū, à geneſi Chriſti conditoris mundi inchoat, dicens, **Liber generat.**] [b] Ait Apoſtolus, multis modis loquēs Deus patribus in prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio ſuo, quē conſtituit hæredem uniuerſorum, per quem fecit & ſecula. Quibus ſanè uerbis oſtendit, filium Dei in hunc mundum ueniſſe. quod ut uerum eſt, ita generationem ipſius Chriſti explicare oportet. Primum itaq;, ſacra atteſtāte Scriptura, Chriſtus noſter unigenitus à patre eſt, patre in Pſalmis dicente: [c] Tu es filius meus, ego hodie genui te. Et hanc generationē ut prorſus ineffabilē nemo, licet acutiſſimi ſit ingenij, effari poterit. Impoſſibile enim eſt, diuinitatis noſſe myſteria, quomodo pater & filius unum, ſicut & filius ante luciferum genitus ſit. ob quā rē ſcitè iuxtà ac piè inquit Chryſoſtomus: Confundantur omnes qui ſuperiorem illam generationē temeraria curioſitate rimari uolunt. Hoc enim eſt, cœlo bellū inferre. Nec minus difficile intellectu erit, quòd fili⁹ Dei ex puriſſimis diuæ Virginis uiſcerib. ac uera carne, uerā ſibi aſſumpſit carnē. qualiter enim ex Spiritu ſancto cōceptus ſit Chriſtus, et quo pacto formauerit ille ſpiritus corpus ſanctiſſimū, tabernaculū eius qui cuncta cōtinet, haud facilè quis mihi demōſtrabit: tantū fides perſuadere nobis poterit, quā quia plures minus ſyncerè tenuerūt, ideo miſerè ac fœdè lapſi ſunt: [d] ut Arius, Eutyches, Apollinarius, Ebion et Photin⁹, alijq; quàm multi. Vtut aūt difficillimū ſit hoc: cōſtat tamē, uerbū Dei carnē factū. Et hoc omnib. modis admirandū op⁹, deſcribit hic noſter Euāgeliſta, et ait: [e] **Ieſu Chriſti filij Dauid.**] Cum Abrahā ſit pater omniū fideliū per fidē, & Hebræorū per circuncıſionē, mirū uideri poſſet cur dicat primū, Ieſum eſſe filiū Dauid. Equidē ut Iudæis magis ac potius fidē perſuaderet, hoc fecit: ſiquidē illi nouerāt, omnibusq; in cōfeſſo erat, Meſchiā fore filiū Dauid, cùm ex multis Scripturæ locis, tum maximè ex Hieremiæ oraculo, poſtquā ille aduerſus pſeudoprophetas intonuit, et ijs reiectis uerū cuſtodē aduenturū oſtendit, ſic dicēs: [f] Ecce

dies

dies ueniunt, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudiciũ & iuſticiam in terra. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter. Quòd ſi Dauid manu fortẽ interpretari uolumus, meritò Chriſtus filius eſt Dauid. quis enim fortior illo, dum uicit principem huius mundi? Et in Pſalmis [a] legebant: Iurauit Dominus Dauid ueritatem, ac dixit, De fructu uentris tui ponã ſuper ſedẽ tuã. **Abraham genuit Iſaac.**] Dixit Deus ad Abrahã: Non uocabis ultrà uxorem tuam Sarai, id eſt, tu princeps mea: ſed Sarã, hoc eſt, principẽ Gentiũ. [b] Riſit illa poſtquam audiuit ſe parituram filium, et genuit Iſaac, id eſt riſum uel gaudium. Et hic genuit Iacob: qui ex luctatione habita cũ angelo nomen aliud accepit, uidelicet Iſrael, quod eſt interpretatum principatus Dei, uel dominabitur Deo, unde duodecim tribus & tota progenies Iudæorũ progreſſa eſt. Verùm ſucceſſu temporis alius quidam Iacob genuit Ioſeph, uirum omni commendatione dignum, uirum Mariæ: **Ex qua** (inquit Euangeliſta) **natus eſt Ieſus, qui uocatur Chriſtus.**] Et hic quiſpiam dicere poſſet, aut non ex Abraham & Dauid deſcendit Chriſtus: aut Ioſephus uerus pater Chriſti erit, id quod uolunt impij ac infelices Iudæi. At facile diſcuſſu eſt perito hæc res. etiamſi enim Genealogia à uiris ducta ſit, proinde tamen haud falſum eſt, diuam Mariam ex eadem ſtirpe progenitam: ſiquidẽ lex erat, [c] nõ ducendam uxorẽ ex altera tribu, neque ex aliena familia, ſed ex ſua cuiuſque cognatione. Quòd ſi alterum uerum eſſet, Chriſtus non eſſet uerus ille Meſchias in lege promiſſus: quia patrem in cœlis habere debebat, et non in terris, iuxta illud: Tu es filius meus, ego hodie genui te. Nec pur⁹ homo [d] potuiſſet eſſe propitiatio pro peccatis generis humani. Eapropter autem uirum eum Mariæ dixit Euangeliſta, nõ à quo illa deflorata ſit: ſed quòd eum habuerit tanquã ſponſum. Quod uel hinc patet, quòd alio in loco idem ſcribit: Et antequã conueniret, inuenta eſt in utero habens de Spiritu ſancto. Hæc eſt igitur illa uirgo, quæ incorrupta atq; inuiolata permanens, edidit mundi Saluatorem, & perpetua uirgo permanſit: quod quidem etiamſi non eſt apertè ſcriptũ in literis diuinis, eſt tamen Apoſtolorũ et ſanctorũ patrum traditione ad nos deriuatum, et omniũ Chriſtianorũ cõſenſu comprobatum, cum aiunt illi: Credimus in Ieſum Chriſtũ, [e] cõceptũ de Spiritu ſancto, et natum ex Maria uirgine. quæ qdẽ fides catholica fortiſſimè ſtabit cõtra nouos Heluidianos & Antidicomarianos. Quòd ſi aũt nõ capis, quemadmodũ hæc res omnẽ humanũ ſenſum excedit, cogita, altiſſimi Dei prægrande negociũ eſſe, qui præter naturam ſingularẽ ſuæ generationis modũ habere uoluerit. Cæterũ eam tamen deſponſatã eſſe uoluit Deus pater, ne (dicente Ambroſio) diceretur, quòd cõcepiſſet ex adulterio uel fornicatione, et Iudæi iuſtã cauſam calumniãdi haberẽt. Et plura de hac re apud eundẽ uidere licet. Cæterũ cum ſcriptũ ſit, angelũ dixiſſe Zachariæ, ob natũ Ioannem multos gaudiũ habituros: qui nõ poſſet hæc natalis dies diuæ et auguſtiſſimæ illius uirginis lætabũda nobis eſſe, quæ illum protulit nobis, qui totius mundi fuit & eſt lætitia, redemptio, ſalus, et uita? Multis retrò ſeculis dictũ fuerat per Prophetã: Egredietur uirga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. Hoc hodie adimpletũ eſt, quando Maria de ſtirpe Ieſſe genita, Chriſtũ Dominũ dein genuit, florẽ illũ fragrantiſſimum, cuius odor bonus in omnes deuenit fines terræ. Vnde olfecerunt ſummũ refrigerium, iucundiſſimumq; ſolatiũ miſeri atq; afflicti peccatores, quamprimũ dixit ille: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiã uos. Ex hac diuiniſſima uirguncula ortus eſt Sol iuſtitiæ, dicente alio Propheta: Chriſtus Deus noſter omnibus diligentib. atq; timentibus Deum, ad reuelandas gentes & Iudæos glorificandos, qui omnes in tenebris ignorantiæ & peccatorum ſederunt: donec exortũ eſt illud uerũ & diuinum lumen, illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum, dum ſoluta maledictiõe dat benedictionem: & confundendo mortem, donat uitam ſempiternã: cui proinde laus ſit, maieſtas, honor, & gratiarumactio in omne æuum: Amen.

a Pſal. 131.
Lucæ 1.
b Gen. 21.
Eſaiæ 11.
Matth. 11.
Malac. 4.
c Num. 36.
Exortũ eſt in tenebris lumẽ rectis: miſericors & miſerator domin⁹.
d Omnium hominum iuſticiæ tanquam pannus menſtruatæ mulieris.

DOMINICA DECIMASEXTA

Euangelium, Lucæ 7. Et factum eſt, deinceps ibat Ieſus in ciuitatem, &c.

VIdens Ieſus Iudæos uſq; adeò occæcatos, ut uerbis eius nullo pacto fidem dare uellẽt: (dicẽte enim ipſo; Ego ſum paſtor bon⁹, et fiet unũ ouile & unus paſtor) multi ex Iudæis dixerũt, Inſanis, et dæmoniũ habes: uſq; adeò offenſus nõ fuit, ut etiam ad operum contemplationem ipſos tranſmittendo, dixerit: Si nõ facio opera patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, et ſi mihi nõ uultis credere, credite ſaltẽ operibus. Erant aũt illa opera quæuis morborũ genera, et ipſam deniq; mortẽ potentiſſima uoce depellere, uiuificã languidis & mortuis ſalutẽ inſpirare, quemadmodũ dudũ antea dixerat Propheta, ſic inquiẽs: Puſillanimes cõfortamini, Deus ipſe ueniet, et ſaluabit nos. Tunc

Ioan. 10.
e Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria uirgine.
Eſaiæ 35.

aperiētur oculi cæcorum, &c. Eam ob rem quoq; factũ fuit, ut appropinquans Ieſus Naim, filiũ hunc uiduæ unicum ſuſcitarit ad uitam. Porrò ſcribente Euãgeliſta, turba copioſa cum uidua iuit ad deducendum funus. hoc ideo fecerunt, quia firmiter
Daniel.12. credebant carnis reſurrectionẽ, ex Daniele potiſsimũ, aſſerente in puluere dormientes reſurrecturos, ac iuxta ſingula opera præmiũ recepturos.
Ezec.37. Ezech. itẽ, qui ait: Hæc dicit Dominus oſſib. hominũ: Ecce mittã in uos ſpiritũ, et uiuetis, & dabo ſuper uos neruos, & ſuccreſcere ſuper uos faciam carnes, & ſuperextendam in uobis cutem,
a Deut.34.
b Geneſ.49. & 50. &c. Et hæc indicio eſſe debẽt, hominũ Chriſto initiatorũ corpora præſertim nõ ponẽda eſcas uo-
c Ioan.11. latilib. cœli et beſtijs terræ, quoad fieri poteſt, uerumetiã religioſa cura deponenda eſſe, quemadmodum diuus uult Auguſtin. & ſi tamen dicat, Exequias mortuorũ magis ſolatia eſſe uiuorũ, quàm
d Philip.1. adiumẽta defunctorũ: uidit ille fortaſsis quàm abuterẽtur homines religioſa ueterum pietate, uti et nunc fieri ſolet. Cæterùm Vnicus erat hic filius uiduæ.] Quòd miſericordia motus eſt
e Eccleſ.2. ſuper hãc uiduã, hoc certè oſtẽdere uoluit, ſe eum ipſum eſſe qui præcepiſſet magiſtratui, ut indica-
f 1 Theſ.5. rent pupillo, et defenderent uiduas: quòd ſi uerò id facere negligerẽt, nõ mai ſurũ illud factũ impuni-
Eſaiæ 1. Hiere.5. Tob.5. tum. Potuit quoq; filius hic eſſe baculus ſenectutis matris ſuæ, quod apud Tobiã inuenimus, dũ mater dolebat maximè Tobiã iuniorẽ abiuiſſe. ait er-
g Mar.13. go Ieſus: Noli flere.] Chriſto mortuus nõ e-
h Lucæ 12. & 16. rat adoleſcens ille, eapropter flere prohibuit, dormiebat tantũ. quàm primũ enim dixit: Adoleſcẽs tibi dico, ſurge: cõtinuò ſurrexit. Sic dormiunt om-
i Hierem.9. nes, et dormire eos Scriptura dicit: quia nullus tanta facilitate poteſt aliquẽ ſuſcitare è ſomno, quanta Chriſtus defunctos ſuſcitare ualebit è tumulis. un-
Vide Cyprianum de mortalitate. de minimè plangendi ſunt mortui, quaſi prorſus amiſsi: quæ opinio eorũ eſt qui reſurrectionẽ ferè negãt, et omnia ſimul interire credũt. et hoc falſò, quoniã quidẽ per hominẽ mors, et per hominẽ reſurrectio mortuorũ, per Chriſtũ ſcilicet, obinde
Ioan.11. dicentẽ: Ego ſum reſurrectio et uita: qui credit in
k Epheſ.2. me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet, etc. Quòd igitur olim ethnicis ſimiles multi deplorabãt ſuos defun-
1 Theſ.4. ctos, motus eſt Paulus ut diceret: Nolo uos ignorare de dormiẽtibus, ut nõ cõtriſtemini, ſicut et cæ-
Pſal.115. teri q ſpẽ nõ habẽt, etc. Eadẽ dicẽte ꝓpheta, Mors
l Lucæ 7. ſanctorũ precioſa eſt in cõſpectu Domini: quia ab
m Mar.ult. huius mũdi aduerſitatib. et laborib. in ſpe futuræ
n Lucæ 23. gloriæ recedunt. quapropter D. Cyprianus omnẽ lu-
o Epheſ.5. ctũ damnabat ſuo tẽpore, dicebatq;: Cõteſtor fratres noſtros nõ eſſe lugẽdos acceſsiõe diuina liberatos de ſeculo, cũ ſciã nõ eos amitti, ſed præmitti: occaſionẽ nõ dandã gẽtilibus, ut nos meritò reprehendãt, qđ quos uiuere apud Deũ dicimus, ut extinctos et ꝑditos lugeam⁹. Quod enim morimur, ad immortalitatẽ trãſgredimur. Nec enim poteſt uita æterna ſuccedere, niſi hinc contigerit exire. Quis nõ ad meliora feſtinet? etc. Et hæc tamẽ piiſſima exhortatio piũ ac humanũ affectũ haud dãnat, ex quo ſubditi ſuos plãgũt ſuperiores et præpoſitos honeſtos pariter ac fideles: quemadmodũ nec impiũ fuit, q filij [a] Iſrael Moſen amarè luxerũt. Nec impiũ et hoc erit, ut filij ſuos pios defleant parẽtes. Nec enim impius fuit Ioſeph, [b] qui cernẽs patrẽ ſuũ Iacob iam animã efflaſſe, ruit ſup faciẽ patris, flens ac deoſculãs eũ. Et qd plura? Non'ne et Chriſtus ſuũ defleuit Lazarũ? [c] licet aliæ adducãtur à patrib. rationes. Itaq; piũ eſt flere, ſed modo debito obſeruato, ut gaudeamus hominẽ iã de mũ eò uocatũ, [d] ad quod nũquã nõ anhelãs dixit, Cupio diſſolui, et eſſe cũ Chriſto. Adoleſcẽs tibi dico, ſurge.] Immortalis homo factus eſt mortalis ꝓpter præuaricationem: agnoſcamus itaq; nos omnes eſſe mortales. [e] Et qđ iuxta Sapiẽtẽ, moritur doctus pariter et indoct⁹, ſtultus atq; ſapiẽs. Et quod ut certius nil morte eſt, ita nihil incertius hora. [f] Cũ enim dixerĩt (ait Apoſtolus) pax et ſecuritas, tũc repẽtinus ſupueniet interitus. Et hoc uult Deus, quo aſsiduo uirtutũ ſtudio et uigilantia nos præparem⁹, ut cũ uenerit Domin⁹, inueniat nos uigilãtes. Ideoq; dixit, [g] Vigilate ſemp, et orate, qa neſcitis diem, neq; horã. [h] Quàm ſtulti ergo ſunt ac ſtolidi homines, qui mortis ſuæ obliti, ſeculo uiuũt. Enimuerò duo illi diuites apud Lucã omnibus exemplo argumẽtoq; eſſe deberẽt, [i] ut (iuxta Prophetã) nõ gloriaretur ſapiẽs in ſapiẽtia ſua, nec fortis in fortitudine, nec diues in diuitijs ſuis: ſed in hoc, quòd cognoſcat Dominũ, q miſericordiã facit, iudiciũ & iuſticiã in terra. Cæterũ D. Auguſtinus, p ſua pietate ac induſtria, Chriſtũ adhuc iuuenẽ illũ ſuſcitare docet, primũ quãdo homines ſecundũ diuitias gratiæ ſuæ cõuertit ad fidẽ, eò q Apoſtolus inqt: [k] Eramus natura filij iræ. Deus aũt q diues eſt in miſericordia ꝓpter nimiã charitatẽ ſuã, qua dilexit nos, cõuiuificauit nos Chriſto. Deinde reſuſcitat Chriſt⁹ filiũ matris uiduæ, quoties mortui peccatis et uitijs uarijs, per Chriſti gratiã et miſericordiã ad pœnitentiã uocantur, uitã deinceps æternã habituri. [l] Sic Maria Magdalena reſtituta eſt uitæ. [m] Sic Petr⁹, ſic latro in cruce, ſic Paul⁹ cũ iret Damaſcũ, [n] qui poſtea alijs clamauit, ac dixit: [o] Surge q dormis, et exurge à mortuis, et illuminabit te Chriſt⁹, cõmiſerãs peccatis immerſum ſic interire.

Quis

Quis autem dicet nõ ingens hoc miraculum eſſe,
quando tam nobiliſſima eſt anima hominis, ut nec
totus mundus pro ea cõmutari poſſit, dicẽte Bern-
hardo: Maius equidẽ eſt, prædicationis uerbo at-
que orationis ſolatio peccatorẽ conuertere, quàm
carne mortuum ſuſcitare. quare etiam diuus Gre
gorius ſentit, maius miraculum eſſe Pauli conuer-
ſationem, quàm Lazari ſuſcitationem. Ma-
gnificauerunt omnes Deum.] Prophe-
tam adeſſe clamant, quem Moyſes de Iudæis uen-
turũ prædixiſſet [a], et Deum in hoc uiſitaſſe ſuam
plebem. Quoniam uerò nos ſcimus ex diuinis li-
teris, hunc Ieſum eſſe mundi ſaluatorem, iuſtè ac
meritò dicere debemus: [b] Benedictus dominus
Deus Iſrael, quia uiſitauit & fecit redemptionem
plebis ſuæ. Per uiſcera miſericordiæ ſuæ, in quib.
uiſitauit nos oriens ex alto: Illuminare his qui in
tenebris & in umbra mortis ſedent, &c.

DOMINICA DECIMASEPTIma Euangelium, Lucę 14. Cum intraret Ieſus in domum Phariſæi, &c.

QVanquam Chriſtus Ieſus clarus eſſet, ui-
ta pariter, moribus & doctrina, uerè ſan
ctus ſanctorum, quem nemo de peccato iuſtè ar-
guebat aliquo: Phariſæi tamen atq; legiſperiti ad
uerba ipſius haudquaquam conterrebantur, quin [c]
indurarentur in malis ſuis peſſimis. [d] quo factũ eſt
ut inſidias moliti ſint multoties, nec eum ferre uo-
luerũt, dicentes: Contrarius eſt operibus noſtris.
Idipſum & nunc accidere ſolet omnibus ijs qui nõ
loquuntur placentia, ſed ſyncerè ac purè annun-
ciant Euangelium ſanctum, & in nullius hominis
gratiam. Factum eſt autem, ut Chriſtus inſidioſè
uiuitatus ſit à quodam phariſæo: inſidioſe dico, in-
ſuper peſſimo & uirulentiſſimo animo, num uide-
licet inter epulas aliquid diceret faceretq; Chri-
ſtus, accuſatione, reprehenſione & calumnia di-
gnum. Vbi probè malignorũ natura notari poteſt,
ut caueat ſibi pietati ſtudẽs, ne habeat qui una ma
nu panem, altera uerò lapidem ſint porrecturi.
Et ecce quidam hydropicus.] Hydrops
morbus eſt aquoſus, ſubcutaneus, de uitio ueſicæ
natus cum inflatione: quo qui laborat, quanto plus
bibit, tanto magis ſitit. [e] Vnde rectè riteq; per hy
dropicum auaritiæ deditι intelliguntur. Nam illi,
dicente Eccleſiaſte, [f] nunquã diuitijs repleri ac ſa-
turari poſſunt. Hanc autẽ miſeriam nõ tantũ de-
plorarunt diuini uerbi præcones, uerumetiã Gen
tiles, dum Midã tyrannũ Phrygiæ deridẽt, quoniã
optarit atq; à Dijs impetrarit, ut quicquid corpo-
re cõtigiſſet, protinus in aurũ uerteretur. Quid
uerò miſerius eo? Melius & multo cõſultius faciũt
ergo hi, qui Paulo credunt, quoniã nihil in mundũ 1.Tim.6.
tulimus, et quòd nihil hinc nobiſcũ feremus, præ-
ſertim cum is uehementiſſimè redarguat opũ ſtu-
dium atq; inſatiabilẽ eſuriẽ, quam et idololatriã uo
cat, omneſq; uitio illo infectos regno Dei exclu- 1.Cor.6.
dit, cum alijs impiè ac turpiter uiuentibus. Porrò
quoniã ſuperſtitioſa obſeruatione Phariſæi cele- Exod.31.
brabant diuinitùs inſtitutũ ſabbatũ, cogitabant,
nec nõ tenebant curationẽ in ſabbato eſſe illicitã,
proinde obſeruabant Ieſum. At ille iuxta diuiniſ- a Deut.18.
ſimam ſuam authoritatem oſtendit, quàm toto er-
rarent cœlo, planeq; eſſent peruerſiſſimi ſabbati
uiolatores: cum multo magis periclitanti homini b Lucæ 1.
ſuccurrendum ſit, quàm brutis, quod tamẽ ipſi ex
cupiditate et auaricia facerent. Quod ergo Deus
uoluit ſuum ſabbatum ſanctificari, non à bonis, ſed Leuit.23.
malis operibus ut ceſſarent, iuſſit. ait enim: Omne
opus ſeruile non facietis in eo. et neceſſitas ſemper
excuſabatur. Similes Phariſæis ſunt, qui probè ſe
egiſſe exiſtimant, dum dieb. feriatis non uacãt ma
nuarijs, ut uocãt, operibus: licet animus æſtuet li-
uore ac odio, et uerſentur in reb. peſſimis, omniaq;
turpia et abominanda Deo uerbis operibuſq; per- c Sapien.5.
agantur ac fiant. Ergo tametſi dierũ ac menſium d Eſa.30.
obſeruatio à nobis per Chriſtũ ablata & abolita Ego ſum, ait
ſit: nihilominꝰ tamẽ ſuũ cultũ à nobis exigit Chri Dominus Deꝰ,
ſtus, ut grati inueniamur, et gloriã (ut meritò qui- qui eduxi te
dem) Deo dãtes. Quicunq; igitur ad colendũ ac ex Aegypto, & de domo ſeruitutis.
laudandũ Deũ inſtituti ſunt dies peculiares, in ſpi Apoc.1.
ritu et ueritate obſeruandi erunt, ut exẽpli gratia, Ignatius.
dies dominicꝰ ob id nobis ſolennis eſſe debet, quod Auguſt.
eo die leo de tribu Iuda uicit, & uitam nobis repa
rauit: cui proinde meritò grates reddere debent,
quos ille ſuo ſacratiſſimo redemit ſanguine. ſic &
de reliquis, quib. ad preces et laudes Dei, ad audiẽ-
dum uerbũ Dei, et ad Sacramentorũ uſum cõue-
nit eccleſia, et cõgregatur. Extant huius cõuentus Tertullian.
præclara ueterũ exẽpla, quæ quàm à pleriſq; imi-
tentur, luce clarius patet: et hæc eo magis deplo- 1.Cor.11.
randa ſunt pijs, quãto minus cordi ac curæ ſunt, 1 Tim.2.
quorũ intereſt maximè ordinẽ uerè piũ conſerua-
re. Quod autem in iuſticia et ſanctitate ſeruimus
Chriſto his atq; alijs dieb. uitæ noſtræ, cuſtodiẽ- e Vide Bedã.
tes manus noſtras ne faciãt malũ, ut Propheta in- Eſaiæ 56.
quit: certè in hunc ſolum finem fit, ut cœleſtẽ ſab-
batiſmũ agere tandẽ queamus, in cœlis uidelicet, f Eccle.5.
ubi nullꝰ labor, ſed ſempiterna ſit nobis quies. Iam
enim peregrinamur à Domino, undiq; triſticia ac
calamitatib. circundati: ſpe hac ſola freti, quòd tri
ſticiã noſtrã uertet Deus in gaudiũ, quod nemo à
nobis auferet. Et hoc quidẽ figuris olim Deus de-

Gen.17. ſignauit uarijs; ut in Abrahamo filijsq́; Iſrael per
Exod.14. mare rubrum, deſertũ, & multa pericula multisq́;
a Lucæ 23. exantlatis laboribus tandem in terram illam pro-
Ioſ.22. miſsionis collocauit. Si igitur nobis conſultũ bene
b Matth.17. uolumus, dicendũ erit cum Paulo: Cupio diſſolui,
c 1 Cor.7.
Philip.1. & eſſe cum Chriſto. Cæterũ poſtquam Chriſtus
conuicit Phariſæos de auaricia, et quàm longè eſ-
ſent à regno Dei oſtẽdit luculenter, piè incipit eos
docere, ut turgidos, & peſsima ſuperbia inflatos,
humilitatis uirtutẽ: quam et illis ſummè amplecten
dam perſuadet, quo poſsint ad æternarũ nuptiarũ
delicias peruenire. Nam ut, docente Beda, aperta
eſt hæc admonitio Saluatoris, docens nõ ſolũ apud
Deum, ſed etiam apud homines humilitatẽ eſſe lau
dabilẽ: ſignat tamen Chriſti & Eccleſiæ coniun-
d Chryſoſt. ctionem futurã ſempiternã in cœlis, quandoquidẽ
Matth.22. Chriſtus idipſum teſtatus eſt, cum inquit: Simile
factũ eſt regnũ cœlorũ homini regi, qui fecit nu-
ptias filio ſuo, etc. Ad illud igitur ſaluberrimũ con
1.Pet.5. uiuium non admittentur, niſi, ut Petrus dixit, qui ſe
humiliant ſub potenti manu Dei: ſiquidẽ ſuperbia
e Matth.26. omnis peccati initiũ eſt. Quid enim deiecit ange-
Eſa.14. los è cœlo in profundũ inferni? id nimirũ, quòd Lu
cifer Deo altiſsimo uolebat eſſe ſimilis. Quid de-
Gene.3. inde protoplaſtos è Paradiſo diſturbauit in hanc
Hieron. lachrymarũ uallem? utiq; ſuperbia, quoniam falſò
Arrogans glo- perſuaſi cõfidebant ſe fore dijs ſimiles. Et Nabu-
riatio a Domino puni chodonoſor à Deo punitus fuit, ita ut parũ differ-
tur à Domino.
f Exod.3. ret à beſtijs, alia equidẽ nulla ex ratiõe quàm quòd
Dan.3.4. ſuperbè ſeſe gereret. Quemadmodũ ergo ſuper-
bis reſiſtit Deus, ita humilib. dat gratiã: ut certò
uidere licet in Moyſe, Dauide, & ſanctiſsima uir-
Lucæ 1. gine Maria: quæ ſic canit, Quia reſpexit Deus hu
militatẽ ancillæ ſuæ. Solius Dei eſt, & ad ipſum
propriè pertinet, ſe omnibus creaturis præferre,
g Ezech.18. qui ſolus bonus, ſolus iuſtus ac rectus eſt, in cuius
conſpectu nullus unquã apparebit, qui non egeat eius
gloria, miſericordia, & bonitate, dicturusque ſit
Gen.18. cum Abrahã: Ecce puluis ego, & inutilis ſeruus.
Vtinam plures hoc uerius animo cõciperent, quàm
fieri uideo, & credo res noſtras longè aliter futu-
h 1.Cor.18. ras. Quòd enim lites ſunt in Eccleſia Chriſti, hoc
facit (ait Chryſoſtomus) liuor, ſuperbia, et auari-
cia, hoſtes pernicioſiſsimi Chriſtianæ religionis.
Quoniam autem hic nuptias cœleſtes agni occiſi
& qui nos redemit ſanguine ſuo, & lauit à pecca-
tis, intelligi uolumus: nemo ad fidem, æternamq́; ſa
lutem per uerbum uocatus, unquam gloriari pote-
rit de ſuis meritis, & extolli: quia mera ex gratia
illud prouenit, à qua exciderũt multi rurſum alijs
Matth.20. ſuffectis. ſicut dicit Chriſtus: Multi ſunt uocati,
pauci uerò electi. & ut hoc uerũ ſit, certè exem-
plo ſunt Iudas & latro, quorum hic miſericordiã ex confeſsione conſecutus eſt, [a] & cum Chriſto in Paradiſum uenit: ille uerò ad deſperationem actus, miſerè periit, & cum impijs manebit in æternis inferorum cruciatibus. [b] Idcirco quiſq; maneat in ſua uocatione qua uocatus eſt, [c] monente Apoſtolo: nec infletur, ſibi tantum humilis atq; abiectus uiſus, & exaltabit eum Deus pius pater in die uiſitationis.

IN FESTO MATTHAEI APOſtoli Euangelium, Matthæi 9. Et cum tranſiret inde Ieſus, &c.

HOc Euangelium in omnes peccatores uel quamlibet graues et inueteratos, cõſolatione plenum eſt: [d] quia Chriſtus Matthæũ unum ex publicanis, quorũ ſtudia et exercitatio impudentiæ ac crudelitatis plena erant, quæſtus turpis quædã mercatura, ut inquit Chryſoſt. ad ſe uocauit, quẽ uidit. Vidit.] Non tã corporeis oculis, quàm miſerationis aſpectu, corã cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt, ut etiã in intimos proſpiciat cordis receſſus: [e] quod equidẽ uidere, magnam uim habet. nam agit in animam, & immutat eam, ut uidere eſt in Petro atq; alijs conuerſis. quamprimum enim Chriſtus Petrum reſpexit, in ſe ipſe reuerſus foràs exiuit, cœpitq́; amarè flere. Videt etiam Deus nos, quando noſtras aſpicit afflictiones, & nobis auxilio eſſe ſtatuit. [f] Sic enim populum in Aegypto depreſſum conſpexit, &c. Sedentem.] Quaſi eum qui pertinaci animo temporalib. lucris inhiaret. Matthæũ nomine.] Mira iſthæc Euãgeliſtæ philoſophia, q anteactã uitã ſuam non cælauit: haud dubiè laudi duxit eam cõmemorare, ut uirtutem Chriſti inmutantis cognoſcamus, qui, ut Propheta ait: [g] Nõ uult mortẽ peccatoris, ſed magis ut conuertatur & uiuat. quod equidem nõ ſolum hic apparet, ſed in Paulo quoq;, quem furentem ac omni rabie ardentem uocauit benigniſsime, quemadmodum Paulus multis in locis teſtatur, præſertim ubi inquit: Nouiſsimè uiſus eſt mihi Chriſtus tanquam abortiuo, [h] & qui non dignus ſum uocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Et ait Ieſus: Sequere me.] Non tam inceſſu pedum, quàm executione morum. Executio autem hæc eſt, non ambire terrena, non caduca lucra ſectari, fugere honores ſeculi, contemptum mundi pro cœleſti gloria libenter amplecti, cunctis prodeſſe, ſufferre iniurias. Summatim, Chriſti ſui ſemper gloriam quærere. Sumus enim ex terrenis facti cœleſtes, unde meritò corda omnium ſurſum erecta eſſe debent.

Et quid

Et quid eſſe poterit aliud omnium uel uita uel glo-
ria, quàm uapor modicum parens? ut Iacobus ait.[a]
Qui igitur dicit ſe in Chriſto manere, debet imi-
tari ſuum Chriſtum, tanquam uerum archetypũ,
qui fugit eos mundi faſtus atq; uapores. **Et ſur
gens, ſecutus eſt eum.**] Vidimus uocantis
uirtutem: diſcamus nunc uocati obedientiam. Nõ
eſt mirandum, quòd qui curabat lucra, non repu-
gnauit, nec ſecum dixit: Putas'ne abſq; fraude me
uocauerit? ſed eum ſecutus eſt quem nihil diuitia-
rum habere cernebat, relictis officio & quæſtu.
Qui enim foris uerbo uocabat, intus lumen ſpiri
tualis gratiæ infundebat. quare Matthæus intelle-
xit incorruptibiles theſauros in cœlis, & præpa-
ratum atq; præmeditatũ animum oſtendit, cui de-
bemus et nos ipſi reſpondere. Si quidem uocat nos
Chriſtus ex telonio nunc quoq;, id eſt, ex uitioſo
ſtatu uitæ, uel ſcripturis, uel inſpiratione inuiſibi-
li, ſicut ſcriptum eſt:[b] Ego ſto ad oſtium, & pulſo,
ſi quis mihi aperuerit, &c. Certè nemo noſtrûm
non eſt publicanus, ſi examinabimus quiſq; actus
cogitationesq; noſtras. Dixit autem Chriſtus illi,
Surge: & nobis dicit, quoties ob oculos ponit,
quæcunq; geſsimus. Surrexit Matthæus: ſurgam
& nos à uitiorum noſtrorũ telonio.[c] quod equi-
dem fit, ſi infirmitatem agnoſcimus noſtram,
& mentem ad cœleſtia eleuamus. **Et factum
eſt, diſcumbente eo.**] Excepit Chriſtũ ho-
ſpitio, à quo perennia bona ſperabat. Verùm mul
to gratius conuiuium in domo pectoris ſui, per fi-
dem ac dilectionem Chriſto parauit. Nam cum
memoriam Chriſtus ſuæ uoluntatis cordibus hu-
manis infundit, & illa aſſenſum præbent, intrat i-
pſe, reficitq; eos ſua luce, quatenus ad ſuperna de-
ſideria magis ac magis proficiant, quæ refectio
maximè paſcit, gratiorq; eſt cunctis dapibus: quẽ-
admodum uidere eſt in ſanctis martyribus, qui,
teſte Euſebio, huius mundi mala præ illius dulce-
dine non ſenſerunt. **Et uidentes phariſæi,
dicebant.**] Ex Dauide ſciebant,[d] cum ſancto
ſanctum fieri, & cum innocente innocentem.
Chriſtum itaque conuerſari uidentes cum pecca-
toribus illis, ſimilem ipſis iudicabant: putabant e-
nim omnem hominem ſimilem ſibi ſociare. Quaſi
igitur dicũt: Hic eſt qui nouam quandã ſanctimo-
niam profitetur: ait enim impleto tempore regnũ
Dei inſtare, pœnitendum, & ſuo Euangelio omni-
bus modis credendum: quare non uitat malorum
conſortia, notos etiam peccatores ad colloquium
admittit, & adeò non fugit congreſſum, ut cibum
etiam cum illis capiat. **At Ieſus audiens,
ait.**] Chriſtus perfectiſsimus erat, & ſanctus ſan
ctorum, in quo nullus dolus, quiq; nullum pecca- Eſaiæ 53.
tum facere poterat, ſic nec contaminari conuer- a Iac. 4.
ſatione prauorum: quemadmodum nec ſol coinquĩ
natur ſuper terram, licet immundis frequenter ſu-
peruenat corporibus. Quòd ergo peccatores ad
ſe recepit, ideo factum non eſt, ut eorum peccata
approbaret, aut illis eſſet ſimilis, quum nec ſermo-
ne nec opere peccaret, quod de nullo penitus ho-
minum intelligi & dici poteſt, dicente Scriptura:
Nemo mundus à ſorde, nec infans unius diei: ſed
ut eos ad pœnitentiam prouocaret, prouocatos re-
ciperet in gratiam & dimitteret iuſtos, quemad-
modum de illo dictum fuerat per angelum Ioſeph,
uolenti iam dimittere Mariam: Noli timere acci- Matth. 1.
pere coniugem tuam. quod enim in ea natum eſt,
de ſpiritu ſancto eſt. pariet autem filium, & uo-
cabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet
populum ſuum à peccatis eorum. Et proinde ca-
lumniam iſtam hoc modo declinauit Ieſus: **Non** b Apoc. 3.
eſt, inquit, opus medico ualentibus.]
Seipſum intelligit Chriſtus, qui quidem uerus &
unicus infirmis medicus erat, & Saluator omni-
bus malè habentibus, qui de peccatorum ſuorum
languore turbati, Saluatoris ac uiuificatoris me-
dicinam expoſcerent ex animo. Et hunc peritiſsi- c Coloſſ. 3.
mum medicum olim oſtenderat Dauid, quando di Pſal. 106.
cebat: Miſit Deus uerbum ſuum, & ſanauit eos.
per uerbum hunc Dei filium intelligens, qui in
principio fuit apud Deum, & ſine quo factum eſt
nihil, &c. Quod autem Chriſtus ſubnectit ex
Propheta, facit, ut admoneat falſa iuſticia tumen-
tes, quomodo per opera miſericordiæ ſibi ſuper-
næ miſericordiæ præſidia conquirant, & minimè
confidant contemptis pauperum neceſsitatibus,
per oblationem ſacrificiorum ſe Dominum pla-
caturos. Ponitur ergo declaratio miſericordiæ
Dei, & oſtenditur, quibus detur & quibus de-
negetur, utpote hypocritis & apertè malis, qua-
les erant phariſæi, miſericordiam in qua conſiſtit
uera iuſticia, minimè exhibentes: quos proinde d Pſal. 17.
Chriſtus ſæpiſsimè comparauit ſepulchris deal-
batis, & monuit diſcipulos cauere à phariſæorũ
fermento. Etſi enim ſacrificia ipſi Deo proba- Matth. 23.
rentur: multo pluris tamen faciebat opera chari-
tatis, quàm ſuum honorem, ob miram in hominẽ
benignitatem, quem ut nobiliſsimam creaturam
mirè diligebat. Vnde etiam in extremo iudicio
nullam exiget fidem, aut quid aliud, ſed ſola mu-
tuæ charitatis opera. quamobrem præclarè in-
quit Ambroſius: Nihil tam commendat Chriſtia- Ambroſ.
nam animam, quàm miſericordia. Sequitur,
Non enim ueni uocare iuſtos.] Imò ut

Sapien.5. omnes eſſent iuſti, de quibus dicitur: Iuſti in perpetuum uiuent, et apud Dominum eſt merces eorum. Ergo uenit Ieſus uocare iuſtos, et non iuſtos: id eſt, peccatores. Iuſtos quidem, hoc eſt, iuſticiã facientes ad perfectiorem uitam: & non uenit uocare iuſtos, id eſt, qui ſe iuſtos eſſe putarent, & minimè ægrotos. Hi enim fallaciter ſuam iuſticiam cõſtituentes, iuſticiæ Dei ſubiecti eſſe nolunt: peccatores autem fragilitatis ſuæ probè conſcij, profiteri haud erubeſcũt: In multis offendimus omnes. hiq́; peccata ſua ſentiunt, et ad pœnitentiã incitantur, & fit ut magis magisq́; iuſtificentur. Porrò magnum hic nobis offertur myſterium. Cum enim omnes peccatores ſint ante conſpectum Do-

Lucæ 1. mini (quod enim de Zacharia & Elizabeth ſcriptum eſt, humanæ iuſticiæ tribui debet) ob quam cauſam omnes illi, de uenturo ſaluatore cogita-

Lucæ 2. runt. Hinc etiam Simeon iuſtus aiebat: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum uerbum tuum in pace, quia uiderunt oculi mei ſalutare tuũ, &c. Venit filius Dei Ieſus ad redimendos omnes. Quòd ſi modò multi uocati nõ ſaluabuntur, equi-

a Exod.3. dem non Chriſto, ſed illis ipſis imputandum erit. Quoniam ipſum ueniſſe certum eſt, atque adimpleſſe quæcunq́; fieri oportebat, ita ut ſatisfactum ſit diuinæ uoluntati. Dum ergo et nunc uocat uerbo ſuo, inuitatq́; ad cœleſtes illas epulas, & ut ipſum ſequamur quantum poteſt prouocat, excitatq́; torpentes ac deſides, & altum multi in uitijs ſomnũ dormiunt, huius mundi illecebris faſcinati: non'ne ſuæ propriæ perditionis authores & cau-

Oſeæ 13. ſa exiſtunt? ita ut profiteri eos oporteat, Meritò hæc patimur. & uerũ ſit quod olim & ad Iudæos dictum eſt: Perditio tua ex te Iſrael, ex me autem auxilium tuum. Qui igitur habent aures, audire poſſunt.

DOMINICA DECIMAOCTAua Euangelium, Matthæi 22. Phariſæi audientes, quòd ſilentium impoſuiſſet Ieſus Saducæis, &c.

b Geneſ.4.
c Geneſ.6.

CVm iam Iudæi pleriq́; à recto patrum tramite deuiaſſent, impiam igitur uiuerent uitam: factum eſt ut etiam legem & prophetas ma-

d Geneſ.12. lè tractarint, & quiſque ferè ſuum ſenſum, iuxta Prophetam, ſit ſecutus. Accidit itaq́; ut uariæ tum opiniones tum ſectæ inter illos exortæ ſint, ita ut

Vide Ioſephũ lib.18. capite 2. quælibet ſecta ſuum anteſignanum propriũ'que nomen, aut ſi mauis, appellationem haberet. Hinc alij dicti ſunt Phariſæi, hoc eſt, ſcripturarũ interpretes & ſeparati, & ij iuxta Scripturas diuinas aſſerebant animas hominum immortales, & reſurrectionem futuram. Quibus mox alij reſiſtentes, prophetas reprobauerũt, & ſolis quinq́; libris Moyſi contenti, animam hominis dixerunt mortalem, unaq́; cum corpore interire. Et ij Saducæi uulgò appellati ſunt. Tertium quoddam genus fuit apud Iudæos, Eſſæi dicti, quorũ admirandũ quoddam dogma erat, nimirum uxores non ducendas, & omnia communia eſſe debere. Et ij quoniã ſingulare inſtitutum eligebant, haud multũ curabantur. Et Saducæi obſtinati et peruerſi homines Domino Ieſu imponere uolentes, talem, Euangeliſta teſtante, quæſtionem propoſuerunt. Cum ſeptem fratres unam habuiſſent uxorem: cuius'nam illa futura uxor in reſurrectione mortuorum? Et Ieſus ſapientiſsimè reſpondens, nodum illum ſoluit, alium dicendo fore ſtatum poſt hanc uitam, ita ut ſelecti ſimiles futuri ſint angelis in cœlo, qui neq́; nubent neq́; nubentur. quantum uerò ad reſurrectionem attineat, certum ſit neminem demori, ſed uiuere ſecundũ animam, ſiquidem Dominus Deus dixerit: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.[a] Quomodo autẽ poſſet Deus, Deus eſſe rei non exiſtentis? igitur eos adhuc eſſe ac uiuere neceſſe eſt, idq́; propter æternam felicitatem, quam Deus ipſe præparauit diligentibus ſe. Cæterùm impoſito ſilentio Saducæis præſtigiator ille alios ſuſcitat, à quibus impiè diuexaretur filius Dei. Et unus interrogat, ut uidelicet, dicente Chryſoſtomo, ſi confuſus eſſet, ſolus uideretur confundi: ſi uerò uiciſſet, omnes uiderentur per eum uiciſſe. ait autem: Magiſter.] Inter Iudæos grauis quæſtio mouebatur. Alij enim hoſtias & ſacrificia extollebant, dicebantq́; hoc unico cultu homines Deo fieri gratos. Alij uerò fidei & dilectionis opera præferebant, hoc commoti argumento: quia plurimi patrum ante legem & abſque omni ſacrificiorum conſuetudine, ex fide tantum ac dilectione Deo placuiſſent: ueluti Enos, de quo ſcriptum eſt,[b] Quoniam cœpit inuocare nomen Domini. Item Noe,[c] qui inuenit ut iuſtus atque perfectus gratiam coram Domino, & pereunte uniuerſa carne liber euaſit ſolus cum ſuis. Necnon Abraham, cui ſumma benedictio promiſſa fuit, modò ambularet cum Deo, eſſet'que rectus,[d] uti equidem erat. Verùm hæc omnium optima opinio fuit, unde etiam Chriſtus reſpondens legiſdoctori, dixit: Diliges Dominum Deum tuum.] Dilectio nihil aliud eſt quàm uera in Deum beneuolentia, propter uerum bonũ, & hæc excellit omnes uirtutes. Diligitur autẽ Deus ex corde toto, quãdo uolũt homines Deo

omne

omne bonum, omnem perfectionem, quam tamen ab initio habet, abſq; noſtra uoluntate: ſed ut ſaltẽ uideat, quàm bene cupiamus ei ex animo. Sic animá diligunt tota, ubi nullis potentijs ac ſenſibus contra Dei uoluntatẽ faciunt. Et mente tota, dum inquirunt, ſtudent, omniq; ſtudio faciunt ea quæ Deus præcepit: quæ breuibus D. Apoſtolus abſoluit, Coloſſenſibus cum ſcripſit: [a] Omnia quæcunque fecerimus in uerbo aut in opere, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti faciamus, gratias agentes Deo patri per ipſum. Quòd autem adeò diligi uoluit Deus à ſuis Iudæis, ratio eſt, quia ſummum eſt bonum, deinde quia [b] nobilem facturam hominẽ fecit Deus, utpote animam ratione inſignem, & ad imaginem ſui: præterea multa cõferebat bona, maiora etiam ſubinde addendo. Quid igitur nos, qui non ſolum ad imaginem ipſius Dei creati ſumus, uerumetiã per mortem unigeniti filij ſui erepti de duriſſimo Pharaonis imperio, et morte perpetua, & glorioſæ beatitudinis capaces effecti? ſic enim Scriptura dicit: [c] Vſqueadeò Deus dilexit mundum, ut unigenitum ſuum daret, &c. Non'ne hæc mirãda erga nos Dei patris charitas eſt, quòd unigenitum ſuum filium dedit pro nobis, ut uitam habeamus æternam? **Secundum ſimile huic.**] Qui uerè diligit Deum, odio minimè habet quæ Dei ſunt. qui igitur diligit Deum, hominem ut diligat neceſſe eſt, quem fecit Deus. Secundum igitur hoc mandatum iubet, ut quiſq; ſuũ proximum diligat, non quidem ut Deum, ſed ut ſeipſum: quod equidem fit, quando ad mores bonos, & æternã uitam conſequendam, ſicut nobis, proximo conſulimus, & ipſius pericula malaq; noſtra eſſe cenſemus, ita ut parati ſimus ſubuenire quantum uires noſtræ ferunt. **In his duobus mandatis.**] Tropus eſt haud inelegans, & ſacræ Scripturæ conuenientiſſimus, quemadmodũ & ille apud Lucam, quo Abraham epuloni reſpondet, ac ait: Habent Moſen & Prophetas, audiant illos: qui tamen in humanis multis ab inde annis non fuerant. Itaq; lex & Prophetæ ſunt: quæcunq; illa lex ac Prophetæ docuerunt, & ea omnia ad unum illud tendunt ac rediguntur, ut diligas Dominum Deum tuum, & proximum tuum ſicut teipſum. ob quam cauſam Paulus dixit: [d] Plenitudo legis eſt dilectio. **Congregatis autem ſic Phariſæis.**] Bene quidem Phariſæis, quoniam omnium peritiſſimi ſacræ Scripturæ uolebant haberi. Idcirco potuerunt quidem in principio cognoſcere Ieſum eſſe uerum Chriſtũ, uerum ideoq; Deum & hominem. Poſtquam autem ex liuore & inuidia in inſaniam lapſi ſunt, cœperunt deprauare Scripturas, teſtificantes de eius diuinitate. licet & alij hoc quoq; errore tenerentur, Meſchiam credentes redempturum hoc pacto Iſrael, ut excuſſo onere Romanorum regum, ſub liberis, ut antea, degerent uiris. quod hinc elicitur, quia diſcipuli in Emaus iter facientes, ſolum Lucæ ult.
proferebant id ſe expectauiſſe, quòd redempturus
eſſet Iſrael Propheta magnus, quem Ieſum dixiſ- a Coloſſ. 3.
ſent. Mouet ergo Ieſus Phariſæis congregatis hãc
quæſtionem: **Quid uobis uidetur de Chriſto.**] Nouerant illi ſemen illud benedictũ
Abrahæ certò uenturum, & quàm fideliter patri-
bus commendaſſet Moſes Prophetam poſt ſe ex Eſaiæ 61.
Iudæis naſciturum: & quia ex Propheta didice- b De dignitate hominis uide D. Bernhardum.
rant talem ungendum, non more aliorum regum
uel ſacerdotum, ſed ſpiritu Domini proprio, &
quem cæteri quoq; Prophetæ Chriſtum Domini
appellaſſent, de hoc ſolo multum ac frequenter diſputarunt. **Dicunt ei, Dauid.**] Ex pſal- Pſal. 131.
mis hoc Dauidicis hauſerunt reſponſum, necnon
propheta Hieremia dicente: Ecce dies ueniunt, di- Hier. 23.
cit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, c Ioan. 3.
&c. Et hoc perappoſitè reſponſum erat, modò rectè ſenſiſſent de illo filio Dauid, & hoc quantum ad diuinitatem attinet, quam propter cæcitatem non intelligentes, planè impugnabant. Si ergo, inquit Ieſus, Dauid uocat eum Dominum, quo pacto filius eius eſt? Enimuerò oportet Chriſtum quid maius ac præſtantius eſſe quàm purum hominem, prout uos uultis. Hæc eſt igitur fides uera, & ſententia firmiſſima de Chriſto, quam Chriſtus dicit eſſe uitam æternam, ut credamus, & confi-
teamur (Athanaſio docente) quia Dominus no- In ſymbolo.
ſter Ieſus Chriſtus Deus & homo eſt: Deus ex ſubſtantia Patris, ante ſecula genitus: & homo ex ſubſtantia matris, in ſeculo natus, &c. quemadmodum dilucidè ac integrè docuerunt ſacrarum literarum cõditores, ut Dauid, cuius hæc
ſunt uerba: Tu es filius meus, ego hodie genui Pſal. 2.
te. Sic enim refert, patrem Dominum ad filium
Dominum dixiſſe. Et Eſaias, ubi inquit: Paruu- Eſa. 9.
lus natus eſt nobis, & filius datus eſt, Deus fortis, &c. Quibus ipſe uerbis non tantum exprimit ac docet diuinitatem Chriſti, ſed & huma-
nitatem quoque, de qua & hæc ex alijs Scriptu- d Rom. 13.
ris teſtimonia proferre debemus. Primum quod Eſa. 7.
Eſaias ſcripſit: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel: hoc eſt, nobiſcum Deus. Itemq; ſuper hac re ab
ipſis ſunt prodita Euangeliſtis, Luca uidelicet, Lucæ 1.
quum dicit angelum locutum eſſe uirgini: Ecce
concipies, &c. Et Matthæo qui angelum Ioſeph Matth. 1.

dixiſſe commemorat: Quod in ea natum eſt, &c. Quæ uerba ſanctus Ioannes breuibus comprehendit, ac aperit totius rei negociū: Verbum, ait, caro factum eſt, et habitauit in nobis. Verùm hæc res tam plana nulli unquam fieri poteſt: generationem enim (ait Propheta) quis enarrabit? quin cum Apoſtolo exclamandum ſit: O' altitudo diuitiarū ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Quid enim ſit hoc, In principio erat uerbum, et uerbum erat apud Deū, & Deus erat uerbum, & uerbum caro factū eſt: humana ratio ad plenum ſiue exactiſſimè nunquā aſſequetur. Cum ergo ſola fide olim non contenti homines quidam, ſed ea ratione & ſenſibus metiri uellent, fœdè errarunt, ac miſerè lapſi ſunt: ut Apollinarius, cuius opinio ac error fuit, Chriſtum ſuſcepiſſe quidem carnē, ſed expertem animæ. A' quo Neſtorius eò ueſaniæ dum rediit, ſic diſcrepaſſe oſtenditur, ut aſſerere haud cunctatus ſit Chriſtum natum hominem, ſed eum qui gratiam aſſecutus talem, ut potuerit imperare ſpiritibus immundis. Eutyches autem & Valentinus dixerunt, filium Dei apparenter tantum ueniſſe, & corpore phantaſtico. Sed Eccleſia decreuit uerbum carnē factum: hoc eſt, uirginem Deum genuiſſe in carne uerum hominem. Conſtat autem homo uerus uero corpore & anima rationali, et proinde ſanctiſſimi uiri diuam Mariam Theotocon & Deiparā dici ſtatuerunt. Sufficit itaq; ut ſimpliciter credāt Chriſtiani, Chriſtum ex Dauide ſecundum carnē uerum hominem, ex Deo uerò Dei filium, unigenitum à patre, plenum gratiæ & ueritatis, à quo uniuerſa ortum habent, & per quem effecta ſunt, & in quo continentur & uertuntur omnia: ipſi gloria in omne æuum, Amen.

[Margin: Ioan.1. Eſaiæ 53. Rom.11. a Eſaiæ 14. b Gen.3. Errores circa filium Dei Ieſum Chriſtū. c Vide Eraſmum. d 1.Cor.15. e 1.Pet.2. f Lucæ 16.]

IN DIE OMNIVM ANGElorum, præcipuè autem Michaelis archangeli Euangelium, Matth. 18. Acceſſerunt ad Ieſum diſcipuli, &c.

DIſcipuli ut carnales homines cum rem ſalutis atq; Chriſti myſterium, quæq; erant ſpiritus, haud bene intelligerent, reſcire cupiunt quē tanquam maiorem ordinaſſet Chriſtus in regno cœlorum. Et hoc interrogandi à Domino occaſio fuerat, quid Ieſus iuxta morem ac conſuetudinem, tributum uel cenſum Romanorum præfectis dare uoluit pro ſe atq; Petro, ut ſcilicet ſcandalum euitaret, & oſtenderet temporum habendam eſſe rationē. Hinc moti ſunt cæteri quaſi Petrū iam ſibi Dominus uellet ſuccedere, ac cæteris ſuperiorem eſſe. Verùm Chriſtus, ut omnium bene conſcius, quem latebat nimirum ſecretum nullum, imò omnia patebant, uanas illorum cogitationes atq; morbum animorum longè peſſimum, ambitionem ſcilicet, & huius mundi affectus ſanare ſtudens, neminem docuit ad regnum cœlorum uenturum, niſi humillimum. longè enim diuerſum ſe habere huius mundi officia, pariter ac actiones, atq; regni illius in cœlis nunquam deſituri. [a] Lucifer propter ſuperbiam cecidit: [b] Adam factus eſt mortalis, & iræ Dei filius, non certè ob aliud quàm quòd concupiſceret dijs ſimilis eſſe. Vt autem aptiſſimè rudes eos inſtruat, aduocatum paruulum ſtatuit in medium eorum, & dixit: Amen dico uobis.] Paruulum, ait Chryſoſtomus, mea quidem ſententia, qui ab omnibus paſſionibus eſſet liber, in medio ſtatuit, ut ſimilitudinem innocentiæ demonſtraret: [c] Paruulus enim non ullis carnalibus afficitur, cū rebus planè nihili delectetur. Vnde prouerbium natum eſt, Relinquere nuces: ab ipſis nimirum pueriliter pueris ludentibus. paruuli omnē curam & ſollicitudinem in ſuos proijciunt parentes, unde nec ullas appetunt diuitias. nullius deniq; apud illos eſt dolus aut fraus: ſed quæcunq; cogitata proferunt, nulli imponunt: & irati non retinent rancorem, ſed facilè ac ſtatim condonant. Et tales profectò uult eſſe ſuos Apoſtolos, atq; omnes. idq; iuramento confirmat eſſe oportere, cum inquit:

Amen dico.] Nec enim de ætate illud dictum eſt, quemadmodum Nicodemus intelligebat Chriſtum de renaſcendo homine: ſed innocentia, quemadmodum Apoſtoli docent, [d] dicentes: Nolite fieri pueri ſenſibus, ſed malicia: [e] ſenſib. perfecti eſtote, quaſi modo geniti infantes rationabiles, & ſine dolo lac concupiſcite. Quid enim diſtarēt ſiue differrent filij huius ſeculi & filij lucis, ſi amborum idem eſſet ſtudiū, & una actio rerum iſtarum? quamobrem quoq; dictum eſt à Domino: [f] Filij huius ſeculi ſunt prudentiores filijs lucis in generatione ſua. Paruulorum itaq; innocentiam Chriſtus ſuis commendat Apoſtolis, ut ſcilicet alieni ſint ab omnibus affectibus ambitionis & inuidiæ, & ut unuſquiſque à Deo ſuo dependeat, manens in ſua qua uocatus eſt uocatione. Hoc unum porrò eſſe neceſſarium, ut primùm quæramus regnum Dei & iuſticiam eius: cætera quoniam daturus ſit pater noſter cœleſtis, qui optimè nouit quantis indigeamus, & opus ſit nobis. Et quid uſqueadeò ſollicitos nos eſſe oportet, cum homo ſit fœnum, & ſicut flos agri, imò bulla? nec ſumit ſecum quicquam. & cum nec gloria cū ipſo deſcendat, ſed cum dixit ſpiritus ut requieſcat à ſuis laboribus, opera tantum ſequuntur illum?

lum. Cæterùm ut bonis bona facias, in unũ Chriſtum coniiciendi ſunt oculi, ut in ipſius nomine facias quæcunq; facturus es. Nec captes humanam gloriã, more hypocritarum facientiũ omnia ut uideantur ab hominib. Hoc ſit omniũ noſtrûm inſtitutum, ut fideles diſpenſatores nos exhibeamus de bonis à Deo nobis cõceſſis, ſicq; erimus in omnib. fideles proximis noſtris, & hoc ſe approbaturum atq; remuneraturũ promittit Chriſtus, cũ inquit:

Et qui ſuſceperit.] Suſcipit Chriſti puſillum in nomine Chriſti: primùm quiſquis eum ſalutis uiam docet, ac promouet quoquomodo ut filius Dei efficiatur. Hocq; tanto maius eſt, quanto precioſior eſt anima corpore. Ergo quoties illum quis errare facit, ac perditum iri puſillos Chriſti, maximam pœnam haud euadet, quòd Chriſtus dicit in profundũ mergi, per hoc pœnã illã æternã intelligens. Quid enim precioſius anima Chriſtiani hominis, Chriſti precioſo ſanguine redempta? Deinde ut inuicẽ membra ſumus, ita alter alterius miſeriam leuare debet: potiſſimũ autem illi quibus commiſit Deus curam erga gregem ſuum. Et ut maximum corã Deo opus eſt, omnibus prouidere quib. à Deo demandatũ atq; conceſſum fuit: ita ſane tyrannis atq; dormientibus præpoſitis clamando improperat Chriſtus, ac dicit: [a] Saule Saule, quid me perſequeris? [b] Quamdiu feciſtis uni ex minimis meis, mihi feciſtis. Quanquã autem non ſit eligendus, cui benefacias in nomine Chriſti Ieſu: illis tamen potiſſimùm beneuolentiam impendere debemus, in quorum uitæ moribus Chriſtum eſſe cognoſcimus, iuxta illud: [c] Deſudat eleemoſyna in manu tua, donec inuenias iuſtũ. Vt igitur indiſtinctè omnibus danda eſt eleemoſyna (non enim ex uita, ait Chryſoſtomus, eorum retributurus eſt tibi Deus mercedem, ſed ex uoluntate & miſericordia, qua Chriſtum ſuſcipis) danda tamen potius bono quàm malo. Neceſſitate uerò urgente omni ſubueniendum, ne pereat. quod Ambroſius his uerbis oſtẽdit: Paſce fame morientem: ſi non pauiſti, occidiſti. Væ mundo à ſcandalis.] Scandalum Græca dictio eſt. Et eſt dictum aut factũ minus rectum, præbens alteri ruinæ occaſionem: igitur omnes facilè alijs ſcandalo eſſe poſſunt, tum publicæ, tum priuatæ perſonæ. Quamprimum ergo poteſtas à Deo ordinata non ſuum officium facit, grauiter ſcandalizantur ſubditi, præſertim in rebus diuinis malè tractatis, illi facilè calumniandi eas ac reiiciendi anſam arripiunt, ut nunc quidẽ fieri uidemus. Putat & ignobile uulgus quæcunq; licere, quòd ſi ſpiritualium præpoſitorum in hoc uideatur defectus. Eodem quoq; modo fieri ſolet, cum auariciæ & luxui ſtudent, & planè indulgent principes ac magiſtratus, interim nihilominus expilantes miſerrimam plebeculam: quemadmodum ſatis exemplo eſſe poteſt tumultus ille ruſticorum. Quòd ſi igitur pes atq; manus ſuum faceret officium, res tam deplorandæ non eſſent credo, ſed ritè ac bene omnia conſtarent. quoniam uerò auris ſurda eſt, & oculus non uidet, pesq; corpori negat greſſum: igitur dicente Chriſto,

Neceſſe eſt ut ueniant ſcandala.] *Neceſsitas eſt ſequentiæ.* Hoc eſt, omnibus in ædificationẽ & non deſtructionẽ nati ſumus, ut meliores reddantur atq; fiãt: ſed hominum peruerſitas in cauſa eſt, ut fieri non poſſit quin plures offendantur, odio & liuore commoti perſequãtur benemerentes. Sed uæ, ait, illi per quem fit ſcandalum.] Summũ malum ſit illis, atq; erit, quorũ uitio omnis generis ſcãdala fuerint nata. Vbi profectò nec illos inſontes dicit, qui in malicia gloriãtur, & exultant in reb. peſſimis. Væ illis quia ducunt in bonis dies ſuos, *Iob 21.* & in puncto deſcendunt in infernum. Quòd ſi nunc non ſolum nobis ipſis uerbis ac factis, uerùm etiam alijs à fide alienis ſcandalo ſumus: profectò cæcior talpa ſim. quamobrem Chriſtum ſubinde clamare credo (uæ mundo) ſed fruſtra, quoniam induratiores Pharaone pleroſque eſſe uidemus. *a Act.9.* Cæterùm nõ tamen omne ſcandalum malum eſt: *b Matth.25.* ſic enim peſſimè egiſſet Chriſtus, quòd abſit, quoniam ſcandalum præbuit Iudæis ſua ſanctiſſima caſtiſſimaq; doctrina, qua ſummam eorum impietatem & nequitiam carpebat, nihil hic ſiniſtrè actũ fuit ab eo. *c Eccle.39.* quòd enim illi ſcandalizati ſunt, in cauſa fuit, liuore ac odio plenus omnium animus. Hoc igitur ſcandalum ſic adeò non omittendum, ut frequenter ſit faciendum, quo doceatur ueritas, ac defendatur iuſticia, probitaſq; uitæ. Etſi itaque pio præconi dicatur, Nolumus hunc regnare ſuper nos, quia contrarius eſt operibus noſtris: non tamen cœpto deſiſtendum illi erit, quoniam Dominus dicit: Clama, ne ceſſes, & annuncia populo ſcelera eorum. *Eſaiæ 58.* Si autem manus tua.] Neminem tam obtuſis ſenſibus reor eſſe, qui hoc dictum uelit de pedibus corporis, &c. quos à Deo formatos ac conceſſos habemus: ſed ut iuxta tropum, per membra affectus membrorum intelligantur, & ut ſenſus ſit: *Eraſmus, affectus ſenſit amputandos qui nos auocant à cura ſalutis æternæ.* Quandoquidem lex Domini ſanctumq; Euangelium mandat atque iubet, ut diligas Deum & proximum tuum ſicut teipſum: igitur fuge ac reiice quàm primùm, quicquid te inde auocat: ſit uel uiſus, uel auditus, uel opus ipſum. ſatius eſt enim, ut genio tuo non indulſeris, & inæternum uiuas:

quàm

quàm ut omnẽ uoluptatem habẽdo in æternũ.poſt
huius uitæ illecebras ac uoluptates, in ignem mit-
taris. Hæcq́; Chriſti uerba Paulus apoſtolus cla-
Coloſſ.3. ra atq; aperta ut facere uoluit Coloſſenſibus, tali
ſchemate dicendi eſt uſus: Si, inquit, conſurrexiſtis
a 2.Cor.11. cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, &c. &
mox: Mortificate membra quæ ſunt ſuper terram,
fornicationem, immundiciam, libidinem, concupi-
ſcentiam malam, &c. Fidelis admonitio, ut non in
æternum exitium ueniant, propter carnis curam
Lucæ 16. atq; huius mundi illecebras. Audiamus & nos, ob
oculos ponẽtes diuitem illum epulonem, & animo
Matth.16. concipientes quod Saluator nobis dixit: Quid
prodeſt homini, ſi uniuerſum mundũ lucretur, ani-
mæ uerò ſuæ detrimentum patiatur? Videte
ne contemnatis.] Etſi coram oculis hominũ
deſpectui habeantur inſontes innocẽtesq́; ac pro-
bi, ſimiles paruulo iſti: coram me tamen in precio
habentur: unde qui illos tangit, tangit pupillã ocu-
b Rom.8. li mei. Angeli enim illorum ſemper uident faciem
patris mei qui in cœlis eſt. Nobiliſſimam oſtendit
hominis naturam, qui à Deo proprium angelum
ut cuſtodem accipiat. Quantũ uerò ad hunc diem
attinet, angelos ſibi miniſtros creauit Deus, quo-
Apoc.12. rum princeps Michael factus, diſturbauit ſuperbũ
& ſeditioſum angelum, cum omnibus complicibus
Lucæ 1. eius. Alter uerò Gabriel annũciauit gaudium uni-
c 2.Theſſ.3. uerſo mundo, quando uirginem ſalutauit, & eam
fore dixit matrem altiſſimi filij Dei Ieſu Chriſti,
d Rom.15. per quem homines liberati à peccatis, angelis con
Lucæ 16. ciues futuri ſint. Demum portarunt angeli Laza-
rum in ſinũ Abrahæ, & in paradiſum: nunc quoq;
portant animas iuſtorum. & ut nos quoq; ſubue-
e Actor.12. hant ad Chriſtum noſtrum, faxit Deus.

DOMINICA DECIMANONA
Euangelium, Matth.9. Aſcendens Ieſus in nauiculam, &c.

Diuus Hilarius: Humani generis cauſa, inquit, Dei filius natus ex uirgine eſt, Spiritu ſancto ipſo ſibi in hac operatione famulante, &c. Etſi itaq; Capernaum tranſire potuiſſet, quẽ diſcipuli ſuper mare ambulantem uiderunt: noluit tamen, quo incarnationis myſterium ad æternam ſalutem neceſſarium oſtenderet, ſuæ diuinæ naturæ unitum, ut Deus et homo unus eſſet Chriſtus. Quod autem Euangeliſtæ deſcribunt paralyticũ à quatuor portatoribus, cum præ multitudine ingredi nequiſſent, tecto patefacto ante Chriſtum dimiſſum: magnam eorum certè fidem & fiduciã in Chriſtum oſtendere uoluerunt. Videamus ergo pietatem atq; humanitatis expreſſam ſpeciem in illis offerentibus, quæ certè nos docent, quàm oporteat mutuam exercere familiaritatem pariter ac dilectionẽ. qualem certè fuiſſe apud ueteres Chriſtianos uel inde perſpicuum eſt, quod Paulus Corinthijs ſcripſit: [a] Quis infirmatur, & ego non infirmor? oſtendens ſe quaſi in ipſa paſſione eſſe, & conturbari uel commoueri aliorũ infirmitate atq; miſeria. Et quid ni? cum non tantum ex una conſtemus carne, ex uno nimirum prognati parente Adamo, licet diſtinguat nos principatus neceſſarius pro totius reipublicæ ſtatu concordiaq́; tuendæ: uerum etiam quòd ſumus inuicem membra corporis myſtici, cuius caput Chriſtus eſt, eodem ſanguine redempti ab illa ira Dei æternaq́; damnatione quæ ab Adam ex propagatione in omnes defluxit. nec ſolum hoc, ſed quia uerè nos liberauit filius Dei, omnes nos manet ingens præmium & hæreditas, nimirũ ſumma & æterna felicitas in cœlis, quemadmodum Apoſtolus oſtendit, dicẽs: [b] Sumus hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti.

Videns autem Ieſus fidem illorũ.] Hic piè credi poteſt, hominem à Deo gratiam & gratiæ augmentum conſequi poſſe, interceſſione, oratione, & fide alterius. Egregia inſuper hac de re cum extent exempla, quando Paulus licet uas electum Chriſti ſui, [c] tamen rogauit Theſſalonicenſes orare pro ſe, quo ſermo Dei currat & clarificetur, & ut liberari poſſet ab importunis & malis hominibus. [d] Et in hunc ferè modum Romanis ſcripſit quoq; per charitatẽ ſancti Spiritus eos obteſtans. Et haud nullius momenti eſt, quòd Eccleſia pro Petro incarcerato preces ad Dominum fudit aſſiduas. [e] Sic quoq; piè paruulos in fide ſuorum offerentium olim tinctos fuiſſe conſtat: eoſq́;, reſpiciente Chriſto fidem Eccleſiæ ſuæ, necnon petentium paruulorum ſalutem ex animo, per meritum Chriſti, ac gratiam Spiritus ſancti fuiſſe purgatos, et aſcriptos regno Dei: nec inuentum iſtud nouum eſt neſcio cuius hominis, obſeruatum Eccleſiæ munus eſt ſiue officium ante multos annos. teſtantur hoc ipſum Cyprianus, Origenes, & Auguſtinus. Quomodo igitur non errant, qui paruulos baptiſmate ſancto priuant? compertũ equidem habemus hunc errorem tempore Auguſtini Eccleſiam diuexaſſe, & poſtea ſanctum monachum agente diuo Bernhardo. Abeant ergo noui errorũ ſepultorum reſuſcitatores.

Et ait Chriſtus: Fili confide.] Scriptura dicit: Longè à peccatoribus ſalus. Et ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereunt peccatores à facie Dei. Quid igitur niſi miram hic Chriſtus uoluit

oſtendere bonitatem atq; miſericordiam. quòd hominem non tantum diſſolutum atq; deſpectum, ſed & maximum peccatorem, ſuum filium uocat: qui ut uerus Deus, non uult mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur, & uiuat. Homines enim in ſalutem genuit, unde eos uult ſaluos fieri. Quòd ſi igitur ſeuera ſententia condemnat, non homines condemnat, ſed peccata quibus illi ſeruierunt. Magna itaq; hic conſolatio nobis offertur gratiæ & remiſsionis peccatorum, cuius tam euidentiſsima exempla demonſtrata fuerunt, ut Magdalenæ,[a] quam licet inſignem meretricem, in gratiam ſuſcepit. Item latronis, cui à dextris ſibi pendēti reſpondit Ieſus: Hodie mecum eris in paradiſo. Nemo igitur, licet inueteratus peccator, de miſericordia Chriſti Ieſu deſperet, ſicut Cain dicens:[b] Maior eſt iniquitas mea, quàm ut ueniam merear:[c] & ut Iudas, qui deſperatus ad reſtim rediit, nunquam quoq; miſericordiam mitiſsimam ultrà ſentiet Dei. [d] Imò potius cum Dauide, qui & ipſe peccator fuit maximus, nempe adulter atque homicida, ad thronum miſericordiæ confugiat, iuxta Pauli admonitionem,[e] piam iuxtà ac fidelem, & hoc omni hora & omni tempore: quia miſericordiæ Dei nec menſuram ponere poſſumus, nec tempora definire, apud quem nullas moras ueniæ patitur conuerſio.

Remittuntur tibi peccata.] Oſtendit eum propter peccata fuiſſe morbo percuſſum, & ideo non poſſe ſanari niſi prius peccatis dimiſsis. Ergo peccatum eſt cauſa ægritudinis? eſt quidem, ſed non ſemper: quoniam, Gregorio docente, Iob non ulcere peſsimo laborauit, ut in eo uitia purgarentur, ſed ut merita creſcerent,[f] & propter probationem, & patientiæ declarationem: quoniam ſimplex & rectus erat, timens Deum, et recedens à malo. Sicut nec cæcus factus eſt[g] Tobias ex calidis ſtercoribus hirundinis, quaſi peccans, quū pius in ſuos eſſet, & rectus coram Deo: ſed ut poſteris daretur exemplum patientiæ eius. Potiſsima tamen morborum cauſa peccatū eſt, & hoc aut ad punitionem præuiam pœnæ gehennæ: [h] ut in Herode uidere eſt, qui cum ad populum concionem haberet, et Dei honorem ſibi uindicaſſet, cōſumptus à uermibus expirauit. aut propter peccatum, & eius purgationem: quemadmodum[i] Nabuchodonoſor in amentiam uerſus, cum beſtiis ſeptem annis uixit fœnum comedēs, deinde uerò ſenſu recuperato benedixit Deum. Sic quoq; paralyticus hic propter peccatū laborās, ab optimo medico audit, Remittūtur tibi peccata. Nam more peritiſsimi medici, ægritudinis cauſam aufert, ut deinde quoq; effectus auferantur. Videamus aūt quanta noſtrorū omniū fiducia in Chriſtū eſſe debeat, ut unicum ſeruatorem, omniumq; malorum & calamitatum curatorem, qui ſolus depellere poteſt et corporis & animæ incommoditates. unde dicit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati eſtis, [Matth.11.] et ego reficiam uos. Habeant igitur alij ſuas incantationes, ſuaq; neſcio quæ ſubſidia atq; præter naturā remedia: nos in nomine Dei noſtri Chriſti inuocabimus, dicentes: Dominus illuminatio noſtra, ſalusq;, quem timebimus? Et quidam intra ſe dixerūt: Hic blaſphemat.] Blaſphemare erat apud illos, de Deo falſa loqui, uel indigna, uel dicere Deum peccati authorem: item negare Dei eſſe, quæ omnino Dei ſunt: & demū creaturæ tribuere, quæ ad ſolum Deum pertinent. Solius autem Dei eſſe nouerant, hominibus peccata remittere. quoniam per Prophetā dicebat: Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorū non recordabor. Quia uerò Chriſtū purū hominē eſſe putabāt, blaſphemū eſſe dixerunt, eo quòd remiſsionem peccatorū paralytico promittebat. Cùm aūt peccatorū ratio exactius examinatur, certè uerißimè dictum eſſe fatebimur à Dauide, Tibi ſoli peccaui: licet adulterio perpetrato, etiam Vriam interfeciſſet. Ergo etſi homo hominē lædit, tamen in ſolū Deū peccaſſe dicitur. Peccatū enim unumquodq; in Deū perpetratur: quia quiſquis peccat, Dei mandatū trāſgreditur. Cæterùm quòd ſi nulli, quātuis ſanctiſsimo, dimittēdi peccata poteſtas cōceſſa eſt, ſed ad ſolum Deū pertinet, ut uerum mentiū purificatorē: quid eſt quod claues Petro datas legimus? [Matth.16.] Enimuerò ut datas ſcimus, ita ligandi atq; abſoluendi poteſtatē Petrum accepiſſe uerum erit, tanquā miniſtrū ac inſtrumētum quoddā gratiæ Dei, dicente Ambroſio: Remittuntur peccata per uerbū Dei, cuius interpres Leuita eſt: remittūtur per officiū ſacerdotis, ſacrumq; miniſteriū. Vnde etiā per claues intelligi poteſt ſcientia miniſtrorū, qua dignos ad cōmunionē recipiāt, excludāt uerò indignos: qua authoritate Eccleſiæ ſalus mirū in modū cōſeruata fuit, cū ordo concentiſsimus obſeruaretur, tūc bene habebat religio, et quicquid religiōis erat. Nec mirū eſſe poteſt, unde tā fœda facies Eccleſiæ ſit modò: quoniā ea ſuā amiſit uirgā, qua ſontes et impiè uiuētes corrigere ſolebat olim, quēadmodū apud Paulū uidere eſt in epiſtola ad Corinthios prima, et apud Ambroſiū excōmunicantem Imperatorē. [Hiſt.Tri.lib. 9.capite 30.] Cognita aūt, &c.] Vt Deus erat Chriſtus, ita cogitatiōes eorū malas cognouit. Ille ſolus eſt quē nullus præterit cogitat⁹, et corā cuius oculis oīa nuda et aperta ſunt, dicēte Apoſtolo, [Hebr.4.] ſiue præterierint ſiue ſint ſuperuentura:

a Luc.7.& 23.
b Gen.4.
c Matth.27. Eſaiæ 43.
d 2.Reg.11.
e Hebr.4. Pſal.50.
f Iob 1.
g Tobiæ 2.
h Actor.12.
i Dan.4.

perueniura.ait autem Chriſtus: Quid eſt facilius
dicere? quoniam hoc ſpirituale nubi non eſſe uul-
a Epheſ.5. tis, dum cogitatis me ſolum hominem eſſe: en uo-
bis uiſibile ſignum, ac euidentiſſimum teſtimoniũ,
Eſa.35. quis ſim ego. Quid ait Propheta ueſter? quàm lucu
lenter hæc mea opera expreſſit? Vt ergo in me co-
gnoſcatis latentem potentiam diuinæ maieſtatis:
ſurgat hic paralyticus ex iuſſu meo, ac abeat do-
mum. quoniam de uerbo diffiduis, operationẽ indu
b Eſaiæ 53. cam: Surge, tolle grabatum tuum, &
ambula.] Quòd Helias ac alij miracula fece-
rint, inficias ire nequaquã poſſumus. at longè alio
3.Reg.18. modo. Cùm enim Helias contra Baal prophetas
diuinam uirtutem oſtendere uellet, & è cœlo pete
re ignem, longa ad hoc uſus eſt oratione. Chriſtus
autem ſolo uerbo tam potenter eum reſtituit ſani-
tati priſtinæ, qui miſerè languebat. Quod quidem
inſigne factum, populum in magnam admirationẽ
rapuit, ita ut glorificarẽt Deũ. Hic eſt igitur Chri
c Ioan.1. ſtus fili⁹ Dei uiui, quod ſatis miracula teſtata ſunt,
qui pro nobis peccatoribus redimendis, utq; habe
remus uitam in cœlis æternam, in hunc mundum
uenit. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA VICESIMA EVANgelium, Matthæi 20. Simile eſt regnum cœlorum.

VT Dei unigenitus filius erat Ieſus, ita nemi
nem excludebat, quin abſq; omni diſcrimi-
ne ad ſe inuitaret. et hoc quidem more boni patris,
qui filios ſuos ad uitam ſalutarem nunc paternis ac
blandis uerbis, nunc promiſſis ac muneribus, nũc
uerò minis pœnarum et exhæredationis allicit et
trahit. Cum ergo principio annum Domini acce-
Matth.11. ptum annunciaret Chriſtus: Venite, dixit, ad me
d Vide acta omnes qui onerati eſtis: non hic, nõ ille, ſed omnes,
Apoſtolorũ. qui curis, qui doloribus, quiq; peccatis laboratis:
uenite ad me, quia ſalutem ueſtram maximè ſitio,
Chryſoſt. ego reficiam uos. Et omnis qui reliquerit domum,
Matth.19. uel fratres, uel ſorores, centuplum accipiet, & ui-
tam æternam poſſidebit. Quoniam uerò plures
ſuſquedequè ferebant tam gratioſiſſimam inuita-
tionem, peraptè parabola hac uſqueadeò inſigni
oſtendit, tum Iudæos tum alios in locum eorũ ſur
rogatos regno excludendos, & pœnam inextin-
guibilem habituros. atq; inquit: Simile eſt
e Lucæ 19. regnum cœlorum.] Per iſtas nuptias intel-
ligitur incarnatio uerbi. tũc enim Deus pater, qui
f Matth.23. rex regũ & Dominus dominantiũ, filio ſuo Chri-
ſto Ieſu nuptias fecit, quando naturam humanã co
pulauit naturæ diuinæ in uno Chriſto, & ipſe tan
quam ſponſus prodijt de thalamo, hoc eſt, ex im-
maculata uirgine: & acquiſiuit ſibi glorioſam
eccleſiam, non habentem maculã aut rugam, ſicut
ait Apoſtolus: Miſit ſeruos ſuos.] Pater
ſcilicet, [a]ſuã legem per Moſen fideliſſimũ ſeruũ, po
ſtremò qui populo dixit: Prophetam ſuſcitabit uo
bis Deus ex fratrib. ueſtris, et ipſum audite. quaſi
diceret: Hic erit ille, in quo ſuam uobis certiſſimè
præſtabit promiſſionẽ, Abrahã patri noſtro factã.
At ille parum promouit. Idipſum haud minus dili-
genter expedientibus Prophetis cæteris, Iudæi ta
men uenire noluerũt, [b] ita ut Eſaias duræ ceruicis
populum coram Deo accuſaret, dicens: Domine
quis credidit auditui noſtro, & brachium Domi-
ni cui reuelatũ eſt? occubuit ille propter ueritatẽ,
quemadmodũ Hieremias, et alij nõnulli. Ergo rex
omnipotens in cœlis & ubiq;, iterum miſit alios
ſeruos, uidelicet Simeonẽ iuſtum, Annam prophe-
tiſſam, & demum Ioannem baptiſtam: qui præter
potentiſſimã doctrinã de Chriſto iam nato, ac æ-
terna ſalute præparata, ac etiã ultrò oblata, Chri-
ſtum quoq; digito plebi demonſtrauit, & dixit: [c]
Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mũdi: ecce lex
& Prophetæ cõpleta ſunt, umbra lex futurorũ ce
dat: adeſt namq; ueritas, oblationẽ & holocauſtũ
amplius nõ uult, parate uiã Domino, rectas facite
ſemitas Dei noſtri. Qui quidẽ hac pia exhortatio-
ne cum minimè mouerẽtur, manus ſancto ſancto-
rum iniecerũt, & tanquã impium tradiderũt mor-
ti. Tum fortius inſtiterunt Apoſtoli, nihil referre
dicentes, quoniã ſic definitum eſſet à patre, modò
pœnitentia acta unuſquiſq; baptizaretur in nomi
ne Ieſu Chriſti: occiſo Chriſto pro mundi ſalute
omnia eſſe parata, ſaltẽ uenirent ad nuptias. At il-
li magis tenebras diligẽtes quàm lucẽ, ſuas res cu-
rarunt: reliqui uerò tenuerũt Apoſtolos, & cõtu-
melijs affectos occiderũt. [d]Sic lapidat⁹ eſt Stepha
nus, Iacobus occubuit gladio, & alij uirgis cæſi
extra ſynagogam proiecti ſunt. Quid aũt ad hæc
dixit rex? poſtquã reſciuit omnẽ rem actam, equi-
dem ualde iratus, miſſo Tito et Veſpaſiano miſerè
perdidit homicidas illos, et ait ſeruis ſuis: Qui
inuitati erãt, non fuerunt digni.] Quo-
modo non digni? quia ſeipſos indignos fecerunt,
dum cõtempſerunt ſalubrẽ doctrinam Chriſti &
Apoſtolorũ, et ſalutẽ oblatã pedibus cõculcarunt.
Quæ nephanda ac impia eorũ facta Chriſtus piè
defleuit, ſimulac dixit: [e] O Hieruſalem Hieruſalẽ,
ſi ſcires & tu, & ea quidẽ quæ ad pacẽ tibi, &c.
Et alibi: [f] Quoties uolui te cõgregare, quemadmo
dum gallina cõgregat pullos ſuos ſub alas: & no-
luiſti? Ecce relinquetur uobis domus deſerta. Cæ-
terùm quãdo Iudæi, quib. oportebat primũ loqui
uerbum Dei, repulſo illo, ſe indignos iudicarunt
æterna

æterna uita, ait rex: Ite ad exitus uiarũ.] *Hoc dixit rex Chriſtus Deus noſter iam iam cœlum conſcenſiturus, ubi præcepit ſuis quos è mundo ad hoc munus elegerat diſcipulis, dicens:* [a] *Ite in mundũ uniuerſum, & prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Et illi profecti ad omnes gentes, cõgregauerunt bonos & malos, ſic ut tandẽ totus mundus in uerba Chriſti iurauerit, & impletæ ſint nuptiæ, dum per diuerſitatẽ linguarũ cunctarũ gentes in unitatẽ fidei cõgregatæ ſunt. Porrò ut præcedẽtia ſolum ad Iudæos referri poſſunt ac debẽt, ſic ea quæ hic dicuntur & ſubſequũtur, ad gentes, nosq; omnes qui in locũ Iudæorũ ſucceſſimus, quia credimus in Chriſtũ filiũ Dei, referri debẽt. Ergo nõ eſt Iudæus, neq; Græcus, neq; Scytha, ſed unũ omnes in Chriſto per fidẽ ipſius: unũ hoc tantum reliquũ habẽtes, ut ſimus miniſtri fideles Chriſti, & diſpenſatores myſteriorũ Dei. Ipſe quidẽ peregrè profectus eſt, & tradidit nobis bona ſua, dicẽs: Negociamini donec uenio. Et quid faciet cum uenerit?* Intrabit ut uideat diſcũbentes.] *Hoc eſt, omnes eos qui per uerbũ ad fidem uocati ſunt, & per baptiſmũ adſumpti ad delicias ſempiternas. Omnes enim uno nomine cenſentur tanquã ſalutẽ accepturi. Verùm intrat Ieſus primũ, cum mori neceſſe eſt.* [b] *Hic certè oportet, ne, ut Propheta inquit, ueſtem alienã inueniat Chriſtus, quæ eſt ſordida peccatorũ tunica: neq; nudũ hominem, hoc eſt, fidem dilectione carentẽ. Non enim omnis qui credit eum eſſe Chriſtũ, regnũ Dei intrabit: ſed qui facit uoluntatẽ patris, quæ eſt mandatorum obſeruatio.* [c] *Vnde diuus Petrus: Fratres, inquit, ſatagite ut per bona opera certã ueſtrã uocationẽ faciatis: hæc enim facientes, nõ peccabitis aliquãdo, &c.* [d] *Nam etſi per fidẽ homo in cõmunione fideliũ reperiatur, niſi tamen fidẽ pijs charitatis operibus ipſam adornauerit, nõ partẽ unquã cum electis Dei habebit. Quia enim ille homo ueſtem nuptialẽ, per quã charitas ipſa intelligitur, nõ habuit, audiuit ſatis horribilẽ ſententiã:* Mittite eũ in tenebras exteriores.] *Hoc eſt, in perpetuos cruciatus, ubi anima & corpore demeritas luat pœnas ſcelerũ ſuorũ.* [e] *Vbi bene attendendũ eſt quod Auguſtinus ſcribit: Omnes animæ cũ de hoc ſeculo exierint, diuerſas receptiones habent, gaudiũ boni, mali tormẽta. ſed cum facta fuerit reſurrectio, & bonorũ gaudiũ amplius erit, & malorũ tormẽta grauiora, quãdo cum corpore torquebuntur. Hactenus ille. Verùm qa certũ eſt, hoc potiſſimũ nõ ad Iudæos, ſed Iudæorũ ſucceſſores, hoc eſt, barbaros ſiue gentes referri debere, meritò ait Chriſtus:* Multi ſunt uocati, pauci uerò electi.] *Hoc eſt, multi fidẽ meã perceperũt, multi quoq; et uſq; ad cõſummationẽ ſeculi credentib. ſe admiſcẽt, una fide, uno baptiſmate, et iiſdem ſacramẽtis ab incredulis & infidelibus diſtincti, quaſi eſſẽt ueri filij Dei: at (ut Origenes dicit) ſi quis cõſiderat multitudinẽ hominũ quæ in Eccleſijs cõgregatur, & diſcuſſerit quãti ſint qui cõuerſantur diſciplinatẽ, & reformãtur nouitate ſenſus ſui, quãti aũt negligẽtiſſimè cõuerſantes cõfigurantur ſeculo huic, uidebit quia uerus eſt ſermo Domini: Multos eſſe uocatos, ſed paucos ſaluos fieri, etiã reſpectu ſaluandorũ: non quidẽ quaſi nunquã crediđiſſent, ſed quia malè crediderũt, nõ uiuendo ſecundũ fidẽ atq; præcepta Domini. quẽadmodũ dixit ille: Non omnis q dicit mihi, Domine Domine, intrabit regnũ cœlorũ, ſed q facit uoluntatẽ patris mei qui eſt in cœlis. imò ſatius fuiſſet illis non cognouiſſe uiã iuſticiæ, quàm cõuerti à ſancto mãdato illis tradito. Verùm ut facilè excuſationẽ in peccatis noſtris quærimus, & facilè anſam arripiunt oẽs præſumendi de bonitate atq; miſericordia Domini, fit ut quaſi in diẽ uiuẽtes, in ſolum Chriſti meritũ & ſatisfactionẽ temerè confidãt. quib. profectò ſtatim obijci debet, quòd apud Petrũ legitur: Sic eſt uolũtas Dei, ut benefaciẽtes obmuteſcere faciatis imprudentiũ hominum ignorantiã, quaſi liberi, et nõ quaſi uelamẽ habẽtes malitiæ libertatẽ, ſed ſicut ſerui Dei. Quod igitur dictũ eſt, Nõ miſit Deus filiũ ſuũ ut cõdemnet mundũ, ſed ut mundus ſeruetur per eũ: in hũc ſenſum interpretari debemus, ut ſcilicet Chriſtus mortuus ſit pro peccatis totius mundi, ut quantũ in ſe eſt, ſufficiẽs ſit pro omnib. ut ſit iuſticia Dei p fidẽ Ieſu Chriſti in oẽs & ſuper oẽs qui credũt in eũ, quãdo innocẽtiſſima ſua morte deleuit quod aduerſum nos erat chirographũ decreti, etc. dicẽte Paulo. Deniq; paſſus eſt Chriſt⁹, ut ſit nobis ꝓpitiatio pro peccatis apud patrẽ, ꝓ ijs quæ ex humana fragilitate ſubinde perpetram⁹ peccatis, quoties ea deflẽtes miſericordiam Dei ambim⁹. Sic enim Petro dixit ille: Nõ ſepties, ſed ſeptuagies ſepties remitte fratri tuo, & quoties ueniã precatur⁹ uenit ipſe. Ex his ꝓinde modò dictis, cuiuis cordato manifeſtũ euadit, qs poſſit ſalutẽ ad quã oẽs anhelamus adipiſci, nimirũ is q cõfitetur ſe noſſe Deũ, et factis hoc exprimit atq; oſtendit, re ipſa præſtans quod uerbis pollicetur, ſicut præclarè docet D. Chryſoſtom⁹, cũ inquit: Audiatis qui myſteriorũ participes effecti eſtis, audiatis unde uocati eſtis, à triuijs uidelicet, claudi ꝓfectò, et cæci animo. Vereamini benignitatẽ uocãtis, nemo in ſorditie ueſtitus ꝑmaneat, ſed unuſquiſq; fulgentia operetur animæ indumenta. Hactenus ille.*

a Mar.ult.

Matth.7.

1.Pet.2.

b Sophoniæ cap.1.

Ioan.3.

c 2.Pet.1.

Coloſ.2.

Matth.18.

d In Chriſto Ieſu neq; circumciſio aliquid ualet, neque præputium: ſed fides quæ per charitatẽ operatur.

e Galat.5.

DOMINICA VICESIMA PRIMA

Euangelium, Ioannis 4. Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur.

VT *memor ſuæ promiſſionis* Deus Iudæos
licet peſſimè iam lapſos, atq; fœdè, non ta-
men omnino perditum iri uoluit. Miſit itaq; illis li-
beratorem, Cyrum *uidelicet, regem* Perſarum, *à*
quo loco & cultui ueteri reſtituti ſunt. At ut Ro-
mani toto terrarum orbe potentiſſimi eſſe cœpe-
Gen. ult. *runt, iuxta pij patriarchæ* Iacob *uaticinium,* Iu-
dæa Romanis *ceſſit, & tributaria eſt facta.* Hinc
Romanorum *præfecti ac uice regentes, ex quibus*
a Ioan. 1. *unum & hunc Regulum fuiſſe, ualde doctis uiris*
placet. Hic cum audiſſet.] *Sollicitus*
fuit ille, ne filius ſuus mortem obiret temporalem,
iuxta naturalem ac paternum affectum, quod uel
ob id culpa carere poteſt. At Chriſtiani, *ex quo*
ueram apprehenderunt de ſalute uitaq; æterna fi-
dem, potiſſimum hanc de ſuis liberis curam ac ſol-
licitudinem habere debent, ne animus laborent. Nam
quid precioſius nobiliſſima anima hominis, dum eã
ſuo precioſo redemit ſanguine Chriſtus? *Vt igitur*
ſunt pij ac ueri parentes, ita ſummo ſtudio educa-
re ſatagunt ſuas quas habent proles, ad uirtutes,
b Ioan. 6. *probitatem ac pietatem. utinam pleriq; ſcirẽt quæ*
de his à ueteribus tradita fuerunt, nec non neote-
ricis, ut Geilero *pio concionatore, ac doctiſſimo*
Eraſmo *in libello de* Pueris *liberaliter inſtituen-*
dis: uerè aurea ſunt quæ ibi tractantur. ubi quoq;
inter cætera ait, à parentibus exacturum Deum
quicquid peccauerint filij, & bene quidem: quan-
1. Reg. 4. *doquidem de* Heli *ſcriptum eſt, quia filios ſuos indi*
gnè agentes non corripuit, ideo cecidit retrorſum
de ſella, & fracta ceruice uita functus eſt. Vt er-
go non ſint liberi perſimiles illis deridentibus ſan
4. Reg. 2. *ctum uirum in* Bethel Heliſeum, *& ab urſis, hoc*
eſt, dæmonibus diſcerpantur iuſto Dei *iudicio: pa*
Gen. 22. *rentes imitentur pium* Abraham, *cuius filius uel*
c Ioan. 20. *ad mortem uſq; morigerus ac pius mãſit.* Probum
Tobiæ 4. *item* Tobiam, *nihil magis in uotis habentem quàm*
ut filij ſui atq; nepotes Domino *ſeruirent in ueri-*
d Matth. 13. *tate, omnia ipſius beneplacita facientes.* Deinde
uenit ad Ieſum *Ethnicus ille. diſcant omnes, nemi-*
nem alium quærendum quàm Chriſtum, *qui uitæ*
ac mortis poteſtatem habet. quare etiã abſint om-
nes incantationes morborum, impiæ ac uanæ ſu-
perſtitiones, à deliris uetulis adinuentæ: qua de re
e 1. Cor. 11. *pius lector* Polydorum Vrbinatem *ac alios conſu-*
lere poterit. Dixit ergo Ieſus ad eum.]
Omnes homines peccato obnoxij erant propter
peccatum unius: præterea quum alij poſt alios di-
uerſa loca tenuiſſent, factum fuit, ut pleriſq; omni-
bus in errores inextricabiles incidentibus, cogni-
tio ueri Dei *uariata ſit, & perierit omnis cultus.*
Cæci igitur illi & in umbra mortis ſedentes illu-
minatione indigebant. Verùm *illa præſtari aliun-*
de non poterat (ſiquidem omnes, declinauerant,
factiq; erant inutiles, & omnium hominum iuſti-
ciæ tanquam pannus menſtruatæ) quàm à Deo.
Igitur Deus *generis humani miſertus, miſit filium*
ſuum Ieſum Chriſtum. *Et hic potenter cœpit hu-*
manum genus à cultu prophano ad diuinum cultũ,
ex errore ad uiam ueram, à tenebris ad lucem, à
uitijs ad uirtutem, à morte deniq; ad ueram uitam
reducere, ut meritò dictũ ſit ab Euangeliſta: [a] Erat
lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenien-
tem in hunc mundum. Cæterùm *iſthæc excellen-*
tiſſima doctrina omnem intellectum ac ſenſum hu
manum tranſcendebat, quapropter operibus eam
ſoli Deo *poſſibilibus declarauit, ut qui ſermone nõ*
mouerentur, miraculis ſupra modum ſtupendis
trahi uiderentur. ait ergo: Niſi ſigna &
prodigia uideritis, &c.] *Quaſi diceret,*
oportet per miraculoſa opera teſtatam facere uo-
bis fidem. Potuit & hoc modo Chriſtus Iudæis
perfidis incredulitatis crimen improperare, quibus
ſemper in ore erat: [b] *Quod tu ſignum facis, ut ui-*
deamus, & credamus tibi? Et ita fides uera ac ſoli-
da in Chriſtum, *ſignis et prodigijs obfirmata fuit.*
Non enim ſolum Chriſtus *miracula edidit, ſed &*
Apoſtoli *eorumq; ſucceſſores, donec publicato* E-
uangelio *in uniuerſo mundo,* Chriſtus *propitiator*
creditus fuerit. Et hæc tandem fides, iuxta Aure-
lium Auguſtinum *ſucceſſiuè, & per ſucceſſionem*
legitimam, in omnes dimanauit. Non igitur neceſ-
ſe eſt, ulla fieri ſigna modò, nec peti debent ab ho-
minibus uerè Chriſtianis: *longè illud abſit. Habe-*
mus enim Moſen *&* Prophetas, *audiamus ſaltem*
illos docentes uiam ueram, atq; ad ſalutem ducen
tem, ut uerum in nobis fiat quod dictum eſt à Do
mino: [c] *Beati qui nõ uiderunt, & crediderũt. Nec*
pius unquam dubitabit de ſubſtantia fidei Ortho-
doxæ atq; catholicæ, & ſi uarias circa eã ſubinde
naſci uideat opiniones, [d] *& zizania repulluleſce*
re: quia ſic futurum dixit Chriſtus, *quando diſcipu*
lis parabolicè technas atque uerſutias calidiſſimi
ſpiritus oſtẽdit. Sufficiat nobis, quòd Eccleſia Dei
Chriſti *colũna ueritatis eſt, & habet rectorẽ atq;*
ducem Spiritũ ſanctũ. *Oportet hæreſes eſſe, in-*
quit Apoſtolus, [e] *ut hi qui probati ſunt, manifeſti*
fiãt. Et quia abuſus nõ præiudicat ueritati, orãdus
eſt pius pater et miſericors Domin9, *ut deſtructis*

aduerſitatibus

aduerſitatibus & erroribus uniuerſis, ſublatisq;
abuſionũ monſtris, Eccleſia Chriſto uerè ſeruat,
& ſecura libertate. Domine deſcẽde.]
Quem credat eſſe Ieſum, his uerbis ſatis oſtendit,
nempe inſignem quendam uirum atq; Prophetam:
longè quo perfectior fuit [a] Centurio ille, credens
Chriſtũ ſolo uerbo ſanare poſſe: omnib. in hoc imi
tandus, ut credãt Chriſtũ per Deitatẽ ubiq; poten
tem, corã cuius oculis omnia nuda & aperta ſint.
Hoc equidẽ ſentire oportet, quoniã filius Dei ue-
nit, et aperuit nobis ſenſum, ut Deũ uerum cogno
ſcamus, & quòd ipſe ſolus ſit colendus, & adoran
dus, ut cunctipotens cœli ac terræ gubernator.
Porrò quod ſit uſqueadeò timuit ille uitæ filij ſui,
quid ſi ipſe decumbẽs, morti ſeſe uicinum uidiſſet?
Præter id enim quòd homini animæ & corporis
diſſolutio omnino contraria eſt, amara eſſe ſolet
memoria mortis, homini habẽti pacẽ cum diuitijs.
At nõ ſic Chriſtiani, nõ ſic, quoniã ad immortali-
tatem morte trãſgredimur (ut diuinus inquit Cy-
prian[*]) nec poteſt uita æterna ſuccedere, niſi hinc
cõtigerit exire.[b] Hic obijciunt nobis quidã delica
tuli homines, uereq; huius mundi amatores:[c] Num
quid Ezechias timebat mortẽ, qui tamen pijſſimus
erat, & totus Deo deditus? Et Chriſtus ipſe uſq;
adeò mortem exhorrebat, ut, Luca ſcribẽte, etiam
ſanguineũ ſudaret ſudorem [d]. Quibus optimè re-
ſponderi poteſt, ut probè attendant quid dixerit il
le Ezechias, nimirũ: Memento quomodo ambula-
uerim coram te in ueritate, et corde perfecto. qui-
bus innuebat, ſi ad Dei honorem et ſuorũ ſubdito-
rum ſalutem ſuperſtes eſſe poſſet, haud ullũ recuſa
ret laborem. Et ut ſanctus Hieronymus hunc locũ
diſcutiens ait: Audiens Ezechias ſe eſſe moriturũ,
nõ precatur uitã & annos plurimos, ſed in Dei iu
dicio qd uelit præſtare dimittit. Igitur bene dixit,
quiſquis ille fuit: Qui ſimpliciter mortẽ timet, ſim-
pliciter malè facit. Chriſtus autẽ, uel ipſo Ambro-
ſio teſte, ueram ſuam humanitatẽ hoc modo oſten
dere uoluit, haud inſcius superuenturos eſſe, qui
eam eſſent negaturi. Quem igitur audis claman-
tem, Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem: &, Pa
ter ſi poteſt fieri tranſeat à me calix iſte: & iterũ,
Deus meus ut quid me dereliquiſti? illum quoq; au
dias precor dicentem: At nõ mea uoluntas fiat, ſed
tua: ut diſcas tuam uoluntatem diuinæ diſpenſa-
tioni ſubijcere, item ut uideas quòd non inuitus
hanc ſubierit mortem, ſed ultrò ac uoluntariè. iu-
xta Prophetam [e] mox idem clamat: Omnia con
ſummata ſunt, Pater in manus tuas commendo ſpi
ritum meum. Ouis itaq;, pro qua tuus paſtor ſuam
ipſius animam poſuit, imitare tuum paſtorem, &
ut afficiatur natura morte, ratione tamen ſupere-
tur. Nec tamen proinde malefaciunt credo, qui pe
ſtilentia uel alio morbo graſſante remedijs utun-
tur. hoc enim fit ad ualetudinem uel præſeruandã,
uel recuperandam: & non ut contrauiraris diui-
næ diſpoſitioni. quare apud ſapientem medicina a Matth.8.
tam probatur, ut eam ab altiſſimo creatam uelit, et Eccle.38.
ad eam maximè currendum in infirmitate ſuade-
at. Modò maneat Deo quòd, dicente Iob, termi- Iob 14.
nos uitæ poſuit, qui præteriri non poterũt, etiamſi
ſcriptum ſit: Ne impiè agas multum, ne moriaris in
tempore non tuo. quia utiq; uult Sapiens, eſſe muta Eccleſ.7.
tionem apud Deum in effectibus, ſecundum meri-
ta uel demerita hominum. Vtcunq; autem res ſeſe
habeat, cum diſcipulis Pauli dicendum erit: Domi Actor.21.
ni uoluntas fiat. Vade, filius tuus uiuit.]
Quid aliud oſtendere uoluit Chriſtus, quàm ſe
eſſe generis humani Saluatorem, ſicut in Eſaia
ſcriptum erat, uerumq; medicum corporum pari- Eſa.48.
ter atque animarum? Idem igitur eſt, ac ſi diceret:
Quid neceſſe erit tecum domum deſcendere, cum
ſolo nutu tuum filium à morte liberare queam? b 4.Reg.20.
mortis qui tenet imperium, ſub meam redactus eſt c Eſaiæ 38.
poteſtatem. Abi domum, omnia tuta ac proſpera
ſunt. Credidit homo ſermoni.] Scri-
ptum eſt: Quia credidit Abraham, et reputatũ eſt Galat.3.
illi ad iuſticiam. expende obſecro ſingula hic uer- d Lucæ 22.
ba, & mirum ſi non & is factus ſit filius Abra-
hæ. ipſo domum namq; egrediente, filius incipie-
bat mori, & iam nihil diffidit quin Ieſus ſua pote-
ſtate ac uirtute ipſum ad uitam reuocauerit, nullis
licet præſentibus argumentis. Quo pacto igitur
iram Dei euades tu, qui nihil niſi ad oculum de-
monſtratum ſit, uel certiſſimis argumentis proba-
tum, concedis? Crede quæſo ſermoni Ieſu, crede
uerbis eius potentiſſimis: ſcito fidem eſſe rerum Hebr.11.
non apparentium, ut nos docet Apoſtolus: & fiet,
ut nihil quamlibet rationi contrarium, in oculis
tuis impoſſibile appareat. Sic firmiter crediturus
eris, Chriſtum ſuum corpus ſuumq; ſanguinem da
re ſuis fidelibus, quoties ipſius uerba ſuper uini ac
panis creaturam proferuntur: ac uerè dixerit Hie Ad Heliodo-
ronymus: Sacerdotes ſacro ore corpus Domini rum.
conficiunt. Credidit ipſe, & domus e-
ius tota.] Fieri potuit, ut hic regulus non in eum
ut filium Dei crediderit, ſed uirum potentem ope-
re atque ſermone. At nos quia per ſacrum uerbum
imbibimus diuinum arcanumque Dei conſilium,
haudquaquam hæſitare decet, quin ipſe ſit uerus e Eſaiæ 53.
filius Dei, qui nos ſua uita & morte reconciliaue- Oblatus eſt,
rit Deo patri: quemadmodum Apoſtolus dilucidè quia ipſe uo-
admodum demonſtrauit, dicens: Omnes peccaue luit.

runt, & deſtituuntur gloria Dei: iuſtificantur au
tem gratis per illius gratiam, per redemptionem
quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus re-
a Dan.4. conciliatorem per fidem, interueniente ipſius ſan-
guine. Quid igitur amplius hominem excuſabit, ſi
minus hunc ſuſceperit Saluatorem? Abeant ergo
in malam crucem, qui alium quendam redempto-
Actor.4. rem expectant. Nos cum Petro firmiter affirma
re uolumus, ſub cœlo nullum aliud nomen datum,
in quo nos oporteat ſaluos fieri, præter nomen Ie-
ſu Chriſti Nazareni, qui eſt benedictus in ſecula,
Amen.

DOMINICA VICESIMASECVNDA Euangelium, Matth.18. Aſsimilatũ eſt regnum cœlorũ homini regi, qui uoluit, &c.

VT multo luculentiſsimè doceret Chriſtus
quàm benignus ac miſericors ſit erga ho-
mines miſericordiam propter admiſſa facinora po
b Matth.12. ſcentibus, pulchrè demonſtrat euidenti hac pa-
rabola: ubi, ut in fine dicetur, ſuum introducit pa-
trem omnibus pœnitentibus indulgentiſsimũ. Et
quis alius eſſe poſſet (ut diuus ait Chryſoſtomus)
ipſe creauit nos, atq; produxit cum non eſſemus:
c Coloſ.2. ergo ipſius debitores ſumus omnes, quando in pec
catis naſcimur, & in peccatis uiuimus omni tem-
pore. Verùm rationem ponit cum omnibus ſum-
mus ille Deus, quoties diuina & occulta inſpira-
d Rom.6. tione hominem omnium tum dictorum tum facto
e 1.Pet.2. rum admonet, ſuggerens ſenſim quid boni colloca
tum ſit in hominem, & quàm è contrà ingratus il-
le Domino ſuo creatori & redemptori extiterit.
Quod de infidelibus dictum haud eſſe poteſt, eo
quòd nunquam ſunt abſoluendi, ut Deum uerum
f 2.Para.20. ignorantes, & iam iudicati ſunt, quia non credunt
in nomine unigeniti filij Dei: ſed illis, qui ut Chri-
ſtum credunt, tamen (ut lubricum eſt, dicente
Hieronymo, humanæ uitæ iter) facilè recidunt
in peccata: idq; faciunt non tantum ex humana fra
gilitate, uerumetiam inſultantibus dæmonijs, ua-
rieq; aſtu ſuo hominem ſeducentibus. Obla-
tus eſt.] Quotidie præſentamur Deo propter
peccata, ſiquidem coram eius oculis omnia nuda
& aperta ſunt quæ agimus. quum etiam ſcrutetur
g Hebr.4. corda & renes, ipſi quoq; omnis uoluntas loqui-
tur, & omne cor patet. Cæterùm talenti nomine
deſignatur grauitas peccati. Qui ergo decem mi-
lia talentorum debuit, grauiſsimus peccator fuit.
Sunt autem peccata, debita noſtra. Dicit enim
Matth.6. Dominus, docens nos orare: Et dimitte nobis de-
bita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus
noſtris. Cum autem non haberet.]

Deus infinitus eſt. qui igitur Deum peccando of-
fendit, reſpectu Dei nunquam peccatum expiare
poteſt. Quod igitur dictum eſt à Daniele prophe
ta,[a] Peccata tua eleemoſynis redime: præclarè
admodum à ſacro interpretatur Hieronymo, cum
inquit ille: Hortatur ad eleemoſynas, & miſericor
dias pauperum, ut Dei ſententia cõmutetur. quod
facilè ſoluitur & Ezechiæ regis exemplo, & Ni
niuitarum, &c. Et ut ſtatim ſequitur dixiſſe Pro-
phetam, Forſan ignoſcet Deus delictis tuis: ſubij-
cit ille, ſic dicens: Cum beatus Daniel præſcius fu
turorum de ſententia Dei dubitet, rem temerariã
faciunt, qui audacter peccatoribus indulgentiam
pollicẽtur. Quod minimè ipſum dixiſſe puto, qua-
ſi non certò pœnitenti dimittat peccata Deus: ſed
ut diuinam quiſq; peccator ſubinde imploret miſe-
ricordiã, cum tam iuſtus ſit Dominus, & eius iudi
cium rectum, quiq; tam ſtrictiſsimè exacturus eſt
de ſingulis peccatis rationem, ut etiã de omni uer-
bo ocioſo,[b] ut Chriſtus inquit, homo rationẽ red-
diturus ſit in die iudicij. quòd etiam uel inde patet,
quia ſequitur: Iuſsit eum Dominus ue
nundari.] Quis emit hominem peccatorem, niſi
ſi ille qui, docente Paulo, chirographum decreti
habuit,[c] ſublatum quidem per Chriſtum in crucis
ignominia & morte, modò in nouitate uitæ ambu
lem⁹? Quamprimùm igitur recidimus unde ſumus
redempti, uenundamur ſub peccato. unde Apoſto
lus dixit:[d] Stipendium peccati eſſe mortem: & Pe
trus[e], ſatius eſſe nunquã cognouiſſe uiam iuſticiæ,
quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo
quod nobis traditũ eſt ſancto mandato. Pro-
cidens autem ſeruus.] Pulcherrimũ exem
plum habem⁹ pijſsimi regis Iuda Ioſaphat, dicẽtis:
[f] Cum ignoramus Domine quid ſimus acturi, hoc
ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigа-
mus ad te. Hunc locum nobis lucidum facit hic ſer
uus: neque enim ipſe reddere debitum ualens, ſuo
Domino ſupplicaturus procumbit, patientiam pe-
tit. Ergo cum peccatores ſumus, cumq; nulla re
quem offendimus Deum perſoluere queamus: ad
diuinam ipſius miſericordiam currẽdum erit, quæ
quidem nulli unquam uerè pœnitenti denegatur.
Hinc piè admodum monet nos Apoſtolus, ſic di-
cens[g]: Non habemus pontificem qui non poſsit
compati noſtris infirmitatibus. Et mox: Adeamus
ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, ut mi-
ſericordiam conſequamur, & gratiam inueniа-
mus in auxilio opportuno. Dicamus autem, Pa-
tientiam habe in me: hoc eſt, dona mihi uitæ &
pœnitentiæ ſpacium, condona delictum, relaxa
ſupplicium, ut non in furore tuo arguas me, neque

in

in ira tua me corripias [a] *. ita enim fecit ac dixit Dauid, quando correptus à Propheta ſuũ impium factum agnouit, qui & ipſe deprecando Dominũ, miſericordiam magnam implorabat, ac pollicebatur emendationem uitæ, quod et fecit. ait enim: Media nocte ſurgebam ad confitendũ nomini tuo, & lachrymis meis ſtratum meum rigaui.* Miſertus autem Dominus ſerui illius.] *Etſi omnipotens pius pater multorũ bonorũ Dominus ſit, ipſiq; meritò ac iuſtè uaria dona quæ hominib. præſtantur, aſſcribi debeant: proprium nihilominus ipſi Deo eſſe dicitur miſereri ſemper, & parcere. quamobrem Dauid quoq; dixit:* [b] *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Et alius:* [c] *Conuertimini, inquit, ad Dominum Deum ueſtrum, quia benignus & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malicia, & multæ miſericordiæ. Qui quidem, ut rurſum tertius* [d] *dicit, non uult mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Et quis dubitare de illius immenſa miſericordia poteſt, cum tot modis expreſſam eam habeamus? In Dauide ſcilicet, uel maximo coram Deo peccatore. ſic enim traditum eſt, dixiſſe Prophetam* [e] *: Tranſtulit à te Dominus peccatum tuum. Item Manaſſe, rege multum impio.* [f] *& ut ad nouam redeamus gratiam, in Maria ſumma illa peccatrice, cui profectò omnium ſaluator dixit* [g] *: Dimiſſa ſunt tibi peccata tua, uade in pace. Quibus & annumerandus eſt Petrus. nunquid enim fruſtra dictũ putamus ab angelo:* [h] *Citò euntes dicite diſcipulis eius, & Petro. & Petro, quaſi iam præ triſticia propter peccatum morienti. Quia præcedet uos in Galilæam: quia nihil amplius peccatum nocet, pro peccatis mortuo filio Dei, &c.* Egreſſus autem ſeruus ille.] *Oſtendere uoluit Chriſtus, quàm iniquum ſit, & Deo ipſi abominabile, homini quoq; pernicioſiſsimum, cum nobis remiſſa ſint omnia peccata & delicta: ipſi tamen reſeruemus aliorum in nos moleſtias, ſiue iniurias. Nam hic ſeruus omnium debitorum ſuorum liber factus, mox oblitus clementiæ ſui Domini, immitem ſeſe geſsit erga ſuum conſeruum. Inaudita equidem hæc eſt crudelitas, maximis ereptum miſerijs nolle ſimili miſeriæ preſſo miſereri. Per ſuffocationem igitur opprobria, & per carcerem uerba atque opera, quibus nos ipſos uindicare uolumus, intelliguntur. Oſtendit ergo Chriſtus, ſi nobis peccata ſint dimiſſa. ſummè cauendum, ne ullus liuor & inuidia apud nos maneat aduerſus proximum in nos peccantem: imò conferamus, quæ nos in Deum perpetrauerimus, ut nimirum centies aut millies maiora & grauiora, qui tamen ſemper nobis reſipiſcentibus ſtolam miſericordiæ profert, & in domum ſuæ gratiæ amicè ac familiariter introducit.* Videntes conſerui eius.] *Deus eſt, & cunctorum inſpector, ita ut nulla creatura inuiſibilis ſit coram eo. Quòd ergo dictum eſt, conſeruos quæ facta fuerãt narraviſſe: oſtendit Dei maieſtatem. Nam angeli adminiſtratorij ſpiritus ſunt, & quibus ſummum gaudium eſt, dicente Chriſto, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Vt mirè itaque ſitiunt hominum ſalutem, ita quoq; ualde cõtriſtantur cum uident eos perditum iri.* Tunc uocauit illum Dominus.] *Conniuente Domino, uel potius diſsimulante homini laſciuo & nequiter agenti, tandem ex iuſticia ac æquitate ſuum cuiq; iudicium fertur à Deo. Vtcunque ergo inuidus ſuum commodum potius quàm Dei gloriã atq; ſuam ſalutem conſiderauerit: poſtremo tamẽ uocandus eſt, atq; accepturus prout geſsit malum. Igitur uocatio hæc fit, quando mori neceſſe eſt. tum audit ille: Serue nequam, ſola deprecatione conciliatus es, cum maximè me tuum creatorem pariter ac redemptorem offendiſſes. Qui ergo alij miſericordiam non exhibuiſti, iudicium habe abſque omni miſericordia.* Et tradidit illum tortoribus.] *Hoc eſt dæmonibus, ut executoribus diuinæ iuſticiæ, ut uſq; in perpetuum puniatur. in inferno enim nulla liberatio erit, ſicut ſcriptum eſt: Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Sic faciet uobis pater.] *Declarat quam ob cauſam adduxerit parabolam iſtam, nimirum ut cogitemus iuſtum Deum omnia iuxta æquitatem acturum. Quum itaq; omnes ſumus miſerrimi peccatores, & egentes ſumma illa gratia ac miſeratione Dei, & ipſe quidem clementiſsimus pater paratus eſt nos, quoties redimus, in gratiã recipere: haud ea continget nobis, niſi & ipſi condonemus errata alijs: cõdonaturus eſt Deus nobis benigniſsimè, quæ in ipſum peccauimus, modò uiciſsim condonemus noſtris debitoribus iniurias & contumelias nobis illatas. Vnde etiam cum Chriſtus formam precandi ſuis præſcriberet diſcipulis, poſt nonnulla quæ orare iuſſerat, ſubiecit dicens: Orate & dicite, Pater dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Cæterùm quod additum eſt,*

Ex cordibus ueſtris.] *Simulatam reconciliationem atq; pacem damnat: cum ſimulat quidẽ homo ſe dimiſiſſe ſuis inimicis, ſed odio retento opportunũ tempus uindictæ expectat. Hi profectò mihi uidentur Iudæ proditori affines eſſe, dũ dixit ille, Aue Rabbi, oſculo porrecto: quẽ tamen impiè modò uendiderat Iudæis. Quòd autẽ nil ualet oris*

a Pſal.6.
Lucæ 15.
b Pſal.144.
c Ioel.2.
d Ezech.18.
e 2.Reg.12.
f 2.Par.33.
g Lucæ 7.
Eſa.ult.
h Mat. ult.
Matth.6.
Matth.26.

confeſsio, niſi ſinceritas cordis accedat, ratio eſt,
quia corda hominum Deus probat & curat, ex
quibus uel bona uel mala proferuntur. Non tamē
omne odium eſt malum, quando Propheta dicit:
Pſal. 118. & 25. Iniquos odio habui, legem autem tuā dilexi. Et ite-
rum: Odiui eccleſiam malignātium. Sic odio ſum-
mo inſectatus eſt Chriſtus Phariſæos, non ut ho
mines à Deo factos, ſed ut nequam, & propter
a Rom. 15. delicta atq; impietatem eorum. Diſertè igitur lo-
quitur Apoſtolus, ſic dicens: Si fieri poteſt, quantū
in uobis eſt, cum omnibus hominibus pacem ſer-
uate. Et ut perfectiſsimum faciat Chriſtianum,
ſubiungit: Non uoſmetipſos defendentes, ſed date
Rom. 12. locum iræ. ſcriptum eſt enim: Mihi uindictam, ego
retribuam: dicit Dominus. Quòd ſi arduum &
ultra uires noſtras eſſe arbitrabimur, age ueni-
mus ad aliorum ſeruorum Dei imitationem (ut ait
Diuus ille Chryſoſtomus) imitemur Ioſeph qui fra
tres ſuos, à quibus fuerat uenditus, ſummo benefi-
b Galat. 1. cio ſubleuauit. Item Moſen, Stephanum, & ipſum
Paulum, anathema fieri uolentem pro ſuis perſecu
toribus. Hæc omnia cogitantes, omne iræ incen-
c Vide Euſebium. dium extinguamus, ut & noſtra Deus delicta pe
nitus remittat Ieſus Chriſtus, cui data eſt omnis
poteſtas in cœlo & in terra.

DOMINICA VICESIMATERTIA Euangelium, Matth. 22. Abeuntes Phariſæi, &c.

d Idem Euſebius. EQuidem luculentiſsimè parabola demon-
ſtrante Chriſto, quomodo reiectis Iudæis,
ad alios transferenda ſalus, Phariſæi magis ac ma
V de Chryſoſtomum. gis odio perciti conſilium inierunt. Et quia iuſtum
& inſontem ſciebant ipſum (non enim in eo erat
Eſaiæ 53. ullum peccatum, neq; dolus, iuxta Prophetam) co
gitarunt eum in ſermone capere. Et communicato
conſilio cum Herodianis, mittunt diſcipulos ſuos,
quaſi ignotos et ætate minores, ſed malicia pares.

Magiſter, aiunt illi.] Magiſtrum uocant,
cuius tamē nolebāt eſſe diſcipuli. ergo hanc quæ-
ſtionem malitioſè proponunt, ut ſi, iuxta prouer-
bium, uitādo Charybdim in Scyllā incideret: hoc
eſt, quamprimùm diceret, tributum Cæſari non
ſoluendum, crimen læſæ maieſtatis ut qui commi-
ſiſſet, morti adiudicaretur, ut alij, Theodas ſcilicet
& Iudas Galilæus: aut affirmans dandum eſſe,
odium ſummum populi ſibi cōciliaret, ſicq; actum
eſſet de ipſius æſtimatione ac uita. Sciendum au-
tem eſt, hanc intricatam quæſtionem uel inde or-
Exod. 19. tam, quoniam ſcriptum erat: Si audieritis uocem
meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi
in peculium de cunctis gentibus ſiue populis: mea
eſt enim omnis terra, et uos eritis mihi in regnum
ſacerdotale, & gens ſancta. Hunc locum intelli-
gebant nonnulli, quaſi impium eſſet, Iudæos Gen
tili præſertim poteſtati, tributa ſoluere. Cæterùm
ut non addiſcendæ ueritatis gratia acceſſerūt, ſed
ut tentarent Chriſtum Dominū: ita malitia ſua im
ponere uolētes Chriſto, aiūt: Scimus, quia
uerax es.] Bene dicunt: quia ipſa ueritas eſt
Chriſtus, in quo completa ſunt quæcunq; patrib.
erāt promiſſa, ſicut inquit Apoſtolus:[a] Dico Chri
ſtum Ieſum miniſtrum circumciſionis eſſe propter
ueritatem, ad confirmādas promiſsiones patribus
factas, &c. Quia uerò uerax eſt Chriſtus, quid
igitur certius Euangelio ſuo? Viam Dei docuit ille:
quis ergo non erit Chriſtianus? Mundum cōtem-
pſit: quis in gratiā alicuius ueritatem obticebit?
Sic fateri ueritatē decet, quomodo Apoſtoli præ-
dicauerūt ubiq;, et ut in Paulo liquet, Galatis quan
do ſcripſit: Nunquid hominibus placere ſtudeo?
Quòd ſi hominibus placerem, Chriſti ſeruus non
eſſem[b]. Item Apoſtolorum ſucceſſores cordatos
fuiſſe, uel inde conſtat: quia propter ueritatem in
exilium relegatus eſt innocens Chryſoſtomus. Di
xerat enim:[c] Scitote, mihi non eſſe magnopere cu
ræ quomodo me purgē apud uos, ſed omnia factu-
rus propter Deum, atq; illi de hiſce dogmatib. ſed
damus rationem. Cui haud diſsimilis fuit Ambro-
ſius, pius Antiſtes, quē propter Iuſtinæ alterius Ie
ſabelis impietatem, haud latum (ut aiunt) unguem
deflexiſſe hiſtoria docet.[d] Hos uiros imitamini,
quicunq; munus non tam grauiſsimum quàm peri-
culoſiſsimum in uos ſuſcepiſtis. Cogitate quæſo,
quàm ſuper omnia ueritas uincat: & quòd dixerit
ueritas ipſiſsima: Si manſeritis in ſermone meo, ue-
rè diſcipuli mei eritis. Quid me tentatis
hypocritæ.] Hæc eſt Hypocritarum natura,
ut laudent quos perdere inſtituerūt: à quibus pro-
inde, utpote nimium pernicioſis, ſummè nobis ca-
uendum erit. Vt igitur uerus erat Deus Chriſtus
noſter, qui propterea circumſpicere uias hominū
potuit, & corda intueri: ad intentionem eorum re-
ſpondet, ac inquit: Noui uos, nō quæritis ueritatē,
ſed me in ſermone capere. Ecce ego uos concludā,
ut re ipſa appareat quàm nequiſsimi omnium ſitis.
Quid numiſma habet? nónne in ‑ ginem Cæſaris,
& inſcriptum ei literæ docent, unde conuincimi-
ni, iure ſub Cæſaris modò poteſtate eſſe, ſub eo ut
Domino terreno. Et quid hoc impedit ueſtrum à
Deo uobis mandatū religionis cultum? Date
ergo Cæſari.] Quod iure obtinet: nihilominus
Deo offerētes quæcunq; ipſa lex iubet atq; docet:
nimirū, ut diligatis Dominū Deū ueſtrū ex tota
anima, toto corde, totiſq; uiribus ueſtris. Nō erat
itaq;

itaque ut quis amplius quæreret, ſed relicto eo a-
bierunt. Cum autem quæcunque ſcripta ſunt, ad
noſtram doctrinam ſcripta ſint: docere oportet
modò, num eadē nos iam Chriſtianos factos ob-
ligant. Non enim minus hac de re contrauerti-
tur. Certiſſimum ergo euadit, hominem ad hoc nō
ſolū natū (ut Anaxagoras uoluit) uidendi ſcilicet
cœli & ſolis cauſa: ſed ad ipſum Deum colendum,
quemadmodū Auguſtinus pulchrè demonſtrat ali
bi, ſic dicens: Omnipotens Deus qui nullo indiget,
quia ipſe ſummum bonum eſt, ex quo ſunt omnia,
ipſe rationalem ſpiritum creauit ſola charitate, ut
eum ſuæ beatitudinis participem faceret. Et La-
ctantius: Ex humo, inquit, hominē parens ille ſum-
mus ſubleuauit, ad contemplationē ſui artificis.
Quæ quidē ut homini pio ualde probari poſſunt,
ita haud immeritò dubium eſſe poterit, ad quid o-
pus ſit magiſtratu, dum omnes ſimus fratres in
Chriſto: & ut olim fuit, omnium mens atq; uolun
tas eſſe debeat. Verum eſt: ſic enim fuit ab initio.
at creſcente numero credentium, neceſſitas ipſa
coegit, ut tranquillam agerent homines uitam, in-
ſtituere magiſtratū. Quòd igitur propter pacem
& tranquillitatem Reipublicæ conſeruandam tri
butum dari iuſsit Chriſtus Iudæos poteſtati gen-
tili, multo magis conuenit hoc facere Chriſtianos
fideli ac à Deo ordinatæ poteſtati, ut multo lucu-
lentiſſimè docet D. Auguſtinus, ſic dicens: Felices
dicimus eos imperatores qui iuſtè imperāt, qui nō
extolluntur, ſed meminerunt ſe eſſe homines, ſi
ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatan-
dum, maieſtati eius famulam faciunt: ſi Deum ti-
ment, diligunt & colunt. Quibus quidem uerbis
etſi magiſtratum ſuis depingit coloribus: dicit ni-
hilominus tamen, eum à Deo conſtitutum. Et quid
de Auguſtino diſſerimus, cùm idipſum uelint Pe-
trus & Paulus, ſancta fidei ac religionis noſtræ
lumina? [a] Qui igitur, ipſis docentibus, poteſtati
reſiſtit, Dei reſiſtit ordinationi. Attendant autem
oportet, quibus id muneris delegatum eſt. Certè
haudquaquam res ridicula erit, quando Apoſtolus
ſeueriter adhortatus eſt eos quos præfecerat Ec-
cleſijs, ut uigiles eſſent, perpendentes eam eis cō-
miſſam Eccleſiam, quā non niſi precioſo ſanguine
Chriſti redemptam crederent. Oportet ergo ut
quiſq; ſuum officium grauiter exequatur, & ſem-
per præ oculis appenſum conſideret, quod dictum
eſt à Domino Deo: [b] Quod iuſtum eſt iudicate,
nulla erit diſtantia perſonarum: ita paruum audie
tis ut magnum, quia Dei iudicium eſt. Cæterùm
ut omnes liberi eſſe uolumus, ne libertatem uela-
men nequitiæ ſumamus, quæ nam uera noſtra li-
bertas ſit, poſtremò dicere oportet. Chriſtus Ie-
ſus (ut Chryſoſtomus) leges ſuas non ad hoc indu
xit ut politias euertat, ſed ut meli9 inſtituat. Quod
igitur dixit Chriſtus, Si uos filius liberauerit, ue- Ioan. 8.
rè liberi eſtis: non uult, ut excuſſo iugo obedien-
tiæ, ſecundum ſuum libitum quiſq; uiuat, & ita ſit
nec ordo, nec regimen, nec quidem pax neque
tranquillitas. oportet enim, cum unius corporis, do
cente Apoſtolo, membra ſimus, ut ſuum unum- Rom. 12.
quodque membrum officium faciat: ſic namque
totum conſeruatur corpus. Quod minimè latuit
diuos Apoſtolos, quando illi tam ſollicitè docue-
runt, regere ac regi. Vide Paulum, uide & Pe-
trum: ut interim omittamus quæ à pijs patribus
ſuper hac re prodita ſunt. Eſt ergo hæc uera & Vera & Chriſtiana libertas.
Chriſtiana libertas, acquiſita per ſanguinem Ie-
ſu Chriſti, quòd liberati ſumus à ſeruitute pec-
cati originalis, quo Diabolo ſeruiebamus, cum
Adam aſtu diaboli circumuentus fidem uiuam &
amorem Dei perdidit, & (ut diuinus inquit Pau-
lus) Peccatum in omnes pertranſijt, in quo omnes
peccauerunt. Secundò liberauit nos Chriſtus Rom. 5.
ſuaui iugo ſuæ Euangelicæ legis, ab onere legis
Moſaicæ, iuxta quod dictum eſt: Lex per Mo-
ſen data eſt, Gratia autem & ueritas per Ie- Ioan. 1.
ſum Chriſtum. Vnde etiam Iacobus Euange-
lium uocat legem libertatis. Fuit ergo lex gra-
ue onus: at à Deo optimo iuſtè & neceſſariò la-
ta. Iudæi enim non ſentiebant ſua peccata, niſi
poſt legem acceptam: quoniam ea prodebat ul-
nera, & quærere medicum ſtimulabat: & ubi
coarguit eos, in metu continuit, et maximè reddi-
dit eos promptos, ad quærendum filium Dei. O-
ptimè quamobrem Apoſtolus dicit: Iuſto non Galat. 5.
eſt lex poſita, ſed tantum propter tranſgreſſo-
res. Sic itaque liberati ſumus à ſeruitute pecca-
ti per Chriſtum, propitiationem factum pro no-
bis, ut interim eius fauente gratia, exercitio a Rom. 13.
uirtutum iuſti ſimus: et ſi peccando deciderimus,
interueniente paſſione ipſius, gratiam rurſum
& libertatem recuperare queamus. Non enim
nobis auerſis à ſancto mandato, & cum præ o-
culis ſunt mors atque æterna damnatio, aliud
ſolatio eſſe poteſt, quàm quòd ſcimus Chriſtum
uerè agnum eſſe mundi peccata tollentem. Quos
proinde piè admodum docet apoſtolus Chriſti Io
annes dicens: Filioli, hæc ſcribo uobis, ut non pec- 1. Ioan. 2.
cetis: ſed ſi quis peccauerit, aduocatum habemus b Deut. 16.
apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe
eſt propitiatio pro peccatis noſtris, &c. Et alio
in loco: Si confiteamur, inquit, commiſſa uel
peccata noſtra, fidelis eſt, ut nobis remittat,

Ioan.1. *& emundet nos ab iniquitate noſtra. Poſtremò
per glorioſam ſuam mortē à corruptione liberauit
nos Chriſtus, ut ſcilicet mors noſtra nil aliud ſit
quàm tranſmutatio corruptibilis in incorruptibi-
le. Vt enim dictum ſit, Puluis es et in puluerem re-
uerteris: tamen, ut Apoſtolus demonſtrat, propter
Chriſtum ipſa creatura liberabitur à ſeruitute
Rom.8. corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei,
quæ eſt ſumma ſpes & fiducia noſtra. Si enim
non eſſet reſurrectio, quid eſſet fides noſtra? e-
1.Cor.15. quidem ut diuinus ait Paulus, miſerabiliores eſſe-
mus omnibus hominibus. His autem adductis
probè inſtructi, Deo præſtabimus ſua officia,
quæ iurè debemus: & nihilominus propter
Deum ipſis præpoſitis, ſi quæ ſunt ad conſer-
uationem reipublicæ, religionis ac tranquillita-
tis neceſſaria.*

IN DIE APOSTOLORVM SI-
a 1.Cor.15. monis & Iudæ Euangelium, Ioannis
b Epheſ.2. 15. Hæc mando uobis, ut
diligatis, &c.

*LOcutus eſt Dominus Ieſus de fructu ma-
nente, quem haud abſurdè intelligimus E-
uangelicæ diſciplinæ iuſticiam, iuxta Cyrillum.
Antiquata eſt lex illa Moyſi, & uſqueadeò fru-
ctus ille Euangelicus creuit, ut à Solis ortu uſque
ad occaſum magnum ſit nomen Domini. & hic
fructus quidem per nullam aliam legem antiqua-
bitur, ſed durabit uſque ad conſummationē ſeculi,
utcunque licet zizania inter triticum excreſcat.
Porrò quòd ſemper præceptum dilectionis ſuis di
c Matth.7. ſcipulis inculcat Chriſtus, factum puto, quia dile-
ctio uirtus eſt ſine qua cætera omnia nihil ualent,
1.Cor.13. dicente nobis Apoſtolo: Si linguis hominū loquar,
d Lucæ 6. atq; angelorum, charitatem autem non habeam,
nihil ſum: etſi habuero omnem fidem, ita ut mon-
tes transferam. Oſtendit Apoſtolus, præſtantiſſi-
ma etiamſi ſint nobis, et fides quidem omnium bo
e 2.Pet.1. norū fons, niſi tamen accedat charitas, eam nihil
eſſe uel ualere.* Si mundus uos odit.] *Ex eadem maſſa, quæ tota in Adam perijt. nam i-
pſo labente (ut Theophylactus ait) uel qui de ligno
nihil ediſſent, ſuo crimine mortales facti ſunt, pe-
rinde ac ſi ipſi peccaſſent, uaſa fiunt miſericordiæ
& uaſa iræ. Miſericordiæ ergo mundus dicuntur
omnes illi, quos Deus in Chriſto reconciliauit ſi-
bi, & per Chriſtum ſaluantur, quales erant Apo-
ſtoli. Eſt dein alius mundus, hoc eſt, homines ſunt
uoluptati & impietati dediti, contaminati ac dam
nati, quorum finis interitus: unde diſcipuli Chriſti
nequaquam de illis eſſe poſſunt. quare autem? e-
quidem quia per Chriſtum ſegregantur, ut mox
ſequetur. Quod autem dicit Chriſtus,* Si de mundo eſſetis.] *Oſtendit, longè à ſancto
prophanum diſtingui, ubiq; etiam eſſe cognatio-
nem. Sic ſanctus cum ſancto, & peruerſus cum
peruerſo iucundè conuerſantur. Fit ergo ut mali
& peſtiferi homines, ad probitatem reducentes
acerbius inuadant, & qui Chriſti ſunt, quaſi iam
cœleſtes effecti uideantur: maximum inter illos
diſcrimen magnáq; diſtantia ac differentia eſt,
quemadmodum nulla eſt conuentio Chriſti ad
Belial, ut nec luci cum tenebris.* Ego elegi uos.] *Vt ſcilicet non ſitis uaſa iræ & damnatio-
nis. Ergo quòd Apoſtoli facti, quòd ad ſalutem ele
cti, ſolius Chriſti fuit, ipſos eligentis: & non ex
eorum meritis, quorum nulla bona præceſſerant:
non ex natura quoq;, quoniam illa in ipſa radice
uitiata erat. Quomodo igitur? Etenim ſola & ue-
ra gratia, de qua proinde Paulus toties gloriatur,
& ait: [a] Gratia Dei ſum, quod ſum. Itē: [b] Gratia
eſtis ſaluati per fidem, & non ex operibus, ne quis
glorietur. Ais ergo, Quid igitur multis opus eſt?
Quòd ſi elegit me Chriſtus, abſque dubio de nu-
mero ſum ſaluandorū. Certè hæc confidentia nos
ualde deſides reddere poſſet, ut more aliorum ni-
hil ſolliciti, in diem uiueremus. Sic itaq; res ſeſe
habet. Ante mundi quidē conſtitutionē elegit nos
Deus tanquam fideles futuros: uocauit itidem per
uerbum, quia fides ex auditu. unde habemus om-
nia neceſſaria ad ſalutē: iurauimus in uerba Chri-
ſti. Vnum igitur illud reſtat, ut dictis obedientes,
faciamus quæ præcepit nobis Dominus Deus no-
ſter. Non enim fruſtra dictū eſt: [c] Non omnis qui
dicit mihi Domine domine, intrabit regnum cœlo-
rum: ſed qui facit uoluntatē Patris mei, qui in cœlis
eſt. Et alibi: [d] Quid uocatis me Domine domine,
& non facitis quæ dico uobis? Quod etiam haud-
quaquam refugit diuum Petrum, quando ipſe tam
anxiè ac fideliter admonuit Chriſtianos hinc in-
de diſperſos, ſuæ uocationis, ac dixit: [e] Fratres, ſa
tagite ut per bona opera certā ueſtram uocationē
faciatis, & electionem. ſic enim facientes, non pec
cabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtra-
bitur uobis introitus in æternum regnum Domi-
ni noſtri et Saluatoris Ieſu Chriſti.* Memen-tote ſermonis mei.] *Exemplo ſui animos di
ſcipulorum corroborat: Vidiſtis, inquit, atq; audi-
uiſtis quo pacto me ſint perſecuti, ſed non propte-
rea cœpto deſtiti. Et uos eadem facite: Si creator
omnium, quia omnia nutu poſſum, permiſi ut liberè
unuſquiſque uoluntatem ſuam ſequeretur: quan-
to magis uos, utcunque res cadat, æqui ferre debe
tis.*

tis. Qui aures habet audiendi, audiat. Veſtrum eſt tantum ſeminare: & Dei, dare incrementum. Oportet igitur uos patienter ea omnia ferre, quæ à maleuolis et peſtiferis hominib. obueniunt. Quod quàm fideliter ab Apoſtolis præſtitum ſit, uel ipſorum acta teſtantur, & præſertim cum de Petro conſtet, quàm accerrimus propugnator Chriſtianæ religionis extiterit. **Sed hæc, inquit, facient, quia non nouerunt Patrem.]** Odio habebunt uos, ſermonẽ contemnent ueſtrũ, & perſequentur uos propter nomen meũ: Quia ego ſum uia, ueritas et iuſticia, quã mundus nõ accipit. Vnde beati erunt, qui patientur propter iuſticiam. At quomodo neſcierũt Deum Iudæi, quũ de ipſo maximè gloriati ſint dicentes: [a] Notus in Iudæa Deus, & in Iſrael magnũ nomen eius? niſi quod in mittendi uerbo, totũ incarnationis myſterium ſignificauit. Nam cum Deus propriũ filium ad ſuſcitandos lapſos, ad reſtituẽdos corruptos, & breuiter ad uitam mundo dandam miſerat, omnib. illi uiribus opponere ſeſe non dubitarunt, dicentes Chriſtum non è cœlo delapſum, ſed ſeductorem & malũ hominẽ eſſe. **Si non ueniſſem.]** Equidẽ etiamſi Chriſtus nõ ueniſſet, nihilominus tamen Iudæi uarijs fuiſſent obnoxij peccatis. ergo de magno quodam peccato locutus eſt, nimirũ infidelitatis: quo ſcilicet manente, cuncta manere neceſſe eſt mala. Vnde etiam fieri poteſt, ut iuxta Apoſtolum, Chriſtus quibuſdã odor uitæ in uitã ſit, quibuſdam uerò odor mortis in mortem. Vt ergo de omnib. intelligi poteſt, quibus hæc doctrina Chriſti innotuit: potiſſimùm tamen ad Iudæos referri debet, quibus promiſſio facta, & Deus quaſi iureiurando obligauerat ſe daturum eis. Chriſto igitur apparente, nihil prætermiſſum eſt, quo poſſent ad fidem adduci. Nam & uerbis monuit, & ſermonem ſuum miraculis cõfirmauit, ita ut prorſus ſint inexcuſabiles, qui nõ crediderint in Chriſtum, ut mundi ſaluatorem. **Nunc autem & uiderunt & oderunt.]** Certum eſt, multos neq; Chriſtum neq; Apoſtolos uel uidiſſe uel audiuiſſe: num & illi, quo minus damnentur, excuſationem habebunt? Habent quidem hanc excuſationem (ait Auguſtinus) ſed non poſſunt ideo effugere damnationem. at enim Apoſtolus: Quicunque ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Haud igitur, docente Ambroſio, impiè facit Eccleſia pro omnibus orationes ſuas fundens, ut ſcilicet relictis erroribus ad Deum conuertantur: quæ quidem deprecationes ſi receptæ non fuerint, ad occulta diuinæ iuſticiæ iudicia referendum erit. Satis ſit nobis, quòd miſericordiam cõſecuti, cognoſcimus uerum Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum. quod ſcilicet manifeſtauit nobis Deus ſua iudicia, qualiter non fecit omni nationi: ipſi laus & gloria, Amen.

IN FESTO ATQVE SOLENnitate omnium ſanctorum Euangelium, Matth. 5. Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem, &c.

SCribit Euſebius in Arabiæ partibus extitiſſe quoſdam aſſertores dogmatum peruerſorum dicentes, animas hominum per mortem cum corporibus interire pariter & corrumpi: a Pſal. 75.
rurſum uerò, in tempore reſurrectionis cum corporibus denuò ſuſcitari. Hæc enim ſunt ipſius uerba. Hunc uerò errorem depulſum ab Eccleſia, idem ſcribit, Origenem oratione multos reuocaſſe oſtendens. Cum igitur certiſſimum eſt, uiuere & exiſtere ſanctos hinc diſceſſos, omniumque ſanè hominum animas: meritò ac iuſtè eorum memoriam celebramus, primùm ut membrorum nobiliſſimorum eius corporis noſtri, cuius caput Chriſtus eſt, dicente Apoſtolo. Deinde Coloſſ. 1.
quia, ut charitas nunquam excidit, ſeduli apud Chriſtum interceſſores ſunt. Et demum illi, quos imitemur pro uiribus, quemadmodum ipſi imitatores fuerunt Chriſti: ſicut uult Apoſtolus ad 1. Corint. 11.
Corinthios ſcribens. Quomodo autem eorum imitatores eſſe debeamus, uel præſens Euangelium ſatis explicat. ait enim Chriſtus: **Beati pauperes ſpiritu.]** Vos inquam diſcipuli mei, dicitis me eſſe Chriſtum Domini: & bene quidem. ſum etenim unctus uirtute cœleſti, atque miſſus ad prædicandum annum Dei patris acceptum, tempus gratiæ & diem retributionis. Rem igitur grandem ſcitote præ manibus eſſe, non certè, quod Iudæi uolunt, huius mundi quandam ſplendidam dignitatem. Agitur de æterna felicitate, & gaudio ſummo in cœlis diligentibus Deum præparato. ad quod ſanè non omnes uocati uenient, ſed pauci ſolum, quorum nimirum mens & animus ad illa cœleſtia anhelant. Ideo dico uobis, primùm beatos fore pauperes ſpiritu: hoc eſt, illa ſuperna mecum fruentur beatitudine quam annunciare ueni à patre in hunc mundum, qui uoluntariè & affectu mentis abdicant rebus terrenis: quia etiam mali pauperes eſſe poſſunt, & infideles. Mundo utuntur illi, tanquam non utantur: & quaſi mundo demortui propter nomen meum, meritò habebunt

cœleſtes

cœleſtes diuitias, & omnimodam ſufficientiam. Hanc autem ueram atque æternam opulentiam cōmendare uolēs nobis Apoſtolus, ex animo dicit: Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt

Coloſ. 3.

quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, & non quæ ſuper terram.

a Perſecutionem patiētes.

Beati mites.] Vt breuiter omnia complectantur quæ faciunt homines uerè beatos, docuit Chriſtus, ne quærant ſui diſcipuli requiem in hac terra: utpote in cœlis ſplendidi futuri, quādo corpora infinitis malis obnoxia gloriæ & claritate conformia reddentur. poſtquam Dominus noſter autem ſuorum diſcipulorum animos uſque adeò ad cœleſtia ſublatos uoluit, iuſsit eos omnes eſſe ſine liuore & abſq; amaritudine: patienter iniurias ferre, propter Deum illatas: ſiquidem homines feroces mouent bella, et propter terrena rixantur: uera terra, terra uiuentium eſt. Et ut nihil niſi miſeria eſt præſentis uitæ ſtatus, beatos pronunciat, qui hic deplangunt ſua & aliorum peccata, ac dolent quòd graſſetur peſtilentia, hæreſis, & uitiorum colluuies, hominibus quoque tabeſcentibus propter famem uerbi Dei. Hi omnem conſolationem habebunt: quemadmodū illi omnem ſaturitatem in æterna patria, qui cum quodam feruēti deſiderio ueram iuſticiam ſequuntur. Iuſticiam ſcilicet Euangelicam, qua per fidem & bona opera iuſtificamur. Vult quoque Chriſtus, ut quia noſtri miſertus, ut & nos miſericordiam exhibeamus alijs. Ergo miſericordiā conſequentur, qui miſerias alienas faciunt ſuas, & pro uiribus alios iuuant, aut ſaltem ex animo compatiuntur, qui' que infirmum fide ſuſcipiunt atque ſanant, et famelicos reficiunt ſcientia, pijsq; doctrinis. Quibus omnibus proinde dicturus eſt Chriſtus: Venite benedicti patris mei, percipite ac poſsidete regnū, &c. Porrò ut nihil inquinatum intrabit regnum illud cœlorum, ubi ſanctus ſanctorum habitat: neminem dicit uiſurum Deum, niſi mundum corde: hoc eſt, quiſquis habebit cor ab inquinamentis illibatum.

Saluatorē noſtrum expectamus, qui reſormabit corpus configuratum corpori claritatis ſuæ.

b Gen. 22.

c Act. 5.

Philip. 3.

Mites.

Lugentes.

Sitientes.

d Iac. 5.

Miſericordes.

Mundi corde.

Quia autem omnis homo per ſe impurus eſt, & habet materiam ſecum, quæ gignit ex ſe prauas cupiditates: Paulus dicit legem repugnantem. fieri id poteſt non niſi diuina in nobis faciente gratia, quæ ſola purgat mentis noſtræ tenebras. Videbunt Deum autem illi, nō quidem ut nunc, per ſpeculum & in ænigmate: ſed facie ad faciem, & ſicuti eſt, quam cōſtat uerißimam perfectißimamq; beatitudinem eſſe. Certum quoque eſt, Deum pacis Deum eſſe: et ipſum Chriſtum pacem noſtram, ut per ipſum acceſſum habeamus ad patrem in uno ſpiritu. Meritò igitur filij Dei uocabuntur, ut ſanctißimus aſſerit Chriſtus, qui in cordibus ſuis erga Deum & homines ſunt pacifici: deinde pro uiribus inter fratres dißidentes, pacem faciūt, præcipuè tamen ſpiritalis pacis amatores. Et poſtremò, ut perpetuum dißidium eſt inter Deum atq; ſatanam, haud fieri poteſt [a] quin homines uero duci Chriſto militantes, perſecutionem patiantur. At beati illi quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, horum ſcilicet, qui imperturbata mente ob uoluntatem Dei faciendā iniurias & contumelias perferunt, non quaſi iniuſti & propter ſcelera, ſed ut iuſti & propter iuſticiam, amore Chriſti, uel ob aliquam Dei cauſam à ſuis uel alienis, in corpore uel fama aut bonis. At quis eſt hic, ais, & laudabimus eum? Enimuerò talis nimirum fuit Abraham. [b] Cum enim tentaretur, non'ne conſtantißimus in fide fuit? necnon cæteri patriarchæ & prophetæ. Sancti quoque Apoſtoli, quos Scriptura dicit gaudentes à conſpectu cōſilij iuiſſe, [c] ut qui digni habiti eſſent, contumeliam pati pro nomine Ieſu. Alij deniq; martyres, de quorum admiranda in fide conſtantia plura commemorat & ipſe martyr inſignis D. Cyprianus. Horum igitur exemplo docemur, cum impoßibile nobis uidetur ſeruare legē Domini, quia et ipſi homines infirmitate circūdati fuerūt, admodum poßibile eſſe facere quæcunq; præcipit Saluator noſter. Ob quam cauſam puto D. Iacobum ſcripſiſſe: [d] Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerūt, pro exemplo quod imitemur introducens Iobum, uirū quidē omni memoria dignū. Cæterū quo minus ſuccumberēt diſcipuli calamitatibus ingruentibus, magnam & copioſam poſt uarios caſus & pericula mercedem pollicetur.

Pacifici.

Ecce, inquit, merces ueſtra copioſa eſt in cœlis.] Ergo cœlum & beatitudinē ſuis operibus meriti ſunt diui iam recepti, iuxta Auguſtinum: quomodo ergo Paulus dicit, hominem ſaluari gratia per fidem, & non ex operibus? Equidē ſi meritum attenditur, ex ſola humanorū operum dignitate ac natura, nulla habita ratione diuinæ gratiæ adiutricis, aut bonitatis eius immēſæ, promittentis præmia, nullum ſanè ponendum erit meritum, quod ſit ex operum qualitate ad reddendā mercedem obligatoriū. [e] ait enim Chriſtus: Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt uobis, dicite, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecim⁹. Igitur ſi mandata Dei fecerimus, non eſt nobis de futura apud eum gratia deſperandū: nequaquā tamen eam operibus noſtris debitam eſſe credamus, & noſtrum eſſe meritū, ſed merā eius bonitatem. Gratiā enim omnē quā angeli aut homines habere poſſunt, Deo acceptā referre debemus, et dicere:

e Lucæ 17.

Serui ſumus, quibus nihil debetur, ſed qui ſemper debent, & nunquam ſoluendo eſſe poſſunt. Præterea omne uirtutis noſtræ (ut diuus ait Gregorius) uitium eſſe conſpicitur, ſi à Deo diſtrictè iudicetur, propter opera uidelicet uenialibus delictis nõ carentia. Sin ergo meritum attenditur ex diuina promiſſione gratuitò nobis facta, ut cuſtodientes mandata Dei ingrediemur æternam requiem, & ex adiutricis gratiæ Dei, ad bene operandũ, præſidio, & demum ex operum noſtrorum qualitate, certè meritum erit in humanis operibus erga Deũ, [a] cui ſuum reſpondeat ſecundum diuinam ordinationem præmium in cœlo, & perinde debitum ſicut merces pro labore: non tamen ex natura actus, ſed ex liberaſſimi Dei promiſſione, qui uolens ſe debitorem conſtituit. Et ſic credo ritè intelligetur D. Apoſtolus, ita dicens: [b] Fidẽ ſeruaui, curſum conſummaui, repoſita eſt mihi corona iuſticiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex. Paucis hæc interpretantur per Athanaſiũ: Hæc corona, inquit, uel debita eſt, ob iudicis æquitatem. Porrò hæc merces, ait Chriſtus, Copioſa eſt in cœlis.] In cẽtuplo maior meritis et laboribus, quoniã Deus ipſe merces eſt adeò magna, adeò copioſa, ut rectè Philippus dixerit: Domine, oſtende nobis patrem, et ſufficit nobis. quaſi diceret: Omnes nos gaudij plenos profitebimur, nec deeſſe ad beatitudinem quicquam nobis arbitrabimur, ſi Deum patrem uidebimus. Eſt igitur Deus ſummum bonum, unde ubi ipſe eſt, neq; luctus neque dolor erit, ſed omnium bonorum congregatio, quæ uel excogitari uel optari poſſint. De his ſcribens diuus Apoſtolus: Oculus, inquit, [c] non uidit, auris non audiuit, & in cor hominis non aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.

DOMINICA VICESIMAQVARta Euangelium, Matthæi nono. Loquente Ieſu ad eos, ecce princeps unus.

HAbebant Iudæi templum magnificè ab ipſo Salomone [d] ædificatum Hieroſolymis, ubi Dominum Deum ter in anno ſolenniter uenerabantur. [e] Conueniebant aũt, ut ex Actis patet, etiã Iudæi omni ſabbato, orandi gratia, & ad audiendum Dei uerbum: nonnunquam uerò congregabantur ſeniores, ad tractandam uidelicet rempublicam, & alia. qui igitur conuocandi poteſtatem & authoritatem habebat, Archiſynagogus appellabatur. Procidit ad pedes eius.] Videtur ille fidem habuiſſe, quamuis non magnam, dum obſecrat ut ueniat Chriſtus, & manum imponat. Verùm nihil offenſus Chriſtus, quin ut oſtenderet ſe paratum ad benefaciendum omnibus, ſimpliciter & cum fiducia opem eius implorantibus, ſecutus eſt eum.

Hõc magiſtrũ imitentur diſcipuli, ut bonum operẽtur ad omnes.

Et ecce mulier.] Magnã in Chriſtum Ieſum hanc mulierem fidem ſeu fiduciam habuiſſe, argumento eſſe poterit, quòd ſolo fimbriæ contactu ſe ſanitatem conſecuturam credidit. Prodit igitur eam Saluator, nõ ut amans gloriæ, ſed ut fidem illius ad noſtram utilitatem declararet. Confide autẽ dicit, eò quòd timida erat, & filiam uocat ut fidelem, oſtendens per fidem filios Dei fieri: quocirca nemo beneficiũ à Ieſu recipiet, niſi habuerit fidem. unde Apoſtolus: Sine fide, inquit, impoſſibile eſt placere Deo, Credere enim oportet quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt.

Hebr. 10.

a Regnũ Dei non datur nobis ut ſeruis, ſed ut filijs, modò ſimus patri obedientes.

b 2. Tim. 4.

Cum ueniſſet Ieſus.] Quo amplius ad lugendum homines prouocarentur, ex antiquo plangendis funeribus tibijs canentes utebantur. Quoniam autem Ieſus erat reſurrectio & uita, nec ei quiſquam mortuus erat, ſed dormiebat ſaltem: haudquaquam illos pati potuit, quin omnes eijceret, dicens: Non mortua eſt puella, ſed dormit.] Mortis memoria timorem incutit ferè omnibus: igitur homines ualde contriſtantur imminente iam mortis immanitate. unde Ariſtotelem dixiſſe uolunt: Omnium terribilium terribiliſſimum eſt mors. Cum enim uix maior coniunctio ſit quàm corporis & animæ, natura hominis uſqueadeò mortem horret, corpus & animam ſeparantem, ut nec etiam uiri ſancti à mortis timore fuerint alieni. Nam Ezechias cum audiret à Propheta, Diſpone domui tuæ, quia morieris: conuertit faciem ſuam ad parietem, & fleuit fletu magno. Et Chriſtus ipſe cœpit pauere & tædere, imminente paſſionis hora, qui quidem metus (ut diuus ait Cyprianus) infirmitatis humanæ cõmunem expreſſit affectum, omnes in carne uiuentes hoc dolore urgeri, hoc omnibus eſſe impoſitum, ut difficultas extremi tranſitus timeatur, præſertim homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis, & uiro quieto, ut ait ille. Verùm utcunq; timor ille naturalis ſit, tamen magnopere fugiendus ac fugandus eſt, recta ac deliberata ratione hominis uerè Chriſtiani, qui ſcit mortem nihil aliud eſſe quàm migrationem ex hoc mundo ad cœleſtem patriam. Quapropter ſancti uiri luctum immodicum olim uehementiſſimè reprehenderunt, ut Chryſoſtomus, qui ait: Nemo defunctos ploret, nemo lugeat. Si quempiam flere oportet, diabolum certè oportet, non te qui ad requiem proficiſceris. Et poſt pauca: Si defunctum diligeres, gauderes profectò, exultaresq;, quia

Eſaiæ 38.

c 2 Cor. 2.

Matth. 14.

Eccle. 41.

d 2 Para. 5 & 6

e Exod. 32.

quia fluctus præſentis uitæ pernauigauit. Duo i-
[a] 1.Cor.15. gitur habet fidelium diſſolutio bona: unum, quia
Eccleſ.1. nihil aliud hic quàm ſumma tribulatio & uanitas,
quibus illi mirum in modum diſcruciantur: ſed morte interueniente, liberantur ab ijs malis atque moleſtijs. Diuus Gregorius Iobum ſanctiſſimum uirum ſanctiſſimè dixiſſe teſtatur: Homo natus de muliere, breui uiuẽs tempore, repletur multis miſerijs. ait enim: Si ſubtiliter conſideretur omne quod hic agitur, pœna & miſeria eſt. Multa cautela cuſtoditur ſalus corporis: amamus amicos ſuſpecti, ne aliquando fiant inimici: formidamus inimicos, & qui falli nunquam uel fallere uolumus, ex cautela noſtra grauius erramus. Hactenus ille. Quã primùm igitur morimur, ab huiuſmodi malis & ſollicitudinibus liberamur. Alterum quod ſecum fert mors bonum, hoc eſt, quod à Domino recipimur. Omnes enim animæ cum de hoc ſeculo exierint, recipiuntur, & habent requiem boni, mali uerò tormenta, quemadmodum Auguſtino placet. Sapientes finem malorum exoptantes mori uolebant: quibus tamen ad Orcum, ubi latratus infernalis & hydra ſæuior ſedem habent, eundũ erat:
Philip.1. quanto magis nos (ut diui Pauli uerbis utar) diſ-
ſolui cupere debemus, et eſſe cum Chriſto, ubi, iuxta Prophetam, ſedet populus Dei in pulchritudine
Eſa 32. pacis, in tabernaculis fiduciæ, & pace opulenta,
ubi eſt ſecuritas in ſempiternum. Mori itaq; planè timeat (inquit Cyprianus) ſed qui ex aqua & Spiritu ſancto non eſt renatus, qui Chriſti cruce & paſſione non cenſetur. Atqui omnia hæc modò ſe-
[b] 1 Theſſ.2. cundum ſpiritum ſiue animam intelliguntur: futu-
ra enim eſt adhuc carnis reſurrectio, quãdo corpora reuiuiſcent, quibus coadunabuntur ſpiritus & animæ, tum demum omnes recipient ueram
[c] Dan.9. promiſsionem, ſicut dictum eſt à prophetis, Chri-
Ezec.37. ſto, & diuo Paulo. Qui ergo uita functi ſunt ſan-
Ioan.5. cti, præuenerunt quidem nos in certaminibus, ſed
1.Cor.15. non in coronis. expectant enim nos, & pergrata
eſt illis eiuſmodi expectatio, ut cum fratribus gloriam & perfectionem adipiſcantur. **Et ſurrexit puella, &c.**] Suſcitauit Ieſus mortuos
[d] Vide Lactantium lib. 7. capite 14. aliquot non tantum propter promiſsiones patrib. factas confirmandas, & ut Scripturæ adimplerentur:
Eſaiæ 35. uerumetiam quo probaret reſurrectionem il-
lam, ualde creditu difficilem pleriſque, quam certè qui non credit, inanem & nihili fidem habet.
[e] Pſal. 90. Quòd enim Chriſtum credimus, ipſiq; credendo
adhæremus fortiſsimè, in hunc ſolum fit finẽ, quia
Spes Chriſtianorum eſt reſurrectio mortuorum. ſperamus ipſum Chriſtum nobis daturum poſt hanc uitam, uitã ſempiternã: quæ profectò nequaquam erit, niſi à mortuis reſurgamus, pariter que cum Chriſto corporibus glorificatis cœlum conſcendamus, qui primus (ut diuinus aſſerit [a] Paulus) morte deuicta, & eo qui mortis imperium habebat diabolo ſuperato, reſurrexit ad uitam immortalem, corpore immortali & glorioſo: per quem igitur omnes uiuificabuntur, qui in aduentum eius crediderunt, quo ſcilicet uenit in mundũ carne aſſumpta, & quo ueniet ad iudicium.

DOMINICA VICESIMAQVINta Euangelium, Matthæi uigeſimoquarto. Cum uideritis abominationem deſolationis, &c.

SCribit D. Cyprianus contra Demetrianum, Chriſtum nobis uiam uitæ aperuiſſe, ad paradiſum reduces facere, & ad cœlorum regna perducere, ut cum ipſo ſemper uiuamus: & facti per ipſum filij Dei, cum ipſo ſemper exultemus, ipſius cruore reparati. Quod equidem non ſolùm ſacratiſsima ipſius Chriſti doctrina probat, uerumetiam argumento eſſe poſſunt ſtupenda illa miracula quæ edidit. At ut omnia nuda & aperta fuêre coram oculis eius, ut & nunc quoq; ſunt: ita ſanè uidit peſtiferum ac uirulentiſsimum hominem nouiſsimis temporibus uenturum, qui aliam & planè contrariam doctrinam habeat, eumq; ſtaturum in loco ſancto. Verùm hunc hominẽ uulgò appellant Antichriſtum, quem naſciturum in Babylone diuus aſſerit Hieronymus. Hic in tantam erigetur ſuperbiam, ut leges Dei mutare conetur, et ut Apoſtolus ſcribit, [b] extolletur ſupra omne quod dicitur Deus, ita ut in templo Dei ſedens, ſe Deum dici & haberi uolet: quæ impietas atq; ueſania diabolici iſtius & perditiſsimi hominis, diu antea per Danielem [c] uaticinata eſt. Monens igitur Chriſtus ſuos diſcipulos, apertè pronunciat talem abominationem superuenturam. **Tunc qui in Iudæa ſunt.**] Quia de ſecundo aduentu & conſummatione ſeculi Dominum Ieſum diſcipuli interrogauerunt, quo tempore homo ille iniquitatis ueniet, omiſsis alijs quæ de Iudæorũ perſecutione ac urbis deuaſtatione referuntur, ultimã calamitatẽ exponemus. Igitur in Iudæa ſunt [d] atque erunt omnes fideles. qui enim uerè in Chriſtũ credunt, ſemen Abrahæ dicuntur. hi certè ſæuiẽte eo, ad montem qui Chriſtus eſt cõfugere debẽt, à quo defendi ac cuſtodiri poſſunt. ait enim: [e] Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Et proinde per domum & tunicam ritè tẽporalia intelliguntur, quæ retrò conuerſi haudquaquam quærere debent, ſed tantum ſpiritualia

bona

bona & æterna, dicente Domino: [a] N*iſi quis renunciauerit omnib. quæ poßidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* V*erum quia* Hieron. *ait*, Ego reor *omnes hæreſiarchas antichriſtos eſſe, & ſub nomine* Chriſti *ea docere quæ ſunt contraria* Chriſto: *quamprimum uident dogmata peruerſa ſeminari, ad diuinas* Scripturas *confugiendum erit: ait enim* Propheta, *Deum mirabiliter illuminare homines de montibus æternis: hoc eſt, prophetis atque* Apoſtolis. **Væ prægnantibus.**] O*ſtendit nemini poſſe uacare rebus ut conſulat ſuis, magnum ſi celeri fuga uitæ conſulatur. quapropter malè erit prægnantibus, quia expeditam fugam habere non poterunt, onere uentris grauatæ: lactantes autem cum nequeunt ſimul & ſe & lactantes conſeruare, ex compaßione unà deperibunt.* **Orate autem.**] Hieronymus Scri*pturas iuxta ſpiritum interpretandas contendit.* C*um igitur hyems tempus intempeſtiuum ſit, ſabbatum uerò dies requiei: precari oportet ne fiat fuga noſtra, hoc eſt mors, ocioſis nobis à bonis operibus. qui enim ueſtem nuptialem non habebat, proiectus eſt in tenebras exteriores.* N*eq; hyeme, hoc eſt frigida fide, quum ſcriptum ſit:* [b] Q*ui perſeuerauerit uſq; in finem, hic ſaluus erit.* **Erit enim tunc tribulatio.**] M*axima tribulatio fuit, quando omnem carnem diluuio conſumpſit* Deus, Noe [c] *tantũ ſaluato cum familia ſua. & magna quoque, cum ciuitates* [d] Sodomorum & Gomorrheorum *in cineres redegit. at omnium hæc ultima tribulatio grauißima erit, quia illic fuit aduerſus peccatores iuſta* Dei *uindicta, hic autem erit aduerſus ſanctos crudelis diaboli ueſania.* V*nde à pijs doctoribus proditum eſt,* Antichriſtum *exquiſitis cruciatibus homines occiſurum: & quòd concutiet* Eccleſiam Chriſti *turbine omnium grauißimo.* **Et niſi abbreuiati fuiſſent dies.**] D*e* Antichriſto *futuro mira ſcribunt doctores ſacri,* Hieronymus, Irenæus, Lactantius, Chryſoſtomus & Damaſcenus. H*ic horrenda et grauißima tribus annis cum dimidio duratura ſcribit, ne uidelicet fides tota concutiatur credentium, & ne iuſti ad iniquitatem extendant manus ſuas: ſpiritus ſiquidem ut promptus eſt, dicente* Saluatore, *infirma tamen ſemper eſt caro.* [e] Q*uòd ſi huius uitæ ſtatum ſic diſpenſauit* Deus, *ut, iuxta* Apoſtolum, *tentatio nos non apprehendat niſi humana: quanto magis tunc faciet unà prouentum, ut* Apoſtolus *loquitur,* [f] *quò electi in malis clareſcant, & uirtus eorum non patiatur defectionem?* **Tunc ſi quis.**] E*tſi tantum una ſit* Eccleſia *ſanguine* Chriſti *mundata & ſanctificata, extra quam nulli unquam ſalus fiet: tamen hic & illic promittent ſalutem pſeudochriſti & apoſtoli.* S*ingulatim uariarum hæreſum profeſſores dicturi ſunt:* Ecce hic eſt Chriſtus, *id eſt* Eccleſia: & illic, *id eſt* Eccleſia. **Nolite credere.**] C*ogitate falſa ac impia dogmata eſſe: quia falſi prophetæ, etſi magna edant miracula. uirtute enim hoc fiet dæmonum, & non* Dei: *ſed permittente* Deo, *ne mali inter bonos remaneant, & ne boni inter malos tranſeant ad diabolum.* E*t uerum eſt, tanta ſignorum illorum magnitudo erit, ut etiam electi, niſi diuina gratia conſeruarentur, perirent, quando inſidias profundas diaboli intelligere non poſſunt.* **Ecce prædixi uobis.**] C*onteſtationis uerba ſunt, ut excuſationem ignorantiæ tollat ab hominibus, & præcedens conteſtatio iuſtam faciat pœnam ſequentem.* N*on enim uult quempiã perire, qui omnibus monſtrat perditionis aduentum.* Q*uid quæſo fidelius* Chriſti *admonitione eſſe poſſet, modò acceptes eam?* C*um enim ait,* Ecce prædixi uobis: *quid aliud uult, quàm:* F*eci quod meum erat: ſi peris* Iſrael, *profectò perditio tua ex te eſt. ex me enim erat auxilium tuum.* **Si ergo dixerint.**] C*um dixerit* Propheta, A*b ortu ſolis ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus: quid faciet* Chriſtus *in ſolitudine? non ad paucos reducta eſt fides, cum dixerit* Chriſtus: Ecce ego uobiſcum *ſum, uſque ad conſummationem ſeculi.* N*olite exire, nolite credere: quia filius hominis non in ſolitudine eſt gentium, neq; in penetralibus hæreticorum: ſed quòd ab oriente uſque in occidentem fides eius in catholicis* Eccleſijs *fulgeat.* S*ic ſcribit* Auguſtinus Donatum *docuiſſe, in ſola ſua parte manſiſſe* Eccleſiam, *cæteris damnatis. quod quàm pulchrè refutet pius antiſtes ille, teſtatur liber contra* Petilianum *ſcriptus.* A*beant igitur quorumcunque conuenticula, cum hic eſt uerus ille* Propheta *in lege & prophetis promiſſus,* Chriſtus *ſcilicet, qui ſuam fidem in orbem uniuerſum diffudit, unde dicitur fides catholica atque orthodoxa.* **Vbicunque fuerit corpus.**] C*orpus* Chriſtus *eſt, qui humanam pro nobis aſſumpſit naturam.* S*ancti omnes comparantur aquilis. ut enim hæ probantur ad* Solem, *ita illi ad* Dei *iuſticiam comprobantur. ſi enim potuerunt pleno corde iuſticiæ uerba ſuſcipere, intelliguntur ueri ac legitimi filij* Dei *eſſe, à quo inæternum ſatiantur, ſicut ſcriptum eſt:* Satiabor, *cum apparuerit gloria tua.*

a. Luc. 14.
b Matth. 24.
Malac. 1.
Mat. ult.
c Gen. 8.
d Gen. 19.
e Matth. 26.
f 1. Cor. 10.

DOMINICA VICESIMA SEXta Euangelium, Matth. 25. Cum autem uenerit, &c.

Alt magnus ille propheta Dauid: Deus noſter manifeſtè ueniet, ignis in conſpectu
Pſal. 49. a Iob 19. eius, & tempeſtas ualida. Certum autem eſt, hæc
de Chriſto Prophetam dixiſſe, qui licet occultus
uenerit & humilis, omnium abiectiſſimus uiſus
ſit: in fine tamen ſeculorum manifeſtè ueniet, &
uidebit eum omnis homo, ut etiam mali licet inuiti
eum Chriſtum eſſe Domini confeſſuri ſint: ut quẽ
contempſerunt in humilitate, agnoſcant eum in po
teſtate. In poteſtate (ait Gregorius) & maieſtate
eum uiſuri ſunt illi, qui humilem eum audire noluerunt, ut uirtutem eius tanto diſtrictius ſentiant,
quanto nunc pertinacius ceruicem cordis ad ipſius patientiam non inclinant. Vt igitur leuabunt
capita ſua electi, propter iam imminentem ueram
redemptionem: ita ſanè dubio procul fœdiſſimi
b Ioan. 10. confundentur Iudæi, uidentes eum maieſtate ma-
Zach. 12. gna fulgentem, in quem pupugerunt, iuxta Zachariam. Quali autem forma Chriſtus uenturus ſit,
ſatis docuere, ut Acta teſtãtur, angeli, qui poſt aſ-
c Pſal. 43. ſumptum Ieſum Apoſtolis aſtiterunt, et dixerunt:
Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à uobis, ſic ueniet,
quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum,
Acto. capite 1. **Et omnes angeli eius cum eo.**] Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem,
angeli paſtoribus adnunciantes magnum hoc gaudium totius mundi hominibus patefaciendum, ſubitò cœperunt omnium creatorem iuxtà ac redemptorem laudare omnium iucundiſſimo canti-
Lucæ 2. co ſuo: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax
hominibus bonæ uoluntatis. Qui ergo tunc ipſum
Ieſum eſſe Chriſtum & Saluatorem proteſtati fuerunt, quomodo non comparerent cum eo iam glorificato, & ut Domino omnium potentiſſimo, qui
ut magnificus eſt atque glorioſus, ſic quoq; transformabit corpora ſuorum electorum, quo eiuſdem
ſint claritatis? Vt autem Angeli aderunt tanquam
adminiſtratorij ſpiritus, cum electis item tan-
d Pſal. 1. quam cœleſtis Hieruſalem ciues, unà & ſimul cœ-
e Ioan. 3. lum inuolabunt, ſententia iudicis ſummi lata.

Et congregabuntur.] In conſpectum
ipſius Chriſti conuocabuntur omnes totius orbis
f Rom. 2. Gentes, à primo uidelicet Adam uſque ad ultimum, qui in fine mundi erit. Nullus enim homi-
g Matth. 19. num, quamlibet excelſus, poterit illud iudiciũ effugere. Omnes enim, ut diuinus aſſerit Paulus,
2. Corint. 5. manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Verùm hanc congregationem ex uirtute diuina & miniſterio angelorum fieri uolunt ſancti ac pij patres, & non animarum tantum, ſed & corporum quoque. quemadmodũ Iob teſtatus eſt, ſic dicẽs: [a] Scio quòd redemptor meus uiuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea uidebo Deum ſaluatorem meum, &c. Quòd enim Plato & alij ſenſerunt, parum nobis negocij faceſſit: & credendum eſt animas iiſdem numero corporibus, quibus exceſſerunt, copulatum iri, & ad ea corpora ſuapte natura ferri, quibus animalem uitam infuderunt. ſic namq; docet Paulus Corteſius.

Et ſeparabit.] Nunc homines pij pariter ac impij, ueluti parabola ſatis euidenti demonſtrauit Chriſtus, mixti & confuſi ſunt, & nulla eſt diſcretio. haud ſecus atque accidit hyemis tempore, ubi arbores tam uirides quàm aridæ latent, quouſque terra aperiatur, uerq; nouum ſtet cinctum florente corona (ut ait ille.) Chriſtus ut nouit qui ſui ſunt, ſolus itaque diſcernet inter oues & hœdos, inter pios atque impios, qui dixit alibi: [b] Oues meas cognoſco, & uocem meam audient: homines manſuetos, iuſtos & rectos corde ſic appellans, quales etiam Dauid commemorabat: [c] Propter te, dicens, mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Quia uerò hircus animal ſuperbum, contentioſum & libidinoſum eſt, haud abſurdè per hœdos impios & peccatores intellexit Chriſtus. **Et ſtatuet.**] Innoxios & beneficos, qui à dextris eſt uirtutis Dei Chriſtus, ad dexteram ſuam ſtatuet, tanquam ſublimandos: impios autem & ſceleratos, tanquam reijciendos, à ſiniſtra ſtatuet parte. hocq; modo uniuerſo mortalium, uel potius iam immortalium genere, in duos ordines diſtributo, tanquam iuſtus iudex utriſque iudicium proferet, nimirum bonis magnam felicitatem propter pia in ipſum officia, & malis æterna ſupplicia, quæ culpis commeruerunt ſuis. **Tunc dicit illis.**] D. Gregorius docet, omnium gentium coram Chriſto congregatorum partes fore, ita ut ſint qui non iudicentur & pereant, dicẽte propheta: [d] Non reſurgent impij in conſilio iuſtorum. Et ut Dominus dixit: [e] Qui non credit, iam iudicatus eſt. Reſurgent ergo omnes infideles, ſed ad tormentum, non ad iudicium: ut, dicente Apoſtolo, [f] ſine lege pereant, qui ſine lege peccauerunt. Ita quoque non iudicabuntur quibus dictũ eſt, [g] Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & uos ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tri-

cim tri-

cim trib. Iſrael. Sedebitis [a] *(inquit Hieronymus)*
in ſolijs iudicantiũ, cõdemnantes tribus Iſrael: quia
uobis credentibus, illi credere noluerunt. Et Augu
ſtinus putat, Ieſum cum ſuis diſcipulis iudicaturũ,
eo quòd dixit ille Iudæis: Ideo iudices ueſtri erũt.
Iudicabuntur ergo & ſalui erunt, qui uitæ macu-
las lachrymis tergunt: inſuper peccata, ſine qui-
bus non eſſe poteſt humana fragilitas (1. Ioan. 1.
Si dixerimus quia peccatum non habemus, &c.)
eleemoſynis pauperum redimentes. Dicit enim
Chriſtus, ſe dicturum à dextris conſiſtentibus:
Eſuriui, [b] *et dediſtis mihi manducare, &c. Demũ*
in extremo iudicio reſurgent, ut iudicentur, qui
quidem profeſſionem fidei retinuerunt, dicentes
Domine Domine: ſed profeſſionis opera non ha-
buerũt, de quibus Apoſtolus: [c] *Confitentur, ait, ſe*
noſſe Deum, factis autem negant. Et Dominus in
Euangelio [d] *oſtendit, eum pro jciendũ in tenebras*
exteriores, qui ad nuptias uenerat ueſte nuptiali
non indutus, quam ueſtem plerique charitatem
& pietatis opera interpretantur. Ad Euangelium
redeo. Dicit illis.] *In quæſtionem uenit, an*
iudicium ſit, tanquam in foro, uocis diſceptatione
futurum. Qui dicunt, Chriſtum non modò diui-
nitùs, ſed etiam humanitùs dijudicaturum, ſenten-
tiam uoce latum iri uolunt. Quibuſdam autem
placet, mente & uoce rerum teſtificationem fo-
re. Auguſtinus autem ſic ſentit: Quædam uis,
inquit, eſt intelligenda diuina, qua fiet, ut cuiq; o-
pera ſua uel bona uel mala, cuncta in memoriam
reuocentur, et mentis intuitu mira celeritate cer-
nantur, ut accuſet uel excuſet ſcientia conſcien-
tiam, atq; ita in ſimul & omnes & ſinguli iudi-
centur. Venite benedicti patris mei.]
Hoc eſt, quos pater ille ſummus benedixit benedi
ctione ſpirituali, & elegit uos in me ante mundi
conſtitutionem, ut eſſetis ſancti & immaculati in
conſpectu eius, &c. Venite, qui dixiſtis & cre-
didiſtis eſſe Chriſtum filium Dei uiui, pro cuius
fide & dura & difficilia toleraſtis, poßidete ab
origine mundi præparatam uobis hæreditatem.

Eſuriui enim.] *Non ſolùm ore tenus fide-*
les fuiſtis, ueſtra fides uiua fuit: nam operata eſt
per dilectionem. Vos fideles mei ſerui, bonis uobis
cõcreditis mihi fidelißimè negociati eſtis, quando
ea ad gloriam nominis mei, & utilitatem fratrum
meorum diſpenſaſtis: intrate in gaudium Domini
Dei ueſtri. Theophylactus non tantum illud uult
corporaliter intelligi, ſed etiam ſpiritualiter. ait e-
nim: Paſce Chriſtum, qui eſurit ſalutem noſtram:
ſed & eſurientem doctrinas ſi paueris & potaue-
ris, pauiſti Chriſtum, & potaſti, & cætera. Et
bene quidem hoc, meo iudicio: quòd ſi enim ma- a Matth. 19.
gnæ beatitudinis eſt, propter Chriſtum corpori-
bus miniſtrare quandoq; morituris: quantæ bea-
titudinis erit, animabus precioſißimo Ieſu ſangui-
ne redemptis ſubuenire? Tunc responde-
bunt iuſti.] *Hoc quidẽ dicturi ſunt ſancti, tan-*
quam admirantes & ſtupentes de tantæ maieſta-
tis clementia: quibus minimũ uidebitur, quod cau-
ſa Chriſti exhibuerunt. Et respondens
rex.] *Rex tum demum omnium erit Chriſtus ſo*
lus, habens immortalitatem, cui honor et imperiũ
ſempiternum erit. Minimi autem Chriſti (ut uult b Matth. 25.
Hieronymus) non ſunt generaliter omnes paupe-
res: ſed hi qui pauperes ſpiritu ſunt, ad quos ex-
tendens manum Chriſtus dixit: Fratres mei &
mater mea hi ſunt, qui faciunt uoluntatem patris c Tit. 1.
mei. Et quod alio loco ad diſcipulos ſuos dixit: Vos
amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio uobis. d Matth. 22.
Veri ergo fratres & amici Chriſti ſunt, quos mun
dus ob inopiam & humilitatem habet deſpicatiſ-
ſimos. Tunc dicet & his.] *O' quàm for-*
midabilis hæc ſententia aduerſus omnes quibus
mundus applauſit, ut ſcilicet diſcedãt in nunquam
extinguendum incendium. Vt enim, dicente Pe- 2. Pet. 2.
tro, nouit Chriſtus pios de tentationibus eripere:
ita iniqui reſeruantur in diem iudicij, ut redargu-
antur & pereant, & irremißibiliter crucientur.
Quales profectò ſunt non tantum Ethnici & Pa
gani, peßimi idololatræ, qui iam cum principe ſuo
& angelis eius iudicati ſunt: uerùm etiam, ut ſu-
prà diximus, qui abſconderunt talentum in terra:
hoc eſt, acceperunt quidem fidem & alia dona,
ſed fidei libertatem ſumpſerunt quaſi malitiæ ue-
lamen, haud conſiderantes Chriſtum, qui dederit
ſemetipſum pro nobis ut nos redimeret ab omni i-
niquitate, & mundaret ſibi populum, ut Paulus di
cit, ſectatorem bonorum operum. Hinc igitur ni-
hili faciunt charitatẽ tum Dei tum proximi, quin
uiuunt in diem etiam ipſis aliquando Iudæis peio-
res, nec non Turcis. his poſteriora igitur peiora Petrus ibidẽ.
fieri prioribus, oſtendit Petrus: & Paulus haud
impunè eos abire ſinit. Quòd ergo dictum eſt,
eos qui à ſiniſtris erunt condemnandos, eo quòd
pietatis officia neglexerint: innuit pſeudochriſtia
nos multos fore, qui ad cœnã agni quidem uocati
ſunt, ſed uenire noluerũt, inquinationib. huius mũ
di implicati, et immerſi uarijs illecebris. Nec enim
fruſtra dixit Ieſus: Multi ſunt uocati, pauci uerò Matth. 22.
electi. Si quis certè diſcuſſerit, quãta multitudo ho
minũ profitentiũ Chriſtũ, quam pauci aũt cõuer
ſentur iuxta mãdata Chriſti: profectò maior pars
iudicabitur et peribit. Audiamus ergo Auguſtinũ

pie conſulentem: Qui non eſt prædeſtinatus, ui-
deat ut prædeſtinetur. Et ibunt hi in ſup-
plicium æternum.] *Hoſtiliter & inimicè*
erga nos affecti ſunt dæmones, quibus paratus eſt
ignis æternus: meritò idem ſupplicium habebunt,
qui eiuſdem uoluntatis ſunt, & proprijs operibus
maledicti facti. Ita ſancti inceſſabile habebunt
Origenis q; dæ- *gaudiũ, iniuſti uerò indeſinẽtem pœnã. Quocirca*
mones ſaluari *eos toto cœlo erraſſe certũ eſt, qui uoluerũt ſuppli*
uoluerunt. *cia aliquando finiri, et fore tempus quãdo impij in*
Vide Hieron. *iuſtorum uenturi ſint conſortiũ, à pœnis purgati.*
cõtra Vigilantium. *Hoc enim diuinæ pietati aptiſſimè conuenire, ut*
ſicut hominem redemit, ita quoque angelum la-
pſum ſaluet. Id quàm friuolum ſit, quamq; à noſtra
religione alienum, docet Auguſtinus ad Oroſium
his uerbis: Quantum debeo, commoneo, ut de dia-
boli & angelorum eius correctione, & in priſti-
num ſtatum reparatione, ſapere nihil audeas. O-
remus itaq; magnam Dei miſericordiam, ut nos in
præſenti uita igne timoris ſui ſuccendat, & mala
noſtra igne tribulationis purget, ut cum Propheta
Pſal. 65. *dicere poſſimus: Tranſiuimus per ignem & aquã,*
& deduxiſti nos in refrigerium.

IN DIE DIVI ANDREAE Apoſtoli, Euangelium, Matthæi 4. Ambulans Ieſus, &c.

a Matth. 11.

CVm pientiſſimus creator omniũ Deus cer
tò deſtinaſſet, ſe olim redempturum mun-
dum perditum, ſuis per ſpiritum ſanctum hoc i-
pſum admirabile myſterium prophetis ſenſim in-
Eſaiæ 9. *ſtillauit, ut prophetarent. Hinc igitur dixit Eſaias:*
Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucẽ ma-
gnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux
b 1. Cor. 1. *orta eſt eis: utiq; Chriſtum noſtrũ intelligens, ue-*
ram illam lucem, quæ illuminat omnem hominem
ueniẽtem in hunc mundum. Vt autem omnia iux-
ta diſpoſitionem diuinam fieri oportuit: ita quoq;
lux illa magna primum illuxit in partibus Gali-
c Act. 4. *leæ: & illuxit quidem, primùm ut infunderet gra*
tiam. Verùm gratia illa infundi nequaquam pote-
rat, niſi à prioris uitæ conſuetudine homines rece
derent, atq; reſipiſcentes desererent opera carnis,
& ſpiritualia affectarent. Quàm primùm ergo
Marci 6. *Ioannes, anteambulo Chriſti Ieſu, in carcerem*
coniectus eſt, eo quòd corripuiſſet Herodem pro-
d Deut. 23. *pter illicitum concubitum: Dominus Ieſus, qui nec*
prædicauerat, nec ſignum fecerat ullum, ne uide-
licet populus contendens Ioannem eſſe Chriſtum,
e Deut. 5. *ſcinderetur, utq; Malachias & Eſaias uerum ua-*
f Epheſ. 6. *ticinaſſe comprobaretur, cœpit palàm pronun-*
ciare, ac dicere: Pœnitentiam agite, appropinqua-
bit enim regnum cœlorũ. Sic lux illa magna luxit
in tenebris errorũ, et in umbra mortis æternæ ſe-
dentibus, et tenebræ eam nõ cõprehenderũt. De-
inde quia filius Dei erat uerus, optimè nouit arca-
num Dei conſiliũ: nimirũ hoc eſſe, ut peracta obla
tione ſua in ara crucis, ad patrẽ ſuũ cœleſtẽ glori-
ficatus & glorioſus redeat: at ſe tamen in ſalutem
uſq; ad extremũ terræ poſitũ eſſe. Ambulans
igitur iuxta mare Galileæ, uidit duos fratres, &
uocauit eos dicẽs: Venite poſt me, faciam uos fieri
piſcatores hominum. Vidit.] *Vidit nõ ad fa-*
cies uel opera, ſed corda eorum quos in Apoſtolos
eligeret, faceretq; diſpenſatores myſteriorũ diui-
norũ, quæ quidẽ erant ſpiritualia documenta et ſa
cramenta, in quib. diuina uirtus operaretur ſecre-
tius ſalutẽ, quib. daret gloriã ſempiternã, ut eorũ
doctrina fulgeret Eccleſia: nõ quidẽ auro uel ar-
gento empta atq; acquiſita, ſed ſanguine precioſo
agni quaſi immaculati Ieſu Chriſti, agni qui ſolus
potuit mundi peccata tollere. Hoc autẽ fuit præ-
grande negociũ, et munus omniũ grauiſſimũ: quid
enim maius eſſe potuit, quàm Deum hominẽ fieri,
ut homo fiat Deus? Quis audiuit talia, dic rogo, fa
cta? Mirũ ergo, cur tam ſimplices, cur tam idiotas
et illiteratos Chriſtus aſſumpſit homines in huius
myſterij præcones. Equidẽ nõ mirum erit, modò
audias Chriſtũ patri cõfitentẽ, et dicentẽ: [a] *Cõfi-*
teor tibi pater cœli et terræ, quia abſcõdiſti hæc à
ſapientibus & prudentibus, et reuelaſti ea paruu
lis. Sapientia erant præditi gentiũ multi, ſed uana
& fallaci, prout muta enim ducebantur. quib. pro-
inde diuina ſapiẽtia diuinaq; myſteria occultabã-
tur. Erant & Phariſæi & alij, qui ſe ſua opera ſa-
pientes eſſe arbitrabantur, elati & ſuperbia infla
ti, ut bene de ipſis ſcripſerit Paulus: [b] *Iudæi quærẽ*
tes propriã iuſticiam ſtatuere, iuſticiæ Dei ſubie-
cti nõ ſunt. obinde reuelatũ eſt hoc gratioſiſſimũ
Dei munus ijs qui nihil de ſe ſentiebãt, imò omnia
tribuentes Deo, ſeruatorẽ requirebãt à Deo pro-
miſſum, quibus ipſe dedit os & ſapientiã, ut homi-
nes mirarentur uidentes [c] *Petri cõſtantiã et Ioan-*
nis, ut Scriptura dicit, cõperto quòd homines ſine
literis & idiotæ eſſent. Quamobrẽ quoq; cogno
ſcere potuerunt, non humanitùs, non eloquentia
atq; doctrina, ſed diuinitùs omnia fieri. Et pro-
cedens inde.] *Quòd illi relicto patre ſecuti*
ſunt Chriſtũ, non ut qui malefecerint, reprehendi
poſſunt. Nonne enim [d] *ille uerus pater omniũ eſt,*
qui creauit et fecit nos, in quo uiuimus mouemur
atq; ſumus? Quapropter licet lex iubeat, [e] *ut hono-*
rem exhibeamus parentib. noſtris: illi [f] *tamẽ nullo*

modo

modo præferendi ſunt patri, cui dicimus: Pater
noſter qui es in cœlis: qualis utiq; Chriſtus erat.
erat enim unigenitus filius Dei, plenus gratia &
ueritate, uia, ueritas, & uita: quem qui ſequitur nõ
ambulat in tenebris, ſed habebit lumẽ uitæ. Quia
Lex dicit: Maledictus qui non honorat patrẽ ſuũ,
ſuamq; matrẽ, Paulus uult ſummũ honorem, et o-
mnem obedientiã exhibendã parentibus, illisq; in
omnib. obtemperandũ. Sanctũ eſt, honorẽ paren-
tib. afferre: uerùm cũ plus quàm oporteat quærũt,
ueritati reluctantes, reſiliendum eſt. Erga Chri-
ſtum tantus amor eſſet debet, ut omnia propter i-
pſum poſtponantur, ſicut Lex dicit:[a] Diliges Do-
minum Deum tuum ex toto corde & anima, pro-
ximumq; ſicut teipſum. Et quid proderit, audiſſe
ſanctorũ Apoſtolorũ promptũ animũ, uereq; ſi-
tientẽ iuſticiã et læticiã ſempiternã, niſi (ut Grego
rius inquit) diſcamus & nos imitari ipſos ſequẽtes
Chriſtũ. Venite ad me, inquit Chriſtus,[b] qui labo
ratis & onerati eſtis, et ego reficiã uos: iugũ meũ
ſuaue eſt, et onus meũ leue. Quod equidẽ uſq; adeò
uerũ eſt, ut nemo tergiuerſari poſſit. Etſi enim qui
iugum ipſum intrepida ceruice ſubeunt, tantis agi-
tentur difficultatibus, ut nõ à laborib. ad quietem,
ſed à quiete ad laborem uocati uideantur: tamen
quia nõ ſunt condignæ paſſiones ad futurã gloriã
quæ reuelabitur in nobis, neq; dura neq; amara di
ligentibus Deũ ſunt, quæcunq; accidere poſſunt.
Cum igitur nos quotidie ex hoc mari tempeſtuo-
ſo, perfido, & periculoſo uocamur, promptè Deo
parẽre debemus,[c] mundũ relinquendo, & mundi
retia quæ ſunt terrenarũ rerũ cupiditates. Quid
enim dicturi illi in nouiſſimo die, qui nullũ adhuc
miraculũ Chriſti uiderũt, nihilq; ab eo de præmio
æternæ retributionis audiuerunt (ut Gregorius
inquit) ſed ad unũ Domini præceptum, huius quod
poſſidere uidebãtur obliti ſunt, cum nos uerbũ ha
beamus purũ, miraculisq; confirmatũ: et tamen ſu
perba mens noſtra, non uult hoc ſponte deſerere,
quod quotidie perdit inuita? certè ipſi iudices no-
ſtri erunt, ut ait Chriſtus.[d] quapropter cõſultius
eſſet, relinquereueterẽ Adamũ patrẽ noſtrũ, ma-
losq; affectus, et ſequi opere et uoluntate Chriſtũ,
uerũ patrem, ſalutisq; authorẽ. Quæ enim uiden-
tur, caduca ſunt atq; momentaneæ: quæ uerò nõ ui
dentur, ſempiterna: ait Apoſtolus.[e]

DOMINICA PRIMA ADVENtus Euangelium, Matth. 21. Cum appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymis, &c.

EXodi capite tertio Scriptura dicit Deum*
Moyſi apparuiſſe, ac dixiſſe: Vidi afflictionẽ
populi mei in Aegypto, &c. ubi omnibus in cõfeſ-
ſo eſt, populũ liberandũ ex miſerijs multis ac cala
mitatibus Deum pronunciaſſe. quod ut factum in
manu potẽti credimus cum Iudæis: ita ſanè in hoc
ipſo facto, ſpiritalem redemptionem humani gene
ris, haud ineptè intelligemus. Ita erit Aegyptus
mundus hic immundiſſimus, & Pharao princeps
huius mundi Satan. Quemadmodũ ergo tempus
miſerendi uenit, ut è ſeruitute Pharaonis populus
Dei liberaretur: ſic quoq; uenit plenitudo tempo-
ris, ut hominem perditum eriperet Deus è diabo-
lica poteſtate, iuxta quod dictum erat: Ipſum ſemẽ Gen. 3.
conteret tibi caput. Et hoc gratioſiſſimũ tempus a Deut. 6.
iuxta patrum noſtrorũ inſtitutionẽ, piè recolimus
& celebramus. Omiſſis itaque cæteris Euangelij
partibus, ſolam Zachariæ prophetiã ſumus modo
explicaturi, quæ dicit: Dicite filiæ Sion: Zach. 9.
Ecce rex tuus uenit tibi iuſtus, & ſal-
uator.] *Scimus quidem, ut Apoſtolus cõciona-* b Matth. 11.
tus eſt, Iudæis primùm et principaliter uerbũ Dei
fuiſſe miſſum, propter ueritatẽ, & ad confirman-
das promiſſiones patribus factas, ut idem dicit: ta Act. 13.
men quia ipſi repulerũt, ſeq; indignos iudicauerũt
æterna uita, Prophetam hæc dixiſſe uolumus de
omnibus Deo dilectis, et ad uitam æternam præ-
ordinatis, qui ueri ſunt Iſraelitæ, & cœleſtis illa
Hieroſolyma, ſicut diſertè diducit Paulus Gala- Galat. 4.
tis ſcribens, ubi per allegoriã duo teſtamẽta duo-
bus filijs Abraham comparat. Eſt autem rex quẽ
dicit uenturum, non Cyrus quidam uel Alexãder,
aut Iulius potentiſſimus Romanorum imperator: c Mundi retia.
ſed Rex regum, & Dominus dominantiũ, qui ſo-
lus habet immortalitatem, & lucem habitat, dicen 1. Tim. 6.
te Apoſtolo, inacceſſibilem, filius Dei ſcilicet, pri-
mogenitus omnis creaturæ, ad quem dixit pater:
Tu es filius meus dilectus, ego hodie genui te. Hic
filius Dei à ſummo cœlo ex altiſſimi patris ſinu
in has terras uenit. Et quomodo uenit, qui ubique
eſt? Deus enim eſt ubique, ſicut de ſeipſo dicit: Ego
cœlum & terrã impleo. Reſponderim ego, ueniſſe Hier. 23.
de cœlis filium Dei, quia Verbum caro factum eſt: d Lucæ 11.
non quidem ut propterea de priſca Deitatis maie-
ſtate deciderit, aut cœlos dimiſerit: uerùm quod
per ſuſceptionem humanæ naturæ, nouo exiſten-
di modo in terra eſſe cœperit, per coniunctionem
ſcilicet diuinitatis cum humanitate in una perſo- e 2. Cor. 4.
na, quo nimirum modo antea in terris non fuerit:
& nihilominus cum Patre & Spiritu ſancto, per
ſuum continuum influxum, conſeruans creata in
eſſe, cognoſcens omnia intima creaturæ, dansq;
omnibus uirtutem operandi, ut bene de eo dixerit
Dauid: Quò ibo à ſpiritu tuo, aut quò à facie tua Pſal. 138.

fugiam?

a Gregorius Nazianzenus. *ſugiam? & cætera.* Q*uis eſt autem ille filius Dei?*
Is *utique qui dixit,* Exiui *à patre,& ueni in mun-*
Ioan. 15. *dum: iterum relinquo mnndum, et uado ad patrẽ:*
hoc eſt, Ieſus Chriſtus,*cui interroganti quem di-*
cerent homines eſſe filium hominis, Petrus *apertè*
Matth. 16. *reſpondit :* Tu es Chriſtus *filius* Dei *uiui .* C*æte-*
rùm ut plures hic fœdè lapſi ſunt,nullum tamẽ pijs
*negocium faceſſet.*Omnia *enim poßibilia ſunt cre*
denti, nec erit impoßibile apud Deum *omne uer-*
bum . Valeat *itaque* Arius *cum ſua impia doctri-*
na, & abeat in malam crucem Apollinarius *cum*
ſuo Neſtorio. *ſatis eſt nobis ex patris reuelatione*
b Gen. 3. Petri *confeßio,ut iuxta prophetam,* Gaudeamus
& exultemus, & dicamus gloriam ei qui uenit ui
*ſitare nos in pace,*Chriſto *ſcilicet* Ieſu. Ait *autem*
Propheta: Venit tibi.] Hoc *eſt, ad ſalutem*
tuam, ut te ex mortis anguſtijs liberatum illumi-
net propter peccata cæcum, nec non æterna mor
te captum redimat,ut in uiam pacis uſqueadeò di-
rigaris, ut certam adoptionem ab ipſo ſummo pa-
tre in ſempiternum obtinere queas . Hoc *faciet*
c Rom. 5. Iuſtus.] Q*ui iuſticias diligit , & cuius uul-*
tus æquitatem uidit. V*erè iuſtus* Chriſtus *noſter,*
Matth. 22. *apud quem eſt nullus perſonarum reſpectus , ſed,*
ut Propheta *inquit,ſumma æquitas.* Vnde *libenter*
amplexamur , quæ olim Hieremias *uates palàm*
Hier. 23. *pronunciauit,dicens:* Ecce *dies ueniunt,* Dicit *o-*
d Eſaiæ 64. *minus,& ſuſcitabo* Dauid *germen iuſtum,& re-*
gnabit rex & ſapiens erit , & faciet iudicium &
*iuſticiam in terra.*Scimus *enim præter hunc* Chri
ſtum noſtrum neminem iuſtum eſſe,ſed,ut ille ait,
omnes factos inutiles,& omniũ iuſticias eſſe tan-
quam pannum menſtruatæ mulieris. Q*uocirca et*
e Hebr. 10. *is quoque* Saluator.] Ergo *morbo omnium*
Ioan. 3. *peßimo laborauit mundus, ſi hunc ſaluatorem mit*
tere neceſſe fuit. nec enim fruſtra dictum eſt: Sic
Deus *dilexit mundum,ut unigenitum ſuum daret,*
ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat
uitam æternam, &c. Sanè *nulla fuit* Chriſto Ieſu
ueniendi cauſa in hunc mundum, quàm ut peccato
res ſaluos faceret. Venit *ille de cœlo magnus me-*
dicus,ut ægrotum genus humanũ,quod aliàs pror-
Lucæ 1. *ſus perijſſet,ſanaret,ob quã rem angelus tum* Ma-
Matth. 1. *riæ,tum* Ioſeph *ut putatiuo & nutricio patri,præ-*
cepit, ut quem annunciaſſet naſciturũ Chriſtum,
uocarent Ieſum, *hoc eſt* Saluatorem, *cauſa ſubie-*
cta:quoniam ipſe,inquiens,ſaluum faciet populum
ſuum à peccatis eorum. Vnde *hæc quæſo ipſa pec*
cata? Nunquid *ad imaginem* Dei *creatoris factus*
eſt homo? Verum *eſt,ſed haud diu in illo omniũ fe*
f Hier. 23. *liciſſimo ſtatu permanſit:quod breuiter hic recen-*
ſendũ puto. Vt *enim literis proditũ eſt,ſpirit⁹ crea*
uit ſibi altitonans et potens rector [a] *totius machi*
næ mundi adminiſtratorios . at illi mox obliti ſuæ
conditionis,dixerũt: Supra *aſtra* Dei *conſcenda-*
mus , ſimiles ſimus altiſsimo . quam deteſtabiliſsi-
mam ſuperbiã iuſtus Deus, *& qui gloriã ſuam nõ*
dat alteri, è cœlo diſturbauit,& deiecit in profun-
dum inferni. At *pius ut eſt* Deus, *haud pro ſua e-*
ximia pietate cœlũ inane,ut ita dicam,eſſe uoluit,
quin alios in dæmonũ locũ ſurrogaret, ſic creatus
eſt homo, ut paradiſi uoluptate perfrueretur:uſq;
dum, iuxta diuinã diſpoſitionẽ, ad immortalitatis
cœlũ transferretur. Sed *quid dicam? idem mox dæ*
monis perſuaſione , qui eam illi beatitudinẽ et uo-
luptatẽ inuidebat (dicebat enim Euæ: [b] Nequaquã
moriemini:ſcit enim Deus, *quòd in quacunq; die co*
mederitis de hoc fructu,eritis ſicut Dij, *ſciẽtes bo*
num et malũ) ſuperbè cõtra Deũ *peccauit:quam-*
obrẽ e ueſtigiò & ipſe à Deo *irato è paradiſo in*
terrã proſcriptus eſt, atq; omnib. miſerijs expoſi-
tus. Hinc *noſtra calamitas, miſeriæ, et lachrymæ*
rerum. Cæterùm *iſta maledictio in omnẽ poſteri-*
tatẽ defluxit:ita,ut Apoſtolus *inquit,* [c] *per unũ ho*
minẽ peccatũ in hunc mundũ intrauit, et per pec-
catũ mors,et mors in omnes homines pertranſijt,
in quo omnes peccauerunt . Vt *ergo omnes facti*
ſunt inutiles, nec fuit qui faceret bonũ : erant qui-
dem iuſti,ſed eorũ iuſticiæ tanquam pannus men-
ſtruatæ mulieris,dicente Propheta [d]: *unde etiam*
eorũ ſacrificia et holocauſta reſpuebat Deus, *pro*
expiando illo peccato nemo ſuffecit . quapropter
cum pater diceret, Vidi *afflictionem populi mei in*
Aegypto : *reſpondit filius,* Pater *quia impoßibile*
eſt hircorũ & taurorũ ſanguine peccatũ illud im
mane auferri,deſcendã ego ut liberẽ populũ iſtum
de manu Aegyptiorũ: Ecce *ego uenio,ut faciã uo-*
luntatem tuam. Hic *eſt igitur rex & ſaluator no-*
ſter,qui nos ſua incarnatione et humanitate, nec
nõ innocentiſſima morte, liberauit de manu inimi-
corum noſtrorũ,malignorũ ſcilicet ſpirituũ. Ro-
rauerũt cœli deſuper, et nubes,et pluerunt iuſtum
aperta eſt terra, et germinauit Saluatorẽ Chriſtũ
Ieſum, *qui ſoluẽs maledictionẽ,quãdo deleuit aduer*
ſus nos quod erat chirographũ, affigens illud cru-
ci,et expoliauit principatus et poteſtates, dedit be
nedictionẽ donãdo nobis omnia delicta,et cõfun-
dens mortem dedit nobis uitam ſempiternam.

DOMINICA SECVNDA ADuentus Euangelium, Lucæ 21. Erunt ſigna, &c.

INquit *propheta* Hieremias: [f] *Ecce dies ueniũt,*
dicit Dominus, *et ſuſcitabo* Dauid *germẽ iuſtũ,*
& regna-

& regnabit rex, et ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſticiam in terra. Hoc adimpletũ eſſe in Chriſto Ieſu, nemo pius inficias ibit. Eſt autem hoc iudicium eius quod in terra fecit, quia lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, [a] ut de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi, in ſanctitate & iuſticia coram ipſo, omnibus diebus noſtris, ut ait ille. Hoc iudicium uulgò appellant diſcretionis iudicium, quomodo ille præſciuit homines, quia omnia nouit: eosq; per appoſitam gratiã prædeſtinauit, ut uerbo prædicationis crederent, & uocarentur. Quæ quidem omnia quoniam tranſacta ſunt, ne Iudæorum perfidorũ more aliũ futurũ expectemus Meſchiam, ſcire oportet uenturum quidem Chriſtum ipſum, at non (ut ipſi credunt) ad ſeluandas gentes, ſed, ut in eorũ Prophetaſcriptum eſt, [b] ut terram iudicet & populos in æquitate: hocq; in fine mundi, & conſummatione. Sciendum ergo, duplex eſſe iudicium: unum particulare, in morte ſcilicet uniuſcuiuſq; hominis. ait enim Apoſtolus, [c] Statutum eſt omnibus hominib. ſemel mori: & poſt hoc iudiciũ. quamprimũ enim anima (quæ non tantum nobis, ſed etiam multis Ethnicis immortalis creditur) è corporis ergaſtulo migrat, abit in locum ſuum: ita ut Auguſtinus uelit, animas ſuas habere receptiones, ubi gaudiũ ſanctæ habeant, impiæ uerò tormenta patiantur. Ergo iudicium hoc iudicium animarum eſt, quòd nos Dei ſolius debemus ſcientiæ derelinquere, cuius non ſolùm miſericordiæ (ut magnus inquit Hieronymus) ſed & tormenta in pondere ſunt, & nouit quem quomodo aut quandiu debeat iudicare. Et poſt pauca: Sicut, inquit, diaboli & omniũ negatorum, qui dixerũt in corde ſuo, Non eſt Deus, credimus æterna tormenta: ſic peccatorũ atq; impiorum, & tamen Chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt atq; purganda, moderatam arbitramur & mixtam clementiæ ſententiam iudicis. Hæc Hieronymus. Alterum igitur erit iudicium uniuerſale, quando, ut diuus dicit Apoſtolus, [d] oẽs uos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſq; ꝓpria corporis, prout geſſit ſiue bonũ ſiue malũ. Omnes in puluere terræ dormientes euigilabunt, non tantum ſecundũ animam, ſed ſecundũ corpora quoq;, immutata tamẽ. ſicut enim primus aduentus Domini, dicẽte Theophylacto, fuit ad reformationẽ animarũ, ſic ſecundus ad reformationẽ corporũ celebrabitur: quod niſi certum eſſet, uana eſſet fides noſtra, ut ait Paulus. Satis eſt quod Chriſtus dixit: Omnes qui in monumentis ſunt, audient uocem filij hominis, & procedent qui bona fecerũt in reſurrectionẽ uitæ, qui uerò mala egerunt in reſurrectionem iudicij. Porrò antequã ueniat dies illa magna, dies iræ & calamitatis, oſtenta, prodigia & ſigna multa erũt, dicente Chriſto: Erunt ſigna in ſole, luna, & ſtellis.] Ante Chriſtum natum ſtupenda et admirãda ualde uiſa prodigia, ſcribit Iulius Obſequens. quæ nam autem & qualia in nouiſſimis temporibus ſigna futura, præter id quod dictũ eſt à Domino, Sol obſcurabitur; & luna non dabit lumen ſuum: non apud omnes conuenit. unde ſatis eſt horribiliſſima fore, ad oſtendendam Dei iuſtã iram, in omnem impietatem. Et in terris preſſura Gentium.] Preſſura illa proueniet non tantum ex nimio terrore ſignorum cœleſtiũ, ſed malis alijs innumeris, bellis ſcilicet, uaſtatione regnorum, fame, peſtilentia, cæde, & ſubitaneis hominum mortibus, qualia nunquam uidit mundus. unde dicit, Areſcentibus hominibus præ timore. omnia elementa commouebuntur, & talem horrorem incutient, ut hominum naturam prorſus deficere oporteat. nec ſolum in una hæc calamitas parte mundi erit, ſed ſuperueniet uniuerſo orbi, quem potentiſſimus omnium Dominus ueniet iudicaturus. Virtutes cœlorum mouebuntur.] Hæc & huiuſmodi portenta, quæ ſe proferent undiq; ex omni parte mundi, declarabunt ingruere terribilem ultionem Dei. unde non ſolùm mortales extabeſcent, ſed etiam angeli, ut quidam uolunt, commouebuntur ex diuina uoluntate, ut fiant illæ miraculoſæ tranſmutationes in elementis: quo exhorreſcant homines, & præſertim hi qui ultrò beneficijs inuitantem ſpreuerunt.

a Luc. 1.

b Pſal. 95.

Vide Lactantium lib. 7. cap. 15.

c Hebr. 9.

Et tunc uidebunt filium hominis.] Hoc eſt, Chriſtum Ieſum, qui eſt teſtis fidelis primogenitus mortuorum, princeps regum terræ; qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris, ut in Apocalypſi legimus. Et ipſum uidebit omnis oculus, & qui in eum pupugerunt, ut idem dicit. et alio loco, quòd dicturi ſint impij montibus: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni. His fieri incipientibus.] Poſt hæc ſigna aperientur inferi, & mortui reſurgent, de quibus iudicium magnum ipſe rex ac Deus faciet. Nec tamen uniuerſi ab ipſo iudicabuntur, ſed hi tantum qui ſunt in Dei religione uerſati. Qui enim non credit, dicente Chriſto, iam iudicatus eſt. Deinde nullos unquam iuſtius diſcutiendos, & condemnandos puto, quàm qui uitæ ſuæ negligentes, nec propriæ animæ miſereri & ſubuenire uoluerunt & curauerunt. Vt mali igitur condemnabuntur ad pœnam, ita boni laborum ſuorum

Apoc. 1.

Apoc. 6.

d 2. Cor. 5.

Ioan. 3.

a Eſa.46. mercedem recipient. quocirca dixit Chriſtus:
Leuate capita ueſtra.] Exhortatio eſt, & conſolatio bonorum, ut mentem tum in finem erigant, conſiderentq́; quoniam in propinquo ſit regnum Dei, in quo nulla ſit malorum afflictio,
b Act.1. ſed perpetua tranquillitas, & æterna felicitas. Nã ſanctorum animæ etſi in pacis ac lucis regione
Theophyl. uerſentur, uel lucidiſsimis tabernaculis, ut ait ille: tamen perfectè beatæ eſſe non poſſunt, dum corpore glorificato nondum ſunt ſuperueſtitæ, quemadmodum non ſolùm Auguſtinus docet, ſed &
2.Cor.5. Paulus quoq;, cum inquit: Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam,
1.Cor.15. ſed æternam in cœlis. Et iterum: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitem. Ex quibus ſatis abundéq; cõſtat, Chriſtum animabus corporibusq́; reformandis uenturum. Dixit autem.] Vtitur Chriſtus uſitatiſsima ſimilitudine, à foliorũ & fructuum productione ſumpta, quam ut æſtas certiſsimè ſequitur, ita hæc ipſa ſigna conſummatio ſeculi ſequetur, & regnum Dei, quod ſuprà dixit redemptionẽ. Nam Chriſtus quidem redemit nos de maledicto legis: oportet tamen ſubſequi ueram redemptionem, ut ſcilicet liberati à ſeruitute corruptionis, in libertatem filiorum Dei reſtituamur.

Amen dico uobis.] Generatio uel ætas hominum eſſe poteſt fidelium, duratura quidem uſq; in finem mundi. ob quam rem Apoſtolus: De-
1.Theſſ.4. inde nos, dixit, qui relinquimur, ſimul rapiemur cũ illis in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus. Quòd ſi enim portæ inferorũ non præualebũt aduerſus Eccleſiam Chriſti: certè ipſa durabit in medijs etiam perſecutionum fluctibus: ob quam conſeruandam breuiandos eſſe dies dictum eſt, & ipſo raptu diſſoluti homines reuocabuntur ad uitam. Cœlum &
Eccleſ.1. terra tranſibunt.] Cum Scriptura dicit: Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem inæternum ſtabit: cœlum & terra tranſibunt, id eſt mutabuntur ad pulchriorem longeq́; excellentiorem ſtatum. Erit igitur non abolita ſubſtantia, ſed mutata figura: idq; per ignem fiet, ut quidam iu-
2.Pet.3. xta Petrum uolunt, dicentem: Adueniet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu tranſibunt, elementa uerò calore ſoluẽtur, terra uerò, & omnia quæ in ipſa ſunt opera, exurentur. Nihil igitur
c Ioan.1. firmi⁹, fortius, ſtabiliusq; uerbo Domini, quod omnibus mutatis ſolum immutabile permanet, citius ipſum cœlum diſrumperetur. Solus Deus nullam admittit uiciſsitudinem & tranſmutationem: Ego ſum, inquit [a] Dominus, & cõſilium meum ſtabit. Cæterùm ut nonnulli tempus illud nouiſsimũ ex certis coniecturis oſtendere uoluerunt: certum tamen eſſe debet, illud nobis omnino occultum eſſe, quando reſpõdente Chriſto, hoc ipſum pater in ſua ſolius poteſtate poſuit [b]. Verum eſt quidẽ, multa horrenda prodigia, miracula atq; portenta in diuerſis regionibus audita & uiſa fuiſſe, quibus iratus Deus ultionem atq; uindictam minatus eſt: at propterea (inquit Chriſtus) nondũ finis. Optimè igitur Lactantius mihi ſuaſiſſe uidetur, ut ſemper cogitemus, quoniam ex hac uita migrandum: ſic uitam inſtituamus noſtram dum tempus habemus, ut quàm puri diſcedamus, quàm innocentes ad iudicium ueniam⁹. Sæpius animo uoluere debet quiſque, quòd multo uelocius exeunt quàm intrauerãt homines. Et tamen etſi nobis uſque ad ultimum liceat iſtis frui, alijs certè relinquẽda ſunt. Nihil nobiſcum ferre poſſumus, niſi uitam bene atq; innocenter actam. Ille opulentus ad Deum ueniet, cum aſtabũt fides, charitas, continentia, miſericordia, & patientia. Hæc eſt hæreditas noſtra, quæ nec eripi cuiquam poteſt, nec trãsferri ad alium. Hæc uerba proinde huc ſubijciẽda duxi, quo ſingulis in mentem ueniat, quàm Chriſtianum oporteat mundo demortuũ eſſe, ſolo corpore in hac peregrinatione conſtitutum, cogitatione uerò, & auiditate in illa æterna patria, ut cum uenerit Dominus inueniat eum paratum, dicatq;: Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

DOMINICA TERTIA ADVENtus Euangelium, Matth. 11. Cum audiſſet Ioannes in uinculis opera Chriſti, &c.

QVum coniecto Ioanne in carcerem, editis miraculis doctrinaq́; mirabili, inclareſceret fama Ieſu, & ipſe cunctis eſſet admirationi: diſcipuli Ioannis pro ſuo præceptore, quem ſciebant abſolutæ ſanctum ſanctimoniæ uirum, zelo moti gloriæ Ieſu ſubinuidere cœperunt. Verùm Ioannes ſciens Ieſum eſſe Meſsiam, gauiſus eſt euenire iam quæ prædixerat. Vt igitur diſcipulorum infirmitati mederetur, ac eos Chriſto lucrifaceret, mittit duos de diſcipulis ſuis, qui ſuis uerbis hæc Chriſto referrent: Tu es, qui uenturus es?] Non interrogat Ioannes, quaſi ignorãs Chriſtũ. Nam quo pacto ignoraret, cum teſtatus ſit: [c] Ecce agnus Dei? Ergo propter diſcipulos hoc factũ eſt, ut qui Chriſto inuidebãt, plurib. argumẽtis certiores facti, & uiſis miraculis crederent Ieſum eſſe Chriſtũ, & proinde Ioanne maiorem, et

credentes

credentes ſaluarentur. Et reſpondens Ie
ſus.] *Noſcens Ieſus mentem Ioannis, non dixit:
Ego ſum, etſi reuera eſſet, ne turbaret eos: ſed quia
certius eſt teſtimonium quod à rebus trahitur, q̃
quod à uerbis, ut ab ipſis rebus poſſēt quod quæ-
rebant perdiſcere, editis innumeris miraculis co-
ram eis, tum inquit:* Euntes.] *Nihil opus eſt
ut de me, qui ſim, pronunciem. Etenim ipſa opera ſa
tis declarāt, utrū is ſim qui in Scripturis expecta-
tus eſt uenturus in carne, an aliū expectare opor-
teat. Ecce ſano ægrotos, cæcorū oculos aperio, et
ſpiritus immundi profligantur, leproſi mundantur,
& mortui reſurgūt. Hæc omnia ueſtris oculis ui-
diſtis, & auribus audiſtis, pauperes & humiles
quàm amplectantur lætum ſalutis æternæ nun-
cium. Scitis uaticinia ſanctorum Prophetarum:
non'ne hæc eadem opera ab illis prædicta ſunt.
oraculis Prophetarū cum meis operibus collatis,
facilè perſpicuum fiet, quis ſim ego.* Beatus
qui non fuerit ſcandalizatus in me.]
*Modeſtè taxat inuidos affectus diſcipulorū Ioan-
nis. Deinde oſtendit beatos illos fore, qui licet ui-
deant carnem paſſibilē, & humanitatis imbecilli-
tatem: nō tamen offendantur quin credant in Dei
filiū, & mundi ſaluatorē. quod nō ab omnib. poſ-
ſe præſtari cognouit, ſed multos ruituros, multosq;
reſurrecturos,* [a] *prout dictum eſſet à Simeone illo
iuſto. Non igitur beati erāt diſcipuli qui audientes
Chriſtū dicere,* [b] *Caro mea uerè eſt cibus, & ſan
guis meus uerè eſt potus: ſcandalizati ſunt, et abie
runt retrò, quomodo nec Arius, nec Manichæus,
nec Iulianus apoſtata: uerū alij diſcipuli beati ſunt,
qui interrogāti Domino, Nunquid & uos uultis
abire? reſponderunt,* [c] *Domine ad quē ibimus, uer
ba uitæ æternæ habes: & nos credimus, et cogno
uimus, quia tu es Chriſtus filius Dei. Quo ſanè
modo & beatus erat latro, qui etſi Chriſtū ſibi in
paſſione æqualē & mira pati uideret: haud tamē
offenſus fuit, quin credēs ipſum ſeruatorē uerum,
dixit:* [d] *Domine memento mei, cum ueneris in re-
gnum tuū.* Illis aūt abeuntibus.] *Ad eui
tandū aſſentationis uitiū, nō niſi digreſſis diſcipu
lis ampliſſimè Ioannis laudes prædicare cœpit. &
optimè hoc quidē fecit Ieſus, ne quid ſiniſtri ſuſpi-
caretur turba de Ioanne, quaſi dubitās percuncta-
tus eſſet, & nō potius ut diſcipulorū ſuorum imbe
cillitati mederetur. Oſtendit itaq; Chriſtus Ioan-
nem cōſtantiſſimum uirū, qui omnino neſciret ex
uno ore calidū et frigidū flare, & ait:* Quid
exiſtis.] *Ne obrepat uobis ſuſpicio leuitatis et
inconſtantiæ de Ioanne, ut eo qui leuiſſimorū ho-
minū more facilè mutet ſententiā: & quod prius
affirmauit, me ſcilicet agnū Dei eſſe, ipſumq; Chri
ſtum, poſtea uocet in dubium. Et hoc quàm longè
ab eo abeſſet, uel ipſorum teſtimonio probat, quan
do eum non in aulis regum, ubi luxus uitæq; deli-
ciæ ſunt, atq; inconſtantiæ & adulationi locus
quæſiuerūt: ſed in deſerto tanquā mundo demor-
tuum, pariter ac ſanctiſſimū uirum, quē nec blan-
dum gratia, nec aſperum ſic fecit detractio, ut nō
tanquam marpeſia cautes inf. actus, quòd iuſtum
iudicaret, uiamq; Dei doceret in ueritate. Hinc
profectò plus quàm Propheta. licet enim & ipſi
non placentia populo, ſed iuxta quod ſpiritus ue-
ritatis dabat eloqui, uaticinati ſunt, ut ex illorum
actis liquet: tamen huic Prophetæ minimè compa
randi erunt. primò, quia Gregorius docet, Prophe
tarum illorū miniſterium fuit ſolum uentura præ-
dicere, non demonſtrare. Ioannes aūt hunc quem
uenturum annunciauit, iam adeſſe monſtrauit di-
gito, quaſi dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit* Ioan. 1.
*peccata mundi. Deinde alij Prophetæ miſſi ſunt
ut aduentum Chriſti omnium ſeruatoris annun-
ciarent, ſicq; conſolarentur populum in maxima
calamitate conſtitutum: hic autem ut præpararet
ipſius Chriſti uiam, hoc eſt, corda hominum (ſi-* Malac. 3.
cut per alium Prophetam erat oſtenſum: Quo- Hierem. 31.
niam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, Eſaiæ 52.
& ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus) a Lucæ 2.
*uenit, unde ſe uocem palàm pronunciauit eſſe cla-
mantis, ut rectas ſemitas Dei omnipotentis face-* b Ioan. 6.
rent. Iuſtè igitur proclamatur hic à Chriſto:

Ecce plus quàm propheta: Hic eſt
enim, &c.] *Angelum, id eſt, nuncium eum di-
xit Malachias, eo quòd mittendus eſſet ad præpa-
randas unigeniti Dei uias, hoc eſt, ut perſuaderet* c Ioan. 6.
*hominibus, illis gratiam Dei immenſam præſtò
eſſe, modò reſipiſcerent, & ſe per pœnitentiam
prioris uitæ Meſſiæ mox uenturo præpararent,
qui ueniſſet allaturus ſalutem, omnibus quidem ſi
modò præberent ſe ſanabiles, hoc eſt, morbum
agnoſcerent, cuperentq; ab his terrenis ſordibus* d Lucæ 23.
*uarijsq; malis liberari: haud aliter quàm olim popu
lus Iſraeliticus ſub Pharaone preſſus redemptus
eſſet, ut terra omni ſuauitate & iucunditate ple-
niſſima fruerentur. Et hoc modo Ieſus Dominus
noſter cognoſcitur eſſe uerus Meſſias, uerus mun
di Saluator: in quem qui credit, non peribit, ſed ha
bebit uitam æternam. Habeant igitur Iudæi ſuum
neſcio quem pſeudomeſſiā, et alij ſuos pſeudodeos:
nos in hoc unico Ieſu inuocabimus, filio illo cui di
xit pater: Tu es filius meus dilectus, in quo
mihi benè complacui: ipſum au-
dite. Matth. 3.*

IN FESTO DIVI THOMAE apoſtoli Euangelium, Ioan.20., Thomas autem,&c.

QVemadmodum cunctipotens pater ſuum filium Ieſum Chriſtum conſtituit pro generis humani liberatione incarnari: ſic filius elegit ſibi Apoſtolos, quos ſacrorum myſteriorum miniſtros & diſpenſatores ordinaret, atq; illis autoritatem daret remittendi peccata cunctis hominibus, qui per Euangelicam profeſſionem ac baptiſmum ſibi iungerentur, perq; uitæ prioris pœnitudinem uerè reſipiſcerent: & ex illis unus erat nomine Thomas, cognomine uerò Geminus. Porrò ad probandam carnis reſurrectionem, quæ creditu ut difficilis eſt, ita certè omnibus neceſſaria: Ie-
a Matth.17. ſus ingreſſus eſt ad diſcipulos ſuos clanculum congregatos, blanda uoce eos ſalutans. Ne autem ſpectrum eſſe ſuſpicarentur, aut aliud corpus, oſtendit eis in manibus clauorum ueſtigia, & cicatricē in latere. Thomas autem.] Diuina hoc diſpenſatione factum, docet Gregorius, ut dubitans infidelitatis uulnera omniū ſanaret. Cum au-
b Oſeæ 13. tem cæteris diſcipulis ex ſalutatione Ieſu adēptus eſſet mœror, atq; cōfirmata eorum fides, necnon exhilarati eorum animi, dixerūt Thomæ: Vidimus Dominum.] Quem omnib. relictis ſecuti ſumus, quem profeſſi ſumus eſſe Chriſtum filium Dei, hic ſurrexit à mortuis, hiſce oculis uidimus eum. Ille autem.] Fortaſſe Thomas conſiderabat eam quam pertuliſſet Ieſus paſſionē, & quomodo infirmitatem hominis aſſumpti oſtendens patri acclamaſſet, Deus Deus meus ut quid me dereliquiſti: & diffidebat, quo pacto offenſos
Matth.27. alios diſcipulos euntes in Emaus legitur: igitur ſu-
Lucæ ult. ſpicatus eſt, ludificatos eos fuiſſe aliquo phantaſmate. negat igitur ſe crediturum, et ait: Niſi uidero.] Spiritus carnem & oſſa quia non habet, uel hoc argumento ſe crediturum dicit, ſi uerum corpus uideat. & non uideat ſolum, quia uiſus aliquando decipiatur: uerumetiam manu tan-
c Oſeæ 13. gat & manus & latus Domini crucifixi. O' felicem incredulitatem huius Apoſtoli, quæ per exquiſitam fidem ad fidei noſtræ firmitatem profecit, ut credamus & confiteamur, non apparitionem aut ſpirituale corpus & aereum, quale Chriſtum habuiſſe Manichæi calumniati ſunt: ſed carnem ueram quæ de cruce pependit, in uitam reuocatam eſſe. Et poſt dies octo.] Mira Ieſu clementia & bonitas, qui propter unum hominem Thomam dignatus eſt ita condeſcendere, & latus oſtendere, ut ſaluet animam unam incredulā, quam ſciebat eſſe incredulam non ex malicia, ſed ex imbecillitate humana. Dixit ergo: Infer digitum tuum huc.] Quia non ſatis eſt tibi Thoma, audiſſe à tam multis me uiuum deuicta morte eſſe. ſed uis ut ſenſibus tuis certa fides fiat: Age explora, uide, tange, & contrecta lanceæ uulnus, ut cognoſcas reuera quia ego ſum, & quomodo oportuit omnia adimpleri quæ ſcripta ſunt de me: Sic oportuit pati Chriſtū, & intrare in gloriam ſuam. unde fidem habe promiſſis meis, & poſthac crede quamlibet incredibilia iuxta cōmunem hominum ſenſum: poſteaquam hoc uideris eſſe certum, quod tibi uidebatur incredibile. Hinc nemo mirari debet, quare Chriſtus in prima figura uideri & tangi uoluerit, & nō in ſui gloria cerni, qua apparuit coram Petro, Iacobo et Ioanne in monte Tabor [a], quando transfiguratus eſt coram eis, & reſplenduit facies eius ſicut ſol, & ueſtimenta eius facta ſunt ſicut nix, ſicut Matthæus ſcribit. Enimuerò Chriſtus (ut ait ille) niſi reſurrecturus fuiſſet, carnem nunquam aſſumpſiſſet: huius igitur mors peccati ſolutio fuit. ueram igitur carnem oſtendit, ut inſinuaret mortem eſſe abſorptam in ſe & ſuis, iuxta uatē dicentem: [b] O' mors ero mors tua. Quomodo autē mors uicta eſſet, ſi mortuum Chriſti corpus nō reſurrexiſſet? aut ubi mortis imperiū retruſum eſſet, ſi id ipſum corpus quod morte ceciderat, non reuixiſſet? Habebat Chriſtus corpus iam glorificatū ſole ſplendidius: hoc autem reſeruare uoluit uſq; ad alium aduentū, ubi cum tanta, qua ab Apoſtolis uiſus eſt, dum diceret Petrus, Domine bonum eſt nos hic eſſe, gloria apparebit, &c. Oſtendit ergo latus, manus & pedes, ut certiſſimè uiderent, mortem in ſolam carnem poteſtatem habuiſſe, & quàm potenter excitatus uiuat amplius non moriturus. quod enim mortuus fuerit, ſic diſponente patre, ſit factum propter peccatum, ut iuſtus pro iniuſtis moreretur, & offerret nos Deo. Omnes iuxta Prophetam fuēre in manu mortis: at clementiſſimus pater dixit, De manu mortis liberabo populū meum, de morte redimam eos [c]. Chriſtus igitur is eſt qui hominē redemit per paſſionem crucis, & effuſionem ſanguinis ſui: deſcendit in infernum, et dixit ad mortem, Ideo mortuus ſum, ut tu mea morte moriaris.

Reſpōdit Thomas.] Ecce animus Thomæ illicò liberatur ab omni ambiguitate, & confirmatur adeò ex illo manifeſtiſſimo argumēto, ut exclamando firmiter prædicet ſe tangere ſuum Dominum ac Deum, ita ut nemo clarius Deum ac Dominum profeſſus ſit, creatorem uerumq; illum ſeruatorē in lege, Prophetis atq; Pſalmis promiſſum,

miſſum. O felicem diſcipulum, qui ſic altitudinem diuinitatis certa fide penetrauit: duas enim naturas & unam hypoſtaſin unius Christi docuit. Dicendo enim (ut Theophylactus ſcribit) Dominũ, humanam indicat naturam: dicẽdo autem Deus, diuinam ſubſtantiam oſtendit, & ita unum et eundem eſſe Dominum ac Deum. Dicit ei Ieſus.] Sic Ieſus amplectitur Thomæ profeſſionẽ, ut nihilominus taxet maximam ipſius infidelitatem, quòd tam impoßibilẽ credidiſſet reſurrectionem, in qua tamen omnis ſita eſſet fides atq; ſalus omniũ hominũ. & ait: Quia uidiſti me.] Omnibus argumentis exploratum habes, illud ipſum corpus meum eſſe quod mortuum pependit in cruce: & proinde ſentis ac credis, me tuũ creatorem ac redemptorem eſſe. Beatus quidem es: Omnis [a] enim qui credit unum Deum uerum, & quem miſit Ieſum Chriſtum, ſaluus erit. At magis mihi probantur omnes illi, qui non uidentes me in carne, mente crediturì ſunt. longè enim omnium perfectißima fides, ubi ſperandarũ rerum doctrinis, & non apparentium argumentis credunt homines. Quod quia de nobis dictum eſſe poteſt, qui Chriſtum nequaquam in carne uidimus, nec iam clarificatum, credimus tamen ipſum Saluatorem mundi: rogare Dominum Deum debemus, ut in fide illa firma ac ſolida nos conſeruet, donec facie ad faciem uidere detur, quod iam pia mente contemplamur: Amen.

DOMINICA QVARTA ADuentus Euangelium, Ioannis 1. Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis.

QVum opinio erat, & maximè Hieroſolymis, ubi uigebat ſtudium legis & Prophetarũ, tempus aduentus Meßiæ adeſſe, quia ablatum eſſet ab eis regnum, quòd ipſis pro ſigno datum erat olim, cum Iacob ſuis benedicens filijs, inter cætera non deſituram regiam dignitatem, donec Meßias uenerit, dixiſſet: tunc autem regno diuiſo, alienigenæ ipſis Iudæis dominabantur. Deinde exiſtimabant Iudæi tempus Meßiæ iam in foribus eſſe, eo quòd cognoſcebant hebdomades à Daniele [b] præſcriptas ad finem decurriſſe, hancq; inſtare horã, ut ſanctus ſanctorũ ungatur. Cumq; uaria hac de re ab illis tractarentur, accidit ut Ioannes Zachariæ ſacerdotis filius, cœperit in deſerto Iudææ prædicare baptiſmum pœnitentiæ, in remißionem peccatorum [c]. Hic quoniam generis nobilitate commendabatur, necnon uictu atq; alia auſteritate uitæ, plebis in ſe admirationem prouocauit, et à multis Meßias eſſe credebatur. Hinc Iudæis uiſum fuit operæpreciũ eſſe ad inquirendã ueritatẽ, mittere legatos qui ipſum interrogarent, eſſet'ne Chriſtus. Miſerunt ergo Sacerdotes, & Leuitas.] Præſtantiores quos habebãt, & religioſißimos, et omnino legis et Prophetarum peritos. Et illi dixerunt: Tu quis es.] Tu, inquiũt, qui præcipis uirtuti operã dare, iuſticiã colere, & in Deũ ſeruare pietatẽ, & tanta authoritate nouũ baptiſmi ritum inducis, unde plurima turba ad audiendum te cõcurrit, præceptisq; ac monitis tuis parata eſt in omnibus obedire. Tu homo tanti nominis, dic quis es? At Ioãnes nõ ignorãs, quòd hæc odio Chriſti Ieſu percontarentur, quẽ ob humilitatẽ generis contemnebant, cognita eorũ malignitate, nõ dicit quis ſit, ſed confitetur, Non ſum Chriſtus: ad ſcopũ utiq; illorum reſpiciens, & ut illũ ſuſciperent quem uox de cœlis lapſa teſtata fuerat Meßiam eſſe, & filiũ Dei, ipſo quoq; Spiritu ſancto ſuperueniente & manente ſuper eum, repulit hanc de ſe falſam ſuſpicionẽ: & nõ negauit Chriſtũ ueniſſe, ſed ſe nõ eſſe Meßiam. Et illi: Elias es tu?] Eliam exiſtimabãt uenturum ueteri traditione perſuaſi. dicunt ergo: Quando quod pleriq; tibi tribuunt non es, & tamen uſurpas nouam autoritatem, ita ut populum in admirationem tui rapias: certè debes eſſe quiſpiam Meßiæ proximus. legimus autem in Malachia propheta, priuſquã ueniat Meßias, uenturum Eliam. ſic enim ſcriptũ eſt: Ecce ego mitto uobis, dicit Dominus, Eliam prophetã, antequam ueniat dies Domini. Num igitur ille Elias es tu? quòd uel inde arbitramur etiam, quia uita tua ſimilis eſt uitæ Eliæ. Et dicit, Non ſum.] Iuxta ueſtram opinionem, non ſum Elias ille igneo curru raptus in aera: quem in hoc ſeruari ſenſit Propheta, ut ſit ſecundi aduentus præcurſor: quod uos nõ intelligitis, ut indigni qui hoc myſterium perdiſcatis. Cæterùm ut ille uir integritatis incorruptæ erat, & forti animo impietatem arguebat: ita ſanè Ioannes omni gloria contempta, conſtantißimus ueritatis teſtis extitit, uel ad mortem uſq;. quare iuſtè ac rectè dictus eſt à Chriſto Elias, iuxta ſpiritum ſcilicet, & officium. Porrò Iudæorum legati hoc gradu quoq; fruſtrati, pèrgunt ſciſcitari, num eſſet autem Propheta ille exoriturus è gente Iudaica, & quem audiri iußiſſet Moſes, aut aliquis denique è numero Prophetarum, qui rediuiuus ſibi ſumeret eam autoritatem. Vnde dicunt: Propheta es tu?] Videns Ioannes, quàm ſiniſtra eſſet mens illorum, optimeque noſcens quoniam ille Propheta, Iudaicæ gentis liberator, & mundi Saluator nemo alius

a Ioan.17. Matth.3. Malach.4. 4.Reg.2. 3.Reg.18. b Dan.9. Deut.18. c Matth.3. Marc.1. Lucæ 3.

alius eſſet, quàm Ieſus à Nazareth, reſpondit:

Non.] Ingenuè faſſus eſt, ſe nihil tale eſſe, quale ſuſpicarentur. Non itaq; negauit Ioannes ſe
a Ezech.36. Prophetam eſſe, qui quidem erat plus quàm Propheta: ſed Prophetā illum qui expectabatur. Iam uerò illi nihil amplius habētes quod interrogarēt, quaſi indignabundi expetunt, quo uel ipſe fateretur quis eſſet, & dicunt: Quis es?] Conſumpſimus diuinationem noſtram, & tamen aliquid reſponſi referēdum eſt his qui nos huc miſerunt. Si populus totus uariè de te ſuſpicans fallitur: dic ipſe, qui ſis. Tum Ioannes ne uideretur propria temeritate ſibi hoc ipſum quod erat arrogare, ex euidentiſſima prophetia oſtendit ſe nihil eſſe aliud
Eſa.40. quàm Meſſiæ præcurſorem, & iam ipſum adeſſe.

b Epheſ.5. Ego, inquit, ſum uox clamātis, &c.] D. Hieronymus in prophetā Eſaiam ſcribens, præclarè admodum docet, Deum totius conſolationis populum Iſraeliticum per Prophetam fuiſſe conſolatum propter peccata à quibus erat abſoluendus, idq; per uerbum, iuxta alium Prophetam ſic dicen
Pſal.106. tem: Miſit uerbum ſuum, & ſanauit eos. Eius uerbi uocem futuram uidit Eſaias, quò unuſquiſq; derelinquendo uiam ſuam, conuerteretur ad Dominū Deum ſuum. Rectè igitur Ioannes reſpondit: Ego ſum de quo ſcriptum eſt, Vox clamantis in deſerto. Videtis deſertum, auditis clamantis uocem. Quid clamantis? Dirigite uiam Domini. Seruus ſum, & uias præparo Domino meo, quem uos dicitis quia Chriſtus & Saluator eſt. Nihil aliud ſupereſt quàm ut abiectis mundanis cupiditatibus, præparetis animos ueſtros in illius aduentū. Proinde pœnitentiam agite, & corda facite recta, doloſi uos et obliqui: & facite æqua, ita ut Dominus
Ioan.14. Chriſtus per uos iter faciat. Sic enim ait ille: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, et Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, et manſionem apud ipſum faciemus, & ita ego ſum Chriſti clamantis, id eſt, ueritatem manifeſtè annunciantis uox. Irritati Iudæi ad calumniandum ſe uertūt: Quid igitur, inquiunt, ſumis tibi ius baptizandi populum? Quid ergo baptizas?] Sciebant illi quid olim per Ezechiel promiſiſſet Deus, [a] nimirum aquam mundam qua mundarentur ab abominationibus, & uniuerſis erroribus, quibus eſſent occupati. Verùm illud maximè ad Chriſtū ſpectare uolabant, quem uaticinia docerent aboliturum peccata populi ſui. Et proinde minacibus uerbis, & atrocioribus ipſum terrent. Verùm ad hanc calumniam Ioannes manſuetè reſpondet, et inquit: Ego baptizo in aqua.] Baptiſmus meus talis eſt, qualis eſt prædicatio mea. Nā quemadmodum prædicando tantum præparo animos ueſtros ſanctiſſimo Euangelio Meſſiæ: ſic baptizando præparo rudes, ut ſuperioris uitæ pœnitentia præparati, capaces ſint illius baptiſmi [b], quo per ſpiritum ſuum Chriſtus ſemel abluet omnes ſordes omnium qui crediderint ipſius cœleſti doctrinæ. Medius autem ueſtrûm ſtetit.] Aduentum expectatis Meſſiæ, ecce iam adeſt, et quidem in medio ueſtrûm, in hac populi multitudine (nam Dominus multitudini ſe miſcuerat, inquit Theophylactus, & ignorabatur quis eſſet, & unde.)

Quem uos neſcitis.] Quia humilis eſt, et obſcurus: uel, ut Gregorius docet, inuiſibilis eſt maieſtate: unde ego qui uiſus ſum aliquid magni eſſe, ad illius ſublimitatem planè nihil ſum. Tantus eſt ille, ut meipſum planè indignum iudicem, qui apud illum infimi mancipij fungar officio. Vide manſuetudinem, & ueritatem ſanctiſſimi uiri, quòd nihil aſperum ad eos loquitur, quamuis inſolentes eſſent: et liberrimus teſtis eſt gloriæ Chriſti, quam nullo modo occultat, imò palàm profitetur. Hæc in Bethabara.] Tam plenum tamq; magnificum teſtimonium, non in domo, neque in angulo, ſed in media multitudine prædicauit: Laus Deo & filio eius Ieſu Chriſto, necnon ſancto Pneumati.

ENARRATIONIS IN EVANGELIA
Dominicalia Finis.

INDV-

INDVSTRIO ET SPECTABILI VIRO AC DOMINO, HENRICO PETRI, CIVI Baſilienſi, Renhardus Lutz Erythropolitanus Salutem dicit plurimam.

POSTQVAM bonis (ut aiunt) auibus, uel potius aſpirante mihi diuina gratia, Homilias in ſanctiſsima ſcripta diuinorũ Euãgeliſtarum, quæ iuxta ritum ac conſuetudinem catholicæ Eccleſiæ hactenus pro roſtris dici ac publicari diebus feſtis ſolẽt, pro ingenij mei tenuitate ac captu exaraſſem, uir ſpectabilis: et uideretur negocium ſeu opus non penitus cùm doctis, tum cordatis quibuſq, in quorũ ſanè gratiam, in primis tamen ad laudem & gloriam pijſsimi Ieſu, hoc inſti.ueram abſoluendum, diſplicuiſſe: haud abs re fore conijciebas (cum tua humanitate ac familiaritate uti liceret) ſi talem quoq operam præſtarem enucleandis ſanctorum Apoſtolorum & Prophetarum ſcriptis, quæ piè iuxta piam catholicæ Eccleſiæ inſtitutionẽ ſacroſancta dicta ac facta Ieſu Chriſti tum probant, tum energia quadam mentibus hominum in uerba Chriſti iurantium inculcant, et apprimè illis ex Euangelio filij Dei doctrinis conueniunt. Et ego, ut uerum fatear, non tam tibi quàm alijs, quos mihi bene cupere uideo, quicquid mearũ uirium et opis meæ eſt, paratiſsimus ſum impendere. Sic ſanè, quantũ datum eſt, Commentaria hæc hinc inde apum more, ex priſcis illis ac pijs uiris (quorum induſtriam nemo ſatis laudibus uehet) ueluti uariorum florum ſuccum collegi. Ea autem, optime uir, tibi potiſsimùm dedicare libuit, quòd tuo ſingulari ac pio ſtimulo & inſtinctu in lucem eduntur: ac etiam propter ſtudium illud tuum ardens, erga induſtriam ac pijſsima opera ueterum Theologorum (quibus certè, meo iudicio, deferendus ſummus honos, obinde quòd ab illis ad nos dimanarunt diuiniſsima ſacræ fidei myſteria) quæ ut emendentur, & multis per orbem hominibus illuceſcant per typographiam, nec laboribus nec ſumptibus parcis: quæ quidem fides ſingularisq diligentia proderit nõ parum tibi. Sic enim honos, nomenq tuum, laudesq manebunt. Eam mentem uelit tibi eſſe perpetuam ſeruator noſter Ieſus, ut pergas benefacere multis. Hinc, poſt officia, quibus tibi obæratus eſſe uolo, cupio te quàm optimè ualere. Datum Seletſtadij, anno à Virgineo partu milleſimo quingenteſimo ſexageſimo.

EPISTOLARVM, QVAE DOMINICIS DIEBVS ET ALIIS CHRISTI AC SANctorum eius Feſtis in Eccleſia leguntur, Interpretatio compendiaria, Renhardo Lutz Erythropolitano authore.

DE NATIVITATE DOMINI NOSTRI IESV *Chriſti Epiſtola, ad Hebræos Cap. 1.*

Dei ineffabilis bonitas, qui locutus eſt nobis in filio, ut per eum nobis annunciaret omnia.

MVLTIPHARIAM, multiſq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem uniuerſorum, per quem fecit & ſecula. Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portansq; omnia uerbo uirtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis eius in excelſis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Ad filium autem: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi, uirga æquitatis uirga regni tui. Dilexiſti iuſticiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. Et tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli: ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut ueſtimētum ueteraſcent, & uelut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Pſal. 2. & 96. Pſal. 103. & 44.

Teſtimonia diuinitatis pleniſsima & uaria, ex Scripturis.

Pſal 101.

Chriſtus per ſe ipſum purgationē fecit, & conſedit ad dexteram maieſtatis in excelſis.

EXPLICATIO.

IVcundum erat Hebræis, Dei, Patrum & Prophetarum nomen: conſultè ergo ab iſtis auſpicatur D. Apoſtolus apud Hebræos dicturus, certè ut auditorum duros alios & iniquos animos Chriſti negocio demulceret. Sæpenumerò autem locutum ait Deum patribus. Nulla enim gens eſt quæ plures habuerit ueros ac diuinitùs inſpiratos uates. Ita uidemus Deum ipſum uariam induiſſe faciem: item uarijs modis atque reuelationibus uoluntatem ſuam reuelaſſe, ac humani generis quæſiſſe ſalutem. Cum autem dicit, Quem conſtituit hæredem: humanitatem ſignificat, iuxta quod dictum fuit: Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Ergo non iam portio Domini tantum Iacob, & ſors eius Iſrael: ſed omnes nationes & gentes toto orbe diuiſas in hæreditatē diſtinctim ſanguis amplectitur Chriſti. Porrò hæredis hic utitur nomine, ut oſtendat quòd proprius ſit filius, & quòd dominationis illi nulla contingat amiſsio. Nec patri propterea aliquid decedit, nec filio magis accedit, ut in humana hæreditate fit: ſed coæqualitas eſt utrobique. Habes (ut Tertullianus aduerſus Praxeam ſcribit) filium in terris, habes patrem in cœlis: non eſt ſeparatio iſta, ſed diſpoſitio diuina. Cæterùm ſcimus, Deum etiam intra abyſſos eſſe, & ubiq; conſiſtere, ſed ui & poteſtate: Filium quoque, ut indiuiduum cum ipſo ubique. Tamen in ipſa œconomia pater uoluit filium in terris haberi: ſe uerò in cœlis. Quòd uerò legimus per filium omnia eſſe condita, notatur eſſentiæ unitas, & perſonarum diſcrimen. Ideoq; iterum alluſit diuinus Paulus ad eorum hominum morem, qui maximas quaſq; res adminiſtrant per homines ſibi coniunctiſsimos, prudentia quoq; & rerum peritia ſummos. [a] Sic Deus per filium condidit omnia. Sermone condidit, ſeu magis uerbo, ac filius patris æterni uerbum eſt æternum: nec ille condidit mundum per filium, ueluti per organum aut miniſtrum, ſed ut eadem fuerit poteſtas condentis Patris ac Filij. Alia porrò, ſed illuſtriori metaphora pingit gloriam Chriſti Apoſtolus, demonſtrans eum eſſe filium Dei, ipſi Deo æqualem. Nam ſicut ſplendor ſiue radius ex ſole emicat: ſic etiam filius ex ſeipſo non exiſtit, ſed ex patre genitus eſt. Et ſicut radius à ſole non ſeparatur: ſic neque

Eſaiæ 6. Oſeæ 12.

Pſal. 2.

a Gen 1. In principio creauit Deus cœlum & terram.

à patre

à patre filius diuiditur. Hinc doctiſſimus Tertullianus: Nec dubitauerim, inquit, filium dicere & radicis fruticem, & fontis fluuium, & ſolis radiũ. Quia omnis origo, parens eſt: & omne quod ex origine profertur, progenies eſt. Multo magis ſermo Dei, qui etiam propriè nomẽ filij accepit. Nec frutex tamen à radice, nec fluuius à fonte, nec radius à ſole diſcernitur, ſicut neque à Deo ſermo, &c. Neq; igitur ſic eſt filius Dei Ieſus Chriſtus, quemadmodum homines nonnunquam dicuntur filij Dei, quòd illius præceptis obediant: ſed quòd à Deo patre genitus ſit Deus: atq; ita genitus, ut eadem ſit illi natura cum patre, atq; expreſſa imago ſubſtantiæ illius. Ait præterea D. Paulus, quòd omnia conſiſtant robore, ui & potentia Chriſti: mundum non modò per Chriſtum eſſe conditum, ſed eum etiamnum illius adminiſtratione regi & conſeruari. Cumq; non ſolùm ſit conditor omnium, uerumetiam condita moderetur, ac uerſet nutu iuſſuq; ſuo omnipotenti, ſimul cum omnipotente patre: uidete, quò ſe noſtri cauſa demiſerit. Aſſumpſit humanam naturam, noſtræ conditionis iniurijs obnoxiam, ac moriens in crucis ara ſeipſum hoſtiam immolauit pro noſtris peccatis. Cumq; antehac ſacerdos Moſaicæ legis [a] pecudis ſanguine ſoleat expiare peccata: hic ſuo ſacroſancto ſanguine [b] expurgauit delicta totius humani generis: atq; ex hac demiſſione ſui tantam ſibi parauit gloriam, [c] ut rediuiuus ac reuerſus in cœlum, conſederit dexter Dei patris maieſtati, in qua ſemper illi fuerat æqualis, iuxta naturam diuinam. D. Cyprianus. Sedere autem ad dexteram patris (ut D. Cyprianus ait) carnis aſſumptæ myſterium eſt. Neq; enim incorporeæ illi naturæ conuenienter iſta abſq; aſſumptione carnis adduntur: neq; ſedis cœleſtis perfectum diuina natura, ſed humana conquirit. Aſcendit ergo ad cœlos, non ubi uerbum Deus non fuerat, quippe qui ſemper erat in cœlis, & manebat in patre: ſed ubi uerbum caro factum antè non ſedebat. Hæc ille. Verùm propius accedens ad rem S. Paulus, oſtendit huius maieſtatem ex humilitate magis inclaruiſſe mundo, adeò ut qui prius uidebatur abiectus infra infimos homines, nunc maior ſit et habeatur, non ſolùm Prophetis, uerumetiam ipſis angelis: ac tanto maior, quanto plus habet dignitatis filij nomen, quàm famuli. Et quia probè ſciebat, quòd apud eos ageret negocium, apud quos ea nullius prorſus authoritatis erant, quæcunque tandem non firmarentur Scripturæ teſtimonijs: copioſiſſimis Scripturis diducit ac firmat quod dixerat paucis. Prius autem teſtimonium ſumpſit ex Dauide, quo tale quiddam dixiſſe uidetur: [Pſal. 2.] Vnde perſpicuum, quòd melior ſit angelis? ex nomine. nomẽ enim Filius, germanitatem indicat, quòd ex patre ſit genitus. Quod igitur ait, Ego hodie genui te: nihil aliud ſignificat, quàm quòd ſit à principio, à quo pater. Hodie igitur, coæternitatem ſuæ maieſtatis oſtendit. Non eſt enim ibi, fuit, neq; erit: ſed ſemper permanet, & ſemper eſt: & quicquid dixeris illi, hodie eſt. Quòd uerò ait, Genui te: natiuitatem illam ſignificat, de qua Eſaias dicit: [Eſaiæ 53.] Generationem eius quis enarrabit? Poſterius uerò teſtimonium ex libro Regum petitum, propter [2. Reg. 7.] carnem dictum eſt. Aſſumpta itaq; natura, genuinum nomen, nempe quòd filius ſit ac dicatur, quod nominis coniunctum & unitum naturæ uerbum habebat, hæreditauit: quippe quæ in illo ſubſiſtat, quemadmodum & angelus dixit: Erit autem magnus, [Lucæ 1.] & filius altiſſimi uocabitur. Porrò ultimum teſtimonium rurſum ex Dauide ſumptum, æternũ apertè probat Chriſtum Dei filium. Nemo enim niſi Deus, adoratur. Introducitur autem non aliter quàm in carne (ait Theophylactus.) Vt enim Deus uerbũ in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt: ante incarnationem nihil commune habebat cum creatura, ut qui Deus eſſet, carne uacans. [a Leuit. 16.] Quando uerò carnem aſſumpſit, tum communicans creaturæ, quatenus creatum uniuit ſibi, [b Hebr. 10.] ipſe introductus in creaturam eſſe dicitur. & primogenitus, per humanam alluſionem. Erant enim [c Philip. 2.] apud Hebræos primogeniti hæredes, & omnium rerum Domini. Quamobrem (teſte D. Athanaſio) unigenitum dum Scriptura refert, ſecundum diuinitatem indicat, quia in Deitate unigenitus à Deo patre omnino fratres non habet. & dum primogenitum nominat, naturam hominis oſtendit: ſic tamen, ut primogenitum non tam eum eſſe intelligamus, poſt quem & alij, quàm eum ante quẽ nullus: qualis utiq; (ut D. Hieronymus docet) fuit hic noſter Chriſtus Mariæ filius. Poſtquam autem ſacer Paulus teſtimonia de filio poſuit, nunc de angelis ſubiungit. [Pſal. 103.] Et maximum quidem diſcrimen facit inter illos: quoniã illi quidem ſunt creati, hic uerò increatus. Porrò nuncios illos ignem urentem dicit, ut in alijs lumen ueritatis infundãt, in alijs peccata conſumant. Quòd ergo facti ſunt angeli, hoc habent cum cæteris rebus à Deo conditis commune: quòd facti ſunt ſpiritus ac mẽtes, à contagio corporis humani liberæ, quodq; ſemper ardentes diuina charitate aſſiſtunt agiles executores diuinæ uoluntatis, hoc nimirum præcellunt nobis. At quanto magnificentiora ſunt quæ loquitur de filio? Audimus Dei uocabulum tribui [Pſal. 44.]

filio, audimus thronũ regni tribui: audim⁹ ſceptrũ tribui, regni nunquam habituri finem: audimus item hunc filium peculiarius unctum à Deo patre ſupra cõſortes omnes, ſiue homines ſiue angelos. Alij reges (inquit D. Hieronymus) qui typum illius prætulerunt, à regnando cõſortes dicti ſunt, oleo corruptibili ſunt inuncti: hic uerò filius Dei, à Deo patre oleo exultationis, hoc eſt, reſurrectionis, aſcenſionis, dominationisq́; eſt delibutus: quia Chriſtus naturâ filius, nos per gratiã. Cum uerò ex Pſalmo 109 dicit, Initio terram tu fundaſti Domine: oſtendit, quod à ſanis mentibus non poteſt abnegari: quia creator ante creaturas ſuas ſine aliquo initio cognoſcitur extitiſſe. Deinde, Tu autem permanes, dicens: æternitatem Domini oſtendit, dum crearet omnia ſic, poſt cœlos mutatos, ipſum dicit in maieſtatis ſuæ gloria permanere. Et maius quiddam quàm ſit creatio, alijs uerbis aperuit Apoſtolus, trãſfigurationem uidelicet mundi: Permutabuntur, inquit. Permutabuntur enim à corruptione ad incorruptibilitatem: adeò ut nõ plus iſtic laboris Deo inſumendũ ſit, quàm ei inſumitur qui ueſtem quampiam inuertit. Porrò idem poſitum eſt, ut æternitas oſtenderetur: quoniam cum illa ſint commutabilia, Dominus ſemper immutabilis perſeuerat. Et hoc nõ parum ſolaminis præbet fidelibus, in hoc mundo oppreſſis: ſcilicet nouiſſe, eas res & opera quæ nunc uident, non ita duratura perpetuò, cæterùm acceptura alterationem: tum eum, quem ipſi deuenerentur & colant, in ſempiternum permanere, ſemperq́; uiuere.

IN NATALI S. PROTOMARTYRIS STEPHANI
lectio, Actuum Apoſtolorum. Cap. 5.

STephanus plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Surrexerunt autem quidam de ſynagoga, quę appellabatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Aſia, diſputantes cum Stephano: & non poterant reſiſtere ſapientiæ, et ſpiritui qui loquebatur. Audientes hæc, diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. Cum autem eſſet Stephanus plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, uidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Et ait: Ecce uideo cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris uirtutis Dei. Exclamantes autem uoce magna, continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. Et eijcientes eum extra ciuitatem lapidabant, & teſtes depoſuerunt ueſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui uocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritũ meũ. Poſitis aũt genib. clamauit uoce magna, dicẽs: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino.

EXPLICATIO.

Lucas deſcripta ordinaria uocatione & inſtitutione diaconorũ, auſpicatur nunc hiſtoriã Stephani elegantiſſimã. Præmittit autem, Stephanũ fuiſſe uirum ueracẽ, & omnib. præclaris & ſanctis dotibus ornatũ, atq́; ob hæc prorſus gratũ hominibus pijs. Huc accedebat miraculorum uirtus, quæ ſpectabilẽ aliàs multo efficiebat illuſtriorẽ. Cũ aũt ſemper uirtus ad ſe inuidiã trahat ut Cæcias nubes, iuxta prouerbiũ: nec pietatẽ ferre poteſt impietas: coniurant in ueritatem Hieroſolymis uaria hominum collegia. Coniunctis ergo uiribus conſilio communi feruntur in Stephanum: quem tamen idcirco ſuperare non potuerũt, quòd

Lucæ 11. *Dominus dixiſſet: Dabo uobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes qui aduerſantur uobis. Quo aũt doctiores & ſpectabiliores erãt aduerſarij Stephani: hoc maior & illuſtrior uictoria uiri & ueritatis. Vbi uerò Stephanus non tam piam quàm arduam & doctam habuiſſet ad illos cõcionem: unde, quò fidelius propoſuit ueritatem, hoc impotentius incandeſcunt impij. Hæc oratio tam uera tamq́; libera, adeò concitauit animos omnium qui erant in concilio, ut rumperentur illorum corda, ac dentibus ſtriderent in illum. Stephanus autem nihil iſtis commouebatur minis, & inſanientium ſannis: ſed ad extrema perferenda paratus, intendit oculos in cœlum, unde omne præſidium petendum, & è quo omnis ſalus noſtra manat. Mox aduerſus futurum certamen corroboratur egregius athleta. Diducit ſe cœlum, uidet maieſtatem Dei, & Ieſum quem profitebatur, ſtantem à dextris Dei. Nec hoc tacuit apud impiam multitudinem. Quo dicto & iudicum coarguit iniuriam, & omnes eos conſolatur qui uel*

in fide decedunt, uel ueritatis nomine patiuntur. Hi enim omnes audiunt cœlorum regiam eſſe apertam, regnare in ea Dominum Ieſum: & ita quoq;, ut noſtri meminerit familiariter. Porrò (ut D. docet Hieronymus) Deus ſtare dicitur, cum nos infirmos ad pœnitentiam et conuerſionem patienter ſuſtinet. Poterat ergo Stephanus ſic uideri locutus coram Iudæis, non tam quòd Chriſto ferret teſtimonium, ipſumq; ſentiret auxiliatorem fore: quàm quòd teſtaretur, Deum paratum eſſe ad dandam miſericordiam ijs qui pœnitentia compuncti ad ſe conuerterentur. Cæterùm cum Dominus Ieſus Chriſtus, Dei & hominis perfectus ſit filius: quid eſt, quòd hunc beatus martyr hominis potius quàm Dei filium appellare maluit? Certè ut hoc teſtimonio Iudæorum confunderetur infidelitas, qui ſe hominem crucifixiſſe, & hunc Deum credere noluiſſe meminerũt. Hic operæprecium eſt conſiderare formam huius iudicij. Si Moſen aut Abraham extuliſſet, tuliſſent Ieſum uiuere, Ieſum ſtare à dextris Dei: iuxta uaticiniũ Dauid non ferunt, ſed prorſus iam in rabiem uerſi, aduerſus ſermonem tam ſalutiferum obturant aures ſuas, & inſanis uociferationibus magno conſenſu omnes impetum fecerunt in Stephanũ. Iamq; ueluti conuictum damnatumq; blaſphemiæ, eijciunt extra ciuitatem: hac tantum in parte memores legis Moſaicæ. Sic enim ſcriptum eſt: [a] Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt manus ſuper caput eius, & lapidet eum populus uniuerſus. Porrò teſtes ceu uictores, quorum partes erant auſpicari lapidationem, quo eſſent ad carnificinam expeditiores, depoſuerunt ueſtes ſuas apud adoleſcentẽ cui nomen erat Saulus, qui tum per ignorantiam ac patriæ legis ſtudio fauebat impiæ cauſæ. Mox lapidare cœperũt Stephanum, non conuiciantem, ſed eum quem uiderat inuocantem, ac dicentem: Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Diſcamus hic, magna animi cõſtantia & patientia mortem ſemel in nos graſſaturam, infracto perferre animo. Diſcamus item, uitã & animam noſtram in manus commendare Domini Ieſu, qui mortem fregit, uita et reſurrectio eſt omnium ſibi fidentiũ, & ſerò in extrema neceſſitate inuocãtum. Deinde uolantibus undiq; ſaxis, flexis humi genibus, magna uoce magnoq; affectu orat pro inimicis ſuis ipſum Chriſtum, ne inſanientibus hanc cædem imputet. Agnoſcis Ieſu diſcipulum? Quàm bene Dominum ſuum expreſſit famulus? Hæc erat extrema uox morientis, poſtquam obdormijt in Domino, in quo quiſquis moritur, non moritur: ſed obdormiſcit, poſt placidam quietem ad immortalitatem reuicturus. Hoc affectu decet mori, quotquot uerè Chriſtiani ſunt. Dormit autem iuxta idioma Scripturarum, qui mortuus eſt ſpe reſurrectionis futuræ, olim ſuſcitandus. ſic Stephanus perpetuò uiuit, & gloria eius nequaquam interibit: qui primus omnium martyrij coronam meruit, & Euangelici ſacrificij primitias obtulit Domino.

a Leuit. 24.

IN NATALI S. IOANNIS APOSTOLI ET EUANgeliſtæ Epiſtola, ad Epheſios Cap. 1.

BEnedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto. Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in cõſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum uoluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius in remiſſionem peccatorum, ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis.

EXPLICATIO.

Epheſus metropolis quondam erat Aſiæ minoris, ciuitas ſuperſtitioſè dedita cultui dæmonum. D. Paulus igitur ut à tantis erroribus illos abduceret, triennium apud illos egit, nihil interim non faciens, quod ad illorũ ſalutem conducebat. Hos igitur quoniam in fide perſtiterant, hortatur ut pergant, & ad perfectionẽ proficiant, & ſcribit: Ego Paulus legatus non Moſi aut ullius hominis, ſed Ieſu Chriſti, cuius ago negociũ, authoritate iuſſuq; Dei patris, qui me per filiũ ſuũ iuſſit Euãgelicæ doctrinæ inter gentes eſſe præconẽ, &c. D. Ambroſius exiſtimat, Deũ ideo patrẽ noſtrũ appellatum, quòd nos condiderit: Dominũ aũt dici ipſum Chriſtum Dei filiũ, quòd ipſe ſe pro nobis offerẽs redemerit nos, & ueluti in peculium ſanguine ſuo nos mercatus ſit. Quomodo aũt ſecundũ ſubſtantiam Deus bonus (ſcribit D. Hieronymus) nos cõmunione ſui efficit bonos: ita ipſe benedict[us] nos præſtat eſſe benedictos. Laudandus eſt itaq; ſummus ille Deus, qui gratuito fauore omnẽ benignitatẽ in nos effudit, nõ ſolùm impertiẽs nobis hæc quæ ad huius uitæ uſum, quæq; ad corporis præſidia pertinent:

nent:uerumetiã eas dotes quæ ad animi ſalutẽ,& ad uitã faciũt immortalem,quæ uita nos manet in cœlis. Quare cõuerſatio noſtra in cœlis eſt,et nõ ſumus de mundo iſto,ſed depoſita imagine portamus imaginẽ ſupercœleſtis:et in carne nõ uiuim⁹, ſed in ſpiritu. Benedixit aũt nos per Chriſtum(ut Theophylactus docet) perinde ac elegit nos per ipſum:hoc eſt,per fidẽ in ipſum:idq; fecit priuſquã hic mũdus eſſet cõditus. A' ſupernis enim iã olim præfinita erãt quæ in nos deriuata ſunt:neq; recentia ſunt uel noua,ſed à principio diſpenſata ordinataq;. Ideo aũt nõ ſequitur,quod quidã inſerũt: Ergo excidere nõ poſſum, utut graſſer per omnes ſcelerum & flagitiorũ ſpecies. Audiant illi potius quod addit D.Paulus:Sic elegit, ut ſancti ſimus, et immaculati,permanẽtes in ſanctitate,quam impertijt nobis baptizatis, ac uitã uirtutib. cõptam habentes. Sanctus enim eſt,qui fidei conſors eſt: immaculatus aũt,qui inculpatæ uitæ eſt. Sanctitatem aũt quærit,& uitæ puritatẽ, qua fiat ut in iudiciũ à quoquã uocari reprehendi' ue nõ poſſit, nõ ſimpliciter,ſed corã Deo. Sunt enim multi in cõſpectu mortaliũ ſancti,cæterùm nõ in conſpectu Dei. Porrò docet D.Paulus,quæ & qualis ſit illa cœleſtis benedictio:nempe,quòd ipſe Deus per Chriſtũ, & inuicẽ & in ius filiorũ (ſumus enim naturâ filij iræ) recipit,& ſibi ipſi ita cõglutinat per fidẽ & charitatẽ,ut illius membra facti unum ſimus cum ipſo. Hæc igitur eſt uera prædeſtinationis ratio,quòd nullis præcedentibus meritis noſtris, imò priuſquã eſſet hic mundus, Deus certũ apud ſe decretũ condidit,quòd per Chriſtũ ſaluos facere uelit credentes. Sic aũt placuit illi, inquit, qui naturâ bonus eſt,ut gratuita illius benignitate uocaremur ad hanc hæreditatẽ, Chriſtiq; conſortiũ. Iam & uſus & fructus huius cõſilij Dei oſtenditur, ubi inquit: Vt laudetur gloria gratiæ ſuæ, quaſi dicat: tametſi gratis conferatur nobis ſalus per Chriſtum, Deus tamen ſalutis æternæ hæredes non uult eſſe ocioſos,ſed gratitudinem & laudes requirit ab ipſis. Vnde facilè colligere licet, quæ ſint prædeſtinatorũ & electorũ filiorũ Dei officia:uidelicet nõ iactare Dei prouidentiam, genio indulgere,& ſine timore Dei uiuere:ſed pietati operã dare,gratias & laudes Deo perpetuò offerre. Et ut clarius exponat, quomodo adoptarit nos Deus in filios per Chriſtũ:Eramus,inquit,nil aliud quàm hoſtes Dei,et reprobi:ipſe uero noſtri miſertus, per eum quẽ diligit ineffabiliter nos ſibi reconciliauit,gratioſos et amabiles nos fecit: perinde ac ſi quis (ut cum Theophylacto loquamur) ſcabioſum quempiã ſenẽ, ac fame corruptũ ac deformẽ accipiens, protinus elegantẽ,formoſum & amabilẽ ipſum in omnib. efficiẽs. hunc ad modũ enim Deus nos omni cùm deformitate tum turpitudine plenos accipiens, amabiles & formoſos nos exhibuit:& hoc propter dilectũ filiũ ſuũ unigenitum. Habemus ergo redemptionẽ. Qualẽ? remiſſionẽ delictorũ. Quomodo factã? per ſanguinẽ ipſius filij effuſum. Non enim potuit amplius odiſſe eos quos ſuo ſanguine redemerat, et ſibi quodammodo in peculiũ cõſecrauerat unigenitus. Hoc autem maximè tremendũ, quòd proprio filio nõ pepercit propter nos:ſed cæſo dilecto filio ſuo liberauit nos,qui inuiſi & odio ſuccumbebamus, ut ait ille. Præterea quòd inquit, Iuxta diuitias gratiæ ſuæ,quã abundè et largiter ſuper nos effudit:oſtẽdit ſalutẽ et uitã fideliũ beneficij eſſe Dominici,nõ meriti noſtri. Ita ſanè (ut alio in loco docet D. Apoſtol⁹) nos qui ſub principib.et poteſtatib. tenebamur captiui,per Ieſum Chriſtũ filium Dei dilectũ liberati ſumus:cum ipſe propriũ ſanguinẽ dedit,et nos de illa ſeruitute eripiẽs libertate donauit: cui proinde ſit laus & gratiarũactio,nunc et ſemper.

DOMINICA INTRA OCTAVAS NATALIS DOmini *Epiſtola,ad Galatas quarto.*

QVanto tempore hæres paruulus eſt,nihil differt à ſeruo, quũ ſit dominus omniũ:ſed ſub tutorib.& actorib. eſt,uſq; ad præfinitũ tempus à patre. Ita & nos cũ eſſemus paruuli, ſub elemẽtis mũdi huius eramus ſeruientes. At ubi uenit plenitudo tẽporis, miſit Deus filiũ ſuum, factũ ex muliere, factũ ſub lege: ut eos qui ſub lege erãt redimeret,ut adoptionẽ filiorũ reciperemus. Quoniam aũt eſtis filij Dei,miſit Deus ſpiritũ filij ſui in corda ueſtra,clamantẽ Abba pater. itaq; nõ eſt ſeruus,ſed fili⁹. Quòd ſi filius,& hęres p Deũ.

EXPLICATIO.

[a] D.Hieron. Legitimũ, inquit, tempus quod Romanis legibus ſancitũ eſt,25 annorum ſpacio terminatur.

Copioſius diſputaturus D.Paulus de libertate Chriſtiana,de uſu legis,huiuſq; abrogatione:ſimilitudinẽ ſumpſit è legib. Romanis,quib.ſancitũ & cautum erat,pueris pupillis dari tutores, furioſis & adoleſcentibus curatores,qui pro illis rem adminiſtrarẽt.[a] Quemadmodum ergo,inquit,iuxta leges humanas, hæres quàm diu minor eſt,non exercet ius ſuum,ſed alieno arbitrio ducitur uſq; ad ætatem adultam, quam legis aut patris uoluntas præſcripſerit:itidem et nos olim,dum ducere-

mur

mur affectibus uarijs, legi tanquam tutori fideli fuimus ſubditi: non ut illa nobis dominaretur perpetuò, ſed tantiſper donec ueniret promiſſum ſemen, & fides imperium obtineret in cordibus noſtris. Poſtquam ergo Chriſtus natus eſt, poſteaquam fide imbuti iudicium de rebus diuinis nacti ſumus, iam anni ſeruitutis noſtræ expleti, Domini legis & hæreditatis promiſſæ facti, in iuſtā libertatem aſſerti ſumus. Non dixit autem (ait Theophylactus) per mulierem: ut ne aditum & anſam inueniant qui aſſerūt, [a] *Dominum per uirginē ceu canalē tranſijſſe, matri prorſus apparentia: ſed, Ex muliere, hoc eſt ex eſſentia uirginis corp⁹ accipientem, quippe quia ſit fructus uteri ipſius. Et multo euidentius eſt quàm ſi dixiſſet, Factus eſt homo. Primò enim alluſit ad illud Geneſ. 3. Inimicitias ponam inter te & illam mulierem. Mulier autem utrobiq; ſexus nomen eſt, non conditionis. Vnde certò conſtat, Chriſtum ex uirgine eſſe natum. Subiectus autem fuit legi, circumciſus, omniaq; legis perficiens, ut ab ea exemptus, ab execratione nos redimeret, & ius illud ſiue priuilegiū quo gaudent filij, nobis impetraret. Et ex hoc autem apparet, quòd filij Dei ſimus. atq; certo argumento docet diuina bonitas, nos in libertatem filiorum eſſe aſſertos, quòd amoto ſuppliciorū metu ſpiritum unici filij ſui infudit intimis cordibus noſtris, qui nobis certiſſimus teſtis eſt, quòd ſimus filij Dei. ſiquidem ingenti hic fiducia clamitat: Abba pater, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. quod nunquam equidem auderemus dicere, niſi de conſcientia ſpiritus habitantis in nobis. Pluribus hic diſputat D. Hieronymus, aduerſus eos qui tertiam in ſancta trinitate perſonam negant: de quo item copioſe diſſeruit Dydimus Alexandrinus, orthodoxæ ueritatis propugnator. Poſtremo autem loco D. Paulus infert, quòd tota epiſtola intendit, liberos ſcilicet nos eſſe, & hæredes Dei per Chriſtum. Per Chriſtum notanter addit, ut oſtendat hæreditatem quæ à Deo nobis obuenit, iuſtificationem & uitam æternam confirmatam, & delegatam nobis per mortem filij Dei Ieſu Chriſti Domini noſtri.*

[a] Marciòn, & cæteri Hæretici: Vide D. Hieronym.

IN OCTAVA NATIVITATIS DOMINI

Epiſtola beati Pauli, ad Titum Cap. 2.

Circumciſionis diè.

APparuit gratia Dei & Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, iuſtè & piè uiuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & aduentum gloriȩ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare.

EXPLICATIO.

Eſt hæc adhortatio grauis, qua D. Apoſtolus excitare uult diligentiam noſtram. Dicit autem hic gratiam Euangelij, de qua in Zacharia legimus, Exæquauit gratiam gratiæ: cap. 4. Et quid ait? In hoc per Euangelium illuxit antehac ignota beneficentia clementiaq; Seruatoris noſtri Dei, ex æquo cunctis hominibus: non ut legis onere liberati noſtro uiueremus arbitrio, ſed poſteaquam per baptiſmum condonata nobis ſunt ſuperioris uitæ commiſſa, & ſemel renunciauimus impiæ religioni, ſimul'que mundanis cupiditatibus uniuerſis, deinceps præſtemus temperantiam, iuſticiam, & omnem pietatem. Pauciſſimis hiſce uerbis deſcripſit D. Paulus tam piam quàm impiam uitam. Impietas enim ignorantiam Dei habet, idololatriam, ſuperſtitionem, cæcitatem, & quæcunq; huius generis ſunt: Epheſ. 4. concupiſcentia uerò in ſe complectitur libidinem, luxum, auaritiam, omnes præterea affectus beluinos: iſta uerò omnia docet nos abnegare. Per abnegare quidem auerſionē ſignificat (inquit Theophylactus) quæ ex animo fiat, totoq; mentis affectu. Interim autem quoq; docet operari bonum, ut ſcilicet ſobriè uiuamus: hoc eſt, cautè, ſapienter, nō ex affectu concupiſcentiæ, ſed temperanter, iuſtè, ne quem fraudemus, aut afficiamus iniuria: ſed bene mereamur potius de omnibus, lædamus neminem: adeoq; facultates noſtras non tantum iuſtè poſſideamus, ſed iuſtè quoque diſpenſemus. Piè autem, non ſuperſtitioſè aut ritu non probato, ſed uero Dei cultu, quem ipſe nobis præſcripſit. His inquam abſoluitur uera pietas in præſenti ſeculo. Præſens enim certamen habet, futurū autem permutationes ac retributiones. Quare etiam adijcit, ne putemus ſterilem eſſe pietatem noſtram, neq; uenemur huius uitæ præmiola, ſed expectemus eximium illud præmiū immortalitatis. Præmium aūt quod manet pietatis ſtudioſos, eſt illa uera beatitudo, quam promiſit ſe daturū omnib. uerè credentibus Chriſtus, cum uenerit ipſe iudicare

uiuos et mortuos. Tametſi enim nunc apud Deum mortuorum Dei ſeruorum ſpiritus uiuant: in illa tamen die reſuſcitabitur tum ipſorum tum omniũ caro, ut totus Dei cultor tam corpore quàm anima æternũ uiuat apud Deum. Apparitionem autẽ gloriæ poſuit pro glorioſo aduentu iudicis Chriſti, quem magnum Deum & Seruatorem mundi appellat. Rectè igitur ex hoc loco exultant ceu uictores contra Arianos pij patres & orthodoxi, Hieronymus, Auguſtinus & Theophylactus, cuius (ſi quis requirat) hæc ſunt uerba: Vbi ſunt, qui filij potentiam imminuentes, ne Deum quidem ipſum dicere ſuſtinent? Audiant quòd & Deus ſit, et magnus. Magnus autem de Deo dicitur, nõ per comparationem ad alium quendam paruum: ſed abſolutè, ut q natura ipſe per ſeſe magnus ſit. Hæc ille. Idcirco ſummus, optimus & maximus Deus eſt Ieſus Chriſtus, Seruator noſter. Cæterùm rediens ad priora D. Apoſtolus: Haud decet, inquit, ut in illis uiuamus, à quibus ſumus erepti, tantoq; precio liberati. Nam filius Dei non aurum aut argentum pro nobis expendit: ſed ſemetipſum tradidit in mortem, ut ipſe ab omni peccato immunis, precio ſui ſanguinis nos redimeret à tyrãnide diaboli, cui noſtris flagitijs eramus obnoxij, et ab omni iniquitate. Indignum igitur, ſi quis poſt acceptam Chriſti fidẽ pergat in iniquitatibus: ſiquidẽ non in hoc tantũ paſſus eſt, ut ſatisfaceret pro peccatis noſtris: ſed etiam ut abolitis ſemel ſuperioris uitæ maculis, pararet ſibi nouum quendã ac peculiarem populum, qui ad ipſius exemplum contemptis huius mundi malis, calcatis huius uitæ illecebris, bonis operibus ambiret immortalitatis hæreditatem, quam ille pollicetur omnibus Euangelicam profeſſionem purè caſteq; ſeruantibus. Sub hæc uerò monet ipſum Titum, ut neglectis quæſtionibus inutilibus & ſpinoſis, hæc quæ ad ædificationem faciunt, doceat, ceſſantes exhortetur, deflectenteſq; redarguat, idq; ſumma cum authoritate: atque ita ſe gerat in omnibus, ne quis meritò ipſum contemnere poſſit.

IN DIE FESTO EPIPHANIAE DOMINI

lectio Eſaiæ prophetæ, Cap. 60.

SVrge, illuminare Hieruſalem: quia uenit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te uidebitur. Et ambulabũt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & uide: omnes iſti congregati ſunt, uenerunt tibi. Filij tui delongè uenient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc uidebis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.

EXPLICATIO.

Spiritualem Hieruſalem Propheta ijs uerbis alloquitur, ut uidelicet in uenturum Chriſtum, qui ſuo tempore uenturus, miq; miſericordia & miſerationib. uiſitaturus illos ſit, oculos defigant, uerbum illius amplectantur. D. Hieronymus: Ad Eccleſiam dici, inquit, uniuerſa credamus, quæ primùm de Iudaico populo congregata eſt, & lumen quod ſuper eam ortũ fuerat per Apoſtolos tranſmiſit ad gentes. Ergo lumẽ uocat Propheta Chriſtum. Non autem eam ob cauſam ſolùm, quòd perpetuam & nunquam deſituram cum patre claritudinem habeat: uerumetiam quòd omnes uerbo illius fidem habentes, ad iuſticiam & ſalutem illuminet. Notandum uerò eſt quòd dicit, Tuum lumen. Palàm namq; oſtendit, illuceſcere quidem ubique lumen eiuſmodi: ſed tamen à puſilla illa Chriſtianorum turba tantum conſpici. Vocat autem Domini gloriam, æterna illa bona, iuſticiam et ſapientiam Dei, quæ per Chriſtum nobis pater ex mera gratia et miſericordia exhibuit ac dedit, de qua dictum eſt: Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Pſal. 86. Et quòd tam manifeſtis uerbis Propheta dicit, Super te gloria Domini exorta eſt: dubio procul oſtendere uoluit, eam Euangelij lucem & hoc tam acceptum gratiæ tempus à ſingulari quodam populo, & non ab omnib. intelligi & obſeruari: quemadmodum quoq; & alio in loco uaticinatum fuit: Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſticiæ. Malach. 4. Hinc certè alij homines qui Chriſtum ab ſe ablegant, in caligine et tenebris maneant neceſſum eſt, eo quòd lux in tenebris luxit, et tenebræ eam non comprehenderũt. Porrò Iudæis Chriſtum ac Euangelij lætum illud nuncium in primis mitti ac reuelari oportuit, propterea

pterea quòd patribus illorum peculiariter promiſſiones hac de re factæ erãt. Cum uerò bona pars eam gratiam aſpernaretur, cõgregare Eccleſiam ſuam Chriſto ex gentibus etiam libuit, adeò que Euãgelicæ gratiæ alios populos æquè atq; Iudæos facere participes. Atque ibi tum ambulatur in illo lumine & ſplendore, quæ Hieroſolymis primùm abiecto Chriſtianorum gregi illuxêre, ita ut etiam huc homines cùm è primoribus tum ex infima plebis fece properent ad Chriſti regnum, concordi quadam & fidei & affectuum ſinceritate. Quod quotidie uidemus expleri (inquit D. Hieronymus) quando idololatriæ errore ſublato, & perſecutionis rabie, ad fidem ac tranquillitatem Chriſti Romani principes tranſeunt. His præmiſſis Eccleſiam Propheta, ut frontem exporrigat, hortatur quæ primùm per Apoſtolos congregata eſt in Syon, de quibus & in [a] actibus Apoſtolorũ legimus, quòd de uniuerſo orbe terrarum uiri religioſi fuerint in Hieruſalem, qui ſuſceperint ſermonem Dei, & linguis ſuarum alienarumq; gentium uel audirent loquentes alios, uel ipſi loquerẽtur ad cæteros. Hinc ſanè Propheta indicat, ex omnibus terræ finibus uenturos, qui fidei ſinceritate Deum quæſituri ſint, & agituri. Cæterùm quando Propheta Eccleſiæ præcipit, ut eleuatis oculis uideat ſuos filios congregatos, qui de longè uenian t, nobis dictum eſſe uidetur. Nos enim ſumus illi filij qui de longè uenimus ad Dominũ (ut D. ait Hieronymus) peregrini quondam à teſtamento Dei, & repromiſſionibus eius, ſpem nõ habentes, et abſq; Deo in mundo. Quodq; ſequitur, Et filiæ tuæ de latere ſurgent: S. Hieronymus, Filiæ tuæ lac ſugent, legit: & illud ſignificare affirmat, quòd animæ in Chriſto lactentes. & in baptiſmate paruulorum ſugant lac Apoſtolorum, dicente Apoſtolo: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in uobis. Galat. 4. Oſtẽdit porrò diuin[us] Vates, quale gaudiũ futurũ ſit Eccleſiæ, quando eleuatis oculis uidebit filios & filias per ſe uenire uelociter, uel ſanctorum humeris deportari, quando illi ex æquo iuſticiam ſibi ac ſalutem propoſitam & oblatam gratuitò uidebũt, & diuitias omnes ad ſe transferri, & quicquid in ſeculo & orbe terrarum eſt, ita ut liberè dicere queat: Omnia poſſum in eo qui me confortat, Ieſu Chriſto. Multitudinem itaq; maris Propheta uocat omnes populos iuxta mare & in occidente cõmorantes, uenturos, & uerbum illius audituros. Quibus mox adiungit alios populos in Oriẽte habitantes: Siquidem illi camelis & dromedarijs utuntur. Audient autem & eæ regiones (inquit) lætum illud Euangelij nuncium, adeò que agnito Chriſto toti in hoc erunt, ut unis illis Dei templis ſeruiant: quemadmodum etiam Magi illi Chriſtum adorantes, & muneribus ornantes futurum ſignificauerunt. Quæ autem munera Deo præ cæteris placeant, haud difficilè elicere licebit ex ſequentibus Prophetæ uerbis. Vnum ergo hoc ſacrificium à Chriſtianis nobis exigit Chriſtus, ut Euangelium confitentes, Deum laudemus, alios doceamus: adeòq; omnibus uiribus in hoc ſimus, ut Chriſti regnum quàm latiſſimè propagetur.

a Actor. 2.

Vide D. Hieronymum.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM

Epiſtola ad Romanos Cap. 12.

OBſecro uos per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora ueſtra hoſtiam uiuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium ueſtrum. Et nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus ueſtri, ut probetis quæ ſit uoluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter uos, non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & unicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.

EXPLICATIO.

Quandoquidem ab orbe condito non minima ſemper de uera ſacrificatione concertatio habita eſt, paucis quidẽ, ſed euidentiſſimis diſſerit D. Apoſtolus, de uero ac iuſto Chriſtianorum ſacrificio. Et quia monſtrauit Dei circa nos ineffabilem diſpenſationem & bonitatem, adhortatur nos per miſerationes Dei, ut uel ipſas reueriti, nihil indignum præſtemus uel demonſtremus. ac inquit: Hactenus indulſiſſe ſat eſt craſſis iſtiuſmodi ſacrificijs: poſthac longè alios ritus, alium cultum, alias uictimas Deus à uobis requirit: nimirum ut offeratis illi ueſtra ipſorum corpora, non mutilandis membris, ſed ſubigendis malis affectibus. Siquidem Deus non uult mortuas pecudes; ſed ho-

ſed hoſtiam uiuam: ipſum inquam hominem ſanctificatum, & à ſceleribus repurgatum, purum, et qui uni Deo placere ſtudeat. Deus enim ſpiritus eſt: unde coli uult ſpiritu. Iudaicum itaque ſacrificium Deo non eſt beneplacens, neque gratum: fidelium autem ſacrificium, rationalis ſcilicet cultus uehementer apud Deum inquiritur, dicente ipſo per Prophetam: Sacrifica ſacrificium laudis, & ſacrificium laudis glorificabit me. Pſal. 49. Eſt autem rationalis cultus (ut Theophylactus docet) non ſolùm qui uerbo fit, cæterùm etiam uita Chriſto digna: quando nimirum nullus irrationalis affectus in nobis regnat, ſed ratio: imò uerbum Dei potius omnia gubernat. Et modum ſubijcit, quo cultum illum perficere queamus: ſi poſthac non ea nobis arrideant, quæ uulgo prophano & rebus caducis addicto probantur. Vide autem, quomodo in mundo figuram eſſe dixit (inquit Theophylactus) quòd nihil non ſit in eo temporarium, & facilè diſſolubile. Cum autem Chriſtus ſemetipſum obtulit pro nobis, par eſt ut ipſi noſmet illi uiciſſim immolemus. Atq; ita fiet, ait, ut quemadmodum exempti eſtis ab hoc ſeculo, profeſſione inſiti cœlo: ita uita & affectibus à priſtina uita diſſideatis, ac uelut in homines cœleſtes transformemini, ſi nondum corporum immortalitate, certè nouatis animi affectibus. Semper itaq; transformari debemus ſecundum uirtutem, innouariq; à malo ad bonum, atq; à minore uirtute ad maiorem. Porrò exponit ad quid commodet iſthæc mentis innouatio: nimirum ut agnoſcant, quæ ſit uoluntas Dei. Cui enim inueterata mens eſt, non nouit quæ ſit uoluntas Dei. Docet itaq;, ut à nutu uoluntateq; diuina omnia noſtra ſtudia ſimul & actiones incipiamus, quæ nihil moratur craſſum & imperfectum, ſed quod uerè bonum & ad cultum diuinum ac pietatem legitimum eſt, & idoneum. Videns autem D. Paulus, morem eſſe apud mundi cultores, ut felicior faſtidiat infeliciorem, ut infelicior inuideat feliciori: Non meũ, inquit, ſermonem dico, ſed eum quem à Deo accepi, quē gratia ipſius inſpirauit mihi: proinde præcipio ueſtrûm unicuique, quicunque ille ſit, ſiue potens ſiue plebeius, modò iam ſit inſitus Chriſtiano gregi, ne per animi faſtum plus ſibi tribuat quàm par eſt. Oportet quidem ſapere, hoc eſt altam cogitationem habere: ſed ita ut cœleſtes res affectet, atque ſuper terreſtria eleuetur: neque rebus naturæ & carni noſtræ arridentibus inhiare (ut cum doctiſſimo Theophylacto loquamur) ſed ſapere ad temperantiam et modeſtiam. Vel ut quiſq; ſobrio modeſtoq; ſit animo, & non arroget ſibi pluſquàm habeat: deinde ut meminerit, hoc ipſum quod habet, ſibi donatum eſſe à Deo: & in hoc donatum, non ut inde ſibi placeat, ſed ut in communẽ conferat utilitatem. Quod quidem ut facilius illis perſuadeat D. Paulus, commemorat quod uariè dotes ſuas partitus ſit Deus: Reputate, inqt, quod cuiq; Deus partitus eſt menſuram fidei. Non enim tua uirtus iſthæc, neque tuum opus eſt: ſed diuinum donum, ſiue magnum ſiue exiguum fuerit: Deus certè hoc impertijt. His adiungit aptiſſimã ſimilitudinem corporis & membrorum, & omnino conatur ab arrogantia abſterrere, & uocare ad concordiam: Fratres, inquit, ut corpus quidem unum eſt, diuerſa uerò membra differentes actiones habent & officia, & tamen uno conſenſu mutuò ſibi inuicem cedunt: ſic & fideles nos unum ſumus in Chriſto capite corpus conſtitutum, et diuerſos ſinguli habemus actus. uerbi gratia: alius per ſapientiã eſt oculus, alius per opera eſt manus, alius audiendo eſt auris: unum tamen eſt ex omnibus membris corpus in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Ne igitur inter uos alter aduerſus alterum inflemini: egetis enim membrorum inſtar, mutua ueſtra opera.

DOMINICA SECVNDA POST EPIPHAniam, Epiſtola ad Romanos Cap. 12.

HAbentes donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes, ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate. Dilectio ſine ſimulatione: odientes malum, adhærentes bono, charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes, ſolicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes, ſpe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi inſtantes, neceſsitatibus ſanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes. Benedicite perſequentibus uos: benedicite, & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus: idipſum inuicem ſentientes, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.

Lectio hæc apud diuum Paulum pertinet ad rationem donorum, quæ à Deo electis conferuntur. Varia autem dona ſunt, inquit, quæ Deus iuxta animi ſui conſilium & beneplacitum diſpenſat. Eſt autem duplex prohetiæ genus, futura prædicere, & ſacras literas interpretari. Et hæc prophetia etſi gratia eſt, non tamen ſimpliciter effunditur: ſed quatenus inuenerit uas fidei ſibi oblatum, eatenus (ut Theophylactus docet) influit, & affluit. Cum autem miniſterij meminit, forſan de eo miniſterij genere loquitur, quo D. Stephanus cum uiris aliquot pijs in Apoſtolorũ actis [a] functus eſt: quale eſt, infirmos ac pauperes inuiſere, adeó'que neceſſaria ijſdem adminiſtrare. Siue uerò de hoc miniſterio, ſiue de alio loquatur Apoſtolus: tamen hortatur eum qui huc uocatur, ut ſummam diligentiam adhibeat. Ait ergo: Si omnino miniſtrandum eſt, tam omni diligentia miniſtra, ut ne ullus excuſationi in extremo illo die pateat locus. Hinc Prophetæ [b] dictũ: Clama, ne ceſſes, annuncia populo meo ſcelera eorum. Doctrina itaq; & exhortatio ita coniunguntur, ut alterum ab altero diuelli non poſſit. Porrò oportet, ut qui tribuit, faciat hoc cum omni ſimplicitate, ut ne hypocritarum more hominibus tantum ſtudere placeat. Præterea hortatur, ut qui præſunt, aut munere fungantur Eccleſiaſtico, aut magiſtratu præmineant, omnia impigrè & cum ſumma diligentia adminiſtrent. Quicquid ergo miniſtrorum uerbi incuria neglectum fuerit, id è manibus illorum etiam requiretur, ueluti ad prophetam Ezechielẽ [c] dictum eſt: Si peccatori peccatum ſuum non annunciaueris, ſanguinem illius de manu tua requiram. Deinde ubi monuit, quòd cum ſimplicitate, nec nõ liberalitate ſit impertiendum, & multi multa, inuiti tamen & cum mœrore quopiam largiantur: ſubdit, liberalitati adeſſe oportere læticiam ſiue alacritatem. Iam & charitatem legis conſummationẽ præcipit, quòd ſine hac omnia Chriſtianorum opera flacceſcant. Vult autem, ut charitas illa non ſit fucata. Sunt enim qui ex animo oderunt, ſimulant tamen ſe amare, uel quia timent, uel quia ſua quærunt. Quumq; non pauci ſint, ſcelus quidẽ opere non patrantes, eius tamen cupiditate mente flagrantes: odium, inquit, mali omnium'que uitiorum ex animo poſtulo, uos à malo alieniſſimos eſſe uolo: nedum à prauo opere, uerumetiã ab omni cordis propenſione erga ipſum. Verùm non ſufficit à ſcelerib. declinare, niſi & uirtutis actio præſtò fuerit. Sitis itaque agglutinati bono, hoc eſt, affectum charitatis erga ipſum habentes. Adhortatus ſum uos ad dilectionem: atq; iſthuc haud immeritò facietis. fratres enim eſtis, in una matrice, nempe baptiſmate generati. Fratres ergo iubemur diligere (inquit Origenes) non iudicare. ſi enim putas aliquem impiũ eſſe, & ideo eum non iudicas diligendũ: audi, quia Chriſtus pro impijs mortuus eſt. aut ſi quia peccator eſt frater tuus, ideo eũ non putas diligendum: audi, quia Chriſtus Ieſus in hunc mundum uenit peccatores ſaluos facere. Si uerò iuſtus eſt, dilectione multo magis dignus eſt: Dominꝰ enim diligit iuſtos. Diſſerit porrò D. Apoſtolus, quomodo fraterna charitas perſeueret: ex mutuo nimirũ honore, quo alius alium anteuer- a Actorum ca-
tit, et conatur ſibi præferre. Quia uerò (ut Theo- pite 6.
phylactus in hunc locum ſcribit) pleriq; & honoris exhibitione & charitate imbuti uidentur quoad animum, manum autem interim non porrigũt, ait: Nemo per ocium ſibi uiuat, ſed pro ſe quiſque ſtudeat ſuo fungi officio, ut non uideamini languidi, ſed alacres ac feruẽtes ſpiritu. Qui ſub lege ſpi-
ritus uiuitis, nihil remiſſum, nihil tepidũ habeatis b Eſa. 58.
in uobis: ſed cum feruore ſpiritus & calore fidei peragite. Quòd ſi hoc feceritis, hanc ipſam dilectionem exercentes, cogitate id uos Domino condonare, nimirũ cum fœnore redditur. Hæc ſpes uos alat. Quòd ſi impiorum improbitas grauius affligat, ne cõfugiatis ad humana præſidia: ſed aſſiduis & improbis precibus cœleſte auxilium imploretis. Inſtantia enim orationis nobis præſtat auxilium in aduerſis: in quo enim nõ ſufficit humana fragilitas, auxilium Dei orationibus implorandum eſt. Siquid opus erit cæteris Chriſtianis, is c Ezech. 3.
cui ſuppetit, non quaſi ſtipem egenti porrigat, non grauatim: ſed quaſi ſuum cenſum cum illis commu- Origenes.
nẽ eſſe ducat. Nec dixit (inquit Theophylactus) ſumptibus et luxui: ſed neceſſitatibus, penuriæ, indigentiæ: eamq; benignitatem ut exerceãt iubet, non ſolùm inter ſe ipſos, uerumetiam in abſentes. Quàm dignè uerò hoſpitalitatis magnificentiam comprehendit, erudiens nos, ne expectemus tantiſper dum ad nos miſeri & egeni acceſſerint: uerùm ut accurramꝰ nos ad ipſos, inſequamurq; eos, ut Abraham & Loth. Deinde uerò ait: Atque ut oportet manus habere benignas, ita linguam conuenit habere innoxiam. Proinde qui uos odiò Chriſti perſequuntur & affligunt, adeò non opor- Vide Auguſti-
tet ulciſci, ut nec malè precandum ſit. Bene prece- num ad Mar-
mini: & illis benepreceminí inquam, ut reſipiſcãt. cell. Epiſt. 5.
tantum abſit, ut quenquam deuoueatis. Cæterùm ubi dicit, gaudendũ cum gaudentibus, & flendum cum flentibus: uult omnibus Chriſtianis affectũ eſſe cõmunem. Habenda tamen eſt in hoc apta diſtinctio: nõ enim quibuſcunq; gaudijs Chriſtiano-

rum

rum gaudia ſocianda ſunt. Habent enim impij ſua gaudia. Et inquit Scriptura: Extrema gaudij luctus occupat. Ergo ſi uideamus (docet) opus ſiue iuſticiæ ſiue charitatis, pacis aut miſericordiæ ita geſtum, ut in libro uitæ referri mereatur, gaudere cum talibus. Eodem modo non cum illis qui flent mortuos ſuos, iubet flere, aut qui flent damna ſecularia: ſed ſi quis flet primò peccatis ſuis, ſi quis poſt delicta conuertitur ad pœnitentiam, & errorem ſuum lachrimis lauat. Sub hæc de humili mente ſeu ſpiritu à faſtu alieno diſſerit eò tendẽs, ne ſint elatis animis ac faſtidioſis erga ſe inuicem: ſed qui maior eſt, humilibus & inferioribus ſeſe inclinet & accomodet, ita ſuperbiam per omnia fugiendam docens. Bene autem uno ſermone inſtitutionem humilitatis expoſuit. conſentire enim humilibus, & amare humiles, atq; inclinare ſe ad eos: hoc eſt conſueſcere imitari eum, qui cum in forma Dei eſſet, formam ſerui ſuſcepit, & humiliauit ſe uſq; ad mortem: Philip. 2.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM
Epiſtola, ad Romanos Cap. 12.

NOlite eſſe prudentes apud uoſmetipſos, nulli malum pro malo reddentes, prouidentes bona non tantum coram Deo, ſed coram hominibus. Si fieri poteſt, quod ex uobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habenres. Non uoſmetipſos defendentes chariſsimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi uindictam, & ego retribuam: dicit Dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Noli uinci à malo, ſed uince in bono malum.

EXPLICATIO.

Hæc quoq; lectio præcepta de moribus tradit: ac quidem primò arrogantiam prohibet, perinde atq; parum dignam Chriſtiano nomine. Voco autem arrogantiam, cum quis meliorem ſe iudicat quàm qui alteri cedere debeat: neq; conſultore opus habere, qui quid deceat, ſuadeat: quiq; ſuo iudicio ſibi magnus ſit, & admirandus. Ergo imitari potius debent piiſsimum Moſen, qui recta ſa-
Exod. 18. piunt. Is etiamſi cum Deo familiariter colloqueretur, tamen ſocero ſuo uſus eſt conſultore. Iam uerò cum id genus homines nulli cedere, nihil prorſus condonare ſciant. imò ne tantillũ quidem perpeti uelint: oſtendit D. Apoſtolus, nõ ſolùm Chriſtiano, ſi iniuria afficiatur, patientia opus eſſe: uerumetiam malum bono uinci oportere. Cæterùm quòd iubet, prouidere bona non tantum coram Deo, ſed etiam hominibus: ita præcipit, iuxta Origenem, nõ ut placeat ſingulorum uel uitijs uel moribus: alioquin contrarium erit quod idem dixit
Galat. 1. Apoſtolus, Ego ſi hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem: ſed ut uitæ ſuæ, morum & a-
a Rom. 8. ctuum ita teneant librã, ut non poſsint ab ullo homine reprehendi. agant bona coram omnibus, ſi-
Vide D. Chryſoſtom. in 1. ca. ad Galatas. ue illis placeant quæ bona ſunt, ſiue non placeant: Vel hoc exigit à nobis (ut Theophylacto placet)
b Deut. 32. ut citra ſcandalum & offenſionem ducamus uitam, ut non exhibeamus occaſionem aduerſum nos maleuolis, qui nos noſtraq; obſeruant. Eſt tamen interim obſeruandum quod dicit, Si fieri poteſt. Item, Quantum in uobis eſt. Sunt enim homines non pauci contra ueritatis negocium ita efferati, ut blaſphemiarum ſuarum neq; finem neq; modum ullum inuenire poſsint. Præcipit ergo Apoſtolus, ut ſi fortè impacatus euenerit animus, qui nos à bono pacis impedire uideatur, ut interim noſter animus ſemper ſit paratus ad pacem: & diſcordiæ culpa non penes nos, ſed penes alterum conſtet. Quando iniuria adficeris (ait Theophylactus) quod tua intereſt fac, ne cuipiam occaſionem præbeas bellorum uel tumultuum. Sin pietatem debellari impugnariq; conſpexeris, fortiter conſiſte, pro ueritate dimicans: non homini quidem infenſus, ſed impietati, illum ipſum ſanè miſerans, eiuſque curam gerens, &c. Poſtquam autem D. Apoſtolus multis uerbis à uindictæ cupiditate absterruit Romanos, docet, Deum ſtudia eorum qui ſuos perſequuntur, nominis ſui gratia probare nec poſſe nec uelle: ſed quòd iram ſuam ac furorem in illos effuſurus ſit, adeóque pœnam ſuo tempore de illis ſumpturus. Et profectò conſolatione plenum eſt, quòd tam ſignificanter Paulus dicit, Deum ipſum tueri nos uelle. [a] Si enim Deus pro nobis, ut idem ait, quis contra nos? Adducit autem teſtimonium, quo ſermonẽ ſuum ſtabiliat, ex Deuteronomio ſumptum [b], ad conſolationem quoque puſillanimium, nihil aliud deſiderantium, atque ſumptum iri de hoſtibus uindictam. Præterea quid dicam, inquit, quod oporteat uos pacificos eſſe? quin etiam benefacere uos hoſtibus debere impero. Vis ulciſci te de hoſte? Beneficium

illi ex-

illi exhibe, tum acerbiore eum ſupplicio adfeciſti. Eapropter dixit: Carbones ignis congeres ſuper caput eius: graue uidelicet ſupplicium deſignans. Itidem D. Paulus [a] fecit, nihil ueritus anathema pro fratribus fieri, à quibus tamen omnis generis malis afficiebatur. Quid diuus Stephanus, cum lapidibus adobrueretur, [b] fecit? An non is quoque pro inimicis ſuis Deum interpellauit? Quod autem ait D. Apoſtolus, Vt uincant in bono malum: hoc loci iſthuc ſubindicat, non oportere nos tali ſententia cibare hoſtes, ut maius ſupplicium illis adſciſcamus: ſed ut beneficijs eò aliquem perducamus, ut ſibiipſi etiam, quòd nihil mali merentibus nobis incommodarit, ſuccenſeat. Expertus, inquit, tantam lenitatem, tantam pietatem tuam, a Rom.9. *fortaſsis reſipiſcet, & pœnitebit feritatis, iam'que ceu uictus tua charitate inflammabitur ad redamandum. Ecce ſic charitatis opera ubique docet* b Actor.7. *Apoſtolus. Faxit Deus, ut fidei doctrinam probè apprehendamus, adeoq; operibus bonis perpetuò eidem teſtimonium perhibeamus.*

DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM
Epiſtola, ad Romanos Cap. 13.

NEmini quicquam debeatis, niſi ut inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces rem proximi tui, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc uerbo inſtauratur, Diliges proximũ tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio.

EXPLICATIO.

Quod dicit, Nemini quicquam debeatis: certum eſt (inquit Origenes) ad peccatum referre. Debitum enim peccatum eſſe, in multis & frequenter oſtẽditur. Vult ergo Paulus, peccati quidem omne debitum ſolui, nec remanere omnino apud nos debitum peccati: permanere tamen & nunquam ceſſare à nobis debitum charitatis. hoc enim & quottidie ſoluere, & ſemper debere, expedit nobis. Iuxta Theophylactum tantum dicit Apoſtolus: Alia quidem mandata ceu debita reddidiſtis: charitatem autem nunquam perſoluere uelitis, ſed ſemper ipſam uti debitum perpetuò habebitis. Non enim, quia hodie charitatis quandam propenſionem demonſtraſti erga proximum, arbitreris te compleſſe debitum, ac propterea ipſum in craſtinum negligas: ſed perpetuò exiſtima, te charitatem debere proximo. Hoc uerò ut aptiſsimè demonſtret Apoſtolus, exemplis docet, quòd omnium functionum humanarum amuſsis ſit dilectio. Loquitur autem non de ea legis impletione, quæ ſoli Chriſto accepta refertur: ſed externam illam legis obedientiam dicit in charitate ſitam eſſe. quo planè Chriſto aſtipulatur, dicenti: Diliges Deum ex toto corde tuo, &c. Et: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. in his duobus enim præceptis uniuerſa Lex & Prophetæ pendent. Vbi ergo charitas Chriſtiana eſt, ibi altera quoq; decalogi pars præſtatur. Exemplis hoc probari uis? Ioſeph in Aegypto, cum uxore Domini ſui animũ Gen.39. *illicita Venere explere potuiſſet, & tamen à tam fœdo facto abhorruit: ſiquidem herum ſuum charum habebat ex animo. Conſimilis charitas Da-* 1.Reg.26. *uidem quoq;, ne in oblatum hoſtem Saulem ſæuiret, remorabatur. Breuiter autem colligere ſtudens, quod dictũ uellet: Charitas, inquit, prodeſt quoad poteſt omnibus, etiam malis, nocet nemini. An occidet, qui diligit? an ſtuprabit alienam uxorem, cui alter æquè charus eſt atque ipſe eſt ſibi? an illi damnum unquam optabit, cui precatur eadem quæ ſibi? an ulla ratione, ut paucis dicam, nocere aut contriſtare poterit eum, quem ſincerè ac uerè diligit? Itaq; ſumma legum eſt charitas. Hæc ſunt facilia, modò diuina ope adiuti & apprehenderemus audita, & reipſa præſtaremus, cogitantes quòd Dominus dixit: In hoc cognoſcent o-* Ioan.13. *mnes quòd mei ſitis diſcipuli, ſi charitatem habueritis inter uos mutuam, firmam atque perfectam.*

DOMINICA SEPTVAGESIMAE EPISTOLA,
ad Corinthios 1. cap. 9. & Cap. 10.

NEſcitis, quòd hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit brabium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in

incertum: ſic pugno, non quaſi aerem uerberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus inueniar. Nolo enim uos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autem de ſpirituali, cōſequente eos petra: Petra autem erat Chriſtus.

EXPLICATIO.

Nunquam non pro ijs ſollicitus fuit Apoſtolus, qui ad iuſtum fidei robur nondum perueniſſent. Iam ergo aptiſſima ſimilitudine omnes adhortatur, et inquit: Ne exiſtimetis, *quòd ſimulatq; credidiſtis, & in* Eccleſiæ *ſtatum ingreßi eſtis, iſthuc uobis ad ſalutem ſufficiat: quemadmodum neque olympicis curſoribus ſatis eſt currere, uerùm neceſſe eſt ad ipſum brabeum feſtinare, omniaque facere ut hoc aſſequantur: ita in præſenti negocio, in religionis campo currite.* Hic *ſtadij curſum iuſticiæ uel fidei comparauit, quia quomodo illic cum omnes intra ſtadium currant, non niſi qui bene currerit dignus præmio iudicatur: ita & hic, quamuis intra fidei metas cuncti credentes contineantur: ſoli tamen qui iuſtè uixerint, præmium cœleſte percipiunt. & quia inter eos qui in ſtadio currunt, unum accipientem palmam ſignificat, qui ſcilicet fidem rectam tenuerit, & præcepta ſeruauerit: hortatur nos hoc modo currere, ut cœleſtia præmia mereamur cōprehendere.* Permanet autem Paulus *in ſua propoſita ſimilitudine, obſcurè ſignificans, quòd multis adhuc deſtituantur rebus, multa'que eis deſint. idcirco ait:* Quemadmodum *omnes qui in ſtadio currūt, ſpe quadam currunt: ita & uos. Rurſus qui pugilem agit, omnia tolerat, aut in omnibus temperans eſt.* Solent enim Athletæ *certamina inituri, ſibi temperare à cibis & uoluptatibus, & omnibus ijs re-*

a Exod. 16. *bus quæ aut corpus aggrauant, aut agilitatem &*

b Exod. 17. *uictoriam impediunt, quā unam ſpectant.* Quòd *ſi iſti nihil non tum faciunt, tum patiuntur, quo ridiculum plebis applauſum, quo uile præmiolum auferant: quanto magis par eſt eadem facere uos, quo plauſum ab angelis, laudem à* Deo, *& æternum immortalitatis præmium conſequamini? Iam ſe ſtatuit in exemplum, ſermonem'que ſic attemperat, ut ſimul ſuperiora exponat:* Ego *ſic uitam meam inſtituo, inquit, ne uſpiam impingam, aut temerè quid agam, aut libertate abutar: ſed ut præmium illud propoſitam aſſequar.* Sic *pugilem ago, non quemadmodum ſolent qui per luſum pugnis aerem feriunt: ſed modis omnibus ueris incommodis ſubigo corpus meum, ſic aſſuefaciens ut domitum obſequatur ſpiritui: ita uitam inſtituere pergam, ne quis meritò aliter me uiuere, ac docuerim, cauillari poßit.* Quæ *ſententia ſingularem emphaſim habet.* Hoc etenim *poteſt:* Si *nobis qui* Chriſtum *docemus, non ſatis eſt uerum & cognouiſſe & prædicaſſe, niſi & illud accedat, ut quòd alios docemus, ipſi quoque faciamus, & ne cui impuriori uita noſtra offenſionem demus: ita uobis nequaquam ſufficerit* Euangelij *negocium, inquit, agnouiſſe, niſi etiam uita & mores ueſtri eiuſmodi ſint, ne quis infirmorum offendatur.* Si *enim (ut apud* Theophylactum *legis) mihi non ſatis eſt ad ſalutem prædicare ac docere, niſi meipſum irreprehenſibilem in omnibus præbeam: qui uos ex ſola fide ſeruabimini, æternùm tot tantis'que affectionibus ſuccumbentes?* Exemplo *id aptiſſimo probat* D. Paulus. Commemorat *enim, quantis donis* Iudæi *à* Deo *donati ſint: monſtrat'que, poſt tanta dona pleroſque non placuiſſe* Deo. Theophylactus *hæc autem dicit, innuens, quòd quemadmodum illis non profuit tantis frui donis, quandoquidem ſua etiam non adiecerint adhibuerint'que: hanc ad rationem neq; uobis fides proderit, & quòd ſpiritualibus myſterijs donati eſtis, niſi & uos ipſos dignos exhibueritis* Dei *gratia.* Veterum, *quo fortius probet ſuum ſermonem, inducit exempla, ſimul & illud oſtendens, ut quemadmodum plurimi eorū qui per mare tranſierunt,* [a] *& manna cœlitùs dimiſſum manducauerunt:* [b] *biberunt item de latice, quem ictu uirgæ* Moſes *elicuit è ſaxo: non placuerunt* Deo, *ſed proſtrati ſunt in deſerto: ad eundem modum non ſufficere ad ſalutem conſequendam, & baptizatum & tremendorum myſteriorum participem eſſe, niſi & morum acceſſerit emendatio.* Cæterùm *confert inuicem tanquam figuram ad ueritatē,* Mare *per quod tranſierunt, & baptiſmū: manna, & ſacram* Euchariſtiam: *quæ omnia ut planius demonſtrentur, audiamus ipſum* Theophylactum: Perinde, *inquit, ac nos poſt baptiſma corpore* Domini *ueſcimur, ſic manna ipſi poſt traiectū per mare mãducarūt.* Et *quemadmodum nos ſanguinē* Domini *bibimus: ſic iſti*

ſic iſti è ſummè cæſa petra aquam hauſerunt. Spiritualia autem hæc dicit, quādo ſenſibilia fuerint, nec naturali conſecutione facta ſint, ſed gratia ſpirituali: unde & cum corpore animas aluerunt, atque ad fidem perduxerunt. Hæc ille. Ergo, tametſi uiſibilia & ſenſitiua eſſent: habebant tamen ſenſum rerum inuiſibilium, cœleſtium'que. nam Chriſtum cibum & refectionem omnium fidelium ſignificabant. Non petræ igitur natura aquam præſtabat: nam & antehac ſcaturire iſthinc aqua debuiſſet: uerùm alia quæpiam petra ſpiritualis hoc totum efficiebat, Chriſtus uidelicet: ut ſignificaretur, ipſum Chriſtum eam eſſe ueritatem atque certitudinem, quæ fallere neminem poſſit: ſed quòd ſit ipſe omnibus ſibi fidentibus cibus ac refrigerium animæ, quem qui edunt ac bibunt, non eſurient aut ſitient in æternum.

DOMINICA SEXAGESIMAE EPISTOLA, ad Corinthios 2. Cap. 11.

Libenter ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim, ſi quis uos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem uos cædit. ſecundum ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego. Hebræi ſunt, & ego. Iſraelitæ ſunt, & ego. Semen Abrahæ ſunt, & ego. Miniſtri Chriſti ſunt, & ego (ut minus ſapiens dico) plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A' Iudæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter uirgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte ac die in profundo maris fui: in itineribus ſæpe, periculis fluminum, plericulis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: in labore & ærumna, in uigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor. Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſecula, ſcit quod non mentior. Damaſci, præpoſitus gentis Arethæ regis cuſtodiebat ciuitatem Damaſcænorum, ut me comprehenderet: & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius. Si gloriari oportet, non expedit quidem: uerùm ueniam autem ad uiſiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Chriſto 2. Corinth. cap. 12. ante annos quatuordecim (ſiue in corpore, neſcio, ſiue extra corpus, neſcio: Deus ſcit) raptum huiuſmodi uſque ad tertium cœlum: & quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana uerba, quæ non licet homini loqui. Pro huiuſmodi gloriabor: pro me autem nihil, niſi in infirmitatibus meis. Nam etſi uoluero gloriari, non ero inſipiens: ueritatem enim dicam. Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod uidet in me, aut audit ex me aliquid. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ, ut me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, ut diſcederet à me. & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam uirtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Chriſti.

EXPLICATIO.

Arguit D. Apoſtolus, nec iniuſtè, nec citra rationem Corinthios, miratur'que ipſos ueluti ſapientes tam facilè inſipientibus cōſenſiſſe. Cæterùm Paulina ſententia antiphraſim habere uidetur. Sapientes enim dicit, qui minimè erant ſapientes. Taxat autem pſeudoapoſtolos, qui cum phaleratis uerbis, quo fidem doctrinæ ſuæ impijſsimæ apud Corinthos facerent, mirum in modum ſeſe uenditaſſent, gloriandi occaſionem & Paulo dederunt, de ijs rebus quæ eidem diuinitùs & donata erant & contigerant. Ait autem: Aequum eſt, ut inter tam multos aſſiduè gloriantes,

me quoque pauliſper feratis. Ab illis ſuffertis, ſi quis in ſeruitutem adigat, cum Chriſtus uoluerit uos eſſe liberos: ſi quis ſumptibus exedat & exhauriat uos, cum ego gratis Apoſtolum egerim: ſi quis accipiendis muneribus facultates ueſtras attenuet, ſi quis faſtu turgidus tyrannidem in uos exerceat: & adeò, ut quod eſt extremæ contumeliæ, palma uos cædat in faciem. Quid iactant iſti, aut in quo ſibi placent (ut interim ſtultorum more loquar) in quo non poſſim me illis æquare? Magnum uideri uolunt quòd Hebræi ſint: perinde quaſi apud Deum quicquam referat, qua gente ſis oriundus: & tamen ſi quid eſt Hebræum eſſe natum, Hebræus ſum & ego, &c. His titulis manibus uenditabant ſeſe pſeudoapoſtoli, ac faciebant quaſi nullius eſſet penſi Paulus. D. Ambroſius. Porrò ipſe uera de ſe dicens, inſipientem ſe pronunciat, ut intelligatur coactus ad laudem ſuam prorupiſſe. Oſtendit ergo, quæ faciunt illum miniſtrum Chriſti magis eſſe quàm ſunt reliqui prædicatores, &c. Si quis, inquit, requirit labores, plus laborum mihi exhauſtum eſt quàm iſtis. Certè ipſe Paulus à mane uſq; ad quintam horam uictum manibus quærebat, & exinde uſque ad decimam horam diſputabat publicè, tanto labore, ut contradicentibus ſuaderet. Sæpius uerò in carceres abductum, referunt acta Apoſtolica. Porrò moritur quilibet, cum mortem ob oculos palàm aſtare uidet, quam ſe effugere poſſe minimè ſperat. Iam uerò nominatim recenſet, quæ paſſus ſit Euangelij gratia. Significat autem ſe quinquies uapulaſſe, & unoquoq; tempore quadraginta plagis cæſum fuiſſe, una minus. Præceptum namq; erat legis, ut qui delinquentem uerberarent, ita modum uindictæ temperarēt, ut plagarū modus quadragenariū numerū minimè tranſcenderet. Porrò à gentium lictoribus ter uirgis cæſus fuit. Liſtris uerò, urbe Lycaoniæ, lapidatus legitur Paulus in Actis cap. 14. Itinera autem quæ ſuſceperit Paulus, uix multis abſoluunt acta Apoſtolica. Et cum recenſeat pericula in quæ inciderit, illud tamen uidetur eſſe longè periculoſiſſimū diſcrimen, quod de falſis refert fratribus. Minus enim nocere poteſt hoſtis uerus, quàm amicus falſus. Inſidiabantur ergo Paulo contribules eius, hypocritæ & fucati fratres. Cæterùm de uigilijs Apoſtoli pulchrè admodum ſcribit D. Ambroſius: Multæ fuerunt eius uigiliæ, ſed aliæ uoluntariæ, aliæ ex neceſſitate. In preſſura enim poſitus, neceſſe erat ut uigilaret, Dei quærens auxilium: & non ſolùm diebus, ſed noctibus doceret, ſicut dicit in actibus Apoſtolorum, cap. 20. Iam fames & ieiunium in hoc differunt, quòd fames ex neceſſitate, ieiunium oritur ex uoluntate. quare famem & ſitim ſentiebat Paulus, cum grauiſſima illa per maria & per terras ſuſciperet itinera, item cum in carceres recluderetur. Ieiunio ſiue abſtinentia macerabat corpus, cum afflaret fortunatior aura. Frigus & nuditas perurgebant, cum uel proficiſceretur ad prædicationem Euangelij, uel uinculis teneretur. Poſt tanta, & aliud quod priora omnia ſuperat, addit, in moleſtia negocium, curam omnium Eccleſiarum incumbentem. Tanta autem erat in Paulo pro eccleſijs ſolicitudo, ut quicquid illis accideret, putaret ſibi accidiſſe. Hinc quoque amplificatione uerborum uſus eſt: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? offenditur, & ego non uror?* Zelum intelligens non angentem modò, ſed exedentem: metaphora petita ab igne. Ad calcem ueluti clauſulam adiecit, inquiens: Si ergo omnino gloriandum eſt, gloriabor certè de his quæ infirmitatis ſunt: æmuli mei de rebus magnificis gloriantur. Porrò quòd hiſtoriam ſubnectit de fuga capta, pius lector uideat Lucam in Actis, cap. 9. Poſtquam autem, inquit, ea recenſui, quæ me calamitoſum & ærumnoſum fuiſſe teſtantur, quæque iuxta iudicium humanum magis contemptum reddunt quàm glorioſum: illorum impudentia coactus, uiſiones recenſebo: non ad meam, ſed ad Dei gloriam. Enimuerò in Scripturis ſacris legitur, quòd [a] maximis quibuſque uiris, ad res maximas deſtinatis, ſe Deus reuelationibus peculiaribus reuelarit, aperuerit'que. Recenſet autem, quòd Deus ipſi arcana uerba, et cœleſtia aperuerit negocia. Iā de tertio cœlo cū permulta diſputētur, ipſum doctiſſimū Theophylactū omnib. audiendū proponimus: Paulus in ea loca arreptus eſt, inquit, quæ circa trinitatē ſunt, omnes creaturas exuperans, neq; in corpore conſtitutus: nō enim operabatur per corporeos ſenſus, neq; extra corpus: torpuiſſet enim ei intellectus etiam. In diuinis enim rebus torpet & ocioſus eſt omnis intellectus humanus, rapto homine, et à Deo cōprehenſo, ut ab illo agatur, et op[?] accipiat. Hæc ille. Iterū aūt modeſtiæ ſtudens D. Apoſtolus, ſecundū internū hominē raptū ſe dicit in paradiſum: ſecūdū externū uerò, ſe ſenſiſſe crucē, cōtumeliā, et pſecutionē. In utroq; ergo gloriatur, q ſe dicit nihil gloriaturū de ſe ipſo: hoc eſt, de externo homine, niſi ſup infirmitatibus. Hicq; ſubdit: Iā uerò ſi cordi eſſet gloriari excellētius, nihil peccarē aut ſtoliditatis deſignarē. Nam uanè et ad oſtētationē nihil, uerè aūt facerē et dicerē omnia. Quib. uerbis pculdubiò notauit pſeudoapoſtolos, uanos

[a] Vide D. Auguſtinum lib. de Gen. ad liter. 2.

Beda.

Deut. 25.

nanos oſtentatores. Atque addit cur nolit gloriari impenſius, ne ſcilicet quis ſeductus gloriatione nimia, exiſtimaret Paulum ſupra hominem aliquid, id eſt Deum quendam eſſe. Porrò fieri ſolet noſtra culpa, ut optima Dei dona nobis cedant in malum, uel cum illis abutimur, & noſtro uitio adulteramus, uel cum ipſis nimiũ elati ſuperbimus. Proinde cum bonus & beneficus Deus excellentiſsimis uiſionibus Apoſtolum ſuum confirmaſſet, addit ſimul triſte aliquid, per quod ſuæ conditionis & miſeriæ memor, modeſtè de ſe ſentiret: ſtimulum uidelicet carnis. D. Hieronymus in Commentarijs quos edidit in Epiſtolam ad Galatas refert, quoſdam ſenſiſſe, ſtimulum hunc fuiſſe corporis aduerſam ualetudinem, quòd Paulus crebro capitis dolore ſolitus ſit affligi. D. Chryſoſtomus homilia de laudibus Pauli ſexta, interpretatur de contempto corporis dolore. At D. Ambroſio uidetur aliud, nimirum inſectationem malorum hominum uexaſſe Paulum: hôc'que ſtimulum uocari. Sic enim inquit: Hoc ergo remedium datum eſt Apoſtolo, ut iniurijs aduerſariorum preſſus, animo nõ poſſet extolli. Siquidem hac parte proſunt nonnunquam & inimici, docentes nos ſobrietatem & modeſtiam. Quur autem non dixit, Angeli Satanæ dati ſunt mihi: ſed, angelus? Quia in eo loco (inquit Theophylactus) unuſquiſque inueniebatur renitens fortaſſe, populum'que concitans, quo præcedente ducente'que principium, reliqui ſequebantur: uel quòd melius ipſam rem adeo'que reniſum aduerſus uerbi prædicationem, periculorum'que oblationem, angelum Satan nominauit, &c. Permiſſu itaque propitij numinis addita eſt afflictio Paulo, quæ & ipſum ſui commonefaceret, & apud omnes mortales argueret, eum communibus obnoxium malis. Iam ipſa quoque Pauli uerba euincunt, quòd humani nihil ab ipſo alienum fuerit: ſed uarijs & intolerandis malis afflictus, miſeri in morem orauerit ſupplex. Verùm quale reſponſum accepit ille à Domino? Satis eſt, quòd talem tibi gratiam dederim (ut cum Theophylacto loquamur) ut mortuos excites, ut uirtutes adeo'que potentias omnes perficias. Ne quæras igitur, ut citra periculum prædicatio tibi progrediatur: ſuperuacaneum enim hoc eſt. Quod autem ſatis eſt tibi, accepiſti. Quòd afflictionibus tunderis, ſimul & ad meam gloriam illuſtrandam pertinet, dum meo præſidio tutus uinci non potes quantislibet procellis: & ad tuam ſalutem, qui, quo magis affligeris corporis malis, hoc magis diteſcis animi bonis. Ita fit, ut imbecillitas humana perficiat Dei uirtutem, & infirmitas abſoluat potentiam. Hoc, inquit, reſponſi cum acceperim à Domino, poſthac nulla de re libentius gloriabor, quàm de infirmitatibus meis. Hæ enim quo plures fuerint, hoc uberiorem Dei potentiam mihi largiuntur.

DOMINICA QVINQVAGESIMAE EPISTOLA, 1. *Corinthiorum Cap.* 13.

SI linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum uelut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim omnia myſteria, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt. Charitas non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem ueritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquam excidet, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cum autem uenerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Cum eſſem paruulus, loquebar ut paruulus, ſapiebam ut paruulus, cogitabam ut paruulus: quando autem factus ſum uir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Nunc autem manet fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem his eſt charitas.

EXPLICATIO.

Propriè hæc de uerbi miniſterio accipienda ſunt. Linguis enim loqui nihil aliud eſt, atq; Pſalmos, Prophetas, et Scripturam ſacram rectè enarrare. At huic eloquentiæ ſiue peritiæ, præfert charitatē Apoſtolus. Exaggerandæ porrò rei gratia adiecit angelorū linguas, nō quòd angeli linguas habeāt: ſed ut quiddā quod humanis linguis excellentius eſſet, indicaret, ſic dixit. Angelis tamē lingua eſt ſpiritualis (ut Theophylactus ſcribit) uis nimirū illa, qua ſibi mutuò diuinarū rerū intellectum, ac diuinas cogitationes impertiūt. Eſaiæ 45. Et æs quidem ac cymbala auditorū animos oblectant, quoad crepitant: at ubi crepitare deſierint, nihil utilitatis relinquūt auditoribus: ita et orationes, inquit, oſtentatorū quorundā, licet eloquētiſſimæ ſint, tamē parū utilitatis afferūt, eo quòd occulta illa charitatis ui nō uegetentur ac uiuāt. Sub hæc tria iungit, prophetiā, ſcientiā & fidem. Prophetiam aūt putat eximiā, quæ abſtruſiores diuinæ Scripturæ ſenſus eruit et enarrat. Per ſcientiā uerò intellexit omniū diſciplinarū cognitionē. Ad

a Apocal.22. *hæc accedit ipſa ſcilicet fides, nō ea quidē quā finit ad Hebræos 11. Paulus: ſed uirtus deſignandi miracula. Quod montiū meminit, occaſionē accepit ex Euangelio Matth. cap. 17. Significat aūt amplificatione quadā, maxima & incredibilia ſigna. Iterū rebus mortaliū maximis præfert charitatē. Enimuerò eleemoſynarū dignitas, ſi è fide proficiſcatur, magna eſt, ut quam Chriſtus quoq; extu-*

Lucæ 6. *lerit ijs uerbis: Date, & dabitur uobis. Ieſus quoque Syrach inquit, nō aliter eleemoſynā reſiſtere*

Eccleſ.3. *peccatis, atq; aqua ignē extinguat. Verùm quātacunq; ſit, tamen nullā dicit eſſe Paulus, ſi non animetur charitate. Sed grauius aliquid addit: Si tradam corpus meum ut cōburar, deſit aūt charitas, nihil fructus ex cruciatu corporis refero. De qua uerò hactenus locutus ſit charitate, explicat modò, & enumerat effectus ac fructus eius, ut pulcherrimam hanc uirtutē cōmendet fidelibus. Primum, inquit, qui hac charitate donatus eſt, haud facilè proſilit ad uindictā: ſed eſt leni animo ad tolerandas iniurias: eſt'que comis. Charitas neſcit cuiquam inuidere, quæ ſua quoq; bona transfundit in alios: nō eſt procax, quæ obſæcūdat omnibus: nō inflatur, quæ ſe cuivis ſubmittit: nihil ſibi putat indecorū, modò proſit: nō ſtudet ſuis priuatis commodis, non irritatur iniuria: & adeò non retaliat acceptam iniuriā, ut ne cogitet quidē de ulciſcendo: et tantū abeſt ab iniquitate, ut nec alienā ferat iniuſticiam, ſed magis gaudet moribus ſinceris & ſimplicibus, nihil non ſuffert iuuandi ſtudio, quālibet durum: nihil non credit, tantum abeſt ut de quoquam perperam ſuſpicetur: non facilè deſperat de quoquam, ſed omnes infatigabili ſpe tolerat, & meliorum expectatione pertinaciſſimè perdurat. Quid multis? nuſquam ceſſat charitas: etiam quum poſt hanc uitam ſublata erit officij neceſſitas, manebit tamen animorum charitas. Hic audimus, ceſſantibus donis omnibus, ſolam charitatem nunquam ceſſaturam. Adminiſtratio clauium, docendi munus, Chriſtianæ libertatis ſcientia, ſuo tempore ceſſabunt: charitatis uerò & in futuro ſeculo uſus erit maximus. Quale enim in futuro illo ſeculo futurum eſſet gaudium, ſi non ardens ibi conſpiceretur charitas? Cæterùm, Ex parte dicit D. Apoſtolus, quicquid de futuris illis & cœleſtibus bonis per uerbum ac fidem in hac uita poſſidemus. At futurum eſt, ut tandem quod ex parte eſt, euacuetur: & quod perfectum eſt, ſequatur. Hoc nimirum, quod in Apocalypſi[a] legimus: Serui eius ſeruient ei, & uidebunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum. Et quod iam dixerat per interualla increſcere ſcientiam, eam'que non abſolui niſi imperfectio per mortem ſemel exuatur, ſimilitudinibus clarius ob oculos ponit, dicens: Quemadmodum puerilia conſilia ſenilibus ac uirilibus factis nullo pacto comparari poſſunt: ita id quod ex parte eſt, ei quod perfectum eſt conferri non poteſt. Vel (ut Theophylacto placet) quando in futuro ſeculo uiriliorem atque perfectiorem cognitionem nactus fuero, tum deſtruetur exigua infantibus'que adæquata ſcientia, quam hic habeo. Id non dixit, quòd ſtulta ſit religio, qua ex fide imbuimur in his terris: ſed quod maximum ſit diſcrimen inter huius & futuræ uitæ cognitionem. Alterum ſimile quo hic utitur Apoſtolus, ſumptum eſt à ſpeculo. In ſpeculo imagines rerum, non ipſas res uidemus: ita in terris ipſas rerum cœleſtium & æternarum imagines per ipſam fidem uidemus. At in futura uita ipſa re fruemur, inquit: ipſam rem uidebimus, Deum (nam de facie ad faciem uidere, eſt ipſa re frui, et ipſiſſimam rem contueri coràm.) Nunc aliqua ex parte cognoſco, tunc præſens præſentem Deum cognoſcam, ſicut ab ipſo cognitus ſum. Annectit tandem totius cauſæ ſummam: Nunc autem, ait, quoad in his terris uiuere datur, licet reliquæ dotes uelut inutiles ceſſaturæ ſint, ſatis iam confirmata fide, cui propagandæ ac ſtabiliendæ ſeruiunt illæ: tamen interea manent fides, ſpes, & charitas. Fides, qua procul cer-*

nimus

nimus immortalitatem futuram: ſpes, qua confidimus nos illius fore participes: charitas, qua Deum ſic de nobis meritum redamamus, & huius gratia proximum. Hæc tria cæteras dotes omnes antecellunt: ſed tamen in his ipſis primas tenet charitas, cui fidem etiam & ſpem debemus: aut certè ſine qua nec illæ ſunt ad ſalutem efficaces.

FESTO PVRIFICATIONIS MARIAE
Epiſtola, Malachiæ Cap. 3.

ECce ego mittam angelum meum, et pręparabit uiam ante faciem meam: & ſtatim ueniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem uos quæritis: & angelus teſtamenti, quẽ uos uultis. Ecce uenit, dicit Dominus, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis ſtabit ad uidendũ eũ? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonũ, & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi argentum & quaſi aurum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſticia, & placebit Domino ſacrificium Iuda & Hieruſalem, ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui.

EXPLICATIO.

Illuſtris hæc Prophetia certã formã tempusq́; aduentus Chriſti prædixit, nempe Meßiam habiturum certum prænuncium, qui eius præſentiam adnunciet, & præparatione pœnitentiæ præparet uiam Meßiæ. Hic angelus, Saluatore interprete, ſanctus eſt Ioames: Matth. 11. [a] ſiquidem non tantum præambulo ſeu præcurſor fuit Domini Ieſu Chriſti, uerùm etiam angelicam in terris duxit uitam. Matth. 3. Lucæ 7. Quòd ſi Scripturæ creditur, ut idoneus nuncius Chriſti uiam præparauit prædicatione. dixit enim: Ego uox clamantis in deſerto, parate uiam Domino, rectas facite ſemitas eius. item: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. necnõ quando multos tinxit in aqua, ac dixit: Propterea ueni in aqua baptizans, ut manifeſtetur in Iſrael. Ioan. 1. Quòd autẽ ſequitur, Et ſtatim ueniet, &c. nulli dubium eſſe debet (inquit D. Hieronymus) quin dominator iſte Saluator ſit, qui creator eſt omnium, & angelus teſtamenti, & magni conſilij angelus appellatur. Templũ autem uel eccleſiam interpretantur, uel unumquemq; credentium in Eccleſia, iuxta Apoſtolos: Aedificamini domos ſpirituales, ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpiritales hoſtias, & acceptabiles Deo. 1. Pet. 2. Item: Neſcitis quòd templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in uobis? 1. Cor. 3. Vt autem Propheta Ioannem angelum uocauit, cùm propter Prophetæ officij dignitatem, tum propter uitæ ſanctimoniã, quiq; impietatem argueret, ac poſtea perterrefactas cõſcientias ad Chriſtum remitteret: iam aliũ angelum inducit, eumq́; appellat noui teſtamenti angelum, nec abs re. Vnus enim hic quo placatus pater, & remißio peccatorum nobis promittitur, ſanguinis ſui effuſione ratum eſſe iußit confirmauitq́;. Et hunc quidem quæſierunt Iudæi, cum Dauide regio dicentes: Deus iudicium tuum regi da, & iuſticiam tuam filio regis: Pſal. 71. Ita quidem Chriſtus Ieſus Dominus noſter, qui homo factus eſt, ut homo (dicente D. Auguſtino) fieret Deus. Iuxta illud uaticinium quoq; in templum uenit, ut dominator & ſaluator omnium: gratioſus quidem hic fuit aduentus eius. Hinc Propheta maximam maieſtatem eius omnibus proponit. Si nemo autem (ut D. ait Hieronymus) præ potentia maieſtatis ipſius cogitare poteſt, ferre quis poterit? & quis eum poterit lippientibus & cæcutientibus oculis in ſua claritate conſpicere? Cæterùm quòd de herba fullonum & igni conflante dicitur, ad Chriſti officium pertinet. Quemadmodũ enim ignis quicquid corripit conflat, nihilq; reſiduum patitur: quemadmodum item ad purgandum igni utuntur fullones: ita Chriſtus quoq; omnia nobis peccata condonabit, atq; à fœditate impietatis conſcientias noſtras purgabit, ita ut auro argentoq; igni purgato ſimiles puri puti fiamus. Quòd ſi uerò de ſecundo Chriſti aduentu hæc Prophetæ uerba intelligere libet: certè cui non placent mala, qui perſonam in iudicio non accipit, qui nulla nec miſericordia nec ſeueritate mutatur; in eius conſpectu ignis ardebit, & in circuitu eius tempeſtas ualida: tunc uocabit cœlum deſuper, & terram, ut dijudicet populum ſuum. Quod autem Hieronymus ſcribit, Ipſe his qui grauiter peccant ignis conflans eſt atq; conſumens: qui autem leuia peccata committunt, herba fullonum, ut lotis mundiciam reſtituat: purgati à ſordibus peccatorum noſtrorum, ſacrificia non boum, non hircorum, ſed iuſticiæ, Domino offerimus (quemadmodum hac de re Pſaltes quoq; dicit) &

[a] Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt, &c.

1. Ioan. 2.

Pſal. 49.

Pſal. 4.

Pſal.49. *ſacrificium laudis & alia, hæc placebunt Domino: ſicut ſacrificium Abel, Abraham, & aliorum piorum hominum. Et illic iter, ait Dominus, quo oſtendam illis ſalutare meum.*

DOMINICA QVADRAGESIMAE EPISTOLA,
ſecundæ Corinthiorum Cap.6.

HOrtamur uos, ne in uacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Nemini dantes ullam offenſionem, ut non uituperetur miniſterium noſtrum: ſed in omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſsitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in uerbo ueritatis, in uirtute Dei, per arma iuſticiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famã, ut ſeductores & ueraces, ſicut qui ignoti & cogniti: quaſi morientes, & ecce uiuimus: ut caſtigati, & non mortificati: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquã nihil habẽtes, & omnia poſsidentes.

EXPLICATIO.

In uacuum gratiam Dei recipit, qui uocatus in Chriſto, uetera adhuc legis inſtituta ſectatur. Tẽpus uerò acceptum, et dies ſalutis in hac uita ſunt,
Ioan.12. *ſicut dixit Chriſtus: Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ uos comprehendant. In illo equidẽ ſeculo nulla emendatio eſſe poteſt, dicente Propheta: Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui. Pſal. 6. Modò ſolùm (ut D. Hieronymus docet) poſſumus inuenire ſalutem. Dies autem dicitur hæc uita, quia apta eſt ad operandum, & concluditur in nocte iudicij, in qua nemo poterit operari. Theophylactus doctiſsimè hunc locum enarrans: Quale nam, inquit, tempus acceptabile? gratiæ, in quo eſt remiſsio peccatorũ, iuſticiæq; ſubminiſtratio. Illud eſt acceptabile tempus, in quo nos Deus recipit, exauditq; nos, & ſeruat. Iudicij enim tempore neq; exaudiet, neq; auxiliabitur nobis, neque ſeruabit. In hoc igitur gratiæ tempore certare debemus. Facilè namq; aſſequemur brabea, nullam in ulla re dantes offenſionem, nullumq; impedimentum, ne fortè infideles (inquit) per noſtram negligentiam deſtruamus, & in quo diſplicuerimus, religionis magis ac legis noſtræ ui-*
a Theophylactus. *tium eſſe dijudicent, ſanctumq; uituperent inſtitutum. Tantum ille. Nonnulli ſic interpretati ſunt, ut dixerit Apoſtolus: Me inhoneſtam, adeoq; Apoſtolo non conuenientem ducente uitam, prædicatio & uerbum conculcabitur, calumniæq; obnoxia erunt. Porrò quod adiungit maius eſt, non ſolum ſeipſum ab accuſationibus & reprehenſionibus purum facere, uerumetiam huiuſmodi uitam commonſtrare, ut per ipſam uideatur eſſe miniſter Dei. Quibus autem (inquit Paulus) argumentis nos commendamus? non faſtu equidem, non opibus, non quæſtu: ſed iiſdem rebus, quibus ſe commendauit Chriſtus: nimirum multa patientia, quotidianis afflictionibus & tribulationibus, ut omne quod neceſſe feramus, ut neceſſe eſt: anguſtia ſiue egentia, plagis ferendis, carceribus, in talibus perſecutionibus, ut non habeat aliquis ubi pedem figat, ubi conſiſtat, de loco in locum actus & compulſus. Quum autem dixit de externis quæ ſuæ afflictionis ſunt, iam apponit quibus ſuapte ſponte ſeſe affligebat: laboribus uidelicet manuum, quibus & ſeipſum & alios alebat. Actor. 20. Cumq; his omnibus & uigilauit, & mediam paſſus eſt. Pudicitiam uerò, modeſtiam appellat, uel puritatem in omnibus rebus, tum quòd munerum corruptelam non admiſerit, tum quòd citra ſumptum aliorum prædicarit uerbum. Quòd uerò de ſua dicit longanimitate ac commoditate, planè adamantini animi eſt, ſi quis quum undiq; exacerbetur & pungatur, non ſolùm longanimis, uerumetiam mitis ſit & benignus, qualis certè ipſe fuit Paul⁹. Vnde autem hæc peregerit, indicat: In ſpiritu, inquit, ſancto: hoc eſt, auxilio ſpiritus paracleti. Intelligitur etiã[a] in Spiritu ſancto, pro donis ſpiritualibus. Per hæc enim documentum dedit Apoſtolus, quòd Dei eſſet miniſter, ut qui miracula exhiberet. Quoniam uerò multi attolluntur, qui donum habent, nec utuntur eo commodè, charitatem adiungit non fictam. Hæc res omnium bonorum cauſa eſt, hæc & ſpiritum apud eum permanere faciebat. Ad hæc gloriatur de uerbo ueritatis, atq; ab ipſo nequaquam uerbum Dei fuiſſe deprauatum affirmat. Nihil tamen, inquit,*

meum

meum eſt, ſed hæc omnia in uirtute & potentia
Dei facta ſunt. Neq; hæc feci inſtructus armis &
opibus mundi: ſed hinc atq; hinc ſeptus armis iuſti
ciæ, à dextris quidem, ut recta conſcientia fultum
non efferant res ſecundæ: à ſiniſtris uerò, ne con-
ſternent aduerſæ. Hac fretus per omnia penetro,
ad peragendum Euangelij negocium. Quomodo
uerò arma iuſticiæ ſunt gloria? quoniã multos indu
cit ad pietatem, ut honorent uerbi miniſtros ſuos
ac doctores. Ipſe tamẽ Paulus hoc gloria affectus
non inflammabatur, non intumeſcebat. Ignominia
autem patientiam efficiens, ipſum probatũ efficie-
bat, prædicationemq; eius felicem reddebat. Et ut
ſummatim dicamus, negari non poteſt, quàm mul
ta ſit perpeſſus Paulus: ſed quicquid huius factum
eſt, propter ueritatem quam prædicabat, factum
fuit. A' mundo ergo probris affectus, apud Deum
innocentiæ laudem obtinuit. ab inimicis famæ ia-
cturam paſſus, bene apud Deum & credentes au
diuit: apud hoſtes pro perſecutore habitus, Deo
tamen teſte uerax inuentus eſt: ignotus quidem
perfidis & ingratis, cognitus autem Deo, fidelib.
atq; iuſtis: tanquam morti addictus & condem-
natus, ac quatenus ad mentem inſidias ſtruentium
pertinet, per Dei autem potẽtiam uiuus. Et quam-
obrem permiſit hæc Deus? ut erudiat (inquit) &
caſtiget. eſtq; nõ exiguum lucrum caſtigatio, pro
præmijs quæ inde proueniunt. Apud incredulos
quidem uideor mœſtus eſſe, cæterùm uoluptas eſt
mihi florida & uiuax. Non enim aliàs quidem
lætor, aliàs quidem mœreo: ſed nunquam non gau
deo. Demum ait: Tanquam mendici, multos autẽ
ditantes: tanquam nihil habentes, & omnia conti
nentes. Quòd ſi rem bene perpendimus, profectò
opulẽtiſſimus erat Paulus tũc tẽporis: primùm opi-
bus ſpiritualib. multos locupletes reddebat: deinde
uerò diuitijs etiã externis nõ deſtituebatur, omniũ
ædes ſibi apertas habẽs, de quib⁹: Si fieri poſſet, in- Galat.4.
quit, oculos ueſtros effoſſos mihi dediſſetis. quomo
do igitur huiuſmodi pecunijs pepercisſet erga Pau
lum? Hæc autem omnia illis recenſuit, ne turben-
tur ſuper re quapiam, quæ triſtis eſſe uidebatur.

DOMINICA REMINISCERE EPISTOLA,
primæ ad Theſſalonicenſes Cap. 4.

ROgamus uos, & obſecramus in Domino Ieſu, ut quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo uos oporteat ambulare & placere Deo: ſic & ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim uobis per Dominum Ieſum. Hęc eſt enim uoluntas Dei, ſanctificatio ueſtra, ut abſtineatis uos à fornicatione, ut ſciat unuſquiſq; uas ſuum poſsidere in ſanctificatione & honore, non in paſsione deſiderij, ſicut & gentes quæ ignorant Deum. Et ne quis ſupergrediatur, neq; circumueniat in negocio fratrem ſuum: quoniam uindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus uobis, & teſtificati ſumus. Nõ enim uocauit nos Deus in immundiciã, ſed in ſanctificationẽ.

EXPLICATIO.

Theſſalonicenſes non ſolùm audierant, ac ob-
uijs, quod dicitur, ulnis receperant Euangelicam
ueritatem, uerumetiã in eo doctrinæ genere per-
ſeuerabant. Hoc cum D. Paulo nunciaſſet Timo-
theus, meritò quidẽ illos laudat: ſed tamen laudib.
huiuſmodi paternã exhortationẽ addit, quo uideli
cet ab omni ſecuritate deterriti, ſemper hoc agãt,
ut meliores & perfectiores fiant. Expende uerò
minimè elatam Apoſtoli mentem, quomodo ne ad
hanc obſecrationẽ et adhortationẽ ſibi ſatis autho
ritatis eſſe putarit, ſed Chriſtũ Dominũ aſſumat.
Quid uerò obſecrat? ut ſcilicet aliquid ſupra man
datum etiã cupiant facere, ut adeò imperata ſupe-
rent. Theophylactus. Quemadmodũ enim terra
non ea ſolùm quæ in ipſam proiecta fuerint, pro-
fert: ſic animus non debet cõſiſtere in præceptis,
ſed ea etiam uincere. Ea uerò præcepta, quæ cum
maximo etiã terrore illis demandauit, non uerbis
exprimit, ſed ad memoriã tantum reuocat. Veriſi
mile tamẽ eſt, hæc præcepta dediſſe, ut ſeruiant in
timore Deo uiuo & uero, atq; expectẽt filiũ eius
de cœlo, quem ſuſcitauit ex mortuis Ieſum, qui eri
puit nos ab ira uentura. Rurſum autem Chriſtũ in
mediũ profert: Non mea, inquit, præcepi, ſed illius
ſunt hæc: itaq; & ille uel exaudietur, uel reproba-
bitur. Quid uerò requirat De⁹, palàm edicit: prin
cipiò, ait, hoc à uobis exigit Deus, ut ſanctitate pol
leatis. Hæc etſi uarijs conſiſtat, & alia quoq; mi-
nimè ignorarit crimina et flagitia: præcipuã tamẽ
fornicationis mentionem facit, ut huic præſertim
uitio quo laborare orbis ferè ſolet obuiam iretur:
cui Deus olim uſqueadeò infenſus fuit, ut eius rei
gratia uigintiquatuor hominũ milia in deſerto p-
ſtrauerit. Quin hæc quoq; de cauſa matrimonij Num.25.
remedium

remedium dedit, quo uidelicet concupiſcentiæ noſtræ ſic mederetur. Atq; ideo de hoc matrimonij ſtatu Apoſtolus hic præcipit, ut ſuum quiſq; uas in ſanctificatione & honore poſſideat. Vas, iuxta Theophylactũ, corpus ipſum appellat: idq; docet, ut corpus ſuum unuſquiſq; caſtum ſeruando Deo ſanctificet & honoret, ut apud D. Hieronymum uidere eſt. Sunt tamen, qui per uas uxorem intelligunt: præcipiq; ab Apoſtolo, ut quilibet uxore ſua pudicè & moderatè utatur: præſertim quod ſequitur, Non in paſſione deſiderij: hoc eſt, ne nimiæ et immoderatæ libidini ſeruientes, ſimiles gentibus fiant, quæ Deum amatorem caſtitatis ignorant. Ad quem modum Epiſtola quoq; ad Hebræos loquitur: Honorabile eſt coniugium, & thorus immaculatus: Scortatores autem & adulteros iudicabit Deus. Sed ut uideas, quòd ad externum illud ſanctitatis genus, præter thorũ immaculatũ aliæ quoq; uirtutes pertineant, præcipit præterea, ut proximũ neq; circumueniamus in negocio, neq; impoſtura ulla grauemus: quo præcepto quicquid tandem ad charitatem exercendam pertinet, mandatum: rurſus quicquid lædere eandẽ poſſet, prohibitum eſſe uoluit. Doctiſſimus Theophylactus exiſtimat Paulum de adulterio iam loqui, quod et circumuentionem & transgreſſionem meritò nominarit. Nam Deus, inquit, cuiuis uxorem dedit, ac terminos naturæ poſuit: mixtionem uidelicet, quæ eſt cuiq; cum propria uxore. Exceſſus itaq; eſt & circumuentio in re, hoc eſt in congreſſu, ſi fiat cum uxore proximi. Et ut uideam⁹, ſeriò hæc nobis dici, comminationem addit, dicens: Non ſolũm de fornicatione & publica turpitudine, ſed etiam de transgreſſione omnis boni præpoſiti uindex eſt Deus, etc. Hæc dicta ſint nobis. Quòd ſi ergo perpetuò memores eſſemus, omnium actuũ noſtrorum iudicem & punitorem aliquando Deũ futurum, ſine dubio à multis uitijs & criminibus abſtineretur. Porrò hic probè ſingula uidentur conſideranda. Primùm adhortatus eſt et obſecrauit, deinde pudefecit: Quemadmodum gentes, inquiens. Poſtea à ratione abſurditatem commonſtrauit, rem circumuentionem dicens: deinceps etiam terret. Poſtremò reuocat in memoriam eis ſæpius audita, & ait: Filioli mei, iã uobis quæ nam uoluntas Dei ſit, ad quam inſtituere uitam oporteat uos, oſtendi: nimirum hanc, ut non ſolùm coram Deo per fidem, uerumetiã coram hominibus, per uitæ honeſtatem ac proximi amorem, ſancti eſſe pergeretis. Iam iterum hoc doctrinæ genus repeto, rogans, ut quod frugi filios decet, in ijs quæ tradita ſunt perpetuò perſeueretis: præſertim cum non ad immundiciam, ſed uitæ ſanctimoniam uocati ſitis.

IN FESTO MATHIAE APOSTOLI EPISTOLA

ſeu lectio, Actorum Cap. 1.

IN diebus illis, exurgens Petrus in medio fratrum, dixit (erat autem turba hominum ſimul ferè centum uiginti:) Viri fratres, oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorũ qui comprehenderunt Ieſum, qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterij. Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia uiſcera eius. Et notum factum eſt omnibus habitantibus Hieruſalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Aceldemach, hoc eſt ager ſanguinis. Scriptum eſt enim in libro Pſal. 68. & 108. Pſalmorum: Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea: & epiſcopatum eius accipiat alter. Oportet ergo ex his uiris qui nobiſcum ſunt cõgregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiẽs à baptiſmate Ioannis, uſq; in diem qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcũ fieri unum ex iſtis. Et ſtatuerunt duos: Ioſeph qui uocatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus: & Mathiam. Et orantes, dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, quem elegeris ex his duobus, unum, accipere locum miniſterij huius & apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas, ut abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.

EXPLICATIO.

Quòd beatus Petrus, paſtor ouium Chriſti fidelis, cupiens augeſcere numerum credentium, cõſiderანſq; quo pacto per caſum Iudæ numerus Apoſtolorũ eſſet diminutus, non ſolus apud ſe arrogãtia tumẽs, eccleſiaſticas res pro uoluntate diſpoſuit: ſed in medio fratrum egit: commendatur

eius

eius uera humilitas. Prodit itaq; Petrus, qui reliquis hactenus ſemper extiterat & ardentior, & in rebus agendis aptior. Status autem orationis hic eſt: Quandoquidem Iudas officio & numero excidit Apoſtolico, neceſſarium eſt ut alius in locum eius ſurrogetur. Exponit autem, quomodo Iudas exciderit. & ne quem offenderet caſus irreparabilis, commitigat Scripturarũ lenimine. Sic etenim in fatis fuiſſe: non equidem, quòd Iudas diuino conſilio ad proditionem nolens compulſus ſit: ſed quòd proditor, diuina flagitante iuſticia meritò punitus ſit. Hiſtoriam lege Matth. 27. Deinde merces iniquitatis, poſita eſt pro mercede iniqua, ſchemate Hebræo. Significauit autem precium ſanguinis. Et hoc ſanguinis precium agro nomen dedit in hoc, ne nephandum facinus unquam ex hominum excideret memoria. Porrò, Quia (inquit Petr⁹) Scriptura iubet, [a] ut alius in deperditi ſubſtituatur locum: diſpiciamus uiri fratres, quis huic negocio ſatis idoneus ſit. Oportet igitur aliquem in Iudæ locum ſurrogari, ex eorum numero qui perpetuò nobiſcum uerſati ſunt, toto hoc tempore, quo Dominus Ieſus, peragens negocium ſalutis humanæ, nos ſibi familiares eſſe uoluit, & aſſectatores perpetuos quocunq; ſe conferret: uidelicet à baptiſmo Ioannis, cui mox ſucceſſit, uſq; ad eum diem quo ſe recepit in cœlum: quo nobiſcũ eſſe poſſit teſtis idoneus omnium quæ docuit ac geſſit Dominus, ſed præcipuè reſurrectionis. Hæc oratio cum placuiſſet multitudini, ſtatuerunt duos è numero Septuaginta, ſelectos uiros, non niſi optimos & ſanctiſſimos (alter enim à uitæ ſanctimonia Iuſtus cognominatus eſt) ut ex his duobus quos æquabat religio, uter magis placuiſſet cœtui, is ſuſciperet Apoſtoli munus. Quam quidem conſuetudinem deinceps quoq; obſeruatam fuiſſe, D. teſtatur Cyprianus. ſcribit enim: Scriptura inſtruit & oſtẽdit, ordinationes ſacerdotales nõ niſi ſub populi aſsiſtẽtis cõſpectu fieri oportere, ut plebe præſente uel detegãtur malorũ crimina, uel bonorum merita prædicentur: & ſit ordinatio iuſta & legitima, quæ omnium ſuffragio & iudicio fuerit examinata. Cæterùm illi ſuo iudicio diffidentes, communi precatione rogarunt Dominum, dicentes: Homines qui iudicant ex his quæ cernunt et audiunt, falli poſſunt iudicio: ſed tu Domine qui ſolus inſpector es cordium, ne graueris aliquo ſigno declarare famulis tuis, utrum ex his duobus elegeris, ut ſuccedat in functionem tanti muneris, unde Iudas excidit, abiturus in locum ſuum. Nos certè hinc diſcimus, res quaſuis in Eccleſia graues oratione auſpicandas ducendasq; eſſe: & quòd citra Domini auxilium, & aſſenſum nihil feliciter ceciderit. Poſt hãc autem orationem itum eſt ad ſortes, iuxta morem Hebræorum. Sic enim Ionas ſorte præcipitatus eſt in mare: ſic Ionathas deprehenſus eſt guſtaſſe mel: ſic ſacerdotes ſortitò ſungebantur ſacris officijs. Ritè ergo peractis omnibus, accepta dataq; ſorte, hac ipſa declarauit Deus, Mathiam ſibi placere. Hic itaq; declaratus Apoſtolus, undenario numero duodecim⁹ eſt additus, & uir optimus in peſſimi locũ ſucceſſit. Nec indignatus eſt Iuſtus, ſibi præferri Mathiam.

Lib. 1 Epiſt. 4.

a Pſal. 40.

Ionæ 1.
1. Reg. 14.
Leuit. 16.

DOMINICA OCVLI EPISTOLA, AD Epheſios Cap. 5.

Estote imitatores Dei, ſicut filij chariſsimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis. Fornicatio autem, & omnis immundicia, aut auaricia, ne nominetur in uobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent: ſed magis gratiarũ actio. Hoc enim ſcitote, intelligentes quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Nemo uos ſeducat inanibus uerbis. Propter hæc enim uenit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ: nũc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſticia, & ueritate.

EXPLICATIO.

D. Apoſtolus ſicut Dei patris imitatores nos eſſe uult, in benignitate & miſericordia: ita & Chriſti filij eius, in dilectione. Quanta uerò fuerit patris erga nos charitas, filius illius Chriſtus declarauit, qui ſic impenſè dilexit nos, ut non ſolùm condonarit gratis omnia peccata: uerùm etiam ſemetipſum expoſuerit ſupplicio crucis, ut hoc ſacrificio uictimáque fragrantiæ,

fragrantiæ, uerè ſuauis apud Deum patrem: placatus ille, ex offenſo nobis redderetur propitius. Alludit autẽ ad hoſtias, à ueteribus oblatas Deo. Scriptum eſt enim: Et ædificauit Noe altare Domino, & tulit ex omni pecore mundo, & ex omni uolatili mundo, & obtulit holocauſta in altari: odoratusq; eſt Dominus odorem ſuauitatis, & dixit ad eum: Non adijciam, ut amplius maledicam terræ propter hominem. Gen. 8. Conſiderare autem debemus charitatis illius magnitudinem. Apud nos magni momenti res eſt, & non uulgare beneficium, ſi quis pro altero pauxillum pecuniæ expendat. Hic uerò uidemus, quòd Chriſtus uiuentis Dei filius, & depoſita ad tempus maieſtate, & ſerui forma aſſumpta, precioſiſſimum ſanguinem noſtri cauſa effuderit. Diligenter hic quoq; obſeruandum, Chriſtum unicum illud eſſe ſacrificium propitiatorium, in quo omnia reliqua ueteris teſtamenti ſacrificia ceſſarint. Eam autem ob rem iubet præterea Apoſtolus, ut noſmetipſos quoq; in odorem bonæ fragrantiæ Deo per eundem Chriſtum offeramus. Quale uerò hoc ſacrificij genus eſſe oporteat, conſequenter oſtendit. Quid autem hic immundiciam uocat? Omnis generis concupiſcentias, cogitationes, & uoluptates prauas, quas præceptis inhibuit Deus. Sancti ergo non poſſunt (ut D. ait Ambroſius) eſſe, in quibus aliquid horum quæ prohibet, fuerit repertum. Nos autem ſancti ſimus, quos fides per ſanguinem Chriſti ſanctificauit. Recenſet item ſpecies affixas ſcortationi aut immundiciæ: obſcœnitatem uidelicet, per quam flamma libidinis uel excitatur, uel fouetur: cuius generis ſunt carmina illa amatoria, fabulæ de amantibus compoſitæ, & impurorum hominum de re uenerea diſſertationes: ſtultiloquium quoq;, quod eſſe exiſtimo (ait D. Hieronymus) non ſolum eorum qui aliqua narrant turpia ut riſum moueant, & fatuitate ſimulata magis illudant eis quibus placere deſiderant: ſed etiam eorum qui ſapientes ſeculi putantur, & de rebus phyſicis diſputantes, dicunt ſe arenas littorum, guttas oceani, & cœlorum ſpacium, terræq; punctum liquidò comprehendiſſe. Ad hæc inhibet ſcurrilem urbanitatem, uiro graui indignam. Interim autem non præcipitur iſtis Pythagoricum ſilentium, aut ſeueritas aliqua Stoica: ſed Chriſtiana temperantia, & moderatio prudens. Additur enim, Quæ non conueniunt: hoc eſt, quæ uobis nihil conferunt, nec ad bonos mores uel uitam honeſtam conducunt. Sed magis, inquit, ſit apud uos gratiarum actio: id eſt, eiuſmodi ſit quod proponitur, ut uel Deo referat gratias, & laudem tribuat, & proximus in ſanctimonia ædificetur. Adhæc auaritiam, uitium profectò odioſum, ſeuerè admodum prohibet, ut quod apud Chriſtianos prorſus incognitum eſſe, nedum ullo pacto admitti debeat. Videamus ergo, cur auaricia idololatria dicatur. Idololatria, teſte Ambroſio, honorificentiam uſurpat & uendicat creaturæ, cum in nomine diuinitatis, quod ſoli conditori competit, participem illi aſſerit eius facturam. Auaricia autem idcirco ei exæquata eſt, quia ſimiliter ea quæ Dei ſunt, ſibi uſurpat & recondit auarus: ut quæ uſibus omnium conceſſit communiter, auaricia denegat, quando idcirco hæc congregat apud ſe, ne alij utantur. Hactenus Ambroſius. Cæterùm erant apud Epheſios homines corrupti, qui hæc ſalutaria Dei præcepta cachinno excipientes dicebant, humanum eſſe quod faciant amatores, utile quod fœneratores, facetum quod ioculatores: & idcirco Deum non uſq; adeò grauiter animaduertere in eiuſmodi lapſus. Proinde ait D. Paulus: Ne ſinatis uobis imponi friuolis ſermonibus, quorundam immundorum hominum. Certum enim eſt uerbum Dei, quod exitium iſtis intentat. Iram autem poſuit pro uindicta: & filios inobedientiæ uocauit contumaces illos homines, qui & Deum & legem eius reſpuunt atq; ſuggillant. Exempla uerò iræ Dei ubiq; in ſacris obuia ſunt. Geneſ. 19. Nume. 25. His infert: Ne ſitis igitur conſortes illorum: id eſt, curate ne uita ueſtra congruat cum illorum uitijs. Deinde uetera ac priora eis ad memoriam ſcelera reuocat: Cogitate, inquiens, quid ſitis, & quid fueritis. olim illorum eratis conſortes, ſceleribus commaculati. Verſabamini in nocte ſeu tenebris incredulitatis: at poſtquam conſecraſtis uos Domino, annitendum uobis, ut non lucidi modò, ſed ipſa ſitis lux, ut ambuletis, ueſtramq; uitam inſtituatis, ſicut decet filios lucis. Interpretatur autem eis quid ſit filius lucis, dicens: Qui fructum ſpiritus habet. Nunc Deus per Euangelicam lucem illuſtrauit mentem ueſtram, & ea hunc habet fructum, quòd indicat quid ſequendum ſit, quid fugiendum. Docet enim ubiq; uitandam eſſe maliciam, maledicentiam ac ſimulationem, proq; his ſectandam bonitatem, iuſticiam ac ueritatem: & ſemper illud ſpectandum, non quid ſuaue ſit aut expediat nobis, ſed quid acceptum ſit uoluntati diuinæ, ad cuius nutum omnis noſtra moderanda eſt uita. Sic igitur, ait, uitam componite, ut memineritis uos in luce uiuere, ſemper conſpicuos oculis Dei.

EPI-

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI, AD *Galatas* Cap.4. *Dominicâ Lætare.*

SCriptum eſt, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: ſed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui autem de libera, per repromiſsionem, quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta: Vnum quidem à monte Syna, in ſeruitutem generans, quæ eſt Agar (Agar enim Sina mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei quæ nūc eſt Hieruſalem) & ſeruit cum filijs ſuis. Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis quæ non pa- Eſa.54.
ris, erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet uirum. Nos autem, fratres, ſecundum Iſaac promiſsionis filij ſumus. Sed quemadmodum tunc is qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura?
Eijce ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio libe- Gen.21.
ræ. Itaq; fratres, non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos liberauit.

EXPLICATIO.

Paulus apoſtolus quum in epiſtola ad Galatas multis argumentis conuiciſſet, fidem in Chriſtum iuſtificare: addidit tandem & allegoriam, è qua conſpici poſſet, legem non ſolùm non iuſtificare, uerùm multo magis peccatum & maledictionem operari. Hoc autem quod adducit, in Geneſi habetur. quia cum Sara generare non poſſet (erat enim ſterilis) Agar ancillam ſuam obtulit uiro ſuo Abraham in concubinam, ut quod generaret, adoptaret ſibi. Sic factum eſt, ut ex Agar naſceretur Iſmael. Pòſt autem nutu Dei promiſſus eſt Abrahæ filius de Sara uxore ſua, hæc peperit Abrahæ Iſaac. Verùm is qui natus eſt ex ancilla, iuxta morem hominum cōmunem natus eſt: is uerò qui natus eſt ex uxore libera, præter communem ordinem naturæ ex effœta matre & uetulo patre iuxta diuinum promiſſum natus eſt. Ideo (ut D. ait Ambroſius) hæc per allegoriam aſſerit dicta, ut aliud ex alio ſignificent perſonæ Iſmael & Iſaac. Scrutemur igitur, quid nobis ſignificent per allegoriam duæ matres, duo filij Abraham. Agar enimuerò ſignificare dicit Hieruſalem terrenam, id eſt ſynagogam, quæ in ſeruitutem generat, qui quos generat ſub peccato ſunt. In Sara uerò uel Eccleſiam demonſtrat, uel cœleſtem Hieruſalem. Iſaac ergo typum gerit populi fidelis, qui ſecundum promiſsionem natus, per gratiam Chriſti ſperat ſe iuſtificatum iri. Quia uerò dixerat, Cœleſtis Hieruſalem omnium noſtrûm mater eſt: neminē uel ſeparans uel excludens: hinc ex Eſa.54. cap. producit teſtimoniū, quo probet, omnes non modò Iudæos, ſed gentes quoq; pertinere ad hanc hæreditatem ſupremi numinis: tacitè interim alludens hocce teſtimonio ad hiſtoriam Saræ, quæ ſterilis quidem fuerat in multam ætatem, quemadmodum & Eccleſia gentium aliquot ſeculis Deo caruit marito, & aliena fuit à teſtamentis promiſsionis. Et ſanè nullos fidei & uirtutum fructus protulerant hactenus. Atqui ubi hæc per Chriſti ſanguinem in populum peculiarem eſt ſuſcepta, per uniuerſum orbem ſparſa, multo facta eſt fœcundior quàm aliquando fuerit Iudæorum ſynagoga. Porrò pergēs Apoſtolus ad abſoluendum ſenſum allegoriæ, myſteriumq; cauſæ præſentis: Certè, inquit, Iſmael Iſaac contempſit uiliſſimè: ſe enim primogenitum & paternarū opum hæredem eſſe iactauit. quamobrem ſuccenſens Sara, omnino poſtulauit abdicari illum ancillæ filium: ita & nunc ſecundum carnem Iſrael aduerſum minorem fratrem de gentibus populum Chriſtianum ſuſtollitur (ut uerbis D. Hieronymi utamur) inflatur, erigitur. Et cum ualde diſpliceret uerbum Saræ in oculis Abrahæ ſuper negocio filij ſui, dixit Deus ad Abraham: Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi uocem eius: quia in Iſaac uocabitur tibi ſemen. Hic ergo ait: Iſmael, hoc eſt populus Iudaicus qui per opera ſua & cæremonias moleſtiam exhibet Iſaac, hoc eſt populo fideli & Chriſtiano, eijcitur. Proinde fratres mei, ſinite ut Iudæi quibus nimium pertinaciter placet lex ſeruilis, ſuam ſibi habeant ſeruitutem, nec à matris ingenio degenerent. Nos qui & ipſi fuimus aliquando ſeruituti legis obnoxij, & tanquam filij Agar ancillæ, perſecuti ſumus ingenuos Eccleſiæ filios: nunc autem exempti ſumus à ſeruitute priſtina, & cooptati in ius filiorum Saræ. Hanc libertatem Chriſto ferimus acceptam, cui per fidem ſumus inſiti, ſic ut in commune ius hæreditatis

O *promiſſæ*

promiſſæ uenerimus. In eam libertatem in quam nos Iudæos Chriſtus ſuo precio ueluti poſtliminio reſtituit, uos gentes uocauit per Euangelium.

DOMINICA IVDICA EPISTOLA BEATI Pauli, ad Hebræos Cap. 9.

CHriſtus aſsiſtens pontifex futurorum bonorũ, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum aut uitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta æterna, redemptione inuenta. Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis uitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo uiuenti? Et ideo noui teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſsionem accipiant qui uocati ſunt, æternæ hæreditatis.

EXPLICATIO.

Miro artificio ſacerdotiũ Chriſti cum ſacerdotio Leuitico per antitheſin confert D. Apoſtolus. Et quidem, docente Origene, unus pontifex magnus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui non ſolùm ſacerdotum eſt pontifex, ſed & pontificum Origenes. *pontifex: nec ſacerdotum princeps tantummodò, ſed & princeps principum ſacerdotum, ſicut & Rex regum, et Dominus dominorum, qui uelamẽ (quod Apoſtolus interpretatus eſt cœlum) penetrans, aſsiſtit nunc uultui Dei, pro nobis ſemper uiuens ad interpellandum. Et pulchrè quidem omnia confert. Principiò enim inquit, Chriſtum ueniſſe, non ut corporalium & caducorum, quemadmodum alij, ſed futurorum & æternorum bonorum pontifex eſſet: qua ratione ingens etiã inter Chriſti & inter Moſis ſacerdotium diſcrimen facit. Secundò tabernaculũ illud, in quod introierit Chriſtus, maius & perfectius uocat, atq; illud in ueteri lege fuit. Summus pontifex immolaturus in terrenum ingrediebatur tabernaculum: Chriſtus uerò ipſum cœlum aſcendit. Nec ingrediebatur ſine ſanguine: oportuit ergo Chriſtum etiam cum ſanguine ingredi. Hinc ſanguinem fudit Chriſtus, ſed longè meliorem. nam ille inferebat ſanguinem beluinum: hic uerò proprium, humanum & ſanctum ſanguinem. Et pontifex quidem ſolus, & ſemel in ſanctum ſanctorum ingrediebatur, offerens pro ſuis & populi peccatis: neceſſe itaq; erat, ut ſolus etiam Chriſtus pro peccatis immolaret. Et immolauit quidem, ſed multo perfectius: non enim ſanguinem ſuum Deo fudit pro ſuis peccatis quæ nulla erant, ſed pro mundi peccatis. Quòd autem ſemel tantum ſanguinem fudit, in cauſa fuit, quòd unica oblatione coram Deo inuenit ſemper duraturam expiationem. Hæc autem hoc modo confirmat Apoſtolus: Si, inquit, beluino ſanguine purgata fuerunt peccata ueſtra (quanquam ego ablutionem iſtam aliud nihil fuiſſe credam, quàm externum purgandi ritum & ueritatis typum) quanto ueriſimilius eſt, innocenti Chriſti & ſacro eius cruore deleri peccata credentium, cum is uerus ſit Dei filius, & immaculatum ſeſe Deo obtulerit? Et quod dicit, Chriſtum per ſpiritum æternum immolatum eſſe: non ita intelligendum eſt, quaſi ſpiritualiter tantum, non etiam uerè paſſus ſit, ſed ut notaret in Chriſto diuinitatem. D. Chryſoſtomus: Sacrificium, inquit, immaculatum erat, mundum à peccatis. Hoc enim eſt per Spiritum ſanctum, non per ignem, non per aliena quædam. Sed quomodo abluit peccata? itá ne ut poſthac liberè peccemus? Reſpondet Apoſtolus, Minimè. Sic enim purgauit ab his operibus, quæ uerè mortem adferunt animæ, ut quod ſupereſt breuiſsimum uitæ ſpacium, innocentiæ impendamus. Cæterùm quòd non paucos imbecilliorũ turbabat animos, mors uidelicet Chriſti, ait Theophylactus: Si enim mortuus eſt, inquiunt, quomodo dabit quod promiſit? huic iam Paulus medicinam adhibẽs, oſtẽdit propter hoc ratũ & firmum eſſe teſtamentũ, quia mortuus eſt Chriſtus: in uiuentibus enim teſtamentũ nõ dicitur, et inquit: Ob id quod ſanguinẽ fudit & oblatus eſt Chriſtus, noui teſtamẽti mediator eſt. Siquidem is qui in ueteri teſtamento medius intercedebat inter Deum & hominem, non adferebat perfectam innocentiam: Chriſtus nouus interceſſor acceſsit, ut per mortem ſuam abolitis peccatis, quæ per prius illud teſtamentũ aboleri non poterãt, iam per Euangelicã*

doctrinam

doctrinam, promiſſionem ac ſpem accipiant æternæ hæreditatis: non Iudæi tantum, ſed quicunque uocati fuerint ad Chriſti conſortium, ut ſint hæredes uitæ ſempiternæ.

DIE FESTO ANNVNCIATIONIS MARIAE, lectio Eſaiæ prophetæ Cap. 7.

ADiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, in profundum inferni, ſiue in excelſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus Dauid: Nunquid parũ uobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Propterea dabit Dominus ipſe uobis ſignum. Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabis nomen eius Emmanuel. Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum.

EXPLICATIO.

Achaz Oziæ regis Iudæ filius, quum à Raſin Syriæ rege, & Phoca rege Iſrael aduerſus eum conſpiraretur, commonefactus eſt à Propheta, ut ne formidaret à duabus caudis titionum fumigantum iſtorum: Dominum enim conſilia ipſorũ diſſipaturum. Quid tibi, inquit Propheta, uidetur eſſe difficile, quòd regna potentiſſima breui tempore ſinienda ſunt, & tu cum populo tuo de magno periculo libereris? Pete tibi ſignum, nequaquã ab idolis, quorum errore retineris: ſed à Domino Deo tuo, qui tibi auxilium pollicetur, & ipſum ſignum optionis tuæ eſt unde poſtules, ſiue de profundo, ſiue de excelſo. Vis ut ſcindatur terra, & grandi hiatu inferi pateant: an ut aperiantur cœli? Verùm regis Achaz tanta fuit cùm perfidia, tum impietas, ut regis Aſſyriorum auxilium implorare quàm Deo fidere maluerit: ita perfidiæ ſuæ ac contemptui honeſtam excuſationem prætexens, multo ac antea peior fit: Non petam, inquit, & non tentabo Dominum. D. Hieronymus iuxta Hebræi ſermonis ambiguitatem legi poſſe dicit, Non exaltabo Dominum. Sciebat enim rex, ait, impius, quòd ſi ſignum peteret, accepturus eſſet, & glorificaretur Dominus. Ergo quaſi idolorum cultor qui in omnibus angulis platearum, & in montibus lociſq; nemoroſis aras conſtituerat, & pro Leuitis habebat phanaticos, non uult ſignum petere, quod præceptum eſt. Cum ergo Achaz & diuinam promiſſionem, & ſignum quo confirmari poterat, contemneret, dicit quidem Dominus per Prophetam, ſe daturum Iudæis ſignum, ſed quod propter illorum incredulitatem in ſcandalum & ruinam illis ceſſurum ſit, ac inquit: Quia non ſolùm Prophetas perſequimini, & eorum dicta contemnitis, ſed & meæ ſententiæ contradicitis, & exhibetis mihi quaſi laborem ſeu luctam atq; certamen: propterea ego dabo uobis ſignum. Signum illud Ieſus Chriſtus eſt, è uirgine Maria citra omnem uirilem operam natus. Quando autem dicitur (ut D. annotauit Hieronymus) Dabit Dominus ipſe uobis ſignum: nouum debet eſſe atq; mirabile. Quòd ſi uerò Alma iuuenculam uel puellam ſonaret (ut Iudæi uolunt) & non uirgo pariat: quale ſignum poterit appellari? cum hoc nomen ætatis ſit, non integritatis. Habemus hic locum, cùm de uera Chriſti humanitate, tum de Mariæ uirginitate manifeſtiſſimum. Porrò dicitur domui Dauid: Puer qui naſcetur ex uirgine, à te appelletur Emmanuel: quia rebus ipſis probabis, à duobus inimicis regibus liberata, Deum te habere præſentem. Docet quoque idem D. Hieronym⁹, Vocabis, omnes interpretatos: attamen poſſe Vocabit intelligi, quòd ipſa ſcilicet uirgo quæ concipiet & pariet, hoc Chriſtum appellatura ſit nomine. Quod autem ſequitur, Butyrum & mel comedet: is ſenſus iuxta Hieronymum eſſe poteſt. O' domus Dauid, cui Dei ſermone præcipitur, ut inuoces in periculo conſtituta nomen Emmanuelis: non mireris ad rei nouitatem, ſi uirgo Deum pariat, quia tantam habeat poteſtatem, ut multo pòſt tempore naſciturus, te nũc liberet inuocatus: ipſe eſt enim qui uiſus eſt Abraham, & locutus eſt Moyſi. Dicam & aliud mirabilius, ne eum putes in phantaſmate naſciturum: cibis utetur infantiæ, adhuc tamen pannis inuolutus & butyro paſtus ac melle, habebit boni maliq; iudicium, ut reprobans mala, eligat bona. Non quòd hoc fecerit, dictum puta, aut reprobauerit uel elegerit: ſed quòd ſcierit reprobare & eligere, ut per hæc uerba noſcamus infantiam humani corporis diuinæ non præiudicaſſe ſapientiæ.

DOMINICA PALMARVM EPISTOLA, BEATI Pauli ad Philippenſes Cap. 2.

HOc enim ſentite in uobis, quod & in Chriſto Ieſu. Qui cũ in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum

exinaniuit,formam ſerui accipiens,in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo,humiliauit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem,mortẽ autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & * donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen:ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium,terreſtrium,& infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.

* dedit

EXPLICATIO.

D.Paulus ut plenius adhortaretur Philippenſes ad ſtudium concordiæ & humilitatis, Chriſti Domini exemplum proponit,dicens:Quemadmodum Chriſtus erga uos affectus fuit: ſic uos affecti eſtote inuicem. Non quæſiuit ille gloriam ſuã, ſed ſumma animi humilitate deiecit ac humiliauit ſeſe,ut nos exaltaret. Eſt autem in forma Dei eſſe, nihil aliud quàm Deo per omnia æqualem, adeoq; ipſum Deum eſſe. Hoc ipſum uerò quòd Deo erat æqualis Chriſtus,non ita reputauit (ait Paulus) aut poſſedit,ut ſolent qui aliquid per rapinam,& non iuſto titulo poſſident: huic enim perpetuò affixi hærent, ſemper metuentes ne per uim eripiatur ipſis, quod aliquando uiolenter rapuerunt. At Chriſtus non ita diuinitatem ſuam poſſedit. Nam cum naturâ Deus eſſet,ſecurus animi, non horruit aſſumere hominem, ut qui ſciret uirtutem diuinam nulla re poſſe uel obſcurari, uel ipſi eripi. D. Auguſtinus hunc locum exponens alibi: Rapina res eſt aliena, inquit, quæ per iniuriam poſſidetur. Cum ergo Dei filius naturâ eſſet filius, Deo per omnia æqualis, non rapina, id eſt alieno modo, ſed natura erat æqualis Deo. Quia uerò filius Dei non metuit deſcendere ex propria dignitate (ut cum Theophylacto loquamur) inaniuit ſemetipſum. Quomodo? Non formam ſuam mutans, ſed formam ſerui accipiens: neq; conuerſus aut tranſmutatus in hominem, ſed uerum hominem ſuſcipiendo: & quòd ueluti regia exutus trabea, formam ſerui aſſumpſit, per omnia ſimilis hominibus factus, æger, miſer, ſeruus, mortalis: ſumma, in omnem modum uerus homo eſt declaratus. Rurſum dicit, Humiliauit ſeſe: ne uelut inuitum eum exiſtimemus paruiſſe. Inanitio ergo illa filij Dei non eſt euacuatio, ſed humiliatio. Humiliatio uerò aliud non eſt quàm incarnatio, & mors in carne perpeſſa. Mortem autem crucis, ait: hæc enim & turpiſſima & grauiſſima erat. Ita uidemus, eundem Chriſtum ſimul & Deum uerum, & hominem eſſe uerum, qui pro expiatione noſtri ſeſe in mortem tradidit, ut nos per mortem ipſius innocentiſſimam æternùm uiueremus. Et confutantur hiſce Pauli uerbis omnes omnium ætatum hæreſes, partim diuinitatem Chriſti, partim humanitatem blaſphemantes: quemadmodum uidere eſt apud Chryſoſtomum & Theophylactum. Porrò ne quis offenderetur ſcandalo crucis, adiecit quædam de gloria Chriſti regnantis, oſtendens ſecundum humanam naturam ipſum uſqueadeò exaltatum, atque per humilitatem & ignominiam crucis illuſtratum, ut iam ad Ieſu illius conſputi & crucifixi nomen ſeſe flectat ac ſubmittat omne genu, non ſolùm quicquid eſt in terris: uerumetiam quicquid eſt uel apud inferos, uel apud ſuperos in cœlis. Sunt, qui nomen uſurpari uolunt pro potentia & maieſtate, & genu flectere poni pro adorare ac colere, ſiue uenerari. Deinde per participationem cœleſtium, terreſtrium & infernorum, complecti uniuerſitatis & omnium creaturarum intelligibilium numerum. Quid uerò eſt (inquit D. Chryſoſtomus) cœleſtium, terreſtrium & infernorum? hoc eſt omnis mundus, & angeli, & homines, & dæmones: aut & iuſti, & uiuentes, & peccatores: & omnis lingua confitebitur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus, ad gloriã Dei patris.[a] Cum ergo omne genu ſe flectet in nomine Ieſu Chriſti, conſequẽs eſt, quòd Chriſtus ſit Deus ſuper omnia in ſecula benedictus, cui ſubſunt omnia: & cui omnia noſtra, ſalutem & iuſticiam debemus.

Lib.2.Contra Maximinum Arria.cap.5.

a Eſaiæ 45.

SANCTISSIMO PASCHATIS FESTO EPISTOLA *beati Pauli ad Corinthios Cap.5.*

EXpurgate uetus fermentum, ut ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaq; epulemur, non in fermento ueteri, neque in fermento maliciæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & ueritatis.

EXPLICATIO.

Accuſauit D. *Apoſtolus ſuperbiam & ſupinã negligentiam Corinthiorum, quòd in ſceleroſum quendam non animaduertiſſent. Et ubi illi potuiſſent obijcere: Eſto, unus eſt qui peccauit, quid hoc ad totã congregationem? ſimilitudine docet, quòd unius mali conſceleratiq; hominis exemplum, totam contagione inficit* Eccleſiam. *Poſtea à perſona ad rem delapſus, exhortationem ad innocentiam & uitæ prioris ſtudium ſubiungit. Vocat autem uetus fermentum, omnis generis uitia.* Nec di*xit*, Purgate (*inquit* Theophylactus) *ſed* Expur*gate: hoc eſt, ſumma diligentia purgate, ut ſitis noua maſſa, quæ non ſit mixta uitijs & malicia.* Hic *fermenti mentionẽ facienti obijci potuiſſet*: Quid *nobis cum umbris legalibus, quid cum fermento* Iudaico? Propterea *Chriſtianis quoq; ſuum* Paſcha *eſſe dicit, ipſum* Dominum Ieſum, *ſignificatũ per Iudaicũ illud.* Q*uaſi dicat:* [a] *Hæbræi cũ emẽſi mare, liberati fuiſſent ab Aegyptiaca ſeruitute, iuſſi ſunt quotannis in huius rei ſymbolum ac monumentum, ſtato tempore mactato agno anniculo, ſeptẽ diebus ueſci panibus nullo fermento corruptis: habebaturq; piaculum, id temporis quicquam uſquã fermenti reperiri in ædibus.* Vmbras *rerum habebant illi: nos uerum Phaſe tenemus, agnum omnis maculæ neſcium.* Is eſt Chriſtus Ie*ſus, pro nobis, à teterrima mortis & uitiorum tyrannide liberandis, in crucis ara immolatus. Semel* Aegyptum *euaſimus: ſupereſt ut iugiter hoc feſtũ celebremus, haudquaquam gaudentes atq; attollentes nos ijs rebus quibus olim capiebamur: hoc eſt, non fermento ueteris maliciæ ac uerſutiæ, ſed libis ac panibus nullo fermento uitiatis: id eſt moribus innoxijs, ſinceris, nulloq; fuco ſimulatis.* Hæc *ferè* Theophylacti *expoſitio eſſe uidetur.* Sic *enim ſcribit ille:* Q*uia azymorum, hoc eſt fermento uacantium panum meminit, atq; hi paſchatis tempore edebantur, ſimulatque per allegoriam quid ſint azyma explicauit, nimirũ affectuo uel animus uitijs non contaminatus: quid* Paſcha *ſit allegoricè, in medium promit:* Chriſtus, *inquiens,* Paſcha *noſtrum eſt, pro nobis mactatus & immolatus. debemus igitur azyma, id eſt, omnem ab omnibus uitijs puritatem amplecti.*

a Exod. 12.

IN OCTAVA PASCHAE EPISTOLA BEATI *Ioannis apoſtoli prima* Cap. 5.

OMne quod natum eſt ex Deo, uincit mundum. Et hæc eſt uictoria quæ uincit mundum, fides noſtra. Quis eſt autem qui uincit mundum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt filius Dei? Hic eſt qui uenit per aquam & ſanguinem, Chriſtus Ieſus: non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt ueritas. Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus. & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, aqua & ſanguis. & hi tres unum ſunt. Si teſtimoniũ Dei accipimus, teſtimonium Dei maius eſt. Quoniam hoc eſt teſtimonium quod maius eſt, quoniam teſtificatus eſt de filio ſuo. Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.

EXPLICATIO.

D. *Ioannes ubiq; hoc agit, ut fidem ſimul & charitatem doceat: propterea quòd ſciebat neque fidem abſq; charitate, neq; charitatem abſq; fide aliquid eſſe. Porrò quòd* Deum *diligamus, ita liquebit, inquit, ſi ſeruemus illius præcepta. Terribiles quidem malorum ſpecies obijcit mundus, exilium, infamiam, paupertatem & mortes. Ingens eſt pugna, ſed parata uictoria. quicquid enim ex* Deo *natum eſt, uincit mundum.* Q*uibus autem præſidijs uincit mundum? num opibus? num copijs? num machinis bellicis? num eruditione mundana?* Nequaquam. *ſola fiducia qua ſe totos committunt pugnatori* Deo, *uincunt mundum, quantumuis ſæuientem.* Huc *refer integrum cap. 11. ad* Hebræos, *de uirtute fidei ſcriptum: & uidebis, quomodo fide uicerint mundum omnes à condito mundo ſerui* Dei. Huc *pertinet & illud* Chriſti *uerbum:* Et *portæ infernales non præualebunt aduerſus eam* Eccleſiam, *quæ per fidem* Chriſto Ieſu *innititur.* Si *quidem eripiuntur opes, obijcit fides:* Habes *theſaurum in cœlo. eijceris in exilium, ſed expectat ſuum municipem patria cœleſtis: intentatur mors, ſed hanc ſequetur immortalitas.* Q*uis eſt igitur, qui uincit mundum?*

Matth. 16.

non ſatrapes, non diues, non philoſophus: ſed is, quiſquis eſt, qui uerè credit, quòd Ieſus eſt filius Dei. Sed nunquid ſola diuinitatis eius fides & confeſsio ad ſalutem ſufficit? Enimuerò obſeruandum ac credendum, quomodo ille filius Dei prior uicerit mundum, et aſſecutus ſit immortalitatem. Qui ergo erat æternus Dei filius, factus eſt homo in tempore, ut per diuinitatis ſuæ potentiam creatos per humanitatis ſuæ infirmitatem recrearet. Venit itaq; in hunc mundum aſſumpto noſtro mortali corpore, ut pro nobis uinceret. Quibus autem præſidijs armatus uenit ille? Per aquam, ait Apoſtolus. Baptizari enim uoluit immunis ab omni peccato, ut nobis largiretur innocentiam, ut nos ablueret à peccatis. Per ſanguinem quoq;: ſiquidẽ mori uoluit in cruce, ut nobis aperiret uiam ad immortalitatem. Verùm non ſolùm duobus his indicijs teſtatus eſt ſe fuiſſe Chriſtum & Seruatorẽ mundi, quòd baptiſmum accepit ut homo nocens, quòd mortuus eſt ut homo ſceleroſus, cum unus omnium innoxius eſſet ab omni peccato: ſed & ſpiritus apparens ſpecie columbæ de illo teſtatus eſt, quòd is eſſet quem pater dediſſet Seruatorem mundi. Ioan. 1. Atteſtante autem ſacra Scriptura, baptizato iam in Iordane Domino, deſcendit Spiritus ſanctus, teſtimonium illi perhibens, quia ueritas eſt: hoc eſt uerus Dei filius, uerus mediator Dei & hominũ, uerus humani generis redemptor ac reconciliator. Quod etiam ipſe baptiſta, uiſo eiuſdem ſpiritus aduentu intelligens, ait: Qui me miſit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quẽ uideris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto: et ego uidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei. Cum autem à multis negabatur, uerum eſſe quòd Ieſus ſit Chriſtus: ueluti in foro res agatur, producit teſtes. Quia (inquit) Moſes uoluit, ut res dubiæ diſcernerentur teſtium conteſtatione: En uobis tres teſtes, quorum haudquaquam uanum eſſe poteſt teſtim trium: quorum primus ſpiritus eſt. Et hic non ſolùm in Iordane teſtificatus eſt de illo: uerùm in die Pentecoſtes. Aqua deinde & ſanguis dedêre teſtimonium, quoniam Ieſus eſt ueritas: quoniã de latere eius in cruce mortui manarunt. Indiuidua hæc manent, nihilq; eorum à ſui cõnexione ſeiungitur, quin in nobis unũ ſunt, non natura eiuſdem ſubſiſtentiæ, ſed eiuſdem operatione myſterij. Spiritus enim nos per adoptionem filios Dei fecit, ſacri fontis unda nos abluit, ſanguis Domini nos redemit. Porrò etſi plura annotarit Eraſmus in illud membrum, [a] Quoniã tres ſunt, etc. omnia ferè exemplaria non habere: tamen ut paraphraſtes hunc locũ diligenter enarrans: Tres ſunt, inquit, in cœlo, qui teſtimonium præbent Chriſto, Pater, Sermo et ſpiritus. Pater, [b] qui ſemel atq; iterum uoce cœlitùs emiſſa palàm teſtatus eſt hunc eſſe filium ſuum, egregiè charũ: Sermo, qui tot miraculis editis, qui moriens et reſurgens declarauit ſe uerum eſſe Chriſtũ, Deum pariter atq; hominem, Dei & hominum conciliatorẽ: Spiritus ſanctus, qui in baptizati caput deſcendit, qui poſt reſurrectionem delapſus eſt in diſcipulos. Atq; horum trium ſummus eſt conſenſus: Pater eſt autor, filius nuncius, ſpiritus ſuggeſtor. Hæc ille. Cæterùm quæ dixit D. Ioannes, fortius confirmat tali argumẽto: Quòd ſi, inquit, teſtimonium hominũ recipimus, æquũ eſt ut plus habeat apud nos ponderis teſtimoniũ Dei. At diuinũ teſtimoniũ hoc palàm aſſeuerat, quod diximus de filio, nempe quòd Chriſtus ſit doctor cœleſtis, uita et redemptio orbis. Quia uerò cognouimus eum ut filiũ Dei & unicũ Saluatorẽ mundi, æquum eſt ut toto corde Ieſu Chriſto fidamus, et nitamur ut ſaluti. Et qui teſtimonio Dei credit, quo teſtatus eſt Ieſum eſſe uitam & ſalutem, is ipſam uitam & redemptionem habet in ſeipſo: qui autem hoc diuinum teſtimonium nõ ſuſcipit, is Deum mendacij coarguit: cauſa, quia non credit in teſtimonium.

[a] Tres ſunt in cœlo qui teſtimonium dant, Pater, uerbũ, & ſpiritus.

[b] Matth. 3. & 17.

Ioan. 1.

Deut. 17.

DOMINICA MISERICORDIA DOMINI EPIſtola, prima Petri ſecundo capite.

CHriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamini ueſtigia eius. Qui peccatum nõ fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non cõminabatur. Tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè: qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, iuſticiæ uiuamus, cuius liuore ſanati eſtis. Eratis enim ſicut oues errantes: ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorem & epiſcopum animarum ueſtrarum.

EXPLICATIO.

Oſtendere uolens D. Petrus, quòd religio Chriſtiana nõ promittat in hoc ſeculo cultoribus ſuis opes amplas, uoluptates uarias, honoreſq; ſplẽdidos, ſed crucẽ & afflictionẽ: ab exẽplo Chriſti

trahit

*trahit argumentum, ut ad patientiam rapiat. Au-
dis (inquit Beda) Chriſtus paſſus eſt pro nobis,
& gaudes quia pro te mortuus eſt Chriſtus. at-
tende quod ſequitur: Relinquens nobis exemplū,
ut ſequamini ueſtigia eius. Exemplum tribulatio-
num, non deliciarum, contumeliarum, flagitiorū,
dolorum, opprobriorum, &c. In Pſalmo [a] ſcriptū
eſt: Propter uerba labiorum tuorum ego cuſtodi-
ui uias duras. Propter quæ uerba labiorum Dei?
niſi quibus promittit uitam æternā. Hæc ille. Vn-
de nos colligimus, Chriſtum non tam ad ſalutem
& propitiationem, quàm ad lucem & exemplum
mundi miſſum eſſe mortalibus. In Euangelio ſe-
cundum Matthæum legimus dixiſſe Dominū: Si
[b] quis uult me ſequi, abneget ſemetipſum, tollat
crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Illò autem
uidetur alluſiſſe Petrus, qui et metaphoram tran-
ſumpſit ab ijs qui ueſtigijs quibuſdam impruden-
tioribus uiam ueluti delineant. Hinc ſucciſis mem
bris, quid aut qualia paſſus ſit Chriſtus, enarrat.
Quid (ait) ille malorum non pertulit, qui cum
latronibus crucifixus eſt? Quid eodem innocen-
tius, qui adeò nullum admiſit facinus, ut nec in lin
gua illius ſit ullus unquam repertus dolus? Nos ue
rò peccatores ſumus, adeóque non niſi ex dolis,
mendacio & hypocriſi conſuti. minus igitur mi-
randum, ſi & nos affligimur. Item cum dira in
Chriſtum congererent conuicia Iudæi, & ho-
rum primores phariſæi, cumque Domino non
deeſſent grauiſsima ſcelera, quæ in aduerſarios
uere potuiſſet eiaculari: obticuit tamen, imò &
pro hoſtibus ſuis patrem obſecrauit, cæcitatis
eorum miſertus. Rurſum cum indigna pateretur
Dominus, cum pro omnipotentia ſua & diui-
na uirtute ſemel potuiſſet omnes extinguere:
non tamen minitabatur uindictam, ſed omnem
uindictam patri reliquit, quem & iuſtum iudi-
cem eſſe nouit: qui ut nemini irrogat iniuriam,
ita nullam illatam iniuriam ſinit impunitam. Di-
ſcamus ergo & nos uindictam eidem tradere
Deo, iuſto & æquo ultori. Cæterùm occa-
ſione accepta Petrus ex Eſaia modicè ab inſti-* Eſaiæ 53.
*tuto ſuo deflectens, ſcribit de gratia & re-
demptionis precio, déque iuſtificatione per
Chriſtum, dicens: Cum nos onere peccatorum
grauati ſuccubuiſſemus turpiter, & iamiam æ-
ternum expectaremus ſupplicium, Deus noſtri
miſertus, filium ſuum in mundum miſit, qui fe-* a Pſal. 16.
*rendo oneri idoneus eſſet. Veniens ergo in mun-
dum filius Dei, hominis factus eſt filius, ſuſcepta
humana natura, in qua in crucem adactus, pec-
cata noſtra munda ſua carne, ſancto inquam ho-
locauſto expiauit: quod quidem holocauſtum di-
uinæ literæ peccatum appellitāt, propterea quòd* 2.Cor.5.
*pro peccatis ſit oblatum. Sicq́; Chriſtus ſua im-
merita morte nobis debitam mortem depulit, ut il-* b Matth. 16.
*lius mortem ac reſurrectionem interim imitemur,
ac mortui priſtinis peccatis cupiditatibúſque,
quibus addicti ſeruiebamus, poſthac uiuamus in-
nocentiæ, cui nos ille conſecrauit, omnis inno-
centiæ fons, qui noſtram impietatem in ſe tran-
ſtulit, ut nobis ſuam conferret iuſticiam. Nos of-
fenderamus, ille uapulauit: noſtra erat culpa, in
illum ſæuijt animaduerſio. Proinde iuxta uatici-
nium Eſaiæ, Nos illius liuore ſanati ſumus. Eſt au-* Eſaiæ 53.
*tem liuor (quemadmodum docti uolunt) ueſti-
gium plagæ in cute, uel tumor ex plaga concre-
tus. Intellexit itaque Propheta uerbera, uulne-
ra, ſanguinis effuſionem, & ipſam mortem, quæ
uita & emundatio noſtra eſt. Et propterea in-
quit Apoſtolus: Huic igitur acceptum ferre de-
betis innocentiam ueſtram, quod priſtinæ ui-
tæ peccata non imputat Deus: huius uinculis,
huius plagis, huius uulneribus, huius cruci, hu-
ius morti debetis. Nam antè uelut oues palantes
abſque duce alij aliò aberrabatis, quo quemque
ſua ducebat cupiditas, exiſtimantes licere quic-
quid liberet: ſed ab errore priſtino nunc conuer-
ſi eſtis ad Chriſtum Ieſum, paſtorem & cura-
torem animarum ueſtrarum. Hunc ſi ſequami-
ni, peruenietis ad immortalitatis
gloriam.*

DOMINICA IVBILATE EPISTOLA BEA-ti Petri prima Cap. 2.

OBſecro uos tanquam aduenas & peregrinos, abſtinere uos à carnalib. deſiderijs, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem ueſtram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectāt de uobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus uos conſiderantes, glorificēt Deum in die uiſitationis. Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deū, ſiue regi quaſi pręcellēti, ſiue ducibus, tanq́; ab eo miſsis ad uindictā malefactorū, laudem uerò bonorū. Quia ſic eſt uoluntas Dei, ut benefacientes obmuteſce-re faciatis imprudentium hominum ignorantiam: Quaſi liberi, & non quaſi

uelamen habentes maliciæ libertatem, ſed ſicut ſerui Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite: Deum timete, regem honorificate. Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Hæc eſt enim gratia in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

EXPLICATIO.

D. Petri inſtitutum eſt, innocentiam ſanctorum pectoribus inſerere. Verùm iſtud iam clariſſimis ingerit uerbis, cum dicit: Poſtquam agnoſcitis Dei ſingularem erga uos beneficentiam, quos ſanguinis precio redemerit, quos filij morte ſibi reconciliarit, quos in filiorum ius adoptatos ad immortalitatis hæreditatem uocarit: obſecro uos, ut uitæ ſanctimoniæ & dignitati ueſtræ, & benignitati diuinæ, & tanto præmio reſpondeatis. Blandis eos uerbis compellat, & monet meminerint ſortis ſuæ, nempe quòd in hiſce terris non habeant manentem locum, ſed uelut aduenæ ſint, & peregrini. Eò igitur properare uelint, ubi ipſis eſt patria, ubi repoſita eſt cœleſtis hæreditas. Per carnales uerò concupiſcentias intellexit totam ſcelerum & peccatorum uniuerſitatem, quæ ex concupiſcentia animi, malorum omnium fonte & fomite, exiſtit. De ea ad Rom. 7. Anima autē accipitur hic pro mente religioſa, & illuminata à Deo. Illam, inquit, oppugnant concupiſcentiæ carnales, ut uincant, occidant, & in ſempiternum demergant interitum. His iunguntur argumenta quædam, quibus auditores ad uitæ ſanctimoniam trahat. Congruat (inquit) uita profeſſioni, ut ueſtri mores & alios alliciant ad Chriſtum, quos habet paganiſmus, inter quos uiuitis: ut obtrectationem illorum qua de uobis maledicunt odio Chriſti quem ignorant, & odio religionis quam exiſtimant maleficam eſſe ſuperſtitionem, refellat integritas morum ueſtrorum, atque in omnes beneficentia: quibus rebus compertis reſipiſcent & illi, agnoſcentes errorem ſuum, afflati miſericordia Dei, cum illi uiſum fuerit & illos attrahere, qui uos delegit, iam'que glorificent eum ex ueſtris pijs operibus, quem antè ignotum deteſtabantur. Vbi uerò D. Petrus ſatis ſuper'que de uera diſſeruit religione, certitudinem uitæ noſtræ oſtendens: præterea monens, ut in hac perpatientiam uitæ'que ſanctimoniam conſtanter perſeueremus in finem uſque: poſthac ad præcipua Chriſtianorum officia deſcendit. Primò autem diſſerens de obedientia, magiſtratui & legibus ciuilibus præſtanda, ait: Habet & hic mundus ordinem ſuum, qui per occaſionem religionis turbandus non eſt, quatenus id licet incolumi Chriſti gloria. Ita Chriſtus uos uoluit liberos à peccatis; ut tamen ultrò nihil non feratis ob Euangelij negocium, obtemperantes & ſubmittentes uos non modò Chriſtianis, uerumetiam ethnicis magiſtratibus: ſiue rex ſit ille, obediendum eſt tanquam publica authoritate præminenti: ſiue præſides, per quos in prouinciam miſſos rex adminiſtrat reſpublicas, obtemperandum eſt. præſident enim iſti cum authoritate, ut nocentes ac ſceleroſos ſuppliciorum metu coerceant, ac probos præmijs inuitent ad officium. Sic enim uult Deus, ſummus ille princeps ueſter, ne quam anſam præbeatis illorum imprudentiæ, qua poſſint in crimen uocare profeſſionem Euangelicam, ſi ſenſerint ſuam authoritatem à uobis negligi. Nec eſt quòd quiſquam ueſtrûm ſe libertatis Chriſtianæ titulo, obedientia magiſtratus iuſta ſubducat. Liberi ſanè eſtis: ſed à peccatis, ne illa uobis dominentur: à lege, id eſt, umbra & maledictione legis. nemo igitur malitiæ ſuæ aut inſtituto peruerſo debet prætexere libertatem, quaſi uerò Chriſtiana libertas licentia peccandi ſit, quam mox titulo libertatis defendere liceat. Non debetis ſeruitutem hominibus: ſed quoniam eſtis ſerui Dei, ob huius gloriam ſubmittetis uos omnibus lubentes ac uolentes. His præmiſſis, monet congruum cunctis impendere honorem, & iuxta imperium Domini Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo reddere quæ Dei ſunt. Et bene inter alia fraternitatem diligere iubet liberos, ut eos quoque qui ſibi temporali conditione fratres in Chriſto factos recolant, unà cum ipſis patrem inuocantes eum, qui ſine acceptione perſonarum iudicat. Tantumq; dicere uidetur: Si quid officij, ſi quid honoris debetur etiam Ethnicis, ob munus publicum quod gerunt, id perſoluite omnibus, ne quid offenſi reddātur alieniores ab Euangelij profeſſione: peculiari tamen charitate par eſt proſequi, quos communis profeſſio fratres uos reddidit. Deum timete, cuius oculos nemo fallit. Iam ut ſuo ſatisfaciat officio D. Petrus, ſeruos inſtituit, qui ſeruitutem ſeruiebant, & ſub infidelium dominorum iugo gementes, indignum putabāt ut liber populus, Chriſtianorum uidelicet, tam indignis modis opprimeretur ab impiorum dominio. Ait ergo: Nolo, ut ſerui

Metaphora à militia tracta.

ut ſerui ora ſua herili ſubducant capiſtro: ſed potius uolo ut ſubſint dominis ſuis, adeo'que & cum timore ac reuerentia ſubſint. Non ſolùm autem bonis ac æquis, ſiue humanis: ſed etiam prauis ac aſperis, ſiue difficilibus. Et illud demum meretur laudem. Nam ita demum grata eſt Deo ueſtra patientia, cum præter meritum afflicti, tamen æquanimiter toleratis, non metu hominum, ſed ob Dei gloriam (in hoc enim uocati eſtis) & quo quiſque impenſius diligit Deum, hoc alacrius perpetitur quicquid ad illius pertinet ſublimem gloriam.

DOMINICA CANTATE EPISTOLA BEAti Iacobi apoſtoli Cap. 1.

OMne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec uiciſſitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos uerbo ueritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ eius, ut ſcitis, fratres mei dilectiſsimi. Sit autẽ omnis homo uelox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim uiri iuſticiam Dei non operatur. Propter quod abijcientes omnem immundiciam & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitũ uerbum, quod poteſt ſaluare animas ueſtras.

EXPLICATIO.

Captiuitas Aſſyriaca, deinde Babylonica, motus item Aſiatici & Aegyptij, item inteſtina diſſidia & Romanorũ arma, denique & rabies Phariſaica cuius meminit Lucas in Actis cap. 8. Iudaicam gentem in uarias diſiecerant terras. Vt autem Petrus peculiaris fuit Iudæorum apoſtolus, ità & Iacobus quoq;. Scribit ergo Iudæis ſic diſperſis. Poſtquam aũt [a] *docuit, uitia quibus tentamur, nõ à Deo ſed à nobis ipſis eſſe: oſtendit, quicquid boni agimus, hoc à Deo donante prouenire. & ait: Vt Deus ſuapte natura purè ſummeq; bonus eſt: ita nihil ab illo proficiſcitur, niſi bonum. Quicquid igitur in nobis eſt ueræ cognitionis, quicquid puri ſincerìq; affectus, id à nobis nõ oritur, qui alioqui nihil aliud ſumus quàm peccatores, & ignorantes: ſed è ſublimi proficiſcitur, ab autore bonorum omnium uenit, quicquid uerè bonum eſt: à fonte totius perfectionis obtingit, quicquid legitimum & perfectum eſt: quicquid uerè lucidum eſt, id nobis ex ſeſe mittit ille pater & princeps omnis ueræ lucis. Hæc non impertit meritis noſtris, ſed gratuitò nobis largitur, ut eſt natura benignus. Egregiè itaque Iacobus oſtendit, à Deo eſſe omne bonum, ab homine autem omne malum, qui in peccatis concipitur, & naſcitur filius iræ. Porrò ſubijcit apoſtolus Iacobus, quod maximè ad hanc rem pertinet, nempe Deum incommutabilem eſſe, ſemper ſui ſimilem, & nihil apud eum quod ulla uiciſſitudine caliginis obfuſcetur. Præterea quòd Deus ſalutis et gratiæ omnisq; boni, non perditionis, peccati ac mali author ſit, liquet uel ex æterno Dei conſilio, & fine uocationis noſtræ. Adam genuit nos morti: ſeductus enim* [b] *mendacibus ſerpentis pollicitationibus, uitam amiſit, peccatorumq; tenebris obſcuratus genuit nos tenebris obnoxios: Deus uerò noſtræ miſertus calamitatis, ſola ſua bonitate regenuit nos, non iterum ex corrupto ſemine carnis, ſed ex puriſſimo ſemine ſermonis æterni ac ueridici. Mendax érat ſermo ſerpentis, & à ſtatu innocentiæ deiecit: uerax eſt ſermo doctrinæ Euangelicæ, per quem cooptamur in hæreditatẽ immortalitatis. Atque hoc honore dignatus eſt nos pater cœleſtis: ſic illi uiſum eſt ab æterno, ut inaudita ratione conderet in terris nouam creaturam, noſq; huius nouæ cõditionis ueluti primitias quaſdam eſſe uoluit, qui inter primos ſumus ad Euangelicam uocati doctrinã. Hæc D. Iacobus de prouidentia Dei. Iam uerò conſequenter docet, ſupereſſe ut nos uiciſſim illius munificentiæ pro uirili reſpondeamus. Dicit enim: Semel exuimus ueterem hominem cum erroribus, cum affectibus, cum uitijs ſuis: nunc æquum eſt, ut diuerſa ſequamur. Antehac maluiſtis uideri magiſtri quàm diſcipuli: nam id uobis perſuadebat ambitio, quòd doctior habeatur uulgò qui loquaciſſimus ſit: maluiſtis iraſci rectè monenti, quàm agnoſcere culpam: nunc autem quiſquis haberi uult nouus homo, ſit ad diſcendum uelox, & circumſpectus in ſermonibus, ne ſcilicet lingua mentem præcurrat; aut aliud loquatur de religione Dei'que operibus, quàm ipſa præſcripſerit pietatis doctrina. Oportet etiam pios homines procul abeſſe non ſolùm ab omni uindicta, uerumetiam ab omni maledicentia. ſitis ergo ad iram tardi, hoc eſt animi potentes, patientes & longanimes. Nam ira hominem ſibi ipſi eripit, ut nul-*

a Bedái

b Gené.3.

ut nullum locum habeat ullum pietatis officium.
Ita ſanè non omnem iram uetat: ſed ut non quasli-
Nume.25. *bet ob cauſas iraſcantur. Hinc Phinees, Elias &*
Exod.32. *Moſes laudantur ob ſeueritatem, quam in peccan*
3.Reg.18. *tes exercuerunt, qui alioqui mitiſsimi fuerunt.*
Cæterùm ubi ſatis oſtendit Iacobus, Deum nos ex mera beneficentia genuiſſe per ſermonem ueritatis, nunc infert: Vt ergo huic ſemini, naturæ'que reſpondeamus diuinæ, age deponamus à nobis omnem immundiciam, repurgate mentem ab omnibus uitijs & cupiditatibus: præterea deponant ſinguli malitiam: ſiquidem his rebus onuſta mens, non eſt capax ſermonis Euangelici. Repurgato autem in hunc modum animo, iam recipite illum ſermonem: id eſt, per regenerationem illam cœleſtem inſitam pectoribus uim. recipite autem uerbum illud Dei, quod pectoribus ueſtris imponitur, cum modeſtia & manſuetudine. Sic aũt poterit animas ueſtras ille ſermo Dei ſaluas facere.

DOMINICA VOCEM IVCVNDITATIS EPIſtola, Beati Iacobi apoſtoli Cap.1.

ESTote factores uerbi, & non auditores tantum, fallentes uoſmetipſos. Quia ſiquis auditor eſt uerbi, & non factor, hic comparabitur uiro conſideranti uultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo: Conſiderauit enim ſe, & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertis, & permanſerit, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit. Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, nõ refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum: huius uana eſt religio. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt: Viſitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.

EXPLICATIO.

Lectio hæc cum ſuperiori cohæret. Cum enim antea ad audiendum uerbum cohortatus ſit: iam nunc ut audita quoque diligenter præſtemus admonet. Neq; enim ſatis eſt, more philoſophorũ & Iudæorum legem memoriter tenere, ipſas'que uiuendi rationes, cum in uita hominis felicitas ſita
Matth.7. *ſit, dicente Chriſto: Omnis qui audit ex me ſermones hos, & facit eos, aſsimilabo eum uiro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſuper firmam petram: Proinde et D. Iacobus ex doctrina Chriſti hortatur ſuos, ut quod didicerunt ex doctrina ueritatis, opere compleãt pietatis. Addit autem egregiam parabolam, qua explicet quàm uanum et inutile ſit audiſſe quidem uerbum Dei, ſed parum cogitaſſe de moribus ad illud corrigendis: Vultis audire, inquit, quàm nullum fructum referat, qui leuiter & incogitanter Euangelicum ſermonem audit: ſimillimus eſt homini contemplanti faciem ſuam in ſpeculo. contemplatur tantum, nec enim poteſt mutare faciem natiuam, nec alius diſcedit à ſpeculo quàm acceſſerat: imò quoniam ideo tantũ acceſsit, ut uideret qua forma eſſet, nec cogitat quidem de mutãdis formæ uitijs, ſed ſimulatq; recedit à ſpeculo, ne meminit quidem qualẽ ſeſe conſpexerit. Deinde uerò opponit orationis membrũ contrarium. Et quod prius uocauit ſpeculũ, id nũc appellitat legem perfectã libertatis: Qui, inquit, accedit non tantum ut audiat, non uti uerbo Dei tanquam ſpeculo utatur, ut mox ad curas huius mundi uerſus, uideatur oblitus quod audijt: ſed ad eius normam uitam omnem componat, ijs operibus exprimens quod animi medullis penitus inſixit: hic demum beatus erit, non quòd audierit, ſed quòd uerè et ex animo crediderit, fidemq; expreſſerit factis. Conatur ergo probare D. Iacobus, illam fidem quam iactabant quidam, bonis operibus uacuam, nihil aliud eſſe quàm inanem opinionem, & eam fidem prodeſſe quæ ſe bonis operib. prodit. Iam uerò planius oſtendit contra quos diſputet, qui uidelicet linguam ſuam non frenant: deinde qui corda ſua ſinunt aberrare. In quibus ſpeciebus omnia alia complexus eſt uitia. Laxant autem frena linguæ, qui irruerenter de Deo & operibus eius loquuntur & iudicant, qui'que ſibi non temperant à conuicijs, obtrectationibus & turpiloquijs. Corda uerò ſua aberrare ſinunt praui homines, & ſeſe totos affectibus & concupiſcentijs tradentes. Qui autem tales ſunt, utcunq; iactitent fidem iuſtificantem, indubiè tamen uani ſunt, uanaq; ipſorum eſt religio: quandoquidem Deus intimos animi affectus intuetur, & ex ijs nos æſtimat. At dixerit aliquis: Quæ'nam igitur ſunt iſta facta, quæ nos uerè reddunt religioſos? reſpondet, ac inquit: Vultis audire quæ ſit uera religio apud patrem, qui non humano iudicio nos æſtimat? Nimirum hæc eſt pura et immaculata religio,*

ligio, ut quemadmodum nos experti ſumus Dei erga nos & miſericordiam & beneficentiam, ita nos uiciſsim erga proximum & miſericordes ſimus & benefici: id'que non aliqua ſpe redituri ad nos officij mutui, ſed ex mera ſincera'que charitate, præmium officij noſtri non aliunde quàm à Deo expectantes, qui ſibi patitur imputari, quicquid in fratrem ipſius amore collocauerimus. Per orphanos ergo & uiduas, omnes intelligit homines, auxilio & conſilio deſtitutos, quibus nos opera noſtra prodeſſe poſſumus: per mundum uerò intellexit omnia quæ ſunt in mundo, ut ſunt concupiſcentia carnis, oculorum, &c. Hæ'que res ſunt quæ uerè reddunt impium & impurum hominis animum: à quibus quiſquis abſuerit, is demum uerè religioſus eſt apud Deum patrem, qui nos exemptos à terrenis euocauit ad cœleſtia.

IN FESTO PHILIPPI ET IACOBI APOSTOLORUM Epiſtola ſeu lectio, Sapientiæ Cap. 5.

STabunt iuſti in magna conſtantia, aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerũt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, gementes præ anguſtia ſpiritus, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes. & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: Nos inſenſati uitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.

EXPLICATIO.

Qui D. Hieronymo ullam adhibent fidem, librum unde deſumpta hæc ſunt uerba, apud Hebræos haberi negabunt: & quis illius author ſit, à multis addubitatur: ſunt tamen qui eum Philoni Iudæo aſcribant. Vtcunque uerò res ſeſe habeat, hoc unũ liquet, plenum ipſum eſſe abſtruſis et diuinis myſterijs, de aduentu Meſsiæ, id eſt Domini Ieſu, & paſsione eiuſdem. In hac autẽ lectione principiò per antitheſin oſtenditur, qualis piorum & impiorum fortuna in extremo illo die futura ſit. De hoc die D. Apoſtolus ſcribẽs [a] Theſſalonicẽſibus: Nolumus uos, inquit, ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Si enim credimus, quòd Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierũt per Ieſum, adducet cum eo. Et poſt pauca: Ipſe Dominus in iuſſu & in uoce archangeli, & in turba Dei deſcendet de cœlo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Tunc quidem ſtabunt iuſti, qui pro teſtamento Chriſti corpora ſua tradiderunt, & in ſanguine agni lauerũt ſtolas ſuas, magna cum conſtantia: firmati enim ſunt ſupra firmam petram: & conſtanter eos, à quibus afflicti ſunt propter ipſam iuſticiam et ueritatem, & intuebuntur et accuſabunt, certi quòd nullis perſecutionibus uel malis in poſterum obnoxij futuri ſint. Iam demum præſtabit Chriſtus re ipſa quod uerbis eſt pollicitus, [b] dicens: Beati eſtis cum maledixerint uobis homines, & perſecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum uos mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Porrò quum ſcriptum ſit: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſsit, ſiue bonum ſiue malum: aderunt præſtò ipſi quoque impij, ac uidentes iuſtos glorioſos omni ex parte, quod nunquam futurum crediderunt, expaueſcẽt, & conſternatis animis erunt, atque inſperata piorum ſalus ita eos uret & percellet, ut ad pœnitentiam, tametſi ſeram (iam enim miſericordia Dei nullum habebit locum, cum iuſtus iudex redditurus ſit unicuique ſecundum opera eius) adacti, errorem ſuum apertis uerbis teſtaturi ſint. De epulone illo ſatis claret, qualis pœna & cruciatus maneat eos qui hic impiè uixerunt: eam tunc quidem coràm & uidebunt, & quantas delicias accepturi ſint, qui piè in his terris Chriſto militarunt. Cæterùm in ſermone quem impijs tribuit, tria diligenter obſeruanda erunt: principio, quòd errorem confitentur. dicunt enim ſe eſſe inſenſatos, quòd ſcilicet de futuris nunquam cogitarint: adeo'que indignè ſanctos in hoc mundo tractatos eſſe, uel tandem agnoſcunt, cum illi ipſi ſint qui contempſerunt uitam mundi huius, ut peruenirent ad præmia regni: quos proinde inſanos iudicarunt, quòd contemnebant præſentem felicitatem. Deinde ubi uident eos computari inter filios Dei, hoc eſt ad conſortium angelorum & totius cœleſtis militiæ aſſumi, qui ſibi nunc aſcribunt & tribuunt inſaniam, qui in hoc mundo & pro ſanctiſsimis habeban-

2. Cor. 5.
a 1 Theſ. 4.
Lucæ 16.
b Matth. 5.

habebantur, & ſanctos hoc nomine deridebant, quòd in gratiam Chriſti nullum non crucis genus
a Ioan.16. patienter ſubibant. Poſtremò quantum dolorem, quantamq; miſeriã habituri ſunt illi, qui tunc abripientur ad infanda tormenta, ubi (ut Scriptura di
Eſaiæ ult. cit) uermis non moritur, & ignis non extinguitur: præſertim quòd piorum ſolatia & gaudia incomparabilia animis uoluent, quæ (ut Chriſtus dixit [a]) nemo unquã auferre poterit. Ergo tollat unuſquiſq; crucem ſuam, & ſequatur ipſum Chriſtum per ignem & aquam, & pius Dominus inducet eum in refrigerium.

FESTO CELEBRI ASCENSIONIS DOMINI LEctio, Actuum Apoſtolorum Cap. 1.

PRimum quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere & docere, uſque in diem qua præcipiens Apoſtolis per Spiritum ſanctum, quos elegit, aſſumptus eſt: Quibus & præbuit ſeipſum uiuum poſt paſsionẽ ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et conueſcens præcepit eis, ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſsionem patris, quam audiſtis, inquit, per os meum: quia Ioannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael? Dixit autẽ eis: Non eſt ueſtrûm noſſe tempora uel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate: ſed accipietis uirtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in uos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ. Et cum hæc dixiſſet, uidentibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cumq; intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo uiri aſtiterunt iuxta illos, in ueſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à uobis in cœlũ, ſic ueniet, quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum.

EXPLICATIO.

De Theophilo iſto, cui Lucas hiſtoricos libros ſuos dedicauit, multi diſputant, Epiſcopus'ne, an magnas aliquis, uel communis omnium ueritatis & Dei ſtudioſus fuerit. At ut parũ refert, ſic ſufficiat quòd Lucas hic omnem Chriſti uitam in facta et doctrinam partitus eſt. Scribit aũt: Quanquam dubium non eſt, quin tota Ieſu uita fuerit unicum exemplar abſolutæ pietatis: tamen omiſsis his quæ in medio geſta ſunt, ea potiſsimùm tractanda in præſentiarum ſuſcepimus, quæ nouimus exhibita per illum, uel in lege adumbrata, uel à Prophetis promiſſa, & quibus orbi tradidit nouam & Euangelicam philoſophiã. Harum rerũ ſeriem proſecutus ſum (inquit Lucas) ad eum uſq; diem, quo, poſteaquã rediuiuus à morte præceperat Apoſtolis ſuis, ut accepto Spiritu ſancto prædicarent Euangelium cunctis totius mundi nationibus, receptus eſt in cœlum, unde uenerat. Et proinde frequenter illis apparuit, non quemadmodum ſolent ſpectra: ſed uarijs & euidentibus argumentis declarans, ſe uiuum recepiſſe corpus.
D. Auguſtin. de ago. Chriſt. cap. 24. Neſcire plures quale ſit hoc corpus, cum luce clarius ſit, audiamus D. Auguſtinum. ait ille: Nec audiendi qui negant tale corpus Domini reſurrexiſſe, quale poſitũ eſt in monumento. Si enim tale non fuiſſet, ipſe non dixiſſet poſt reſurrectionẽ diſcipulis: Palpate & uidete, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut uidetis me habere. Sacrilegum eſt enim, credere Dominum noſtrũ, cum ipſe ſit ueritas, in aliquo fuiſſe mentitum. Et poſt pauca: Si enim potuit ante paſsionem clarificare illud, ſicut ſplendorem ſolis: quare non potuit & poſt paſsionem, ad quantam uellet ſubtilitatem in temporis momento redigere, ut per clauſa oſtia poſſet intrare? &c. Porrò Dominus Ieſus non ſolùm præbuit ſeſe conſpiciendum oculis, audiendum auribus, contrectandũ manibus: uerumetiam familiariter cum illis uiuens, cibum unà cœpit: quo non aliud uiui corporis certius indicium. Interim miſcuit frequenter cum illis colloquium de regno Dei. Regnum Dei ſecundum diſpenſationem duplex eſt: cœleſte uidelicet, & terrenũ. Diſſeruit ergo de uita beata, de immortalitate & uita perpetua: deniq; quomodo per prædicationẽ Euangelicam corda piorum parari poſſint ad aduentum ſancti Spiritus, ut Dei templum fiant. Sic per quadraginta dies cõtinuos diſſeruit, reuocãs illis in memoriã quæ geſſerat et docuerat ante mortem:

*tenent tandẽ agnoſcerent, nihil non eueniſſe quod
ille prædixerat euenturum: ſimul monens, quid in
poſterum eſſent uel facturi uel expectaturi. Do-
minus autem ubi uetuit, ne mox proſilirẽt ad tam
ardui muneris functionem, ſed Hieroſolymis con-
gregati expectarent Spiritum ſanctũ, quem ante-
quam moreretur promiſerat illis, alterum cõſola-
torem mittendũ à patre, ac dixiſſet: Hactenus tan
tum præluſum eſt quibuſdam ad Euangelicã func-
ctionem rudimentis: Ioannes baptizauit aqua, ſpi
ritum non contulit. nullus enim hominũ illum con
ferre poteſt: nec aliud prædicauit quàm pœniten-
tiam, quód inſtaret regnum cœlorũ: nunc opus eſt
ualidioribus præſidijs, ad nouam doctrinam nouo
ſpiritu opus eſt: ſpiritu copioſo, ſpiritu cœleſti, ſpi
ritu igneo. Audientes hæc diſcipuli, ſtultã ingerũt
de futuro Iſraelis carnali imperio opinionem. Non
uolebant (inquit Chryſoſtomus) ſeſe conijcere
in pericula, ſed reſpirare potius ac refocillari. Et
omnino futurũ erat, ut regnaret Iſrael, nõ ille car-
nalis, ſed qui uerè hoc nomẽ promeruiſſet: hoc eſt,
qui uerè fortis eſſet Deo. Hoc non intelligentes di-
ſcipuli, felicitatem quandam ſomniabant, quæ li-
beraret ipſos ab omnibus malorum perſecutioni-
bus. Verùm id nõ erat futurum ante mundi finem.
Dixit ergo ad illos: Nolite quærere quod nõ ex-
pedit ſcire. Tantum fidite: & quod mandatum eſt,
peragite. Veniet omnino regnũ Dei, quo pijs et im
pijs ſua pro factis præmia tribuentur: quo aũt die,
aut quo menſe, qua'ue hora, hoc pater uni ſibi ſer-
uauit. Et interim exeret ſe regnũ ſpirituale, in quo
aſſerendo Deus pater ueſtram requirit operam:
cui rei quoniam ex ueſtris uiribus impares eſtis,
Spiritus ſanctus (ita ut ſum pollicitus) cœlitùs
effundetur in uos robur animis ueſtris additurus.
Id ubi factum fuerit, eritis mihi teſtes: teſtes quidẽ
redemptionis per crucem meam, quam primùm an
nunciabitis Hieroſolymis, iuxta Prophetam [a] di-
centem: De Syon exibit lex, & uerbum Domini
de Hieruſalẽ: mox per omnem Iudæam, deinde per
Samariã: poſtremò per uniuerſas orbis nationes,
quamcunq; gentes humanæ terram incolunt. O-
mnibus enim ex æquo ueni, omnib. mortuus ſum,
omnibus offertur Euangelij gratia. Hoc ſermone
Dominus Ieſus diſcipulos ſuos in unum collectos
in Bethania affatus eſt. Quo finito bene precatus
illis, ſub oculis omnium ferebatur in cœlum, do-
nec nubes cãdida Ieſu corpus ſubduceret illorum
aſpectui. Hoc ſignum erat, ipſum in cœlum ferri.
Nam nubes cœli ſymbolum eſt, dicẽte Propheta:
Qui poſuit in nube aſcenſum ſuum, &c. Pſal. 103.
Et Beda interpres: Vbique creatura (ait) ſuo
creatori præſtat obſequium. Aſtra indicant na-
ſcentem, patientem obnubunt: nubes recipiunt a-
ſcendentem, redeuntem ad iudicium concomita-
buntur. Quum igitur Dominus nube tectus fer-
retur in ſublime, perſiſtebant diſcipuli defixis in
cœlum oculis: uſqueadeò non poterant auelli ab
eo, quem unicè diligebant. Expectabant autem,
ecquid etiam nouæ rei oſtenderetur è ſublimi.
Adſunt igitur repentè duo nuncij cœleſtes, ſpecie
humana, ueſte candida. ſpecies excludebat hor-
rorem: candor ueſtis congruebat nuncio prope-
ranti ad gloriam. His uerbis amicis diſcipulorum
mœrorem ex digreſſu Domini conceptum leni-
bant, et ab inutili ſuſpectu reuocabant ad officiũ:
Viri, inquiunt, Galilæi, quur hic ſtatis defixis in
cœlũ oculis? Hic ille Ieſus ſublatus à uobis, redijt
in cœlum unde uenerat: quemadmodũ frequenter
ab eo audiſtis, quòd profectus eſſet à patre, &
quòd uobis in mundo relictis rediturus eſſet ad
patrẽ. Non raptus eſt in aera (quemadmodũ He- 4.Reg.2.
lias) ſed receptus eſt in regiã patris, illic cõſeſſur*
ad dexterã. Conſpexiſtis illum uiſibili quidẽ, ſed
immortali corpore proficiſcentẽ in cœlũ. Sic olim
rediturus eſt, ut iudicis ſpeciem agnoſcant, qui hic
Seruatoris ſpeciẽ agnoſcere noluerũt. D. Augu-
ſtinus ad Dardanũ: Memoriter recole, inquit, &
fideliter tene Chriſtianã cõfeſſionẽ, quoniã Chri-
ſtus reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlũ, ſedet
ad dexteram patris, nec aliunde q̃ inde uenturus a Eſaiæ 2.
eſt iudicare uiuos, mortuosq; iudicandos: & ſic
uenturus eſt, illa angelica uoce teſtante, quemad-
modũ ire uiſus eſt in cœlum, id eſt in eadem carnis
forma atq; ſubſtantia: cui profectò immortalitatẽ
dedit, naturam non abſtulit. Hæc ille.*

DOMINICA EXAVDI EPISTOLA BEATI
Petri, prima Petri Cap. 4.

ESTote prudentes, & uigilate in orationibus. Ante omnia autem mutuam in uobiſmetipſis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hoſpitales inuicem ſine murmuratione. Vnuſquiſquis ſicut accepit gratiam, in alterutrum adminiſtrantes illam, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex uirtute, quam adminiſtrat Deus: ut in om-

nibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum: cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

EXPLICATIO.

Vbiq; ſollicitos uidemus Apoſtolos, ut tradita fidei doctrina, mores quoq; noſtros ita forment,
Matth.24. *ut per omnia doctrinæ reſpondeant. Quemadmodum ergo Chriſtus occaſione accepta à iudi-*
Lucæ 12. *cio, ita Petrus quoque ad ſobrietatem, uigiliam & orationem animat. Hoc ipſum Scripturæ quoque paßim teſtantur, apud Ioelem uidelicet, ac alios*
Ioel.2. *pios uates. Eſt autem Chriſtianorum ieiuniũ, perpetua à ſuperfluo cibi ac potionis uſu, imò ab omni peccatorum genere abſtinentia. ita enim docet D. ille Baſilius, cum inquit: Non ſufficiens eſt per ſeipſam abſtinentia ciborum ad laudatum illud ieiunium: ſed ieiunemus ieiunium acceptabile, complacens Deo. Verum ieiunium eſt, abalienatio à malo, continentia linguæ, iræ inhibitio, cupiditatũ ſeparatio, item'que detractionis, mendacij, periurij: abſtinentia ab his, uerum eſt ieiunium. Hæc Baſilius. Eſt iteque non tam utile quàm neceſſarium, ut perpetuis exhortationibus ad temperantiam & ſobrietatem inuitemur. Neque negari poteſt, quin in tantis aduerſitatũ procellis indeſinẽti ad Deum clamore opus ſit. Hinc fit, ut ad mutuum quoque inter nos amorem Petrus nos cohortetur, charitatem uerò non quamuis commendat, ſed intentam ſiue uehementem, quam alibi uocauit carentem fuco. Eſt enim ſimulata charitas, manifeſta inuidia peſtilentior. Equidem ex multis liquet Scripturis, ſecundum fidem nihil eſſe charitate uel precioſius uel præſtabilius. Vbi aũt eſt illa uirtus, ibi & tolerantur omnia, & facilis eſt omnium condonatio, & de damno ſarciẽdo potius q̃ de dando cogitatur: id quod D. apoſtolus Petrus hic uocat multitudinem peccatorum cooperire. Charitati affinis eſt Hoſpitalitas: proinde hanc adiungit, & in hac cõprehendit omnia alia Chriſtianorum officia, ſiue miſericordiæ opera: Matth.25. Illa porrò omnia debent eſſe ſpontanea, ac proficiſci ex pectore facili & beneuolo. Hilarem enim datorem requirit Deus. 2. Corinth. 9. Iam cum uaria ſint dona, & in immenſum ſe extendant charitatis officia: Petrus uno uerbo omnia complectens, generalem tradit regulam, qua ſingula dignè adminiſtrentur: Vnuſquiſque, ait, donum ſibi à Deo datum uelut diſpenſator bonus ac fidelis in gloriam Dei & utilitatem proximi diſtribuat. Docendi igitur donum nactus, & ad hanc prouinciam legitimè uocatus es, probè conſidera, cuius tandem & uerbum ſit quod prædices, & officium illud quo fungeris. Verbum quod concreditum eſt tibi, Dei eſt. non igitur pro tuæ rationis captu, ſed iuxta ſpiritus intellectum quem Deus ſuppeditat, communica, timens ne præter uoluntatem Dei uel dicas aliquid uel imperes, & inueniaris tanquam falſus teſtis Dei. Nemo dominus eſt eius quod accepit: diſpenſator eſt tantum. domini res eſt quam diſpenſat: omnia enim diſpenſat Dominus ſapiens, ut ipſum agnoſcamus, & ijs utamur donis ad proximi ſalutem, & Chriſti gloriam. Ea eſt de omnibus officijs ſiue Eccleſiaſticis ſiue politicis D. Petri ſententia: nimirum ut cum ordinatio ipſiſſima Dei ſint, cui phas non ſit reluctari, ea etiam cura ubique adhibeatur, quòd rectè & iuxta Domini uoluntatem gerantur omnia. Magiſtratus ergo non ſuo robore niti debet, id quod tyranni ſolent: ſed meminiſſe debet, quòd miniſter Dei eſt, qui iuſtus eſt, & iuſticiam ac æquitatem amat. in his ergo conſtans et fortis ſit: præſit (inquam) & imperitet: ſed ſecundum uoluntatem et robur Dei, non ſecundũ affectus humanos. Damnantur ergo hic à Petro, qui uel ſontes non plectunt, uel innoxios non aſſerunt de nocentiũ tyrannide. Præfuerũt olim populo Dei Dauid, Ezechias, Ioſias, & multi alij uiri ſancti: ſed in uirtute quam Deus ſuppeditat. Ita et nunc omnib. ad hunc modum rectè & bene adminiſtratis, poſtea etiam glorificatio nominis Dei per Chriſtum, cui iugis eſt gloria, ſequi uel ultrò ſolet.*

GLORIOSO DIE PENTECOSTES LECTIO,
Actuum Apoſtolorum Cap.2.

ET cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco. Et factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus uehementis: & repleuit totam domum, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſedit'que ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui uarijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Hieruſalem habitantes Iudæi, uiri

uiri religioſi ex omni natione quæ ſub cœlo eſt. Facta autem hac uoce, conuenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Non'ne omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt? Et quomodo nos audiuimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudęam & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphiliam, Aegyptum, & partes Libyæ quæ eſt circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoq; & Proſelyti, Cretes & Arabes, audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.

Proſelyti erāt, qui de gentib. originem ducētes, circumciſionem & Iudaiſmum recipiebant.

EXPLICATIO.

Cum olim legem eſſet laturus Dominus De⁹, & Iudaico populo per Moſen promulgaturus, quinquageſimo ferè die poſteaquam & paſcha ſuum comederant, & ex Aegypto profecti fuerant, hoc ipſum facere uoluit. Idem ordo hic quoque ſeruatus eſt. ferè enim quinquageſimo die, poſteaquam uerus ille agnus Dei Chriſtus & immolatus fuerat et à mortuis uiuum ſe exhibuerat, ſpiritum ſuum Deus miſit, qui præſentia ſua auditam Euangelij doctrinam in cordibus Apoſtolorum & confirmaret, & imbecilles eorum adhuc animos contra Satanam ac mundum fortes & intrepidos redderet. Qualis autem uenit? Num idem hic terror erat, atq; is fuit cum [a] legem Deus Moſi daturus eſſet? Minimè. Vehementi quidem uento, ſed tamen & iucundo uenit. Flatus erat cœleſtis, inde uenıēs quò profectus fuerat Chriſtus: ſignificans doctrinam ſancti Spiritus mira felicitate & ſucceſſu incredibili per uniuerſum orbem fore propagandam: neq; quenquam tam fore potentem, qui eiuſmodi ſucceſſui reſiſtere poſſit. Apparent & igneæ linguæ, linguarum & eruditionis gratiam, authoritatem & feruorem doctrinæ eccleſiaſticæ notantes. Hæ denique fuerunt diſſectæ propter donorum diuerſitatem: atque ut intelligamus, donū hoc fore perpetuū, uniuſcuiuſque capiti inſederūt. Idem ſpiritus afflauit omniū animos. Idem ignis accendit omniū pectus ac linguā. Nec mora, uiſibile ſignū uis doni cœleſtis eſt conſecuta. Siquidem illi, ueluti ſubitò tranſmutati in cœleſtes homines, cœperunt loqui diuerſis linguis, quas cœlitùs illis indiderat ſpiritus. Et hæc linguarū cognitio Apoſtolicis uiris omnino neceſſaria erat, ad cœleſtem doctrinam per omniū linguarum gentes diſſeminandam. Erat autem ea ciuitas theatrum idoneum huic nouæ & inauditæ rei. Siquidem ob urbis celebritatem, & ob Pentecoſtes religionem plurimi tum agebant Hieroſolymis, non ſolùm ex omnibus Syriæ partibus, uerumetiam ex omnibus regionibus, inter quos erant plurimi quibus cordi erat pietas. Omnes autem uehemens quædam habebat admiratio, atq; inter ſeſe diſputabant, qui fieret, quod nec auditum unquam fuerat, neque lectum. Dicebant autem: Ecce rem nouam? Ex tot nationibus, ex tam diuerſis linguis conflati, audimus & intelligimus illos, qui patria Galilæi ſunt, loquentes non res uſitatas aut humanas: ſed ſublimia, ſed magnifica, ſed Deò digna. Quid hoc ſibi uult?

a Exod. ca, 19.

SACROSANCTISSIMAE TRINITATIS DIE

Epiſtola, beati Pauli ad Rom. Cap. 11.

O' Altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

EXPLICATIO.

Iudæi ab initio populus Deo chariſſimus, fuerunt diuinis beneficijs & muneribus ita adfecti, ut nō immeritò Pſaltes [b] dixerit: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis: & tamen reprobati et reiecti ſunt, adoptatis in locum illorum gentibus. Has Dei ordinationes ac diſpenſationes (docente Theophylacto) quibus & per quę hic mundus conſiſtit, qui per contraria diſpenſet atq; gubernet, ac per alios inobedientes & incredulos, alios credulos efficiat, reputans ſecum D. Paulus, obſtupuit, ac rerum difficultate ſuperatus, exclamauit: O' profunditatē exuberantiſſimæ ſapientiæ diuinæ, ut nullis humanis mentibus illius iudicia deprehendi aut percipi poſſunt:

b Pſal. 147.

ut cõſiliorum rationes nullus creatus intellectus peruestigat? Quòd ergo ſapientia Domini ſic uel ſic, hoc aut alio modo agit, neque ſcrutari conuenit, neq; rimari poteſt. Viæ quoq; eius, hoc eſt inſtituta animiq; conſilia, ut peruestigari curioſius non debent: ita quoq; à nobis inueniri nõ poſſunt. Quæ uerò ſequuntur, ſumpta ſunt ex cap 40. Eſaiæ, ubi ſic legimus ſcriptum: Quis inſtituit mentem Domini? aut quis adfuit ei conſilio, ut eum docuerit? Quem cõſuluit ut ſe erudiret, ac uiam iudicij doceret? & erudiuit eum ſcientia, et uiam prudentiæ oſtendit illi? Porrò, quemadmodũ quæ ſupra nos, nihil ad nos (ut ſapientiſſimus Socrates dixit) ita ſanè nullo modo in ius uocare ipſum Deũ poſſumus. Ipſe ſuo arbitratu quomodo, quãdo, et cui uult dona ſua diſtribuit: idq; ea lege, ut ſi quãdo repoſcere quod dedit libitũ ſit, facere hoc ipſum ſine omni controuerſia poſſit. Et propterea Paulus: Quid, inquit, ſummo Deo dediſti, aut cõcrediditi? Quid obſecro tibi debet? Certè nemo factori ſuo prior contulit: quippe cum etiã hoc ipſum quod eſt unuſquiſq;, à conditore ſuſceperit. Profectò ſi quippiã apud ipſum depoſuerras, iurè poteras repetere. Quod aũt dicit apoſtolꝰ Paulus, Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: oſtendit unde id quod uel poſſumus, uel habemus, nacti ſimus ab ipſo ſcilicet ſummo Deo, qui eſt fons omniũ bonorum. omnia ex ipſo habent principium, & per ipſum facta ſunt (ſic enim ſcribit Theophylactus) et in ipſum ceu fundamentũ quoddam uergentia, euntiaq; conſiſtunt & cõtinentur. Cæterum plerunq; hic mos D. Paulo eſt, ut quum arduũ quiddam dixerit, cum gratiarumactione ſermonem finiat & concludat: hoc nunc quoque faciens, dicit: Quandoquidem quicquid eſt bonorum, ex ipſo proficiſcatur, uelut è fonte: per ipſum confertur, uelut autorem: in ipſo eſt, uelut in tutore custodeq; munerum ſuorum: idcirco ipſi uni debetur honor, laus & gloria, in omne æuum: Amen.

DOMINICA PRIMA POST TRINITATIS,
Prima Ioannis Cap. 4.

IN hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitũ miſit Deus in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc eſt charitas, nõ quaſi nos dilexerimus Deum: ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Chariſsimi, ſi Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo uidit unquam. Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt. In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſancto ſuo dedit nobis. Et nos uidimus & teſtificamur, quoniam pater miſit filium ſuum ſaluatorem mundi. Quiſquis confeſſus fuerit, quoniam Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognouimus, & credimus charitati quam habet Deus in nobis. Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta eſt charitas nobiſcum, ut fiduciã habeamus in die iudicij: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. Timor nõ eſt in charitate, ſed perfecta charitas forãs mittit timorem, quoniam timor pœnam habet: Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, Quoniam diligo Deum: & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem uidet, Deum quem nõ uidet, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatũ habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.

EXPLICATIO.

Non potuiſſet magnificentius à diuo Ioanne diuina erga nos charitas commendari. Magnus æſtimatur, & meritò, Abraham, qui filium ſuum
Gene. 22. *Deo dederit. Hic autẽ nihil offert creatura creatori, ſed ipſe creator Deus ſummus, filium ſuum nobis impendit, & unigenitum quidem illum. Quæris qua de cauſa? Reſpondetur, ut uitam nobis, quibus alioqui propter incredulitatem æterna mors debebatur, ſanguine ſuo emereretur. Iam amplificat charitatem Dei erga nos ſummam, & ait: Non ipſi nobis ſalutem noſtris parauimus meritis, ſed ille elegit nos ex gratia: quare ſalutem noſtram, ac pro peccatis ſatisfactionem ſoli clementiæ diuinæ acceptam referamus oportet. Et certè charitatis eius primaria cauſa hæc exiſtimanda eſt, quòd benigniſſimus*

mus ille Chriſtus, precioſiſſimum pro nobis miſerrimis peccatoribus ſanguinem effundere dignatus eſt. Adaptat nunc D. Ioannes exemplum ad ſuum inſtitutum: Si, inquit, Deus tanto nos amore complexus eſt, ut ne filio quidem prædilecto noſtri cauſa pepercerit: certè iuſtiſſimũ & æquiſſimum eſt, ut etiam nos mutuò diligamus, nec uulgariter quidem, ſed impenſè. Cæterùm ſi quis in ea eſſet ſententia, quaſi ſcilicet is qui nobis in charitate imitandus præponitur, uiſibilis ſit & corporeus: hic ſciat, inquit, Deum eſſe ſpiritualem ſubſtantiam, eoq; cultores requirere, à quibus in ſpiritu & ueritate colatur. Filius Dei ſe nobis uiſibilem exhibuit: cæterùm Deum patrem nemo uidit unquam oculis corporeis. Quòd ſi tu Deum alibi legas à Prophetis uiſum, id certè de aſſumpta forma uel ſpecie qua ſeſe uoluit mortalium oculis ingerere, intelligere debes. [a] Proinde ſpiritus ille charitatis, homini Deum, & Deo hominem coniungit. Quemadmodum idem ſpiritus membra corporis coniungit, & unum corpus efficit: ita ſpiritus Dei nos & cum illo et inuicẽ quodam modo conglutinat nectitq;, & uelut in unum cogit. Quòd ſi ſpiritus Dei qui mentibus noſtris afflat amorem proximi, uiget in nobis: nimirũ hoc argumento cognoſcimus, & quòd nos maneamus in Deo, & Deus uiciſſim in nobis. Quòd uerò dixit, Deum filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris miſiſſe: poterat alicui uideri infirmatũ per ſubiectam ſententiam, Deum nemo uidit unquam, quaſi Chriſtus non ſit Deus: atteſtatur Ieſum eſſe filium Dei, qui redimendo mortalium generi ſemetipſum impenderit. Et huius, inquit, rei ſpectatores fuimus, & teſtimoniũ perhibemus orbi terrarum, quòd pater miſerit filium ſuum, cuius morte mundus ſeruaretur. Addit autem, ad religionem pertinere, ut credamus Ieſum eſſe filium Dei. Niſi enim ſic credas, profectò neq; tu in Deo eris, neq; Deus in te manebit. Supereſt quoque, ut in eo quod cœptum eſt perſeueremus: neq; committamus, ut & Deus diuellatur à nobis, & nos à Deo diſtrahamur. Qui ergo perſeuerat in charitate, in Deo perſeuerat, ac uiciſſim Deus in illo, manẽte nexu mutuo ſpiritus diuini. Porrò ſi quis uult argumentum dari, quo deprehẽdatur an perfecta charitas ſit in nobis: duabus notis hoc ipſum deſignat. Prima, ſi cõſcientiam habuerimus in die iudicij inconcuſſam, nec formidemus illum iudicij diem, quo ſeparabuntur à Chriſto, qui Chriſtum non ſunt imitati. Hi trement, cum audient horrendam illam uocem, Diſcedite à me. Secunda, Si in hoc mundo inſtituerimus uitam noſtram ad exemplum Chriſti, ut & nos in innocentia uitæ, & ſumma uiuamus charitate, ſicut & ipſe uixit. Iudicij diuinij metus ex mala conſcientia naſcitur. Timor igitur non congruit charitati. Nam charitas fiduciam addit: quæ ſi perfecta ſit, propellet ex animo prorſus omnem formidinem. Gaudet autem, quoties ille iudicij dies in mentem uenit: primùm optimè ſentiens de bono Deo, & ſibi bene conſcia. Qui timet, hoc ipſo declarat ſe nondum perfectum eſſe in charitate. Veretur enim, ne parum clementem erga ſe experiatur Deum iudicem, qui ſe parum exorabilem præbuerit proximo. Ille dies aperiet, quis hic uerè dilexerit. Porrò uidetur nunc epilogum contexere D. Ioannes, eorum quibus hactenus inflammauit ad charitatem. Charitas oritur non ex homine, ſed ex Deo: quem ideo diligimus, quòd ipſe & amorẽ ſui prior inſpirauerit, & beneficijs ſuis ad amandum ſe illexerit. Neque enim nos illum amare poſſemus, niſi nos ad ſe traheret amore ſuo. Hoc ipſum igitur quod illum diligimus, illius beneficium eſt. In hoc aũt Epilogo aperit iuxta diuinum ſuum ingenium, magnificis uerbis non delectari Deum, ſed ſplendido charitatis opere. Qui enim fauſta precatur fratri egenti, interim inopiam eius cum poſsit non iuuat, nihil præſtitit. Dilectio enim Dei et proximi ita cognata ſunt, ut altera ſine altera non ſubſiſtat: & hoc colligit à cõparatis. Nam ea quæ coràm contuemur, plus mouent quàm ea quorũ mentionem tantum audimus. Si ergo habeas ſubſtantiam huius mundi, uideas autem fratrem tuum egere, et non communicaueris ei facultates tuas: iam nulla eſt in te Dei charitas. Ille enim ut inuiſibilis eſt, ita non poteſt niſi per ſpiritum ſuum habitare in pectoribus noſtris. Sed ſpiritus Dei comis eſt, benignus & miſericors. Tu uerò difficilis es et immiſericors: hæc itaq; facta palàm teſtantur, quòd ut ſpiritũ Dei non habes, ita neq; ipſum Deum diligas, neq; proximum. Dicit ergo Ioannes: Quid uerò multis opus? Ipſa Dei præcepta omnia in hoc ſunt tota, ut diligamus Deum, & proximum. Hæc eſt ſumma legis & prophetarum.

[a] Vide Tertullianũ & Ambroſium. Item Auguſtinum, de uidendo Deum.

DOMINICA SECVNDA POST TRINITATIS lectio, ex priori epiſtola Ioannis Cap. 3.

NOlite mirari ſi odit uos mundus. Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad uitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet

in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis, quia omnis homicida nō habet uitam æternam in ſe manentem. In hoc autem cognouimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animā ſuam poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & uiderit fratrem ſuum neceſsitatem patiētem, & clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus uerbo, neque lingua, ſed opere & ueritate.

EXPLICATIO.

Nuſquā non D. Ioannes in Canonica ſua charitatem urget & exigit: imò non ſolùm charitatē, uerumetiam fidem quoq; inculcat, è qua ceu fonte charitas dimanare ſolet. Quia uerò puſillus ille Chriſti grex, propter hanc fidei & charitatis doctrinam, omnium iniquorum cùm iniurijs tum calumnijs perpetuò etiam expoſitus eſt, ita ut morte etiam huius rei gratia multi adfecti ſint: conſolari credentes, ac contra id genus perſecutiones præmunire conatur. & proinde ait: Cum ab ipſo Geneſ. 4. *mox mundi initio piū occiderit impius, minus mirandum eſt, ſi uel noſtris temporibus pietas atque pij pariter exibilentur ab impijs omnibus. His autem conſolationis loco ſubijcit: Iam etſi cōtemnat adeò & occidat mundus, tamen nos de æterna ſalute certi ſumus: ſiquidem Euangelica charitas nos abduxit à ſtudio lædendi ad ſtudiū bene merendi. & hoc argumento cognoſcimus, quòd deſtinati ſumus æternæ uitæ, & exempti à mortis tyrannide, modò diligamus fratres. Nam ſignum ueræ fidei eſt charitas, ex puro corde & conſcientia bona. Ad eundem modum locutus eſt* Ioan. 5. *Chriſtus: Amen amen dico uobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit, ſed tranſiuit de morte ad uitam. Quia uerò charitas ferè oſtendit, ſit'ne fides noſtra ſolida & recta: pergit Apoſtolus de hac ipſa charitate pluribus agere, dicens: Vbi non eſt fraterna charitas, ibi non eſt ſpiritus Chriſti. Quiſquis igitur odit proximum ſuum, mortuus eſt, neque uiuit intus. Nam etſi fidem habet, mortuam habet, cum non adſit charitas. An ceu leuem culpam cōtemnitis odium fratris? Quiſquis odit fratrē ſuum, homicida eſt. Non damnat illum lex hominum homicidij, ſed apud Deum iam homicidij damnatus eſt. Quòd ſi miraris, qua ratione homicidā uocarit Apoſtolus eum qui odit fratrē: audi, quid de Abrahā uolente filium mactare, nec tamen mactante, ſcribitur:* Gen. 22. *Quia feciſti hanc rem, et non peperciſti filio tuo, &c. Ex quibus omnibus colligimus, & deſtinatā* Eraſmus. Tibulliana hac ſententia nihil celebratius. *uoluntatem reputari à Deo pro ipſo opere. In qua ſententia fuerunt & illi apud gentes, qui dixêre: In magnis & uoluiſſe ſat eſt. Porrò in morte manet, qui agit uitam flagitijs undique ſcatentem, ex quibus exiſtit mors. Ideo uerò hinc non ſequitur, ergo omnes homicidæ damnabuntur. Nā* [a] *David & latro* [b] *Euangelicus, homicidæ fuerunt. Et tum quidem non habuerūt uitam in ſe manentem, cum opera patrarent mortis: at fideli pœnitentia innocentiam reparauerunt. Cæterùm ſi mirabitur forſan aliquis, quomodo fratres ſint diligēdi: quis, inquam, ſit modus, & quæ ſit ratio charitatis Chriſtianæ: is ſciat, Chriſtum Ieſum huius negocij eſſe abſolutiſſimum exemplar. Hic pro nobis mortuus eſt: unde conſequens eſt, Chriſtianorū charitatem debere eſſe ſummam. Ad mutuā ergo concordiam, & mutuum inter nos amorem, Chriſti exemplo nihil poteſt eſſe efficacius. Neq; enim illius erga nos amor uulgaris fuit. Non ſolùm enim ita dilexit nos, ut deſerto ad tempus cœlorum regno humanæ imbecillitatis particeps noſtri cauſa factus ſit: uerumetiam ſanguinem ſuum pro peccatis noſtris tandem in ara crucis effuderit. Iam ſi Chriſtus amorem ſuum erga nos ita declarauit, ut etiam uita ſua chariores ſibi nos fuiſſe oſtenderit: quis igitur æquum eſſe neget, ut nos quoque pro fratrib. animas ponamus? Eam ob rem arguit Apoſtolus illos: Si, inquit, terrenas opes fratri non impertitis, quæ interim inſtabiles, temerè & diſperduntur & congregantur: tantum abeſt ut in gratiā afflicti fratris mortē ſubire ſuſtineatis. Sic aūt nulla in uobis erit charitas Dei, quæ diuinitùs inſpirata, ad exemplum Chriſti filij Dei formata ſit. Viſcera autem dicuntur, omnia interiora hominis. Quia uerò in præcordijs, ut Platonici quoq; uolunt, adfectuum ſedes eſt: hinc uſurpantur uiſcera pro rebus ipſis quas cōtinent, concupiſcentia ſcilicet, odio, gaudio, &, ut hic, miſericordia. Demū elegāti ſentētia totū ꝓponit charitatis negociū. Et uerbo quidē mira gratia oppoſuit opus, linguæ ueritatem, & ait: Ne diligamus nos inuicē uerbotenus. In animo ſit charitas potius quàm in lingua, & factis ſe promat potius quàm uoce. Sit fraternum uocabulum in ſermone quotidiano, ſed ut ueri ſimus, & orationi facta reſpondeant: quoties ſe dederit occaſio, re declaremus in nobis eſſe uerè fraternum amorem.*

a 2. Reg. 12.
b Lucæ 23.

DOMINICA TERTIA POST TRINITATIS

Epiſtola, beati Petri apoſtoli, 1. Cap. 5.

HVmiliamini ſub potenti manu Dei, ut uos exaltet in tempore uiſitationis, omnem ſollicitudinem ueſtram proijcientes in eum: quoniã ipſi cura eſt de uobis. Sobrij eſtote, & uigilate, quoniam aduerſarius ueſter diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide, ſcientes eandem paſsionem ei quæ in mundo eſt, ueſtræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui uocauit uos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitq́ue: ipſi gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

EXPLICATIO.

Præcipua peſtis mutui conſenſus & obedientiæ mutuæ, eſt arrogãs ſuperbia. Proinde ut hanc ex pectorib. eijceret fidelium D. Petrus, *humilitatem quæ arrogantiæ & ſuperbiæ contraria eſt, cõmendat.* Humiliari *aũt in Scripturis dicitur, naturæ noſtræ & corruptionem & malitiã agnoſcere.* Sentit *ergo* D. Petrus *innocentiæ ſtudendum, & quòd ſemper ſimus in timore* Dei: *præſertim quòd ille nõ ita ſolùm noſtri curam gerit, ut tantũ urgente neceſſitate uictum & amictũ ſuppeditare uelit: uerumetiã in tribulationib. & anguſtijs pro nobis ſolicitus eſſe.* Hic Deus *ita afficitur, ita cura noſtri tãgitur, ut dicat, teſte* Propheta:[a] Qui *tangit uos, tangit pupillam oculi mei.* O' *uerè paternã promiſsionẽ.* Quare *etiam proijcienda eſt in illũ conſtantiſsimè ſolicitudo omnis, adeoq́; reſiſtendum forti animo ſatanæ, ut non in exitium pertrahat, ueluti* D. Petrus *quoq́; in ſequẽtibus dicit:* So*brij eſtote, &c.* D. Cyprianus *in ſermone de zelo & liuore:* Excubandũ *eſt, inquit, fratres dilectiſsimi, atq́; omnibus uiribus elaborandum, ut inim. co ſæuienti, & iacula ſua in omnes corporis partes, quibus percuti & uulnerari poſſumus, dirigenti, ſolicita & plena uigilantia repugnemus.* [b] Cir*cuit ille nos ſingulos, et tanquã hoſtis clauſos obſidens muros, explorat & tentat, an ſit aliqua pars membrorum minus ſtabilis & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur: offert oculis formas illices, & faciles uoluptates, ut uiſu deſtruat caſtitatem: aures per canorã muſicam tentat, ut ſonus dulciori auditu ſoluat & molliat* Chriſtiani *uigorem: linguam ad conuicium prouocat, manus iniurijs laceſſentibus ad petulantiam cædis inſtigat: ut fraudatorem faciat, lucra opponit iniuſta: ut animã pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia: honores terrenos promittit, ut cœleſtes adimat: oſtẽdit falſa, ut uera ſurripiat, &c.* Cum *igitur tam potentẽ aduerſariũ habeamus, opus eſt ut nos quoq́; uiciſsim cõtra inſidias illius armemur: quemadmodum nõ ſolùm* D. *ille martyr, uerumetiam* Paulus *&* Petrus *docent, admonentq́;.* Sed *quo armorũ genere?* Fide, *inquit: hoc eſt, cum aduerſarius ueſtræ ſalutis nullum non aditum tentat in uos, nũc inſidians per uoluptates, nunc oppugnans perſecutionibus: ne date locũ illi, ſed infractis animis obſiſtite.* Dicetis, *unde uires aduerſus tam potentem?* Potentior *eſt, qui curam habet ueſtri.* Illi *modò fidite totis animis, nihil poterit aduerſarius.* Adijcit *& aliud, quo animet & conſoletur tentatos, dicẽs:* Si *hunc aut illũ impeteret, fortaſsis eſſet iurè grauis afflictio: nunc uniuerſum piorum gregem pari impugnat odio.* Equidem *uerum eſt, non tantum in nobis eſſe fidei robur, quantum meritò eſſe debebat.* Sed *nihil eſt, cur huius rei gratia animum deſpondeas (ait* Petrus.) Nam Deus *omnis gratiæ, cõfortabit te in omnis generis tentationibus, ut ne uel* Satanæ *uel mẽbris eius præda fias.* Deũ *autem ipſum omnis gratiæ* Deum *uocat, quòd ab illo omne donum & beneficium deriuetur in nos.* Illud *porrò conſiderandum, quòd* Deus *credentes ad æternam ſuam gloriam uocauit per* Chriſtum, *idq́; ex mera bonitate.* Illius *igitur præſidio uincimus, illius munificentia capiemus præmium.* Iam *ergo imprecatur cœtui fidelium* Petrus, *ut* Deus *qui fidelibus ſuis aliàs ad opitulandum promptiſsimus eſt, ipſos inſtauret ſi uſpiam cœperint per negligentiam carnis deſtrui: inſtitutum ſanctum fulciat, ſi nutare incipiat: roboret, ſi infirmetur: & ſtabiliat, ne ſubſidat ſanctum* Dei *ædificium, ſed perſtet aduerſus omnes tentationis procellas, ut in membris ſemper glorificetur* Chriſtus, *qui laudandus eſt in ſecula.*

a Zach. 2.

b Diaboli uerſutia.

DOMINICA QVARTA POST TRINITATIS EPISTOLA

beati Pauli apoſtoli ad Romanos *Cap. 8.*

EXiſtimo enim, quòd non ſunt condignę paſsiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ, re-

uelationem filiorũ Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non uolens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus aũt, quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſq; adhuc. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi, primitias ſpiritus habentes. Et ipſi intra nos gemimus adoptionẽ filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri.

EXPLICATIO.

Vehementer D. Paulus ueteris hominis mortificationem urget, idq; nõ leui de cauſa. Nam niſi caro noſtra per ſpiritum ac fidem mortificetur, quis obſecro pro Chriſtianis nos habere queat?
Galat.5. *Qui Chriſti ſunt, inquit alibi, ij carnem ſuam cum affectibus & concupiſcentijs crucifixerunt. Et quidem mortificationẽ huiuſmodi non parũ adiuuant tentationes, aduerſitates, & alia huius uitæ incommoda. Eſt autem periculoſa res perſecutio, præſertim ijs qui uerbi cognitionem habent nullã. Hoc ipſum quum Paulus quoq; perſpectũ habeat, uoluit cùm Romanos tum Chriſtianos omnes uerbo conſolari, adeoq; ad fortiter ferendam tribulationem animoſiores reddere, dicens: Licet nonnihil in hac uita patiendum ſit, futuræ tamen uitæ gloria maior eſt, quàm ea ſit miſeria quã breui momento experimur. Quocirca pie auditor (uerbis utor Theophylacti) quia afflictiones ſunt præſentis temporis, id eſt tranſitoriæ, gloria uerò futuri ſeculi nunquam ceſſaturi & indiſſolubilis: aſpernare afflictiones, & amplectere gloriã, &c. Monſtraturus autem, quantam ſimus celebritatem & gloriam conſecuturi, inquit, quòd ipſa creatura in melius permutabitur. Idq; probat per anxiam illam omnium ſanctorum ſuper hac terra expectationem. Hi enim omnibus mundi uoluptatibus poſthabitis, per ignes & uaria tormenta, ad uitam contendunt futuram: id quod minimè facerent homines aliàs ſapientiſſimi, niſi æterna ac cœleſtia terreſtribus longè præſtarent. At uerò nemini obſcurum eſſe credo, quòd reuelationem filiorum Dei poſuit pro ipſa uita æterna, & creaturam pro ipſo homine, omnium creaturarum principe. Rurſus, quia dixerat ſanctos expectare, expectationis cauſam ſubijcit: Quia ſcilicet uanitati ſubiacet creatura. Homo equidem mallet hiſce malis, ærumnis & afflictionibus carere, & gaudio perfrui æterno. Cæterùm Deus, qui nihil non ſapienter diſpoſuit, uoluit hominem in hac lucta aliquò uſq; exerceri, inter ſpem et metũ fluctuare. Quæ uerò illa ſpes? quòd ipſe homo aliquando corruptibilitatem exuat, & immortalitatem induat. Nam libertatem gloriæ filiorum Dei dixit, pro glorioſa liberatione, qua liberabuntur omnes filij Dei. Quemadmodum enim Chriſtus reſurrexit, ita etiam illi reſurgent. Porrò argumentis uel ſermonibus (ut Theophylactus ſcribit) cogit auditorẽ contemnere præſentia, perinde ac ſi dicat: Ne ſis creatura inferior, neq; præſentibus lubens immoréris, ea'ue diligas: quin potius ingemiſcas, quòd futura nondũ tibi gloria perfrui liceat. Nam ſi uniuerſum ingemiſcit, quãto magis tu ex imo pectore ſuſpiria trahes? Porrò ubi oſtenſum eſt, quo pacto creaturæ ipſæ & patiantur, & liberationem filiorum Dei expectent: iam cùm ſuo ipſius, tum Apoſtolorum omnium exemplo & conſolatur et ad patientiam prouocat, ac perinde dicit: Si mundi odium & afflictionem nos, qui ſpiritus primitias accepimus, effugere non potuimus, & qui futura guſtauimus ingemiſcimus, quòd ea nondum ſumus aſſecuti: ſi nobis, quibus tam præclara & magnifica præ cæteris per Chriſtum contigerunt dona, æquo animo dies ille in quo Dominus nos liberabit, expectandus eſt: cur uos non idem tempus pari æquanimitate præſtolaremini? At quomodo, quum iam ſumus adoptati, aliam adoptionem præſtolamur? Audi: non eam dico, quæ per baptiſma obtingit, illam enim iam accepimus: ſed perfectam gloriã, quæ eſt in incorruptibilitate corporis. Hæc enim eſt redemptio conſummata, libertas, liberatioq; à morte & affectionibus, atque adeò huius terræ afflictionibus: quando non amplius auerti poterimus ab adoptione, ac in ſeruitutem peccati redigi.*

IN SOLENNITATE D. IOANNIS BAPTISTAE

lectio Eſaiæ prophetæ Cap. 49.

AVdite inſulæ, & attendite populi delongè: Dominus ab utero uocauit me, de uentre matris meæ recordatus eſt nominis mei. Et poſuit os ſuũ quaſi gladiũ acutum, in umbra manus ſuæ protexit me. Et poſuit me ſicut ſagittam electam. In pharetra ſua abſcondit me, & dixit mihi: Seruus meus es

tu

tu Iſrael, quia in te glorificabor. Et ego dixi: In uacuum laboraui ſine cauſa, & uariè fortitudinem meam conſumpſi. Ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. Et nunc hæc dicit Dominus, formãs me ex utero ſeruum ſibi, ut reducam Iacob ad eum, & Iſrael non congregabitur. Et glorificatus ſum in oculis Domini, & Deus meus factus eſt fortitudo mea. Et dixit: parum eſt ut ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & feces Iſrael conuertendas? Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſq; ad extremũ terræ. Hęc dicit Dominus redemptor Iſrael, ſanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad ſeruum dominorum: Reges uidebunt, & conſurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis eſt, & ſanctum Iſrael, qui elegit te.

EXPLICATIO.

Poſt uocationem reliquiārum Iſrael, & abiectionem in incredulitate populi permanentis (ſic enim loquitur D. Hieronymus) de quibus dixerat hic diuinus Vates: Non eſt pax impijs, dicit Dominus: tranſit ad Eccleſias de gentibus cõgregatas, & eis ſub inſularum nomine loquitur. Sed quid audient & attendere debent, populi ſiue gentes ab extremis finibus terræ? quòd ſcilicet Dominus Deus ab utero uocauit Chriſtum ſuũ. Hoc audientibus ualde obſcurũ uidebatur: poſtea autem cunctis gentibus notum factum fuit, quando Gabriel Ioſeph dixit:[a] Et uocabis nomẽ eius Ieſum. ipſe enim ſaluum faciet populum ſuũ à peccatis eorũ: Et quòd poſuit os eius quaſi gladium acutum, ut ſpiritu oris ſui interficiat impiũ. Habuit enim Chriſtus uiuũ ſermonẽ, & efficacẽ, & penetrabiliorẽ omni gladio ancipiti, pertingentẽ uſq; ad diuiſionẽ animæ & ſpiritus. Cæterùm ut hæc Eſaiã rectiſſimè de Chriſto dixiſſe & uaticinatũ eſſe exiſtimandum: nõ tamẽ abſurdè de beatiſſimo Chriſti baptiſta intelligentur,[b] ſi quis exactius hiſtoriã de ipſo cõtextã cõſideret. Rurſum de Chriſto dicit, quòd ipſum Deus pater protexerit manu ſua: hoc equidẽ factũ fuit, cum carnis uilitas diuinitatis potentia cõtegebatur, dicẽte angelo ad uirginẽ: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, et uirtus altiſſimi obumbrabit tibi. Quãdo uerò ſagittã electã dicit: oſtendit, habere Deũ ſagittas plurimas, ſed nõ electas: quæ ſagittæ Prophetæ ſunt & Apoſtoli, docẽte Hieronymo, qui in toto orbe diſcurrũt. Chriſtus aũt de multis ſagittis et filijs plurimis, una ſagitta electa fuit, eſt atq; erit ſemper: ſiquidẽ unigenitus Dei filius, ad quẽ pater:[c] Tu es, dixit, filius meus dilect°, in quo mihi bene cõplacui. Sunt igitur, qui per pharetrã Dei prouidentiã intelligũt, in qua abſconditus fuit uſq; ad tẽpus reuelationis, de quo ſic legis apud D. Paulũ:[d] At ubi uenit plenitudo temporis, miſit Deus filiũ ſuũ factũ ex muliere, factũ ſub lege, ut eos qui ſub lege erãt, redimeret. Ad hunc ergo filium ſuũ dixit Deus pater: Seruus meus es tu Iſrael. Seruus quidẽ: quia cum in forma Dei eſſet, formam ſerui eſt dignatus aſſumere: et Iſrael, quia natus eſt de ſemine Iudæorũ. In hoc ſeruo ſuo glorificatus eſt Deus pater, quãdo Chriſtus ex diuina potentia & poteſtate tam multa & ſtupenda edidit miracula. Dicenti autem iſta patri, reſpondit filius: Quomodo in me glorificatus es pater, cum in uacuum laborauerim? Miſiſti me ad oues perditas domus Iſrael: at magnam partem populi Iudæorum ad te reuocare non potui. Quia ergo noluerunt per me in te credere, iudicium meum apud te eſt, quòd omnia fecerim quæ eis facere a Matth. 1. *debui. Ego te glorificaui ſuper terram, manifeſtaui enim nomẽ tuum hominibus: & opus meum in conſpectu tuo eſt. Bene autem annotanda eſſe uidentur, quæ in hunc locum ſcripſit D. Hieronymus: Hæc uniuerſa, inquit, dicuntur, ut liberum hominis arbitrium monſtraretur. Dei enim uocare eſt, & noſtrum credere: nec ſtatim ſi nos non credimus, impoſſibilis Deus eſt, ſed potentiam ſuam noſtro arbitrio derelinquit, ut iuſtè uoluntas* b Luc. 1. *præmium conſequatur. Hæc ille. Porrò ut diuinus uates totum de Chriſto Domino myſterium uidit et intellexit: ſic ſanè oſtendit; formatũ hunc ſeruum Dei ſtatim in utero matris ſuæ. Ad quid autem? Vtiq; ut reduceret Iacob, qui deſerto creatore idolis ſeruiebat. Illis enim, quod etiam Paulus dixit, annunciãdum erat Euangeliũ, propter pro-* Rom. 15. *miſſiones patribus factas: quando autem illi repulerunt, gentes in gratiam ſuſceptæ fuerunt. Ait ergo Deus pater ad filium: Parum eſt, ſi ſeruias mihi* Act. 13. *ad ſuſcitandas tribus Iacob, & reliquias Iſrael conuertendas, quæ ſuo uitio corruerũt: pro illis enim* c Matth. 3. *dedi te lucem gentiũ omnium, ut illumines uniuerſum mundum, & ſalutem meam, per quam omnes ſalui fiant, facias ad ipſum peruenire. Si quis Apoſtolorũ actis fidẽ adhibet, hoc certè Prophetæ dictum adimpletũ affirmabit, quemadmodũ quoq;* d Galat. 4. *Chriſtus ipſe prædixit futurũ: Eritis mihi teſtes,* Actor. 1. *&c. Et hæc dixit Deus pater redemptor Iſrael,*

quando

quando dedit filium ſuum pro eius redemptione: et ſanctificator ipſius ad Chriſtum, qui abominationi eſt genti Iudæorum, qui ſeruus fuit principum,
Vide Euangelium. *& tam humilis, ut ſtaret ante Annam & Caipham, & crucifigendus Pilato & Herodi mitte-*
a Pſal. 2. *retur. Quòd uerò Propheta ait: Ecce dies uenient, ut reges uideant, & cōſurgant principes, & adorent: enimuerò hoc factum fuit, quando ab oriēte*
b Matth. 11. *uenientes Magi, apertis theſauris ſuis Chriſtū ado-*
Matth. 2. *rauerunt. Et denuò fiet, quando uenerit in gloria patris Chriſtus: tunc enim adorabit eū omnis terra, et omnes gentes ſeruiēt ei, ſicut ſcriptū eſt: idq; facturi propter Dominū patrem ſuum, qui elegit eum, ubi dixit: Tu es filius meus, ego hodie genui te:*[a] *Poſtula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & poſſeßionem tuam orbem terrarum. Et hic quidem ſanctus ſanctorum elegit ſibi magnum uirum in præcurſorem, Ioannem baptiſtam, de quo dixit:*[b] *Quoniam inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne baptiſta.*

DOMINICA QVINTA POST TRINITATIS

Epiſtola beati Petri Apoſtoli. 1. Petri Cap. 3.

OMnes unanimes eſtote in oratione, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles, non reddētes malum pro malo, uel maledictum pro maledicto, ſed econtrariò benedicentes: quia in hoc uocati eſtis, ut benedictionem hæreditate poſsideatis. Qui enim uult uitam diligere, & dies uidere bonos, coerceat linguā ſuam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonū: inquirat pacem, & ſequatur eam: quia oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum: uultus autem Domini ſuper facientes mala. Et quis eſt qui uobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Sed ſi quid patimini propter iuſticiā, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, ut non conturbemini. Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus ueſtris.

EXPLICATIO.

Hæc lectio ad formandā conuerſationem noſtram tota pertinet. D. enim Petrus cum peculiari præcepto uiros & uxores, quo inuicem modeſtè ac ſecundum ſcientiam cohabitarēt ubi admonuiſſet, cœpit poſtea in genere quædam præcepta morum tradere. Principiò, inquit, quemadmodum eadem eſt omnib. profeßio, ſicut per baptiſmum eidem eſtis inſiti corpori: ita per concordiā ſit idem omnium animus. Ita demum præſtabitis uerè fraternam charitatem. ſi qui feliciores ſunt, non faſtidiant infortunatos, ſed malis illorum indoleſcentes, pro uiribus opitulentur: ſi qui potentia præminent & authoritate, nō premant ac de-
c D. Hieronymus. *ſpiciāt humiliores, ſed cōſuetudinis comitate affabilitateq; ſemet inferioribus accomodent, ut ſit æqualitas: et quos fortuna ſeparauit, cōiungat Chriſtiana charitas. Abſit autem à uobis uindictæ libido, quorū eſt alere concordiā, non ſolùm cum pijs & fratribus, uerumetiā, ſi fieri poßit, cum omnib. Cæterùm benedicere hic nihil aliud eſt, atq; bonum & loqui et imprecari: quemadmodum etiam*
Geneſ. 14. *Melchiſedech rex Salem Abrahā benedixiſſe legitur. Iamq; afflictos conſolatur, ubi dicit: Vt benedicatis ijs qui uobis maledicūt. in primis illud mouere debet, quòd nemo hic uerā aſſequi poteſt benedictionem. Quoad in his terris reptauerimus, ſubinde bella, & malorū nobis expectanda conuicia: ubi uerò hiſce fuerimus exuti miſerijs, tum ueram benedictionē, id eſt uitā ſempiternā, æterna hæreditate poßidebimus. Eam rem D. Petrus ut probet, adducit uerba Pſalmi 33. quibus omnis generis calūniæ, maledictiones, imprecationes malæ, & cōuicia prohibentur. Et qui lingua rectè utuntur, promittitur optima uitæ commoditas: id quod in utramq; partē, & de feliciore in terris, & beata uita in cœlis interpretari potes. Cæterùm ut hoc præſtare queat, declinet (inqt) quiſq; à malo, & faciat bonū, deſerat lites, et quærat pacem: nec quærat modò, ſed et ſequatur eā. Nō ſufficit malū fugere*[c]*, niſi bonum quoq; feceris. Atqui ut hoc quoq; gnauiter perficiat, illud maximè mouere debet, q. Domin⁹ ijs benign⁹ eſt q iuſti ſunt, eoſq; in ſuā curā recipit, et clemēter audit, q iuſticiæ & paci ex animo beneuolūt: rurſus illis irat⁹ et præſentißimus ultor eſt, q faciūt mala. Itaq; ſi qs uelit ſibi Deū ꝓpitiū, ſi qs illius cupiat ultionē effugere: ipſe quoq; ſit beneficus, neminē lædat, malū malo non repellat. Iam pulchrè cum ab innocentia D. Petrus delabitur ad patientiam, infert: Quòd ſi tales eſſe pergitis, quales eſſe debetis, Chriſtiani nēpe, qui omnibus etiā hoſtib. benefaciūt, neminē lædunt: qs obſecro inuadet et affliget benemeritos?*

Porrò

Porrò ſi qui ſint tanta cæcitate attacti, ut immeritos, imò benemeritos perſequantur, memineritis uerborum Domini: [a] *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſticiam, quoniam illorum eſt regnum cœlorum. Demum confirmat afflictos uerbo Dei, ne uſpiam in confeßione ueritatis, tyrannorum minis territi, labaſcant aut nutent. Formidoloſi, ait, ſunt iſti fidelibus, qui ut placidi & modeſti ſunt, ita iſti ſæui & truculenti, nil aliud quàm minantur & affligunt. Verùm Deo fretos, nihil eſt quòd terreant illorum minæ, aut perturbet uiolentia: quin potius ſanctificate Dominum Ieſum in cordibus ueſtris, qui ſuis famulis omnia uertit in bonū, ſiue læta accidunt, ſiue aduerſa. Tum aūt uerè ſanctificaueritis in cordibus ueſtris, cum parati fueritis placidè de religione Chriſtiana quærentibus ueritatē cōfiteri & exponere, et intimo cordis affectu cōtueri, q̄ incōprehēſibilis ſit ipſe Deus et Rex gloriæ. Semper igitur laudādus eſt: ſi uoce nō ſemp licet, certè cordis affectu nuſquā nō licet.* a Matth.5.

IN DIE FESTO DVORVM APOSTOLORVM PETRI ET *Pauli lectio, actuum Apoſtolorum Cap.12.*

Miſit Herodes rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem, quia placeret Iudæis, appoſuit apprehendere & Petrum. Erāt autem dies azymorum. Quem cum apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradensq́ꝫ quatuor quaternionib. militum ad cuſtodiendū, uolens poſt Paſcha producere eum populo. Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere. Oratio autem fiebat ſine intermiſsione ab Eccleſia apud Deum pro eo. Cum autē producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiēs inter duos milites, uinctus duabus cathenis, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini aſtitit; & lumen refulſit in habitaculo. percuſſoq́ꝫ latere Petri excitauit eum, dicens: Surge uelociter. Et ceciderunt cathenæ de manibus eius. Dixit autē angelus ad eum: Præcingere, & calcia te caligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi: Circunda tibi ueſtimentū tuum, & ſequere me. Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat quia uerum eſſet quod fiebat per angelum. Exiſtimabat autē ſe uiſum uidere. Tranſeuntes autem primam & ſecundam cuſtodiam, uenerunt ad portā ferream quæ ducit ad ciuitatē, quæ ultrò aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt uicum unum, & continuò diſceſsit angelus ab eo. Et Petrus ad ſe reuerſus, dixit: Nunc ſcio uerè, quia miſit Dominus angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

EXPLICATIO.

A' tyrannide Herodes, quiſquis tandem ille fuerit, deſcribitur. Præterquam enim quòd Iacobum è medio tulerat, nihil tale cōmeritum: & Petrum uinctum deturbat in carcerem, nulla alia cauſa huc adductus, quàm ut uirus animi ſui in Chriſti diſcipulos euomeret, adeoq́; impietati Iudæorum gratificaretur. Cæterùm pro Petro in carcerum ſqualore detento, iugiter ad Dominum et ſuſpirauit & preces effudit Eccleſia. Exemplo hæc nobis traduntur, ut etiam nos diſcamus quid agendum ſit in tanto rerum diſcrimine. Orandum utiq;: nam plus poteſt oratio iuſta, quàm exquiſitißima impiorum armatura. Neq; fruſtra tanto uerborū apparatu deſcribitur hiſtoria. Hoc enim partim notatur crudelitas tyranni, partim uerò adumbratur tyrannorum imbecillitas, cum Chriſtum, ipſamq́; ueritatem impugnant. Videmus hic omnia Herodis anxia et ſeuera, & ex omni parte munitißima. At in his omnibus nihil anxij in Petro. Ille enim nihil ſe excruciat, ſed quietè dormit. Videmus item quàm efficax piorū oratio. Per angelū enim Petrus liberatus, ſuis redditus eſt. Hinc diſcamus, quòd ſicut Petro ſuppetias tulit Dominus, quum iam & in tyranni manus incidiſſet, & de uita illius deſperaretur: ita nobis quoq;, ſi porrò illi fidere pergamus, aderit etiam tum, cum omnia uidebuntur deſperatißima. Ad quam rem probè exprimendam, argumento quoq; eſſe poteſt Pharaonis ſubmerſio, in alueo maris rubri. Summa, Nulla eſt potentia contra Dominum. Porrò Petrus cum prius uiſionem habuiſſet, facilius credidit & hanc uiſionē eſſe, qua ſignificaretur ipſum fore liberandum. At ubi angelus eum reliquit, ad ſe reuerſus eſt, & dixit: Nunc uideo non eſſe ſomnium, quod geritur: ſed Dominus miſertus ſuorū, per angelum ſuum eripuit me de manibus Herodis, qui me decreuerat Iudæis immolare: ſimul & regis eludens crudelitatem, & plebis auidam Exod.14.

expecta-

expectationem. Habent autem hæc uerba ſpeciem quandam gratiarumactionis, qua Petrus Deo opt. max. & gloriam liberationis tribuit, ipſumq́; laudat & glorificat.

DOMINICA SEXTA POST TRINITATIS

Epiſtola beati Pauli apoſtoli ad Rom. 6.

QVicunq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in mortem ipſius baptizati ſumus. conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Si enim complantanti facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus: hoc ſcientes, quia uetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultrà non ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam uiuemus cum illo: ſcientes, quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quòd autem uiuit, uiuit Deo. Ita & uos exiſtimate, uos mortuos quidem eſſe peccato, uiuentes autem Deo, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

EXPLICATIO.

Docet D. Paulus in hac lectione, eos qui ſemel Chriſto dedêre nomina, perpetuò luctari cum cupiditatibus carnalibus, ne in opus erumpant, oportere. Quanquam enim peccata credentibus omnia per Chriſtum condonata ſint: tamen reliquias adhuc ſupereſſe, quæ ſpiritui nunquam non faceſſant negocium. Et ut hoc faciat aptius, euidenti utitur ſimilitudine, de Chriſto ſumpta. Quemadmodum, inquit, Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit: ita nos quoq; mori peccato ſemper, & iuſtitiæ uiuere debemus. Quod ergo Chriſto crux et ſepulchrum, id nobis eſt baptiſma. Cum enim baptizamur in nomine Chriſti, commorimur unà cum illo, priſtinis peccatis illius morte abolitis: neq; ſolùm commorimur illi, uerumetiam unà ſepelimur, idq́; per eundem baptiſmum: ut quemadmodum ille pro noſtris ſceleribus mortuus, reuocatus eſt ad uitam æternam patris uirtute: ita nos à morte uitiorum excitati, priſtinis uitijs mortui, iam nouam agentes uitam, uerſemur in pietatis ueſtigijs. Baptiſmus itaq; (ut S. inquit Ambroſius) reſurrectionis pignus eſt & imago, ut iam in præceptis Chriſti manentes, ad præterita denuò non reuoluamur, &c. Iam trahit Paulus metaphoram, ut ſuperiora illuſtret atq; confirmet, ab agricultura, atq; natura inſitorum ſurculorum: Si, inquit, Chriſto ceu palmites uiti ſumus inſiti, nimirum Chriſti ſpiritu uegetamur, atq; ad nouam uitam quæ reſurrectione ſignificata eſt, animamur. Non dixit autem, Morti: ſed, Similitudini mortis: quia is terra ſepultus eſt, nos in aqua tumulamur: nos quo ad peccatum, ille quatenus ad corpus. Porrò ut baptizatos doceat iam non debere peccare, talia innectit & iterat. Iuxta duplicem originem duos in nobis homines oportet imaginari: alterum ueterem & craſſiorem, qualem puto eſſe carnem, nondum ſpiritu Chriſti perfuſam, adeoq; ueritatis cognitione nondum donatam, ſed ad uitia promptiſſimam: alterum nouum, & cœleſtium appetentem, carnem ſcilicet iam perfuſam Spiritu ſancto, & uera Chriſti cognitione donatam, ut quæ à Chriſto cœleſti originem duxit. Vetus autem ille noſter homo uelut occiſus eſt, unà cum Chriſto ſublatus in crucem, extinctaq; eſt omnis malicia: & illa rerum caducarum cupiditas, quarum uniuerſam uim corpus peccati meritò quis dixerit. Hoc equidem euacuare oportet, atq; exhaurire temperantia, uigilijs, precibus atq; uirtutum ſtudio, ne poſthac ſeruiamus peccato. Hæc diligenter ſunt obſeruanda: aliud eſt enim peccare, & aliud peccato ſeruire. Omnes ſancti quidem peccant, quia homines ſunt. 1. Ioan. 1. ſed in peccato nõ manent, & peccato non ſeruiunt. Seruiunt autem peccatis, qui carne ſuperati, genio indulgent, neq; à malo ſuo reſipiſcunt, ſed in uia peccatorum & impietatis infixi, dolere deſierunt. Cæterùm perſiſtens Paulus in allegoria: Quemadmodum, inquit, qui uita defunctus eſt, iuſtificatus eſt à peccato, hoc eſt abſolutus eſt, liberatus eſt: hunc ad modum tu baptizatus, & occiſus uel mortuus peccato, mortuus ei perſeuera. Verùm quia carni humanæ acerbũ & difficile eſt, ſi ſemetipſam uel premere, uel deſerere, uel negligere debet: amaris itaq; dulcia, ueluti bonus medicus, miſcet Apoſtolus, & obiter indicat, illã hominis mortẽ, feliciſſima & nunquã interitura cõpenſandam fore uita.

DO-

DOMINICA SEPTIMA EPISTOLA BEATI *Pauli apoſtoli ad Romanos, Cap. 6.*

HVmanum dico, propter infirmitatem carnis ueſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra ueſtra ſeruire immundiciæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra ueſtra ſeruire iuſticię in ſanctificationem. Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſticiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc uerò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum ueſtrum in ſanctificationem: finem uerò, uitam æternam. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei uita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

EXPLICATIO.

Poſtquam D. Paulus de abrogatione legis, quæ doctrina potiſsimum ad pacificandas conſcientias pertinet, egit, redit tandem ad bene operandi cauſas: orationem ita attemperans, ut humano quodā more loqui ſe fateatur: Cum poſsim, inquit, multa à uobis exigere (quid enim non debemus Chriſto pro nobis paſſo?) ſpectans tamen imbecillitatem ueſtram, hortor tantum, ut ſi iuſticiæ nō plus ſeruire uelitis, ſaltem ei tantum ſeruiatis, quantum antea peccato ſeruiſtis. Hinc ſanè colligim⁹, quòd Romani, antequam ad Euangelicæ doctrinæ cognitionem & uocati eſſent, & animū adiecißent, multis flagitijs, ſceleribus & criminibus ſeſe contaminarunt, quibus ceu idolo quopiam ſeruierūt. Origenes pulchrè hunc Pauli locum exponens, ſcribit: Pudorem quendam incutit Romanis Apoſtolus, cum inquit: Multo amplius, & multo intentius honoranda iuſticia eſt. ſed ego tantū hoc requiro: dudum currebant pedes ueſtri ad dæmonū templa, nunc currant ad eccleſiam Dei: currebāt prius ad effundendū ſanguinem, nunc ad liberandum ſanguinē currant: protendebantur prius manus ut aliena diriperent, nunc protendantur ut propria largiantur: circumſpiciebant prius oculi mulierem ad concupiſcendam, nunc circumſpiciant pauperes ad miſerandum: aures delectabantur derogationibus, nunc conuertantur ad audiendum uerbū Dei: lingua conuicijs & turpiloquijs aſſueta eſt, conuertatur nunc ad benedicendum Dominum, etc. Pergit autem Apoſtolus in hoc dicendi genere, atq; ſerui & liberi nominib. utitur, utpote uocabulis apud Romanos notiſsimis, eaq; aptiſsimè accōmodat, dicens: Serui quondam fuiſtis peccati & iniuſticiæ. At uerò peccati ſeruum eſſe, nihil aliud eſt atq; diaboli ſeruum eſſe. Iam quæ iuſticia eſſe poteſt, ubi Satanæ ſeruitur? cum ergo ſeruiebatis peccato, uidebamini à iuſticia alieni. His adductis, et ab utilitate et inutilitate uel fœditate rerū carnalium, ad innocentiā uitæ trahit: Dicite (inquit) obſecro, quod'nam præmium priſtinæ uitæ reportaueritis? An'non ipſa peccata ſecum ſuum adferunt ſupplicium, dum hominē ita cōſpurcant, ut nunc, poſtquā reſipuiſtis uelut à uitiorū inſania, pudeat uos ueſtri, animus quoq; à cogitatione priſtinarū uoluptatū abhorreat? Et præter hanc mercedem, ſupremū ſtipendiū quod ſibi ſeruientibus perſoluit diabolus, mors eſt æterna. Poſtquā autem cùm fructū tum finem peccati indicauit Apoſtolus, oſtendit etiā iuſticiæ finem ac præmia, & miro quodā modo inter ſe confert: Nunc uidete, inquit, quàm feliciter ſit uobis commutata ſeruitus, qui liberati à tyrannide diaboli Deo cœperitis eſſe ſerui. Peccati quidem fructus pœnitudo et erubeſcentia: finis uerò mors. Quòd ſi præmium uultis iuſticiæ ſeu fructū: primum pro inquinatis & impijs uiuitis innocētes, puri & ſancti: quæ ſola uera uita eſt. deinde expleto breuis ſeruitij tempore, manet uos ſummum ſtipendium immortalitatis. Geminū ergo à Deo beneficium accepiſtis, & quòd liberati eſtis & uindicati in libertatem à tanta turpitudine, & quòd ſerui facti eſtis iuſticiæ. Componite iam cum Deo diabolū, cum ſpurcitie ſanctimoniam, cum æterna morte uitam immortalem. Nam planè (ſicut dixi) ſtipendium diaboli mors eſt, quod ille pro turpi miſeroq; ſeruitio impendit. Contrà qui Deo ſeruiunt pro ſua uirili, his ut beneficium à propitio patre reponitur immortalitas: idq; non per Moſen, ſed per ipſum filium Ieſum Chriſtum, cui laus & gratiarum actio.

DOMINICA OCTAVA POST TRINITATIS *Epiſtola beati Pauli ad Roman. Cap 8.*

FRatres, debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem uiuamus. Nam ſi ſecundum carnem uixeritis, moriemini: ſi autē ſpiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Quicunq; enim ſpiritu Dei agūtur, hi ſunt filij Dei. Non

enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore:ſed accepiſtis ſpiritũ adoptionis filiorũ Dei,in quo clamamus Abba pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij,& hęredes:hæredes quidem Dei,cohæredes autem Chriſti,ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.

EXPLICATIO.

Ingenuè Paulus hic fatetur, arduum quiddam ab ijs qui ſpiritum,fidem & remiſſionem peccatorum per Chriſtum nacti ſint,requiri. Ait ergo: Chriſtus uos à uitijs ,quæ uera mors eſt, reuocauit in uitã,extinctis peruerſis affectibus : idq́; per ſpiritum uitæ eius autorem, iam inhabitantem in nobis. Huic igitur ſpiritui uiuimus, huic obnoxij ſumus, huic parendum, non carni, cui iam mortui ſumus. Iam uerò quo ea quæ ſaluti eorum contraria erant auerſarentur,& ea quæ ad promouendã iuſticiam faciunt ſectarentur:& eorum qui iuxta carnem,& eorum qui iuxta ſpiritum uiuunt, finẽ ob oculos poſuit. Iuxta carnem aũt uiuunt, quotquot Spiritu ſancto uacui,carnalibus concupiſcentijs & operibus irretiti & addicti ſunt:horum finis,inquit,mors eſt. Mortẽ quidem (ut Theophylacto placet) non ſolùm pœnam in gehenna, ſed etiam hic in ſceleſtibus facinoribus uitã appellat. Qui autem id genus facta ſpiritus uigore extinguunt, a Ioan.8. *finem habent uitæ æternæ hæreditatem, quam unà cum Chriſto, certò habituri ſunt. Cæterùm poſtquam pro more & à pœna & à præmio argumentatus eſt, maiorem mercedem ſubdit, filiorum nempe diuinam adoptionem. Non dixit autem, Quotquot ſpiritu uixerint : ſed, Quotquot aguntur:hoc eſt gubernantur, reguntur, ſpiritum dominum cùm carnis tum animæ facientes . Eſſe autem duplicem ſpiritũ ediſſerit:unum ſeruitutis, & alterum filiorum. Seruilis ſpiritus eſt mens dura & intractabilis, quæ nõ monitis uel amore recti boniq́;,ſed minis & terrore exercetur. At uerò pij et credentes quemadmodum ſpiritum nacti ſunt per uerbum,ita ingenui ſunt,liberi et alacres, ultroq́; faciunt quod parenti gratum eſſe ſentiũt: ad uirtutes contendunt, à uitijs uerò abhorrent. Nec caret myſterio, quòd adoptiui filij Dei dicimur. Nam naturâ ſumus filij iræ, Eph.2. At Deus noſtri miſertus, per proprium filium nos redemit, & ſpiritu ſuo ſancto corda noſtra confirmauit, quod nunc de benignitate Dei certi, numen illud ſupremum patris nomine appellamus. Poſuit autẽ iuxta Theophylactum, Hebraicam dictionem: quod uerbum eſt puerorum,ſeu filiorum genuinorum erga patrem. Et is quidem ſpiritus eam nobis fiduciam ſuppeditat, ut ſi quid opus ſit, uocem illã occinamus auribus Dei,quæ parentibus ſolet eſſe gratiſſima,cõpellantes eum Pater pater. Non auderemus hanc illi uocem opplorare, niſi confideremus nos illi eſſe filios,& illum nobis patrẽ propitium,dum non coactè,ſed ſpontè ex illius nutu uiuimus. Cumq́; filios dixit Apoſtolus credentes eſſe,uocat & ipſos hæredes. Iudæi quidem inflatis buccis uociferabantur, filios Dei eſſe ſeſe, tamen (ut Euangelicæ teſtantur literæ) audierũt à Chriſto:[a] Vos patrem habetis diabolum. Iis ergo dedit poteſtatem filios Dei fieri, qui credunt in nomen Ieſu. Et quia filij ſunt, nimirum & hæredes. Hæredes quidem Dei,à quo uelut autore proficiſcuntur omnia: cohæredes uerò Chriſti, cuius corpori inſiti, patrem cum eo cœperunt habere communem. Verùm poſſeſſio illa non aliter cõtinget, ait Apoſtolus, quàm ſi eadem uia ad illam tendàmus,qua Chriſtus ipſe peruenit. Ille ferẽdis malis peruenit ad bonorum poſſeſſionem, per ignominiam uenit ad gloriam, morte peruenit ad immortalitatem. Patiendum igitur nobis cum illo,ut cum eo bonorũ contingat fruitio:ferenda probra mundi, ut cum illo ſimus glorioſi : moriendum ad tempus cum eo, ut cum illo ſemper uiuamus.*

DOMINICA NONA POST TRINITATIS EPIſtola beati Pauli, 1.Cor. Cap.10.

FRatres,non ſimus concupiſcentes malorũ,ſicut & illi concupierunt: neq; idololatræ efficiamini,ſicut quidam ex ipſis. quemadmodum ſcriptũ eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. neq; fornicemur, ſicut quidã ex ipſis fornicati ſunt,& ceciderunt una die uigintitria milia:neq; tentemus Chriſtum,ſicut quidam eorum tentauerunt,& à ſerpentibus perierunt: neq; murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierũt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura cõtingebant illis, Scripta ſunt autem

autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Itaq; qui exiſtimat ſe ſtare, uideat ne cadat. Tentatio uos non apprehendat, niſi humana. Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur uos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam prouentum, ut poſsitis ſuſtinere.

EXPLICATIO.

Confirmato eo quòd ueterum exempla in nos quoq; competant, cum quibus æqualem fidem & æqualia ſacramenta habent: hic tandem exempla illa ueterum producit. Principio autem in genere dicit: Exempla ueterum monent, ne ſimus malarũ rerum cõcupiſcentes. Iam uelut per partes ac ſpecies malas illas res enumerat. Et principiò quidẽ eos notat & carpit, qui in idolorum delubris epulabantur: oſtendens, quòd quemadmodum illi ab gaſtrimargia ad idolorum culturam ceciderint, delapſiq; ſint (choros enim ſtatuentes [a] circa uitulum, ludebant ante ipſum) ſic periculum eſſe, ne et Corinthij ad idololatriam prouoluantur, quum ex gulæ ſuaſu idolis immolata edant. Rurſus ſcortationis meminit, & continenti caſtigatione dicta, cuiuſmodi fornicationis delictum, ortum ab ipſa ingluuie dicit. Quando uerò (inquit Theophylactus) uigintitria milia ceciderunt? Quando iuxta cõſiliũ Balam [b] Madianitides mulieres apud exercitum copias' ue Iſraeliticas uiſæ, iuuenes ad ſeſe pertraxerunt, atq; per ſcortationem, ut ſacrum facerent Beelphegor, prouocarũt eos, ac cecidit populus in caſtris, in acie. Porrò Deum tentare, nihil aliud eſſe uidetur, atq; contra Deum uel loqui uel agere, uel diuerſum aliquid à uerbo inceptare. planum hoc eſt uel ex ipſa hiſtoria, quam ex libro Numerorum hic citatam uides. Principiò enim ut cõtra Deum ac Moſen locuti ſint Iſraelitæ, deinde ut ſerpentum morſu perierint, deſcribit. Cæterùm: Neq; murmuretis, inquit. Quoties cõtra Dominum & ſeruos illius & locuti ſint, & murmurarint filij Iſrael, uidere eſt in ſacris literis, [c] in ſeditioſa illa, cuius caput Chore fuit, turba, quæ cũ contra Moſen conſpirare ac loqui auderet (ut D. docet Ambroſius) ad internecionem partim deleta, partim uiua abſorpta eſt. Theophylactus cõmemorat, extinctos illos ab exitiali quadam Dei potentia. De his legantur exempla, Num. 14. & 16. Terret autem eos, quũ dicit iſthæc ſcripta ad conſolationem noſtri. Vnde & nobis in poſterũ expectãda ſupplicia, inquit Theophylactus: eoq; horribiliora, quaten⁹ maiora in nos beneficia ſunt collata, qui poſtremo ſeculo futuri eramus. Nam ultimum ſeculum illud eſſe dicitur, quod intercedit inter Chriſtum natum, & ultimam illam iudicij diem. Docemur autem ex hoc loco, quòd unus atq; idem Dei ſpiritus in unica illa Eccleſia, unũ Deũ, eandem ſemper religionem, et unã ad cœlos uiam docuit atq; commõſtrauit. Quicquid illis accidit, nõ temere accidit: ſed magis ad exhibendũ exemplar, quid nobis ſequendum ſit, aut fugiendum, qui in hanc ultimam mundi ætatem incidimus. Demũ hoc ad eos loquitur, qui præſumentes de ſcientia, qua licitũ eſt omnia edere, infirmis fratribus ſcandalo erãt. Ad hos ergo dicit: Si ſcientia ueſtra freti, putatis ad uos iſta perfidorum hominum exempla nihil pertinere, utpote qui firmi in uera religione perſtiteritis hactenus, & immobiles, uidete ne poſthac grauiore ruina excidatis, atq; confringamini. Quòd non fœdis iſtis immerſi eſtis idololatriam comitantibus flagitijs, haud equidem merito ueſtro acceptum ferre debetis: ſed quòd uos non niſi humana cœpit tentatio, exigua quædam & mediocris, quã ſine negocio uincere potuiſtis. Scio quidem, multa uobis eſſe perferenda ab idolorum cultoribus, ubi ipſorum horrueritis ſacra: ſed illud hic uobis perſuaſum habetote, Deum nuſpiam uobis defuturum. Non ſinet igitur uos tentari ultra uires ueſtras, ſed tentationem uiribus ueſtris tolerabilem adoriri uos faciet. S. Auguſtinus fidelem idcirco appellat Deum, quòd ſe pollicitus eſt ſui nominis cauſa tribulationem ſuſtinentibus adfuturum, iuxta illud: Multæ tribulationes iuſtorum, & de his omnibus liberauit eos Dominus. Ipſum quoq;, ait, ita erga ſuos affectum eſſe, ut quanquam uarijs tentationibus ipſorum fidem probare ſoleat: tamen tentationes huiuſmodi cum felici rerum exitu etiam coniungat. In Deum ergo animorum noſtrorum oculi figantur, & præſertim quod dixit ille: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, &c.

a Exod.32.
b Num.25.
c Num.14.16.21.
Pſal.33.
Matth.11.

IN FESTO DIVI IACOBI APOSTOLI EPIſtola, ad Epheſios Cap. 1.

Huius Epiſtolæ explicationem habes ſuprà de Ioanne Euangeliſta.

DOMINICA DECIMA POST TRINITATIS EPIſtola beati Pauli apoſtoli, 1.Corinthiorum 12.

SCitis autem, quoniam cum gẽtes eſſetis, ad ſimulachra muta prout ducebamini euntes. Ideo notũ uobis facio, quòd nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones uerò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationũ ſunt, idem uerò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides, in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum, in uno ſpiritu: alij operatio uirtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum: alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonũ. Hęc autem omnia operatur unus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout uult.

EXPLICATIO.

Qui crediderãt in principio, et baptizati erãt (docente Theophylacto) omnino ſpiritũ accipiebant. Quia uerò is inuiſibilis erat, ſenſibile ſignũ dabatur operationis ipſius, atq; aut linguis loquebantur, aut prophetabant, aut miracula edebant. Apud Corinthios itaq; chariſmatũ nomine ſeditiones erãt, adeò ut qui maiora dona acciperẽt, efferrentur: qui uerò minora, his inuiderẽt. Inſuper uates aliquot & pſeudoprophetæ fuerũt, qui difficulter à diuinis Prophetis iudicabantur. Cuncta igitur hæc in meliorẽ ſtatum reuocat Apoſtolus. Vtitur aũt tali exordio: Olim, inquit, dum adhuc eſſetis Gentes, & ſimulachra coleretis, furore quodã nũ ſpiritu ferebamini, & quocunq; illo impetu ducebamini, illuc ibatis: à ſpiritib. nempe malignis ducebamini ad opera peccatorũ. Poſtquam uerò Chriſtũ eſtis amplexi, huius ſpiritũ accepiſtis. Iam uerò id quod uoluit, infert: Hæc, inquit, uobis regula ſit diſcernẽdi ſpiritus malignos ac diuinos: Nemo afflatus ſpiritu Dei patris, execratur Ieſum, huius filium: neq; quiſquã poteſt ex animo Ieſum uocare Dominum, niſi per afflatum ſancti ſpiritus. Quicquid igitur in uobis eſt boni, id huius beneficentiæ debetis, & huius gloriæ cõuenit impendi. Poſtquam autem inter uerum & uanum Prophetã diſcrimen indicauit, deq; miraculis dixit, ut diſsidentes in hiſce corrigat: primùm eum curat qui minus donum accepit, ac propterea mœret: Quur doles, inquit, quòd non tantum accepiſti, atq; alius? Non enim debitum eſt ſed chariſma & donum. Fatetur ergo Apoſtolus ingenuè, eſſe quidem dona in Eccleſijs uaria, ſed quæ unus tamẽ operetur ſpiritus: item uaria eſſe miniſteria, ſed tamen unum Dominum eſſe eorundem autorẽ. Deinde uerò ipſa dona & miniſteria eccleſiæ catalogo quodã enumerat, dicens: Vnicuiq; datur, ut manifeſtetur illum Spiritum ſanctũ accepiſſe, ad utilitatem ſalutemq; multorũ. non enim pro ſua tantum, ſed pro fidelium cauſa, gratiarum muneribus locupletantur. Alij uerò datur, ut ſapienter et aptè poſsit diſſerere et docere, quod gratiæ inſpiratione facit. Rurſus illi contigit eiuſdem beneficio ſpiritus, ut cognitione rerum ac diſciplinarũ adiuuet commodũ reipublicæ: huic eiuſdem afflatu ſpiritus cõtigit fiduciæ robur, quæ iuxta Domini promiſſum uel montes loco dimouet: illi per eundem contigit ius medendi morbis: eſt cui data ſit inſignis poteſtas edendi miracula: eſt cui cõtigit prophetiæ dos, ad explicanda quæ uel futura ſunt, uel alioquin abſtruſa: eſt alius cui datum eſt, ut ſagaci iudicio diſcernat afflatus hominum, utrũ à Deo profecti ſint, an ſecus: rurſus alius ſortitus eſt hanc dotem, ut idem uarijs linguis loquatur, quæ res non mediocriter conducit ad cognitionem ſacrorum uoluminum: alius, ut uel per afflatum, uel arcanarum literarum peritiam interpretetur & explanet, quod illi locuti ſunt. Porrò ut obſtruat ora eorum, qui talem haud æquo animo diſpenſationem ferunt: Nihil eſt, inquit, in his omnibus, quòd hic ſibi quiſquam uel placeat, cum ſint aliena, quæ habet: uel diſpliceat, quando diſtributio pendet ab arbitrio Spiritus ſancti, qui dotes has omnes, quamuis uarias, & alias in alijs, unus & idem author partitur cuiq; quemadmodum ipſi uiſum fuerit: ſed ſic, ut ob mutuam inter uos charitatem ſingulorum dotes ſint omnium cõmunes, & ad harmoniam ac decorum faciat uarietas, non ad diſsidium.

IN FESTO DIE SANCTI LAVRENTII MARTYris epiſtola beati Pauli 2.Cor.9.

QVi parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnuſquiſq; prout deſtinauit in corde ſuo,

non

non ex triſticia, aut ex neceſsitate. Hilarem enim datorē diligit Deus. Potens eſt autem Deus omnem gratiā abundare facere in uobis: ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonū, ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus, iuſticia eius manet in ſeculū ſeculi. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen ueſtrum, & augebit incrementa frugū iuſticiæ ueſtræ: ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarumactionem Deo.

EXPLICATIO.

D. Apoſtolus argumento eodem exhortatur ad conferendam eleemoſynam. Explanatius autē de eo loquitur, quod ſponte & liberaliter, non coactè aut grauatim dandū eſt. Non neſciuit uir ſanctus carnis noſtræ maliciam, quæ ſibi blanditur, ne quicquam dare cogatur, & omne ſibi periiſſe putat quod egenis contulerit. Illam ergo iam refrenans, dicit: Quo quiſq; largius contulerit, hoc copioſius præmium reportabit: quo uerò parcius quiſq; dederit, hoc tenuius commodum recipiet. Id uerò elegāti exornat metaphora, à re ruſtica ſumpta. Copioſius recipitur, quàm ſeminatur: ſic eleemoſyna ad tempus datur, & in futuro abundantius recipitur. Non autem parcè ſeminat, qui parū habēs parum largitur, ſi animus promptus ſit plus dare ſi plus haberet. Paulus certè hæc mutuauit ex 11. cap. Prouerb. ubi clarius & copioſius hac de re diſſeritur. Iam et illud monet, qualia eſſe debeant munera, ut largam Dei benedictionem metant, de qua apud Matthæū cap. 25. habetur: ſpontanea ſcilicet, è libero pectore, è benefico & munifico data. Quæ aūt ſubiungit, uidentur ex Ieſu Sirach deſumpta. Sic enim legis cap. 35. Bono animo redde gloriam Deo, & non minuas primitias manuum tuarum. In omni dato hilarem fac uultū tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas. Iam uerò tacitæ reſpondet obiectioni, quam multi habere poſſent: Si multa, dicentes, dederimus, timendum ne ad paupertatē redigamur. Ait igitur: Deus poteſt adeò uos rerum copia affluentes facere, ut & omnem gratiam (uerba ſunt Theophylacti) hoc eſt eleemoſynā poſsitis cum exuberantia facere. Date igitur largiter, ut & eleemoſyna ueſtra magis magiſq; exuberet. Etiamſi nihil ab hominib. ad uos redeat gratiæ, tamen cum fœnore ueſtrum ad uos redibit beneficiū: quia quicquid ipſius amore confertur in ſanctos, ſibi Deus patitur imputari. Poſt hæc in mediū producit ſanctū Scripturæ exemplū, ut plus uiriū haberet oratio. Pſal. 111. *Porrò (iuxta Theophylactū) dictio Diſperſit, liberalitatē & exuberantiā indicat. Pecuniæ igitur & facultates non manent: iuſticia aūt, hoc eſt amicus erga homines affectus (ſic enim clementiam uocat, ceu eam quæ hominē iuſtificet, ac peccata ſoluat) ea igitur perdurat in ſempiternū, & hoc & futuro ſeculis permanet. Demū ut latius cōfirmet quod dixit, iterum ab utilitate petit argumentū, & per bene imprecandi formulā effert, et ait: Comprecor aūt, ut is qui ſuggerit ſemē facienti ſementem, & panem in cibum ſuppeditat, quiq; ſortem largitus eſt, unde nunc ſuccurritis inopiæ ſanctorū, ſemper ſuffulciat facultates ueſtras, quo ſubinde poſsitis illis ſuccurrere: atq; ita multiplicet ſementem ueſtram, ſimulq; augeat prouentum iuſticiæ ueſtræ, ut in omni genere uirtutum locupletemini, ſemperq; proficiatis in omnem animi ſimplicitatem atq; candorem, et indies uiliores habeatis pecunias: quæ dum erogantur nō in quoſlibet, ſed in ſanctos, fit ut ueſtra liberalitas redundet in gloriam Dei, dum ueſtra munificentia refecti pij, per uos gratias agunt Deo. Indicat autem hic rurſus, qui nos diuitijs uti oporteat: quoniam non ſunt defodiendæ, ſed ad omnem ſimplicitatem retinendæ, hoc eſt cum liberalitate quadam erogandæ. Piè quamobrem D. Ambroſius: Omnia, inquit, Dei ſunt, & ſemina & naſcentia Dei nutu creſcunt & multiplicantur ad uſus hominum. Deus ergo qui hæc dat, ipſe & iubet de his communicari eis qui indigent. Hæc Ambroſius.*

DOMINICA UNDECIMA POST TRINITATIS

Epiſtola beati Pauli, 1. Corinth. 15.

NOtum uobis facio Euangelium, quod prędicaui uobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſaluamini. Qua ratione prædicauerim uobis, ſi tenetis: niſi fruſtra credidiſtis. Tradidi enim uobis in primis quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundū Scripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas, & quia uiſus eſt Cephæ, & poſt hæc undecim: deinde uiſus eſt plus quàm quin-

gentis fratribus ſimul, ex quibus multi manent uſq; huc, quidam autem dormierunt. Deinde uiſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus. Nouiſsimè autem omnium tanquam abortiuo, uiſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus uocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me uacua non fuit.

EXPLICATIO.

Spes Chriſtianorum eſt reſurrectio mortuorum.

Ad ſermonem de reſurrectione incidit (inquit Theophylactus) quæ caput eſt noſtræ fidei. Si enim non eſt reſurrectio, neq; Chriſtus excitatus eſt. Quòd ſi non eſt excitatus, neque incarnatus eſt: efficiturq; hac ratione, ut uniuerſa fides noſtra labefactata euaneſcat. De hoc igitur contendit Paulus. Sapientiſsimè uerò recordatur ea, ipſisq; ad memoriam reuocat, quæ iam antea crediderant, & in quibus perſuaſi erant. Iam, inquit, quoniam audio fratres de reſurrectione mortuorum, poſt receptam Euangelij doctrinam, à nonnullis ueſtrûm Epicureorum more ambigi, quib. humana philoſophia etiamnum tumidis hoc perſuaderi nondum poteſt. Non eſt quod noui quicquam uos doceam, tantùm in memoriam reuoco uobis Euangelium, quod uobis primùm tradidi, quodq; ſemel eſtis amplexi. Obſeruandum eſt autem quod ait, Euangelium quod accepiſtis. Non enim ſermone tantùm, ſed per opera & miracula Euangelium acceperant. Et ſtare hic ſignificat, in ea re quam ſemel receperis & amplexus ſis, conſtanter perſeuerare. Et quæ commoditas eſt in Euangelio ſtare? Seruari æternùm. Quia uerò dixerat, Statis: ne ſegniores eos faciat, adijcit: Præcipua pars Euangelicæ doctrinæ eſt, credere reſurrectionem mortuorum. Qua de re non oportet ambigere, niſi (quod abſit) fruſtra crediſtis. Quorſum enim attinebat Euangelium amplecti, ſi, quod eſt huius rei caput, negatis, uidelicet mortuos olim reuicturos? Illud autem obſeruandum, quòd mira cum autoritate dicit: Tradidi quod acceperam. quaſi dicat: nihil ex me tradidi, ſed ex ſpiritu Dei omnia. Nam Apoſtoli eſt, omnia ad imperium & uoluntatē eius qui miſit ipſum, exequi. Quò iſtud quoq; uidetur pertinere, quòd Scripturas allegat, ueluti hoc modo exponēs unde acceperit quod tradiderat, ex Scripturis uidelicet, quæ inſtinctu ſancti Spiritus nobis allatæ ſunt.

Loci Scripturæ de morte Chriſti, & de reſurrectione.

Loci porrò Scripturæ de morte Chriſti teſtantes, ſunt Exod. 12. Iſaiæ 53. Pſal. 22. Daniel. 9. Zach. 3. & 13. Reſurrectionis teſtimonium eſt Ionas, autore ipſo Domino Ieſu: poſtea Dauidis, Non derelinques animam meam in inferno. Pſalm. 15. Quandoquidem autem in reſurrectione Domini totam orationis ſuæ ſtructuram ceu fundamēto, impoſiturus erat Apoſtolus, pluribus teſtimonijs eam oſtendit. Per Cepham autem intelligit Petrum. nam duobus illis Emao redeuntibus, dicunt undecim: Surrexit Dominus uerè, & apparuit Simoni. Poſthæc abierunt diſcipuli in Gallilæam, in montem quem ipſe Dominus præcedens deſignauerat: cumq; uidiſſent eum, adorauerunt.

a Matth. 28.

quidam autē ([a] ut Matthæus refert) dubitauerūt. Atq; hanc quidem omnium clariſsimam apparitionē fuiſſe crediderim, cuius mentio hic ab Apoſtolo fiat: uiſum ſcilicet Dominum plus quàm quingentis fratribus. Fratres autem dixit, quos nos uocamus Chriſtianos. Et horum quidem alios mortuos eſſe, alios uerò adhuc uiuos teſtes etiamnum uiuere aſſerit, ut grauius pondus habeat probatio. Deinde ait, uiſus eſt Iacobo. Hunc Iacobum eſſe credunt, qui primus fuit Hieroſolymitanus epiſcopus, cuius mentio fit in Actis cap. 12. Huic addit teſtimonium aliud, dicens: Pòſt Apoſtolis omnibus. Videtur autem per Apoſtolos intellexiſſe omnes diſcipulos. Nam & Theophylactus: Fuerunt quidem & alij Apoſtoli, ut ſeptuaginta. Cæterùm ultimo tandem loco ſuum quoq; cæteris iungit, aſſerens etiam ſe uidiſſe rediuiuum Dominum. id quod Ambroſius exponens, dicit: Apparuit illi primùm in cœlo, pòſt oranti in templo. Sed utcunq; habeat apparitionis modus, certum eſt quòd Dominus ſe uiuentē exhibuerit Paulo. Abortiuum uerò fœtum ſe appellat, id eſt hominem proiecticium, contemptum, & nullius propemodū uel frugis uel dignitatis. Vnde Ambroſius ſcripſit: quia extra tempus natus, in Chriſto apoſtolatū accipit, iam Chriſto in cœlos recepto cū carne. Certè eiectus uerius refertur, quàm natus, Act. 9. Cæterùm obiter præoccupat, quod præſenti cauſæ poterat incommodare. Dicit ergo: At quòd illi obijciunt mihi perſecutionem Eccleſiæ, fateor quidem indignū me eſſe, qui dicar Apoſtolus: ſed uiſum eſt interim Deo, me hoc honore & munere dignari, ut quicquid iam ſum, non mei muneris, ſed Dei bonitatis ſit. Hic uerò paucis & modeſtè exponit, quanta per ipſius miniſterium fecerit Deus. Quanquam, inquit, uocatione ſim poſtremus, nō geſsi me in poſtremis, ſed plus laborum exhauſi, quàm quiſquam alius Apoſtolorum.

DOMINICA DVODECIMA, EPISTOLA BEATI *Pauli apoſtoli 2. Corinth. Cap. 3.*

FIduciam talem habemus per Chriſtum ad Deum, nõ quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt. qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu: litera enim occidit, ſpiritus autem uiuificat. Quòd ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non poſſent filij Iſrael intendere in faciem Moſi, propter gloriam uultus eius quæ euacuatur: quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt, multo magis abundat miniſterium iuſticiæ in gloria.

EXPLICATIO.

Tractat in hac lectione D. *Paulus miniſteriũ ſuum contra pſeudoapoſtolos. Nunc ergo ne quis impingeret illi arrogantiam, quòd ſibi ſuperbius arrogaret res maximas, ait: Quòd autem hæc de nobis ipſis prædicamus liberius, fit ex fiducia diuinæ gratiæ. Aliàs non ignoramus, uires noſtras ad has res præclaras ritè adminiſtrandas, minimè eſſe idoneas. Omnis uirtus noſtra à Deo eſt. Nihil noſtrum, ſed gloriatio noſtra per Chriſtum eſt ad Deum: potentia noſtra ex Deo eſt. Cæterùm ut commodè inter ſe legalia & Euangelium & Euangelij præſtantiam oſtenderet, dicit ſe miniſtrum noui teſtamenti factum, non literæ, ſed ſpiritus. Nouum autem teſtamentum uocat remiſſionem peccatorum, non per legem, ſed per ſanguinis Chriſti effuſionem collatam fidelibus. Spiritus ergo miniſter eſt, qui non legalia prædicat, ſed unicum Chriſti meritum inculcat. Iam quòd eſſent quidam obſcuri errones, turbantes eccleſias, ritè ab Apoſtolis inſtitutas: docebant enim literæ legis præſidio, circumciſionem & totius legis obſeruationem ad ſalutem conſequendam omnino eſſe neceſſariam: & falſum eſſe quòd prædicarent Apoſtoli, fide purificari corda, fide iuſtificari peccatores, fide ſaluari credentes: Apoſtolus, Litera, inquit, occidit, propterea quòd citra ſpiritum & fidem doceatur. S. Ambroſius: Literæ ad hoc datæ ſunt Moſi, inquit, ut contemnentes legem occideret, ſecundum ius naturæ. Spiritus autem, id eſt lex fidei, quæ non ſcribitur, ſed animo continetur, uiuificat reos mortis, conuertentes tamen ſe ut iuſtificati decæterò non peccent, &c. Quis ergo nunc neget, miniſterium noui teſtamenti uerè magnum & ſalutare miniſterium eſſe, cum tantam gratiam coniunctã habeat? Cæterùm aptè confert Apoſtolus legis gloriam cum Euangelij claritudine, ut demonſtret Euangelij gloriam excellentiſſimã eminẽtiſſimamq́. Quòd ſi lex illa prior, inquit, quæ literis inſculpta ſaxo mortem afferebat præuaricatori, gratiam non cõferebat, tantum maieſtatis habuit & gloriæ, ut cum iterum deferret tabulas Moſes, Hebræi non poſſent intueri uultum eius, ob dignitatem & maieſtatem, quæ tamen aliquando erat peritura: cur non potius Euangelicæ functioni ſua dignitas erit ac maieſtas, qua per fidem & ſpiritus benignitatem æterna ſalus confertur? Interpretans autem quomodò dixerit, Litera occidit: legẽ ait eſſe miniſterium condemnationis, non punitricem peccati, nec factricem (uerbis utor Theophylacti) miniſterium uerò iuſticiæ Euangelium, quod nõ ſolùm à pœna & ſupplicio liberat, uerùm iuſtificat etiam peccatores. Iuſtus enim ex fide uiuit, Abacuc 2.*

IN DIE FESTO ASSVMPTIONIS DIVAE VIRGINIS *ac genitricis Ieſu, Lectio Eccleſ. 24.*

IN omnib. requiem quæſiui, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices: & ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Hieruſalem poteſtas mea, & radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine ſanctorum detẽtio mea. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion: quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Hiericho: quaſi oliua ſpecioſa in cãpis, & quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquam in plateis.

ſicut cynamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris.

EXPLICATIO.

Saluator noſter, æterna patris ſapientia, quo homines à corruptibilib. ad æterna appetenda & quærenda attolleret, carnem de uirgine aſſumẽs, mundi huius caſtellum ingreſſus: mentes fidelium gratiæ ſuæ habitaculum præparauit. Et in omnibus requiem quæſiuit: quia nulli denegatur gratia, cum uelit omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire: 1. Tim. 2. Hinc Eccleſia Chriſti conſtituitur, uera ipſius hæreditas. Iam autem docetur, quo pacto filius à patre miſſus, ut acciperet illam hæreditatẽ. Equidem Deus pater dicitur creator omnium: & quia filius mi-
a Matth.18. *nor patre ſecundum humanitatem, ab ipſo quoq; patre creatus eſt: in qua humanitate ſiue humana*
Coloſ.2. *natura, habitauit plenitudo diuinitatis, dicente Apoſtolo. Quòd ſi uerò ad matrem uirginem hæc referre uelimus, ipſa uerè dicere potuit: Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Nã ut Lu-*
Lucæ 1. *cas ſcribit, dixit ad eam angelus: Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius*
b Ioann.4. *Ieſum. Hic erit magnus, & filius altiſſimi uocabitur. Lucæ primo. Rurſus de filio Dei Chriſto hæc Scriptura dicit, à patre ſcilicet illi præce-*
Baruch.3. *ptum, ut inter eos habitet, & ut uidit, cum illis uerſetur, qui ueri filij Iacob, ſupplantantes uitia: qui eſt Iſrael, id eſt, qui uident Deum per fidem.*
c 2.Cor.2. *ubiq; radices mittat, id eſt confirmet & roboret Euangelium pacis. De Zion autem exibat lex Euangelica, & uerbum Domini de Hieruſalem, quando illic primùm incœpit Eccleſia Chriſti ſanguine ſanctificata, atq; uerus Dei cultus. Vnde factum eſt, ut per totum orbem terrarum, per prædicationẽ Apoſtolorũ ſanctum Euangelium promulgatum ſit, & Chriſtus egerit radices in populo honorificato: cuius hæreditas beatitudo ſcilicet apud ipſum Deum patrem eſt. Illi enim hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, dicente Apoſtolo Rom. 8. Porrò in congregatione eorum, id eſt omnium piorum hominum manet Chriſtus per gratiam. Dixit enim: [a] Vbi ſunt duo uel tres congregati in nomine meo, in medio eorũ ſum: quia illi ſunt membra corporis eius, cum ſit ipſe omnia in omnibus. Cæterùm quòd Scriptura ſimilitudine ipſam ſapientiam & filium Dei demonſtrat, aptè riteq; facit. Quemadmodũ enim arbores ſunt altitudinis & odoris præcipui, ſic redẽptionis ſacramentum cunctis innotuit nationibus. Hoc fructum attulit multũ, &, ut Chriſtus dixit, [b] factus eſt ubiq; fons aquæ ſalientis in uitã æternam. Hic quoq; odor ille ſuauiſſimus, quẽ mirũ in modũ D. Paulus laudib. uehit, cũ inquit: Deo aũt gratias, qui ſemper triũphat nos in Chriſto Ieſu, et odorẽ noticiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus [c] Deo, in ijs q ſalui ſiũt.*

DOMINICA DECIMATERTIA POST TRINITATIS, *Epiſtola beati Pauli apoſtoli ad Galat. 3.*

ABrahæ dictę ſunt promiſsiones, & ſemini eius. Non dicit, Et ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in uno, Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico, teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit ad euacuandam promiſsionem. Nam ſi ex lege hæreditas, iam non ex promiſsione. Abrahæ autem per promiſsionem donauit Deus. Quid igitur lex? propter tranſgreſſores poſita eſt, donec ueniret ſemen cui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non eſt. Deus autem unus eſt. Lex ergo aduerſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex quæ poſſet uiuificare, uerè ex lege eſſet iuſticia. Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.

EXPLICATIO.

Vnũ hoc in Epiſtola ad Galatas agit Apoſtolus, ut iuſtificationẽ non operib. ſed fide in Chriſtum conſtare conuincat. Et cum in fidei negocio ferè regnent promiſſiones, diligenter illas ipſas urgere & inculcare ſolet. Vult autem indicare principiò (ut Theophylacto placet) quòd fides ſit teſtamentum antiquius lege: & quòd iniquum eſt ei præferri legem. Cæterùm teſtamentum uocat promiſſionem Abrahæ factam, & credentibus omnibus: nimirum quòd in ſemine illius omnes gentes benedicẽdæ ſint, hoc eſt, à peccato, à Satana & inferno liberandæ. Hoc ſemẽ, inquit,

Chriſtus,

Chriſtus eſt, qui Abrahæ ceu in teſtamento quopiam & promiſſus & donatus eſt: qui & humanam naturam è ſemine Abrahæ aſſumpſit, & precioſo ſanguine ſuo à peccatorũ ſordibus nos mundauit. Ad hunc modum ratiocinationem meam intelligetis: Orationis ſiue diſputationis meæ conſilium huc ſpectat, ut toti mundo perſuadeã, ſola fide parari iuſticiam, & nequaquam lege. Si enim teſtamento nemo addit aliquid: teſtamentum autem eſt, quòd per unicum ſemen Abrahæ Chriſtum confertur benedictio: certè Deus non addidit legem, ut teſtamentum ſiue promiſſionem infirmaret. Infirmaſſet enim illam, imò irritam feciſſet, ſi per legem pararetur iuſticia. Ita enim promiſſio priſcis inefficax fuiſſet ad iuſtificationem, utpote cum in hac nulla legis facta ſit mentio, ſed Chriſti tantum. Iniuſticiæ præterea rei agerentur omnes ſancti patres, qui uixerunt ante legem latam annis 1430. Si beneficio legis ſiue operum confertur hæreditas, hoc eſt iuſticia & uita: iam planum eſt, quòd non obtingit teſtamenti ſiue promiſſionis uirtute. lege enim caruerunt qui ſub teſtamento & promiſſione uixerunt: caruerunt ergo uera iuſtificandi uirtute, ſi modò ex lege eſt iuſticia. Cæterùm Abrahæ per promiſſionem donauit Deus hæreditatem, iuſticiam & uitam. Iuſtificamur ergo gratia per fidem, non operibus per legem. At dixerit quiſpiam: Si hinc erat ſperanda ſalus, quo conſilio poſtea Deus addidit legem inutilem? Non prorſus inutilem: nam tametſi non confert innocentiam, tamen coercet peccandi licentiam, dum malas cupiditates ceremonijs ceu cancellis quibuſdam cohibet: nec tamen in hoc data eſt, ut tota quoſlibet in æternum obſtringeret, ſed ad tempus à Deo præfinitum, typis interim delinians Chriſtum. Ita enim ſcribit Theophylactus: Nec data eſt lex in perpetuum, ſed tamdiu donec Chriſtus uenerit, cui promiſſum eſt, ut in eo benedicatur gentibus. Lata eſt ergo lex propter duas potiſſimùm cauſas: principiò, ut inobedientes & parum frugi homines ceu freno quopiam coerceret. Secundò lata eſt, ut peccatum & patefaceret, & monſtraret. Cæterùm in hunc uſum inſtituta, inquit Apoſtolus, lataq́; per angelos, autore Deo, ut totius legis poteſtas eſſet penes Chriſtum, qui ſic medius interceſſit inter Moſaicam legem & Euangelicam gratiam, ut illius eſſet finis, huius initium: ſic medius ſe interponens inter Deum & homines, ut ipſe naturam utramque in ſe complecteretur, utramque alteri conciliaturus. Atqui conciliator qui intercedit, inter plures intercedat oportet. Nemo enim ſecum ipſe diſſidet. Deus autem unus eſt, cui diſſidium erat cum humano genere. Proinde tertio quopiam opus erat, qui naturæ utriuſque particeps, utramque inter ſe reconciliaret: Deum placans ſua morte, & homines ſua doctrina ad uerum Dei cultum pellicens. Porrò tacitæ cuidam reſpondens obiectioni, explicatius loquitur de cauſis latæ legis, oſtendens legem & promiſſionem ſibi mutuò non aduerſari: Si, inquit, ulla unquam à Deo lex lata eſſet in hunc finem, ut uiuificaret cultores: nihil ſanè peccarent, qui per legis opera iuſtificari quærunt. nunc uerò, cum non modò leges Dei, ſed uniuerſa Scriptura ſancta omnes homines peccatores eſſe argumentis approbet inſolubilibus: quis non uideat, tum legem ipſam, tum omnem Scripturam ſanctam adeò non aduerſari teſtamento, ut magis euincãt, neceſſariò iuſtificationem gratuitò conferri per fidem Ieſu Chriſti credentibus? Theophylactus hunc Pauli locum exponens: Non potuit, inquit, lex à peccatis liberare: uerùm ad hoc cooperata eſt, ut oſtendat omnes peccatores, & compellat ut remiſſionem concupiſcant, & accelerent ad eum qui hanc præſtare elargiri'que poſſit, Deum. Poſtquam enim Iudæi non ſentiebant peccata, neque remiſſionem deſiderabant, dedit legem concludentem eos, & affligentem, habentem'que increpationes, monſtrantem'que peccata, ac compellentem inquirere rationem, per quam poſſint condonari. Hæc autem ratio eſt, ipſa in Chriſtum fides, per quam benedicimur iuſtificati. Hæc ad uerbum ille.

Actor. 7. Stephanus dicit: Hic eſt Moſes qui fuit in ſolitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte. Vide D. Hieron.

IN DIE FESTO BARTHOLOMAEI APOSTOli Epiſtola beati Pauli, ad Roman. 8.

SCimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui ſecundum propoſitum uocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.

Quid

Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus eſt qui iuſtificat? Quis eſt enim qui cōdemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis: quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an
Pſal.43. gladius? ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

EXPLICATIO.

Conſolatur fideles D. *Paulus, per diuinam prouidentiam, indicans quo conſilio ſancti malis exerceantur, & ait: Nec eſt quòd in tantis malis formidemus, ne malorum ui uicti deficiamus: cum illud certiſsimum habeamus, quòd quicquid malorum pijs acciderit, non citra numinis prouidentiam accidat: imò in hoc accidat, ut in bonum cedat. Illud uerò auguſtum eſt, quòd* Diligentibus, *& non* Credentibus *dixit. Dilectio enim quodammodo abſolutam in ſe comprehendit pietatem. Porrò quia hoc incredibile uidebatur, à præteritis hoc ſtabilit, inquiens:* Iis qui ſecundum *propoſitum uocati ſunt.* Theophylactus: *Etenim uocauit te cum longè abeſſes, ſibi'que te propitium fecit: quanto magis uocatum te ſuſcipiet? Vocatus eſt autem homo ſecundum peculiare* Dei *conſilium ac deliberationem. Non enim ſufficit uocatio, alioqui omnes ſeruati eſſent: uerum uoluntatis ac deliberationis diuinæ neceſſitas hic iuxtà requiritur. Hæc ille. Quando autem ita ſeſe obtulerat occaſio, Apoſtolus rationem diuini conſilij, ordinem'que iuſtificationis ad*
a Philip.2. *hunc ferè modum pingit: Principiò, inquit, præſcit Deus eos qui uocatione digni ſunt: deinde ſic prædeſtinat.* Theophylactus. *Prædeſtinationem autem intelliges impermutabilem* Dei *bonam uoluntatem. Prænouit itaque, Paulum uocatione dignum eſſe: ſic'que impermutabiliter decreuit, adeo'que ſtatuit uocare ipſum. Conformes igitur efficit imagini filij, quos prænoſcit dignos. Quod enim unigenitus eſt ſecundum naturam, hoc ipſi facti ſunt per gratiam, ut & ipſi filij Dei uocarentur. Primogenitus autem eſt inter multos fratres per diſpenſationem: ſecundum namque diuinitatem eſt unigenitus. Vocare autem, eſt cogitantem de fide adiuuare, aut compungere eum quem ſciat audire.* Hieronymus. *Ergo uocantur per prædicationem ut credant, credentes iuſtificentur, per baptiſmum glorificentur in uirtutibus gratiarum, &c. Lauacrum igitur regenerationis à peccatis liberat, iuſtos'que efficit, quos deinceps adoptat Deus in filios, multa'que illis impertit dona. Porrò hoc dicit* Apoſtolus: *Cum afflictionū argumento conſtet, nos eſſe* Dei, *Deum contrà noſtrum: nihil eſt, quòd timeamus etiam ſi uniuerſus orbis inſurgat aduerſum nos. Quòd ſi quis obijciat: Vnde conſtat, quòd ille ſit à partibus noſtris? præoccupat, dicens: Per hoc patet, quòd ille Deus ſummus noſter ſit, nobis'que bene uelit, quòd filium illum ſibi coæqualem pro nobis expenderit. Habet autem emphaſim quod dicit, filium proprium: hoc eſt, unigenitum, dilectum, qui natura ex ipſo eſt. Deinde quod dicit, Non pepercit: multo auguſtius eſt, quàm ſi ſimpliciter dixiſſet: Proprium filium nobis donauit. Illud enim præſcribit ineffabilem* Dei *erga nos charitatem, qua affectus, ne chariſsimo quidem & innocentiſsimo ſuo filio noſtri cauſa pepercit, ſed pro nobis omnibus & Iudæis & Gentibus, pro omnibus ſæculis, ætatibus, hominumq; generibus tradidit. Tradidit autem in mortem* [a] *crucis turpiſsimam, ut nihil ſuperſit quod ille non impoſuiſſet, uel hic uolens & lubens ſuſcepiſſet, ſi quid amplius noſtri cauſa fuiſſet faciundum.* Philip.2. *Iam dicit quod ſuprà, ſed copioſius: & conſolatur, & ait: Nec periculum eſt, ut hunc benignum erga nos animū opera calumniatoris mutet. Quis enim auſit accuſationem inſtituere aduerſus eos quos Deus ille uerè optimus maximus iuſtificauit, ac iam ꝑ ſuis ducit? Hic nulla erit nobis timēda damnatio: qs enim abſolutos damnaret? Quòd aūt abſoluti ſimus, hinc liquet, quòd Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus ꝑ iniuſtis: nec mortuus tantū, ſed et excuſcitatus, quo oſtēdit peccatū unà cū morte prorſus eſſe deuictū: niſi enim euiciſſet peccatū, iam præualuiſſet mors et peccati*

pœna:hac aũt extincta,ſuſtulit et peccatũ, ut nũc
nemo credẽtes dãmnare poßit ob peccata: ſed ad
dexterã patris iã reſidet, nõ modò de inferis,pec-
cato et morte triũphãs, ſed et intercedẽs ꝑ nobis.
In dies enim peccamus miſeri,cũ etiã iuſtus [a] *in die*
ſepties cadat:ergo ꝑpetua hoſtia opus eſt,et inter-
ceſſore q̃ apud Deũ cauſam noſtrã agat. Vnde et
Ioannes: [b] *Si q̃s peccauerit,inquit,aduocatũ habe*
mus apud patrẽ,Ieſum Chriſtũ iuſtum : & ipſe eſt
propitiatio pro peccatis noſtris:nõ pro noſtris aũt
tantũ,ſed etiam pro totius mundi. Et D.Hierony
mus:Solent planè Ariani ex interpellationis cau-
ſa mouere calumniã,dicentes, quòd qui interpel-
latur,interpellante ſit maior.Quibus reſponden-
dum eſt, Deum obliuionẽ nõ pati, ut pro ipſis cõ-
moueatur ſemper quos ipſe elegit:ſed in hoc inter-
pellare eum dicitur,dum ſemper patri hominẽ quẽ
ſuſcepit, quaſi noſtrũ pignus oſtendit et offert,ut
uerus pontifex & æternus. Intuens enim illũ pa-
ter,recordatur dilectionẽ erga mortales, propter
quam geſtauit corpus filius ſuus, hacq; uia cùm ad
miſeratiõnẽ tum miſericordiã inflectitur. Cæte-
rùm quũ demõſtraſſet ineffabilẽ dilectionẽ patris
et filij et ſpiritus circa nos,ueluti iam diuino numi
ne afflatus exclamat:Quis nos ſeparabit à chari-
tate Dei? Adeò enim dilectũ,tantaq; dignatũ pro-
uidẽtia nihil eſt quod diſſeparare poßit. Theophy
lactus. Tribulationis aũt et anguſtiæ nomine cõ-
plexus eſt omnia quæcunq; affligere queũt,etiam-
ſi ea nõ expreſſerit,nec dinumerauerit,&c. Facit a Prouerb.24.
& illud nõ modò ad expolitionẽ,quòd teſtimoniũ
ex Pſal.43.producit: ſed etiã ad cõmouendũ affe
ctũ.Mira enim eſt illa ab ouib. ducta ſimilitudo, b 1.Ioan.2.
et nõnihil referẽs nobis Chriſti Domini archety
pum.Nam de hoc Eſaias: Tanquã ouis, inquit,ad Eſaiæ 53.
occiſionẽ ductus eſt.Quæ aũt ſequũtur,certitu-
dinẽ et firmitatẽ ſpei credentiũ indicant.Enume-
ratio uerò iſta huc pertinet, quòd nihil ſit in orbe
quod credentes à fide poßit abſtrahere.Theophy
lactus:Adeò (inq̃t Paulus) pendemꝰ ex dilectio-
ne Dei,ut nõ ſolum quæ huius uitæ ſunt adiudica-
ta pericula nos nequeãt auocare ab ea:imò ſi quis
mortẽ nobis interminetur immortalẽ,quæ in ſup-
plicio ſit duratura,ſi quis denũciet uitã nullis ſecu-
lis intermoriturã, allaborãs hoc pacto nos abſtra
here à Chriſto,nihil planè efficiet,&c.Hæc aũt
eſt illa præſignis Chriſtianorũ cõſtãtia, martyrũ
uirtꝰ,de qua et Chriſtũ dixiſſe legimꝰ:In patien- Lucæ 21.
tia ueſtra poßidebitis animas ueſtras. Item: Qui Matth.24.
perſeuerauerit in finem uſq;,hic ſaluus erit.

DOMINICA DECIMAQVARTA EPISTOLA *beati Pauli apoſtoli ad Galatas 5.*

SPiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim cõcupiſcit aduerſus ſpiritum:ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicẽ aduerſantur,ut non quæcunq; uultis,illa faciatis. Quòd ſi ſpiritu ducimini,nõ eſtis ſub lege. Manifeſta autem ſunt opera carnis,quæ ſunt:fornicatio,immunditia,impudicitia,luxuria,idolorum ſeruitus,ueneficia,inimicitię,contentiones,æmulationes,rixæ, diſſenſiones,ſectæ,inuidiæ,homicidia,ebrietates,cõmeſſationes,& his ſimilia. Quæ prædico uobis,ſicut prædixi,quoniam qui talia agunt,regnum Dei non conſequentur.Fructus autem ſpiritus eſt,charitas, gaudiũ,pax,patientia,longanimitas,bonitas,benignitas,manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti,carnem ſuam crucifixerunt cum uitijs & concupiſcentijs.

EXPLICATIO.

Dixerat beatus Paulus:Cauebitis,ne libertatem detis in occaſionem carni.Iam uerò exponit, quomodo id caueri poßit, nempe ſi ſpiritu ambulemus. Porrò ſpiritu ambulare, eſt ita inſtituere uitam,ut ſpiritus Dei ſanctus dictat. Nam ſecundum carnem ambulant,qui omnino carnis cupiditates ſequuntur, contempto ſpiritus imperio. Eſt autem perpetua pugna in corpore ſanctorum,carne & ſpiritu ancipiti prælio per ſingulas horas concertantibus. Atq; hanc deſcribit hoc loco Apoſtolus,breuiter quidem,ſed graphicè. Concupiſcentia (ait) rerum malarum nititur totũ ſibi uendicare hominẽ,ut totus ſibi ſeruiat in omni ſcelerum genere.Obijcit enim opes, uoluptates,honores: atq; hæc per fas & nefas perſequi & rapere iubet. Spiritus uerò contrà nititur, & illa aſpernanda eſſe clamitat, æterna potius eſſe ambienda ſuadet. Obijcit ergo Chriſti exemplum, honeſti rationes,pœnas & præmia. Paulus ipſe huius rei exemplum eſt ad Romanos 7. Poſt hæc paucis quod cœperat abſoluit,docens quatenus liberi ſimus, & qui uerè liberi ſint:qui ſcilicet ſpiritus ſequuntur imperium & ductum. Theophylactus: Qui ſpiritum habet,extinguit prauas cupiditates: qui uerò ab his liberatus eſt, non eget conſilio legis,neq; ei ſubiectus eſt. Qui enim nõ ſuccenſet,

age quæ-

age quæſo, quid opus habet denunciante ac præcipiente ei, Ne occidas? Et qui non concupiſcit, qui opus habet conſulente, Ne forniceris? quod et alio in loco dixit: Iuſto non eſt lex poſita, 2. Timoth. 1. &c. Ac res quidem inuiſibilis eſt ſpiritus: res inuiſibilis caro, de qua loquitur: neq; tamen difficile eſt colligere, carnis arbitrio ſeruiat aliquis, an ſpiritus ductum ſequatur. Cuiuſmodi ſunt fontes, eiuſmodi ſunt ea quæ proficiſcuntur ex fontibus. Vita, mores, factaq; hominis teſtantur habitum animi. Primum itaq; carnis opus eſt fornicatio. In eo fornicator maioris eſt criminis, quia tollit membra Chriſti, & facit ea membra meretricis. Secundum opus carnis immundicia nuncupatur: tertium uerò luxuria. Hieronymus: Quomodo in ueteri lege de nephandis criminibus, quæ in occulto fiunt, & ea nominare turpiſſimum eſt, ne & dicentis os & aures audientium polluerentur, generaliter Scriptura complexa eſt, dicens,
Leuit.15. Verecundos uel reuerentes facite filios Iſrael ab omni immundicia: ſic in hoc loco cætera, extraordinarias uoluptates, ipſarum quoque opera nuptiarum, ſi non uerecundè & cum honeſtate, quaſi ſub oculis Dei fiant, ut tantum liberis ſeruiatur, immundiciam & luxuriam nominauit. Et ubi multa opera carnis recenſuit Apoſtolus, tandem uno tantum omnia ſermone concludit, dicens: Et his ſimilia. His quiſquis obnoxius eſt, cupiditatum malarum ſeruus eſt. Nec eſt quod uobis ob baptiſmum blandiamini. Palàm denuncio, quicunque talia patrant, ſecludentur ab hæreditate regni cœleſtis: contrà qui uerè liberi ſunt, & ſpiritus arbitrio ducuntur, ex ſuis quoq; fructibus dignoſcuntur. Theophylactus: Praua opera ex nobis ſolis fiunt. ea de cauſa & opera carnis nominauit, quæ ſimul laborem ac difficultatem habeant. Bona uerò non noſtra tantum cura indigent: enimuerò cœleſte iuxtà auxilium requirunt. eapropter ſpiritus fructum ea dixit, tanquam à nobis detur ſemen ſiue propoſitum: ut uerò fructus creſcat & naſcatur, iſthuc in Deo ſitum eſſe, &c. Cæterùm qui ſuapte ſponte hæc præſtant, iis nihil opus eſt, inquit, admonere legis ſtimulos: nam hos ipſorum innocentia liberos reddit à lege. Quòd ſi quis dicat: Ecquis qui hæc quæ dixiſti perſequatur? Qui Chriſti ſunt, inquit, carnalem affectum occiderunt, terreſtrem cogitationem & rationem, adeò ut neque iræ motus in ipſis porrò uiuant, nec cupiditates: ſed cùm hi, tum illæ interemptæ ſint, ſiquidem per baptiſmum Chriſto commorimur.

DOMINICA DECIMAQVINTA EPISTOLA beati Pauli apoſtoli ad Galat. 3.

Galat.6. SI uiuimus ſpiritu, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis: conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Opus autem ſuum probet unuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in altero. Vnuſquiſque enim onus ſuum portabit. Communicet autem is qui catechizatur uerbo, ei qui ſe catechizat in omnibus bonis. Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: Qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet uitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: Tempore enim ſuo metemus, non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: maximè autem ad domeſticos fidei.

EXPLICATIO.

Poſtquam abſoluit D. Paulus negocium libertatis Chriſtianæ, & exhortationem, ut in hac perſtent Galatæ: ſubijcit præcepta morum, ut inuitet ad innocentiæ ſtudium, & ne opera carnis perficiant: Si nos, inquit, uitam accepimus à ſpiritu Chriſti, non à lege, iuxta ſpiritus eiuſdem inſtinctum uiuamus. Præterea inhibet illis uanæ gloriæ cupiditatem, ut malum, quod concordiam dirimit, contentiones gignit, iurgia & iniurias excitat, Dei gloriam obſcurat, ueritatem denique omnem conſcindit: quo ſanè morbo grauiter laborabant apud Galatas præcipui religionis antiſtites, uiri que primarij. Theophylactus innuit hic, quòd qui eos ſeduxerint, ex ambitione eò perue-

peruenerint: hæc enim omniũ malorũ cauſa eſt, dum alter alterum prouocat ad contentiones & lites. Cæterùm cum plerique apud ipſos uiſi increpare delinquentes, ſuos ulciſcebantur & effundebant affectus: docet, neminem eſſe contemnendum, qui non obſtinata mente nitatur aduerſus ueritatem. & ait: Hypocritarum eſt huiuſmodi ſupercilium & ſæuitia: Chriſti ſpiritus (quoniam cupit omnes ſaluos fieri) manſuetudine pellicit ad reſipiſcendum. *Huc uerò in primis id te pertrahere debet, qui ſeuerior es erga fratrum lapſus, quòd hoc ipſum tibi uſuuenire poteſt quod illi obuenit, cui tu implacabiliter iratus es. Huius lapſus te doceat non tibi fidere, nec efferre criſtas. Sic age cum lapſo, quomodo tecum agi cupias, ſi quid ſimile tibi ueniſſet uſu.* Ambroſius: Nunc hos alloquitur, qui firmiores erant, ne inflatione bonæ uitæ, eum qui fortè à peccato circumuentus fuiſſet, ſpernendum putarent, & abijciendum, ideó que conſulendum his. Cum manſuetudine enim prouocandi ſunt ad reformandos ſe, &c. *Iam exemplo & lege Chriſti hortatur Galatas, infirmos lapſosque inſtaurent.* Lex autem Chriſti omnes ſaluos uult fieri: ac per hoc, qui fratri peccanti conſulit, ut redeat ad propoſitum, implet uoluntatem Chriſti. Exemplum Chriſti nullum aliud quàm lenitas: leniſſimè enim pertulit peccatores. *Metaphoram porrò traxit ab ijs, qui grauiter ſub ſarcinis gementes leuantur à ſubeuntibus, & ſarcinas in ſe quoque æquali pondere recipientibus. Porrò legem Chriſti complere haud fuerit difficile (dicit Paulus) cum nihil penitus ſit, cuius gratia meritò quis eius legis incommoditatem cauſari poſſit, niſi forſan ſe credat digniorem, quàm qui fratrum onera portet. Is uerò mentem ſuam decipit. Nam arrogans ille fratrum contemptus, & ſuperba animi elatio ſatis magno argumento eſt, quòd plurimum huic ſapientiæ & religionis ueræ deeſt. Deinde qui talis eſt, è ſuis ſe factis æſtimet, non alienis. Expendat, an ipſe uirtutibus proprijs clarus ſit: proinde cognita ad hunc modum propria infirmitate, diſcet agere moderatius & clementius, ſapereque humilius. Iam & rationem reddit, cur quilibet in ſe debeat deſcendere:* Non damnabitur, inquit, hic quiſquam ob aliena ſcelera, nec abſoluetur quiſquam propter alienas uirtutes: quiſque propriam baiulabit ſarcinam: quiſque ergo ſeſe inſpicere debet quid agat, non quid agant alij. D. Ambroſius: Ad poſtremum hoc uoluit innoteſcere ſuperbis, quia non coinquinatur quis alieno peccato, dummodò diſſentiat, ut nemo uereatur ſe iungere peccatori, aut accedentem ad ſe ſuſcipere, ut eum lucretur: *Cæterùm quod in alijs epiſtolis ſolet, id hic quoque facit: commendat Galatis uerbi miniſtros, & iubet ne ingrati ſint erga ipſos, ſed uitæ neceſſaria ſuppeditent. Catechizare uerò, eſt tradere myſteria religionis Chriſtianæ:* Theophylactus. De doctoribus deinceps diſſerit, ut ab ipſis inſtituti communicent inſtituentibus, non in uno quopiam, ſed in omnibus bonis, alimenti, indumenti, honoris, beneuolentiæ, adeó que omnia planè impertientes eis bona. Maiora namq; catechumeni, quàm dant, accipiunt: nempe pro carnalibus ſpiritualia, &c. *Videant autem, ait, qui docent, ut digna Chriſto ſint quæ tradunt, & Chriſti ſpiritum ſapiant. Qui enim, perperam tradita doctrina Euangelica, præmium accipit ab eo quem inſtituit, hominem quidem fallit, imò ſeipſum fallit: cæterùm Deum non fallit. Sed cuiuſmodi ſementem fecerit homo, huiuſmodi quoque meſſem facturus eſt.* Theophylactus. Ac nunc pariter oſtendit, quòd erga tales liberalitatem non oporteat claudi, tanquam in ſpiritualem rem ſumptum faciant. Conferens igitur ſumptus qui fiunt in carnalia & ſpiritualia: Si in carnem, inquit, impendas, menſas & condimenta parans, temulentiam, delicias, & conuiuia ſeminans, & uoracitatem & corruptionem metes: nam corrumpuntur & corrumpunt corpus. Sin in ſpiritum ſemines, hoc eſt ſpiritualia opera, eleemoſynam omnibus impertiens, ac temperantiam ſeruans & exhibens: uitam æternam metes, &c. *Perſtans autem in eadem allegoria, cohortatur ipſos ad perſeuerantiam in operibus bonis, maximè uerò in beneficentia & communicatione. Itaque, inquit, perpetuum ſtudium ſit nobis, benemereri de omnibus: nec unquam ceſſemus à benefaciendo, ſiue gratos nanciſcamur, ſiue ingratos: ſiue reſpondeat præmium ab hominibus, ſiue nõ reſpondeat. Nam ſuo tempore fructus continget à Deo, nunquam interiturus, pró que temporarijs officijs merces reponetur æterna.* Theophylactus: Vt non eſt tempus ſeminandi in futuro ſeculo, ſic neq; miſerendi: id quod indicant uirgines, & Lazarus. Matth. 25. Lucæ 16. Tantiſper ergo dum in hac uita nobis tempus ſupereſt, nedum erga præceptores ac doctores, uerumetiam tam Græcos quàm Iudæos bonum faciamus: hoc eſt, benefici ſimus & miſericordes, eleemoſynam impertientes: ſed longè maiorem honorem fidelibus exhiberi conuenit, &c. *Cogitemus itaq;, tempus ſementis tempus*

a Ioan. 9. *pus eſſe præſens, & uitam quam currimus: in hac licet nobis quod uolumus ſeminare. cum iſta uita tranſierit, tempus operandi auſertur. Vnde & Saluator* ᵃ *ait: Operamini dum dies eſt: ueniet nox, quando iam nullus poterit operari.*

DIVAE VIRGINIS FESTO, QVANDO NATA eſt, lectio Ezechielis Cap. 40.

IN diebus illis facta eſt ſuper me manus Domini, & duxit me in uiſionibus Dei in terram Iſrael, & dimiſit me ſuper montem excelſum, ſuper quem erat quaſi ædificium ciuitatis, uergentis ad Auſtrum. Et introduxit me illuc, & conuertit me ad portam quæ reſpiciebat ad Orientem, & hæc clauſa erat. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clauſa erit, & nõ aperietur. Vir non tranſibit per eam: quia Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam.

EXPLICATIO.

D. Hieronymus: *Pulchrè quidam portam clauſam, per quam ſolus Dominus Deus Iſrael ingreditur, & dux cui porta clauſa eſt, Mariam uirginem intelligunt, quæ & ante partum, & poſt partum uirgo permanſit. Etenim tempore* Lucæ 1. *quo angelus loquebatur, Spiritus ſanctus ueniet ſuper te, & uirtus altiſſimi obumbrabit te: quod autem naſcetur ex te ſanctum, uocabitur filius Dei: & quando natus eſt, uirgo permanſit æterna, ad confundendos eos qui arbitrentur, eam poſt natiuitatem Saluatoris habuiſſe de Ioſeph filios, ex occaſione fratrum eius, qui uocantur in Euangelio. Super qua quæſtiuncula Romæ aduerſus Heluidium illius temporis hæreticum, in adoleſcentia non grandem librum ſcripſiſſe me noui. Hæc ille.* D. Epiphanius: *Quidam auſi fuerunt dicere, quòd rurſus aliqui ex ipſis dicunt de Maria, quod poſtquam genuit Chriſtum, copulata fuerit uiro Ioſeph. Veruntamen ex omnibus uana & impoſtoria horum doctrina eſſe comprobabitur ei, qui prudentia præditus eſt. Neq; enim quòd uſus ſit uirgine, omnino reperitur. Poſtquam enim genuit, uirgo impolluta permanſit.* D. Athanaſius: *Dicimus eam iterum atque iterum, & ſemper, & undequaque beatiſſimam. Decet enim te matrem regeneratricem dominam ac heram cognominari, eo quòd ex te prodijt Dominus rex, Dominus ac Deus noſter, aſſiſtentem illi, nobis quidem terribili, tibi aũt dulci, omnemq; gratiam largienti: qua de cauſa factum eſt, ut gratia plena apellata ſis, utpote quæ omni gratia abundares: idq; per ſuperuentum in te Spiritus ſancti: ideóque uultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditati ſcilicet iſtiuſmodi bonis, et ſpiritualibus contemplationibus. Ad te clamamus, recordare noſtri ſanctiſſima uirgo, quæ etiam à partu uirgo permanſiſti. Hactenus D. Athanaſius, in Euangelium de ſanctiſſ. Deipara.*

DOMINICA DECIMASEXTA POST TRINItatis, Epiſtola beati Pauli apoſtoli ad Epheſ. 3.

OBſecro uos ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis, quæ eſt gloria ueſtra. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini mei Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, ut det uobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ uirtutem, corroborari per ſpiritum eius in interiori homine, habitare Chriſtum per fidem in cordibus ueſtris: in charitate radicati & fundati, ut poſsitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quę ſit latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum. Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundãter quàm petimus aut intelligimus, ſecundũ uirtutem quæ operatur in nobis, ipſi gloria in eccleſia, & in Chriſto Ieſu, in omnes generationes ſeculi ſeculorum: Amen.

EXPLICATIO.

D. *Paulus Hieroſolymis captus, & Romã abductus, impijs & æmulis ſuis occaſionẽ calumniandi dedit,*

dedit. Vociferabantur enim: Si Paulus Dei miniſter fuiſſet, ſi ueritatis egiſſet negocium, nequaquã uinctus permittente Deo ueniſſet in manus Romanorum. Vincula ergo eius ſatis magno argumento ſunt, quòd Deum habeat iratum, & cauſſam iniquam. Adhæc porrò infirmorum animi uehementer turbabantur, afflictabantur'que. Hos hortatur, ut in accepta fide perſeuerent, nec deficiant ob afflictiones eius, ſic dicens: Hoc arcanum Dei conſilium, quoniam fortiter ubique prædico, uehementer affligor ab ijs, quibus id nondum perſuaderi poteſt. Nec eſt quòd uos pudeat huius Apoſtoli, compedibus onuſti. Nam quemadmodum Chriſti crux noſtra eſt gloria, ita meæ compedes, quas non ob flagitia, ſed ob Euangelij ſinceritatem geſto, uobis decori ſunt, non probro. Atque hac ſanè gratia, flexis genibus ex intimo mentis affectu deprecor Deum, patrem noſtrum, à quo ceu ſummo capite pendet omnis cognatio ſpiritualis, qua conglutinamur ſiue angeli in cœlis ſiue fideles in terris: ut quemadmodum cœpit exuberantem gloriam ſuam declarare in uobis, ita magis ac magis augeat ſuam erga uos munificentiam: ut qui per baptiſmum inſiti eſtis Chriſto, quotidianis auctibus robur ac uires colligatis, iuxta mentem atque animum: id'que ſemper augeſcente in uobis dono paterni ſpiritus. D. Ambroſius: In eo petit eos magis firmari, ut non ambigant, ſed magis credant, Chriſtum habitare in ſe, quem non uident his oculis, ut ſpiritus datus hoc eis per Dei donum infundat, ut certi ſint de Chriſto, quòd uiuit, & filius Dei eſt, & habitat per fidem in cordibus noſtris: ut cum fidem eius habemus in cordibus noſtris, ipſum habere uideamur, &c. Cæterùm quòd principio precatus eſt, ut detur eis ſpiritus ſapientiæ & intellectus & reuelationis, ut ſciant quæ ſit ſpes uocationis, & id genus alia, idem & nunc ait: Vt poſſitis, inquit, comprehendere, quàm in immenſum ſe porrigat Dei patris bonitas, quam'que non anguſtis finibus cohibeatur, altitudine ad angelos ſe uſque proferens, profunditate ad inferos uſque penetrans, longitudine ac latitudine ad omnes huius mundi plagas ſeſe dilatans. D. Ambroſius: Poſt Dei patris infinitam & incomprehenſibilem cognitionem, & inenarrabilem clementiam, Chriſti quoque agnoſcere nos uult charitatem. Quis enim poteſt colligere myſterij huius charitatis rationem, ut & Deus hominis cauſa homo naſceretur, deinde moreretur pro hominibus, pro ſeruis Dominus, pro creatura creator, pro impijs pius? Hoc ergo uult nos ſcire, quæ ſenſus noſter aſſequi non poteſt, nec perſpicere profunditatem beneficiorum Chriſti erga nos, ut perinde ſemper ei ſupplices & deuoti, & qui debitis nulla ratione ſatisfacere poſſumus, uel in fide eius uſque ad mortem perſeueremus, &c. Cæterùm ubi addit Paulus, Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei: bifariam nonnulli intellexerunt. uel quòd in Patre & Filio & Spiritu ſancto adoretur nobis Deus: uel ut ſint impleti omni uirtute, qua plenus eſt Deus. Theophylactus: Rectius autem opinor ſic intelligi, Vt ſitis perfecti in omni diuina perfectione, omnia diuina cognoſcentes, quatenus licet, &c. Iam ut fidem excitaret credentium D. Paulus, & gratitudinem commendaret, docet Deum cumulatè facere ultrà omnia quæ petimus, aut cogitamus: Tam bonus, inquit, & benignus eſt Deus, ut ſua liberalitate non modò æquet uota noſtra, uerumetiam ſpem ſuperet. Neque enim hic quicquam noſtris uel meritis uel uiribus agitur. Nos nihil aliud ſumus quàm organum potentiæ diuinæ, quæ uim ſuam exerit in nobis. Huius igitur largitati tranſcribenda eſt omnis gloria, quæ relucet in Eccleſia per Chriſtum Ieſum. Atque huius gloriæ nullus erit finis, ſed per omne æuum perſeuerabit in æternum, quemadmodum & Eccleſia Chriſti nullum finem eſt unquam habitura. Quod dixi certum eſt, & indubitatum.

DOMINICA DECIMASEPTIMA EPISTOLA beati Pauli apoſtoli, ad Epheſios Cap. 4.

OBſecro uos ego uinctus in Domino, ut dignè ambuletis uocatione qua uocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem in charitate: ſolliciti ſeruare unitatem ſpiritus in uinculo pacis. Vnum corpus, & unus ſpiritus, ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ. Vnus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis: qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

EXPLICATIO.

Apoſtolicæ manſuetudinis exemplum eſt, quòd tam modeſtè Epheſios ad uitam Chriſtianis dignam hortatur Apoſtolus. In primis er-
a Ioan.14. *go adhortatur Apoſtolus ad concordiam, ut ſcilicet eccleſia in uno ſpiritu concors pergat in doctrina ueritatis: a uitijs ſibi caueat, diſcordiam alentibus: uirtutes que ambiat, quæ concordiam pariunt. Porrò ad perſuadendum & permouendos auditorum animos id potiſſimùm facit, quòd per ipſa uincula ſua obteſtatur Epheſios. quaſi dicat: Quoniam intelligitis, à*
b Ioan.17. *quàm abiecta cõditione ad quantam dignitatem, à quãta deſperatione ad quàm eximia præmia uocati ſitis, obteſtor uos per has cathenas, quibus non ob mea facinora, ſed ob Dei gloriam & ueſtram ſalutem uinctus ſum, ut quod supereſt, ueſtræ profeſſiom Deiq; erga uos benignitati, morum innocentia reſpondeatis. Id fiet, ſi profeſſionis dignitas non reddat uos elatiores, ſed tota uitæ conſuetudo præ ſe ferat in omnibus ueram animi modeſtiam, manſuetudinem, ac lenitatem: neque per faſtum alius alium deſpiciat, ſed potius ad tempus obſecundantes alienæ infirmitati, ſeruetis concordiam & unanimitatem ſpiritus in connexione pacis. Theophylactus: Quemadmodum in corpore ſpiritus eſt, qui omnia continet & unit, etiamſi diuerſa fuerint membra: hunc ad modum in fidelibus Spiritus ſanctus eſt, qui unit & coniungit omnes, etiamſi diuerſa habuerimus, & genus & mores & ſtudia, atq; per hunc ſanctum ſpiritum unum corpus efficimur, &c. Cæterùm uarias iam ſubijcit cauſas Apoſtolus, quibus animet, adeóq; adigat ad concordiam: Non conuenit, inquit, eos inter ſe diſsidijs animorũ diſtrahi, quibus tam multa ſunt communia. Primò unum corpus eſtis omnes, id eſt una eccleſia, cuius unicum caput Chriſtus eſt: eundem ſpiritum Chriſti hauſiſtis omnes, quin et ad eandem hæreditatis ſpem ex æquo uocati eſtis. D. Hieronymus: Quæritur, quomodo una ſpes uocationis ſit, cum apud patrem [a] diuerſæ ſint manſiones? Ad quod unam ſpem uocationis regnum cœlorum, quaſi unum bonum Dei patris eſſe dicemus, & in una domo uarias manſiones: aut certè illud ſubtilius indicatur, quòd in fine & conſummatione rerum in priſtinum ſtatum reſtituenda ſint omnia, quando omnes unũ corpus efficimur, & in uirum perfectũ reformamur, & oratio pro nobis Saluatoris impletur: [b] Pater, da ut quomodo ego et tu unum ſumus, ſic & iſti in nobis unũ ſint. Hæc ille. Præterea, Vna, inquit, fides eſt. unus eſt enim omniũ Dominus Ieſus Chriſtus, quẽ omnes profitentur, qui uel ex Iudæis in eccleſiam conceſſere, uel ex Gentibus uocati uenerunt. Iam cum una modò uera fides ſit, non poteſt niſi unum eſſe baptiſma, quod ex morte Chriſti æqualiter efficax eſt, in omnes qui credunt Euangelio. D. Hieronymus: Nobis unus Deus pater, ex quo omnia: & unus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Sicut enim Deo patri non adimit filius, ne Dominus ſit, cum Dominus ipſe ſolus dicatur: ita & filio non aufert pater ut Deus ſit, quia pater Deus tantummodo nominatur. Vnus eſt Dominus, & unus eſt Deus, quia patris & filij dominatio una diuinitas eſt: propterea & fides una dicitur, quia ſimiliter in patrem & in filium & in ſpiritum ſanctum credimus, & baptiſma unum. Eodem enim modo & in Patrem & in Filium et in Spiritum ſanctum baptizamur. Et ter mergimur, ut trinitatis unum appareat ſacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris & Filij & Spiritus ſancti: ſed in uno nomine, quod intelligitur Deus. Tantum ille.*

IN FESTO MATTHAEI APOSTOLI EPIſtola beati Pauli apoſtoli, ad Epheſios Cap. 4.

VNicuiq; autem noſtrûm data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Et ipſe dedit quidem quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios uerò Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, Domini noſtri.

EXPLI-

D.Hieronymus: Licet Deus pater ſuper omnia ſit, & per omnes, & in omnibus, tamen gratia iuxta menſuram credentibus datur: non quòd ad menſuram ſpiritum & gratiam tribuat Deus, magnificẽtiæ enim eius non eſt finis: ſed quòd iuxta menſuram uaſculorum infundit liquorem, tantum muneris largiens, quantum poteſt ille cui donatur accipere, &c. Ne quis igitur donorũ diuerſitatem crederet officere unitati, ad Deum autorem donorum omne negocium reijcit, dicẽs: Hæc donorum partitio non à nobis, ſed à Dei pendet arbitrio, qui cuiq; ſua beneficia diſpenſat largius, aut parcius, utcunq; perſpexerit expedire. Non eſt itaque cur faſtidiatur qui minus habet, nec eſt cur criſtas tollat qui plus habet. Illud diſpenſantis eſt Dei, hoc largientis: licet omnia per Chriſtum, qui ſimul hæc largitur cum patre. Iam quia donorum meminiſſet, confirmationis uice ſubdit Dauidis teſtimonium ex Pſal. 67. Sunt autem hæc uerba de ipſius Dauid uictoria & triumpho intelligẽda. Cæterùm cum Dauid typum geſſerit Chriſti, pulchrè Apoſtolus hæc Prophetæ uerba aptauit Chriſto, qui & ipſe deuictis hoſtib. peccato uidelicet, morte & diabolo, ab his opima abſtulit ſpolia, totum uidelicet cœtũ credẽtium. Porrò uictoria parta, & captis in libertatem aſſertis, ipſe triũphans cœlos aſcẽdit: inde uerò dona plebi ſuæ dedit, ſingulis diſpertiens dona Spiritus ſancti, prout cuiq; expediebat. D. Ambroſius: Expoliauit inferos, cum captiuos, quos ex præuaricatione Adæ, aut proprijs captos peccatis, in conditione tenebant, abſtulit conſentientes ſibi: & aſcendẽs inde, in cœlos induxit. Ex quib. aliquanti reſurgẽtes in corporib. multis [a] apparuerũt ad teſtimoniũ euictæ mortis, ut qui fortè Chriſti reſurrectionem credituri non eſſent, ex horum reſurrectione quos mortuos ſcirent, rei fierent. Hos enim uiderunt, quos cognoſcerẽt dudum uixiſſe. Quamuis captiui, inuiti & alieni ducantur: Saluator tamen & ſuos duxit, & uoluntarios, &c. Porrò ad expoſitionem horum faciunt iam & illa quæ ſequuntur. Per deſcenſum autem intelligit totum incarnationis myſterium, & paſſionis, quòd ad infima quæ in terris ſunt ſeſe demiſit: ad ipſam inquam mortem crucis turpiſſimam, ut innocenti ſua morte eum uinceret, qui mortis habebat imperium, diabolum: & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant ſeruituti. Hacq; humilitate ſua Chriſtus meruit, ut rurſum ſubueheretur ultra cœlorum omnia faſtigia, ita nobis ſubducens corporis ſui præſentiam, ut è ſublimi cœleſtibus donis impleret omnia, & alia quadam ratione iam nobis adeſſet efficacius, quàm adfuerat cum nobiſcum in terris uerſaretur. Non enim deſeruit corpus ſuum, ſed ita partitus eſt ſingulis membris ſuas dotes, ut in uniuerſo nihil deſideretur, licet alijs dotibus alia præpolleant. Quoſdam enim uoluit eſſe præcipuos, uelut Apoſtolos: hi nullis certis affixi ſedibus, regiones peragrando Chriſtum prædicabant, & ueluti legati ad uarias concedebant gentes: qualis fuit Paulus, Barnabas, Silas, & cæteri. quoſdam uerò Prophetas: hi ſacris literis maximè inuigilabant, exponendis & eruendis myſterijs, non tam plebis indoctæ quàm eruditorum rationem habentes. Et quidam habebant ſpiritum uatidicum, ut Agabo. quoſdam autem Euangeliſtas: hi plebe potiſſimùm erudienda incumbebãt, atque Euangelium huic quàm ſimpliciſſimè annunciabant, quales fuerunt Priſcilla & Aquila, teſte Theophylacto. Iam paſtores & doctores. Theophylactus: Qui eccleſias inſtituerunt, intelligit epiſcopos, quales erant Timotheus, Titus, & alij. Per doctores uerò, ipſos etiam diaconos, ideoq; miniſtros. Hæc ille. Vel certè doctores erant pædagogi catechiſtæ, qui uel priuatim uel publicè præficiendos populo, uel ipſum populum inſtituebant. Iam docet D. Paulus, in quem finem inſtituerit Dominus miniſterium uerbi & miniſtros, ubi dicit illos diſtributos ad perfectionem, inſtructionemq; ſanctorum, in ædificationem corporis Chriſti. D. Hieronymus: Cum corpus Domini Eccleſia ſit, & Eccleſia de uiuis lapidib. conſtruatur, hi quos ſuprà memorauimus in Eccleſia conſtitutos, id habent operis, ut [a Matth. 27.] ſecundum diſpenſationem & officia ſibi credita, eccleſiam Chriſti, id eſt corpus eius ædificent, &c. Hæc uerò ædificatur, cum in fide & ſanctimonia inſtituitur atque creſcit. Nam per expoſitionem ſubiungitur, Donec perueniamus omnes in unitatem fidei: id eſt, in unam ueram & ſinceram fidem, quæ eſt cognitio Ieſu Chriſti filij Dei. Iam & ab incremento auctibusq; hominis & ætatum gradibus metaphoram ducens, uult nos eſſe uiros perfectos, qui excreuerint ad iuſtam menſuram Chriſti, in quo nihil fuit nec imbecillitatis, nec erroris, nec uitij. D. Ambroſius: Ita elaborandum, ut perfectio fidei apprehendatur: cuius hæc ratio eſt, ut Chriſtum perfectum & plenum Deum teneat fides, ne menſura humana metiatur, ſed in plenitudine diuinitatis quaſi perfectus Deus habeatur. Nec enim

perfectum dicens uirum, temporali ætate & menſura ſignificat: ſed per hoc dictum perfectos nos uult fieri in plenitudine intellectus diuinitatis filij Dei. Tantum Ambroſius.

DOMINICA DECIMAOCTAVA, EPISTOLA BEATI *Pauli apoſtoli, 1. Corinth. Cap. 1*

GRatias ago Deo meo ſemper pro uobis, in gratia Dei, quæ data eſt uobis in Chriſto Ieſu, quòd in omnib. diuites facti eſtis in illo, in omni uerbo & in omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in uobis: ita ut nihil uobis deſit in ulla gratia, expectantibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui & confirmabit uos uſq; in finem ſine crimine in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti.

EXPLICATIO.

Hoc exordio deuincit ſibi D. *Apoſtolus Corinthiorum animos: ſed & pſeudoapoſtolos aduerſarios ſuos perſtringit, qui conuiciabantur, Paulinæ doctrinæ adhuc multa deeſſe, quæ pertinerent ad perfectionem corporis Eccleſiaſtici. Inde ergo auſpicans, ex contrario gratulatur Corinthijs abundantem gratiæ Dei contigiſſe cognitionem, per quam & ſalutem, ſi perſiſtant, conſequi poßint.* D. Ambroſius: *Quanquam omnibus in Eccleſia ſcribat, ſed ita ſignificat, cum aliquando corripit, aliquando laudat, ut unuſquiſq;, cum epiſtola legitur, intelligat quid pro ſe, quid aduerſum ſe dicatur. In una enim plebe duobus populis ſcribit: ut cum arguit qui malè conuerſantur, ſciant ſibi hæc ſcripta: ſimiliter & cum laudat, ſciat qui in regula manet, ad ſe hoc dici, &c.* Ideoq; *inquit* D. *Paulus:* Non *ceſſo gratias agere Deo meo, ueſtro nomine, quòd huius bonitate ſic exuberarit in uobis Chriſti munificentia, ut qui antehac opes terrenas fluxas ac temporarias uenabamini, nunc cœleſtibus, nec unquam perituris opibus, Chriſti beneficio ſitis locupletati, quæ ſolæ uerè beatos reddunt.* D. *Ambroſius datam dicit gratiam à Deo, in Chriſto Ieſu: quæ gratia ſic data eſt in Chriſto Ieſu, quia hoc conſtitutum eſt à Deo, ut qui credit in Chriſtum, ſaluus ſit, ſine opere, ſola fide, gratis accipiens remißionem peccatorum, &c. Cæterùm diuitias haſce cœleſtes iterum clarius exponit, dicens:* Nullum *eſt uel ſermonis uel ſcientiæ donum, quod non ſitis ampliter aſſecuti. Dudum inanis philoſophiæ ſupercilio tumebatis, nunc pro falſa ueram amplexi ſapientiam, colitis modeſtiam: atq; in eo quod optimum eſſe cognoſtis, conſtanter perſtitiſtis: unde & Euangelij ueritas & Chriſti fides per uos facta eſt illuſtrior, confirmatiorq;, dum ipſa re declaratũ eſt omnibus, geſta in uobis autore Deo geſta eſſe, qui ſuis dotibus additis noſtram prædicationem comprobauit.* D. Hieronymus: *Hoc dicendo Apoſtolus oſtendit, eos quando ad fidem Chriſti acceſſerũt, omni gratia tunc ditatos: nũc autem non iuxta fidem cõuerſantes, uacuefactã monſtrat gratiam quã perceperunt. Hæc ille. Porrò ut conuincat pſeudoapoſtolorum iniquam calumniam, ait:* Quamuis *nec Petrum nec Iacobũ uidiſtis, uel præcipuos Apoſtolos: tamen nihil eſt earum rerum, quibus Deus ſolet Apoſtolorum miniſterium comprobare, in quo uideamini cæteris inferiores. Iam ut iſta ceu pignora immortalitatis futuræ tenetis, ita ex his quæ cernitis fidem eorũ colligentes quæ non cernitis, expectatis diem illum, quo Chriſtus, qui nunc in membris ſuis laborare uidetur, palàm aperiat maieſtatem ſuam.* D. Ambroſius: *Futurum iudicium Dei dicit, in quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus reuelabitur tam fidis quàm infidis, ut cognoſcãt increduli, ac ſciãt uerum eſſe quòd credere noluerunt, & pereant: fidi uerò gaudeant, plus boni inuenientes quàm putauerant, &c. Rurſus ne quis eſſet, qui uiribus ſuis res tantas aſcriberet, aut trepidaret, ſubiungit:* Quem *olim eſtis habituri iudicem, nunc habetis opitulatorem. Huius muneris eſt, quòd ab erroribus priſtinæ uitæ ſitis ad innocentiam reſtituti: eiuſdem munere continget, ut quemadmodum cœpiſtis piam uitam agere, ita perſeueretis eſſe moribus inculpatis, ne quid reperiat in uobis dies ille formidabilis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod atrum calculum mereatur.* D. Ambroſius: *Alacri animo, confiſus de ſpe illorũ, ſecurus eſt, quia inuiolati uſq; ad futurũ iudiciũ erunt. Qui enim inter tot diſcrimina ſenſuum & perturbationes diuerſitatũ immutari non potuerũt, proculdubio in eodẽ manſuros ſe oſtẽdunt. Cum hos laudat, illos qui errore pſeudoapoſtolorũ deprauati fuerãt inuitat: dum enim horum fidem prædicat, illos ad pœnitentiam uocat.* Hactenus Ambroſius.

IN DIE FESTO OMNIVM ANGELORVM, PRAECIPVE autem Michaelis archangeli, Lectio lib. Apocalypſ. Ioan. apoſt. Cap.12.

ET factum eſt prælium magnum in cœlo. Michael & angeli eius præliabantur cum dracone: & draco pugnabat, & angeli eius, & nõ ualuerunt: neq; locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo. Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui uocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit uniuerſum orbem: & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo miſsi ſunt. Et audiui uocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta eſt ſalus & uirtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrũ noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri, die ac nocte. Et ipſi uicerunt eum propter ſanguinem agni, & propter uerbum teſtimonij ſui, & non dilexerunt animas ſuas uſq; ad mortem: propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis.

EXPLICATIO.

Aurelius Auguſtinus, ſeu quiſquis fuit, in Cõmentarijs in Apocalyp. palàm fatetur, tropologicè interpretanda. Nam abſit (inquit) ut credamus diabolum & angelos eius in cœlo auſos eſſe pugnare, qui in terra unum Iob auſus non eſt tentare, niſi cũ à Domino poſtularet ut læderet, &c. Deſcribitur igitur hic ſpiritualis Eccleſiæ cum diabolo pugna: imò non ſolùm pugna, uerùm etiã triumphus. Cœlorum enim nomine Eccleſia hic accipitur, ſanctorum hominũ congregatio, iuxta illud Dauidis: [a] *Cœli enarrãt gloriã Dei. Et alio in loco:* [b] *Annunciabũt cœli iuſticiam eius. Iam angelorum officium eſt, ut pro defenſione ſanctorũ iugiter contra Satanam excubent. Sic enim ſcribit D. Paulus: Ad quem autem angelorum dixit aliquando,* [c] *Sede à dextris meis? &c. Nõ ne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capient ſalutis? Hebr. cap. 1. Rurſus Satan cum angelis ſuis totus in hoc eſt, ut noceat, ſeducat & occidat: cuius rei gratia mendacij parens in Euangelio appellatur, Ioan. 8. Cæterùm diabolus cum angelis & Eccleſia pugnans uincitur: uincitur autem duce Chriſto, cuius hæc uox eſt: Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foràs. Cum autem Eccleſia Chriſti corpus ſit, uictoria Chriſti Eccleſiæ uictoria eſt atq; erit. S. Auguſtinus: Non eſt inuentus locus eorum in hominibus ſanctis, dixit: quia credẽtes, ſemel expulſum diabolum, eiusq; ſatellites non amplius recipiunt, ſicut Zacharias dixit, ut ſemel exterminati idola amplius non recipiant loca, Zachar. 13. Diabolus & ſpiritus immundi omnes cum ſuo principe de ſanctorum cordibus expulſi ſunt in terram, id eſt, in homines qui terrena ſapiunt, & totam ſpem ſuam in terram cõſtituunt. Hæc ille.*

Porrò uox illa magna quam Iohannes in ſpiritu audiuit, concentus eſt publicus, quo per totum orbem Eccleſia laudes canit Deo in excelſis, prout diuinus uates olim dixit: Omnis terra adoret & pſallet tibi, pſalmum dicat nomini tuo: Pſalm. ſexageſimoquinto. Et ſanè antequam ille accuſator proijceretur in terram, non ſalus erat, ſed perditio & mors: non erat uirtus, ſed infirmitas & corruptio: non erat in hominibus regnum Dei noſtri, ſed regnum peccati & mortis: non erat a Pſal.18. *poteſtas Chriſti eius, ſed poteſtas principis te-* b Pſal.49. *nebrarum, qui in hoc mundo mortis imperium habebat. Quando autem Chriſtus paßione & reſurrectione tranſiuit ex hoc mundo ad patrem, tunc facta eſt ſalus, remißio quidem pecca-* c Pſal. 109. *torum noſtrorum: tunc inquam facti ſumus regnum Dei noſtri, dicente Petro: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut uirtutes annuncietis eius qui de tenebris nos uocauit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti: prima epiſtola Petri, ſecundo capite. Et facta eſt poteſtas Chriſti eius in cœlo & in terra, ipſo dicente Matt. ult. cap. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Dictus eſt aũt Satanas accuſator fratrũ, quia tenebat chirographum decreti aduerſum nos, in quo peccatũ Adæ ſcriptum erat, & cõfidebat illo chirographo teſte, ſe iure genus humanũ poßidere: uerùm ipſum ſua ſpes multũ feſellit. Cõuiuificauit enim nos Deus (ut Apoſtolus dicit) cũ Chriſto, donãs nobis omnia delicta, delens* Coloſſ.2. *quod aduerſus nos erat chirographũ decreti, etc. Et qui accuſabãtur, uicerunt illũ, & obmuteſcere*

ſecerunt. Verùm hoc non propter ſe, uel propriæ iuſticiæ uirtutem, ſed propter ſanguinẽ agni quo redempti ſunt, & propter fidem, per quam teſtimonium reddit illis, quòd ſint filij Dei: pro cuius fidei confeſſione expenderunt animas ſuas. Propterea lætamini & uos in eis, qui Chriſtum ex animo amore complectimini: qui prius accuſabamini, quòd terra eſſetis, & ſub iure impijſſimi hoſtis diaboli: nunc autem in cœlis habitatis, imò & cœli eſtis, de quibus ille proiectus eſt.

DOMINICA DECIMANONA POST TRIN. EPIſtoia beati Pauli apoſtoli ad Epheſ. Cap. 4.

FRatres, Renouamini ſpiritu mentis ueſtræ: & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, iuſticia & ſanctitate ueritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini ueritatem unuſquiſq; cum proximo ſuo: quoniam ſumus inuicem membra. Iraſcimini, & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam ueſtram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſsitatem patienti.

EXPLICATIO.

Quid potiſſimùm Apoſtolus hic urgeat, facilè uidere eſt, ſi quis exactius præcedentia expen pendat. Prophanæ gentilium uitæ, Chriſtianam, hoc eſt ſanctam oppoſuit, hãcq; ipſis Ephiſijs uarijs commendauit nominibus. Iam ergo renaſcentiam & innouationem urget. Dicit itaq;: Ieſum ſedulò ac pro uiribus imitemini, ut quemadmodum ille nulli uitio fuit obnoxius, iamq; uictor mortis fruitur immortalitatis gloria, ita & uos in illum renati, exuatis ueterem hominem, primam illam originem malis ac mortiferis cupiditatibus referentem: iamq; ipſi nouo homini Chriſto per baptiſmum inſiti, renouemini & uos cum illo, non quidem iuxta corpus, ſed iuxta mentẽ, in quã potiſſimùm agit ſpiritus Chriſti: ac depoſita priſtinæ uitæ uetuſtate, induatis nouum hominem, qui ſpirituali quadam ratione conditus eſt nuper in nobis, opificio diuino. D. Ambroſius: Innouatus ſpiritu mentis, nouum hominem dicitur indutus, qui eſt Chriſtus. Chriſtum enim induit, qui per fidem renatus in Chriſto, æmulus eſt uitæ quam tradidit Chriſtus, ut iuxta Deum creatus uideatur: in eo enim quis creatur, in quo ſapit, & ideo ueritas & iuſticia Dei à gentibus ignorantur, &c. Quòd uerò inter reliqua dicit, nouam hanc creaturam in uera iuſticia & ſanctitate creatam eſſe, exponit quid ſit hominem ad imaginem Dei creatum eſſe: ut ſcilicet iuſtus ſit & ſanctus & uerax, ſicut Deus: ut ſanctitate ueritatis, non uanitatis ſit præditus. Cæterùm ubi generatim ueteris hominis mentionem fecit Apoſtolus, deinceps & ſpeciatim per partes eum deſcribit: ac primò mendacium reſecat: id eſt, omnem dolum, fraudem, calumniam, & inſidias, quibus uerſuti circumueniunt proximos ſuos in negociationibus: & commendat ueritatem, id eſt, ſinceritatem, candorem, ſimplicitatem ac integritatem. Vera ergo ſanctimonia fucum, artes & mendacia neſcit. Pythagoras interrogatus, quid'nam homines potiſſimum ſimiles dijs faciat? Cum uera, inquit, loquuntur. Et Chriſtus Matthæi 5. Sit ſermo ueſter Eſt eſt, inquit, Non non. Cauſa adiungitur: Quoniam ſumus inuicem membra. D. Hieronymus: Nemo ſuum circumueniat fratrem, quia unum corpus ſumus, & non poſſunt alterutrum membra ſe fallere: nec enim manus illudit oculo, aut dentes lacerant membra, niſi fortè ubi ſpiritus immundus inhabitat. Ita Hieronymus. Porrò uerbis Prophetæ è Pſalmo 4. petitis, non iubet nos iraſci Apoſtolus: ſed ſi contingat iraſci, ut homines ſumus affectibus & infirmitatibus obnoxij, ne peccemus: id eſt, iram compeſcamus, ne ad iniuriam uſque progrediatur. Ait ergo: Perfectum eſt ira non tangi, ſed ſi ob imbecillitatem humanæ naturæ, nonnullus iræ impetus perſtringat animum, memores quid admoneat ſacer ille Pſalmographus, ſic iram erumpere geſtientem cohibete, ut non exeat in conuicium, aut iniuriam, aut odium. D. Ambroſius: Quoniam iraſci quis non poteſt prohiberi: quippe cum ira motus ſit naturalis, conceptus ex cauſis, qui ſolet ad profectum pertinere delinquentis: idcirco iraſcendum dicit, ſed commonet, ne per iram peccemus. Solemus enim modum egredi, dum iraſcimur, & inuenimur ipſi peccare, qui peccantes arguimus, dum plus iraſcimur, & amplius oneramus peccantem, quàm meretur. Hoc ergo docet, ut ipſa ira cum moderatione ſit, neque

nimium

nimium quis iuſtum ſe præbeat delinquenti: quia ſolent quidam ſic peccare, ut tantis plagis affici uideantur, quantas non poſſunt ferre: & qui pote rat fortè corrigi, tollitur de uita, non ſine peccato iraſcentis. Iram tranſire uult, nec retineri in pectore, ut die orta cum die decidat: quia ſi in animo manſerit, dat occaſionem diabolo gloriandi. Hæc Ambroſius. De hoc noſtro aduerſario & Petrus ſcribit,[a] quomodo circumeat quærens quem deuoret. Quando igitur inuenit mentem paratam ad malum, huic ſe inſerens, effectu ſuo decipit hominem factum ad uitam: quia hominis cogitare eſt, diaboli implere. Iam ad mendacium pertinet etiam furtum. D. Hieronymus: Quia enim hi qui in uitæ iſtius negocijs uerſantur, propter alimenta & uſus neceſſarios coguntur aliqua uel emere uel uendere, & lucra de negociatione ſectari: & difficile eſt etiam, eos qui à cæteris paßionibus liberi ſunt, fornicatione uidelicet, idololatria, adulterio & homicidio, hoc uitio non teneri: propterea nunc Epheſios monet, ne ſub occaſione emolumenti furti crimen incurrant, furtum nominans, omne quod alterius damno quæritur. Hæc Hieronymus. Neque uerò Chriſtianus ſolùm aliena non tollere iubetur, ſed & laborare: ut de labore ſuo ſe familiamq; ſuam ſuſtentare, & quæ prius abſtulerat rependere, & ſibi in futurum de iuſtè partis theſaurizare poſſit. Theophylactus: Non ſatis eſt à peccato a 1.Pet.5 quieſcere, ſed contraria ei uia eſt adeunda, diuerſum ab eo conficiendum iter. Antea operabatur malum, iam nunc operetur bonum: neque id ſimpliciter, uerùm cum labore: partim quidem ut conterat corpus, quod antea ex torpore mala didicerat: partim uerò, ut largiores habeat uitæ mores, & honeſtiorem conuerſationem, ac impertiat nunc alijs, ubi antehac aliena ſublegerat. Hæc ille.

DOMINICA VICESIMA POST TRINITATIS, EPISTOla beati Pauli apoſtoli, ad Epheſios Cap. 5.

VIdete itaq; fratres, quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus: quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quę ſit uoluntas Domini. Et nolite inebriari uino, in quo eſt luxuria: ſed impleamini Spiritu ſancto, loquentes uobiſmetipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus ueſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo & Patri, ſubiecti inuicem in timore Chriſti.

EXPLICATIO.

Quum multo cum periculo coniunctum ſit, agere inter eos qui non modò luxui & nequitiæ conſecrati ſunt, quin potius in omni immundicia & iniquitate ſeſe uolutant: hortatur Epheſios Apoſtolus, & ait: Vos autem Epheſij, quibus prælucet Chriſtus ſol noſter, etiam atque etiam circumſpicite, quibus modis ambuletis, non iam uiuentes gentium more, quæ ob mentis cæcitatem non ſapiunt quid ſit honeſtum: ſed uti decet eos qui uerè ſapiunt Euangelicam doctrinam, omnium rerum diſpendio redimentes iſtam opportunitatem parandæ ſalutis. D. Hieronymus: Quando in bono opere tempus conſumimus, emimus tempus: & proprium facimus, quod malicia hominum uenditum fuerat. Nemo autem uitæ huius quærens neceſſaria, & de diuitijs & ſollicitudinibus, quas Euangelium ſpinas nuncupat, cogitans, poteſt ſibi tempus redimere.[b] Redimentes autem tempus quod in diebus malis eſt, quodammodo immutamus illud, & dies malos in bonos uertimus, & facimus illos non præſentis ſeculi, ſed futuri. Hactenus ille. Cæterùm Dies malos uocat, non quòd ſuapte natura mali ſint (quæcunque enim Deus creauit, ualde bona erant) ſed quòd abuſu & uitio noſtro mali & periculorum pleni reddantur. Theophylactus: Gen.1 Non dierum eſſentiam atque naturam reprehendit: eſſentia enim diei lux eſt ipſa uulgaris, & horæ. quæ igitur in hiſce malicia eſt? ſed propter ea quæ in diebus fiunt, eaſdem uidetur incuſare. Perinde ac ſolemus dicere, Malum diem tranſegi, propter ea quæ in ipſa contigerunt: uidelicet quæ ab hominibus prauis facta ſunt, non à Deo. Tantum ille. Quia autem tempus malum eſt, & redimendum, appetendam docet ſapientiam, ut per illam intelligant quæ ſit uoluntas Dei. In omni ergo opere primum conſide b Luc.8 randum quid uelit Deus, & habito iudicio id

poſtea

poſtea faciendum, quod illi placere fuerit comprobatum. Hoc agentibus conueniet ſobrietas: mox igitur ſcribit contra ebrietatem. Nec fruſtra hic luxum omnemq́; intemperantiam poſuit Geneſ.19. in uino. Notus eſt enim Lothi incœſtus, qui ex ebrietate traditur obortus. Theophylactus: Quòd autem immoderatum iſtum uſum damnet, planum eſt ex eo quòd non dixit, Non bibite: ſed, Non inebriemini. Temulentia autem eſt ex immodeſtia, mediiq́; exceſſu. Quia uerò modicè & iuxta proportionem corporum hauſtum uinum ſanitatem efficit, perinde ac ipſe etiam ait ad 1.Tim.5. Timotheum, & læticiam, ut Dauid, teſtatur Pſal.103. etiam ipſa rurſus Scriptura: Date uinum mœren Prou.31. tibus, ac ebrietatem ſiue perfuſionem dolentibus: craſſum enim quod fuerit ac compactum, diſſoluit. propterea & corpora noſtra Deus moderata & proportionabilia fecit, ut paucis ſint contenta, & ad alteram uitam feſtinent. Hæc ille. Porrò temulentiæ opponit, Sed impleamini Spiritu ſancto. Theophylactus: Vis, inquit Apoſtolus, lætari? Fuge uinum: imple te, impleriq́; cupias Spiritu ſancto. Hoc autem obueniet tibi, ſi pſallere didiceris. Pſallentes enim ſpiritu implentur ſancto: perinde ut qui ſatanicas cantilenas concinunt, ſpiritu immundo imbuuntur. Pſallendum autem eſt in corde: hoc eſt, corde non hinc inde uerſante ſeſe, & oberrante: qui enim animo obſeruat quid pſallat, ille corde pſallit. Hæc Theophylactus. Rationabilem ergo uitam diligit Spiritus ſanctus: quia ſi bene uixerimus, implebimur eo, ad confitendum & extollendum Dei donum. S. Hieronymus: Et canere igitur, & pſallere, & laudare Dominũ, magis animo quàm uoce debemus. Hoc eſt quippe quod dicitur: Cantantes & pſallentes in cordibus ueſtris Domino. Audiant hæc adoleſcentuli, audiant hi quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, Deo non uoce, ſed corde cantandum, &c. Ergo in quo eſt ſpiritus, ſemper ſpiritalia meditatur, ut non in labiis tantum ſit, ſed de corde prorumpat. Demum agendas dicit eſſe gratias Deo, qui cunctis eſt author bonorum omnium: non ſolum gaudij tempore, uerumetiam in mœroribus: nec pro bonis tantum, uerumetiam pro triſtibus. S. Ambroſius: Deo gratias in omnibus donis eius agere iubemur, qui etiam adoptare dignatus nos eſt per Chriſtum filium proprium, per quem cognouimus eum, & didicimus in ſpiritu Deum, quia Deus ſpiritus eſt, adorandum, &c. Sunt autem gratiæ agendæ Deo patri in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: hoc eſt, ut ſimul ipſum nominemus, & aſſumamus ceu mediatorem, tum bonorum, tum ipſius gratiarumactionis. His porrò adiungit Apoſtolus fundamentum officiorum omnium humilitatem & timorem Dei, dicens: Agnoſcat inferior autoritatem ſuperioris. at uiciſſim ſuperior inferioris modulo ſemet accomodet, quo magis queat prodeſſe. Nam qui inter Chriſtianos præcellit honore, non in aliud præcellit, niſi ut uberius proſit. Sicq́; rurſus charitatis mentionem facit, ex qua eſt ſubiectio & obedientia, nõ propter humanam cõmoditatem, ſed in timore Dei. Qui autem Dei nomine obediunt, inter ſeſe nunquam offendentur aut diſſoluentur, tanto nexu copulati.

DOMINICA VICESIMAPRIMA POST TRINITATIS

Epiſtola beati Pauli apoſtoli, ad Epheſios Cap. 6.

FRatres, confortamini in Domino, & in potentia uirtutis eius: induite uos armaturam Dei, ut poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut poſsitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos ueſtros in ueritate, & induti loricam iuſticiæ, & calceati pedes in præparationẽ Euangelij pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſsimi extinguere ignea: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt uerbum Dei.

EXPLICATIO.

Hactenus Paulus diſſeruit de concordia & uera uitæ ſanctimonia, contra uaria ſcelera atque peccata. iam ad conſtantiam & uigiliam inhortatur, dicens: Poſteaquam didiciſtis in quo ſita ſit uera religio, nihil aliud reſtat niſi ut fortes atque conſtantes ſitis in Domino. Porrò hæc fortitudo & conſtantia non eſt ex uobis, ſed ex Deo, qui tantum roboris quantum ſat eſt in uos,

membra

membra ſua deriuat: inexplicabilem habet fortitudinem, qui in omnes dominetur & omnes uincat. Iam autem oſtendit hoſtem, qui cum congredi oporteat. Et cum aduerſarius ille non corporalis, non uiſibilis, ſed ſpiritualis, ſed inuiſibilis ſit: deſcribit ipſe Paulus ſpiritualium armorum panopliam. Finis autem ad quem illos armari iubet, hic eſt, ut undiq; muniti ſubſiſtere poſsint aduerſus aſſultus diaboli. Theophylactus: Animaduertite, quomodo non dixerit pugnas & bella, ſed inſidias: inſidiæ enim ſunt, decipere, ac per fraudem capere, &c. Cæterùm ut eos doceret, quanta cum prudentia & uigilia expectandus, & excipiendus hoſtis: ualidiſsimus hoſtis eſt caro & ſanguis, cupiditas inquam praua, hominum uerſutia & malicia: ſed parui momenti hæc fuerint, ſi conferamus eos cum [a] Satana, et diabolico illo in nos irruēte exercitu. Aduerſus hos inquam, nobis colluctandum eſt, non ſolùm uiribus potētes, uerumetiam ſpirituali uerſutia inſtructos, atq; id etiam in cœleſti regione: quo et faciliùs nos impetant, et difficiliùs à nobis queant prehendi. Cum ergo uideatis uobis negocium eſſe cum hoſte periculoſiſſimo, facite quod ſtrenui ſolent milites: induunt arma, ſtant in procinctu, omni niſu innitūtur in hoc ut & hoſtem repellant, & ipſi ſtrenuè ſuum locū & defendant & teneant. D. Hieronymus: Diem malam aut præſens tempus oſtendit, de quo ſuprà dixerat: Redimentes tempus, quia dies mali ſunt, propter anguſtiam & uitæ huius labores: quia nō abſq; ſudore & certamine peruenimus ad palmā, aut certè conſummationis atq; iudicij, quando diabolus inimicus & uindex in ſua nos cupiat parte retinere. De qua liberabitur qui intelligit ſuper egenum et pauperem: [b] In die enim mala liberabit eum Dominus, &c. Iam deſcribit armaturam illā ſpiritualem Apoſtolus, & perſeuerat in alluſione ad militiam illam mundanā. Ante omnia uerò robuſtum animum & conſtantem flagitans in milite Chriſtiano: State, inquit, immobiles & impauidi. Vobis cum ſceleratis ſpiritibus conflictantib. pro baltheo ſit ueritas, quæ lumbos animi ueſtri præcingat, aduerſus omnes falſorum dogmatum illecebras: pro thorace uobis ſit innocentia, iuſticiaq;, quæ mentis præcordia uirtutū omnium ſquamis muniat: pro ocreis ſit uobis pi' affectus, nihil appetens præter cœleſtia, nihil formidans præter turpitudinē, quo ſemper poſsitis eſſe parati ad tuendum Euangelium, quod non tumultu, ſed tolerantia tranquillitateq; defenditur, unde & pacis Euangeliū dicitur. Sed undiq; in promptu habendum eſt ſcutum fidei, qua nihil omnino diffidamus promiſsis diuinis. Quicquid ignitorum iaculorum uerſutus hoſtis in nos torſerit, hoc ſcuto repellitur, nec ſinet ullum uitalia penetrare. Theophylactus: Ignita tela extinguere quo poſsitis, hoc eſt abſurdas cupiditates, infidelitatis cogitationes, quales ſunt: num reſurrectio eſt? num iudiciū? ac ſimiles tentationes. Ignita uerò appellat, nō ſolùm quòd cupiditates ignefcāt et conflagrēt, ad turpia opera incendentes: uerumetiam quòd in conſcientia inde iam ardeam'. Inſuper per infidelitatis ratiocinationes, adeoq; cogitationes urit nos diabolus, perq; tentationes, &c. Præterea his, inquit, ſi acceſſerit galea uigilantis animi, nihilq; non proſpicientes, nihil eſt quòd ſaluti ueſtræ metuatis. Poſtremò dexteram ſemper obarmet gladius ille ſpiritualis, qui & prauas ab animis amputat cupiditates, ad intima cordis penetrans, & obſiſtentes Euangelicæ ueritati refellit, falſitatem iugulans, ut uigeat ueritas: is eſt ſermo Dei. Et certè uerbo Domini non repellitur tantum, ſed iugulatur etiā Satan. Id quod in pugna illa Chriſti & diaboli uidere eſt. Nam ad omnem congreſſum educit uerbum Dei Dominus, & hoſtem proſternit.

a Princeps mundi. Theophylact. Scriptura mundū nouit ipſa praua opera, horumq; peccatores: in hos exercēt imperiū dæmones, ut in redactos in ſeruitutem ſui, &c.

b Pſal. 40.

Matth. 4.

DOMINICA VICESIMASECVNDA EPISTOLA beati Pauli apoſtoli, ad Philipp. Cap. 1.

CONfidimus in Domino Ieſu, quia qui cæpit in uobis opus bonum, ipſe perficiet uſq; in diem Chriſti Ieſu: ſicut eſt mihi iuſtū hoc ſentire pro omnibus uobis, eo quòd habeam uos in corde & in uinculis meis, & in defenſione & confirmatione Euangelij, ſocios gaudij mei omnes uos eſſe. Teſtis enim mihi Deus eſt, quomodo cupiā omnes uos in uiſceribus Ieſu Chriſti. Et hoc oro, ut charitas ueſtra magis ac magis abundet in ſcientia & in omni ſenſu, ut probetis potiora, ut ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti: repleti fructu iuſticiæ per Ieſum Chriſtum, in gloriam & laudem Dei.

EXPLICATIO.

Pro more ſuo Paulus congratulans Philippenſibus, laudat eorum fidem ſanam, & conſtantiam firmiſsimam. Venerant ſanè & aliæ gentes in aggregationem ſanctorum: ſed Philippenſes inconcuſsè

inconcuſſè ac ſincerè à primo die in illud uſq; tempus, quo hæc ſcribebat Apoſtolus, præ cæteris perſtabant, manebantq́; in fide: quæ profectò inſignis laus, & ampliſſimũ Dei beneficiũ erat. Vnde iam colligit, ex initijs uidelicet & felici progreſſu finem quoq; optimum. D. Ambroſius: Securus de bonitate & iuſticia Dei, & de horum fide non ambigens, confidit quòd Dei auxilijs adiuti, perſeueraturi ſint in fide uſq; ad diem Domini, in quo remunerandi ſint perſiſtentes in fide, &c. Dies Domini mortis hora eſt, qua Chriſtus Dominus fidelibus ſuis dexter & propitius apparet, præmium æternum ſanctæ rependit fidei. Deinde dies Chriſti ultima quoq; dies, & extremum illud iudicium eſt, ad quod omnium excitabuntur corpora, ut alia quidem cum animabus ſuis æternùm gaudeant, alia æternùm ardeant. Ioan. 5. Diſcimus autem ex hiſce Pauli uerbis, ſpei ac perſeuerantiæ bonum ab ipſo Deo eſſe: imò & initia fidei, & auctus boni operis. Theophylactus: Obſerua hic, quomodo eos moderata ſapere doceat, Deo cuncta accepta referens, non ipſis ſolis: neq; tamen eos ſic ſua laude priuauit. Dixit enim: Qui orſus eſt in uobis, hoc eſt per ueſtram uoluntatem (ſi enim hominis uoluntas non aſſit, neque Deus operabitur) ſin ſimpliciter Deus operaretur, nihil remorabatur eum, quo minus in Græcis, adeoq; cunctis planè mortalibus operaretur. Hæc ille. Sancta ſynodus Mileuentana: In omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur: ſed ipſe nullis præcedentibus bonis ac meritis, & fidem & amorem ſui prius inſpirat, ut & baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmum, cum ipſius adiutorio ea quæ ſibi ſunt placita implere poſſimus. Porrò ut oſtendat Paulus, quàm ſinceriter et officioſè amet, complectaturq́; Philippenſes: Aequum eſt, inquit, ut hoc de uobis ſentiam quos præ cæteris amo, quos in corde gero, in uinculis, in defenſione, inq; confirmatione Euangelij, certò ſciens, uos gratiæ Chriſti & omnium bonorum & eſſe nunc, & fore in poſterum conſortes. Vinculorum autem meminit, ut affectum moueret, eximium amorem in illos ſuum declararet, & ut illos uiciſſim in ſui amorem inflammaret. In tranſcurſu enim oſtendit, uincula ſua eiuſmodi eſſe, ut amari potius quàm contemni mereatur, qui gerat ipſa animo conſtanti, & cum fructu Euangelij. Productus enim ad tribunal Neronis ſic Euangelij cauſam tutatus eſt, ut plurimũ roboris Euangelio acceſſerit. D. Ambroſius: Nec aliud debuit de his ſentire, quos ſemper inflexibiles in deuotione Dei expertus eſt, tam directum & infatigabilem curſum eorum uidens, ut cogitaret dignos hos ſibi participes gaudij eſſe. Vnius enim fidei homines congaudere oportet, de ſpe futuræ immortalitatis & gloriæ, &c. Appendit ad finem Apoſtolus & epiphonema eiuſmodi: Nouit, inquit, Deus, quem omnino nihil latet, quanto tenear omnium ueſtri deſiderio, nõ affectu quoquam humano, ſiue quòd captem aliquid à uobis, ſiue quòd blandiar uobis ob ueſtram in me benignitatem, ſed affectu purè Chriſtiano: ſic amo uos, non ob aliud niſi quòd uideo Ieſum Chriſtum à uobis conſtanter & ſinceriter diligi. Theophylactus: In uiſceribus autem dixit Ieſu Chriſti, hoc eſt, non ob humanã quampiam commoditatem, nec quia tranſmiſiſtis mihi quibus haberem opus, ſed ob diuinam dilectionem: uel quia pater ueſter factus per fidẽ in Chriſtum, uiſcera habeo erga uos non porrò naturalia, ſed qualia Chriſtus genuinus ſuis ſeruis impertit, qui per Euangelium ipſi naſcuntur filij. Hæc ille. Iam imprecatur Philippenſibus incrementum ueræ pietatis, ſimul adumbrans ueræ pietatis capita. Primùm optat illis rectam cognitionem ueri, & iuſtum iudicium in rebus diuinis, quod fide ſana paratur. Inde uerò eſſe ait, quòd poſſint probare quæ in re qualibet præſtabiliora & Deo gratiora ſint: nimirum ſinceritas & uitæ innocentia, ut nemini uſquam dent offenſionem, ſed omnes potius allectent ad puram Dei religionem, atq; ita perſeuerent uſq; ad diem aduentus Chriſti, ut tum appareãt diuites ac abundantes pijs operibus: idq; beneficio Ieſu Chriſti, ad laudem & gloriam Dei patris, ad quem ceu fontem omnium bonorum referenda ſunt omnia. D. Ambroſius: Deo adiutore ordinem diſciplinæ Chriſtianæ uult eos imbuere, ut quia firmati in fide ſunt, non ſint neſcij ſacramenti credulitatis ſuæ, & ſcientes diſcernere utilia à contrarijs iuſticiæ operibus: ornent doctrinam Domini, fructum facientes immortalitatis ad abundantiam omnium bonorum, ut glorioſus in his appareat magiſter gentium. Hæc Ambroſius.

IN DIE APOSTOLORVM SIMONIS ET IVDAE

Epiſtola beati Pauli apoſtoli, ad Rom. 8.

Huius Epiſtolæ explicationem require ſuprà, in feſto diui Bartholomæi apoſtoli.

DO-

DOMINICA VICESIMATERTIA POST TRINITATIS

Epiſtola beati Pauli ad Philipp. 3.

IMitatores mei eſtote fratres, & obſeruate eos qui ita ambulant ſicut habetis formam nos. Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam uobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus uenter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt, unde etiam ſaluatorem expectamus Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundum operationem, qua etiam poſsit ſubijcere ſibi omnia.

EXPLICATIO.

D. Paulus ſeipſum pro exemplo quod imitentur, proponit Philippenſibus. Quas uerò huius rei & exhortationis cauſas habuerit, ex ijs quæ præcedunt, uidere eſt. Fidem in Chriſtum Philippenſibus inculcarat: eam doctrinam poſtea pſeudoapoſtoli ſubuertere, atq; ad operum iuſticiam pertrahere illos conati ſunt. Hic uerò Apoſtolus totus in hoc eſt, ut & os huiuſmodi blateronibus obſtruatur, & fidei iuſticia illabefacta defendatur. idcirco inquit: Sunt qui rectũ curſum non tenent, eos ſequi tutum non eſt. me potius imitemini, rectà properantem ad Euangelij brabea, & obſeruate eos quos uideritis ad noſtrum exemplar incedere. Chriſtus optimam formam nobis exhibuit, ad hanc me uidetis eôdem conniti, quò peruenit ille. Theophylactus: Non enim uerbis tantum docebat, uerumetiam uita bonisq; moribus ſeipſum exemplar exhibebat: quandoquidem & hoc perfecta doctrina requirit. D. Ambroſius: Vult illos ſollicitos eſſe, ne prauorum hominum ſubtilitate capiantur, & notare unumquemq;, qualiter conuerſetur & doceat, ut his iungantur, in quibus ſenſum magiſtri ſui agnouerint, &c. Porro non modò colligit quæ in initio in pſeudapoſtolos dixerat, ſed & copioſius, planèq; quod dici ſolet, iſtos ſuis pingit coloribus. Cohærent cum ſuperioribus ad hunc modum: Monui, mei meiq; ſimilium imitatores ſitis: id uerò non citra cauſam feci eximiam. Sunt enim errones complures, de quibus & antea ſæpenumerò locutus ſum uobis: nunc uerò omnium maximè, cum lachrymis etiam repeto & inculco uitandos eſſe. Sunt enim inimici crucis Chriſti. Idem: Quos hic ſignificat, de numero eorum ſunt qui Galatas euerterant. cum dolo enim ambulantes, Eccleſias ſubuertebant ſub nomine Chriſti, Iudaiſmum colendum prædicantes, quaſi ibi Chriſtus promiſſus ſit. quos cum dolore & lachrimis memorat, quia ſaluti credentium obſiſtebant, de cibis edendis & nõ edendis quæſtiones mouentes: quaſi in eſca ſalus ſit, aut uenter Deus, quem iuxta legem mundis eſcis delectari putabant, gloriantes in pudendis circumciſis. hoc eſt terrena ſapere. Qui autem ſpiritalia ſapit, in fide, in ſpe, in charitate gloriatur. Theophylactus: Fuerunt nonnulli Chriſtianiſmum ſimulantes, in delicijs tamen & ocio uiuentes: hos hoſtes crucis appellat. Hic enim animam inquirit extenſam ad mortem, ſitientem periculorum: ipſi autem ſoluti ſunt, ac contrario planè modo cum hoc cõuerſantur ac uiuunt. Si enim crucem amarent, crucifixam ſimul uitam quærere ſtuderent, amarulentam uidelicet, &c. Finis ergo ad quem tendebant illi, perditio erat. Cæterùm ut eos doceret, pios ab amore rerum fluxarum prorſus alienos eſſe debere: Nos, inquit, qui Chriſtum uerè ſequimur, licet corporibus detineamur in terris, tamen animis in cœlis uiuimus, illuc aſsiduè ſuſpirantes, quò proceſsit caput noſtrum: unde per fidem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reſuſcitatis mortuis palàm exhibebit ea quæ pollicetur, interim transformaturus hoc corpuſculum humile, & omnibus obnoxium iniurijs, ac ſimile redditurus corpori ſuo glorioſo. Theophylactus: Itaque quæ ſuperna ſunt, opreæprecium eſt nos ſapere & affectare, & ad patriam noſtram feſtinare, ubi & agere & uiuere & commorari nobis iniunctum eſt: quandoquidem & Dominus & rex noſter iſtic ſit, atque inde ipſum uenturum expectamus in gloria paterna cum ſanctis angelis ſuis. Hæc ille. Iam ut illis quoque reſpondeat, quibus ridicula eſt prædicatio de reſurrectione corporum, ſubijcit dicens: Nec iſtud uideatur cuiquam impoſsibile, ſeu incredibile: expendat, quanta uis eius ſit, per quem reſuſcitabuntur corpora. Nihil eſt quod ille non poſsit, modò uelit. Ex nihilo condidit omnia, poteſt ſibi ſubijcere omnia: quæcunq; ille uult, fiunt. Vult autem ut reuiuiſcãt

corpora noſtra: potentia ergo Dei reſurgent. D. Ambroſius: Chriſtianorum actus in cœlis ſunt, ubi & ſpes ſalutis eorum eſt Chriſtus, quem omnis fidus expectat ad transfigurationem corporis carnis, ut quod ex humo eſt indutum ſpiritali ueſte, conforme efficiat aduentu maieſtatis ſuæ corpori gloriæ ſuæ, ſecundum uirtutem ſuam: quia per reſurrectionem mortuorum & immutationem, in gloria apparebit uirtus Domini manifeſta, comprimens omnes principes & poteſtates, ut manifeſtetur Deus & Dominus eſſe omnium. Hæc ille.

DOMINICA VICESIMAQVARTA POST TRINITATIS,

Epiſtola beati Pauli apoſtoli, ad Coloſſenſes Cap. 1.

FRatres, non ceſſamus pro uobis orantes, & poſtulantes ut impleamini agnitione uóluntatis eius, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali, ut ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei, in omni uirtute confortati ſecundum potentiam charitatis eius, in omni patientia & longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo patri: qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine: qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſsionem peccatorum.

EXPLICATIO.

D. Paulus apoſtolus quum ab Epaphra conſeruo ſuo Coloſſenſium fidem ac dilectionem audiſſet, imprecatus iiſdem eſt uberiorem Dei cognitionem: ita tamen, ut interim ſignificaret indeſinenter ſe huius rei gratia Deum interpellare, adeoq́; ſemper pro illis ſollicitum eſſe. Dicit enim: Ex eo ſtatim die, quo de credulitate ueſtra, deq́; charitate certiores facti ſumus, aſsiduis precibus interpellantes Deum pro uobis, ac uotis ardentibus flagitantes, ut ſua munera quæ largiri cœpit, perficiat, quo & plenius agnoſcatis illius uoluntatem: edocti non humana philoſophia, aut ſuperſtitioſa quorundam hominum perſuaſione, ſed ſapientia prudentiaq́; ſpiritali. D. Ambroſius: Audiens Apoſtolus deuotam ac promptam uoluntatem illorum circa fidem, orat pro eis, ut propenſius agnita uoluntate Dei, rationabili opere explerent deuotionem quam audita fide Chriſti didicerant, ne tam fida mentis ædificatio & robur fidei, dum inconſultè aliquid conficeret, laboris ſui fructum amitteret. Tantum ille. Dum autem hæc orare, illisq́; imprecari ſe atteſtatur: ſimul etiam præſcribit quid ipſos deceat, nimirum ut perfecti ſic omnem uitam agant, ut digna Deo uideatur: utq́; illi per omnia placeant, non prætermittentes ullum opus bonum. Siquidem crediſſe Euangelio rudimentum ſit ſalutis: abſolui autem ac perfici pijs actionibus. Neque ſatis eſſe, per Euangelium didiciſſe Deum eſſe ſalutis autorem, per Ieſum Chriſtum filium ſuum: niſi per hanc ſcientiam Chriſtianæ charitatis officijs adoleſcant & fructificent, atque in his conſtanter perſeuerent, omni robore confirmati, ne qua uis aut procella perſecutionis eos dimoueat à recto curſu. Id uerò non humanarum uirium eſſe docet, ſed uirtutis æterni numinis. Deus illas uirtutes ſuppeditet oportet, ait, ſic ut omnis gloria eorum quæ per nos fortiter geruntur, ad illum redeat. Neque ſatis eſt, ut in his fortes ſimus & intrepidi, quin potius decet ut ſimus alacres, & cum gaudio feramus aduerſa, gratias agentes Deo ueluti patri clementiſsimo, qui nihil inferri nobis ſinat à quoquam, quàm quod norit expedire plurimùm. His porrò præmiſsis deflectit Paulus ad ipſam cauſam potiſsimam huius epiſtolæ, docens ſalutem nobis gratuitò per Chriſtum conferri, per quem ſemel in nos effuderit pater omnem plenitudinem: Poteſtas, inquit, tenebrarum poteſtas ſatanæ eſt, cui nos ſeruiebamus quondam in peccatis, ſceleribus atque flagitijs, in denſiſsimis ignorantiæ tenebris. Ab his liberauit nos pater cœleſtis, aſſeruitq́; in libertatem filiorum Dei, quibus ipſe uerus Dei filius imperitat per fidem, innocentiam & ſanctimoniam. Theophylactus: Sortem autem ubique uocat, ut oſtendat, quòd quemadmodum ſors non eſt humanæ diligentiæ, neque conatus, ſed fortunæ potius uidetur, hanc ad rationem: nos non ex noſtris uirtutibus imperio digni iudicamur, donamurq́;, ſed diuinæ totum eſt gratiæ. Nunc enim illuminauit etiam

nos, & illuxit nobis, reuelans nobis myſteria: & in futuro apertius dabit, qui eramus ſub poteſtate tenebrarum, erroris uel ſeductionis, tyrannidis diaboli. Nec dixit Paulus Tenebrarum ſimpliciter, ſed Poteſtatis: multam enim noſtri poteſtatem habebat, ac dominabatur. Non dixit autem Eiecit, ſed Liberauit: oſtendens quòd tanquam captiui affligebamur, inq; captiuitate detinebamur. Ardua res eſt, ab tenebris nos liberare: at in regnum pariter nos introducere, eſt longè maius: nec ſimpliciter, uerùm ut ſimul regnemus cum filio dilecto, qui hoſtes eramus, ac tenebris immerſi. Hæc ille. Præterea indicat quoq; modum Apoſtolus, per quem ſimus aſſerti: incarnationem uidelicet & mortem Chriſti Domini. Chriſtus ergo purgauit peccata noſtra ſanguine proprio. D. Ambroſius: In huius filij ſui regnum tranſtulit nos Deus, per quem nos redemit & manumiſit. Remiſſio enim peccatorum liberos facit, ut liberati debitis teneri obnoxij non poſſint. Nam ſine fide Chriſti nullus egreſſus de inferno eſt, quia obligatus peccatis exire ianuas tartari non poteſt, &c.

IN FESTO ATQVE SOLENNITATE OMNIVM Sanctorum lectio, Apocalyp. Cap. 7.

ET ego Ioannes uidi alterum angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei uiui: & clamauit uoce magna quatuor angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neq; arboribus, quoad uſq; ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus ſuis. Et audiui numerum ſignatorum: Centum quadragintaquatuor milia ſignati, ex omni tribu filiorum Iſrael. Ex tribu Iuda, duodecim milia ſignati. Ex tribu Ruben, duodecim milia ſignati. Ex tribu Gad, duodecim milia ſignati. Ex tribu Aſer, duodecim milia ſignati. Ex tribu Nephtalim, duodecim milia ſignati. Ex tribu Manaſſe, duodecim milia ſignati. Ex tribu Simeon, duodecim milia ſignati. Ex tribu Leui, duodecim milia ſignati. Ex tribu Iſachar, duodecim milia ſignati. Ex tribu Zabulon, duodecim milia ſignati. Ex tribu Ioſeph, duodecim milia ſignati. Ex tribu Beniamin, duodecim milia ſignati. Poſt hæc uidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant uoce magna, dicentes: Salus Deo noſtro qui ſedet ſuper thronum, & agno. Et omnes angeli ſtabant in circuitu throni & ſeniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum, dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarumactio, honor & uirtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum, Amen.

EXPLICATIO.

Alter iſte angelus, eſt ille magni conſilij angelus, Chriſtus Dominus noſter. Iſte aſcendit ab ortu Solis, uidelicet illuminare his qui ſedebant in tenebris & umbra mortis. Et aſcendendo dixit: [a] *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Hunc uidi, inquit, habentem ſignum Dei uiui, id eſt palàm facientem uerbis & operibus ſuis, quòd ſit filius Dei uiui. Hoc ſignum habens, clamauit Apoſtolis ſuis, ut in omnem terram exiret ſonus eorum. Audierunt illi, id eſt ſenſerunt uirtutem Euangelicæ prædicationis, uniuerſa regna mundi ſuperantem, quæ potentatu ſuo præfocabant omnes. His Apoſtoli dixerunt: Nolite impedire ô regna potentia, Dei propoſitum: inefficax eſt potentatus ueſter, & uanus furor ille ueſter, friuolæ ueſtræ leges & ſanctiones. Nam nihilominus ſignabimus ſeruos Dei noſtri uexillo uictorioſæ crucis: non tantum in cordibus, ſed etiam in frontibus eorum: ut quod olim fuit opprobrium & pœna damnatorum, nunc uerò ſit decus & ſalus iuſtorum. Cæterùm ſeruorum Dei qui ſignantur in frontibus ſuis, reuelata iuſticia Dei in Euangelio eius, quamuis diſtinctio non ſit, ſiue acceptio perſonarum: primum tamen locum obtinent Iudæi, ad confirmandas promiſſiones patribus factas. Conuenienter autem à Iuda inchoat, ex qua tribu*

a Matth. ult.

bu ortus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Et Dan *prætermiſit, ex qua naſcendus Antichriſtus*. Geneſ. 49. *Poſt hæc, inquit, uidi turbam magnam, &c*. *Omnes iſti conſerui ſunt, & fratres eorum qui ex omni tribu filiorum Iſrael fuerunt. Sunt ergo illi qui ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, filij Abrahæ, filij ſanctorum patriarcharum, dicente Apoſtolo: Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſticiæ fidei, quæ eſt in præputio, ut ſit pater omnium per præputium, ut reputetur & illis ad iuſticiam: & ſit pater circumciſionis, non his tantum qui ſunt ex circumciſione: ſed & his qui ſequuntur ueſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ*: Rom. 4. *Porrò ſtatio ante thronum, uel ipſe thronus ille eſt, de quo* Daniel:
Dan. 7. *Aſpiciebam, dixit, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. Stantes autem ante thronum, ſtabant etiam in conſpectu agni. Enimuerò in eodem throno ſedet filius* Dei *unigenitus,* Ieſus Chriſtus. *Quia enim patri obediens fuit uſque ad mortem crucis (inquit Apoſtolus) pro-*
Philip. 2. *pterea Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur: & omnis lingua confiteatur, quia* Dominus Ieſus Chriſtus *in gloria eſt* Dei *patris, &c*. *Hic agnus abſtulit peccata mundi, immolatus pro nobis in ara crucis*. Hinc D. Petrus: *Scitote, ait, quòd non corruptibilibus, auro uel argento redempti eſtis, de uana ueſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed precioſo ſanguine agni quaſi immaculati et incontaminati,* Chriſti. 1. Petr. 1. *Bene quoque ita ſtantes amicti ſunt ſtolis albis, ſanguine agni dealbatis, & habent palmas uictoriæ glorioſas: ſiquidem (dicente Apoſtolo) per fidem uicerunt regna, operati ſunt iuſticiam*: Hebr. 11. *Et ipſe palmæ florentes interim creſcunt, donec ultimum ſedeat iudicium, regnumq; & poteſtas. Cæterùm quia memores illi ſancti, quòd in primo homine peccarint, & per peccatum eius mortui fuerint, gratia autem* Dei *per* Ieſum Chriſtum *ſalui facti: rectiſſimè confitentur, & dicunt: Salus qua ſaluati ſumus, non nobis attribuatur, ſed* Deo *noſtro, & filio ipſius, per cuius ſanguinem in ſalutem recuperati ſumus. Iam licet angeli per ipſum* Chriſtum *redempti non ſint, quia non perierant: attamen per diuinitatem eius conditi ſunt, & per ſanguinem eius nobis conciliati: & inſtauratus eſt numerus, qui diminutus fuerat per ruinam angelorum apoſtatarum, ex hominibus iſtis ſanctis: ceciderunt illi in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum, dicentes quicquid glorificationis aut iubilationis mens eorum concipere ac proferre poteſt.*

DOMINICA VICESIMAQVINTA LECTIO HIEremiæ prophetæ, Cap. 23.

ECce dies uenient, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſticiam in terra. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter. Et hoc eſt nomen quo uocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Propter hoc ecce dies ueniunt, dicit Dominus: & non dicent ultrà, Viuit Dominus qui eduxit filios Iſrael de terra Aegypti: ſed, Viuit Dominus qui eduxit & adduxit ſemen domus Iſrael, de terra aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eas illuc, & habitabunt in terra ſua.

EXPLICATIO.

a Eſaiæ 7. D. Hieronymus: *Abiectis paſtoribus ſynagogæ, Scribis uidelicet & Phariſæis, & ſaluatis reliquijs ex Iſrael, Apoſtolisq; Euangelij in locum priorum principum conſtitutis, inducitur paſtor paſtorum, & princeps principum, & Rex regum, & Dominus dominantium, Chriſtus uidelicet Saluator noſter: qui propriè eſt germen iuſtum, ſiue oriens iuſtus, de quo legimus* Pſal. 71. *Orietur in diebus eius iuſticia. Et alio in loco* Zach. 6. *Ecce uir, Oriens nomen eius, & ſubter*
b Ezech. 37. *eum orietur, & ædificabit templum Domino. ut quomodo in Eſaia* [a] *Emmanuel appellatur, hoc eſt, nobiſcum Deus: ſic in Hieremia nomen accipiat, Iuſticia noſtra. Vnde & Apoſtolus loquitur* 1. Cor. 1. *Qui factus eſt ſapientia nobis à Deo, & iuſticia, & ſanctificatio, & redemptio. Et faciet, inquit, iudicium & iuſticiam in terra. Non enim pater iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio*: Ioan. 5. *In diebus illis & duæ & decem tribus Iuda, & Iſrael pariter ſaluabuntur. Et de duabus uirgis, iuxta Ezechielem,* [b] *una uirga fiet; nomenq; eius*

eius appellabitur Ioſedech, id eſt Dominus iuſtus. propter hoc ecce dies ueniũt, dicit Dominus, &c. Hoc omne capitulum in LXX non habetur: cuius hic ſenſus eſt, quòd nequaquã per Moſen populus Dei de Aegypto liberetur, ſed per Ieſum Chriſtum de omni orbe terrarum, in quem diſperſus fuerat. Quod ex parte & nunc completur in mũdo, & ex toto complebitur, quando de oriente & occidente, ſeptentrione & meridie uenient & diſcumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob: ut Matth. 8. poſtquam ſubintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Iſrael ſaluus fiat. Hæc Hieronymus.

DOMINICA VICESIMASEXTA POST TRIN.

Epiſtola beati Pauli apoſtoli ad Theſſalon. Cap. 2.

GRatias agere debemus ſemper Deo pro uobis fratres, ita ut dignum eſt: quoniam ſupercreſcit fides ueſtra, & abundat charitas uniuſcuiuſq; ueſtrûm inuicem, ita ut & nos ipſi in uobis gloriemur in eccleſijs Dei, pro patientia ueſtra & fide, in omnibus perſecutionibus ueſtris & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini: ſi tamen iuſtum eſt apud Deum, retribuere tribulationem ijs qui uos tribulant: & uobis qui tribulamini, requiem nobiſcum, in reuelatione Domini Ieſu de cœlo cum angelis uirtutis eius, in flamma ignis, dantis uindictam ijs qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria uirtutis eius, cum uenerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt: quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper uos in die illo.

EXPLICATIO.

Gratulatur D. Paulus Theſſalonicenſibus, et gratias agit Deo pro cõſtantia illorum, & incremento uirtutum, & ait: Semper gratias agere debemus Deo pro ſua magnifica in uos liberalitate magnificas, qui non ſolùm illius ope perſiſtatis in his quæ cœpiſtis, uerùm etiam indies magis ac magis exuberetis in fide, ac mutua inter uos charitate. Theophylactus: Tria hæc docet: Primũ, quòd noſtras ob uirtutes & opera quæ transegerimus, non ſunt nobis gratiæ habendæ, ſed Deo: atq; illi totum imputando, non arrogantes eſſe. Alterum, quòd non ſint lachrymis neq; lamentis digna quæ patiuntur, ſed gratiarumactione ad Deum: itaq; lætari eos oportet, & non decidere animo. Tertium, quòd non ſit inuidendum rectè agentibus, quin potius gratias agendas pro fratribus. Quocirca qui macerantur ob quorundam laudata opera atq; uirtutes, Deum ignominia afficiunt. Obſerua quoq; hic dilectionem. Non hunc quidem diligebant, illum uerò non item: uerùm æqualis erat omnium erga omnes dilectio, &c. Cæterùm in priori epiſtola dixit: Sic nouerunt omnes res ueſtras, ut non eſſet opus nos loqui quicquam de uobis: quomodo igitur nunc dicit in eccleſijs gloriari de ipſis? Ex ipſa dilectione hoc planum eſt. non enim ait, Docemus eos de uobis: ſed, Gloriamur ueſtro exemplo, cæteros ad uirtutem inflammãtes, commemorando patientiam ueſtram, fideiq; conſtantiam in omnibus perſecutionibus ueſtris, & afflictionibus quas ſuffertis. Theophylactus: Quod igitur dicit, eſt huiuſmodi: Quoniam ſuſtinetis afflictiones, ut demonſtretur iuſtum iudicium Dei, quod eſt, ut digni uos iudicemini, atque adeò donemini regno Dei. Quando enim uos quidem afflictos coronat, illos autem punit qui affligunt, iuſticia eius apparet. Valde autem conſolatur eos, oſtendens quòd non gratia coronantur: ſed iuſtè, ac ueluti retributionem accipientes propriorum laborum & ſudorum, regnum uidelicet, &c. Iam dicit, hoc iuſticiæ eſſe diuinæ, utriſq; rependere præmium factis dignum abſque dubio & certiſsimè: Si enim, inquit, apud homines iuſtum eſt, multo magis apud Deum. D. Ambroſius: Quid tam iuſtum, ut qui in ſeculo bonos deprimunt, & extorres faciunt perſecutionibus, in futuro ſeculo eadem patiantur quæ faciunt: illi autem, ut ſint in requie cum cæteris ſanctis, qui de magna tribulatione uenientes regnum accipient æternum? Hæc ille. Meminerimus ergo iuſti iudicij Dei, & uiciſsitudinis omnium rerum. Videbitis aliquando, inquit Malachias, multum diſcriminis inter iuſtum & impium, inter ſeruum Dei & contemptorem, Malach. 3. Sanè hoc ipſum docuit Chriſtus in Euangelica hiſtoria illa, Lucæ decimoſexto capite, de epulone, & mendico Lazaro nomine. Porrò rurſum conſolatur eos

Paulus, dicens: Nunc uerbis modò geritur res, ſed tum cum finis omnium rerum acceſſerit, palàm apparebũt, de quibus per multa ſecula omnes ſancti diſputarunt. Nam ipſe Dominus Ieſus, *cui omnis poteſtas in cœlo & in terra data eſt, palàm ſeſe orbi oſtẽdet è cœlo, non iam humilis, quemadmodũ apparuit aduẽtu primo, ſed ſtipatus angelico ſatellitio: non iam mitis ac placidus ad ſanandos improbos: ſed armatus horrendo flammeoq; incendio, inflicturus ultionem ijs qui hic noluerunt noſſe* Deum, *nec obedierunt* Euangelio Domini *noſtri* Ieſu Chriſti: *ut experiantur iuſtum ac potentem, qui miſericordem ac mitem deſpexerunt.* D. Ambroſius: Veniet Dominus *cum cœleſti exercitu ſuo, & miniſtro igne, ad dandam uindictam in paganos, qui ignorant Deum patrem eſſe* Ieſu Chriſti, & Iudæos *qui dicunt ſe* Deum *ſcire, non credunt* Euangelio Chriſti, *quod dedit illi pater* Deus, *ut traderet ſeruis ſuis: quos omnes præſentia* Domini & *gloria maieſtatis eius ignis exuret, ut debitas reddãt pœnas interitus in æternũ, ſemper ſentientes, non tamen penitus deficientes, ut ipſa pœna illos quodammodo generet ſemper, quo conſumantur, &c.* Hinc *uerò claret, nequaquã impiorũ pœnas eſſe temporarias, neque finem habituras, ſed infinitas. Sempiterna ergo morte peribunt, cum glorioſus uenerit Dominus, oſtenſurus fortitudinem et robur ſuum bonis & malis.* Theophylactus: *Nulla hic difficultas erit, uerùm ſatis eſt tantummodo uiſum eſſe, adeoq; apparuiſſe* Deum, *& omnes inobedientes & increduli in pœna erunt.* Tantummo*do enim facies ipſius & aduentus uel præſentia, alijs quidem lumen erit, alijs uerò ſupplicium: cum gloria enim & uirtute aduenturus eſt, ut neq; huius gloria potentia careat, neque præſentia ſit gloriæ expers.* Tantum *ille.* Ait porrò Apoſtolus: *Cum uerò uenerit ut repẽdat impijs impietatem, ſimul & ſanctis ſe exhibebit glorioſum, humilia ipſorum corpora conformia redditurus corpori ſuo glorioſo: qua ex re admirandus erit in omnibus credentibus.* Theophylactus: *Quando in medium producti fuerint, qui innumeris fuerunt obiecti calamitatibus, ut à fide deficerent, & non defecerunt: tum etenim oſtenditur gloria Dei & ipſorum. Admirationi erit Deus in die illa, mirificusq; uidebitur, quòd prædicatio noſtra & uerbum credita ſint à uobis, ac dignos uos feciſtis bonis tantis illis, quæ tum fidelibus dabuntur.* Pul*chrè autem dixit, In die illa: tum enim monſtrantur reuera, qui uerè ſunt fideles: nunc enim pleriq; fidem ſimulant.* Quocirca & *ſapiens dixit* Eccle*ſiaſt.11.cap. Ne beatum prædicaueris hominem ante obitum.*

IN DIE DIVI ANDREAE APOSTOLI, EPISTOLA *beati Pauli apoſtoli ad Roman. Cap. 10.*

CORde creditur ad iuſticiam, ore autem confeſsío fit ad ſalutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. Quomodo ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo audient ſine prædicante? Quomodo uerò prædicabunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Sed non omnes obediunt Euangelio. Eſaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per uerbum Chriſti. Sed dico: Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines terræ uerba eorum.

EXPLICATIO.

Apoſtolus Paulus *in hoc capite negocium fidei tractans, docet hanc ſummam eſſe, quòd ſcilicet* Deus *miſit filium ſuum in mundum, qui cruci fixus peccata noſtra abluit, & ex mortuis exuſcitatus uitam certò reſtituit:* Si *ore tuo, inquit, confitearis, & agnoſcas* Dominum Ieſum, *quem* Deus *ſuſcitarit à mortuis, ut nos cum illo à uitijs redimiui poſthac innocenter uiuamus, ſaluus eris. Cæterùm quoniam gloriam debemus Chriſto, non ſatis eſt corde ſeu animo tenere fidem, niſi quoties res poſtulat, & ore confitearis eum ad perfectam ſalutem conſequendam.* Theophylactus: *Cor ipſum ore indiget. Quæ enim eſt commoditas credere quidem in animo, non confiteri autem coram hominibus?* Fides *quidem mentis iuſtificat: cæterùm perfecta ſalus eſt in confeſſio-*

feßione ſita. Tum enim effulget fides, adeoq́; plures adiuuantur. Eget autem & os ipſum corde. Siquidem multi ore confitentur Chriſtum, corde longè ab eo diſsiti. Hæc ille. Vt autem iſta confirmet Apoſtolus, teſtimonium Scripturæ producit. Prius teſtimonium ſumptum eſt ex uigeſimooctauo capite Eſaiæ, & docet fidem, non legem eſſe iuſticiam. Deinde addit, nullam penitus eſſe diſtinctionem inter Iudæum & gentilem: hunc enim non minus quàm illum fore ſaluandum, modò credat. Et ipſum Deum non unius tantùm gentis eſſe Deum, ſed omnium. Huic iam & poſterius ex ſecundo Ioelis capite ſubiungit teſtimonium, quod & ipſum uniuerſale eſt. D. Ambroſius: Generaliter omnes aut confundi propter diffidentiam dicit, aut ſublimari cauſa credulitatis: quia ſine Chriſto apud Deum nulla ſalus eſt, imò pœna eſt, aut mors. Nec enim Iudæos commendare poterit prærogatiua patrum, aut legislatio, qui meritum & promiſsionem patrum non receperunt: gentes autem nullum habent teſtimonium, quo uel ſecundum carnem commendentur, niſi credant in Chriſtum, &c. Cæterùm in propoſito ſuo perſeuerans apoſtolus Paulus, docet Iudæos ſua perire ac repelli culpa, quòd Deum toties uocantem, tot Prophetas mittētem aſpernarint. Theophylactus: Cum ſuprà dixiſſet, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, conſeruabitur: deinceps porrò Iudæos arguit & reprehendit, quòd non inuocauerint. Quare autem non inuocauerunt? quia non crediderunt. Quare uerò non adhibuerūt fidem Chriſto? num ideo, quia non audiuerunt? atqui audiuerunt omnino. Hinc ſequitur obiectio: Qui citra promulgantem uel annunciantem uerbum audire potuerunt? cui protinus adijcitur dilutio: Atqui prædicarunt, qui miſsi ſunt ad eos non pauci. Et unde perſpicuum eſt, eos eſſe illos qui ſint miſsi? ad huius confirmationem profert ſanè Eſaiam prophetam ſecundo capite, qui dicit: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Nihil enim aliud circumeundo Apoſtoli nunciarunt quàm ineffabilia bona, Deiq́; hominibus communicatam oblatamq́; pacem. Quare quòd non crediderunt, culpa eſt eorum qui non crediderunt, culpa eſt eorum qui non ſuſceperunt prædicātes. Hactenus ille. Sanè decreuerat Deus omne mortalium genus ſeruare, & nihil prætermiſſum eſt ab eo, qui mortales omnes ad ſalutem inuitat, nihil inquam eorum quæ ad ſalutem ſpectare uidebantur. Prophetas miſit, Apoſtolos miſit, Euangelij prædicationem audierunt: nihil tamen profecit: pauci enim crediderunt non modò ex Iudæis, ſed ex gentibus. Sed illud ipſum, ait, Eſaias futurum prædixit capite quinquageſimotertio. Præuidit enim Chriſtum gentibus fore ſtulticiam ac riſum, Iudæis uerò ſcandalum. Iam repetit ſcopum, ut cōmodè inferat, Iudæos ſua culpa meritoq́; eſſe abdicatos. Citauerat Prophetam dicentem: Domine quis credidit auditui noſtro? ei iam infert: Vtut tergiuerſemini, tādem id iam conſtat, quòd fides & tota religio diſcatur ex uerbo Domini. Iam uerò cum illud abundè ſatis per Prophetas atque Apoſtolos ſit prædicatum, non habetis quod peccato ueſtro prætexatis. Cum igitur iam per uniuerſum orbem eluxerit Euangelij fulgor, & innotuerit Chriſti nomen: quid ſibi uult, quòd tam pauci Iudæorum credunt? An habent quo ſe excuſent, quòd de Chriſto nihil audierunt? Imò iam impletum cernimus quod prædixerat Dauid pſalmo decimooctauo. D. Ambroſius: Vſque adeò prædicationem Dei à Iudæis auditam eſſe teſtatur, ut etiam impletum orbem diuina annunciatione pronūciet. Ipſa enim fabrica mundi prædicat creatorem. Quod enim Pſalmographus de creatura dixit, hoc Apoſtolus de Euangeliſtis. Quia ubiq́; audita eſt, & peruenit in omnem locum prædicatio nominis Chriſti. Vbi enim præſentia hominis prædicantis defuit, ſonus tamen et fama peruenit: ſicut peruenerat opinio factarum uirtutū in Aegypto ad omnes gentes. Si enim in omnem locum peruenit, non potuerunt non audire Iudæi Apoſtolicam prædicationem, ut nemo ex his excuſatus ſit à crimine diffidentiæ. Hæc ad uerbum Ambroſius.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS, EPISTOLA *beati Pauli apoſtoli, ad Roman. Cap. 13.*

FRatres, ſcientes tempus, quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cū credidimus. Nox præceſsit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeſtè ambulemus, non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: ſed induamini Dominum Ieſum Chriſtum.

Quandoquidem de magiſtratu & iuſta obedientia, quid item magiſtratui, imò omnibus debeatur hominibus, diſſerens, eò delapſus eſt Apoſtolus, ut & de dilectione quædam inſeruerit: occaſione ſumpta hortatur omnes ad uitæ innocentiam, ut ueritate percepta, non modò ab omni iniuria, ſed & ab omni impuritate uitæ ſibi temperent, ac inquit: Rapienda temporis opportunitas, qua ſi rectè utamur, propius adeſt noſtra ſalus, quàm tum cum lege Moſaica freti, proximè adeſſe putabamus. Nox noſtra proceſſit uitæ priſtinæ: imminet dies ille, qui reteget etiam occultiſſima. Reſpondeamus diei noſtro, abijciamus mores actusq; nocturnos, & quorũ nos in luce pudeat. D. Ambroſius: Noctem ueterem hominem ſignificauit, qui per baptiſmũ innouatus eſt. Hũc præceſſiſſe dicit, quaſi noctem: diem autem appropinquaſſe, cuius lumine ueritas nobis apparuit, ut ſciremus quid agere deberemus. Prius enim ignorantes Chriſtũ, in tenebris eramus: at ubi ſdidicimus, lux nobis orta eſt: tranſiuimus enim ex falſo ad uerum. Tenebrarum ſunt opera, uita carnalis, quæ illecebris agitur ſecularibus: hæc digna eſt tenebris, ſicut dicit Dominus: Tollite illum, & ligatis manibus & pedib. mittite in tenebras exteriores. Induere arma lucis, geſta ſunt bona: quia ſicut mali actus tenebris deputantur, quia occultè fiunt, ita & qui bene agunt, palàm agunt: quia non uerentur, ſed gaudent. Hæc ille. Obſeruandum autem, tria potiſſimùm uitia prohibere Apoſtolum: ebrietatem, libidinem, & inuidiam. Sic enim inquit: Poſthac ita uitam omnem componamus, ut appareat, nos abiectis priſtinæ uitæ tenebris clara in luce ambulare, non luxui indulgentes in [a] cõmeſſationibus: non ſpurcæ ueneri libidiniq; feruentes: non per contentionem ac liuorem mutuum inter nos concertantes. Hiſce enim potiſſimùm diſſoluitur genus humanum. Theophylactus: Simulac ea quæ ex concupiſcentia naſcuntur extinxit, nunc quæ extrà mala prodeunt, ſupprimit. Nihil enim adeò cupiditatem accendit, & iram inflãmat, ut ebrietas ac temulentia, &c. Ita certè exuit Romanos prauis ueſtimentis Apoſtolus, ac alio quodam indumento exornat, dicẽs: Indecorè tali cultu ueſtitur anima. Nunc ergo poſteaquam per baptiſmum Chriſto eſtis inſiti, hunc ipſum induite. Eluceat in omni uita, quem ſitis profeſſi. Exprimite quem imbibiſtis: ille ſobrietas, ille caſtitas, ille pax eſt, ille charitas eſt: iſtiuſmodi amictus decet hanc Euangelij lucem. D. Hieronymus: Solus Chriſtus uideatur in nobis, non uetus homo. Qui enim dicit, ſe in Chriſto manere: debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare, in quo omnes ſunt uirtutes.

a Commeſſationes ſunt luxurioſa conuiuia: Ambroſius.

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS, EPISTOLA beati Pauli apoſtoli ad Roman. Cap. 15.

FRatres, Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam & cõſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Deus autem patientiæ & ſolatij, det uobis idipſum ſapere in alterutrum, ſecundum Ieſum Chriſtum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti: propter quod ſuſcipite inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit uos in honorem Dei. Dico enim, Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, propter ueritatem Dei, ad confirmandas promiſsiones patrum: gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propter hoc confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe eius. Et iterum: Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi. Et rurſus Eſaias ait: Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere gentes, in eo gentes ſperabunt. Deus autem ſpei repleat uos omni gaudio & pace, in credendo, ut abundetis in ſpe, uirtute Spiritus ſancti.

EXPLICATIO.

In principio huius capitis docet D. Paulus, quomodo Romani ſe gerere debeant erga eos, qui iuſtum fidei robur nondum ſunt conſecuti: nimirum ut horum hominum imbecillitatem tantiſper tolerent, donec & ipſi in uirum perfectum grandeſcant. Iam cum ea in re officio probè functus eſſet, adeóq; exempli uice quod imitarentur Romani Chriſtum, qui & ipſe infirmitates noſtras patientiſsimè tolerarit, propoſuiſſet: cœpit tandem de totius Scripturæ uſu uerba facere, dicens:

re, dicens: In hunc autem finem nobis eſt propoſita Scriptura, ut ex ea ipſa diſcamus quæ ad ſalutem uidentur eſſe neceſſaria, denique ut conſolationem afflicti ex ea hauriamus, & patientiam diſcamus. Porrò quia non eſt in docentium manu id cordibus imprimere, quod auribus per prædicationem ingeritur: concordiam illis imprecatur talem, qua omnes in religione Chriſtiana ſimiliter affecti, unanimes glorificent Deum. Theophylactus: Innuit, quòd cum Scripturis Deus ſimul impertiat patientiam & conſolationem. Hinc & Deum ipſum, patientiæ & conſolationis Deum nominat, ut qui dator ſit harum, & autor. Exoptat autem ab ipſo dari, ut idem inter ſe ſentiant: hoc enim germanæ charitatis eſt ſymbolum, perinde quempiam de proximo ſuo ſentire ac de ſemetipſo. Quia uerò charitas etiam eſt ſecundum mundum, appoſuit, Secundum Chriſtum Ieſum: hoc eſt, ut illa ſentiatis & cogitetis, quæ placeant Chriſto Ieſu. Hæc ille. Iam iterum repetit propoſitionem generalem, mira gratia & breuitate, cui iungit exemplum Chriſti, dicens: Mutuis obſequijs inuicem ſuſcipite, ac porrectis uiciſſim dextris promouete, quemadmodum Chriſtus ſuſcepit uos, nec uobis imputauit priſtinæ uitæ commiſſa, ſed fraterna charitate complexus eſt, ad illuſtrandam inter homines gloriam Dei patris. Chriſtus autem utrique hominum generi inſeruiuit: Iudæis quidem, ut declararet Deum patrem ueracem, qui præſtaret ea poſteris, quæ maioribus fuerat pollicitus per oracula Prophetarum, ut ſibi gratulentur: gentibus autem, quibus nihil erat promiſſum, ut præter meritum ac præter omnem ſpem, ſola Dei miſericordia ad communem ſalutem admiſſi, diuinam prædicent bonitatem. D. Ambroſius: Originem commendat Iudæorum. In circumciſione enim filios ſignificat Abrahæ, quibus miſſus Chriſtus miniſtrauit patribus gratiam repromiſſam. Promiſerat enim Deus daturum ſe miſericordiã, & promiſerat patribus Iudæorum. Geneſ. 22. Pſal. 131. &c. Hic audimus palàm, Chriſtum in hoc è cœlis deſcendiſſe, ut & miniſter & concionator Iudæorum fieret. Et Chriſtus in ſuo officio tam diligenter egit, ut iurè tandem exclamarit: Hieruſalem, quoties uolui congregare filios tuos, &c. & noluiſti. Secundò, gentibus quoque, cum à Iudæis contemneretur, inſeruiuit, atq; ad cœnam illam gratiæ diuinæ & Euangelij gratuitò eaſdem admiſit. Iam uerò multa ſubijcit teſtimonia, quib. ſuperiora confirmet Apoſtolus, quòd ſalus etiam pertineat ad gentes. Sed & data opera quædam teſtimonia citat, in quibus gentes Iudæis eâdem (ut aiunt) nectuntur linea. Primum teſtimonium ex Pſal. 18 deſumptum eſt. Secundum ex Deut. 32. capite, in quo particula Eius, ad Deum refertur. Iudæi enim populus Dei dicebantur. Tertium uerò ex Pſal. 117. At quartum ex Eſaiæ 2. capite petitum eſt. Cæterum radicem Ieſſe ipſum Dauidis germen Dominum noſtrum Ieſum dixit, qui ſecundum carnem natus eſt ex ſemine Dauid. Theophylactus: Hæc omnia teſtimonia protulit, ut oſtenderet gentes oportere uniri Iudæis, eodemq;, quo ad Chriſtum, affectu imbutos eſſe. Ac eos qui ex Iudæis Chriſto dederunt nomen, deijcit, ne attollantur aduerſus gentes: nam Prophetæ omnes eas uocabant. Rurſum gentibus perſuadet, ne criſtas erigant, quum oſtendit eas multo plura debere Deo, quippe quæ maiorem gratiam acceperint. Quum enim populus non eſſent, populo Dei uniti ſunt. Hæc ille. S. Ambroſius: Quare tamen Chriſtus ex radice Ieſſe, & non ex radice Booz uiri iuſti, aut ex radice Obed? Sed quia Dauid filius dicatur propter regnum, ut ſicut ex Deo natus in regem eſt, ita & ex Dauid rege ortum haberet iuxtà carnem: ideo radix Ieſſe, arbor Dauid, quæ fructum fecit, per ramum qui eſt Maria uirgo, quæ genuit Chriſtum. Ita Ambroſius. Ex his porrò quia forſan contriſtabantur Iudæi, gentiũ ſcilicet ſalutem audientes eſſe prædictam, exoptat eis ut omni lætitia repleantur, & ait: Deus qui uobis hanc ſpem fecit oraculis Prophetarum, precor ut nunc præſtet affatim quod olim ſe facturum oſtendit, ut ſecluſo mœrore diſſidioq;, impleat uos omni gaudio concordiaq;, idq; per fidẽ: ut ſpes ueſtra quam de Deo concepiſtis, indies augeſcat, fiducia bonæ puræ que conſcientiæ, corroborante uos Spiritu ſancto:

Amen.

Matth. 23.

DOMINICA TERTIA ADVENTVS EPISTOla beati Pauli Apoſtoli 1. Corinth. Cap. 4.

FRatres, ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpẽſatores myſteriorũ Dei. Hic quærit̃ inter diſpenſatores, ut fidelis quis inueniatur. mihi aũt pro minimo eſt, ut à uobis iudicer, aut ab humano die: ſed neq; meipſum iudico. Nihil eñ mihi cõſci' ſum, ſed nõ in hoc iuſtificat' ſum: q aũt iudicat me,

Dominus

Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoaduſque ueniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.

EXPLICATIO.

Erant apud Corinthios pſeudoapoſtoli, qui æſtimationem D. Pauli labefactare ſtudebant: in hos nonnihil inuehitur, obiter oſtendens & Chriſtianæ doctrinæ ſummam, & quales Chriſti miniſtros eſſe oporteat. Dicit itaque: Chriſtum Deo debetis, omnium ſummo autori, qui per illum omnia nobis largiri uoluit. Huius nomine glorietur, qui uerè uelit gloriari. Nos uerò ſic æſtimet homo, non ut autores aut dominos: ſed qui ceu miniſtri Chriſti negocium agunt, qui que rem ab alio creditam diſpenſant, myſteria non hominum, ſed Dei. S. Ambroſius: Cum ergo miniſtrum ſe Chriſti & ſacramentorum Dei probat, pſeudoapoſtolos notat, & abnegat Chriſti eſſe quod tradunt, per id quòd diſcordarent à traditione Apoſtolica, &c. Iam quia œconomiæ ſiue diſpenſationis meminerat, ſubijcit: Cum igitur in confeſſo ſit, quòd omnes rem adminiſtrent ſummam, nihil perinde requiritur, atque ut fidi reperiantur, non aliò ſpectantes quàm ad Chriſti gloriam. D. Ambroſius: Hoc quod dicit, non ſolùm ad pſeudoapoſtolorum perſonam pertinet: ſed ad reliquorum, qui accepta diſpenſatione, aut uerecundia, aut timore, aut certè commendationis ſuæ cauſa conſtanter arguere trepidabant aut malos ſenſus aut mores. Hic enim tam conſtans erat, ut nec uitæ ſuæ parceret, dummodò fideliter omnia celebraret, &c. Cæterùm quia pſeudoapoſtoli Paulum infidelitatis notabant, ſe uerò eximiæ fidei dicebant eſſe cultores, reſpondet Paulus, ac inquit: Tantum abeſt, ut homines de hominis conſcientia rectè iudicare poſſint, ut nec de me ipſo auſim pronunciare, an laudem merear apud Deum, nec'ne. Ipſe quidem pro uiribus anniſus ſum, ut officio delegato ſatisfacerem, nec ullius fraudis mihi ſum conſcius: at non hinc auſim mihi uindicare iuſticiæ laudem: ſiquidem fieri poteſt, ut imprudens ſiue deficiens fecerim aliquid ſecus quàm oportuit: id cum ſoli Deo ſit cognitum, hunc unum habeo iudicem officij mei. Dominus ſolus eſt, qui infallibiliter exacteq; iudicat. D. Hieronymus: Humanum iudicium nullius dico momenti, in quo ſæpe ueritas & iuſticia fruſtratur: Diem enim hominis non concupiui, Hieremias [b] ait, etc. Porrò per apoſtrophen conuertitur ad aduerſarios: & monet illos ne iudicent, cum iudicandi ſint, ſed expectent diem iudicij Dei: Proinde, inquit, uobis cauendum eſt, ne ſerui ſententiam Domini anticipetis, iudicantes ante tempus. Nec enim tempus eſt de his pronunciandi, donec aduenerit Dominus. is tum in lucem proferet, quicquid nunc in tenebris abditum eſt: & oculis omnium conſpicuum reddet, quod nunc in ſinuoſis humani cordis receſſibus occultatum, fallit hominum conſcientias. D. Ambroſius: Hoc dicit, quia in die iudicij nihil occultum erit eorum quæ geſta aut cogitata ſunt, & ſimplicitas & hypocriſis illic apparebit, ut & qui deſpectus habebatur, fortè dignus appareat: & qui aliquid eſſe putabatur, inueniatur reprobus. Hæc Ambroſius. Tunc quidem ab eo, cuius certa ſunt iudicia, pro meritis contingent præmia. Qui ſincerè functus erit officio, laudem æternam feret à Deo, etſi parum commendatus fuit hominibus: qui ſecus, pudefiet, ac pœnas dabit, condemnante Deo, quamlibet apud homines in precio habitus.

b Hiere.17.

IN FESTO DIVI THOMAE APOSTOLI

Epiſtola beati Pauli apoſtoli ad Epheſ. 2.

ERgo iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & uos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto.

EXPLICATIO.

Admonuit Epheſios Paulus apoſtolus, ut memores eſſent beneficiorum Dei: quia cum longè eſſent à cognitione & timore Dei, miſericordia eius adiuncti ſunt. Alluſit autem ad introductionem,

nem, qua quis ſolet introduci in conſpectum principis: in qua dum perſtat, ſignificat gentes per Chriſtum mundatas, in conſortium Dei, ſalutis, promiſſionum, & in omnem hæreditatem cœleſtem eſſe receptas. Dicit enim: Nil refert quod iuxta carnis propinquitatem non ſitis ex ſtirpe Dauid aut Abrahæ, cum iuxta ſpiritum ſitis ciues conſortesq́; ſanctorum, ad Dei domum pertinentes: quæ non ex Iudæis tantum conſtruitur, uerùm ex omnibus qui purè credunt Euangelio. Huius fundamenta ſunt Apoſtoli Euangelij præcones, & Prophetæ, qui iam olim ſuis uaticinijs oſtenderunt, Euangelij donum omnibus ex æquo fore commune. Huic fundamento uos quoq; innitimini. Theophylactus: Eximiam coniunctionem & coadunationem ad Prophetas & Apoſtolos ſignificare uolens, Superædificati, inquit. perinde ac ſi dicere uellet: fundamētum poſiti ſunt Prophetæ & Apoſtoli, uos reliquam ſtructuram repleſtis, ut omnes uos efficiamini unum templum Dei. Hæc ille. Porrò Ieſus Chriſtus, ait, huius ædificij ſummus ille lapis eſt, qui in angulo additus, parietem utrumque iungit & complectitur, cuius ui complexu'que tota ſtructura credentium undecunque coagmentata, indies augeſcit ac ſurgit in templum ſpirituale uerè ſanctum, nimirum ab ipſo Domino conſecratum. Theophylactus: Communiter autem Eccleſia, hoc eſt collectio omnium fidelium, dicitur templum Dei, & unuſquiſque priuatim. In Domino autem dixit, propter gratiam Domini, non per noſtros labores. Quum autem dicit Conſtructi, oſtendit quòd non licet aliter cōponi nos in templum Dei, niſi & uitam uiuamus quæ reſpondeat ipſi ſummo angulari lapidi Chriſto. Tantum ille. Demum uos Epheſij, inquit, huius ſacræ ſtructuræ quoque pars eſtis, dum ueluti uiui lapides iiſdem fundamētis ſuperſtructi, & ab eodem lapide angulari comprehenſi, puritate mentis ac ſpiritus Deo præſtatis habitaculum ſanctum, & ab omnibus inquinamentis uitiorum & cupiditatum immune. D. Hieronymus: Vt cum Apoſtolis & Prophetis ſitis habitaculum Dei ſpirituale, &c.

DOMINICA QVARTA ADVENTVS EPISTOla beati Pauli apoſtoli, ad Philipp. Cap. 4.

FRatres, gaudete in Domino ſemper: iterum dico, gaudete. Modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus prope eſt. Nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione, cum gratiarumactione petitiones ueſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda ueſtra, & intelligentias ueſtras in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

EXPLICATIO.

Hortatur D. Paulus his Philippenſes ad cordis ac conſcientiæ gaudium: id quod ferè fidem comitari ſolet. Hortatur & ad modeſtiam, quæ uel in primis decet Chriſti diſcipulos, ſic dicens: Iterum atq; iterum iubeo uos læto eſſe animo. quantumuis ſæuiat in uos improborum iniquitas: tamen ueſtra æquitas, ueſtra'que moderatio nota ſit & ſpectata cunctis mortalibus, non ſolùm fratribus, uerumetiam alienis à Chriſto: quo citius ueſtra bonitate prouocati, pelliciantur ad Euangelij conſortium. Theophylactus: Quomodo igitur Dominus dixit: [a] Beati qui lugent? quia illud ipſum lugere, eſt gaudere. Non enim ſimpliciter dixit, Gaudete: ſed, in Domino. Qui autem in Domino eſt, ſemper lætatur, etiamſi torqueatur uel dilaceretur. Reuertebantur (inquit Lucas [b]) à conſilio, gaudentes, quoniam digni habiti eſſent, pro nomine Ieſu contumelia affici. Hæc ille. Cæterùm, quia ſuprà accuſaſſet quoſdam Paulus ceu inimicos crucis Chriſti: monet iam Philippenſes, ne inuideant illis, ſed potius clementes ſe ipſis exhibeant, & ait: At malè uos habet quòd iſti in uoluptatibus uiuant, uos'que iniuria afficiant, quum uos in afflictione laboretis? uerùm id uos minimè moueat. iudicium enim Domini iam admotum, inſtat aduentus Chriſti, qui & uobis pro ſpretis huius mundi commodis largietur immortalitatem, & illi ſuæ dementiæ pœnas luent. Proinde neque illorum uos iniuria angat, neque ueſtra uos calamitas à ſcopo, qui Chriſtus eſt, deijciat: uos in diem uiuite, nulla de re ſoliciti, tantum illud agentes, ut ille adueniens uos offendat paratos. Quòd ſi qua re fuerit opus, ne fidite mundi præſidijs: ſed Deum aſſiduis precibus interpellate, illi uotis ardentibus ſignificantes, ſi quid poſtulatis. Theophylactus: En aliam conſolationem, orare in omni re. At quomodo quiſquam futura rogauerit, qui ſeſe pro prioribus beneficijs non ex-

a Matth. 5.
b Acto. 5.

non exhibuit gratum? Itaque pro omnibus, etiam ijs quæ contraria nobis uidebuntur, ſunt agendæ gratiæ. Nam pro bonis in nos collatis nos gratos eſſe, rerum natura poſtulat: illud autem eſt animæ piæ, & uerè gratæ. Huiuſmodi igitur orationes patefaciunt petitiones noſtras coram Deo: aliter enim factas ne agnoſcit quidem Deus. Tantum ille. Porrò conſcientiæ pacem, Dei pacem uocat Apoſtolus, propterea quòd à Deo, non à mundo donetur: interim etiam confitetur, huiuſmodi pacem omnem rationem exuperare, neque ulla ratione ab humanis uiribus deprehendi poſſe. D. Ambroſius: *Tunc demum munitionibus pacis ſuæ, quæ omnem exuperat mentem, ait, cuſtodiat corda ueſtra in Chriſto Ieſu. Hoc ideo dixit, quia cum Deo qui habet pacem, non timet omnem mentem aduerſam: tutus enim eſt pace Dei omnis diligens Deum in Chriſto Ieſu. Quis enim non metuat eum, quem ſcit Dei eſſe amicum? Hæc Ambroſius. Quòd uerò ait, In Chriſto Ieſu: hoc dicit, In ipſo uos cuſtodiat, ut ne ab eo excidatis, ſed perſeueretis in eo: Amen.*

ENARRATIONVM IN EPISTOLAS
Dominicales finis.

ORNATISSIMIS ERYTHROPOLITANAE REIPUBLICAE CONSULIBUS AC SEnatoribus, Dominis ſuis ſingulari ſtudio obſeruandis, Renhardus Lutz Erythropolitanus gratiam atq; ipſam ſalutem dicit.

QVANQVAM olim uiri acutiſſimi ingenij, & alioqui acri iudicio, quos proinde philoſophos & ſapiētes appellauêre, extiterint, Viri ornatiſſimi: tamen neq; animo, neq; ulla mentis acie cōcipere potuerunt diuinū illud numen: quin potius more Andabatarū in tenebris uerſantes, tot deliramenta cōmentati ſunt, atq; Deum creatorē ſuum impijs ſententijs offenderunt. Quibus propterea longè ſapientior Simonides poeta fuit. nam cùm ab eo tyrannus Hiero quæſiſſet, quis aut qualis eſſet Deus, deliberādi cauſa ſibi unū diem poſtulauit: cùm idem ex eo poſtridie quæreret, biduum petiuit: cùm ſæpius duplicaret numerū, admiransq; Hiero quæreret cur ita faceret? Quia quanto (inquit) diutius conſidero, tanto mihi res uidetur eſſe obſcurior. Quid igitur difficilius & periculoſius, quàm de Deo loqui & uera dicere, ut ſapientes dixerūt? Satis ſit itaq; nobis quod dixit Deus: Ego ſum Deus, ante me non fuit alius, & poſt me non erit. Vnde non Deucalion, de quo fabulæ ferūt, quòd Vacuū lapides iactarit in orbem, Vnde homines nati durū genus: ſed hic Deus duos homines fecit, ex quibus totius humani generis ſylua deſcendit. Hi aūt propterea ficti & inſpirati ab eo ſunt, non ut cœlum uiderent, & Solem (quod Anaxagoras putauit) ſed ut ipſum pura & integra mente colerent. Qui enim animus eſt, mens atq; ſpiritus, pura, incorrupta & mente & uoce uult uenerari. Et proinde ſtatim à reformato mundo, cùm ſine uera cognitione, ſine uero cultu & inuocatione nemo placeret Deo, ipſiq; eſſet acceptus, lucē uerbi ſui accendit, in quo & ſe & uoluntatē ſuā patefecit. Hinc Noah, Abraham, Iſaac & Iacob, qui uiua uoce poſteris ſuis uerbum de Deo uero cognoſcendo, colendo, & inuocando tradiderunt. Poſtea ſucceſſit Moſes, & Prophetæ, qui uerbum à patribus quaſi per manus traditum, & uiua uoce & ſcriptis Eccleſiæ propoſuerunt. Porrò hoc uerbum hominis reparandi gratia patres acceperunt, quibus propterea Deus ſæpius apparuit, & cum eis eſt locutus. Ambula corā me (dixit Deus ad Abraham) & eſto perfectus, ponamq; fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te uehementer nimis, &c. Hoc deniq; præſtitit Deus, ubi ipſius filius aſſumpta humana carne redemptor humani generis, de cœlo in terras uenit, & ſua uoce promiſſiones patribus factas, et Prophetarū de ſe uaticinia expoſuit. Quocirca nō ſatis fuit cognouiſſe Deum Abrahā, Iſaac & Iacob: notum in Iudæa, & eius nomen in Iſrael magnū eſſe oportebat, & confiteri ipſius æterni Patris filium. Quem filiū? Deum de Deo, lumen de lumine, & hunc Ieſum Chriſtū. Ipſum enim Pater magnifico teſtimonio omnibus exhibuit pariter, et declarauit, de cœlo dicens: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Quamobrē ille non tantùm quæ antea tecta & recondita erant, detexit & aperuit, ſed ingentibus mira-

Autor M. Tullius.

Vergilius.

culis de ſe multis antè ſeculis edita uaticinia cõfirmauit. Cæterùm, quoniam ipſum redire ad Patrẽ iuxta aſſumptã humanã naturã (ut diuo Hilario placet) oportebat, uocauit & elegit ſibi Apoſtolos, teſtes ſuæ reſurrectionis, qui uſq; ad extremum terræ teſtarentur, factã per ipſum reconciliationẽ Dei Patris, partã hominibus ſalutẽ & uitam æternã: modò agnoſcant ingens beneficiũ, & fide & grato pectore amplectantur. Diſceſſuri itaq; illi ab inuicem, ut hæc omnibus annunciaretur ſalus, et uita æterna, normã prædicationis in commune conſtituerunt, eamq́; (ut ſanctus teſtatur Cyprianus) diſtinxerũt duodecim punctis, ſiue articulis. Hoc aũt fundamento iacto, haudquaquã ignari ſanctiſsimi illi uiri, quis uerus Dei cultus eſſet, quem utiq; requirat, qui proprio filio ſuo nõ pepercit, ſed pro nobis omnib. tradidit illum: iuſtũ ac dignũ uoluerunt, ut precioſo ſanguine Ieſu Chriſti redempti, proni in terrã adoremus Dominũ, qui fecit & redemit nos. Ea enim noſtra debet eſſe meritò erga Deum gratitudo & obſeruantia, cùm ingratitudinem etiã Scythis exoſam fuiſſe cõpertum ſit: & eam deteſtabiliſsimũ uitiũ omnes ſemper iudicarint gentes. Oportet igitur orare ſemper, & in omnibus gratias agere. Summus colendi Dei ritus ſit ex ore hominis ad Deum directa laudatio, quæ tamen ipſa ut Deo ſit accepta, & timore & pietate maxima opus eſt. Propterea quemadmodum illa latria ſoli Deo debita cõſiſtit in mentis puritate, ut cognoſcamus rectè ſolum Deum, & quem miſit ille Ieſum Chriſtũ: corde quidem creditur ad iuſticiã, & ore confeſsio fit ad ſalutem, ut Apoſtolus docuit: neceſſe tamen erit, ut liberati à peccato, ſerui iuſticiæ ſimus. Saluator enim noſter Chriſtus propterea dedit ſemet ipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilẽ, ſectatorẽ bonorũ operum. Idcirco haud abs re Decalogus populo Dei exhibitus, omnibus in Chriſto renatis cõmendatus eſſe debet, qui ſaluberrima illa præcepta cõtinet, quibus cõſtringuntur, & tanquã muro (ut Chryſoſtomus docet) ad bene rectéq; uiuendũ concluſi homines ambulant in lege Domini, & uijs eius. Porrò omnes nos regno cœlorũ aſcriptos iam per Chriſtũ non tantùm credimus, ſed firma ſpe tenemus: & huius non certos modò efficit fides, ſed alia quoq; ſignacula (ut uult diuus Auguſtinus) & uiſibilia pietatis ſacramenta, quibus Chriſtus ſpiritum ſuum largiter in nos diffundit, ut ſimus ſancti & immaculati in conſpectu eius, & hæredes cœleſtiũ bonorũ. Ita omnes & ſinguli iuſsi ſunt baptizari in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: de quo Apoſtolus diſertè loquitur, ac docet baptiſmũ eſſe lauacrũ regenerationis in uerbo uitæ. Quanta quoq;, & quàm immenſa erga genus humanũ Dei charitas fuiſſet, ut oſtenderet Chriſtus, ſacratiſsimi corporis & ſanguinis ſui ſacramentũ pijs omnibus cùm inſtituit, tum reliquit. Sacrũ equidem conuiuiũ, in quo ipſe ſumitur, recolitur memoria paſsionis eius, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur. Et quia fideles his tremendis myſterijs accipiunt gratiã Spiritus ſancti, cõfirmatur illa gratia in eis, quæ uſq; duret, ſine qua nihil poſſumus: poſſumus aũt omnia, in nos confortante Chriſto. Atqui utcunq; ſpiritus noſter promptus inueniatur, manet tamen ſemper caro noſtra infirma: Lubricũ quare (inquit Hieronymus) eſt iter humanæ uitæ. fit itaq; ut legem

ſentiamus

*ſentiamus in membris noſtris, repugnantem legi mentis noſtræ, & captiuantē nos
in lege peccati, ut Apoſtolus loquitur: & proinde retrorſum cōuertamur ab eo no
bis tradito ſancto mandato, quemadmodū canis ad ſuū uomitū, ut Petrus ſcribit.
Chriſtus aūt probè noſcens noſtrā fragilitatē, (cognoſcit enim figmentū ſuum) in-
dulgentiſſimū ſe patrem ultrò offert: Viuo ego, inquit, & nolo mortem peccatoris,
ſed magis ut conuertatur & uiuat. Quoties igitur lapſi indulgentiam obnixè pre-
camur, & (ut Ioannes ſcribit) cōfitemur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus Chri
ſtus, ut remittat nobis ea, & emundet nos ab omni iniquitate. Sunt aūt hæc certè
capita ſanctiſſimæ religionis noſtræ, quam ita fundatā uidemus, ut nec portæ infe-
rorū, prout ipſa ueritas dixit, aduerſus eam præualeant. Et proinde cùm ſacræ tum
prophanæ literæ teſtentur, de Republica bene meritos ſemper in ſummo precio fuiſ-
ſe: nemini dubium eſſe poteſt quin maiorem mereantur laudem & gloriā, qui om
nibus neruis intenſis Chriſtianā religionem illuſtrare, & quoquo modo apertā fa-
cere ſatagunt. Cùm enim omnis uitæ beatæ (ut inquit Auguſtinus) uia, in uera
religione ſit conſtituta, qua unus Deus colitur, & purgatiſſima pietate cognoſci-
tur: nihil prius nobis eſſe debet fide noſtra, & religione, quæ (ut idem ait) non in
cōfuſione Paganorū, neq; in purgamētis hæreticorū, neq; in languore ſchiſmatico-* **De uera religione.**
*rum, neq; in cæcitate Iudæorū quærenda eſt: ſed apud eos ſolos qui Chriſtiani, Catho
lici, uel Orthodoxi nominantur, id eſt integritatis cuſtodes et recta ſectantes. Hoc
optimū omnium ſtudiū eſſe duco, ut Chriſtū ſcire inſtituamur, & indefeſſa diligen
tia quiq; nō è lacunis quibuſlibet, ſed ipſis ueris fontibus hauriant aquā illam ſalien
tem (ut Chriſtus inquit) in uitam æternam. Cùm aūt, colendiſſimi uiri, præclarè
ſcriptū ſit à Platone doctiſſimo, & omniū Philoſophorū facilè principe, nos non* **Plato:**
*nobis ſolùm natos eſſe, ſed ortus noſtri partem patriā ſibi uendicare, partē amicos:
ſcio & memini, quot quantisq; nominibus uobis obæratus ſim, nec ignoro quàm ob
facultatū mearum tenuitatē ſoluendo eſſe nō poſſim: tamen ut ſaltem aliquam da
rem ſignificationē pleni & indubitati erga patriā amoris, & planè oſtenderē qua
dulcedine me ducat natale ſolum, neq; ſinat me immemorē eſſe ſui, hunc laborē Rei
publicæ ueſtræ nuncupare uolui. Vt ergo ſtudiū hoc meū æqui boniq; cōſulatis, ani
miq; gratitudinē, ac (quæ eſt erga Rempublicā ueſtrā) propenſionē, obnixè pre-
còr. Eſt quidem munus per ſe ſatis exiguū & leuidenſe: ubi uerò mecum memoria
repeto, quanti olim maximi principes Alexander Magnus, et Octauius Augu
ſtus, etiā exilia literarū opuſcula, inter precioſiſſima dona & reputarint & ha-
buerint: cōfido multo gratius futurū, ac ſi aurū Colophoniū dono dediſſem: neq; ulla
temeritate facio, ſed iuxta morem longo uſu receptū, & doctiſſimorū uirorum cal
culo approbatum. Dominus ac Seruator noſter Chriſtus Ieſus Rempublicam ue-
ſtram in his turbulentis temporibus, in uera pace inconcuſſam conſeruet, ac proue-
hat ad regni ſui gloriam ac ueram felicitatem. Seletſtadij, anno Do-
minicæ incarnationis M. D. LVII. die pri-
ma Martij.*

CHRISTIANAE RELIGIONIS
DOCTRINA, INSTITVTIO, ET
Methodus.

VARIAE olim fuêre hominum opiniones, ſit'ne prouidentia quæ rebus omnibus conſulat, an fortuitu facta ſint omnia, uel gerantur? Ex ipſa autem tandem rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, conſtantia, utilitate, pulchritudine & alijs, intellexerunt etiam rudes, & feris moribus, prouidentiam aliquam eſſe, quæ & condiderit omnia, & eadem uirtute moderetur. Hanc autem multi, ſpiritum uel mentem dixerunt. Præſtantiores uerò Deum appellabant, quod uerisſimum nomen eſt cœli & terræ conditoris. Eſt igitur Deus principium omnium rerum abſque omni principio, ſed qui in principio temporum creauit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Maior obinde quàm ut ab ullo hominum eloqui poſsit, aut ſenſibus humanis comprehendi. ſiquidem is eſt author omnium rerum: de quo quanto magis quæritur, tanto minus intelligitur, & inueſtigatur. Qua in re apoſtolus Paulus fatetur ſuam imbecillitatem, dum ait: O' altitudo diuitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, &c. Roman. 11. Arcanum perſcrutari intendebat de ſaluandis hominibus iudicium altisſimi: ſed infirmus iacuit, nec Deum, nec ipſius facta explicare ualens. Itaque iudicia Dei abyſſus multa, ſuper capacitatem naturæ intellectualis, ut haud minus diuina ferre poſsit, quàm oculus noctuæ lucem ſolis. Facilius dici poterit quid Deus non ſit (omne enim quod dicitur, Deus non eſt) quàm quid ſit Deus. Idcirco non ultra Scripturam progrediendum, quæ dicit, Deus eſt ſpiritus: non quidem ut alij, adminiſtratorius, ſed à quo omnem uirtutem operandi, cogitandi atque eſſendi habemus. Quem meritò noſtra uernacula lingua Got, à bono quidem appellamus, quando præter ipſum nemo bonus: quare & ethnici Deum olim ſummum bonum dixerunt. Græci uolunt Deum dictum à uidere, non quòd nos ipſum uideamus (Deum enim nemo uidit unquam. & nec Moyſi contigit, licet ipſi Deus tanquam amico loqueretur. petijt quidem ille cernere diuinam faciem, ſed audiuit: Non poteris. non enim uidebit me homo, & uiuet. poſt hanc tantum uitam uidebunt eum ſancti, ſicuti eſt) ſed quòd ipſe nos uideat & cognoſcat, coram cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt, ſcrutans corda & renes, & omnia inuiſibilia, etiam in abyſſum proſpiciens, ſolus lucem inhabitans inacceſsibilem. Ipſi gloria, ait Apoſtolus, in ſecula ſeculorum, Amen. Hic Deus, non in templis manufactis habitat: ſed eſt ubique, licet cœlum aſcendas, uel ad infernum deſcendas: ipſius enim uirtus & eſſentia in omnes mundi partes ſeſe extendit: præſentem ſe exhibet, gratiam largiendo: & per potentiam nuſquam non eſt, dum iuſtum iudicium exequitur. Attamen ſpeciali quodam modo in cœlis habitare dicitur, ibiq; uidetur clarè & apertè à ſanctis ſuis angelis. Hinc in Scriptura dicit: Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum, &c. Antequam autem cœlum & terra fierent, & cùm nondum erant abyſsi, Deus erat in ſeipſo perfectus Deus, & uerè beatus. Is nullo indiget, imò omnia indigent conſeruatione eius, ne redigantur in nihilum. Sempiternus eſt, & ſine fine, finem ſuo tempore ſeculo & omnibus creatis impoſiturus, ut renouentur. quod Apoſtolum Petrum minimè latuit, ait enim: Adueniet dies Domini, in quo cœli magno impetu tranſibũt, elementa uerò calore ſoluentur. Quę ſanè dies, dies erit iræ, calamitatis & miſeriæ. Vnde multi de hoc poſt Apoſtolos interrogare commoti ſunt, omnibus tamen dicitur: Non eſt ueſtrum, noſſe tempora & momen-

Lactantius diuina. inſtit. li. 2. cap. 2. & 6.
Gen. 1.
D. Hilar.
Damaſcen.
Ioan. 4.
Anthropomorphitę Deum dixerunt habere membra.
Marci 10.
Græcè theasthæ, id eſt uidere.
Exod. 33.
1. Ioan. 3.
1. Cor. 13.
Ambroſius: Deus dicitur quòd ſpectet omnia & timeatur à cunctis.
Actor. 17.
Matth. 18.
Eſa. 66.
2. Pet. 3.
Act. 1.

& momenta, quæ pater in ſua poſuit poteſtate, ita ut nec angeli hanc horam ſciant. Heliæ aſcribitur computatio ſex mille annorum. Auguſtinus autem omnes errare affirmat, uolentes certum tempus conſummationis ſtatuere: & contendit, eam ex ſola ſimplici uoluntate Dei dependere. In nos equidem fines ſeculorum deuenerunt, iam iudicium Dei (ſcribente Petro) à domo Dei incœpit: ſed occultum illud, quo unuſquiſq; aut exercetur ad purgationem, aut monetur ad conuerſionem, aut excæcatur ad condemnationem. Alterũ itaque iudicium quod manifeſtè fiet, reſtat adhuc, quo ipſe Deus iudicaturus eſt uiuos & mortuos. Neceſſe eſt filiũ perditionis primùm uenire, qui extolletur ſupra omne id quod dicitur Deus, qui & ſeducet multos uirtute Satanæ, in ſignis & prodigijs mendacibus: multa mala nobis obueniũt, ſigna quidem illius extremi diei, ſed nondum finis: os Domini locutum eſt. Ergo uigilemus oportet, ne cùm ueniet Dominus, inueniat nos dormientes, & clauſa ianua repulſam pati neceſſe ſit, dicente eo: Neſcio uos. Porrò ſummi illi philoſophi (ait Auguſtinus) cùm tranſcenderunt cuncta corpora, quærentes Deum, uiderunt Deum principium omnium, qui iſta omnia fecerit, & à nullo fieri potuerit, cœperunt de materia rerum exiſtentium diſputare, num ex aliqua præexiſtente materia cœlum & terra creata ſint, cùm ex nihilo nihil fieri ſit compertiſsimum. Hos ut ſtultos factos D. Apoſtolus reijcit, & Athenis coràm dicebat: Deus fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt: fecit utique ex nihilo. ex quo enim faceret, cùm nihil eſſet? mundus igitur & angeli ex nulla materia præexiſtente facta ſunt. Dixit enim & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt. Materia (ut Bedæ placet) omnium corporalium & elementarium, ex nihilo, potentia Dei, ſub una forma communi creata eſt, & deinde diebus ſequentibus diſtincta per formas ſpecificas: ſed hominem & creaturas cæteras ex aliquo factas. Idq; unus atque idem Deus effecit per uerbum ſuum, quod in principio erat apud ipſum, & ſpiritum qui ferebatur ſuper illam congeriem elementorum. Et licet cœlum ſedes, & terra ſcabellum pedum Dei dicatur: tamen terram & quæ in ea ſunt, ſibi Deus potiſsimùm non creauit, ſed homini, Noe dicente: Terror ueſter, &c. Geneſ. 9. Item, Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum: Pſal. 8. ut ei ſeruiret, ut illis homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, uteretur in laudem & gloriam ſui Creatoris. Primus autem homo à Deo factus, Adam dictus eſt, à terra: ſiquidem de limo terræ fecerat illum ſupremus ille opifex. Huic coniugem dedit quæ uocata eſt Eua, hoc eſt uita, uiuificatio, ſed potius calamitas & miſeria dicenda erit: hanc ex coſta Adæ carne ſubducta fecerat Deus. Hi duo homines in paradiſo uoluptatis fuiſſent principium generis humani, ſi innocentiam originalis iuſticiæ ſeruaſſent, transferendi ad cœleſtem & perpetuò duraturam uitam. At ex peccato facti ſunt mortales, & ſic initium omnium mortalium, qui non niſi per Chriſtum immortales fieri poſſunt: ita ut omnes homines ſicut ex puluere ſunt, ita rurſum in puluerem reſoluentur. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. 1. Corinth. 15. Mirabilis eſt iſte Deus uniuerſorum creator, qui unicuique creaturæ ſuam ſpeciem dedit, diuiditq; lucem à tenebris: de quo igitur quanto magis quæritur, tanto minus inueſtigatur. Quis enim poſſet cognoſcere cognoſcentem omnia? Scriptura dicente: Ipſe diſcretor cogitationum & intentionum cordis eſt. Quis igitur non quoque mirabitur, quo pacto factum, ut homo immortalis mortalis factus ſit, ubi ſerpenti ſuggerenti ſuperbiam conſenſit, & comedit de fructu uetito? Nunquid iniquus eſt Deus? Abſit. iuſtus eſt, & iuſticias dilexit, æquitatem quoque uidit uultus eius. Dicamus ergo cum rudi illa plebecula: Omnia bene fecit, & ſunt ualde bona quæcunque ab ipſo ordinata fuerunt. Igitur quantum homini noſſe datum

Aug. de ciuit. lib. 18. cap. 53.

1. Pet. 4.

2. Theſſ. 2.

Matth. 25.

Acto. 17.

Gregori⁹ Nazianzenus dicit primo omniũ factos eſſe angelos: idem Damaſcenus.

Gen. 1.

Materia mundi ſunt oẽs & uniuerſę partes eius ſimplices, uel cõpoſitæ, ſed impropriæ loquendo.

Verbo Domini, cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorũ. Pſal. 23.

Creatura eſt triplex: Spiritualis, ut angeli: corporalis, cœlum, & terra: Corporalis & ſpiritualis, homo. Gen. 1. 2. & 3.

Hebr. 4.

Marci 7.

eſt, edocti ſumus ſenſibus humanis Deum ipſum perfectè comprehendi non
poſſe: hocq; tota confitetur Eccleſia. Eum tamen ut Dominum omni hono-
re & gloria dignum, miniſtros habere Scriptura minimè tacet. Nobilis eſt illa
rationalis creatura, homo uidelicet: ad imaginem ſiquidem Dei factus eſt, ſe-
cundum quidem potentias animæ, per quas capax effectus fuerat ipſius Dei
per cognitionem, & amorem. Verùm haud ignobilem aliam rationalem con
didit pius pater creaturam, quam angelicam dicunt, cuius Scriptura frequen-
ter meminit, & præſertim Pſal. 104. Deus qui facis angelos tuos ſpiritus, &
miniſtros tuos ignem urentem. Sunt igitur incorporei, carnem & oſſa mini-
mè habentes: aſſumunt tamen aliquando corpora Deo præparante, ad im-
pletionem miniſterij ſui ſibi à Deo iniuncti, eademq; poſt expletionem de-
ponunt. Sic uiſibiliter ſanctis olim angelos apparuiſſe legimus, eisq; fuiſſe lo
cutos, ut Abrahæ, Loth, Iacob, & alijs. Præcipuum uerò munus eorum eſt,
Deo inhærere per apertam uiſionem, quem laudant, quem benedicunt atq;
adorant ſine fine dicentes: Sanctus, ſanctus, ſanctus. Eſaiæ 6. Deinde cuſto-
Matth. 18. des etiam ſunt hominum, iuxta illud: Angeli eorum ſemper uident faciem
Patris cœleſtis, &c. Per ipſos item animæ defunctorum deferuntur in cœ-
lum, Lucæ 16. & orationes ſanctorum, ut de Tobia liquet. Demum angelo-
rum adminiſtratio erit, uenire cum filio hominis in extremo iudicio, ad col-
ligenda omnia ſcandala, & omnes qui faciunt iniquitatem, Matth. 13. Hæc
igitur angelica natura, in ipſo creationis initio iuſta fuit, perfecta, atque bea-
ta ſemper. Auguſtinus ſuper Gen. Quòd uerò ſunt & mali angeli, qui non
ad ſalutem, ſed perniciem hominum mittuntur, quibus ignis æternus debe-
tur, Matth. 25. ſuas rationes habebit, nempe illas: Omnes angeli, boni creati
ſunt, ita tamen ut liberi arbitrij eſſent, ita ut peccare uel non peccare poſſent.
Doctorum eſt ergo ſententia, morulam fuiſſe inter creationem, lapſum &
Apoc. 12. confirmationem. Lucifer cum alijs mox ſuperbiens, cecidit. Michael & non-
nulli alij, millia tamen millium permanſerunt: quos proinde confirmatos
eſſe piè credendum eſt. Quo pacto autem ceciderint de cœlo angeli poſt
peccatum, & Saluator & Apoſtoli eius nobis tradiderunt: Videbam, in-
quit Dominus, Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem, Luc. 10. Quomo-
do ſicut fulgur? Quia ille cadit celeriter, manifeſtè, & cum fœtore: ſic etiam
angeli de cœlo empyreo ceciderunt in inſtanti, & uidentibus alijs angelis,
cum fœtore etiam proprij peccati. Petrus apoſtolus ait: Deus angelis pec-
cantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradi-
dit cruciandos, &c. 2. Petr. 2. Et Iudas Taddæus: Angelos, inquit, qui non
ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iu-
dicium magni diei, uinculis æternis ſub caligine reſeruauit. Quæ omnia hoc
uolunt, ut ſciamus dæmones detruſos in hunc caliginoſum aerem, ubi ha-
beant ſuam pœnam. Deſcendunt autem ad infernum, ut animas impiorum
detineant ibidem, atque crucient. Et poſt iudicium, ut Saluator dixit, ignis
inferni inextinguibilis, atque ſupplicium incomparabile diabolo & angelis
eius erit: qui proinde callidiſsimi tentatores ſunt, ut ſecum nos in illud ſem-
piternum exitium trahant. Quare & Apoſtoli fideliter nos admonent, &
1. Pet. 5. aiunt: Vigilate fratres, quoniam aduerſarius ueſter diabolus circuit tanquam
leo rugiens, quærens quem deuoret. hoc eſt dicere, tanquam hoſtis obſi-
dens muros explorat, ut perdat animas Chriſti iuratorum. D. item Pau-
Ephes. 6. lus, ut auertat hoc malum, ſatis inclamat, & admonet, ut fortiſsimè ſtemus
omni armatura induti, aduerſus aereas poteſtates, & rectores huius mun-
di. Vtique perpetuum bellum erit nobis cum iſtis Domini noſtri hoſtibus.
Iob 7. Quid igitur uita hominis ſuper terram aliud, quàm militia? Bene ergo ſub-
iungit Apoſtolus, dicens: Per omnem orationem & obſecrationem orantes
omni

omni tempore in ſpiritu, & in ipſo uigilantes in omni inſtantia, &c. Quia fortiore illo multum indigemus, qui ſatanam uicit: infirmis aliàs pedibus titubantes, & nil minus præſtaturi quàm ut hoſtem illum truculentiſsimum proſternamus, Iam uerò ordo inſtituti huius exigit, ut ad eam rem unde digreſſi ſumus redeamus. Itaque conſtat, hominem in perfectiſsimo ſtatu creatum, aſtu dæmonis, qui illi eam beatitudinem inuidit, mandatum ſui creatoris optimi tranſgreſſum fuiſſe, unde mortem & æternum exitium ex ſententia Dei iuſta incurrit.

Gen. 2 & 3.

¶ Adam igitur poſtquàm paradiſo ptoptet trangreſsionem pulſus eſt,

Prima ætas, ſiue multiplicatio prima.

Cognouit ſuam uxorem Euam, quæ peperit ei filium, nomine Abel. De Cain enim nihil ad præſens inſtitutum, quandoquidem ipſe non pertinet ad regnum Chriſti, & Dei ciuitatem. Nam fratrem ſuum Abelum iniquè occidit: & cum à Deo corripiebatur, deſperauit, & derelictus eſt. Abel autem iuſtus cùm eſſet, placuit Deo cum omnibus operibus ſuis. quod & Dominus de eo teſtari uidetur, dum ait: Vt ueniat ſuper uos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ab Abel iuſto, uſque ad Zachariam, &c. Et meritò dictus fuit Abel. quid enim aliud hic quàm luctus & triſticia? Adam ipſe rurſum cognouit Euam, quæ & peperit ei filium nomine Seth: aptiſsimo quidem nomine. nam ut ſemen ex diuina reuelatione poſitus eſt, ut inde naſceretur unctus Domini, de quo proinde Scriptura dicit: Iſte cœpit inuocare nomen Domini. Poſt multum uerò temporis ex radice Adam proceſsit Enoch. Hic teſtimonium habet, quòd cum Deo ambulauerit, Gene. 5. Eum raptum uolunt propter excellentiam ſuæ uirtutis, & in paradiſo uerſari, ubi & Helias propheta: inde exituri ambo ad prædicandum contra perfidiam Antichriſti, uenturi in nouiſsimis temporibus. Et hæc eſt prima ætas, quæ ferè durauit mille quingentis annis,

Ante inobediētiam, inquit Chryſoſtom⁹, eogeliꝭam uitem imitebantur.
Gen. 4
Obtulit, ut ſuā gratitudinem oſtenderet ex ſcientie in cor‑mo conſcio.
Matth. 23.
Excitauit mihi Deus ſemen aliud pro Abel.
Damaſceo.
Apoc. 11.
Malach. 4.

Secunda multiplicatio, ſiue ætas.

CVmq; cœpiſſent homines multiplicati ſuper terram, filij Seth acceperunt filias Cain in uxores. Gen. 6. Et uidens Deus quòd multa malicia hominum eſſet (erat corrupta omnis terra coram ipſo, quantum ad carnalia peccata) & repleta omni iniquitate, quantum ad fraudes & rapinas: Delebo, dixit, omnem hominem quem creaui. Erat autem Noe uir iuſtus atq; perfectus, ſequens ueſtigia Dei, cæteris impiè uiuentibus. is inuenit gratiam coram Deo. cui & dixit Deus: Finis uniuerſæ terræ uenit coram me, fac tibi arcam de lignis leuigatis, &c. Gene. 6. Quo ingreſſo arcam, atque expeditis omnibus quæ ei mandauerat Deus, rupti ſunt omnes fontes abyſsi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt, pluuiaq; facta eſt ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. conſumptaq; omnis caro quæ mouebatur ſuper terram, ſolo Noe remanente, & qui cum eo erant in arca. Horribile auditu exemplū. Si enim Deus (ut ait Petrus) angelis peccantib. non pepercit, & originali mundo, ſed diluuium mundo impiorum induxit, &c. pios Deus de tentatione eripiet, iniquos uerò in diem iudicij puniendos reſeruabit. Quib. igitur modò parcit, pœnitentiā acturos expectat, ut cōuerſi effugiant iram & damnationē æternā. Recordatus eſt aūt Dominus Noe, cunctorumq; in arca exiſtentiū: igitur imminutæ ſunt aquæ, & iuſſu Domini egreſſus Noe, & cuncta quæ apud eum fuerant, audiuerunt: Creſcite & multiplicamini ſuper terrā, Gene. 8. Et ait rurſum Dominus: Ecce ego ſtatuā pactū meū uobiſcū, & cū ſemine ueſtro, nequaquā ultrà interficietur omnis caro aquis diluuij. Hoc ſignū fœderis mei erit. Arcum meū ponā in nubib. cœli. Geneſ. 9. Veriſsimū ſignū ſecuritatis, ne homines formidoloſi timerent altero diluuio deleri, inun‑

Chryſoſtom.
Enormia illorū peccata miſericordē Deum indignari fecerunt.
Gen. 6.
Noe autem inuenit gratiā corā domino, hic ſcintillam uirtutis ſeruauit.
2. Pet. 2.
Chryſoſtom.
Talis imber nō erit ultrà: tuorū indignationē non ultrà expectetur humanum genus.

dationes ſæpe cernentes. Hoc in cœlo poſitum eſt ſignum, ut omnibus eſſet conſpicuum, & addiſcerent homines, in quauis tribulatione oculos ſuos attollere ad ipſum Deum qui in cœlis habitat. Hoc autem pacto Dominus Deus in Noe & generationibus ipſius mundum rurſus inchoauit. Et hæc erit ſecunda multiplicatio ſiue ætas, quoniam ab Adam uſque ad Noe, primam eſſe diximus.

Tertia ætas, ſiue multiplicatio.

Vide Auguſt. de ciuit. Dei, lib.16. NOe, ut Scriptura refert, inter alios duos filios Cam & Iaphet, tertium Sem nomine uidit Deo acceptiorem. Factum eſt ergo, ut iſto generante ex mandato Domini filios & filias, natus ſit Abraham, uir iuſtus, & Deo dilectus. Cùm enim eſſet Babylonia & Chaldæa tota infecta idolorum ſeruitute (homines ſiquidem illius terræ adorabant ignem, aut quid aliud) Abraham ut non eius peccati particeps fieret, hanc impietatem uideret, haud cunctatus eſt terram & cognationem ſuam relinquere, aſſumpto patre ſuo Thare & Loth, uiro aſpectu & auditu iuſto, Geneſ. 12. Verùm cùm eſſet Abra-
Gen.15.16.17. ham centum annorum, & uxor eius Sara nonaginta, audiuit per uiſionem, ſe fore in gentem magnam, multiplicandumq; ſemen ſuum ut ſtellas cœli & harenam maris: genuit ergo filium, quem appellauit Iſaac, qui & ipſe ſanctus & iuſtus fuit. duxitq; uxorem nomine Rebeccam, quæ deinde peperit ei filium nomine Iacob. Eſau enim hic locum nullum habet, quia à Deo reprobatus eſt, Scriptura dicente: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui, Malach. 1. Quod nos equidem latet: id'que ſolùm ſcimus, quòd non ſit iniquitas apud Deum. Rom. 9. Iacob autem ſucceſſu temporis uiros ſtrenuos duodecim genuit, ex
Iacob. quibus iuxta promiſsionem innumerabilis populus progreſſus eſt, quem di-
Heber, tráſitor. xerunt Hebræum & Iſraeliticum. Sic enim Iacob nomen accepit, quando an-
Hebræus à tráſitu: Iſrael, prin gelum ſecum luctantem dimittere noluit, niſi benedictione accepta prius.
ceps cum Deo. Hinc omnes Iudæi filij Iſrael dicuntur, hoc eſt principes cum Deo. Hieron.
Gen.32. Porrò fames erat in terra Canaan maxima. oderant autem cæteri fratres Io-
Geneſ.37.& ſeph, quem proinde uendere in Aegyptũ unanimiter conſtituerunt. Et Deo
ſequentibus. ſic diſponente, Ioſeph in Aegypto regiam dignitatem adeptus eſt, cunctiſq; terris inedia preſsis mira prouidentia ſuccurrit. Sicq; factum eſt, ut Iacob cum ſua generatione in Aegyptum tranſmigrauerit, Geneſ. 47. Nec eſt noſtri inſtituti, hîc omnia recenſere quæ hiſtoria omni memoria digna habet: quoniã breuitati ſtudemus. Proinde latius oſtendunt interpretes, mortuo Ioſeph ſurrexiſſe alium regem, peſtiferum ſanè hominem, à quo mirum in modum preſſus populus, atq; ſummas ſit iniurias paſſus. Itaq; opprimere populum iſtum
Exod.1. niſus eſt. Deus autem memor iuramenti ſui Abrahamo facti, & conſtitutio-
Moſes extra- nis ab initio, ſuſcitauit ſibi uirum nomine Moſen, ab aqua uidelicet dictum:
ctus ex aqua. Exod.2 & 3. ſiquidem filia Pharaonis expoſitum eum inuenit in papyrione, & ſublatum inde educari commiſit. Hunc Moſen Deus in multis ſignis & prodigijs clarum conſtituit ſuper populum ſuum Iſrael, quando ei paſcenti gregem appa-
Exod.19. & 20. ruit in rubo, & ad Pharaonem miſit. Dedit quoq; Dominus per Moſen, legem, quam obſeruarent poſtquàm eduxit eos, ut ſibi exhiberent ueram religionem, hoc eſt fidem firmam, præter ipſum nullum alium credentes Deum.
Exod.28. Item ſacrificium, & demum inceſſum rectum in omni ſanctitate & iuſticia. Inſtituit quoq; Deus ſacerdotium, quando dixit: Applica ad te Aaron cum filijs ſuis, &c. Iſte Aaron uarias ceremonias peragebat in ſeipſo, tabernaculum quando intrabat ſacrificaturus, circa quoq; omnem populum aſtantem: propterea quòd Dominus Deus uolebat omnia pura & ordinata eſſe. Et obinde dixit: Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus ueſter: & ſeparaui uos à cæteris populis, ut eſſetis mei, &c. Leuit. 20. Cultus autem ille diuinus aſsiduè fiebat, & debito modo, quandiu Moſes ducem populi agebat, 40.

uidelicet annis in deſerto Sin, ubi non manentem adhuc habentes locum mo rabantur. In hoc autem loco, ad quem ſubmerſis hoſtibus deducti fuerant Hebræi, cœpit graſſari fames haud minima. Cœperunt ergo illi murmurare aduerſus ſanctum Domini, ac dicere: Vtinam mortui eſſemus in Aegypto, & non oporteret mori in hac uaſta ſolitudine, reuertamur in Aegyptum, &c. Nec iſta obiurgatione contenti, ob ſeditionem excitatam Chora, Dathan & Abiron, diuina ultione irruente, uiui abſorpti ſunt à terra dehiſcente. & poſt illam indignationē alios conſumptos à ſerpentibus conſtat, eo quòd minus diuinis promiſsis fidem adhiberent. Sicq; factum eſt, ut in terram promiſsionis non uenerint niſi Caleb & Ioſua, ex omnibus uiris. Nam Moſes & Aaron quoque uacillarunt, parum fidentes ei qui fecerat mirabilia. Dixerunt enim: Nunquid poſſumus de petra hac uobis elicere aquam? Num 20. Ait autem Dominus: Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me, meam potentiam pronunciando, non introducetis populum hunc in terram quam dabo eis. Et mortui ſunt Moſes atque Aaron. Vt autem Deus ſuam præſtaret promiſsionem de terra profluente abundantius factam, alium ſibi elegit uirum ſtrenuum atque bellicoſum. Huic Ioſue dictum eſt: Surge & tranſi Iordanem, &c. cap. 1. Et ipſe iuſſa Dei capeſſens, quàm ſtrictiſsimè fecit legem & cultum diuinum obſeruari. Sub quo & ingentia bella orta ſunt, quoniam gentes expellere oportebat, & rerum occupare regna & loca. Expulſis autem gentibus, dedit Dominus Deus Iſraeli omnem terram, quam traditurum ſe patribus eorum iurauerat: eam inuicem tribus diuiſerunt & poſſederunt, data'que eſt pax ab omnibus nationibus, & cuncti in eorum ditionem redacti ſunt. Et ita Deus, qui uerax eſt, re ipſa præſtitit quod fuerat pollicitus ſemel atque iterum. Mortuo autem Ioſua, populus oblitus Dei ueri, eius'que benefactorum, cœpit deflectere ad idololatriam, more prædeceſſorum ſuorum, in deſerto Sin: qui moram faciente Moſe in monte, uitulum adorauerunt conflatilem. Ideoq; tradidit illos Dominus Deus in manus gentium Amorræorum, Madianitarum, Ammonitarum, &c. Sed mox memor conſtitutionis ſuæ Dominus, miſit eis liberatores: quamuis ipſe ſolus potens rector, & liberare populum & regere potuiſſet, niſi aliter uiſum fuiſſet diuinæ maieſtati. Illi autem deuictis hoſtibus reſtituerunt populum in priſtinam libertatem. Et hi iudices dicebantur uiri pij, & Deo accepti propter fidem & religionem. Eorum nomina recenſet Scriptura, Iudicum libro. Porrò ut de Sodoma & Gomorha ſcribitur, quòd ocium & ſaturitas panis ſubuerterint eas: ita & filijs Iſrael accidit in ocio & ſecuritate uiuentibus (& quòd omnes timerent ipſos, ut populum bellicoſum, & cum quo eſſet manus Domini.) Nam ſeruierunt Baalim: & indignabundus Dominus, ablato ab eis regno miſit iram & indignationem. Et factum eſt ut ducem multis annis non habuerint, donec Heli ſacerdos Domini ſceptra tenuit, & poſthumi Samuel: qui Philiſtæos percuſsit, abſtulitq; eis ciuitates & arcam Domini. Hic ſuccedere uoluit ſibi in regimine filios quos habebat, credens illos fore ſuæ iuſticiæ imitatores: at illi pro muneribus opprimebant iuſticiam, quapropter repulſam tulerunt. Et reges orti ſunt, quorum Saul primus, Dauid uerò ſecundus fuit: cui ſucceſsit in regno Salomon ſapientiſsimus in omni terra. Hic ædificauit Domino Deo tēplum & altare Hieroſolymis. Quia cultus Dei ueri rurſum uigebat ſecundum legem & præcepta Moſi, erantq; omnia tuta atque proſpera. Rex autem Salomō oblitus tandem mandatorum Dei ſui, adamauit mulieres alienigenas, & per illas infatuatus, ſecutus eſt Deos alienos. Mortuo autem eo regnare cœpit Roboam, à quo populus Iſrael propter crimina eius, acerbitatem & auſteritatem defecit, & cōgregato cœtu conſtituerunt Hieroboam ſibi in regem. Roboam uerò erat rex Iuda & Beniamin. Præclarum exemplum, qui cedat

malis

Ab Heber filio Seth, & Abrahamo ſic dicti. Num. 14.

Numer. 16. 21.

Murmurante populo dixit Moſes: Audite rebelles.

Aarō mortuus eſt in monte Hor, & Moſes in monte Abarim: uidit terram, & deinde in monte Nebo, ubi & mortuus eſt. Deut. ulti.

Ioſue 1.
Ioſ. 21.
Gen. 15.

Exod 32.

Iudicum 3.
Othoniel,
Gedeon,
Iephte,
Samſon.

Ezech. 16.
Poſt diluuium, Sodoma & Gomorrha cum tribus alijs, ignis ſubuertit, propter peccatum maximum: ubi & Loth liberatus eſt. Geneſ. cap. 19.

1. Reg. 1. 2. 3. 9 & 16.
3. Reg. 1 & 6.

3. Reg. 11.

malis principibus, qui abſque omni diſcrimine & diſcretione præeſſe uolunt, ab iniquis laudari & decipi. Hinc uerò lerna omnium malorum uenit. Nam Hieroboam quo populum obedientem ſibi detineret, proprium cultum inſtituit, & idololatriam ſectabatur ſtrenuè: quibus offenſus ipſe Deus excitauit Salmanaſſar, & Aſſyrios, & illi abduxerunt decem tribus ſecum, adhuc reuerſuros, ſi dijs placet. Remanſerunt autem filij Iuda & Beniamin, ad confirmandas promiſsiones patrib. factas. Quapropter ſucceſſu temporis eis præfuit alius quidam rex, qui & ipſe impius & idololatra, adorans militiam cœli, reginam cœli, id eſt lunam: cuius impietatis æquiſsimus ultor Deus permiſit regem ac populum duci in Babyloniam Chaldæorum: ubi multis annis detenti fuerunt, patria pulſi. Vbi attendere poſſumus, lento quidē gradu Deum procedere ad uindictam, at tarditatem grauitate pœnę penſare. Porrò Deus, ueraciſsimus in ſuis promiſsis ut eſt, ita nullo pacto paſſus eſt populum perditum iri: ſic eos puniens, ut nihilominus conſeruarit ſibi ſemen, cui tempore ſuo ſuam præſtaret promiſsionem. Factum eſt igitur ut populus poſt 70 annos, è captiuitate per Cyrum Perſarum regem liberatus, domum redierit. Et erat quidam de regia ſtirpe Iuda, nomine Zorobabel: hic præfuit eis, & cum Eſdra atque Nehemia uiris zelum Domini habentibus reſtaurauit diruta, ciuitatem uidelicet atque templum. Quod equidem multo tempore antequàm fieret, per prophetas Hieremiam & Eſaiam prænunciatum fuit. Erant autem circumquaque inimicis circundati, à quibus multa patiebantur mala. Hinc enim habebant Aſſyrios, ex altera uerò Græcos. Venerunt quoque Romani, quorum poteſtas ſe longè lateque extendebat (poſt mortem nanque Alexandri cognomento Magni, regis Macedonum, Gabinus capto Antiocho, totam Romanis ſubiugauit Syriam) & gentem Hebræorum ad tributa reddenda coegerunt, & diuexabatur illa miris modis à conſulibus uel præfectis, non ſine maxima calamitate, propter cædes & triſtia bella. Hoc que progreſſu tandem Herodes quidam Aſcalonita regnare cœpit, ab Auguſto Romanorum imperatore deſtinatus. quo iam triceſimum annum imperij ſui numerante, uenit plenitudo temporis, & miſit Deus filium ſuum, Meſsiam & Saluatorem mundi: cuius quidem gratia ſæpiſsimè populus peccans, miſericordiam Dei conſecutus eſt. Venit autem ille ut deſtrueret opera diaboli, hominemq; Deo patri reconciliaret, idq; per mortem: quem idcirco Pater naſci ut uerum hominem, & in terris uerſari uoluit: qui quidem modus redimendi hominem cōuenientiſsimus erat, quo & diabolo iuſticiam ſeruare uelle probaretur. Igitur elegit ſibi Deus ex uniuerſo mulierum cœtu uirginem, in quā deſcendens filius carnem aſſumeret humanam, fieret que homo: hanc fuiſſe in Nazareth, & deſponſatam Ioſeph, iuſto cuidam homini, Scriptura edicit. ad quam miſit Deus Pater ſuum nuncium Gabrielem: bene quidem. Gabriel enim fortitudo Dei interpretatur, quę cum illo erat, qui ad debellandum diabolum annunciandus erat mundo. plerunque etiam angeli ex nomine ſignantur, ut ex ipſo nomine quid miniſtraturi ueniant, demonſtretur. Voluit quoque Deus iſtam uirginem deſponſatam, ne temeratæ uirginitatis adureretur infamia, & ut ſolatium & teſtem uirginitatis haberet, utq; diabolus myſterium ignoraret. Ingreſſus eſt autem Gabriel ad eam, & dixit: Aue gratia plena. Verè gratia plena, quando tota ſimul ſe infudit in eam plenitudo gratiæ, quæ etiam totius gratiæ auctorem paritura erat. Dominus tecum. Nam ipſam nouo caſtitatis amore ad cœleſtia ſuſtulerat Dominus, & mediante humana natura plenitudine diuinitatis conſecrauerat. Benedicta præ omnibus mulieribus. Quæ ſcilicet ſine exemplo muliebris conditionis, & uirgo & mater futura eſſet, Deum que genitura. Illa autem turbata eſt in iſto ſermone, & cogitabat qualis eſſet ſalutatio: ex uerecundia pa-

In ſemine tuo, &c.

Et ſemen tuum erit ſicut ſtellæ, & harena maris. Sedechias, ſub quo & plebs, & ſacerdotes deſecerunt.

Hier.36.44.

Captiuitas Babylonica.

Eſdr. cap.1.

Hiere.25.
Eſaiæ 45.

Vide lib. Machab.

Cæſ. Auguſt.

Galat.4.

Eſi.45.

Iuſticia erat, Morte morieris, Gene.2.

Eſaiæ 7.

Alma, uirgo abſcondita & ſecreta, quæ nunquam uirorum patuit aſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit.

Hieron.
Beda.
Ambroſ.

Cui grauis aluus corruptelæ uidereī inſigne præferre.

Lucæ 1.

Dei genitrix ſancta uirgo.

dia pauebat, & ex prudentia nouam benedictionis formulam mirabatur.
Fortaſſe & antea quoque angelos uidit, & ideo ob inſolitam ſaltem ſalu-
tationem turbata fuit, quæ ſe tam excellentem minimè ſciebat, conſide-
rans ſtatum & conditionem cuiuſq; hominis. Quæ omnia uidens & cogno- Non eſt qui faciat bonum, nõ uſq; ad unum. Pſal. 13.
ſcens angelus, familiarius eam rurſum uocat ex nomine, & ne timeat iubet, ac
explicat arcanum myſterium, & conſilium de humani generis redemptione:
quo pacto Saluator mundi uenturus ſit, ad quem omnes [a] Prophetæ aſpira- a Emitte dicentes dominatorem terræ, &c.
rint, ut liberatorem mancipiorum ſatanæ. Et animæquior facta, aſſenſumq;
præbens Maria uirgo, ex Spiritu ſancto concepit uerbum & altiſsimi filium.
Et impletis diebus, in Bethleem natus eſt ille filius Dei, iuxta quod dictum Aon. 42. Aug. Imp. 5. Ianuarij, in nocte. Vide Epiphaniũ.
fuerat: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium. In ſumma equidem paupertate,
ut nos diuites efficeremur in illo. Et ut uerus filius probaretur Abrahæ, die
octauo circumciſus eſt. Abraham enim circumciſionis mandatum primùm Lucæ 2.
accepit, propter fœdus quod cum eo Dominus Deus pepigit. Et ipſe Ieſus Gen. 17.
profecit ſapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines. Porrò quemad-
modum de Meſsia, Eſaias populo Iſraelitico, ut uates diuinus prædixerat, ita Eſaiæ 61.
factum eſt. Spiritu nanque Domini ſuper Ieſum, cùm eſſet & ipſe unctus,
manſuetis annunciatum eſt Euangelium regni, captiuis in peccatis indul-
gentia peccatorum prædicata eſt, clauſiſq; reſolutio, & contriti corde conſo- Ioannes Baptiſta.
lationem atque medelam acceperunt. Quibus omnibus præcurſor ac præco
ille, ſanctiſsimus Ioannes ſcilicet, uiam fecit. Vt enim erat uir admirandæ au- Malach. 3. Mar. 1.
ſteritatis, quam locus, ueſtimentum & cibus indicabant: populum ad ſe con
fluentem ad pœnitentiam adhortatus eſt, ſedulò ac diligenter ſubiungens,
Regnum cœlorum appropinquare. Et baptizabantur confitentes peccata Matth. 11. & Ioan. 1.
ſua multi. Cumq; plerique ſuſpicarentur ipſum eſſe Meſsiam, ingenuè faſſus
eſt, ſe eſſe (iuxta Prophetam) uocem clamantis in deſerto, ut puniat quiſq; Eſa. 40.
mala prioris uitæ, delenda per Chriſtum futurum: quem Ieſum eſſe magnifi-
co teſtabatur teſtimonio, publicè ipſum digito demonſtrans, & dicens, Quia
iſte eſt agnus Dei, &c. Vt autem Chriſtus omnem adimpleret iuſticiam, uo- Epiphanius, 7. Idus Nouẽbr.
luit & ipſe à Ioanne baptizari: quo item aquam ſua ſanctiſsima carne ſancti-
ficaret, in lauacrum regenerandis hominibus. Quem proinde Pater deſuper Beda.
ſua uoce declarauit, & mundo oſtendit, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, Matth. 3.
in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Vtq; Trinitatis maieſtas apertiſ-
ſimè demonſtraretur, non defuit Spiritus ſanctus, uiſibili ſpecie alicuius ſcili-
cet columbæ apparens. Priuſquàm autem Ieſus ſuum miniſterium uerbi à Pa- Matth. 4.
tre accepti inchoaret, conſerere manus cum ſæuiſsimo hoſte ſatana haud mul
tum cunctatus eſt, ut tandem eo deuicto humanum genus redimeretur. E- Ibidem.
xindè aſciuit ſibi aliquot uiros ſimplices quidẽ, quo fides Euangelij magis at- Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes.
tribueretur ſapientiæ diuinæ, quàm humanæ: ijs inſtillauit ſenſim ſuum ſan-
ctiſsimum uerbum, quo diſponerentur homines ad gratiam cœleſtem & æ-
ternam ſalutem, conſtituitq; eos teſtes omnium quæ geſta fuerant. Vnde cir-
cumibat cum eis, docens in ſynagogis, & prædicans Euangelium regni Dei.
Sanabat quoq; omnem infirmitatem: miracula item alia innumera operaba-
tur, quo ſuis uerbis faceret fidem. Sciens autem Ieſus, quia inſtaret hora ut per Ioan. 13.
paſsionẽ & mortẽ ex hoc mundo rurſum tranſiret ad Patrem, diligentib. ſe lo
cum paraturus, tanta ſedulitate ſuos quos de mũdo elegerat diſcipulos inſtru
xit, ut amplius quidẽ nihil deſiderare potuiſſent: ſi caro ſaltem infirma, ſpiritui
prõpto fuiſſet ſubiecta. Igitur ſingulis ritè diſpoſitis, & cõpleto tẽpore, Chri-
ſtus noſter, qui peccatũ nõ fecit, abſq; omni item dolo, tradidit iudicanti ſe in-
iuſtè Pilato præſidi, & tanquã ouis ad occiſionẽ ductus eſt, & peccata noſtra Eſa. 53.
ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignũ, ut peccatis mortui, iuſticiæ uiuamus, 1. Pet. 2.
ipſius liuore ſanati ſumus. Grates igitũ ſempiternas ſemper agere debemus ei,
qui ſua

13.Calend. April. annos habens 33. ait Epiphanius. qui ſua paſsione & innocentiſsima morte nos liberauit de diabolica poteſta-
te & damnatione æterna. Quia uerò per mortem Chriſti noſtram oporte-
bat deſtrui, iuxta illud, O' mors, ero mors tua: mortuus quidem eſt Chriſtus,
Oſeæ 13. & hoc uerè, ſed nullam eius caro uidit corruptionem. Tertia enim die reſur-
Ioan. 20. rexit, & ſtetit uiuus in medio diſcipulorum ſuorum: & cùm illi putarēt ſe ſpe-
Actor. 1. ctrum uidere, oſtendit latus & manus: & alijs multis argumentis præbuit ſe
Mar. ulti. uiuum per quadraginta dies, & loquebatur eis de regno Dei. Nouiſsimè ue-
rò recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem &
duritiam cordis eorum: mandatoq́ dato ut irent in mundum uniuerſum, &
prædicarent Euangelium omni creaturæ, uidentibus illis eleuatus eſt, & ſe-
det à dextris Dei. Omnia ſiquidem iam conſummata erant, quæ filium Dei Ie
Luc. ultim. ſum facere & operari oportuerat: quæcunque ſcripta erant in Lege, Pſalmis
& Prophetis de eo. Cùm igitur Deus filium ſuum dilectum in cœlum rurſum
Mar. ulti. recepiſſet, diſcipuli uerbum ſalutis, quod ex ore Chriſti cōcepiſſent, iam iam
omni nationi patefacere debebant: ad quod negocium certè piè expediendū
Ioan. 14. multa uirtute opus habebant. Venit ergo Spiritus ſanctus, quē dixerat Chri-
Act. 2. ſtus eſſe ſpiritum ueritatis. ſeditq́ ſupra ſingulos eorum Hieroſolymis, ubi e-
rant congregati. Hoc conſolatore profecti illi, & corroborati, teſtimonium
magna uirtute reddiderunt reſurrectionis Ieſu Chriſti: & quomodo is conſti
tutus eſſet à Deo iudex uiuorum & mortuorum. Super quod fundamentum
Ibidem. ædificabatur primùm Eccleſia Chriſti. Audientes enim illos homines in Iu-
dæa uarijs linguis loquētes, & quòd Petrus dicebat ab illis iuſtum & rectum
occiſum fuiſſe, compuncti corde crediderunt. O' igitur feliciſsimum iucun-
diſsimumq́ nuncium, & omnis gratiæ plenum, quod legati illi à Chriſto &
propter ipſius fidē illis aſportarunt uerbo, & confirmauerunt facto. Idipſum
certè de quo in natiuitate Chriſti angelus paſtoribus locutus fuerat, Lucæ 2.
dicens: Euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo, &c.
Hoc autem Spiritu ſancto illuminati diſcipuli, atq́ ſufficienter edocti ad præ-
dicandum Euangelium, haud ſine cōtumelia, ſunctione illa functi ſunt. Cùm
Matth. 15. enim prędicarent Chriſtum unicum eſſe Seruatorē, deſtruebatur omnis pha
Marc. 5. riſaica ſuperſtitio, & confidentia uana in legis obſeruantia. Illi autem Iudæi ui
dentes nouam religionem oriri, lucemq́ odio habentes atque ueritatem, ſan
Act. 12. ctos illos uiros atq́ diuinos doctores perſecuti ſunt uſq́ ad mortem. Sic He-
rodes occidit Iacobū: cumq́ uideret hoc Iudæis placere, uoluit & apprehen-
dere Petrum. Similiter & gentes faciebant, quando Apoſtoli Ieſum Chriſtū
extollebant ſuper omnia idola & idolorum ſeruitutem, & faciebant ad no-
men Ieſu dæmonia eiulare, & ſtatuas confringi: quemadmodum S. Bartho-
Lactantius diuina. inſti. lib. 4. cap. 12. lomæus fecit in Armenia, & S. Thomas in Arabia. Et propterea Paulus atq́
Petrus Romæ occubuerunt, Nerone impijſsimo ſententiam mortis eorum
dictante. At annunciatio ſanctiſsimi Euangelij Chriſti propterea nō deficie-
Matth. 16. bat, quia Deus à nemine deprimi poteſt: nec etiam fides in Chriſtum funda-
ta erat ſuper homines quamlibet ſanctiſsimos, ſed ſuper ſanam doctrinā, quæ
indies magis ac magis creſcebat. Eſt igitur Eccleſia Chriſti firmiter ædificata,
ita ut aduerſus eam portę inferorum non ſint præualituræ: & conſiſtit in illis,
in quibus eſt noticia uera, & confeſsio fidei & ueritatis. Ex ſtirpe itaque Apo
ſtolorum repullularunt alij uiri celebres, ut Linus, Cletus, Clemens, per quos
doctrina Chriſti inculcata eſt mentibus hominum pijs: quo modo autem, &
quibus modis, ſuo iam loco docendum uenit. Et conſtat Chriſtum ad hoc
Ioan. 14. miſſum, ad hoc temporaliter ipſum filium Dei natum, ut quod in æternitate
erat definitum, explicaret: quo facto, & ſuos quos iam in Apoſtolos ſuo ſpiri-
Ioan. 20. tu conſecrauerat emittens, teſtificari iuſsit de ueritate, uia & uita: hoc eſt, ut
publicè atque palàm profiterentur Ieſum eſſe Chriſtum, ipſiſsimam ſalutem:
uiam

uitam quoq; ad gloriam ſempiternam ducentem: necnon uitam, id eſt ueram illam in cœlis beatitudinem. Quæ res ut ſeria ualde & ardua erat, ita ſanè ordinem quendam ad concinnam diſpoſitionem exigebat. Diſceſſuri igitur Apoſtoli ab inuicem, normam prædicationis in commune conſtituerunt, ne fortè diuerſum his qui ad fidem Chriſti inuitabantur, exponerent: eamq; diſtinxerunt duodecim punctis, ſiue articulis, quorum primus eſt: Ioan. 14. Cyprianus.

Credo in unum Deum.

CRedo, primò omnium poſuerunt: quia nihil geri poſſe putarunt, ſi non credulitas antè præceſſerit. Credo autem hîc ſumitur non pro opinione quadam, ſed fiducia ac ſpe certa, quæ in Deum collocatur, ut eum qui ex ſua bona uoluntate omnia ſit præſtaturus, ac poſſit. Necocioſa eſt particula In. Porrò cùm audis Deum, ſubſtantiam intellige ſine initio, ſine fine, ſine deníque ulla admixtione: ſed inuiſibilem, ineffabilem, atque nihil creatum. Is idem unus Deus, Pater etiam dicitur, & eſt: propterea quòd nos creauit, dilexit, & paternè conſeruat in corpore pariter & anima. Omnipotens autem dici ab eo poterit, quòd omnium teneat potentatum: quódque in eo omnia uiuunt, mouentur & ſunt, & quia omnia ſunt ei poſsibilia. Quis poteſt reſiſtere ei? Quis quæſo poterit de manu eius eruere? Is uiuit in æternum, gubernans ſua ſapientia uiſibilia & inuiſibilia, ueluti cœlum & terram, quæ ab ipſo ex nihilo creata ſunt: ſpiritus quoque & animas, & quod principaliſsimum hominis eſt, intellectum, ſiue rationem. Hic articulus excludit omnem idololatriam, magicasque artes: omnem denique creaturam in cœlo & in terra, cùm fiducia noſtra in Deum ſolum collocetur. Cùm enim dicimus nos credere in Deum, non ſolùm profitemur uera eſſe quę de eo narrantur, ut eſt creare, cõſeruare, &c. ſed fiduciam ac ſpem noſtram omnẽ nos in illum collocare. Docemur ergo, ut ſicut firmiter credimus unum eſſe Deum, ita ipſi uero Deo fidem habeamus certam: uera utique eſſe, quæcunque per Prophetas & ſanctos uiros locutus ſit: quòd ſcilicet pius ipſe, nos protegere ac defenſare uelit, miſericos eſſe omnibus, & dare ſanctis læticiam ſempiternam, Eſa. 35. Oportet etiam ut omnino ei commendemus corpora & animas noſtras, omni quidem tempore: confidentes ex animo in illius miſericordiam, tam in uita quàm in mortis hora. Sicut enim nemo nocere poteſt ſine ipſius permiſsione: ita nulla creatura iuuare poteſt, ſine diuina ope atq; poteſtate. Igitur ſeruiamus ei in timore ut Deo, ueneremur ipſum ut patrem, obediamus item ut gubernatori omniũ rerum. Vnde haud decet ut terminum, modum, aut tempus ei præſcribamus, ſed omnia diuinæ illius, omnisque miſericordiæ plenæ uoluntati ac arbitrio relinquamus: hac certiſsima ſpe freti, ut tempore ſuo omni genere bonorum nos cumulet. cuius equidem præclarè exemplum habemus in Ioſaphat rege pijſsimo Iuda, cùm iam inimicis undique circundatus eſſet. Is enim ad ſolum Deum confugiens, impetrauit liberationem, &c. Quid mirum? Cùm enim Deus ſit, nouit qua ratione, ac quàm rectiſsimè poteſt agere nobiſcum. Cùm ſit autem Pater, uult noſtra ubique promota commoda. Et quoniam omnipotens eſt, quid eſt quod præſtare non ſit in eius manu? Illud autem certè erat fundamentum ſalutis humanæ, eo quòd ipſe ſit principium uniuerſæ creaturæ abſque initio, imò dans uitam cunctis, & conſeruans omnia. Quandoquidem autem ſic dudum Iudæi crediderant, & fortaſſe plures alij ex gentibus, Apoſtoli, Et in Ieſum Chriſtum, filium Dei credendum eſſe, quàm acerrimè docuerunt: ipſumq; palàm teſtificati ſunt eſſe mundi ſaluatorem, extra quem nulli hominum ſalus eſſe poſsit. Quę res profectò multum negocij faceſsit: difficillimum nanque erat hominibus perſuadere, filium Dei hominem induiſſe, uerbum carnem factum. Ioan. 1. Conſtanter tamen perſtiterunt illi, certò affirmantes hunc Ieſum quem crucifixerunt

Deut. 6. Audi Iſrael, Deus tuus unus eſt. Cyprianus. Malach. 1. Gen. 17. Rom. 13. Gen. 1. Exod. 20. De benedictione & pœna malorum. Exempla extãt piorum, Iobi, Tobiæ & Danielis. 2 Para. 20.

Iudæi, eſſe Chriſtum, de Deo patre ab æterno genitum: eiuſdem æternæ & diuinæ naturæ ac ſubſtantiæ cum illo Patre eſſe: unius animi, uoluntatis, poteſtatis, uirtutis, ſapientiæ & manſuetudinis. Verùm ut Apoſtoli dixerunt, & Paulus eſt teſtatus, Ieſus hic noſter excellentiſsimus eſt, uerus Saluator: ſiquidem populum de ignorantiæ tenebris eductum, & de mundi erroribus euocatum, introduxit ad cœleſtem paradiſum & regnum perpetuò duraturum.
Ioſue 1. Fuit ante ipſum alius Ieſus filius Nauæ, qui eductum de terra Aegypti populum, & de erroribus eremi liberatum, in terram repromiſsionis induxit. At
Cyprianus. nullo pacto huic noſtro Ieſu conferendus erit, non tantùm quia purus ſolùm homo fuit, ſed quòd animabus miſerè ſaucijs ſuccurrit Ieſus ille Mariæ filius.
Luc. 1. Cùm enim omnes ſederent in tenebris & umbra mortis, propter delictum, uel (ut uerius dicam) Adami peccatum: ſeſe morti exponens, ex ipſis mancipijs ſatanæ fecit filios Dei, & hæredes cœleſtium bonorum. De Chriſto res ipſa expoſtulare uidetur, ut nonnihil attingamus, quoniam multum multis diebus de eo gloriati ſunt Iudæi. Chriſtus igitur uel pontificale uel regium nomen eſt, à chriſmate, id eſt unctione dictum: nam reges & pontifices inun-
Leuit. 8. gebantur, ut apparet in Aaron & filijs ſuis, & Saulo, quem in regem unxit Sa-
1 Reg. 10. & 16. muel. Verùm iſti conſecrati ſunt tantùm ut mortales: hic uerò Ieſus ſancto
Matth. 3. Spiritu unctus, Chriſtus efficitur. Ergo ſolus ipſe cui obediamus, cuius'que uocem audiamus, præſertim cum Deus è cœlo dixerit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ergo quod Iudæi dicebant ſe cognoſcere Deum, ipſum'que Adonai, id eſt eſſentialem Deum, ſummè uenerabantur, parum erat: niſi & certò crederent filium Dei è cœlo delapſum, & hominem factum, quemadmodum antea præordinatum fuerat. Quod ut mundus pleniſsimè inhiberet, Apoſtoli in hunc ferè modum publicè concionati ſunt: Cre-
Hoc loco mundior audit^9 requiritur, & purior ſenſus. dere oportet in Ieſum Chriſtum, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, &c. Miſerrimum erat genus humanum, quoniam uitam morte commutauerat ultrò: callidiſsimi aſtu deceptus homo Adam, pulcherrimum quidem animal,
Cyprianus. ad imaginem utpote & ſimilitudinem Dei factum. haud igitur fieri potuit, ut prorſus interiret: fecit hoc bonitas Dei, miſericordia, necnon immenſa erga ipſum dilectio. Nihil autem erat ſub cœlo, quo redimeretur illud nobiliſ-
Eſaiæ 64. ſimum plaſma, non ſacrificium, non oblatio. Omnes enim iuſticiæ hominum erant quaſi pannus menſtruoſæ mulieris. Ideoq; filius Dei mundum ingreſſus eſt, corpus paſsibile & aptum immolationi aſſumens: hoc corpus non humana & carnali actione & uiri ſemine, ſed Spiritu ſancto cooperante conceptum eſt: ut ſic omnium in ſe credentium peccatis plenam, impuram, & dam-
Natus ex Maria uirgine. natam conceptionem mundaret. Natum quoque Ieſum Chriſtum dixerunt, & hoc uerè poſt nouem menſes ex diua uirgine Maria, ita ut illæſa ipſius manſerit uirginitas ac pudor. Nec immeritò, ut qui in cœlis eſt unicus filius, in terris unicè item naſceretur: quem nouum hunc partum S. Ezechiel, per portam clauſam ſub myſterio quodam patefacere uoluit. Hîc autem haud decet nos exactius ſcrutari uelle eam conceptionem pariter ac natiuitatem: ſufficit credere illam eſſe ſanctiſsimam, hanc uerò admirabiliſsimam, puriſsimamq; & uerbum Dei uerè carnem factum. Hîc procul abeſſe debent ſenſus huma-
Cyprianus. ni de diuina & humana natura, in una perſona eſſentialiter: mundior auditus hoc locò requiritur, & purior ſenſus, ne plus æquo cum curioſis hæreticis diſputemus. Sola fides ſufficit, quæ intelligit hæc ex uerbo infallibili æterni Patris: Hic eſt filius meus, &c. Porrò, ut nihil erat ſub cœlo & in cœlo, præter Deum, non ſanctus aliquis, qui poſſet hominem perditum redimere: ideo filius ille Dei mundum ingreſſus, uoluntariè ſeſe obtulit, ut per ipſum mundi malum tolleretur, & homo cum Deo patre rediret in gratiã: quod quidẽ effecit ſua acerba atq; innocentiſsima morte. Dixerũt igitur Apoſtoli, Credo, &c.
Qui

Qui paſſus eſt ſub pontio Pilato. Credendum eſſe uoluerunt illi his uerbis, Ieſum filium Dei, ex diuina diſpenſatione traditum, atq; per manus impiorum in eculeo interfectum fuiſſe, pro peccatis omnium populorum. Vbi probè attendas oportet, Deum quidem alio modo hominem ſaluare potuiſſe: ſed ſic uiſum fuiſſe ei, ut diabolus iuſtè uinceretur. Quòd autem uerè mortuus & ſepultus eſt, nobis multum conduxit. ſic enim omnium peccata confecit (omnes enim in Adam mortui erant, uenundati peccatis, iuxta Prophetam) & ſepeliuit: adeò ut hanc noſtræ carnis mortem tulerit, eam'que reddiderit non noxiam, ſed utilem ac ſalutarem. ſicut ſcriptum erat: O' mors, ero mors tua. Deſcendit ad inferos. Deſcendit ad inferos, ut opprimeret ſibi'que ſubijceret ſatanam, unà cum omni potentia ac poteſtate quam habuit, ac dolis: ne quid credentibus porrò nocere poſſet, & ut pios omnes ab inferorum cruciatibus liberaret: & hoc iuſtiſsimè quidem. cùm enim ſatanas habens mortis imperium, rapuit hominem in quo nihil habebat (quid enim haberet in filio Dei?) ius amiſit ſuum in omnes. In hac igitur morte Ieſu, eſt omnium piorum uita, lætitia, ſpes, ſalus & ſempiterna ſanitas. Qui idcirco parati eſſe debent, ubi ipſius Ieſu honor ac fides expoſtulat, ad moriendum cum eo. licet enim à morte liberati ſimus æterna, per mortem ipſius: ea tamen commutata eſt in temporalem, ut ex mortali corpore fiat immortale, ex corruptibili incorruptibile, & in gloriam cum lætitia ingredi queant omnes, quemadmodum ait D. Cyprian. Mori, eſt de ſeculo liberari, & paradiſo reſtitui, & regno cœleſti. Et D. Paulus: Si commortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinemus, & conregnabimus, &c. Ergo precioſiſsima mors, mors Chriſti eſt, quam non iniuria aliqua, aut damno diuinitatis ſuæ tulit, ſed ut ſalutem operaretur. Ergo omnino neceſſe fuit mortem mori, hoc eſt Chriſtum nequaquam à morte detineri, ut (quemadmodum cæteri homines) uideret corruptionem.

Hoc negat Marcion, & Turcarum Alcoran, aliũ loco Chriſti interfectũ: ſed hæc omnia falſa ſunt.

¶ Crucifixus, mortuus & ſepultus.

Oſeæ 13.

Cyprianus, Auguſtin. Hieron. Eraſmus.

Apoc. 20.

Cyprianus in ſermone de mortalitate.

1 Cor. 15.

1 Tim. 2.

Quintò igitur credendum eſſe docuerunt ſancti Apoſtoli, Et tertia die reſurrexit à mortuis. Multi ſanè reges & prophetæ mortui ſunt, ut Alexander rex Macedonum, item Hector Troiæ fortiſsimus, & plures alij poſt illos: necnon Eſaias, Hieremias, & cæteri uiri celebres: at nullus eorum deuicta morte reſurrexit, quin omnes à morte detenti ſunt naturali: & quantumuis ſancti illi, tamen à morte æterna detinendi fuiſſent, ſi non miſiſſet Deus filium ſuum in hunc mundum. Ioannis 3. Solus ergo Chriſtus uictor à morte redijt, inferni ſecum ſpolia trahens: eduxit enim eos qui tenebantur à morte ſanctos. Si ergo paulo antè uidebatur impoſsibile eſſe, uſque ad mortem ueniſſe immortalem: aſpiciemus nunc quia deſtructa morte reſurrexit, nimirum in omnium credentium ſalutem. cùm enim traditus eſſet in mortem propter delicta abolenda, & ut ſatanæ ius deſtrueretur, reſurrexit ut iuſticia eſſet ſuper omnes, & in omnes, qui ipſum inuocarent. Et quemadmodum ille ſemel mortuus peccato amplius non morietur, ſed perpetuò uiuit Deo: ita eſſet reſurrectio iuſtorum in uitam æternam, atque per hominem, quam olim homo peccando amiſerat: in quo ſanè ſita eſt omnis ſpes noſtra. Eam'que ob rem firmiſsimè tenemus, fidem in Chriſtum omnium ueriſsimam rectiſsimamq; eſſe. hac motus ratione Apoſtolus Corinthijs ſcripſit, ſe ueriſsimũ eſſe teſtem, & rectam eſſe fidem, quam hactenus confeſſus ſit, ac publicè docuerit, 1 Corinth. 15. probans, quàm firmiter tenendum, ipſum Ieſum uirtute Dei patris reſuſcitatum, ut in ipſo omnes uiuificarentur, unuſquiſque (ut inquit) in ſuo ordine. At iſta reſurrectio nunquid fieri debebat, ut poſthac in mundo homines liberius uiuerent? nequaquam, ſed ut adimpleretur ruina in cœlo: eo'que omnes pij transferendi erunt. Quod Apoſtolus propè noſcens, Non habemus (dixit) hîc manentem ciuitatem, ſed aliam inquirimus. Hebr. 13. Et alio loco iubet, quæ ſurſum ſunt cogitare & ſapere. Coloſſ. 3. Eapropter

Rom. 4.

Rom. 6.

V 2 Chri-

Chriſtus reſurgens ex mortuis, per quadraginta quidem dies ſuis apparuit A-
poſtolis, loquens de regno Dei: nec diutius commorari cùm uolebat, uiden-
tibus illis eleuatus eſt, & nubes eum ſuſcepit in cœlum. Illi ergo ubique præ-
dicauerunt hunc Ieſum non niſi apud Patrem in cœlo eſſe. Aſcendit ad cœ-
los, ſedet ad dextram patris. Credere oportet, Chriſtum Ieſum mortuum qui-
dem eſſe peccato, ſed ut uiueret Deo, omnes'que in ſe credentes perpetuò
uiuere faceret. Hunc iam non regem ac dominum terræ eſſe, ſed conſtitutum
Ioan.18. in cœlis ſuper omnia. Regnum meum (dixerat Pilato) non eſt de hoc mun-
dò: ſignificans regnum quoddam ſpirituale futurum, cui regendo præeſſe
uellet. Aſcendit autem, non quòd ibi antea non fuerit, quippe qui erat ſem-
per in cœlis & in patre, ſicut pater in ipſo: ſed ubi carnem de uirgine aſſum-
ptam & clarificatam uiſibiliter in cœlum ſuſtulit, quæ antea ibi non fuerat.
Sedere ad dextram Patris, carnis aſſumptæ myſterium eſt, de quo Apoſto-
Philip.2. lus: Humiliauit (inquit) ſemetipſum, &c. oſtendens Chriſtum propter o-
bedientiam quam Patri præſtitit, uſque adeò in cœlo exaltatum, ut ſummam
reuerentiam exhibeant ei omnes ubique exiſtentes uel homines uel angeli.
quod ſi clarius explicare quis uoluerit, certum eſt, Dominum Ieſum obe-
dientiſsimum fuiſſe: cùm enim nullum uel ſacrificium uel aliquod maius, quo
Hebr.10. Deus ipſe placaretur, eſſet: tunc dixit ipſe, Ecce ego uenio, mortem etiam
Pſal.39. turpiſsimam ſubiturus, quam & tulit. unde igitur ut hominem uerum exal-
tauit eum pater, & nomen eius: nomen quidem auguſtiſsimũ IESVS, eui-
Nomen Ieſus. denter poſuit: ut ſcirent dæmones, & fateantur ſe cum angelis & hominibus
Iacob.2. ei ſubiectos eſſe, & contremiſcant. Ergo credere debemus, Chriſtum Ieſum
uerum eſſe filium Dei. Exiuit enim ab ipſo ut patre, & uenit in mundum: &
conſummatis ijs quæ in terris geri oportebat, iterum ad patrem iuit, Rex i-
pſe excellentis gloriæ, Dominus item fortis & potens, qui in terris uiſus eſt
nouiſsimus eſſe uirorum, Eſa.53. Aequalis omnino patri ſuo, cum quo & ſpi-
ritu ſancto unus eſt Deus. Ibi eſt & uult eſſe aduocatus noſter perpetuus,
1.Ioan.2. quemadmodum & propitiatio fuit in omnibus noſtris periculis, & contra o-
mnes aduerſarios ac hoſtes noſtros, ut à malis omnibus eruamur, bonis'que
omnibus nunc & ſemper, poſtquàm mortale noſtrum induerit immortalita-
tem, perfrui poſsimus. Adeamus modò, ut Apoſtolus monet, cum fiducia
ad thronum gratiæ ipſius, Hebr.4. Vt autem Chriſtus illud regnum non ſi-
bi ſoli uindicauit & adeptus eſt, ſed etiam omnibus diligentibus ſe, quemad-
modum ipſe dixit, Ego diſpono uobis regnum ſicut diſpoſuit mihi pater, &c.
Lucæ 22. Quæ ſic intelligere oportet. Delicias cœleſtes homo amiſerat per
peccatum, regno cœleſti protruſus: Chriſtus autem homo uerus, & Deus
uerus, per mortem quam iniuſtè tulit, recuperauit perdito illi, gaudia regni
priſtina, ut iam omnes piè in ipſo uiuentes abſque omni obſtaculo ingredi
queant æternaliter uicturi. Rediturum igitur Chriſtum dixerunt Apoſtoli,
id'que firmiter & certò credendum eſſe. Qui uenturus eſt iudicare uiuos &
Act.1. mortuos. Cùm eleuaretur Chriſtus in cœlum, dixerunt angeli: Sic ueniet,
quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum. Quæ res plurimùm mo-
menti habere debet: cùm omnes ut clauus clauum trudit, ſic cedamus, non
tam prior aduentus cordi & curæ eſſe debet, quàm ultimus Domini Ieſu.
Qui enim modò mitis tranſijt, tunc diſtrictus rediet arbiter omnium, cùm ui-
delicet nouiſsimus erit dies & conſummatio ſeculi. Erit autem glorioſus iſte
1 Theſſ.4. aduentus, & maieſtate plenus, propter choros angelorum. Canet etiam
tuba, & mortui reſurgent, ut manifeſtentur ante tribunal filij hominis &
Dei, nullius perſonam reſpecturi. Apparebit autem in forma hominis aſ-
ſumpti, ad ferendam ſententiam tum de uiuis, qui tum ſupererunt, tum de
mortuis, qui iam antè fato ſunt defuncti: tunc igitur omnes homines, om-

nes an-

nes angeli, omnes quoque diaboli, ante tribunal ipſius ſiſtentur, eum'que intuebuntur. Et ipſe ſedebit, hoc eſt iudiciariam exercebit poteſtatem, omnia merita & demerita diſcernendo, ut ſeparentur agni ab hœdis, boni à malis, quod per angelos facturus eſt. Vt ſcilicet omnes uerè credentes, à calamitatibus & omnibus malis liberentur. quibus proinde dicturus eſt: Venite benedicti patris mei, electi ad obtinendam gloriam ſempiternam. Et ut pœnam æternam proferat ſuis aduerſarijs & peſsimis peccatoribus, nempe ut diſcedant in ignem æternum maledicti cum diabolo et angelis ipſius: qui & ibunt cum magno quidem eiulatu, in locum ubi nil niſi ſtridor dentium & fletus erit. O' quàm uerè dixit ſapiens: Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & uiuens homo cogitat quid futurum ſit: nimirum hoc, ut recipiat unuſquiſque prout geſsit in corpore ſuo, ſiue bonum, ſiue malum. O' diem illum, diem quidem calamitatis & miſeriæ, ubi nullus erit reſpectus perſonarũ, nec flectetur precibus ipſe Chriſtus, nec ullis corrumpetur muneribus, utpote iuſtus & iuſticiam diligens. Quis putas fidelis eſt ſeruus & prudens, quem cùm uenerit Dominus, inueniet uigilantem? certè ſi erimus exemplo uirginum parati, haud dubiè ſponſus, quem Chriſtum eſſe profitemur, ad iucundiſsimas ducturus eſt nuptias, ubi ſit lætitia nobis ſempiterna. Huc ergo animum intendite fideles, abiectis curis rerum terrenarum, & quæ citius dicto decidunt, ſi aliter bene conſultum uobis uultis. Porrò, cùm Apoſtoli induti eſſent ex alto, ſpiritu ſcilicet ſancto, de quo ſæpiſsime eis locutus fuerat Chriſtus, oſtendens illum uenturum ad perhibendum ueritati teſtimonium, & quomodo à patre proceſſurus mundum pleniſsimè inſtituere poſſet. Illi ſcientes hunc unum cum Patre & filio Ieſu Deum eſſe, omnino neceſſe eſſe teſtati ſunt ad ſalutem conſequendam, ut Spiritum ſanctum credant. De quo & ſcriptura nos inſtruat dicens: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. Verùm ne hominum mentes uarijs intricarent opinionibus, atque illi irritarentur, expreſsius locuti ſunt, unum quidem eſſe Deum in ſubſtantia, ſed trinum in perſonis: ut Pater intelligatur, ex quo omnia tanquam principio creationis, ipſe autem ſine omni principio: Filius uerò, tanquam qui ex patre genitus, & quem pater ex nimia charitate, qua hominem dilexit, miſerit in hunc mundum per incarnationem, ipſum'que eſſe Ieſum Chriſtum: Spiritus ſanctus uerò, qui ex patre filio'que procedat, cuncta ſanctificans. Et hoc eſt ſecretiſsimum fidei Chriſtianæ myſterium: nec enim decet confundere perſonas, neque ſeparare ſubſtantiam. licet enim alia ſit perſona Patris, alia uerò Filij, & alia Spiritus ſancti, nihilominus tamen patris & filij & ſpiritus ſancti una eſt diuinitas, æqualis gloria, & coæterna maieſtas. Quapropter opera trinitatis indiuiſa ſunt, & miro eodem'que diuino modo ab omnibus fiunt opera omnium, ut cum Auguſtino loquamur: ſingulorum tamen opera dicuntur, quæ ad unamquanque eorum manifeſtantur pertinere perſonam. Quemadmodum ergo Deus pater per filium ſuum unigenitum mundum redemit, ex quo filius incarnatus eſt: ita eundem duxit in agnitionem Euangelij per Spiritum ſuum ſanctum. Hic ſpiritus ex cordibus lapideis uera carnea corda fecit, Ezech. 36. propellens errores ac tenebras, & infundens lumen ueritatis: docet credere ex Scripturis, & imprimit nobis eam fidem quæ nos Deo reddit acceptos, ad quem clamemus Abba Pater. Qui & renouator mentium eſt, earum'que uerus purificator, mediante ſanctiſsimo lauacro aquæ, ubi (ut Cyprianus ait) uerborum ſolennitas uiſibile celebrat ſacramentum: rem uerò ipſam Spiritus ſanctus efficit, plenitudinem gratiæ infundendo. Hinc aperiuntur aures audiendi diuina, & loquendi datur intellectus ea quæ Dei ſunt. Et chariſmatum dona largiuntur copioſè, nimirum

[Margin notes: Matth. 25. — Eccleſ. 7. — Soph. 1. — Matth. 24. — Pſal. 32. — Athanaſius. — Auguſt. contra ſermonem Arrianorum. — Rom. 8. — Epheſ. 5.]

timor Domini uerus, fortitudo aduerſus huius mundi mala, atque tribulationes, necnon nobiliſsimum illud donum, nempe charitas, de qua Apoſtolus: Charitas (inquit) diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis: ut ſcilicet mens noſtra erecta ſit in ſolum & unicum ſaluatorem Chriſtum. Hoc ſpiritu ducente adire licebit patrem, quem Chriſtus ſuo marte reconciliauit, qui idcirco pignus dicitur noſtræ hæreditatis. Veni ergo ſancte Spiritus, & reple corda fidelium tuorum, ut per te ſciamus patrem, noſcamus atque filium, & te utriuſque ſpiritum credamus omni tempore. Nam quid proderit Deum trinum & unum eſſe, niſi Deus ſit noſter, ac eſſe uelit, ac dare perpetuas manſiones poſt hanc uitam in regno cœlorum? Proinde ſancti uiri & diſcipuli Domini poſt hæc quoque docere haud hallucinati ſunt,

Rom. 5. *Epheſ. 1.*

Sanctam Eccleſiam catholicã. *Ephel. 4.*

Vnam eſſe Eccleſiam ſanctam, in qua una ſit fides & unum baptiſma: eſſe cœtum & multitudinem ſanctorum ac piorum hominum, qui ab iuſto Abel fuerunt & futuri ſunt uſque ad finem mundi. Deus etenim quamuis bonorum noſtrorum non indigeat, elegit ſibi tamen homines quoſdam pios, cum quibus ambularet, & à quibus coleretur iugiter. Pro iſta autem Eccleſia ſancta Chriſtus Ieſus ſemetipſum tradidit uſque in mortem, ut exhiberet ſibi eam non habentem maculam neque rugam, &c. Propter certè promiſsiones patribus factas, iureiurando Abraham promittens ſe daturum ei, ut timore propulſo liberè ſeruiret cum omni poſteritate, ſuo quem hactenus coluiſſet Deo, &c. Huic Eccleſiæ ſanctæ ſpiritum ſuum paracletum & doctorem dedit Chriſtus, per quem & illa collecta eſt in unitate fidei: per hunc gubernatur & conſeruatur, et quotidie per uerbum, & ſacramenta fit numeroſior. Adeſt quoque ei ipſemet Chriſtus, ut uerus ipſius ſponſus, ſua nimirũ gratia, qua ipſam defendit acerrimè atque tuetur fideliter, & in ueritate. Nemo igitur ſaluari poterit, niſi qui eſt in horum credentium numero: idem ſentit, eandem fidem, ſacramenta, ſpem & charitatem profitetur. Nam unica eſt ſponſa Chriſti quã ſanctus Dauid probè cognoſcens: Odiui (dixit) Eccleſiam malignantium, Pſal. 25. Sic neque Iudæus, neque gentilis, neque hæreticus, aut peccator ullus ſeruatur, niſi cum illa Eccleſia in gratiam redeat, atque in omnibus cum illa ſentiat, faciat & doceat. Eamque tam inexpugnabilẽ dixit Chriſtus, ut nec inferorum portæ præualere poſsint aduerſus illam. Hæc quoque ſi angelorum conſortium animaduerterimus, ſanctorum communio dici poterit. In reſurrectione nanque iuſtorum erunt omnes Deo dilecti, ſicut angeli in cœlo: ut ruina adimpleatur. Et quoniam diximus, ab Abel iuſto uſque in finem ſeculorum Eccleſiam illam ſanctam ex pijs ac iuſtis cõſtare, una erit tam uiuorum quàm uita defunctorum communio: unum corpus ſumus omnes in Chriſto, cuius ipſe caput. Qui ergo ad uitam futuri ſeculi præmiſsi ſunt, nobiliſsima huius Eccleſiæ membra dicuntur. Ipſi nanque Chriſti ueſtigia ſecuti, adepti ſunt repromiſsionẽ, ſed non plenã & abſolutã, Deo pro nobis melius aliquid (ut Diui Pauli uerbis utamur) prouidente, ne ſine nobis conſummarentur.

Epheſ. 5.

Conſtat illa ex bonis & malis, & dicitur Eccleſia largè: habet ſuos rectores qui repræſentatiuè Eccleſia dicũtur. at propriè pij & ſinceri Chriſtiani Eccleſia ſunt: & hæc dicitur inuiſibilis eſſe. nouit enim Deus qui ſunt eius.

Ioan. 3. Qui nõ credit, iam iudicatus eſt. *Matth. 16.* *Matth. 22.*

Sanctorum cõmunionem. *Auguſtin.* *Bernard.* *Epheſ. 2.* *Hebr. 11.*

Quos proinde pater cœleſtis ut filios agnoſcit & honorat. Et certum eſt, eos qui ſic recepti ſunt, miro deſiderio teneri ſalutis eorũ cõmembrorũ, quæ adhuc in terris uerſantur, ac militãt ſtrenuè ſub imperatore Chriſto, & proinde Deum pro illis exorare: Deũ quoque ſanctos illos adeò ſollicitos exaudire, & ſic nobis benefacere, &c. Meritò ergo uenerandi ſunt ſancti: at non ut noſtri Dei cõſtituantur, & fiant propter fiduciã quã collocemus in eos: ſed ut ſancti Dei homines, quorũ intuentes exitũ cõuerſationis, imitemur & fidem. Porrò ut nulli uſquã alibi ſalutem eſſe diximus, quàm in illa ſancta Eccleſia, pro qua Chriſtus mortuus eſt, quemadmodum olim nemo ſeruabatur extra arcam illam, in quam Noe incluſerat Deus: ſic nullibi remiſsio peccatorũ eſt quàm apud eam. Vnde certiſsimè promiſerũt ſancti illi uiri remiſsionẽ peccatorũ omnib.

Eccleſia triumphans & militans.

Exod. 32. *Daniel. 3.*

Hebr. 13. *Auguſt. lib. 3. contra epiſtolam Pelagij.* *Epheſ. 5.*

hanc Eccleſiam ingredi uolentibus, Remiſsionem peccatorum: ut à peccatis abſoluerentur peccatores, quales erant omnes homines. Aquam effundi ſuper illos iuſsit Chriſtus mundam, & iuſsit baptizari omnes. Qui baptiſmus iuſtificationem contulit diuina ex uirtute, & ab omnibus inquinamentis mundati ſunt. Verùm in hoc articulo non ſolùm pollicita eſt remiſsio criminum, quæ in baptiſmate fit, ubi meritò paſsionis & uirtute Spiritus ſancti omnia deleantur peccata: uerumetiam poſt ipſum, quoties ingemiſcimus, & peccata commiſſa confitemur. Sic enim habemus, Ieſum dediſſe Apoſtolis Spiritum ſanctum, ut iſto mentes hominum à labe peccatorum ſanarent, redderentque mundas, quando in ipſos ſufflauit, ac dixit: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. Ioan. 20. Quemadmodum autem illi non niſi uerè pœnitentibus remiſerunt peccata, & baptiſmi ſacramentũ contulerunt, quod ex Actis liquet, dicente Petro: Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque, &c. cap. 2. ita ſine uera pœnitentia nullus ab illa Eccleſia recipitur. Hinc quoque claues Petro datæ, claues ſcientiæ & poteſtatis uocantur. Scire enim uerè debent, qui Apoſtolis in Eccleſiaſtico munere ſuccedere uolunt, dignos in Eccleſiæ gremiũ recipere, & excludere indignos: quæ ſententia ſic lata utique firma eſt atque rata apud ipſum Chriſtum. Vnde etiam noſtræ conſcientiæ ualde erigi potuerunt, cuius exemplum exhibet quod olim ab ipſo Ambroſio factitatum nouimus, quando Theodoſium reiecit, ac anathemate damnauit, propter homicidium perpetratum. Cùm autem iſtius pœnitentiæ modò uix ullum ueſtigiũ appareat, omnino neceſſe erit ad prioris Eccleſiæ formam recurrere. Sciendũ ergo, quòd in illo magno cœtu, cùm eſſent diuerſa uiuendi genera & uocationes (creſcente ſiquidem Chriſtianorum numero, alios alijs præeſſe neceſsitas ipſa cogebat, quo omnia ordine fierent ac ritè) Exhortabantur igitur ſinguli per Eccleſiæ miniſtros, ut ſuam uitã & mores ad doctrinam Euangelicam conformarent. Cùm uerò (ut eſt lubricum humanę uitæ iter) ſecus ſeſe plures gerebant, & eſſent publicè criminoſi, impuri, contentioſi, & Eccleſiæ ſcandalo: tunc ab ijſdem miniſtris uirtute clauium, & poteſtate à Chriſto tradita, illi à communione & ſacris arcebantur, donec reſipiſcerent, facta exomologeſi & caſtigatoria pœna. Quibus deinceps publicè delinquentibus, & poſtmodum publicam pœnitentiam agentibus, à præpoſitis iuxta Domini uerbum remiſsio promittebatur delictorum, & gratia: rurſumque recipiebantur iſti in gremium matris, hoc eſt Eccleſiæ. Huius quidem rei exemplum ſit pius antiſtes Ambroſius, qui Theodoſiũ imperatorem excommunicatum à ſe, & flentem, atque in Eccleſiam ut reciperetur ſuppliciter poſtulantem, non reiecit, ſed ut pœnitentem recepit, nullius in hoc certè perſonæ reſpectum habens. Iam autem longè diuerſum apparet, uidemus enim ubique crimina deterrima in populo inualeſcere, & neminem caſtigari: unde periculoſum, & periculum, niſi reaccipiat mater Eccleſia ſuam uirgam, ne deterior fiat quàm fuit olim in gentilitate, cùm nondum nominatus eſſet Chriſtus. O igitur paſtores, qualem reddituri eſtis rationem olim pro ouibus ueſtris, & Chriſti ſanguine redemptis? profectò, ni falſa atque ficta omnia, durã, imò duriſsimam. Porrò hic articulus aliàs ſummè nos conſolatur, omnique ſuauitate plenus eſt, dum peccatorum conſcientias mirificè erigit: ſic enim intelligunt ſe à peccatis abſolutos, Eccleſiæ item reconciliatos, & Chriſtum ſibi propitium atque miſericordem habere, atque placatum. Atqui ut demus licet puriſsimum uel ſanctiſsimum in his terris hominem, tamen in puluerem eum abire neceſſe eſt, dicente Propheta: Quis eſt homo qui uiuet, & non uidebit mortem? Hinc ſancti Apoſtoli ſanxerunt, & docuerunt credendam Carnis humanæ reſurrectionem: Hoc eſt, ſtatuto quodam die, omnipotentia Dei, omnem carnem quæ mortua eſt, computruit, & uarijs modis conſum-

Mar. ult.

Originale peccatũ & actuale.

Matth. 16.

Hieron. ſuper cap. 16. Matth.

Euſeb. lib 3. cap. 29.

Actor. 6. & 20.

Excommunicatio.

Cauſę penſandæ ſunt, ait Gregorius, non dicatur: Mortificabant animas, quæ non moriũtur, &c. Ezech. 13.

Crimina deterrima.

Ezech. 3.

Hebr. 13.

Vnde rectè dãnati ſunt Nouatiani, negantes hunc articulum, &c.

Pſal. 88.

Carnis reſurrectionem.

Ioan.5. pta eſt,reſuſcitandum,ſicut in uitam redeat, perpetuò deinceps permanſura
1.Cor.15. incorruptibilis & immortalis. Vnicuique autem animæ non extraneum cor-
Iob 19. pus, ſed ſuum quod habuit prius reparabitur, ut poſsit caro cum anima ſua uel pudica coronari,uel impudica puniri. Quæ quidem uirtus huius reſurrectionis erit, quemadmodum dicit Scriptura: Et qui bona fecerunt, carnem ſubiugantes in obedientiam ſancti Spiritus,ibunt in uitam æternam, angelis
Matth.22. in cœlis aſſociandi. Qui uerò malè egerunt, carnis deſideria ſectando, ibunt in ignem æternum,ut cum dæmonibus pœnas ſempiternas luant.Hic autem neminem pium mouere debet,quod effutiunt hæretici atque infideles, ut Manichæus & Valentinus,& Epicureorum ſquamæ, dicentes:Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Quando eius opus erit, qui in principio creauit ex nihilo cœlum & terram,mare & omnia quæ in eis ſunt.ſufficiant nobis ſan
Cap.26. ctiſsimorum & Spiritu ſancto inflatorum hominum teſtimonia: Eſaiæ uideli
Cap.12. cet, Danielis, & omnium Apoſtolicorum uirorũ, & haud minimi D. Pauli. Quid quæſo eſſet uerbum Dei, quod annunciatum eſt mundo, & prædicatur quotidie? ad quid etiam conducerent Sacramenta? cultus item quid eſſet diuinus, necnon inculpata & ſancta uita, & crucis onus? Quid hæc omnia prodeſſent homini,ſi non ſequeretur reſurrectio in uitam immortalem? Meritò certè dicerent pij, ſeſe miſerabiliores eſſe omnibus hominibus. Cùm igi-
1.Cor.15. tur reſurrectio certa futura ſit, uerbum quod annunciatur nobis dicit mercedem eſſe in cœlis piorum hominum:utque eo ueniamus,ſanctificant nos ſacra
Matth.5. menta Eccleſiæ. eapropter colimus quoque pietate ipſum Deum, obſeruando
Ioan.14. Matt.22. illius præcepta: nec cunctamur uarias & multas ſuſtinere tribulationes, pro-
Actor.5. pter eius nomen longè auguſtiſsimum. Hinc etiam gaudent iuſti, & leuant corda atque capita ſua ad eum ſemper qui ſurſum eſt, ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulantes,donec cum Chriſto induta immortalitate uiuant in ſempiternum. Idcirco ſancti Apoſtoli poſtremo loco docuerunt poſt generalem omnium hominum reſurrectionem,

Et uitam æternam. Vitam æternam futuram:ut iuſti in perpetuum uiuant in regno cœlorum. Vnde ſi rem bene conſideramus, uita noſtra præſens, potius mors quàm ui-
Iob 13. ta dicenda erit.ſiquidem homo natus de muliere,repletur multis miſerijs, & cuncta ſubiacent uanitati. Et uidemus hic per ſpeculum in ænigmate, id eſt
Lucæ 22. de Deo imaginem obſcuram, & ſimilitudinem ualde imperfectam: cùm autem uenerimus in cœlum,clarè & nudè uidebimus diuinam eſſentiam. quod (dicente Propheta) lætitia ſempiterna erit.Ergo perfectè Deum cognoſcere,& intueri gloriam ipſius,uita æterna eſt.Ioan.17. Proinde exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde:qui hic in terris per uarios caſus & tribulatio-
Apoc.7. nes multas tentamini,illic cum Chriſto regnabitis in æternum: qui abſterget omnem lachrymam ab oculis ueſtris,& mors ultrà non erit,neque luctus, neque clamor, nec etiam ullus dolor, quæ omnia mortales multum uexant ac perturbant: ſed noua omnia, & ea glorioſa iucundiſsimaque, ut tale quid nunquam nec oculus uiderit, nec aſcenderit in cor hominis, auris quoque
Eſa.64. non audierit ulla. Omnes idcirco ſedulò ac diligenter Deum deprecari de-
1.Cor.2. bemus, ut detur nobis fide expectare coronam iuſticiæ, & inueniri inter eos qui reſurgent in uitam æternã. Atque hoc eſt quod additur, Amen: id eſt, certa ſunt,& ſine dubio ſic euenient.Poſtquam autem ſanctiſsimi illi uiri ad hoc principaliter miſsi,quo regnum Dei annunciaretur mundo,& ſalus eſſet cunctis gentibus,Eſa.49.fundamentum fidei Chriſtianæ in cordibus fideliũ compoſuerant,ita ut illi uerè ſcirent quid'nam de Deo uerò,uiuo & ſancto, atque quem miſiſſet Ieſu Chriſto,eſſet ſentiendum: ſubſequenter docentes dixerũt operæpreciũ eſſe,& ad hominis cuiuſque ſalutem requiri, ut hãc fidem in Deũ conceptam, poſthac exterius exerceat atque oſtendat operibus pijs, & ueræ

charitatis.

charitatis. Quoniā hiſtorica fides neminem ſaluet: ſic enim dæmones quoq; Iacob.2.
credant, & contremiſcant, qui tamen detrudendi in perpetuam damnationē
erunt, ut de ipſis Petrus dixit. Cùm autem Deus ſpiritus ſit, ſumma Dei ue- 1.Pet.2.
neratio ex ſpiritu hominis proficiſcitur, nimirum oratione: oratio enim nihil Ioan.4.
àliud eſſe dicitur, quàm eleuatio mentis in Deum. Enimuerò pia mens homi- Oratio.
nis Chriſtiani, recolendo innumera beneficia ipſius Dei erga humanum ge-
nus, admiratur talem maieſtatem, eoq; rapitur tota, ut ex intimis cordis uiſce-
ribus hanc adorare geſtiat, eiq; aſsiduas agere gratias: ſicut uidere eſt in Dauí
de, qui Propheta magnus ut fuit, ita cumulatiſsimè prædicauit oratione ma- Pſal.116.105.
gnalia Dei. Vt interim omittamus gentes, Scythas, & alios idololatras, qui 106.& ferè u-
ſuos quos falſò crediderunt Deos, orationibus item uenerati ſunt. Et quòd Iu bique in ſuis Pſalmis.
dæis peculiariſsimum fuit oràre ad Dominum Deum ipſorum: quemadmo-
dum de Abraham legimus, orationibus Deum ſalutante, & Moſe atque alijs. Gen.20.
Nos enim multo magis decet colere eum quem habemus beneficētiſsimum Exod 32.
patrem, ſummeq; uenerari, quàm alios omnes homines, ſiquidem maiora do 1.Reg.1.
na percepimus. Scientes ergo Apoſtoli de nobis dictum eſſe à Domino, Ve Ioan.4.
niet hora quando ueri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & ueritate: ſta
tim à iacto fidei fundamento, eam orandi formam tradiderunt, quam ipſi à
magiſtro ſuo Chriſto didicerant, ſuccinctam quidem, ſed in qua omnino ni- Matth.6.
hil deſiderari queat.

In orationem Dominicam, commentarium.

DEus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidit, in mente Oratio Dominica.
quidem quam arbitrij libertate, ſapientiæ luce, & innocentiæ pulchritu Ecclеſ.7.& 17.
dine, ac participatione ſuæ diuinitatis, mirificè decorauit: ut eſſet perfectus in
ſcientijs & uirtutibus & iuſticia originali, qua omnia obediebant rationi: utq;
ſecundum animam capax Dei per cognitionem & amorem: breuiter ut eſſet
in gloriam Dei ſui creatoris. Et quoniam Deus homini arbitrij libertatem in-
didit, adiecit quoq; mandatum, relinquens illum in manu conſilij ſui, ut ſi uel-
let, poſſet per acceptam & aſsiſtentem gratiam & uim Spiritus ſancti, man-
datum ſeruare, & imaginem in qua conditus erat, incontaminatam cuſtodi-
re: et ſi nollet honorem ſuum amittere, & uitam æternam morte commutare,
iuſticiam illam cõſeruandi dedit homini Deus liberum arbitrium, & plenam
poteſtatem. Appoſuit ignem & aquam, hoc eſt gloriam & mortem, & in po- Eccle.15.
teſtate hominis fuit extendere manum ad quod uellet, quod placeret ei. Et ec
ce callidiſsimus tentator ſatanas, ipſe inuidens homini beatitudinem eam,
aſtu & callida perſuaſione ipſum circumuenit, eoq; ueſaniæ adegit, ut tranſ-
grederetur mandatum Domini Dei ſui. Quæ tranſgreſsio protrudit nobiliſ- Gen.3.
ſimum hominem in terram miſeriarum & calamitatis. Sic enim Scriptura di-
cit: Dixit Deus ad Adam: Quia audiſti uocem uxoris tuæ, & comediſti de li-
gno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta igitur ſit terra in ope-
re tuo, &c. Et homo amplius in paradiſo uoluptatis eſſe non potuit, ſed pro-
ſcriptus eſt in hanc uallem lachrymarum, in qua ſuum in Deum peccatum
& temporaliter lueret, & pœnæ æternæ obnoxius foret. Quia uerò ex Adam Rom.5.
illo omnes naſcimur, fit ut peccatum intret ſingulos, & per peccatum mors,
iuxta Apoſtolum, ſintq; lachrymæ hominum, atque miſeriæ, quas patiantur:
quemadmodum Scriptura docet, cùm inquit: Cuncti dies hominis dolori- Eccle.2.
bus & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente requieſcit. Et rurſum,
Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miſerijs: & Iob 15.
alia. Quamobrem Dominus Ieſus, haud aliter quàm fidelis pater ſolet, fi-
deliter præmonet diſcipulos tantæ calamitatis, ut eam conſtanter ſuſtine-
ant, memores quòd & ipſe huiuſmodi perpeſſus ſit: Confidite (inquit) Ioan.15.
quia ego uici mundum, inde nemo animum deſpondere iuſtè poteſt,
quaſi

quaſi ſuccumbere nos oporteat: omnem ſiquidem preſſuram in ipſius uirtute ſuperaturi, qui eſt pax noſtra, uirtus, & fortitudo. Bene itaque dictum eſt, Cõfidite: quaſi dicat, Ego caput ueſtrũ uici mundũ, quin & uos membra mea per me uincetis. quam conſolationem animo ſic conceptã, Apoſtolus & alijs patefecit, commendans eam, atq; dicens: Si Deus nobiſcum, quis cõtra nos? ipſe nos dilexit, & traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Eſt & calamitatis humanæ alia quædam ratio: nempe ut probemur ad patientiam, & ſic maiorem mereamur in cœlis mercedem. Vnde Apoſtolus: Nemo (ait) coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Et ad ſuum Timotheum: Labora ſicut bonus miles Ieſu Chriſti: fidelis ſermo, ſi cõmortui ſumus, id eſt, ſi mœſtis in rebus illi ſocij erimus, conuiuemus: ſi ſuſtinebimus, conregnabimus quoq;. Huc autẽ prouocamur pulcherrimis exemplis. Non'ne Ioſeph ſeruitute & carcere diu tribulari ſuſtinuit patienter, quo ſuum Deum coleret? ſicq; factum eſt, ut longè glorioſius ſub Pharaone ſublimaretur. De Iobo decantatiſsimum eſt, quantis anguſtijs diuexarit eum dæmon, nec tamen à Deo receſsit. Scidit quidem ueſtimenta ſua corruens in terram, ſed adorauit uiuentẽ in ſecula, & dixit: Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, nudus recedam: Dominus dedit, Dominus abſtulit. quem idcirco Deus deinceps reſtitutis omnibus duplo, 140 annis in omni gaudio conſeruauit. Sic Tobiam circundederunt gemitus ac tribulationes, eo quòd Domino Deo placeret. Dixit enim angelus: Quia acceptus eras Deo, neceſſe erat ut tentatio probaret te, cæcitate igitur in exilio laborare te permiſit. Nec aliter accidit pleriſq; alijs, licet Deo chariſsimis, quos ipſe tribulari paſſus eſt, quo glorioſiores poſthac redderentur. quemadmodum ſcriptum eſt: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum. Proinde non eſt timendum in ulla tribulatione. Atq; eos multum errare neceſſe eſt, qui idcirco uel colunt Dominum, ut temporali quiete & carnis uoluptatibus perfruantur: uel murmurant procellis ingruentibus, quaſi nihil mali meriti ſint: uel quaſi Deus eorum ſit oblitus. Meminiſſe oporteret potius, nos ad præſentis uitæ bona nõ eſſe factos, ſicut Apoſtolus docet: Omnes (dicens) qui piè uolunt uiuere in Chriſto, perſecutionem patientur. Et Apoſtoli inuicem conſolationem præſtantes: Per multas tribulationes (aiebant) oportet nos intrare in regnum cœlorum. Nec ipſe Chriſtus aliter bona nos accepturos dixit, quàm ſi maledictiones ſuſtineamus, quando inquit: Beati eſtis, cùm maledixerint uobis homines: gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Quare ſiniſtrè mihi uidẽtur iſti rem omnem intelligere, qui gaudijs delectantur huius mundi, iLiq; pedem figunt: nec enim hìc habemus manentem ciuitatem. Alia manet pios ac fideles ciuitas & manſio, nimirum in cœlis: quæ tanta eſt, ut non ſint condignæ paſsiones huius temporis ad eam. Verè igitur Chriſtianus omne gaudium exiſtimabit, ſi ceciderit in uarias tentationes: non conturbabitur, imò in ſpiritu glorietur: quoniam dignus habitus ſit pro nomine Ieſu contumeliam pati. Nec eſt quod putet ſe non poſſe ſuſtinere. Fidelis enim Deus eſt, qui non patitur nos tentari ultra id quod poſſumus, imò facit prouentum unà, ut ſuſtinere queamus. Dormit aliquando Chriſtus in naui, quando tentationes permittit, ſic tamen ut cor ſuum uigilet, iuxta Scripturam: Videtur quaſi non uideat, qui tamen omnia conſpicit, coram cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt. Quoniam autem ſcimus, quicquid harum eſt rerum euenire cacodæmone procurante, ut ſunt calamitates & uaria mundi mala, quibus oppugnamur: admonemur, uitam hanc noſtram peregrinationem eſſe ad patriam, & beatitudinem, ne detineat nos dulcedo uel amœnitas uitæ, quo minus ad illam concedamus. Sunt igitur morbi, luctus,

Margin notes: Rom.8. — 2.Tim.2. — Gen.42. — Iob 1. — Tobiæ 12. — Pſal.90. — 2.Tim.3. — Actor.14. — Matth.5. — 1.Cor.10. — Cantic.5. — Hebr.4.

aduerſaq; multa, quibus excitamur ut concupiſcamus requiem, & finem itineris. Meritò autẽ inſtruendi ſunt pugiles illi, quo pacto ſeſe gerere debeant, et cum hoſte omnium ſæuiſsimo conſerere manus. Enimuero aduerſitatibus undecunq; ſurgentibus non aliò quàm ad Dominum fugere debemus, nec quam ab illo opem ne deficiamus depoſcere: ſiquidem ille ſolus poſsit ac uelit nos recipere. Poſsit, quia Dominus omnium potẽtiſsimus, Rex regum & Dominus dominantium, in cuius manu ſunt omnes fines terræ, è qua nemo eruere poteſt, cùm ubiq; ſit. Si aſcendero in cœlum, ait Propheta, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, ades. Velit autem, quia pater noſter, quos adeò diligit tanquam uerus pater uerum affectum habens, ut omnem noſtram cauſam ſuam eſſe putet: & proinde per ſuum filium dixerit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Matth. 11. Huius autem plena ubiq; eſt ſacra Scriptura, ubiq; exemplis ſcatẽs: ut de Ioſaphat nobiliſsimo rege, qui cùm cognouiſſet maximam multitudinem Moabitarum & Ammonitarum contra ſe uenire; congregato uniuerſo cœtu in medio ſtetit, & dixit: Domine Deus patrum noſtrorum, cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros ad te dirigamus. Et uidit præſentem ſibi Dominum, cùm illi mutuis uulneribus, & ſtrage mutua ceciderint. 2. Paral. 20. Idem uidere eſt in Iudith, ubi Scriptura dicit: Holofernes dux Nabuchodonoſor, cùm aſcenderet contra Bethuliã, filij Iſrael unanimes proſtrauerunt ſe coram Domino Deo, orantes ut oſtenderet miſericordiã ſuper populum ſuum. Quid autem? Nónne ſaluauit eos Dominus de manu inimicorum ſuorum? Igitur omnes illos errare neceſſe eſt, qui in diuitijs & copijs militum fidunt. Qui confidit in diuitijs (ait Scriptura) corruet. Prouer. 11. Et alibi: Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Hier. 17. Hinc licet Hiericho ciuitas eſſet munitiſsima, tamen quia non niſi humanis fulciretur pręſidijs, corruit. circumeuntibus enim eam filijs Iſrael, lapis ſuper lapidem murorum non remanſit, ſicq; oppugnata fuit. Ioſue 6. Eodem modo graſſante peſte, uel omni morborũ genere, neminem alium quæramus adiutorem niſi Dominum Deum, præſertim cùm ipſe dicat: Ego occidam, & ego uiuere faciam, percutiam & ſanabo. Eſa. 46. Et Eccleſiaſtes: Fili, in infirmitate tua ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te: quandoquidem ipſe ſolus eſt, qui uitæ & mortis poteſtatem habet. Eccl. 38. Errant igitur & illi qui morbis correpti, magos uel ariolos conſulunt. Leuit. 19. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos. Et capite ſequenti: Animam quæ ad illos declinauerit, interficiam ego de medio populi ſui, &c. Quia ergo Ochoſias ægrotans miſit nuncios in Accaron, & conſuluit Beelzebub, à Propheta correptus uita functus eſt. 4. Reg. 1. Non enim niſi ad nos probandos omnia ferè eueniũt: permittit hoc uel illud fieri Deus, ut agnoſcat utrum diaboli illecebras deſpiciamus, & ualeat apud nos uera Dei promiſsio. igitur ſuſquedeque ferẽda ſunt (ait) ſi quæ immittuntur aduerſa, & præſertim ægritudines. Equidem morbis adhibendas medicinas uel inde patet, quod Eccleſiaſtes ait: Honora medicum propter neceſsitatem. medicinam enim creauit Deus de terra in ſalutem hominum. Accedit etiam quod de Tobia ſcribitur, quomodo à Raphaele angelo edoctus, de piſce medelam confecit. His ita ſeſe habentibus, tum doctis tum pijs multũ diſplicet, quòd cum ſanctis eò res redijt, ut ferè nullum morborum genus ſit, quin habeat ſuum medicum in cœlis: quemadmodũ de Valentino, Rocho, Barbara, atq; alijs diuis patet. Enimuerò uenerandos eſſe ſanctos quis ſanæ mentis neget? at hoc modo minimè uenerantur, imò contriſtantur, quemadmodum dilucidè docet D. Auguſtinus in Sermone de Paſtoribus: Noli (inquit) putare iniuriam te facere montibus, quãdo dixeris: Auxilium meum à Domino,

Pſal. 8. 13.

Iudith 7. 8. & 9.

Leuit. 20.

Eccle. 38.

Tob. 6.

Auguſt. in lib. de Paſtor.

Domino, &c. Ipſi montes hoc tibi clamant, ſic magis fauebunt. Si in ipſis ſpẽ tuam poſueris, contriſtabuntur. Ex quibus intelligere poſſumus, uenerãdos ſanctos propter imitationem, & non adorãdos propter religionem. Notum eſt quidem, ad monumenta martyrum pulſos fuiſſe morbos, dæmonesq; rugiſſe: at nimirum quo Chriſtus fidem ſuorum incenderet, & eos ad imitatio-
Cyprianus. Chryſoſt. Hilarius. Auguſtin. nem ſanctorum prouocaret. Fides, inquit Auguſtinus, erat in cordibus exultantium (cùm Eccleſiam in miraculo ad memoriã beati Stephani facto plaudentem refert) pro qua Stephani ſanguis effuſus eſt. Solet quoq; Deus nonnunquam fame ac inedia nos uel probare, uel ad meliorem frugem reuocare. Et hîc tutiſsimum eſt, ut neminẽ alium accedamus, quàm eum qui aperit ma-
Pſal. 144. num ſuam, & implet omne animal benedictione. ad quem Propheta ait: Oculi omnium in te ſperãt Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportu-
Pſal. 45. no. Et alio loco remittẽdo nos ad Dominũ illum cœlorum, inquit: Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. Et quid multum his opus eſt, cùm Chriſtus noſter exemplo uolatiliũ nos ſoletur: Non'ne pluris (ait) eſtis uos? quærite primùm regnum Dei, & iuſticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Matth. 6. Errant igitur qui per phas & nephas undiq; bona corradũt, contra proximi charitatem: ac timent ne egere oporteat, quaſi noſtra tantum induſtria, ac impenſis laboribus, uitæ huius ſuſtentatio paretur: & nõ potius di
Gene. 15. uina prouidentia, ac benignitate. Porrò, quemadmodum olim Deus per ua-
Exodus & Ioſue. rios caſus, & multa pericula, populum Hebræorum, iuxta promiſsionem, in terram lacte ac melle fluentem introduxit: ita ſanè Chriſtus ſuos, quos ſanguine redemit proprio, in terram ueram promiſsionis, hoc eſt cœleſtem illam patriam adducit. Nam licet Chriſtus è cœlo ueniens, animæ damnationem tulerit, patri per mortẽ nos reconcilians: ac reſtituerit priſtinæ perfectioni, ut ſcilicet adiuuante nos diuina gratia Spiritus ſancti, ueram ac uiuam Dei noticiã, & rectum de rebus iudicium habeamus, propter fidem in Chriſtũ, item amorem & obedientiam erga Deum: tamen manet in nobis grauis infirmitas, & corporis calamitates: quæ uelut pediſſequæ, unicuiq; adhærent, plerunq; ob id, ne hîc figamus pedem: ſed eò contendamus, quò ipſe Chriſtus ſedet in gloria patris: ſicq; finem huius itineris cõcupiſcamus, ut adueniat regnum patris noſtri, ubi amplius nullus ſit dolor, ſed lætitia ſempiterna. Quis autem non uidet modò, quàm iactemur fluctibus atq; procellis? Ecce enim Getarũ in nos ſæuit truculentiſsima immanitas, ſatana mirum in modum ſæuiente ac procurante. Deinde, omnium hominum pedes ueloces ſunt ad currendã uiam iniuſticiæ. Ecce diſsidia: prouincia prouinciam, ciuitas ciuitatem, uicus uicũ ho
Dan. 13. ſtiliter inſectatur, ita ut meritò cum Suſanna caſtiſsima coniuge dicere queamus, Anguſtiæ ſunt nobis undiq;. Sẽpiternis iſthæc lachrymis tingenda ſunt, & prẹſertim quòd hæc lamẽtabilis calamitas nemini, uel paucíſsimis eſt cordi: cùm tamen omnes nos mortales ſciamus, & apparituros ante tribunal ſtri
2. Cor. 5. ctiſsimi iudicis Chriſti, qui proinde dixit: Quid prodeſt homini ſi uniuerſum
Matth. 16. mundum lucretur, animæ uerò ſuæ detrimentum patiatur? In hoc autem rerum turbulẽtiſsimo ſtatu, uaria tractari uidemus: maior pars ſpem conceptã in neſcio quos collocat homines, uel doctos, uel potentes: mihi autem rectius rem ipſam conſideraſſe uidentur, qui rectà ad ipſum Deum cõfugiendum
Pſal. 120. eſſe ſuadent: ipſe enim (dicente Propheta) non dormit, neq; dormiet: in hoc mittens ſuum filium, ut adiutor eſſet nobis in tribulationibus conſtitutis: unde nunquam ceſſauit inuitare quoſcunq; ille filius, ac dicere: Venite ad me o-
Matth. 11. mnes qui laboratis, ego reficiam uos. Venit enim filius hominis quærere, &
Lucæ 19. ſaluum facere, quod perierat. Quid igitur cunctamur? cur non magis, ac citiſsimè, accedimus thronum tam pijſsimi patris? orantes ac deprecantes ut exurgat, atq; imperet mari & tempeſtati, ſua nos gratia confortet, pacem ac tranquillitatem

quillitatẽ tribuat. Crebreſcentibus tribulationibus quem(quæſo) poteſt homo ad accipiendum conſilium prudentiorem inuenire, quàm Chriſtum? Ipſe maius abſtulit, quare non minus poſſet? Factus eſt propitiatio: & hoc modo aperuit nobis regna cœlorum. Nunquid deſtituet ſuos in hoc mundo tribulatos? cùm dicat: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Idcirco Mat. ult.
recta incedemus uia, ſi aſsiduis precationib. ipſum compellabimus. Sic etenim priſcos factitaſſe comperimus, cùm adhuc ignoraretur quodammodo Chriſtus. Nam de Ioſaphat compertum eſt, quomodo cum populo ſuo clamauit ad Dominum, & propheta dixerit: Nolite timere, non enim eſt ueſtra pugna, ſed Dei: confidenter ſtate, & uidebitis auxilium Domini ſuper uos. 2 Paral. 20. Sic Iudith, Iudith. 9. Sic Dauid, qui cùm uidiſſet angelum cędentem populum, rogauit Dominum, & dixit: Ego ſum qui peccaui, & ego iniquè egi. 2 Reg. 24.
Et placato hac oratione Domino ceſſauit peſtilentia. Nec aliter ſeſe oſtendit Dominus Ezechiæ ægrotanti. nam cùm introiret ad eum Eſaias, ac diceret, Diſpone domui tuæ, quia morieris: ipſe deprecatus eſt Dominum, & obtinuit uitam ſuam, ita ut prorogaretur ad quindecim annos, Eſa. 38. Gratius itaq; nil nobis oratione eſſe debet. Cæterùm quod quidam hîc obijciunt, facilis & in promptu diluendi modus eſt: non enim oramus, quaſi Deum inſtruere uolẽtes, quid facto ſit opus: quoniã probè ſcimus ipſum omnia noſſe, & quid opus ſit nobis, antequã petamus. Mat. 6. ſed ut illi tribuamus tãquam Domino timorem, ſicut iubet Pſalmiſta, cùm inquit: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Pſal. 2.
Deinde ut ei ueluti patri noſtro deferamus amorem, quem lex præcipit, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex anima tua tota, totiſq; uiribus. Leuit. 19.
Et ideo dixit Chriſtus diſcipulis: Petite & dabitur uobis, quęrite & inuenietis. Et Acta illorum ſic habẽt: Reuerſi ſunt Hieruſalem, & erant perſeuerantes unanimiter in oratione, cap. 1. Luc. 11. Act. 1.
Et iterum: Orantes cum ieiunio, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt. cap. 14. Sunt & nonnulli, qui abſolutam neceſsitatem credentes, cum neſcio quibus ethnicis prorſus orationem fruſtraneam eſſe contendunt. Quibus ut minimè aſtipulatur Euſebius, ita inter cætera illorum errorem his uerbis conuincit: Deus (inquit) præuidet & præordinat hæc uel illa certò dare: tamen uult à nobis neceſſaria rogari, ut orando ipſum cognoſcamus eſſe unicum Dominum in quo (docente Apoſtolo) uiuimus, mouemur, & ſumus: & nobis omnia ab eo, nos uerò nihil prorſus ſine eo, nec eſſe, nec habere, &c. Act. 17.
Equidem D. Paulus optimè nouit (ſiquidem ſpiritum Domini habebat) quàm omnia eſſent in poteſtate Dei ſita: tamen ſcripſit Romanis, atque efflictim petijt, illorum ſupplicationes: Obſecro (inquit) uos per Dominum Ieſum, ut adiuuetis me, in orationibus ueſtris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, &c. Sciamus igitur, quoniam ſemper oporter orare: quod ut liquidò patet, ita qualem orationem eſſe oporteat, attendendum eſt, quò grata ſit atq; Deo accepta: multi enim petentes nil accipiunt, eo quòd malè petant. Primùm omnis oratio debet eſſe humilis, iuxta illud; Reſpexit Deus in orationem humilium, & nõ ſpreuit preces eorum. Pſal. 101.
Enimuerò cogitanda eſt tanti principis maieſtas, quem oraturi accedimus, & conferenda cum noſtra humilitate, exemplo Abrahami dicentis: Loquar ad Dominum Deum meum, cùm ſim puluis & putredo. Gen. 18.
Deinde meminiſſe etiam oportet, non linguam eſſe quæ precetur, ſed mentem. Quòd ſi mens aliud agit, quæcunq; uerba lingua pronunciet, nihil oras. Idcirco Dominus præcepit, ut oraturi ſecedamus prorſum in nos ipſos, in altiſsimum mentis noſtræ ſilentium, ubi ſecluſis omnibus, in ſolum Deum oculum mentis noſtræ dirigamus. Tu autem (inquit) cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito. Matth. 6. Et alio loco: Veri adoratores adorabunt

Deum in ſpiritu & ueritate, quia Deus ſpiritus eſt. Demum magna inſit
Ioann.4. petitioni fiducia, oportet ut non dubitemus, quin uelit ac poſsit facere, quod
bene petimus. Sic enim ait: Omnia quæcunque petieritis credentes, accipietis.
Vbi credentibus firmiter petita ſe daturum promittit: Matth.21. Hinc
ſancti Apoſtoli omnem reiecerunt diffidētiam, procul à finibus ſuis. D. Paulus
fratribus in Chriſto pontificem Chriſtum depingens: Adeamus, ait,
cum fiducia ad thronum gratiæ ipſius, &c. Hebr.4. Et Iacobus poſtulandam
ſapientiam eſſe ſuadet, ſic tamen ut fide quis faciat, nihil hæſitans. Iac.1. ut ſci-
Iacob.1. licet credas eum ſolum eſſe, qui nos poſsit cōſeruare, & huius mundi peſsima
uertere in bonum: ſolus potens Rex regum, & Dominus dominātium, ſolus
habens immortalitatem. 1 Timoth.6. Sed cùm ſcriptum ſit, quia peccatores
Ioann.9. Deus nō exaudit, imò pereunt illi à facie Dei, ſicut cera fluit à facie ignis (iux-
Pſal.76. ta Prophetam) neceſſe eſt, ut in primis peccatorū noſtrorum nos pœniteat,
Luc.18. atq; cum publicano noſtrā ſic exordiamur orationē: Deus propitius eſto mi-
Eſa.59. hi peccatori. Peccata, ait ille, diuidunt inter Deum & nos. Cùm autem benignus
& miſericors ſit, cōuerſis nobis reuertitur & ipſe, ut nō pereamus. quod
quàm certum ſit atque uerum, ſi quis uidere cupit, legat quæ de Niniuitis ſcripta
ſunt Ionæ 3. etenim clarè patet, mutatis ijs & Deum ſuam mutaſſe ſententiam.
Ex quibus omnibus tantum colligere potes, ut à uera & ſyncera oratione
abeſſe debeat Phariſaica illa præſumptio & ſuperbia: nam eam Deus
odit, qui ſuperbis reſiſtit, & humilib. dat gratiā. Quapropter tutius eſt in operibus,
quātumuis bonis & eximijs, metuamus: utq; innitamur ſoli miſericordiæ
Dei, eiusq; omnium exactiſsimo iudicio. Porrò ut Paulus apoſtolus Ieſu
Chriſti, negat nos ſcire quemadmodum orandum ſit, & quid petendum à
Deo (uerſamur enim in maxima ignoratione tum diuinæ naturæ, tum noſtri
ipſorum, & rerum futurarum) itaq; metientes Deum ex nobis ipſis, ſæpenumero
maieſtatē illam infinitā adimus haud aliter, quàm ex noſtris principib.
quempiam, cui adblandimur ut auferamus quæ cupimus. Nulla aūt eſt apud
Eph.6. Deum perſonarum acceptio: nullius ueretur Deus perſonam, ſed opera &
Iacob.1. facta diſquirit. Apud ipſum non eſt mutatio, nec uiciſsitudinis obumbratio,
ſed iuſtus ille & rectum iudicium ipſius. Item poſtulamus ſæpiſsimè more
humano, quæ uidentur nobis eſſe profutura & ſalutaria: pro illis adipiſcendis
multa uota facientes: cùm tamen uſque adeò nobis noxia cenſeri poſsint,
ut execrationes potius uideantur. poſtulamus enim plerunque à numine
noſtro ingenium, facundiam, robur, formam, ſanitatem, diuitias, connubia
1 Corin.8. præclara, liberos, dignitatem, & neſcio quæ alia nobis plurimùm exitio futura:
ni falſum ſit quod Apoſtolus ait, Scientia inflat, charitas autem ædificat: &
quomodo diues ille poſt lautæ uitæ functionem in inferno ſepultus eſt.
Rom.14. & Luc.16. Quocirca Chriſtus ueram iuſticiam, noſtramq; ſalutem
uehementiſsimè ſitiens, quid nobis à Deo expetendum, certum quēdam orandi
modū nobis præſcribere uoluit: ut uerbis quodāmodo cōceptis patrē
noſtrum cœleſtem compellaremus, noſtram neceſsitatem exponentes, ipſiusq;
maieſtatem colendiſsimā ueneraremur: qui quidē modus ut ſuccinctus
eſt, ita capi & contineri poteſt à pueris & ſenibus, ab ægrotis & occupatis, à
rudib. & obliuioſis, ita ut prorſus nullus excuſari poſsit, ſi minus orationi in-
Cyprian. ſtet. Eſtq; hic tam locupletiſsimus, ut uerè nullū uerbum ſit in quo nō occul-
Chryſoſto. tentur innumera myſteria: ut multa licet de explicatione orationis huius
Auguſtin. ſcripta extent ſanctorum uirorum, nec tamen præclara ingenia illa multitudinem
ſenſuum exhaurire potuerunt: imò liberè faſsi ſunt, plura quàm dicta
ſint requiri. Videamus ergo quàm breuis ſit oratio, & tamen plena omnium
Auguſtin. uirtutum. *Pater:* Deus pater uniuerſorum eſt, qui in hanc pulchritudinem
de nihilo eduxit & condidit omnia. idcirco omnium creaturarum eſt pa-
ter: ſed

ter,ſed ſpecialius hominis, quem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam con-
didit. Largitus eſt de ſua copia Deus cunctis animantibus bona innumera,
ut auibus pulchritudinem & cantum, leoni fortitudinem, & ſic de reliquis:
homini autem ampla manu tum alia quàm plurima dedit,tum mentem, qua
nihil eſt præſtabilius:ſiquidem mẽs omnia perluſtrat,etſi longè lateq́ꝫ ſemota
ſint,omnia in conſpectũ ſibi conſtituit. Præterea alit & conſeruat hæc Deus,
alioqui caſura ſtatim in ſuum nihil. Gubernat item, docet & inſtigat unum-
quodq́ꝫ ad ſuum bonum,unde meritò pater dici meretur. Vtcunq́ꝫ aũt iſta ſe-
ſe habeant,tamen reſtat alia paternitas, ob quam Deus uerìſsimè Pater ap-
pellari debet:Eramus (inquit Apoſtolus) naturà filij iræ,ſerui peccati,infeli-
citer geniti ex Adam & filij ſatanæ,cuius inſtinctu ad omne flagitiorũ genus
agebamur:& Deus qui diues eſt in miſericordia,propter nimiam charitatem
ſuã,qua dilexit nos,noſtri miſertus eſt:& per unigenitum filiũ ſuũ Ieſum exe-
mit nos à ſeruitute peccati,emancipauit à patre diabolo,uindicauit ab ęterni
ignis hæreditate:ac per fidẽ & baptiſmũ adoptare dignatus eſt in hęreditatis
cõſortiũ. Epheſ. 2. Gal. 5. Marci ult. Epheſ. 5. Ac ne quid diffideremus ſuę erga
nos pietati,ueluti pignus quoddã ſuæ erga nos charitatis,cœlitùs immiſit in
animos noſtros, ſpiritũ uidelicet ſanctũ:qui nõ uereſ,propulſato timore,cla-
mare Abba pater. Mera bonitas & charitas iſthæc Dei eſt:non uult timeri, &
ut Dominum ipſum appellemus: ſed Patrem noſtrum,nomine ſcilicet amo-
ris, & non poteſtatis. Pro maximo reputant homines, ſi quis à ſecretis eſt,
uel à ſacris Imperatorum, uel Regum: quanto autem præſtabilius, quòd
Dei filij nominamur ac ſumus:ſicut ſcriptum eſt, Quotquot receperunt eum, Ioann. 1.
dedit illis poteſtatem filios Dei fieri,his qui credunt in nomine eius. Et, Qui- Rom. 8.
cunq́ꝫ ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei. Quis, quæſo, ſeruus regem ſuum
appellare audet patrem? qui tamen ſola diſtant non naturæ,ſed fortunæ con-
ditione. nos autem, abiectiſsimæ & prauiſsimæ naturæ homines (Quid
enim aliud eſt, ait Auguſtinus, naſci, quàm ingredi laborioſam uiam,cuius
quidem teſtis eſt fletus modò geniti infantis) & qui longè natura receſsi-
mus à Deo: ipſe res infinita eſt, nos planè ſumus nihil:ipſe omnium Domi-
nus,nos mancipia peccati: ſiquidem bibendum eſt quod propinauit Adam,
ab ipſo moleſto conuiuio nemo exemptus erit. Ipſe eſt lux & ſapientia,nos
uerò ignorantia & tenebræ: & tamen confidenter clamare audemus, Abba
pater. Vnde autem? certè non niſi ex ipſius clementia & dilectione,ex pieta-
te & munere tantæ gratiæ,quã contulit per ſanguinẽ Ieſu Chriſti filij ſui. Cæ-
terùm dicuntur quidã patres imitatione,qui nobis propoſiti ſunt ad æmulan-
dum,de artis aut uirtutis cuiuſdam excellentia. Et hoc nomine Deus pater
eſt:quem ſequendum, quatenus immortalẽ mortalis poteſt, docet ac præci-
pit nobis Chriſtus, idq́ꝫ quantum ad charitatem, ut uidelicet diligamus non
amicos modò,uerumetiã inimicos. Diligite (inquit) inimicos ueſtros, & be-
nefacite his qui uos oderũt,& orate pro perſequentib. & calumniantib. uos.
Matth. 5. Sic enim naſci in nobis beneficentiam, quę ſe ad uniuerſos extẽdat,
qua ſimus perfecti,& illius patris ſimiles qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, &
ſolẽ ſuũ tam bonis quàm malis quotidie profert. Porrò ut nõ omnibus eſt do-
mi,ſic nec omnibus uult eſſe pater. Sollicitè igitur laborare oportet, ut pro
uirili noſtra noſmet tanquam filios ei exhibeamus, obſeruantes ſtudioſè ne
ullam contumeliam ei faciamus: affectum ut ſumamus filialem uerum, ſi cu-
pimus exaudiri:honoremus,ueneremurq́ꝫ ipſum Patrem uerbis & operibus,
quotieſcunque res poſcere uidetur: atque potiſsimùm ex corde amemus
bonitatem illius ac charitatem, grati erga beneficia. Poſtremò neceſſe eſt,
ut cuncta noſtra fiducia in illo uno ſit collocata, & ut illum beneficentiſ-
ſimum cenſeamus, qui omnia ad noſtras utilitates efficiat, qua quidem ex

reputatione naſcetur id, quod eſt uerè filiorum, ut iuſsis ſcilicet libenter obrepéremus, atque leue ac ſuaue fiat quicquid ille iniunxerit: & cùm caſtigauerit æquo feramus animo, perſuaſi id nobis uehementer expedire. Qualem profectò affectum atque animum D. Paulum habuiſſe uel inde patet, quòd
Rom.8. tanta grauitate docuit, ac dixit: Quid nos ſeparabit à charitate Chriſti? quaſi diceret, nihil: quia propter te mortificamur Domine Ieſu, tota die. & poſt pauca: In his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. *Noſter*: Deus pater uniuerſorum eſt, creando, regendo & conſeruando: quod admodum præclarè Athenis prædicauit Paulus: Deus (dicens) fecit mundum: & omnia quæ in eo ſunt: ipſe dat omnibus uitam & inſpirationem: in ipſo uiuimus, mouemur ac ſumus. Act.17. At potiſsimùm & propriè noſtrorum omnium Chriſtianorum pater dici meretur ac debet, quando cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, ex illa nimia charitate qua dilexit nos, idque in ſanguine Chriſti, atque per lauacrum regnerationis aquæ in uerbo uitæ: Epheſ.2. & 5. Vnde factus eſt communis pater omnium, non meus, uel illius priuatus pater, unde etiam omnes fratres ac ſorores ſumus: atque huius propinquitatis nexu cum angelis deuincimur, & cum ipſo quoque Chriſto unigenito filio ex eſſentia patris. Vult igitur Chriſtus hìc, ne quiſquam peculiariter ſibi aliquid uendicet, ſed ut ſit omnibus communis oratio: & ut, ueluti unius corporis membra, eodem animata ſpiritu, quod in
1 Cor.12. communi omnibus expediat, poſtulemus. Enimuerò haud abs re D. Apoſtolus, hac ſimilitudine uſus eſt. Sicut enim in uno corpore multa membra ſunt, ita fideles ipſi unum in Chriſto ut capite ſunt corpus, quiſque alterius mẽbrum: alterna igitur ope indigemus. Quapropter ſancti Apoſtoli de mu
Iacob.5. tua interceſsione tam efflictim olim admonuerũt: Orate (ait Iacobus) pro inuicem, ut ſaluemini. Et Paulus iuſsit primùm omnium fieri obſecrationes, poſtulationes, &c. pro omnibus hominibus. 1 Timot.2. Quæ quàm ſedulò ac diligenter peractæ ſint, ex ipſo Chryſoſtomo colligere poſſumus. ait enim ille: Id nouerunt fideles, quomodo dieb. ſingulis manè & ueſperè, orationes fundantur ad Dominum: quomodo pro omni mũdo, & regibus, & omnibus qui in ſublimitate poſiti ſunt. Hactenus ille. Voluit item Dominus hoc uerbo nos admonere mutuæ dilectionis, quæ certè non in uerbo tantum, ſed etiam opere & ueritate conſiſtit. Hinc profectò minimè conuenit, ut quos Dei bonitas æquauit in honore gratuito, ambitione, contentione, odio & liuore in
Ioan.4 ter ſe diſsideant. Videte (inquit Ioannes) qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur & ſimus. Et iterum: Deus charitas eſt, fratres, & dilexit nos, & miſit filium ſuũ propitiationem pro peccatis noſtris: chariſsimi, ſi ſic dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Certè, ut mihi uidetur, ſola dilectione diſcernimur, utrum ueri ſimus diſcipuli Chriſti: ſiquidem nouum hoc de dilectione præceptum ille dedit, necnon factis expreſsit, quàm magnum opus Dei ſit mutuus ſuorũ amor. Rex enim cum eſſet omniũ, cùm cœleſtis & ſuperbenedictæ naturæ, hoc eſt (ut cum Apoſtolo loquamur) in forma Dei, hominem, propter præcepti tranſgreſsionem reiectum, uſque adeò non eſt auerſatus, ut etiam hominum conſortio ſeſe immiſcuerit, propter i
Philip.2. pſos factus homo. Nec tantum cùm in forma Dei eſſet, in ſimilitudinem hominum factus eſt, ſed etiam morbis affectos reſtituit, ipſiſque cœlum annunciauit. Et quid dico? hunc illi apprehendentes ligauerunt, flagellis cęciderũt,
Luc.23. denique crucifixerunt. At uerò nec ſic alienatus eſt eos, quin in ipſa tum cruce pedens, Pater (dixerit) dimitte eis, quia neſciunt quid faciunt. Nonne ex
Ibidem. charitate? Nemo enim aduerſus eum inimico animo eſſe poteſt, pro quo obſecrationes facit, ut uult Chryſoſtomus. Et qd amplius? nõ ne latronẽ poſtea inducit in paradiſum? Paulũ deinde perſecutorẽ ſuũ, Apoſtolũ facit, qui hæc de ſeipſo

de ſeipſo fatetur, & ait: Blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, & non ſum dignus uocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Quæ omnia in exemplum ducta ſunt, ut charitatem conſectemur & nos. Deinde non decet, quos Dei bonitas æquauit, quos ipſe Deus non aſpernatur ut filios, homo ſuæ cōditionis oblitus fratres ſuos & ſorores dedignetur. Omnes ſumus ex uno patre Adam. imò dicente Apoſtolo: Non eſt Iudæus neq; Gręcus, non ſeruus neque liber, ſed unum omnes in Chriſto Ieſu. Galat. 3. Quis igitur infirmatur, & non omnes infirmamur, ita ut alter alterius onera portemus? Cui idcirco moleſtum erit alijs inſeruire? quemadmodū nec Chriſtus uenit ut ſibi miniſtraretur, ſed qui miniſtraret. Quis quoq; nō libentiſsimè ſuam ſubſtantiā alijs impendet, de quo præclarè Chryſoſtomus: Diuinitùs eleemoſyna (inquit) pręcepta eſt: potuit enim Deus ſine hoc pauperes nutrire, ſed ut nos charitate ligaret, mutuoq; amore accenderet, nobis egenos nutriendos reliquit: Pauperes, dicens, ſemper habebitis uobiſcum. Et Auguſtinus de eo quod dicitur, Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: adducit Eſaię uerba ex cap. 58. & ait: Perfecta miſericordia eſt, ut antè occurrat eſurienti cibus, quàm roget mendicus: cuius equidem nos memores eſſe oporteret, pręſertim cùm ſancti Apoſtoli inanem omnē fidem pronuncient, niſi accedant pietatis atq; charitatis opera. 1 Corinth. 13. Gal. 5. 1 Ioan. 3. Eſt quoq; eū in modum diligendus proximus noſter, ut quemadmodum Chriſtus pro nobis animam ſuam poſuit, dicēte Petro, ita & nos pro fratribus animas ponamus noſtras: quod ut ex æquo omnes nos tangit, præcipuè tamen ſuperioribus dictum eſt. quibus proinde ſubiectos nos eſſe Scriptura iubet, dicens: Subiecti eſtote propter Deum, ſiue regi, quaſi præcellenti, ſiue ducib. tanquam ab eo miſsis, ad uindictam malorum, laudem uerò bonorum. 1 Pet. 2. Et alio in loco: Obedite prępoſitis ueſtris, quoniam ipſi reddituri ſunt rationem pro animabus ueſtris. Heb. 13. Attendant igitur, quos Spiritus ſanctus poſuit ut rectores. Bonus paſtor ponit animam ſuam pro ouibus ſuis: aliàs uerus paſtor requirit oues ſuas. Ezech. 34. Ita ſanè charitas præſtantiſsimū donum erit. Vbi charitas eſt, ibi ſunt omnia bona. Si mutua charitate nos omnes complecterentur, quis quæſo iniuriæ locus? ubi cędes, rapinæ atq; fraudes? Mala iſta omnia protinus eliminarentur: non pœnis, non re huius mundi ulla opus fuerit. Sequuntur: *Qui es in cœlis.* Compertum eſt, gentes quoq; patres habuiſſe, ut Iouem, Neptunum, Liberum, & alios homines parum pudicos: quemadmodum teſtantur Lactantius Firmianus & Athanaſius: hos Deos exiſtimauerunt, eo quòd hominibus utiles fuiſſent: ut Iupiter, quia figulinā artem inuenit, Neptunus gubernatoriam, & Lyęus uinum, dulciſsimū homini potū. Et quid mirum? cùm homines in denſiſsimis errorum & ignorātiæ tenebris detinerētur, quibus illudebat ſatanas hoſtis infenſiſsimus maieſtatis Dei. Deus ergo noſter in cœlis eſt, ipſo dicente: Cœlum mihi ſedes, terra autem ſcabellum pedum meorum. Et uerus ipſe Pater noſter. licet enim progenitores horum corporum patres dicantur, de quibus dicitur, Filij obedite parentibus ueſtris in Domino, hoc enim iuſtū eſt: Honora patrem tuum & matrē tuam, ut bene ſit tibi, &c. tamen ueri patres nunquam erunt, eo quòd non queunt ſibi opem & ſubſidiū adferre, quo egent: humo contecti putreſcunt, uel etiamnum reptant graui corporis ſarcina oppreſsi, ac miſerabiles: à quib. dimanat in nos malitia, infirmitas, & miſeria omnis. Olim ſenatores Patres dicebātur, qui cura, functione, atque adminiſtratione publica proderant Reipublicæ. Sic Romulus cētum pręfectos habuit, quos ab ætate Senatores, & à cura Patres uocauit. Sed nihil ad hunc patrem qui in cœlis eſt, qui per ampliſsima ſua munera, ad filialem dignitatem nos uocat & inuitat: à quo ut uero patre, potentia, bonitas, & beatitudo eſt. De quo Apoſtolus: Omnia (inquit)

1 Tim. 1.
Eſa. 66.
Eph. 6.
Phil. 4.

2 Corin.1. quit)poſſum in Deo, qui me corroborat. Quemq; uocat Patrem miſericor-
diarum, & Deum totius conſolationis, qui conſoletur nos in omni tribula-
tione noſtra. Bene igitur Chriſtus dixit: Nolite patrem uocare ſuper ter-
Matt.23. ram, unus enim pater ueſter in cœlis eſt: uerum & perfectiſsimum patrem in-
ſinuans, atq; nobis commendans. Vbi etiã uidere poſſunt, qui patrẽ ſuũ pu-
tant eſſe diuitias in arca, aut in poſſeſsionibus collocatas, obnoxias quidem
Matt.6. mille caſibus & periculis. quibus dicitur: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt &
cor tuum, &c. Radix omnium malorum eſt cupiditas. 1 Timoth.6. Item qui
gratiam principum ſummè expetunt, inq; eam omnem ſpem ſuam quaſi col-
locant: quum nihil ſit illis inſtabilius, ut hominum & natura mortalium, &
Pſal.145. potentia infirmorum, & uoluntate mutabilium. unde Propheta: Nolite (in-
quit) confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. Por
rò quanquam cœli Dei patris noſtri ſint omnes ſancti, quorum mens cogita
tus, ardor animi, uota & deſideria ſunt apud Deum, in quibus proinde tan-
2 Cor.6. quam tẽplo ſancto ſuo habitat Deus, quos ipſe ſummo fauore complectitur,
Pſal.18. illis charitate coniunctus atq; unitus: de quibus dicitur, Cœli enarrant glori-
am Dei. Sunt etiam cœli, ſancti Dei, iam eò recepti, ubi unum cum Deo com
municatione ſuæ beatitudinis ſunt in illa æterna patria, ad quam anhelans i-
Philip.1. pſe Paulus: Cupio (dixit) diſſolui, & eſſe cum Chriſto. & Stephanus iam iam
Act.9. occubiturus: Domine ſuſcipe ſpiritum meum. Attamen per cœlos hîc intel-
ligimus firmamentum, quod à D. Hieronymo in tres cœlos diuiditur. Pri-
mùm cœlum dicit eſſe trinitatis, ſecundum angelorum, tertium uerò firma-
mentũ ſtellatum. Cùm igitur dicimus, Pater noſter qui es in cœlis, intelligi-
mus ſedem Dei in cœlis fixam, propter excellentiam loci. Deus licet ubiq;
ſit, tamen in cœlis diuinitatis maieſtas magis relucet: qui etiam forma & de-
Pſal.138. core ſuo, tum ordine ſtato, enarrant ſublimitatem eſſentiæ Dei, amplitudi-
nem potentiæ, & immortalitatem naturæ. A' magnitudine enim creaturę po
terit creator horum uideri, & ex narratione firmamenti, oſtenditur potentia
atq; ſapiẽtia motoris. Ipſe item Deus qui ubiq; eſt, ſemper nobis in cœlis eſſe
dicitur: ut patrem noſtrum illic eſſe ſciamus, & ibi paratum nobis refugium,
quò nec fraus ulla penetrat, ſed ſecura ſunt ac tuta omnia, ubi etiam ſit hære-
ditas noſtra & felicitas. Quid in terra, niſi id quod illa ſuapte natura profert?
uidelicet morbos, curas, ſollicitudines, ærumnas, cruciatus: ut ueriſsimè dixe-
rit ille, Vita hominis militia eſt ſuper terrã. Et rurſum: Homo natus de mulie-
Iacob.7.& cap.14. re, breui uiuens tẽpore repletur multis miſerijs. Nam (ni fallor) ſumus hic in-
ter medias tempeſtates & fluctus calamitatũ omniũ ac miſeriarum ingentes,
quæ mala cœli ambitu ſuo tegunt, arcent uniuerſa: qui proinde meritò dici
poſſunt ſedes excellentiæ Dei, & regalis locus, ad quẽ nullus labor, nulla mo
leſtia pertingere poteſt, quia ibi ſempiterna bona ſunt, iuxta illud Ioannis:
Apocal.21. Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorũ, & iam non erit am-
plius neq; luctus, neq; clamor, nec ullus dolor, quoniam priora abierunt. De-
mũ in cœlis pater noſter eſſe dicitur, nõ quòd ibi totus cõcludatur, ſed ut per
hoc à terrenis reb. animus abducatur, & ſupernis affigatur habitaculis. Vult
enim cœleſtis pater, docente Chryſoſtomo, filios habere ab omni re munda-
na alienos, & qui ipſum ſolum quærant, inuocent ac colant. Hinc quoq; Apo
ſtolus Coloſſenſibus ſcribẽs, ad ſuperna erectos illos uoluit: Si (inquit) ſurre-
xiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite, & non
quæ ſuper terrã: quaſi neceſſe eſt ut uos cum Chriſto, ubi ille aſsidet patri ad
dextram, diuerſemini. Eſtis mortui inferioribus hiſce rebus, in ſupernis eſt ui-
ta: itaq; cœleſtia ſapite. Coloſſ.3. Dicamus ergo, O' pater noſter, erige nos ad
cœlos tuos: inijce noſtris pectorib. ardorem, ut bona tua toto cõcupiſcamus
animo, tota itẽ ſequamur uolũtate. Homo enim carnalis nõ ſapit ea quæ ſunt
ſpiritus,

ſpiritus. Spiritus quidem promptus eſt,ſed caro infirma. Hoc nobis dones
Pater,ut tui cœleſtes filij eſſe poſsimus, qui præter animæ ſalutem & cœleſtē
illam hæreditatem nihil ſpectemus. Demum cùm Chriſtus orare docuit, Pa- Matt. 6.
ter noſter qui es in cœlis:indicauit non ſolùm ſedem ſuam, uerumetiam po-
tentiſsimum ſuum regnum,ubi regnat & æternaliter uiuit. Eſa.66. Quod ma-
ximè nos ſolari poteſt.nam ut Deus quieſcat in ſeipſo,Chriſtus tamen ibi cor
pore ſedet clarificato. Exiuit enim per generationem ab æterno,& per incar-
nationem in tempore: reliquit mundum per mortem, & iuit ad Patrem in a-
ſcenſione. Actorum 1. Ab eo iam loco proſpicit & cognoſcit Chriſtus, quid
deſit nobis filijs ſuis,ut ſuccurrat in neceſsitate conſtitutis,atq; laborantibus.
Ait enim: Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantis uteri ſui? Ego tamen tui
non obliuiſcar Iſrael. Eſa. 49. Et alibi: Non relinquam uos orphanos. Ioan.14.
Vnde commouetur ille noſtris preculis amabilibus multum, ita ut quęrendò
dicat: Quid petitis filioli mei? exponite quid uobis deſit, & ego exaudiā uos.
Eſa.56. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiā uos.
Matth.11. *Sanctificetur nomen tuum.* Cuiq; nomen eſt, atq; apta illius uis declara-
tur,& ingenium. Quis autem congruens indet nomen Deo patri,cuius ma-
gnitudo & infinitas mentes omnes tranſcendit? Vnde Moſi interroganti no
men Dei,ab ipſo Deo dictum eſt, Ego ſum qui ſum: quibus uerbis ſignifica-
re uoluit Deus æternitatem & immutabilitatem ſuam. Exo.3. Et rurſum cùm
iam ſeſe manifeſtaturum Iſraeli polliceretur, Ego ſum (dixit) Dominus qui Exod.6.
apparui Abraam, Iſaac & Iacob, in Deo omnipotente, & nomē meum Ado-
nai non indicaui eis . ueluti diceret, tanquam maius, quàm poſsit humanus
captus percipere. Eſt igitur nomen patris illius noſtri in cœlis habitantis,quo
utcunq; cogitationibus noſtris exprimitut ipſe, uel potentiæ conſideratio-
ne: ut cùm dicitur omnipotens, immortalis, rex & Dominus uniuerſorum:
uel probitatis, ueluti iuſtus, optimus, beatus, ſeruator, &c. Et illud ſanctificari
petimus, non quidem ut ſanctitas aliqua maieſtati tam diuini & inexplica-
bilis nominis accedat, quod pet ſe ſanctiſsimum eſt, & benedictum in om-
nia ſecula: ſed ut ea ſanctitas, quæ tanto nomini ante ſecula eſt inſita, in crea-
turis reluceat & ſanctificetur: ut omnia (dicento Apoſtolo) fiant in gloriam
Dei, flagrantibus deſiderijs optamus, ut adorandi nominis gloria cœlum & 1 Cor.10.
terram impleat, & omnis creatura tremat ineuitabilem Dei potentiam, ue-
neretur æternā Dei ſapientiā, & amet ineffabilē Dei bonitatē . Ad hoc ſiqui-
dem homo creatus eſt, ut ſit in laudem & gloriam ipſius creatoris Dei: quod
etiam ethnici intelligentes, cecinerunt: Pronaq; cùm ſpectent animalia cæte-
ra terram, Os homini ſublime dedit, cœlumq; uidere. Videmus quàm geſti-
ant gaudio filij, ſi contingat aliquis egregius honos his unde prognati
ſunt : rurſum quàm mœrent, ſi quid ignominiæ contingat inuri nomini
paterno. Sic nos ex uehementi pietate, ardentius ſitimus Dei nominis
gloriam : ac diſcruciamur unicè, ſi (cui ſoli debetur gloria) ignominia
afficiatur. Non quòd ullo probro poſsit inquinari ſuæ gloriæ ſplendor:
quemadmodum ſol ipſe, cùm perluſtrat ſuis radijs loca fœtida, non tamen
coinquinatur : ſed quo ad nos iam quodammodo fit iniuria nomini Dei,
cum gentes uel ignorato Deo, uel contempto rerum omnium condito- Cyprianus ad-
re, uenerantur & adorant contemptiſsimas creaturas : ueluti ſaxeas, uel uerſus Deme-
ligneas, aut coloribus fucatas imagines, boues, arietes, ſimias, porrum, trianum.
cepe, & in his omnibus impuros dæmones: quibus ueluti dijs canuntur hym
ni, immolantur uictimæ, & incenduntur thura. Quis (inquit Athanaſius) nō
miſeretur illorum amentiam : quòd uiſu præditi non uidentes adorant, audi-
entes non audientibus ſupplicant, quos ipſi cuſtodiunt, eis quaſi Dominis
ſeruiunt? Hęc ille. Cùm igitur ut filij ueri Dei ac patris noſtri, hęc & eiuſmodi

conſideramus, diſcruciamur ualde: primùm, Deus pater debita gloria & honore proprio fraudatur: deinde, quòd illi, ut homines ad imaginem Dei facti, tam miſerè pereunt ſua dementia. & proinde oramus & obſecramus, dicentes: Pater ſanctificetur nomen tuum. hoc eſt, O' Pater, nomen tuum quod in ſe ſanctum, glorioſum, admirabile, & maieſtate plenũ eſt, glorificetur, ſanctũ & celebre in omnibus gentibus fiat. Alleua manum tuam ſuper gentes quæ non exquiſierunt te, ut cognoſcant quia non eſt Deus niſi tu: ut enarrent magnalia tua, ut uideant potentiã tuam. Sicut enim in conſpectu eorum ſanctificatus es in nobis: ſic in cõſpectu noſtro magnificaberis in illis. Omnes gentes, quaſcunq; feciſti, ueniant & adorent te, & glorificent nomen tuũ, quoniã magnus es, & faciens mirabilia. Hæc eſt uita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Fiat ergo, ut filius tuus Ieſus Chriſtus tibi coæqualis & coæternus, omnib. cognitus ſit, omnibusq; charus. Hæc equidem ut oremus, omnino neceſſe eſt, Patrem: qui omnes uult ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Nam Iudæi non quidem deſinunt in ſynagogis ſuis uenturum Chriſtum prędicare, in cuius aduentu ſpem ſuam collocãt: & proinde noſtrum Saluatorem Nazarenum abominãdis probris afficiunt, probri loco impingentes glorioſum illud cognomen filij Dei: unde etiam exprobrant crucem, quæ noſtra eſt gloria. Cùm autem illi ſint genus electum, quibus promiſsio facta fuit: meritò deprecamur, ut miſereatur & iſtorum clementia Dei patris: ut illi relicta ſuperſtitione legis, Spiritu ſancto edocti, ſic agnoſcant Deum, ex quo omnia: & cognoſcant filiũ, per quem omnia: & demũ ſpiritum ſanctũ, diuinæ naturæ conſortẽ. In tribus perſonis adorent eandem maieſtatẽ, & in ſimplici eſſentia agnoſcãt triplicem perſonarũ proprietatem. De filio apud illos ingens altercatio eſt: at reuera Chriſtus Deus & homo eſt: homo per fragilem naturam, de quo Propheta: In terris (inquit) uiſus eſt, & cum hominib. conuerſabatur Deus. quia alius Propheta Patrem dixiſſe refert: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et ut homo ſit, Dei tamẽ uirtus in eo, ex operibus quæ fecit apparuit. quemadmodũ audierunt olim: Si mihi non uultis credere, credite uel ſaltem operibus. &, Si non facio opera patris mei, nolite credere, &c. Mentiuntur, inquit, fortaſſe literæ ſacræ. Quid quòd Sibyllæ docuerunt monſtroſa quædam miracula Chriſti, Cicerone & Varrone teſtibus: quæ cùm nemo intelligeret, pro deliramento habita ſunt? Vide Lactantium. Et ſic omnis natio, omnis lingua, omnis ſexus, omnisq; ætas, ubiq; conſentiant in gloriam & laudem ſanctiſsimi nominis Dei. Non enim ſatis eſt, quòd patris noſtri cœleſtis nomen per ſe ſemper & in ſempiternũ ſanctũ eſt, à quo ſanctificamur & nos. Exod. 31. Videte ut ſabbathũ cuſtodiatis, quia ſignũ eſt inter me & uos, & ſciatis quia ego Dominus qui ſanctifico uos. Sed neceſſe eſt quoq;, ut in ſuis creaturis ſanctũ appareat, & hoc propter ſummam atq; eximiam maieſtatem. Quemadmodum igitur orandũ eſt nobis, ut gentes, quæ ignorato Deo nos infeſtant, & (iuxta Dauidem) ueniunt in hæreditatem Dei, & polluunt ipſius nomen, conuertantur, relictis erroribus ſuis: & Iudæi ab impia ſua ceſſent blaſphemia, accipiant fidem, & ad agnitionem ueritatis ueniant: Ita nimirum quoq; obſecramus, ut qui illuminati iam ſumus per ueram fidem & uitæ noſtræ innocentiam, glorificemus ſanctum nomen Dei, ut fructus fide dignos proferamus: alter alterius onera portet, ut ex mandato nouo quod Chriſtus dedit, inuicem diligamus, & feramus ſuppetias: ne quando dicant gentes, Vbi eſt Deus eorum? ualeat ille, qui tales habet cultores. Vnde diuus Petrus ueram Chriſtianorum conuerſationem paucis uerbis complectens, ait: Dominum Chriſtum ſanctificate in cordib. ueſtris. 1 Pet. 3. quaſi corde & animo, opere & ueritate prædicare oporteat, quàm glorioſus ſit Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cùm era-

Ioan. 17. — Vocant Chriſtum Tola. ein erhenckten ſchecker. — Baruch 3. — Pſal. 2. — Ioan. 10. — Lib. 4. cap. 15. — Pſal. 87.

cùm eramus mortui delictis, conuiuificauit nos in Chriſto dilecto filio ſuo, de quo omnes Prophetæ teſtati ſunt. Ergo prophanatur ac dehoneſtatur nomen Dei, quando uerbum Dei nõ docetur purè, & tractatur ſinceriter: cùm ficta ac falſa doctrina laudatur & glorificatur, acſi eſſet ſanctum Dei uerbum, cùm ſit impoſtoris ſatanæ mendacium, & uenenum eius cum Chriſti melle oblinitum. Ea de cauſa Chriſtus dixit: Attendite à falſis prophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouium, intus autem ſunt lupi rapaces. Deinde etiam blaſphematur nomen Dei longè auguſtiſsimum inter nos, cùm uerum uerbum de Chriſto perſequitur: qui enim Chriſti doctrinam tãquam uanam ſpernit, ſpernit & ipſum Chriſtũ qui eam nobis tradidit, quæ eſt ſumma blaſphemia: quoniam Deum, qui uerax eſt, mendacem facit. Sic enim ait Chriſtus: Sermonẽ quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me Patris. Idem faciũt, qui nihil pati uolunt propter uerbum Dei, ipſum Chriſtum indignum iudicantes, quem confiteantur coram hominibus. quod uel inde conijci poteſt, quia Chriſtus dixit: Beati qui perſecutionem patiũtur, propter iuſticiam. Demum quemadmodum gloria Patris eſt filius ſapiens, ita filij degeneres ignominiam conciliant parentibus ſuis. Sicut ergo Deus perfectiſsimè glorificatus eſt in filio ſuo Chriſto, de quo proinde dixit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ita in nobis uult glorificari, filijs ſuis adoptiuis. Glorificatur autem, ſi mundus conſpicit nos uiuere iuxta filij Dei doctrinam, nimirum ut conuerſationem habeamus bonam. Docuit enim ille dicens: Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent Patrem qui in cœlis eſt. Et alibi, cùm interrogaretur de magno mandato legis: Diliges (dixit) Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum tuum ſicut teipſum. Et rurſum: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit regnum cœlorum: ſed qui facit uoluntatem Patris mei qui in cœlis eſt. Quibus omnib. admonuit, ut caſtis & inculpatis morib. gloriã Patris illuſtremus. Quapropter ſummũ dedecus inuehũt gloriæ Dei, qui cùm Chriſtiani uocentur, ethnicis tamen peiora quaſi perpetrant facta: uarijsq; uitijs ſeſe immergunt & cõmaculant. Cùm enim gẽtiles ipſi, ut Sarraceni, in die quinquies orẽt, & in anno mẽſem integrũ ſtrictiſsimè ieiunent, interdiu nec comedentes, nec bibẽtes, hoſpitalitatẽ exerceãt, pauperes peregrinos recipiendo: ob prauam uitã noſtrã malè de pietate Dei ſentiũt, Deum ex ipſius cultorib. æſtimãtes: quemadmodũ & Iudæi, dum uident quàm minimè nomen conueniat rei, ut ſimus reipſa quod uerbis profitemur, mirum in modum ſcandalizantur. Qui proinde omnes (iuxta Chriſti dictũ) iudices noſtri erunt. Meritò in tam malos Chriſtianos competit, quod Ezechiel de Iudæis dixit: Polluerunt nomen ſanctum meum. cap. 36. Tu igitur Ieſu Chriſte fili Dei uiui, quia ſine te nihil poſſumus, fac ut uitam noſtram mundam ſeruemus: reluceat in moribus noſtris, non minus quàm in angelis, cæterisq; rebus abs te conditis, tui nomtnis gloria: ut qui te non norunt, exemplo noſtri commoti, & ſuam agnoſcant turpitudinem, & tuam admirentur benignitatem: & hac ratione conuerſi ſimul nobiſcum glorificent ſanctiſsimum nomen tuum, atq; Patris tui, necnon ab utroq; proficiſcentis Spiritus ſancti: quia uobis ex æquo debet omnis gloria nũc & in diem æternitatis. *Adueniat regnum tuum.* Sicuti nomen Dei ſanctificari poſtulauimus, ita etiã regnũ Dei repreſentari nobis petere iubemur. Sed quando non Deus regnat? aut apud eũ quãdo incœpit, quod ſemper fuit, & eſſe nõ deſinit? dicente Propheta: Regnũ tuum, regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem. Quem & diuus Apoſtolus proinde regem ſeculorum appellat, Regem regum, & Dominum dominantium. In primis ergo petimus his uerbis, ut Adueniat regnum gratiæ ſuæ, ut ipſe in nobis regnet

Mat. 7. Ioann. 14. Matt. 5. Matt. 3. Matt. 5. Matth. 22. Mat. 7. Pſal. 144. 1 Tim. 6.

biſregnet benigniſsimè, eiectis hoſtibus, mundo uidelicet, ſatana & carne: ut mundo ignoranti manifeſtum fiat, quomodo lux uenit in mundum: ut diſcuſsis errorum tenebris illuminemur, quemadmodum Chriſtus oſtendit di-
Luc.17. cens, Regnum Dei intra uos eſt: regnum Dei, hoc eſt ſalutem omnib. iam appoſitam eſſe ſignificans. Quemadmodum ſol ipſe licet ſemper præſens ſit, cæcis tamen eſt abſens: ita infidelibus ac ignorantibus, regnum Dei concluſum & coopertũ eſt tandiu, donec illuminentur & reſipiſcant. Pater cœleſtis, olim per Prophetas ſpiritu afflatos pollicitus eſt, ad ſalutem humani generis,
Eph.2. regnum ſpirituale: quo in ſe renatos aſſereret in libertatem, exemptos à tyrannide diaboli, qui iampridem regnabat in hoc mundo peccatis obnoxio: & ad hoc regnum aſſerendum, filium ſuum unigenitum miſit è cœlis in terras. Is ut nos morte ſua redemptos, è ſeruis diaboli redderet filios Dei, Euangelicam doctrinam ſolitus eſt appellare Regnum cœlorum. Sic nanq; ſcriptum
Mat.4. eſt: Cùm audiſſet Ieſus quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſsit in Galilęã, & cœpit prędicare, & dicere: Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnũ cœlorum. Optamus igitur, ut hoc regnum indies magis ac magis ſeſe proferat, & quotidie latius propagetur in terris. Deinde quandoquidem mundus hic
Rom.7. omnibus machinis oppugnat filios Dei, mortali corpore onuſtos: adhuc enim humanæ cupiditates, ueteriſq; peccati reliquiæ, rebellionem moliuntur aduerſus ſpiritum, & adhuc noxij ſpiritus, quos Deus è ciuitate ſua diſturbauit, igneis telis nos impetunt, quemadmodum Apoſtolus docet, dum ait: Ca-
Epheſ.6. ro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, hæc ſibi inuicem aduerſantur, &c. Galat.5. Et, Induite uos armaturã Dei, ut poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinem tantùm, ſed etiam mundi rectores. Idcirco ardentib. uotis flagitamus, ut omnipotens Pater noſter, quos ſua pietas ſemel à peccati tyranni-
Regnum ſpiritus ſancti. de liberauit, & ſuo regno aſcriptos eſſe uoluit, hos perſiſtere ſuæ pietatis beneficio faciat: ne quiſquam ab eo & filio ſuo deficiens, reuoluatur in diaboli laqueos, atque tyrannidem: quod equidem fit, ſi eiecto ſpiritu maligno, ſpiritus ſanctus habitet in nobis. Nam ille ſpiritus cœleſtis uicit impium ſpiritum huius mundi principem, quando Chriſtus mortem moriendo deſtruxit, & uitam reſurgendo reparauit. Eum autem bonum ſpiritum largitus eſt, ac
Ioan.14. dedit ſuis ſanctis. dixit enim: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiſcum in æternum. Non enim illi ſuis uiribus aut præſidijs uicerunt tyrannorum ſæuitiam, aut huius mundi malitiam: ſed ſpiritus Dei, quem ipſis impertitus eſt, omnia hæc cœpit & perfecit. Inquiramus (ait Auguſtinus) quid adiectum Apoſtolorũ perfectioni, per participationem Spiritus ſancti: erat in eis fides, ſed fiduciæ cõſtantia deerat. Iam quidẽ Chriſtum prædicare poterant, ſed adhuc pro Chriſto uſq; ad mortem certare non poterant: unde nullus ex diſcipulis, ante aduentũ ſpiritus ſancti martyrio co-
Matth.14. ronatus eſt. Ante ſpiritum ſanctum dicebant, phantaſma eſſe Chriſtum: poſt
Ioan.1. miſsionem uerò ſpiritus ſancti dicũt, In principio erat uerbũ. Sub crucis Dominicæ tempore effugiunt, uoce ancillę terrentur, & Dominum negant: poſt illuſtrationem autem cuſtodijs excruciati, uerberibus afflicti, ibant gaudentes, quia digni eſſent pro Chriſti nomine contumeliam pati, & mortem ſubire turpiſsimam. Hactenus ille. Quæ uerba ſi latius explicare uolumus, profectò ueriſsima eſſe intelligemus. Nónne mutifariàm multiſq; modis (ut ait
Heb.1. Apoſtolus) locutus eſt Dominus olim in Prophetis? nouiſsimè autẽ locutus eſt nobis in filio ſuo, quem conſtituit hæredem uniuerſorum. Erat quidem lex per Moſen data, quem nouerat Deus præter omnes: ſed illa neminem iuſtificabat, neminem ad perfectionem ducebat. Igitur cùm eſſemus cruciatibus & pœnis æternis obnoxij, cùm nulla nobis ſpes ſupereſſet, & diuina
munera

munera defeciſſent, apparuit gratia Saluatoris noſtri: ipſe erudiens nos, &
baptizans in ſpiritu ſancto & igni, in ipſum cœlum adduxit, ſicut Scriptura
dicit: De plenitudine eius accepimus omnes, gratiam pro gratia. Prode- Ioan.1.
ant itaque Petrus & alij, & fatebuntur, ſe nihil unquam fuiſſe aliud, quàm
infirma uaſa & figmenta figuli, donec Chriſtus, ſpendor paternæ gloriæ, pur-
gationem peccatorum faciens, largitus eſt illis gratiam & ſpiritum ſanctum. Matth.26.
Qui enim ad uocem ancillæ territus, dixerat ſe Chriſtum non nouiſſe, iam
intrepidus ſtat & loquitur magnalia Dei, & ait: Certiſsimè ſciat omnis Iſrael, Act.2.
quia & Dominum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem uos crucifixi-
ſtis. Idem ſpiritus confortando effecit, ut uſque ad mortem à fide nullate-
nus defecerint cæteri quoque Apoſtoli, atque plures alij, ut Geruaſius, Pro-
thaſius, & Cyprianus: qui cùm ex iuſſu Galerij ſacrificare idolis nollet, gladio
animaduerti iubetur. Is cùm ſe proſtrauiſſet in terram, orauit cum lachrymis,
& (ut ſcribitur) ſententia recitata eſt, Cyprianus gladio feriatur: & ille reſpon
dit, Amen: atq; ceruicem obtulit gladio. Porrò eſt quoq; regnum gloriæ &
maieſtatis, quod omnib. fidelibus paratum eſt ab origine mundi, iuxta illud:
Fulgebunt iuſti in regno Patris mei ſicut ſol. Mat. 13. Illud eripiet eos à malis
omnib. præſentib. & futuris, & pereptis omnib. ſollicitudinib. & mũdi huius
illecebris, hoſtiſq; ſatanæ terriculamẽtis uictis, in ſedẽ quietis reponet. Ibi e-
rit iucunditas infinita, atq; ſempiterna beatitudo, quam qui ſemel adipiſcitur,
ſemper tenet: ibi inenarrabilia cum angelis ſempiterna præmia à Chriſto tri-
buentur, quæ oculus non uidit, nec in cor hominis deſcenderũt. 1 Cor. 2. Vbi Luc.12.
Deus ipſe tranſit & miniſtrat ſuis. Hoc autem regnum in fine ſeculorum ex-
pectandum eſt, cùm ueniet Ieſus Chriſtus rex gloriæ, omnium iudex iuſtus
& terribilis. Ad cuius tribunal nos omnes ſtare oportet, ut actæ uitæ redda-
mus rationem ei quem nil latet, qui in frontibus noſtris omnia noſtra ſcele-
ra & commiſſa quaſi ad oculum depicta uidebit: ut propria ſententia mali
ſeipſos damnent & perdant, atque in ima tartara, ſine ſpe ad ſuperos redeun-
di, ſeipſos dent pręcipites. Cùm enim uenerit filius hominis (dicente Scriptu Mat.25.
ra) in ſede maieſtatis ſuę, & omnes angeli cum eo cõgregabũtur ante eum o-
mnes gentes, quib. ipſe dicturus eſt: Ecce ego propter uos homo factus ſum
deluſus, cæſus, & crucifixus. Ecce precium ſanguinis mei, quem effudi in re-
demptionem animarum ueſtrarum. Vbi fructus tantarum iniuriarum? Vbi
equidem conſcientiæ ſingulorum erunt quaſi libri. Rom. 2. Et ſtabunt iuſti
in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, hoc eſt impios, qui
turbabuntur timore horribili, & dicent: Quid nobis profuit ſuperbia & ia-
ctantia diuitiarum? &c. Sapien. 5. Quoties (inquit Hieronymus) diem illum
conſidero, totus contremiſco. ſemper ſonet in auribus meis illa terribilis uox:
Surgite mortui, uenite ad iudicium. Cùm ergo oramus dicentes, Adueniat re
gnum tuum: optamus unicè tempus illud alacri animo, hoc filij Dei tribu-
nal & magnum iudicij diem ſuſpirantes & expectantes, ut malis omnibus
purgati, redemptionem noſtram adeſſe uideamus. Hoc eſt regnũ Iſrael, quod Acto.1.
diſcipuli maturè reſtitui poſtulabãt, dicẽtes: Domine, ſi in tẽpore hoc reſtitu
es regnũ Iſrael? Porrò quãuis noſtrũ non ſit noſſe tẽpora uel momenta, quæ
Pater in ſua poteſtate poſuit: ſigna tamen Chriſtus magnum illum iudicij
diem præceſſura dedit, ut ſciamus quando propè ſit regnum: & fecit ſimi-
litudinẽ de ficu & reliquis arboribus, quæ poſtquàm gemmas emiſerint, ſci-
mus inſtare æſtatem. Sic & uos, inquit, cùm hæc ſigna uideritis, ſcitote quòd
inſtet regnum Dei. Luc. 21. Et licet malis dies illa terribilis futura ſit, Chriſtus Mat.25.
nanq; dicturus eſt illis: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui para
tus eſt diabolo & angelis eius: qui & præ anguſtia ſpiritus gementes dicent,
Errauimus à uia ueritatis, & laſſati ſumus in uia iniquitatis & perditionis: lon

gè tamen

gẽ tamen aliter ſeſe habebit cum filijs Dei, quoniam illis hic dies lætiſsimus
erit. Cùm enim uox archangeli corpora eorum excitabit (cogetur nanq; terra
reſtituere quod excepit, & ad incorruptionem transformabitur potẽtia Dei,
qua illud conditũ eſt) tum leuabunt illi capita ſua, & audient iucundiſsimum
Matt.25. illud, Venite benedicti Patris mei, & cætera. Habitantes igitur in hoc exilio,
grauati domicilio terreni corporis, obnoxij multis incommodis, diſtrahimur
à conſortibus Patris noſtri. ingemiſcimus itaq;, atq; cupimus diſſolui, & eſſe
2 Cor.5. cum Patre, ut (dicente Apoſtolo) diſſoluta domo noſtra terreſtri, ædificatio-
nem ex ipſo habeamus, domum non manufactam, ſed æternam in cœlis, ubi
Deus omnia in omnibus. Nam Paulus ad Heb.11. ſanctos quidem uiciſſe di-
cit, ſed nondum accepiſſe promiſsionem. imò expectare nos, ut inter epulas
illas gaudio ineffabili expleamur, iuxta illud: Beati qui ad cœnam agni uoca-
ti ſunt. Hinc quoq; iugis illa & aſsidua (Athanaſio docente) ſanctorum inter-
ceſsio apud Deum pro nobis. Pro hoc autem regno, rogãdi fiduciam præbet
benignitas Dei, qui in hoc ipſum filium impendit, & dedit ſpiritum ſuum,
uelut huius hæreditatis arrabonem, quo conſtanter perſeueremus, ut ipſe fi-
lius ſit redemptio noſtra. Verùm quia nemo nouit diem hũc niſi ſolus Pater,
Luc.12. uigilare nos iuſsit Chriſtus, exemplo boni patrisfamiliâs, & frugi ſeruorum:
Eſtote (inquiens) parati, quia qua hora nõ putatis, filius hominis ueniet. Mul
ta quidem ſigna uidemus prædicta à Chriſto. Nam quando interrogabant
eum diſcipuli, ſecretò dixit eis: Multi uenient in nomine meo, dicentes, Ego
ſum Chriſtus: & multos ſeducent. cõſurget gens in gentẽ, & regnũ aduerſus
regnũ, &c. quæ ſi ad amuſsim examinare uoluerimus, certè ubiq; quaſi iam
impleta cõſpiciemus. Quando enim à tẽporib. naſcentis Eccleſię cruentiora
bella inter Chriſtianos, ſeditiones peſtilẽtiores, & reges cõtra reges atrocius
inſurrexerũt? Vt taceã de peſtilẽtia, fame, atq; uarijs de fide ſectis ut hic uoce
tur Papiſta, alius Lutheranus, alius Sacramẽtarius, alius Anabaptiſta, nõnulli
uerò noui Libertini dicũt, & quidã alij Dormitãtes uel Somniatores: ut timẽ
dũ ſit, ne acerbiores Arrianis futuri ſint, qui cùm Chriſtũ ab ineffabili eſſen-
tia Dei Patris ſepararẽt Cõſtãtio ipſis fauente, eò miſeriæ res redijt, ut in Ec-
cleſijs clerici paſsim trucidarent. Verùm adhuc tamẽ nemo audet affirmare,
diẽ adeſſe ſupremum. ſiquidẽ ille dixit, hæc initia eſſe dolorũ. Conſultiſsimũ
itaq; erit, ut Domini aduentũ exẽplo Patrũ expectemus: qui diu noctuq; &
ſummo ſtudio, ieiunijs, uigilijs, lachrymis & precationibus hunc diem uide-
re cupierunt, ſic laborantes, ne ueniens filius hominis eos dormientes inueni
Gene.15. ret. Eſt igitur regnum noſtrum, illa æterna patria in cœlis, & ea lux ſancta,
quam olim Abrahæ promiſit & ſemini eius Deus gloriæ, apparens at-
que dicens: Quia erit ſemen tuum accola in terra aliena, & ſeruituti eos ſubij-
cient, & affligent annis quadringentis: ueruntamen gentem illam ego iudi-
cabo, & ipſi exibũt & ſeruient mihi. Quòd ſi enim Scripturæ credimus, præ-
ſtitit in nobis abundanter ea, quæ ſeruo ſuo Abrahæ pollicitus fuit Deus.
Quid enim aliud hîc ſumus quàm peregrini & aduenæ, prout uolunt Pau-
lus, atq; alij: qui & dicunt, Non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed aliam
inquirimus manentem in cœlis. Vt autem accipiamus illam ueram terram
Heb.13. promiſsionis, terram uiuentium, uitam æternam: equidem oportet exemplo
cordatiſsimi Abrahæ prius multas afflictiones mundi & malorum ſpirituum
Acto.14. experiri: quemadmodum adinuicem dixerunt Apoſtoli (Quoniam per mul-
tas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Deinde mortale
hoc induere immortalitatem per mortem, dicente Apoſtolo: nam mors ipſa
quaſi ianua eſt, per quam homines in illam requiem introeunt. Quid igitur
ait Chriſtus diſcipulis? Videte ne turbemini: oportet hæc fieri, ſed nondum
eſt finis. Vnde, licet eſſent ſchiſmata in Eccleſia longè periculoſiora, cruẽtio-

ra bella,

ra bella, maior uulgi rebellio, fames & peſtilentiæ ſæuiores, quàm modò ſunt: pij tamen non turbari debent, quoniam illorum conuerſatio in cœlis eſt, unde expectant Dominū Ieſum: à quo, abiecti modò & doloribus obnoxij, glo riosi reddantur, ac ſplendidi. Quemadmodum præclarè admonet Chryſoſto mus dicens: Eleuanda ſunt capita noſtra ad pijſſimum Patrem in cœlis habitantem, fide & charitate & cum affectu mentis ſurſum (ubi Chriſtus eſt) habi temus, omnem curam & ſolicitudinem proijcientes in eum. Quaſi diceret, quòd ſi immortalitatis contubernio digni fieri petimus, neceſſe eſt, ut amore futuræ redemptionis ſuccendamur uſq; adeò, ut nullo pacto huius uitæ operibus maculemur, ut gloria ducti uel rebus aduerſis depreſſi: uerùm etiā, tanquàm in ipſis cœlis iam cum Patre habitantes, toti rapiamur in parentis amorem. Coloſſ. 3. Satana utcunq; seducēte uniuerſum mundum ſuo aſtu atq; calliditate. *Fiat uoluntas tua.* Voluntas Dei non poteſt non eſſe optima: quia uelle apud Deum, eſt facere: quare ualde bona ſunt quæ facit, & fecit. Marci 7, & Gen. 1. Nec eſt ullum conſilium contra eam. Conſilium (ait) meum ſtabit, & omnis uoluntas mea fiet. Eſa. 46. Dicimus ergo, Fiat uoluntas tua: hoc eſt, cō mittimus nos tuæ irrefragabili uoluntati. Quæ enim eſt uita noſtra? Ecce enim in iniquitatibus concepti ſumus, & in peccatis pepererunt nos matres noſtræ: unde nobis à diabolo obſiſtitur, quo minus noſter animus atq; actus Deo obſequatur. Fiat igitur uoluntas Dei, non ut Deus faciat quod uult (uo luntas enim Dei eſt potentiſſima, cui nemo reſiſtere poteſt) ſed ut nos facere poſſimus, quod ipſe uult: quod equidē fieri oportet. nam licet ſincera fide no men Dei in baptiſmo profeſſi ſimus, & clamemus è terris ad cœlos inhabitan tem, optantes quidem in regnum ſuum cœleſte: ad eam tamē tranquillitatem non recipiendos intelligimus, niſi qui hîc pijs ſtudijs meditentur eſſe quod il lic futuri ſint. Enimuerò Deus ipſe quærit omnium ſalutem & conſeruationem, omnes uult ſaluos fieri, quando ait: Quare moriemini domus Iſraël? ſed interim poſuit ſalutis præcepta, ac inquit: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. Hoc autem nō naſcitur in ueteri noſtro Adamo, qui ad malum ſemper pronus eſt. Cōdelectamur (ait Paulus) ſecundum interiorem ho minem legi Dei; ſed lex repugnans legi mentis, ducit nos in legem peccati. Non equidem maiorem digladiationem habet humana infirmitas, quàm col luctationem carnis & ſpiritus, ut omnes quidem cum Apoſtolo exclamare cogamur: Miſer & infelix ego, quis me liberabit? &c. Proinde petimus, ut Dominus nō ſinat noſtrā, ſed ſuam in nobis dominari uoluntatē, ut quandiu in mortali hoc uerſamur corpore, tanquam obedientes filij, ſemper Patris faciamus uoluntatem. Eſt equidem uolūtas diaboli: eſt etiam uoluntas mundi: eſt & carnis uoluntas, ſed omnino cōtraria Domini uoluntati. Hæc eſt uolun tas Dei (ait Apoſtolus) ſanctificatio ueſtra, ut terrena cœleſtibus cedant, ſpi ritualia præualeant. Non enim ſatis eſt in baptiſmo nos renunciaſſe ſatanę im perio: ſed hæc baptiſmi uis exercēda eſt tota uita, ut homo ſeipſum abneget, in Deo reſpiret, & nouam uitam meditetur. Eſt igitur uoluntas Dei, ut ſimus puri & caſti ab omnibus inquinamentis. Hic oportet tam innocentem uiuere uitam, ut cum ſuperis uideamur habere conuerſationem. Ita faciamus, ac ſi iā cœli ſimus habitatores. Quis itaq; Dauide melius potuiſſet dicere: Beatus uir qui non abijt in conſilio impiorū, & in uia peccatorum non ſtetit, ſed in lege Domini uoluntas eius. Voluntatem oſtendēs (iuxta Cyprianum) eſſe humilem cōuerſationem, ſtabilitatem in fide, in factis iuſticiā, & in operibus miſericordiam: iniuriam facere non noſſe, & factam poſſe tolerare. quemadmodū orauit idem olim: Dirige (dicens) Domine greſſus meos ſecundū eloquiū tuum, ut non dominetur mei omnis iniuſticia: nihil aliud poſtulans, quàm ut præcepta quæ Deus imponit iubēdo, impleri faciat adiuuando. Nā amara eſt

Philip. 3. Gene. 1. Pſal. 50. Pſal. 113. Ezech. 18. Matt. 5. Rom. 7. Ibidem. 1. Theſ. 4. Pſal. 1. Pſal. 118. Auguſt.

hæc eſca nobis, nec naſcitur in ueteri noſtro Adamo. Hoc præſtare non poſſumus, nõ ſufficientes cogitare aliquid ex nobis: nemo noſtrum ſuis uiribus fortis eſt: ut ergo uoluntatem illam exequamur, Dei indulgentia atq; protectione opus eſt: ipſe oportet uires addat conatibus. Quam rem ualde abſtruſam eſſe dicunt. Homo enim, inquantum homo, neq; uult, neq; facit ea quæ Dei ſunt. Quos ergo Deus è regno mundi ſublatos cupit, ipſis inſcijs ad bonum extimulat. quod prædeſtinationem uocant, adorandam potius quàm ſcrutandam: & illi cùm nihil ſcirent niſi naturæ legem, concipiunt ſpiritũ fidei, ut iam ea quæ uult Deus, uelint, & quæ ſunt ſalutis: accedente equidem uerbo, per quod Deum rectè cognoſcunt. Sicq; Deus operatur uelle, & deinde dat per-
Chryſoſt. ficere poſſe: ut uerè dictum ſit, Volentibus gratia non denegatur, neq; uoluntas ſine gratia, neq; gratia ſine uoluntate. Poſſunt etiam uerba iſta (Fiat uoluntas tua) ſic intelligi: ut, quoniã mandat Deus etiam inimicos diligere, & pro ijs orare, petere debeamus: quòd qui adhuc terreni ſunt, & needum cœleſtes eſſe cœperũt, exploſa peccatorum turba, eiectiſq; immundis ſpiritibus, Deũ creatorem ſuum, ſeq; ipſos rurſum agnoſcere incipiant: ipſi Deo adhæreant:
Ioan. 14. ſtudeãt paci, pignori quod filius perpetuò reliquit, Pacem (inquiens) meam do uobis, pacem relinquo uobis: diuinis item iuſſionibus unanimes, tranquillè & abſq; ſeditionibus pareant. Nec tamen ob id, quia inimicos ſuos Chriſtiani gladio ſpiritus (id eſt oratione) uincere iubentur, magiſtratus cadit, & gla-
Rom. 13. dius, quo abſcindantur mali, damnatur. Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo or-
1. Pet. 2. dinata, ad uindictam malorum, ob ſalutis publicæ interturbatores ac hoſtes interimendos. Reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne omnia corrumpantur. Vnde etiam bella licent (Auguſtino docente) ſed non de quauis cauſa, plerunq; futili: imò non niſi ſumma neceſſitate cogente. Iuſtum bellum eſt, ſi cauſa eſt iuſta: aliàs, Mitte (ait Dominus) gladium
Luc. 3. in uaginam. Militibus dixit Ioannes, Contenti eſtote ſtipendijs ueſtris. Et Auguſtinus dixiſſe fertur Bonifacio militi: Arripe manibus arma, & oratio pulſet aures autoris. Vbi certè exactiſſimo cõſilio iudicioq; utendum, ſingulaq; bene conſideranda ſunt, ne ſontes cum inſontibus damnentur ac pereant: ſatius enim nocentem reum abſoluere, quàm innocentem iniuſtè condemnare. qua de cauſa Ambroſius epiſcopus Theodoſium imperatorem excommunicauit. Sequitur, *Sicut in cœlo & in terra.* Angelis nihil eſt gratius, quàm imperium Dei uoluntatis, cui illi alacres atq; expediti parent. Pſal. 102. In angelis & cœleſtibus ſumma eſt concordia, & tranquillitas pacis: unanimes ſemper faciunt, ut miniſtri, uerbum Dei: quemadmodum oſtendit Dionyſius de cœleſti hierarchia. Angeli cadunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorant Deum uiuum, dicentes, Amen, benedictio, charitas & ſapientia, gratiarum actio, honor, uirtus & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Item, Sanctus ſanctus ſanctus Dominus Deus ſabaoth. Apocal. 7. Eſa. 6. Facilè idcirco intelligi hæc uerba quid ſibi uelint, poterunt: nimirũ ut Eccleſiaſtica noſtra & Chriſtiana hierarchia inſtituatꝰ, & ſit per omnia ſimilis cœleſti illi hierarchiæ, ubi mentium mira eſt concordia & admirandus cõcentus. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Hucuſque ſolliciti in oratione fuimus, de Dei Patris noſtri honore, regno & uoluntate, ut ſcilicet ſanctum eſſet nomen eius in omnibus gentibus, in quibus regnaret: ut tandem hæredes regni effici mererentur, uoluntatem habentes bonam, & diuinæ uoluntati conſentientem: quæ quidem iuſtè ac meritò fieri debent, & proinde præcipua orationis eſſe uidentur. Iam igitur ex Chriſti doctrina, pro noſtræ uitæ neceſſarijs accedimus rogaturi Patrem noſtrum. Filij huius mundi quandiu non ſunt abdicati, ſed parentibus utuntur propitijs, non ſunt ſolliciti de uictu, nimirum proſpiciente ipſis benignitate paterna. Hæc enim lege diuina pariter ac humana profe-

rimtur, ut non filij parentibus, ſed parentes filijs debeant theſauriſare. Ieſus 2. Cor. 12.
Chriſtus igitur docet, nos omnem abijcere ſollicitudinem craſtini. Matth. 6. Confirmans Patrem tam opulentum, tam benignum, tamq́ noſtri amantem, ut nihil nobis deeſſe poſſit, cui curę maximè ſimus, non commiſſurum, ut inedia diſpereamus: cùm paſſerculis etiam uagis proſpiciat, cùm lilia tanto decore ueſtiat, quæ tamē hodie ſunt, & cras in clibanum mittuntur. Illum igitur Patrem iubet precari, ut det nobis panem quotidianum. Vbi panis nomine id declaratur, quo neceſſitates uitæ huius ineuitabiles auferuntur, aut ſedantur, ſiue in ijs quæ edimus, ſiue quibus tegimur. Quotidianus autem non ob id dicitur, quod illo tantopere opus habemus ad nutriendū & ſuſtentandum corpus, ſed ne quid plus petamus. unde & adiectum eſt, Hodie: quaſi oraremus, Si nobis hodie panis eſt, haud dubiè cras, Deus Pater quoque prouidebit. Cuius equidem multa extant (ſi oculatus eſſe uelis) exempla. Quid enim de Helia ſcriptum eſt, quomodo ambulauit in fortitudine cibi, ab angelo ad- 2. Reg. 17.
miniſtrati, uſque ad montem Dei Oreb? Quid etiam de Daniele in lacu leo- Dan. 14.
num? Quamobrem rectiſſimè dixerit Chriſtus: Quærite regnū Dei primùm, Ma. t. 6.
& iuſticiam eius, & hęc omnia adijcientur uobis. Quo ſanè ſpiritu ductus Da
uid: Iunior (inquit) fui, & non uidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quæ- Pſal 36.
rens panem. Docuit ergo Chriſtus in hac petitione nō diuitias, non delicias, non honores, non precioſæ ueſtis ornatum petere, ſed uictui tantùm neceſſaria: nec etiam Salomon aliter à Domino poſtulauit, cùm diceret: Domine
Deus, duo rogaui te: uanitatem & uerba mendacij à me ut longè faceres: pau Prou. 30.
pertatem & diuitias ne dederis mihi, ſed tantùm tribue uictui meo neceſſaria. quanto magis autem nos, qui ſeculo renunciauimus, fidei gratia diuitias eius & pompas abiecimus: cupientes non diu in ſeculo uiuere, ſed Dei regnū uelociter aduenire? Et quid opus eſt nobis nimia rerum abundantia, cùm ni-
hil ſimus ex his in ueram patriam delaturi? Nihil intulimus in mundum, ait 1. Tim. 6.
Apoſtolus, utique nec auferre aliquid poterimus: habentes ergo quibus alamur atque amiciamur, ijs contenti ſimus. Nos peregrini & aduenæ ſumus. 1. Pet. 2. Quid autem opus eſt peregrino ſarcinis uel oneribus, quibus grauetur & remoretur? Chriſtus in ſumma paupertate uiuens, cum eſſet cœli & terræ Dominus, uult nos undiq́ accinctos, & ueluti quibuſdam pennis ad cœleſtia uolare. Igitur adimit nobis rerum proprietatem, & docet honeſtam colere paupertatem: hodiernū petere panem, ut nequaquam ulterioris diei cura nobis moleſta ſit: neque eius diei torqueamur ſollicitudine, quo neſcimus nos uſuros: nihil ſiquidem certius morte, & incertius hora: quemadmodum in diuite illo uidere licet, Lucæ 12. Vnde etiam prouerbium natum eſt, Homo bulla. At proinde non damnantur diuites, magnam ſubſtātiam poſſidentes. Non enim damnantur diuitiæ, ſed earum abuſus. Omnia igitur dimittit, qui concupiſcentijs malis renunciat, ac deſiderijs terrenis nuncium miſit, iuxta prouerbium, Cor nanque (dicente Gregorio) & non ſubſtantiam penſat Deus. Vn
de Apoſtolus Timotheo ſcripſit, quomodo non excludendi eſſent diuites 1. Tim. 6.
huius ſeculi, ſed tantùm eis præcipiendum ut non ſperent in incerto diuitiarum, ſed bene agant, diuitesq́ fiant in bonis operibus, facile tribuentes. 1. Ti-
mot. 6. Quod uerò Iacobus diuitibus indignatur, ipſisq́ue æternum minatur Iacob. 5.
exitium, cùm inquit: Agite nunc diuites, plorate, ululantes in miſerijs ueſtris quæ aduenient uobis, &c. eos taxat, qui per phas & nephas diuites fieri uo-
lunt & contendunt. Quod uel hinc intelligi poteſt, quia idem intonat diuus 1. Tim. 6.
Apoſtolus: Radix (dicens) omnium malorum, eſt cupiditas. Et rurſum: Qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, in deſideria nociua, quæ mergunt homines in perditionem. Eſt ergo aurum & argentum malis malum, & bonis bonum: non quia eos bonos facit, ſed quia bonos

inuenit,& in uſum bonum conuertitur. Omnes enim nos ſumus uillici Chriſti,& diſpenſatores eius. Luc.16. Omnia nanque quæ nobis dat Deus pater noſter, alijs uidelicet egentibus per nos largiri uult: ut ſcilicet de eo quod ab ipſo accepimus, etiam partem alijs faciamus: dicente Christo, Facite uobis amicos de mammona iniquitatis. Luc.16. Pulcherrimũ eſt quod habet Chryſoſtomus: Capiamus (ait) iter anguſtũ, excolamus noſmetipſos: non præcipio ut uxorem non ducas, ut urbem derelinquas, ut ſecularia negotia negligas, ſed ut in his ipſis uiuendo uirtute præfulgeas, &c. hæc Chryſoſtomus. Præterea corpuſculum hoc, etiamſi non pereat fame, tamen morbo, ſenio, alió ue caſu breui periturum eſſe ſcimus. Igitur non tam orare debemus Patrem, ut nobis filijs ſuis quotidianam alimoniam, & corpori noſtro uictum neceſſarium tribuat, quàm ut nobis in hæreditatem regni cœleſtis coaptatis, ſpiritualem panem, larga det manu: per quem uerè uiuunt omnes, qui filij Dei ueri nominantur. Is autem eſt ſermo diuinus, & doctrina Ieſu Chriſti filij Dei. Per hunc panem lux accedit ingeniorum noſtrorum, atque animorum tenebris, morbis ſalus, libertas ſeruituti, denique ut mortui reuiuiſcamus. Ipſe enim Chriſtus lux eſt fidei, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, Ioan. 1. Qui & uenit quærere ac ſaluum facere quod perierat, Lucæ 19. Et ut uerus Saluator & filius Dei uerè nos liberauit, Ioan.8. Et ait, Qui credit in me, etiã ſi mortuus fuerit, uiuet. Ioan. 11. Hic panis ſummè nobis neceſſarius eſt: hunc potiſſimum petere debemus, Scriptura dicente: Non in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Deut.8. Quòd ſi alterum illum panem non porrexerit Pater, quid eſſe poterit periculi, cùm cinis ſimus, & in cinerem redigendi? At ſi hoc carebimus pane, hoc eſt uerbo atque fide, certè ſummum periculum nobis imminet: ſiquidem perit anima. quod quàm graue & quàm horrendum ſit, dicat nobis Chriſtus: Quam homo (inquit)
Mar.8. dabit commutationem pro anima ſua? Et alio loco: Quid prodeſt homini, ſi uniuerſum mundum lucretur, animæ uerò ſuæ perditionem patiatur? Perire hominem certè miſerrimum eſt: eſt enim tam nobilis anima Chriſtiani hominis, ut uix alicui rei comparari poſſit. Ea nanque non corruptibilibus empta fuit, ſed precioſo ſanguine agni quaſi immaculati, Ieſu Chriſti. Meritò itẽ uerbum Dei dici poteſt panis, quandoquidem illo refocillantur animi noſtri, & conſeruantur in ſpe ſana ac bona, donec in patriam ueram perueniamus, in qua nulla erit amplius ſitis & eſuries. Hoc cibo bene paſti patienter ferunt,
Matt.5. cùm uarijs impetuntur miſerijs: nam recordantur quæ dicta ſunt, Beati eſtis cùm maledixerint uobis homines, &c. gaudete & exultate, quoniam merces
Iacobi 1. ueſtra copioſa eſt in cœlis. Et alibi: Beatus uir qui ſuffert tentationem, quia cùm probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, &c. Propterea quoque iu-
Eccleſ.5. bet Scriptura, ut ſimus manſueti ad audiendum uerbum Dei, quo illud cum fructu percipiamus. Hic audimus, quomodo ſicut oues errantes fuerimus,
1.Pet.2. nunc autem conuerſi ad epiſcopum animarum noſtrarum Ieſum Chriſtum:
Deut.8. de quo olim Deus dixit, Suſcitabo prophetam, & ponam uerba mea in ore eius. Hic propheta Chriſtus aperuit nobis abſtruſum intellectum, quem idcirco audire oportet: & oſtendit corpora noſtra redire eò unde nata ſunt, hoc
Gen.3. eſt in terram. Dixit enim Deus Adam: In ſudore uultus tui ueſceris pane tuo,
Auguſtin. donec reuertaris in terram de qua ſumptus es. animam autem immortalem, quæ & reſeruetur crucianda poſt diem iudicij, uel æternæ uitæ. Vnde quotquot ſibi optima cupiunt, animæ rationem exactiſſimam debebant habere.
Matt.10. Quid enim aliud hoc eſt dicere? Nolite timere eos qui poſſunt occidere corpus, timete eum qui poteſt animam abijcere in ignem æternum. Verus igitur & ſaluberrimus noſter cibus hic eſt, ut per ſpiritum nutriamur, ut Chriſtũ
Ioan.6. audiamus docentem, qui obinde dicit ſe panem eſſe uiuum: ſi quis de pane

illo manducauerit, fiat immortalis. Equidem licet Chriſtum in carne nec uidimus, nec audiuimus concionantem: tamen hoc pacto animæ noſtræ reficiuntur, dum habemus Moſen & Prophetas: de quibus proinde dictum eſt, Beati qui non uiderunt & crediderunt. Viderunt, me ſcilicet: & tamen crediderũt uera eſſe, quæ quaſi per manus acceperunt. Quomodo autem ad nos uſq; defluxerit Euangelium, ubi docetur ſalutem per Chriſtum reſtitutam eſſe, certè magnum nõ erit demonſtrare. Scimus apoſtolos, ſcimus & eorum ſucceſſores, qui omnes à Deo docti, ſuá doctrina illuſtrarunt gloriam Chriſti. Nam cùm ſciret Chriſtus redeundum ſibi ad Patrem, ſpiritum ſanctum miſit eis, ut doctorem, ut corroboratorem, ne expaueſcerent teſtimonium reddere de omnibus quæ facta erant. Quum autem & ipſi abituri in locum ubi Chriſtus eſſet, ne deficeret fides Petri de Chriſto, ſed magis ac magis propagaretur, alios ad id muneris rurſum elegerunt. Fides enim non fundata erat ſupra perſonam apoſtolorum, ſed eorum doctrinam. Hinc Paulus & alij conſtituerunt presbyteros per ſingulas Eccleſias. Et illi rurſum alios, donec per ſucceſſionem legitimam, demum ad nos defluxerit Euangelij puri doctrina, ac fides. O quàm ſpecioſi igitur ſunt pedes Euangelizantium bona, Euangelizãtium pacem. At uerò quàm ſanctum eſt uerbum Dei, tam graue pondus eſt huius eſſe miniſtrum. Quantum enim periculi ſit, ut (dicente Gregorio) qui neſcit moderamina uitæ ſuæ, iudex fiat alienæ, uel puer ſcire poſſet, atque fari. Deinde, quia ſtat in conſpectu Domini, & diuinæ maieſtatis, coram cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt. Cui omne cor patet, & omnis etiam uolũtas loquitur. Hic nullum locum habet, Loquimini nobis placentia. Eſa. 30. Quoniã à ſpiritu ſancto conſtituitur, & uerbum Dei non habet reſpectum perſonarum. Omnes dicere debent diuini uerbi præcones, Amici ſumus, ſed ad aras uſq;, ut in prouerbio eſt. Eoq; quiſq; ſtudere debet, ut nec laudem, nec mercedem potiſſimùm quærat, ſed Chriſti gloriam, & utilitatem proximi. Sic enim ſcriptura dicit, Væ uobis paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos. Ezech. 34. Et Petrus: Seniores (inquit) paſcite gregem Dei, ſecundum Deum, non turpis lucri gratia. Quæ omnia eò teferti debent, ut ſint Chriſti ſerui boni & fideles. Hinc profectò ſancti patres caput ſcalpere ſolebant, quoties animo uoluebant onus ſibi impoſitum: quod ex his ſumo uerbis, quia Auguſtinum pium illum antiſtitem dixiſſe ferunt, Tanto mihi actior eſt de ſarcina mea cogitatio, qualem Domino Deo noſtro rationẽ reddere poſſim: quæ bene portata gloriam comparat, malè uerò immaniſſimam pœnam. Hæc ille. Nec hic tantùm ſibi timuit, ſed & Ambroſius, Chryſoſtomus, & plerique alij: quod pium & ſtudioſum lectorem haud latêre poteſt. Quoniam autem certum eſt, Chriſtum poſt ſuam in cœlum aſcenſionem, dediſſe & adhuc dare apoſtolos, Euangeliſtas, paſtores, & doctores in opus miniſterij, in ædificationem corporis ſui, nemo pius offendetur hominem tantùm inſpiciendo. Non enim attendere oportet quis loquatur, ſed quid, & quoniam angelus Domini exercituum eſt. Et diſcipulis ſuis dixit Chriſtus: Non uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus ſanctus qui loquitur in uobis. Et propterea qui uos ſpernit, me ſpernit: qui autem contemnit me, & eum qui me miſit, ut reſpuat, neceſſe eſt. Sermonem enim quem audiſtis, nõ eſt meus, ſed Patris qui miſit me. Etenim longè auguſtior ſit authoritas uerbi altiſſimi nobis, quàm ut propter miniſtrum, ſuper eo nauſeet anima noſtra: niſi dogma fidei apertiſſimè peruertat, quod maximum omnium peccatorũ eſſe reor, ni parum uobis uideť eſſe, ſeducere, ac orco remittere oues Chriſti Ieſu ſanguine redemptas. D. Cyprianus intelligit hæc uerba atq; interpretatur de euchariſtia. At Hieronymus superſubſtantialem (ait) dici præcipuum uel egregium, & ſecundum Hebræos craſtinum, ſiue futurum. Itaq; miſſam fecimus ſpiritualem ſeu myſticam illam uer-

Luc. 16. *Ioan. 20.* *Ioan. 14.* *Philip. 1.* *Act. 1.* *Irenæus.* *Hieronymus ad Heliodorum.* *Matt. 10.*

borum tractationem, uel etiam obinde, quia de eucharistia infrà audiemus ſuo loco. *Et dimitte nobis debita noſtra.* Debent ſinguli, celſitudini Dei uenerationem, paternitati obedientiam, & bonitati beneuolentiam. Quis eſt enim ſicut Deus noſter qui in altis habitat? Pater noſter, qui nos fecit & creauit. Debēt etiam pro beneficijs atq; ampliſſimis muneribus gratitudinem, tanquam illi, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum uenit. debent demum ueraci fidem, optimo ac potentiſſimo fiduciam. Verùm quis hæc præſtat? Nemo eſt, qui non multum ſingulis momentis debeat. Vn-
1.Ioan.1. de ſanctus Ioannes cunctos pronunciat obnoxios eſſe debito, hoc eſt, peccato. ait enim: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ſeducimus noſmetipſos, & ueritas in nobis non eſt. Et Hieronymus audet dicere: Nemo uiuentiū eſt, qui penitus omni peccato careat. Quod enim Zacharias & Elizabeth iuſti dicti ſunt, ſecundum eam iuſticiam & perfectionem intelligēdum eſt, quę competit fragilitati noſtræ: unde nec ipſe Apoſtolus ſe iuſtum eſſe dicere uo-
1.Cor.4. luit: Nihil mihi (dicebat) conſcius ſum, ſed in hoc non ſum iuſtificatus: nimi-
Pſal.142. rum memor illius quod à Dauide clamatum fuit, Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Et alibi: Si
Pſal.129. iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Nam licet ut nec mortaliter, nec uenialiter (ut uulgò dicitur) peccemus, quod tamen uix fieri poteſt, tamen deficimus: quia nemo unquam in hoc corpore cōſtitutus, ſummam charitatis plenitudinem ualet aſſequi. Quid igitur? Num propterea à Deo deficiemus, exemplo aliorum, Caini uidelicet, Saulis ac Iudæ? Minimè. Sed adeamus cum fiducia ad thronum miſericordiæ Dei. Simus licet omnibus uitijs, quæ animam inquinant, referti: cogitandum eſt tamen nobis, Patrem habere nos, cuius miſericordiæ non ſit numerus, & qui ſit ad ignoſcendum facilis. Non enim ad tribunal iuſticiæ peccatorem, cuius non uult mortem (Ezech.18.) mox uocat: ſed tot iniurijs maieſtatem diuini nominis ſui offendentes, nos expectat, adeò ut clamitet: Si impius egeret pœnitentiam, omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor. Et nobis confitentibus ſic condonat errata, & uſqueadeò delet, ut ne ueſtigium quidem commiſſi peccati in conſpectu ſuo reperiatur. Ideoq; Chriſtus pijſſimus doctor noſter, nos peccatis onuſtos ad Patrem ablegat, ac dirigit: ad quem dicamus, Pater dimitte nobis peccata noſtra. Id eſt, Pater cœleſtis, miſericors & clemens, patiens, & multæ miſerationis, parce parce populo tuo, & peccatis noſtris, &c. *Sicut & nos dimittimus.* Equidem ad interpellandum Deum pro peccatis, facilè omnes parati ſunt: certa igitur nos conſtringit Chriſtus lege ac conditione, ut ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundum quod &
Matt.18. ipſi dimittimus. Qui & aliàs: Si dimiſeritis (inquit) hominibus errata ſua, dimittet & uobis Pater cœleſtis delicta ueſtra: quæ ut fortius inhærerent, parabola aptiſſima docuit, de homine qui uoluit rationē ponere cum ſeruis ſuis, &c. Quam concludit, & ait: Sic faciet uobis Pater meus cœleſtis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus ueſtris. Sed hoc dictum ſit, non de remiſſione offenſæ, ſed iniuriæ: crudelis enim eſſe dicitur, qui non defendit famam ſuam. Ergo inimicis noſtris debita ex corde remittere debemus, Deo uindictam relinquentes. Nihil (inquit ille) eſt, quod nos Deo reddat ſimiliores, quàm ſi malignis & lædentibus nos ſumus placabiles. Nec ſolùm iuxta doctrinam Chriſti, remittenda ſunt in nos commiſſa errata, uerùm etiam
Matt.5. diligendi ſunt inimici noſtri: Diligite (inquit) uos inimicos ueſtros, & benefacite his qui oderunt. Dictum eſt quidem antiquis, Diliges amicum, & odio habebis inimicum. Ego autem dico uobis (emendat lex noua, quæ ex parte in ueteri defecerunt: ratio uincat) Diligite inimicos ueſtros, ut ſitis filij Patris ueſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper malos & bonos:
&

& pluuiam mittit ſuper iuſtos & iniuſtos. Quòd ſi enim diligimus tantùm amantes nos, nón ne & hoc ipſum Gentiles qui Deum ignorant, item publicani & peſſimi quiq; faciunt? Itaq; decet ut filij nouæ legis & gratiæ, à filijs mundi differamus. Perpulchrè igitur D. Gregorius: Nonnulli (ait) quos aduerſarios æſtimant, maledictione feriunt, quia uirtute nequaquam poſſunt: cùm deceat de eorum profectu gaudere, & de ruina dolere, dicente Propheta: Si reddidi retribuentibus mihi mala, meritò decidã ab inimicis meis. Pſal. 19. Et Iobo patientiſsimo: Si gauiſus ſum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui, &c. En quàm candidè uiri iſti ſanctiſsimi nobis ad oculum depingũt, *Iob 13.* nihil in exitium inimicorum machinandum, nec de infelicitate gaudendum eſſe. Hæc igitur eſt uoluntas Dei, ut pacifici & unanimes, in una domo uiuamus, quemadmodum filij unius Patris. Enimuero omnipotentis Dei nos *Rom. 12.* eſſe diſcipulos, ſola cuſtodia charitatis probabit. ait enim Chriſtus: In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei ſitis, ſi dilectionẽ ad inuicem habueritis. Ioan. 13. Hoc autem uult Deus, quia per filium ſuum paci in domo eius reſtituti ſumus: tales uult perſeuerare, ut qui filij Dei eſſe cœpimus, in Dei pace maneamus. Eapropter etiam ſacrificantem ſibi, at diſſidẽtem, ab altari reuerti, & prius fratri reconciliari iubet. Miſericordiam uult, & non ſacrificium. Proinde Apoſtolus eleemoſynam, imò fidem nihil eſſe dicit, niſi accedat charitas. *Matt. 5.* 1. Corinth. 13. Idq; uel inde probari poteſt, quoniam Abel & Cain obtulerunt *Oſeæ 6.* Deo, nec acceptum fuit niſi Abelis ſacrificium, propterea quòd ſacrificaret Deo, innocenter, cum timore Dei, cum ſimplici corde, cum lege iuſticiæ, & *Gen. 4.* cum cõ cordiæ pace. Munera Deus non intuebatur, ſed amborum corda. placuit igitur in munere, qui placebat in corde. Tales etiam quoque à Domino probantur: præſertim, quia eos eodem animauit ſpiritu, eodem ut filios purgauit baptiſmo, & ad eandem hæreditatem, nempe cœleſtem, ex æquo uocauit. Iam uerò ſunt duo genera hominum. primum ſunt, qui pacem à Chriſto præceptam libenter ſeruarent: ſed non poſſunt propter malos ac inquietos: de quibus: Propterea cùm loquebar (dixit) illis, impugnabant me gratis. Hi *Pſal. 119.* excuſantur coram Deo, quemadmodum docet Apoſtolus, cùm ait: Si fieri poteſt, quod in uobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habete. Si uerò rabidi ſunt quidam, date locum iræ, ſcilicet diuinæ: quando ait Deus, Mihi uindictam, & ego retribuam. Deut. 32. Deus illatas iudicabit iniurias. Et ſi benefeceritis illis, grauioris punitionis cauſa, ueſtra benefacta erunt in die retributionis. Vis'ne in contumelioſum exercere uindictam? boni aliquid in eum confer, & Deus erit acerbior ipſius iniuriæ uindex. Sunt deinde, qui poſſent quidem pacificè uiuere, quantum in ipſis eſſet: ſed nolunt, ob rabiem & liuorem, & quia praua ſunt corda eorum: hi certè ſunt in periculoſiſſimo ſtatu. Quantum enim homini noceat, odium aſſiduò in animo gerere, & ſacri pariter & prophani docuerunt. Ait quidam: Siculi tyranni nõ inuenerunt maius tormentum inuidia. Et alius: Liuor, tabificum malum, exedit medullas. At non ſolùm corporis detrimentum inuidi patiuntur, ſed & animæ. Nam ſicut ærugo ferrum, ita inuidia animam, in qua concepta eſt, conſumit. Nocentiſſima hæc animę tinea eſt, quæ inteſtinis cruciatibus lacerat: ſemper ingemiſcitur & doletur, nec cibus nec potus poteſt eſſe iucundus. Aiunt, uiperas dirupto materno utero naſci: ita & inuidia, hominem, in quo concepta eſt, in corpore pariter & anima cõſumit et perdit. Pręclarè inquit Auguſtinus, O quàm grandis miſeria tam corporis quàm animæ: nam corpus quietem, anima uitã perdit æternam: ueniunt enim ad nos priſtina peccata, & ſic confundimur & damnamur. Hæc ille. Quid autem horribilius eſſe poſſet homini, quãdo ignis non extinguetur, nec uermis eorum morietur? Tales autem in peccatis mori, & æternæ damnationi obnoxios fieri, uel inde docemur, quia Chriſtus parabolam

bolam de ſeruo nequam concludens, dixit: Sic & Pater meus cœleſtis faciet uobis, ſi non remiſeritis unuſquiſq; fratri ſuo de cordibus ueſtris. Matt.18. Ergo etſi uideantur illi orare, nihil tamen orãt, imò grauiores ſeipſos Deo patri debitores conſtituunt. Submurmurãt coram Deo, Dimitte, &c. & ipſi dimittere nolunt: quid hoc aliud eſt, quàm ſibi imprecari, & ſeipſum deuouere? Nihil hoc aliud eſt dicere, quàm debitores ſumus, ô Pater, tui: & nobis nonnulli ſunt debitores, quibus cùm nolumus errata remittere, & tu quoq; ne remittas nobis peccata noſtra, rogamus. Rectè igitur ille mihi dixiſſe uidetur: Quo affectu Deo ueniam poſſunt poſtulare, qui alijs dimittere nolunt? Crede mihi, quòd tantùm tibi dimittit, quantum tu dimittis alteri. Hic autem prætendunt illi, tantis ſe iniurijs læſos, ut nequaquam dimittere queant: quibus certè cogitandum eſſet, quantis indies piaculis & peſſimis peccatis Patrem offendunt: & quantorum indies malorũ rei ſimus: et tamen non arguit nos in furore ſuo, ſed agit indulgentiſſimum Patrem in nos, tanquam filios ſuos. Qui præclariſſimis ſpiritibus ſuis nõ pepercit, ſed pro uno tantùm cogitatu, de ſummo cœlo eiectos, æternis ſupplicijs tradidit puniendos. Quòd ſi unius ſaltem (inquit Chryſoſtomus) diei uellemus peccata numerare, optimè diſceremus quantorum rei eſſemus malorum. Hæc ille. Quòd ſi uerò parum nobis uidetur quicquid dictum eſt, intueamur ſaltem caput noſtrum: nónne pro ſuis ipſe Chriſtus crucifixoribus exorauit, & demum pro nobis inimicis mortuus eſt? teſte Apoſtolo. Orabimus itaq; dicentes: Da pater longanimis atq; miſericors, ut poſſimus ex animo condonare fratribus noſtris, quemadmodum tu benignè indulges ac propitius es, ne exhæredes nos, neq; conijcias in gehennam, ſed ut omnes qui precioſo ſanguine Chriſti redempti ſumus, in æterna tabernacula recipiamur, Amen. *Et ne nos inducas in tentationem.* Diſcimus ex hac ſexta petitione huius precationis, quàm infelix ſit uita noſtra, quia mera tentatio. Dæmon, hoſtis noſter perpetuus, pandit latiſſimè quoquo uerſum ſua retia, ac fragilitati noſtræ innumeris dolis tendit inſidias: ut uita noſtra ſit omnibus telis inſidiatoris ſubiecta, & mille modis ſollicitemur ad ruinã. Nuſquam ceſſat tentator ille, qui non ueritus eſt filium Dei aggredi technis ſuis. Adhæc nos ipſi titillationes uoluptateſq; circumferimus, cruciatus & dolores. Meminimus Dauid, qui dictus erat uir ſecundum cor Dei, eò turpitudinis pertractum, ut adulterium homicidio copularet. 2 Reg. 11. Videmus Salomonem, cui Deus dederat ſapientiã ultra mortales omnes, eò dementiæ perductum, ut ſimulachris immolarit. Sic enim ſcriptũ eſt: Auerterunt mulieres cor ardentiſſimum regis, & deprauatũ eſt ita, ut ſequeretur deos alienos Moloch & Chamos, &c. 3. Reg. 11. Venit & in mentẽ quid acciderit Petro, qui fortem animũ profeſſus, ter Dominum ſuum abiurauit. Mat. 26. Ideo exhorreſcimus tentationes. Atqui in hoc metu nos Deus eſſe uult, ne oſcitantes noſtris præſidijs fidamus, ſed iugiter ſobrietate, uigilantia & precatione, nos muniamus: utq; uideamus quia ex nobis ipſis nihil ſumus, nõ ualẽtes aliquid cogitare quaſi ex nobis: ac admoneamur infirmitatis carnis, ſicq; humiles effecti, totũ Domino Deo demus. Et nos tentari permittit quidẽ Deus, nõ ut perimat, ſed ut probet. Et tentat nõ quaſi neſcius mentiũ humanarũ, & infirmitatis noſtræ: ſed ut nos ſibi cõfidentes, mundo reddat manifeſtos: ſicut ſcriptum eſt; Vaſa figuli probat fornax, homines autẽ iuſtos tentatio tribulationis. Eccleſ. 17. Sic Abrahã in filio tentauit Deus. Sic Iob uirum ſanctum, tradendo eum in periculoſiſſimas tentationes, probauit. Sic Tobiã, ſic ſanctos & inuictiſſimos martyres, quos igni, ferro, & innumeris tormentorum generibus coronauit. Hic notandũ, huiuſmodi tentationes autore Deo fieri, & diabolum hoſtem ſine Dei permiſſione nihil poſſe, nihilq; habere uiriũ. Quid enim potuiſſet? niſi Deus dixiſſet, Ecce omnia quæcunque habet, in manu tua ſunt. Iob 1. Igitur

Luc.23. *Rom.5.* *Matt.4.*

diaboli

diaboli eſt ſuadere & pellicere ſuauitate, ut pertrahat: tentare in ijs quæ car-
nis delectationem afferunt, quæ tentatio à dextris nuncupatur. Vel inflictis
morbis mouere hominem ad iram & impatientiam, quæ à ſiniſtris tentatio
dicitur. Sed muneris noſtri eſt, uirtute & gratia Dei omnipotentis, perſuaſio-
nem eius ſuperare. unde Scriptura dicit: Nō deficias cùm à Deo tentaris, qua
ſi machinæ omnes, diaboli & hominum, nihil poſſunt aduerſus uoluntatem
Dei: nihil illis licet, niſi poteſtas tribuatur. Proinde bono animo, cùm in ua-
rias inciderimus tentationes, eſſe oportet. Tentat etiam homines Deus, ut
huiuſmodi flagellis caſtiget & emendet delicta eorum. Tentatio (ait Augu-
ſtinus) aduerſus nos dupliciter datur, uel ad gloriā cùm probamur, uel ad pœ
nam cùm delinquimus. Hæc pœna non niſi bona Dei uoluntate immittitur,
quemadmodum dicit Deus: Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar ut Oſeæ ii.
diſperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo. Cùm itaq; ſic tenta-
mur à Domino, corripimur pro ſalute noſtra, ne cum hoc mundo & infideli-
bus damnemur. Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, id eſt damnaręmus ob
praua facinora, euaderemus forſitan & præſentia & futura ſupplicia. Debe-
mus igitur tentationes, tanquam opera piæ erga nos uoluntatis Dei, comple
cti: cogitareq;, Deum Patrem noſtrū diligere filios quos caſtiget. Nam cùm Heb.12.
ſummæ ſint curæ fideles Deo, hic tolerant pœnas pro commiſſis, ut in æter-
num conſeruentur, dicēte Scriptura: Beatus uir qui corripitur à Domino, ca-
ſtigat enim ille, ut in futuro miſericordem ſe præbeat. Conſueuit etiam Pater Iob 5.
uarijs flagellis nos caſtigare, ut emendatiorem reddamus uitam noſtram, &
mentis noſtræ ſuperbiam frangamus. iuxta illud: Quantas mihi oſtendiſti tri-
bulationes, multas & malas: & conuerſus uiuificaſti me, & de abyſſis terrę ite
rum reduxiſti me, & conſolatus es me. Pſal. 70. Et proinde rectiſſimè Iob di-
xit, Vitam noſtram eſſe militiam ſuper terram. Iob 7. ſic Deo prouidente ac
diſponente. Nam ſi nullus eſſet hoſtis, nulla eſſet pugna: quòd ſi nulla pugna,
nulla etiam eſſet uictoria: & ſi non eſſet uictoria, nec corona uictoriæ dare-
tur. Proinde ſæpe tētamur, ut exerceamur, & hoſtis ictus excipere diſcamus.
Quoties autem tentamur ad præſidium Patris noſtri, & ad inuictæ fidei ca-
ſtra confugiendū erit. Qui fidelis eſt, & non ſinit nos tentari ſupra uires: quin 1.Cor.10.
prouentum etiam faciat, ut ferre & uincere poſſimus. Confidamus certò gra-
tiæ & miſericordiæ eius, perſuadentes nobis, gratiam & miſericordiam for-
tiores eſſe omnibus telis hoſtis ſatanæ. Qui dixit: Venite ad me omnes, qui Matt.11.
laboratis & onerati eſtis. ipſe opem feret, fidem & fortitudinem, contra om-
nes inſultus, ne ſuccumbamus, & uincamur. Quem obinde deprecari debe-
mus, ac dicere, O Pater cœleſtis, reparator humanæ naturæ, uicit filius tuus
ſemper adorandus ſatanam, ut cùm maximè uideretur oppreſſus, triumpha-
ret maximè. Da quæſumus, uincamus & nos, malos & peſtiferos conatus dia
boli peſſimi hoſtis, in perniciem ruinamq́ue excogitatos. fiat tuo præſidio
quod dixiſti: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum,
Amen. *Sed libera nos à malo.* Scribit beatus apoſtolus Petrus: Chariſſimi, ſo-
brij eſtote & uigilate, quia aduerſarius ueſter diabolus circuit, quærēs quem 2.Pet.5.
deuoret. cui fortes reſiſtite in fide. Si quem mirum habet, cur tam fideliter
nos admoneat, ut attendamus à ſatana, diuus Apoſtolus, in memoriam re-
uocare poterit, quæ de primis parentibus referuntur: quo pacto dæmon ſti-
mulatus inuidia, primos parentes arte circumuentos, pellexit in mortem,
inuidens illis paradiſi uoluptates, cùm ſeſe cœli gaudijs ſpoliaſſet, quando
angelus ſuperbè contra Dominum Deum ſuum peccauit. Quemadmodum
autem homines illos decepit, ita & nunc non ceſſat, & acrioribus inuidiæ ſti-
mulis utitur, eo quòd paradiſo excluſi ſubuehuntur in cœlum. Epheſ.2. quòd
morti deſtinati, per fiduciam in Ieſum filij Dei, ad beatam immortalitatem
inui-

inuitantur. Chriſtum nouit ille perpetuus Dei hoſtis, ſemē illud benedictum
Iacob.2. mulieris, à quo contritum eſt ſibi caput, & poteſtas adempta: unde quos De-
Apocal. us habet pro filijs propter Chriſtum, perpetuò inſectatur, mille artibus ac do-
20 & 21. lis instructus, in eorum perniciem, ſic ut quamdiu uerſantur in terris, perpetua lucta ſit eis cum illo, nihil non moliente, quo in ius ſuum retrahat. Verùm quanquā ille formidabilis ſit, tamen ſolatur nos fides bonitatis Dei, quæ plus poteſt ad ſalutem quàm uniuerſa malitia illius ad perniciem. Omnia nanque per ipſum Deū facta ſunt, omnia ſua ſunt, omnes angeli & omnes homines. Ipſe cœlorum, terrarum, & omnium quæ in eis ſunt, creator, princeps & moderator. Idcirco accedere iubet nos Chriſtus Patrem, ac dicere: Pater omnipotens tua benignitas nos ſemel ab impuriſſimo patre diabolo liberauit, ut ille peſſimus ac fraudulentiſſimus & capitalis hoſtis noſter fuerit, ſic tu noſtri amantiſſimus extitiſti. Tibi cura de nobis erat, utpote ad imaginem tuam ipſius creatis: eripuiſti per filium nos è tenebrarum carcere, & in honorem nominis ac hæreditatis tuæ adoptaſti: ſed ita, ut perpetua lucta ſit nobis cum hoſte. Precamur noſtram agnoſcentes imbecillitatem, libera nos à malo dæmone: fer ſuppetias, ne oppreſſi toti uincamur, & hoſti in prædam demur. Nam ſunt qui per malum hîc diabolū accipiunt, propter malignitatem in qua nūc eſt ſuam, dicēte Chriſto: Diabolus homicida erat ab initio, & in ueritate non ſtetit. Ioannis 8. Quòd Manichæi dicunt diabolum malum eſſe conditum, falſum eſt. Is enim ſponte ſua ſe auertit à Deo, & ueritatem amiſit, ſicq; ab eo cœpit peccatum. Vnde in nullo etſi læſus ſit, tamen nullo fœdere cum humano genere pacari poteſt: ſed infatigabili certamine contra nos arma ſumit, quibus oppugnat, ac oppugnatos ſæpe uincit, & in perpetuæ mortis exitium pertrahit. Quos proinde ſatis amanter admonet diuus Paulus, & ait: Induite uos armaturam Dei aduerſus inſidias diaboli, &c. Epheſ. 6. Deinde cùm mala ſint in hoc æui curſu permulta, ea cuncta comprehendentes, Patrem ut opem præſtet, ut liberet nos, imploramus. Sunt corporis mala, quæ nonnunquam illud adeò urgent ac premūt, ut etiam à recordatione nominis Dei abripiantur: ut eſuries, morbi, cruciatus corporis, bella, uinculum, exilia, & eiuſmodi. Sunt & animæ, ut peccatum, ſubitanea & improuiſa mors, morſque perpetua: à quibus omnibus poſſumus immunes eſſe, ſi nos Deus pater noſter liberet: ſua enim liberatio nos liberos reddidit, tanquam Patris, ad gloriam & honorem nominis ſui. Accepiſtis (inquit Apoſtolus) ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Pater pater. Ipſe ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei. Rom. 8. Quis igitur nobis metus in quacunq; tribulatione erit, cùm Deus nobis tutor eſt, ac eſſe uelit? Et quis peccati ſeruitutem non excutiet, qui agnoſcit ſe Patris filium, & præſidia paterna ſibi præſtò adeſſe ſentit? Chriſtus ſiquidem propter peccata noſtra mortuus eſt, factus propitiatio pro illis. Quapropter inferorū tenebras, ubi nulla eſt redemptio, nemo timebit: imò ſinguli oculos defigendos in cœleſtem illam imaginem Chriſti ſcient, qui propter nos deſcendit ad inferos, ut deſtrueret mortis imperium, & captiuos inde eriperet, ut eſſet nobis (dicente Propheta) ſempiterna lætitia in regno cœlorum. *Amen.* Hæc uox Auguſtino atque alijs docentibus, ſignificat, indubiè ea à Patre noſtro dari, quæ petimus: eamque fidem exprimit, quam in precationibus noſtris neceſſariò habere debemus, ſi exaudiri uoluerimus. Debet enim fides noſtra in oratione eſſe firma, indubitata, & certiſſima de promiſſione gratiæ & miſericordiæ
Iacob.1. Dei, quemadmodum docet Iacobus, ſic dicēs: Si quis ueſtrûm indiget ſapientia, poſtulet eam à Deo, qui dat omnibus affluenter: poſtulet aūt in fide, nihil hæſitans. cap. 1. Cùm itaq; dicimus Amē, debemus nobis certiſſimò perſuadere, nos accepturos omnia quæ in oratione oraculo Chriſti nobis tradita precati

cati ſumus. Quis nos huius certos faciet? Ille nimirũm qui dixit, Petite & dabi-
tur uobis. Et, Quęcunq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Matth.
7. Ioan. 13. Non enim toties iuſſiſſet petere filios, niſi daturum Patrem quæ pe-
timus certò ſciuiſſet. Ipſe autẽ nouit quia ueritas eſt, quæ nec fallere, nec men-
tiri poteſt. Oraturi ergo, ut ab initio quoque diximus, certiſſima fide gratiæ
& miſericordiæ Dei Patris noſtri accedamus. nec enim fruſtrà dictum eſt: A-
men dico uobis, quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fi:t uo-
bis. Quibus etiam uerbis Chriſtus quaſi iureiurando ſe nobis obligat; atque
inſinuat, nos in fide precaturos, de petitis certos fore. Nam quem ſeruum ex-
audiet Dominus, qui in ipſum non credit, nõ ſperat, ſed exiſtimat Dominum
auſterum, qui tamen bonus eſt? Requirit igitur Deus in nobis iugem fidem,
& plenam fiduciam, ut abſit omnis diffidentia, & animi turbatio, quaſi nobis
auſterus & crudelis eſſe uelit, qui natura bonus eſt, imò ipſa bonitas. Hucqúe
nos prouocare debent ac poſſunt multorum exempla ueterum, ut Niniuita-
rum, qui poſtquàm Ionas excidium minatus eſt, uirtute fidei & orationis in
fide factæ, Dominum placauerunt: Ionæ 3. Vt Suſannæ, quæ ab iniquis crimi-
natoribus accuſata orauit in certiſſima fide, & exaudita, atq; è manibus calũ-
niãtum erepta eſt: Daniel. 13. Item Danielis, qui in lacum leonum miſſus ut de-
cerperetur, fide orans, de immaniſſimis beluis incolumis & uiuus euaſit: Da-
niel. ultimo. Hiſce exemplis clarè patet, magnæ uirtutis orationem eſſe, quæ
ex fide & corde fiat, & quomodo oporteat magna affectione corda ad Deũ
extendere, & magnam ſumere certitudinem, quòd uoti compotes fieri poſſi-
mus. Verùm quod hæc fiducia à nobis minus præſtari poteſt, qui ſumus in-
firmi & facilè fluctuamus, de diuinis promiſſionibus: tunc cum patre illo ob-
ſeſſi pueri, dicere poſſumus: Credo Domine, ſuccurre incredulitati, uel po- *Mar. 9.*
tius infirmitati meæ. Et cùm Apoſtolis: Domine, adauge nobis fidẽ: hoc eſt, *Luc. 17.*
plenam de omnibus quæ dixiſti, fiduciam, quæ omnem dubietatẽ excludit.

PORrò quemadmodum Deus ut prima rerum cauſa à nobis coli debet, nõ
ſolùm lingua, ſed etiam opere & ueritate: ita latria ſoli Deo debita conſi-
ſtit in mentis puritate, ut cognoſcamus rectè ſolum Deum, & quem miſit Ie-
ſum Chriſtum. Et deinde in operis exhibitione, ut ſcilicet de manu inimici
(hoc eſt ſatanæ) liberati, ſeruiamus Deo in ſanctitate & iuſticia. Ad hoc enim *Luc. 1.*
dedit ſe nobis Deus per carnem & fidem, ut liberati à peccato, ſerui eſſemus *Rom. 6.*
iuſticiæ. Verè quidem liberauit nos filius Dei Chriſtus, ſic tamen ut in noui-
tate uitæ ambulemus, & ueluti boni diſpenſatores ſui operemur bonum ad *1 Ioan. 8.*
omnes. Quid enim aliud ſibi uult parabola illa de homine peregrè profecto, *Rom. 6.*
quàm quòd Chriſtus aſcẽdit in cœlum, & reliquit fidelibus ſuis bona quibus
uterenť, donec rediret? Matth. 25. Et quòd legiſperito interrogãti, quid facto
opus ad uitam æternã conſequendã, dixit: Hoc fac, & uiues. Oſtendit, illum
æternæ uitæ præmia conſecuturum, qui ſeruet ac faciat ea quæ lex Dei ſerua- *Luc. 10.*
re iubet, & facere. Iubet autem lex, ut diligamus Deum ex toto corde, ex to-
ta anima, ex totis item uiribus, & proximum ſicut noſmetipſos. Deutero. 6.
in quibus (docente Chriſto) pendet tota lex & prophetæ. Hinc ſanè ſanctiſ-
ſimi uiri ac patres, ad fidem & uerum Dei cultum conuerſos, admonendo do-
cuerunt ſeruanda eſſe Dei præcepta: ea quidem quæ olim populo Iudaico
per Moſem oblata fuerint in tabulis duabus lapideis. Non quòd per legem *Exod. 20.*
ſit iuſticia, quia iuſtus ex fide uiuit Ieſu Chriſti. Gal. 2. Si enim per legem eſſet
iuſticia, fruſtra Chriſtus fuiſſet mortuus. Ibidem: Sed ut ſimus ſancti & imma-
culati in conſpectu Dei in charitate, Eph. 1. Qui proinde nobis dicit, Ego Do-
minus Deus ueſter, eſtote ſancti, quoniam ego ſanctus ſum.

Non

Non habebis deos alienos.

Leuit.20. INcipit Dominus Deus à ſeipſo, & prohibet idololatriam tanquam peccatum maximum: & admonet ſe eum eſſe qui habeat ius præcipiēdi, & cui ſit
Exod.32. parendū, quicq; uelit nobis ſolus Dominus ac Deus eſſe. Ergo quicquid præter Deum noſtrum ſibi hunc titulum uendicat, ſiue ſit in cœlo, ſiue in terra, dęmon erit, habens fictum & furatum nomen Dei, dicēte Propheta: Omnes dij
Pſal.95. gentium dæmonia. Hoc præceptum primum tranſgreſſi ſunt, quibus datum primò & principaliter fuerat, nimirum filij Iſraël, quādo uitulum ex auro & argento factū erexerunt, & dixerūt: Hi ſunt Dij tui Iſraël, Exod.32. Quam abominationem, ut execrabilem, haud impunitam eſſe uoluit Deus. Quod uerò de dijs alienis Dominus Deus admonuit atque præcepit, inde factum eſt, Quoniam gentes ſtulti facti (ut loquitur Paulus) mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem corruptibilis hominis, Rom.1. Quemadmodum Ninus fecit patri ſuo Belo ſtatuā in Babylone, qui & pro Deo habitus fuit, & eam poſtmodum cōfregit Daniel, Daniel.14. Hinc etiam ſenex ille morio Saturnus, item Iupiter, quem ſummum dixerunt, & alij quorum uix eſt nu-
Lactātius. merus. Miſeri autem illi homines, prout muta ducebantur, credentes à Deo eſſe quicquid inſolitum apud idola fiebat: ignorantes unde hoc eſſet, quando princeps huius mundi captiuū tenebat omnem hominem. Nebula (ait Ambroſius) erroris cōtexit cor illorum, quia licet creatorem ex creaturis cognoſcerent, nec tamē ſicut Deum glorificabant, amplius igitur obtuſi ſunt. Et mirum quod referunt, idolum quoddam ſæpius effudiſſe lachrymas, ut ſic ſtulti ſeducerentur: & Iouis in ſumma ueneratione habitum idolum, in Olympia riſiſſe quādo mortem obijt peruerſiſſimus imperator Caligula. Quapropter S.
Hier.10. Hierem. olim deprecabatur obnixè, dicens: Dij qui cœlum & terram non fecerunt, pereant: cap.10. Et proinde ſummo ſtudio cauendum eſt, ne ullis ſimulachris diuinus honor exhibeatur, uel aperto uel occulto quodā modo. Sint
Vide Gregorium in Epiſtolis. imagines rerum geſtarū, & libri (iuxta Gregorium) laicorum, ad exemplum imitationis & corroborationis noſtræ: ſintq; opera manuū hominum, in quibus nulla collocetur fiducia, nec ulla ſpes ſalutis reponatur: ſicut ſcriptum eſt, Non adorabis ea, neq; coles, Exod.20. Prohibentur & hoc loco nobis dij, qui licet non ſint opera manuum, tamen (ſatana autore) contra Deum uiuum ac uerum eriguntur, ut auaritia & uenter. Auaritia enim, æris inexplebilis eſt cu-
Amos 5. piditas. Qui igitur opes ac diuitias non ritè ac debito modo uſurpat, ſed ſibi ſolùm ſeruat, facit eas ſibi Deum: quia Deo ſuo præfert, à quo diuitias acceperat, ut ipſis bene uteretur. Hinc Apoſtolus: Auarus (inquit) quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, Epheſ.5. Hunc Deum ethnici dicebant Plutonem: Chriſtus appellauit eum Mammon, cui & Deo ſimul ſeruire nemo poſſit. Matth.6. Ventrem uerò hominum Deum fieri, D. oſtendit Paulus, cùm ait: Multos dicebam uobis inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus uenter eſt, & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt, Philip.3. Et ubi Romanos rogat, ut obſeruent diſſenſiones & offendicula facientes; Huiuſmodi enim (inquit) Chriſto Domino nō
Rom 16. ſeruiunt, ſed ſuo uentri, cap.16. Hæc igitur idololatriæ ſpecies omnino fugienda erit, cùm haud minus per eam offendatur Deus noſter, quàm per apertam quandam ſtatuæ uenerationem. Teſtis eſt Chriſtus, teſtes ſunt apoſtoli, quan-
Tit.3. do dicunt: In hoc apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ut abnegantes omnem impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, iuſtè, ac piè uiuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei. Eſt & Deus alienus doctrina peruerſa, quam dicunt hæreſim, de quo
Heb.13. Apoſtolus ſic monet: Doctrinis uarijs & peregrinis nolite abduci. Multi (dixit Chriſtus) uenient, dicentes: hic eſt Chriſtus, atque illic. Quemadmodum

dum enim non uoluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines, prout habet Petrus: ſic rurſum ex inſtinctu ſpiritus maligni nonnulli deprauant ſcripturas, ad multorum certè perditionem. Quod quàm exitiale ſit, facilè diiudicabit ſpiritum Dei habens, unde et meritò prohibita eſſe debet. Quid enim magis idololatriæ proprium, quàm à ſincera ac pura Christi doctrina diuertere? quoniã dixit Deus: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Matth. 3. cap. Proinde neceſſe erit, ut quiſq; à pſeudoprophetis diligẽter attendat: & (ut monet Ioannes) non facilè credat omni ſpiritui, ſed probet exactius nũ ex Deo ſint. 1 Ioan. 4. Porrò prohibente Domino deos alienos, omnino reijci debent omnes ſuperſtitiones uanæ, quas non exprimit, ſed damnat uerbum Dei: ut ſunt incantationes, quæ fiunt herbis, uerbis & characteribus ſcriptis: nec enim refert circa illa fieri preces & alia: eſt enim uenenum melle mixtum ex aſtu diaboli, ut decipiat. quod ſatis declarat diuus Auguſtinus, magicas artes reſpuens tanquam diabolicas, atque hominibus exitiales. Damnat & hoc præceptum omnes illos qui aduerſæ fortunæ aliorum'ue malorum, diabolum, aut improbos homines autores eſſe putant ac credunt. Quandoquidem non eſt malum (ut ait Propheta) quod non fecerit Dominus: puta permiſſiuè. Et proinde pius ille fuit qui dixit, Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomẽ Domini benedictum. Noſtra peccata in cauſa potiſſimùm ſunt, quando iuſtam Dei iram in nos prouocant. Vnde, miſericordię Domini (aiebat ille) quòd non ſumus conſumpti. Si hoc autem nõ licet, uideant ij qui morbos uariasq; calamitates ſanctis in cœlo aſcribũt, ipſosq; illorum autores eſſe exiſtimant. Sancti enim orant pro nobis, ut cuncta mala à nobis auferantur, ipſi neminem lædunt, nemini nocent, qui ſemper prodeſſe ſtudent. Et in ſumma nobis hic iniungitur, ut in ſolum Deum ubique, & in omnibus factis ſperemus, certò confidentes in eum, & nullam rem præterea aliam. Fit enim creatura nobis Deus alienus, quamprimùm ſentimus illam auxilio præter naturam eſſe poſſe. Quemadmodum uerò Deus uult, ut nullos deos habeamus alienos: ita proculdubio mandat, ut cognoſcamus uerè ipſum ſolum ac unicum, qui fecerit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, quibus ipſe det uitam & inſpirationem. Actor. 17. Non habens principium neque finem: nam ipſe α & ω, principium & finis eſt, immortalis, æternus, uerax, omnipotens, quod hoc nomine Adonai oſtenditur. Exod. 6. & tetragrammaton, quod ſignificat diuinam eſſentiam nudam ac puram: quare quidem olim à ſolo ſummo ſacerdote nominabatur in benedictionibus fiendis. Quia igitur hic Deus noſter ſanctus ſanctorum eſt, meritò ipſius eſt regnum, honor & poteſtas. Et quis poterit ex ipſius manu eruere, cùm omnia nuda & aperta ſint coram oculis eius, cui omne cor patet & omnis uoluntas loquitur? Ergo ſit in eo omnis ſpes & fiducia noſtra, & exhibeamus illi amorem, timorem, gloriam & laudem, ut uiuenti in ſecula ſeculorum.

Hieron in 13 Zacha. 2 Pet. 1. Epiphan. Auguſtin. & alij. Cõcil. Carthag. cano. 39. Concil. Aquit. can. 1. Auguſtin. de ciuitate Dei. Amos 3. Iob. 1. Hierem. 3. Philip. 2. Actor. 4.

Non uſurpabis nomen Dei tui in uanum.

HVius ſenſus eſt, ſiquidem Deum timere atq; amare oportet, ne ſacroſancto eius nomine ulla ratione abutamur, quin ipſum potius pro ſua ſanctitate ſuper omnia magnificemus: in omni re tum proſpera, tum aduerſa, illi gloriam demus: toto animo ab omni eius contumelia & blaſphemia ſollicitè nos contineamus. Idq; in genere mandatur, ut ſcilicet ab omni prophanatione illius ſanctiſſimi nominis abſtineamus: fit enim hoc multis modis. Primùm, quando quis ex rancore uel inuidia aut ſuperbia quadam blaſphemat: quem olim morti deſtinabant Iudæi, ex præcepto illo: Educ blaſphemum extra caſtra, & lapident eum omnis populus. Leuit. 24. Secundò, blaſphemat qui à fide & uerbo Dei uero deficit, quemadmodum fecerunt Alexan-

der & Hymenæus .1. Timoth. 1. Quos(inquit Paulus)tradidi ſatanæ, ut diſcãt
non blaſphemare. Tertiò, in uanum uſurpant hoc nomen Dei longè auguſtiſ
ſimum, qui falſò iurant in iſto, eoꝗ nitũtur ſuum decipere proximum. Quod
certè pernicioſiſſimum homini eſt. Quomodo enim magis dehoneſtari
Leuit.19. poſſet æterna ueritas, quàm ſi mendacij teſtis citetur? Hinc lex dicebat, Non
Pſal. 23. peierabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Et Chriſtus dixit: No-
lite iurare, neque per cœlum, neque per terram, nec etiam per caput, & cęt. ſed
Matth.5. ſit ſermo ueſter, eſt eſt, nõ non. Ex quo certè plures contendunt, non ſolùm pe
ierare prohiberi: quinetiã omne iuramentum, licet ad ueritatẽ aſſerendam et
confirmandã factum. Sed falluntur, quandoquidem Paulus omnis controuer
ſiæ finem, ad confirmationẽ iuramentum eſſe dicit. Iurauit & ipſe hoc modo,
Ego(dicens)teſtem Deum inuoco in animam meam .2 Corin. 1. Item, Teſtis
eſt mihi Deus, Phlip.1. Vnde & diuus Auguſtinus: Si peccatum(inquit) eſſet
iuratio, nec in ueteri lege diceretur, Non peierabis: quantũ igitur ad me per-
tinet, non iuro, niſi magna neceſſitate compulſus. Hæc ille. Idcirco propria
ac priuata temeritate iurare, ſolùm damnabile eſt. quemadmodum idem Au
guſtinus habet, dicens: Quantum in ipſo eſt, quiſque non iuret. quod multi
faciunt, in ore habentes iurationem tanquam magnum ac ſuaue aliquid: ali-
oquin Apoſtolus nouit præceptum Domini, & tamen iurauit. tantum ille.
Quapropter Magiſtratus hic ſolerter agere debet, ne facilè iuramentum exi-
gat. Iudicantem enim oportet cuncta diligenter rimari, & ordinem rerum ple
Cauſa 30. na inquiſitione diſcutere, & tandiu actionem uentilare, quouſque ad rei ueri-
q. 5. Iudi. tatem perueniatur. Demum prophanatur & illud ſanctiſſimum nomen Dei,
quando per ipſum fiunt maleficia, incantationes, & aliæ ſuperſtitiones diabo
licæ. Equidem ſumma hæc eſt contumelia, qua ipſe Deus afficitur: quapro-
Exod.22. pter Moſes Iudæis mandato ſtrictiſſimè commiſit, ne paterentur maleficos ul
los uiuere. Et iuſtè quidem, quoniã magi pacta aliqua ineunt hoc modo cum
dæmonibus, & idcirco uoluntariè apparent uel aliqua faciunt: ſed qua de cau
ſa, nunquid ut iuuant? imò(ait Auguſtinus)ut in errore teneãt homines iſtos,
qui putant ſe ex arte eſſe tam potentes, & proinde iuſto Dei iudicio condem
nati, niſi ſeipſos correxerint.

Recordare diei Sabbati, ut ſanctifices eum.

PErtinet quoque ad Dei huius noſtri cultum atque pietatem, quæ non tan
tùm oris confeſſione fieri debet, ſed etiam opere: ut exhibeamus nos in
omnibus tanquam Dei miniſtros, Sabbati obſeruatio: non eius tamen qui Iu
dæis ex præcepto ſolennis ac ſacerrimus fuit, non quidem quod irritam facia
mus Dei de illo legem, Exod.20. ſed quia ut ueri Iſraëlitæ ſcimus atque pro-
fitemur præſtitam in Chriſto Ieſu Domino noſtro eam promiſſionem quę pa
Galat.4. tribus iureiurando facta fuit, & hoc una Sabbati, quãdo ille mortem noſtram
moriendo deſtruxit, & hoc die uitam reſurgendo reparauit. Quem proinde
Patres noſtri diem dixerunt Dominicum, & ſolenniter celebrauerunt, teſte
Ignatio, & Apocal. 1. habetur. Maximè autem hic dies à nobis ſanctificatur,
cùm nón tantùm à manuarijs ceſſamus operibus, ſed ſi prauis noſtris cupidi-
tatibus atꝗ ab improbis carnis operibus ceſſamus. quando dictum eſt, Om-
Leuit.23. ne opus ſeruile non facietis in eo: peccatum intelligens. Qui enim peccat,
peccati eſt ſeruus. Et Propheta dicit, Beatus uir cuſtodiens Sabbatum, ne pol
luat illud, cuſtodiens manus ne faciat omne malum. Eſa. 58. Compertum eſt
etiam Iudęos hoc die potiſſimum conueniſſe, quo precibus ac gratiarum acti
Actor.13. one Dominum Deum celebrarent, atque audirent legem & prophetas: nec-
1 Cor.16. non egenis ex ſuo ęre ac bonis elargirentur. Quod ut Deo gratum fuiſſe ipſa
teſtatur ſacra ſcriptura, ita ueris nobis Dei cultoribus amplectendũ & omni
ſtudio imitandũ erit. Quod & prędeceſſores noſtros ſtudioſe feciſſe, clarũ eſt

1 Timoth.

1 Timoth. 2. Vbi Apoſtolus præcipit fieri in Eccleſia obſecrationes, poſtula-
tiones & gratiarum actiones, & cęt. Quam etiam orandi formam adhuc tenet
Eccleſia catholica ſtatutis ſuis temporibus. Quam uerò addeceat ſacram audi
re lectionem, non ſaltem exempla docent, ſed ipſa quoq; rei neceſſitas urget.
Iudæi audiuerunt magnalia Dei, & quid ipſis pollicitum de Meſſia & terra
ſancta fuiſſet, quanto magis operæprecium erit audire Euangelium Chriſti; *Actor. 13.*
ut ſciamus quis ſit ille, & quid nobis per Ieſum Chriſtum ſit boni allatũ? quis
ſtatus rerum noſtrarum, & in quem finẽ tendere oporteat? Fides (ait Apoſto- *Rom. 10.*
lus) ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Veram autem ac uiuam fi- *Galat. 5.*
dem, idem hanc eſſe edicit, quæ operetur per dilectionẽ, ideo noſtra ſubſtan-
tia proximũ adiuuare tenemur. Quapropter diuus Paulus Corinthios ad col
lectas potiſſimum Dominico die faciendas, diligenter adhortatus eſt, præce-
ptum magiſtri ſui Ieſu memoria retinens: Quod ſupereſt, date eleemoſynam, *Luc 11.*
& omnia munda ſunt uobis. Qui igitur à manuarijs ſolùm abſtinẽt operibus,
& nihilominus opera carnis perficiunt, Sabbatum Domini non ſanctificant,
imò polluunt, uiolant atq; prophanant, & ſunt impij. Quod inde uerũ eſſe pa
tet, quia per Eſaiam Dominus Iudæorum olim feſtiuitates reiecit, ſic dicens:
Neomeniam & ſabbatum, & feſtiuitates alias non feram: manus enim ueſtræ
plenæ ſanguine ſunt. hoc eſt, omnibus commaculati peccatis mihi feſtiuita- *Eſa. 58. &*
tes peragere uultis, cùm abominatio ſit mihi. Quàm ergo Deo acceptæ ſunt *1. cap.*
noſtræ feſtiuitates, facilè dijudicabit, qui ſpiritum Dei habet: quibus non tan
tùm Baccho, ludis & choreis operam dare uidemus, ſed etiam alijs innume-
ris uitijs: ita ut mirum ſit, quòd tam diu ſinat nos Deus impunitos. Porrò ubi
tu dicere poſſes, ad quid nobis hæc dies & aliæ feſtiuitates præcipiuntur cu-
ſtodiendæ, adeò ut nullis laboribus manuum noſtrarum uacemus? Sciẽdum
ueram obſeruationem ſuo præmio minimè carere. Præter enim id quod in ua
num oculi noſtri uigilant (dicente Propheta) niſi ſeruet nos Deus: promitti- *Pſal. 126.*
tur nobis Deum iugiter colentibus, uerus ille ſabbatiſmus, hoc eſt æterna re-
quies, in regno cœlorum. Heb. 4. Quemadmodum enim filij Iſraël, cuſtodien
tes mandata atq; leges Dei per caſus uarios & tot pericula in terram promiſ-
ſionis Canaan uenerunt, & omni bono potiti ſunt: ita ſanè ueri Chriſti Ieſu a-
mici ſi fuerimus, poſt hanc ærumnarum tempeſtatem transferendi ſumus eò,
ubi eſt (iuxta prophetam) lætitia ſempiterna. Hac igitur potiſſimum ratione *Vide Epi-*
leges & præcepta Domini obſeruare pro uirili nitimur. Non quòd in ijs ſit ſa *ſtolam Pau*
lus noſtra & ſanctificatio, quoniam Chriſtus redemit nos de maledicto legis, *li ad Gal.*
id eſt de pœnis tranſgreſſoribus debita. Data lex fuit non ut peccatũ auferret,
ſed ut ſub peccato omnia concluſa oſtenderet, ut ægrum de ſuo morbo con-
uinceret, & medicum quærere indicaret. Sic etiam nemo iuſtus timet legem:
qui autem peccauerit, ſcit ex lege damnationem, & reſipiſcens ex Chriſto in-
dulgentiam & beatitudinem.

Honora patrem & matrem.

SVmmus ille Deus noſter, honore & reuerentia dignus, uerus eſt omnium *Quartum præceptum.*
noſtrorum Pater, Scriptura dicente: Non'ne Pater tuus eſt qui fecit & cre
auit te? Deuteron. 32. & Malach. 2. Quod etiam ab eo omne datum optimum,
& omne donum perfectum procedit. Iacob. 1. Tamen alios patres penes ſe pa
titur, ipſiſq; honorem debitum iubet exhiberi: non diuinum quidem, qui ei
ſoli competit, ſed talem quem homini dare fraterna exigit dilectio. Cùm enĩ
Herodes diuinum ſibi deferre honorem pateretur, uermibus conſumptus o-
bijt. Actor. 12. Debemus igitur in primis uenerari parentes, quia ab ipſis pro-
creati ueſcimur hac aura. Quid autem præſtantius uita homini? non ob id
quidem quod mundi uita eſt, ſic enim eſt miſerrima, Iob. 13. Sed quia tranſitus
eſt ad aliam uitam, beatiſſimam quidem ac perpetuam. Deinde honor ille exi

Z ij gitobe-

git obedientiam,ſiquidem monent docentq́ꝫ ea omnia,quæ ſpectant ad ſalutem noſtram,tum corporis,tum animæ. qua de re Apoſtolus: Filij(dixit)obedite parentibus ueſtris,hoc enim iuſtũ eſt,&c.Epheſ. 6. Præterea ut iubemur parẽtes noſtros honorare, ita neceſſitate oppreſſis, ut cũ ſenio confecti ſunt, & laborare non ualent,uel aduerſa laborant ualetudine,uitæ neceſſaria ut præ-

Tobiæ 4. ſtemus lege illa aſtringimur,memores quantis laboribus & ærumnis nos à cunabulis enutriuerint,ita ut nullũ eis reddi poſſit ęquiualẽs. Quàm grauiſſimè igitur peccant ij,qui nõ ſolùm ſuis parentibus neceſſaria negant,uerumetiam mala precantur,obtrectant,& aliquando manus uiolenter iniiciunt? Quòd ſi Cham punitus eſt, quia patrem ſuum Noë temulentum & nudatum deriſit: quid illis euenturum arbitramur, qui meliorem norunt iuſticiæ uiam, & tamen præuaricantur? Pro parentibus noſtris ſollicitus ipſe Deus, certiſſimam equidem maledictionem minatur filijs, qui mutuam uicem ac gratiam referre neglexerint. Leuit.20. Qui maledixerit (inquit) patri ſuo,aut matri, morte moriatur. Quòd filij nequam fuerint, Scriptura non tacet. 1 Reg. 3. Quos ut damnat, ita rurſum alios commendat imitandos:ut Iſaac, qui obediens patri ſuo dixit:Ecce ego.Gene.22.cap. cùm Abraham ex iuſſu Domini ipſum offerendum ad montem deduxit.Item Iacob,Geneſ.27.cap. quem reuerenter Ioſeph ut patrẽ deinceps excepit & tractauit: ibidem exemplum proinde præclariſſimum omnibus filijs imitandum exhibens. Sed quid plura adferre neceſſe eſt de Iudæis,quando gentes Deum ignorantes, dum miſerrimi lumine

Epheſ.6. gratiæ caruerunt,extra etiam omnem ſalutem conſtituti, tamen honorem pa-

Vice verſa parentes educare debent liberos in diſciplina & correptione Domini. rentibus exhibendum ſummum dixerunt. ut Pythagoras, ut Menander. Et refert quædam hiſtoria, Romæ filiam ſuam matrem in carceribus detentam, proprijs mammillis ſuſtentaſſe multum temporis, ita ut plures obſtupefacti, factum hoc ut egregium publicauerint. Pudeat idcirco omnes, omnes nos, ſi quando erga parentes noſtros inuenimur ingrati, inhumani, ac duri, in hoc ipſis beſtijs peiores: illæ enim inueniuntur ſuis progenitoribus ferre ſuppeti-

Plin li.10. cap.23. as, cùm nos ratione præditi,noſtram mercedem in cœlo eſſe certò ſciamus, ſi quid in parentes contulerimus boni.

Non occides.

Præceptum quintum. QVid quæſo horribilius ac miſerius eſſe poteſt, quàm quòd homo hominem occidit? Quòd ſi homicidiũ lex diuina & ciuilis non prohiberent, lex tamen ipſa naturæ ſatis deterreret, ne homo hominem interimeret:noſtra item creati corporis forma. Cùm enim bos cornu petat,leo unguibus diſcerpat, & urſus pede occidat,& ſerpens ueneno inficiat: nihil in totius corporis humani factura uides, quod ad lædendum datum ſit. Imò(ut prouerbio dicitur) Homo homini Deus eſt, propter ſalutem quam afferre alter alteri debet,& beneficium quo inuicem iuuant. Et bruta ac beſtiæ pacificè uiuunt. ſic leo leonem minimè dilacerat,nec urſus urſum: quanto magis decet hominem mitem ac pacificum eſſe? Quando autem homicidium uſq; adeò factum eſt inhumanũ,quantò magis erit contra Chriſtũ, & proinde Chriſtiano homine indignum,cùm inuicem membra ſimus & fratres: & quibus dictũ eſt:Diliga-

Ioan.15. tis inuicẽ:in hoc enim cognoſcimini,quòd mei diſcipuli ſitis. Quod igitur cõtinuè quaſi inter Chriſtianos bella geri uidemus, proculdubio ſatana fit extimulatore,qui fuit(Chriſto teſte)homicida ab initio. Ioan.8. Vnde etiã noſtræ, hoc eſt Chriſtianę religioni,nihil magis contrarium, q̃ triſtia quę indies ſuſcipiuntur bella. Ne tamen omnẽ hic damnemus gladij uſum,quod diuus Apo-

Rom.13. Auguſtin ad Marcellinum epiſtola 5. ſtolus Romanis ſcripſit,obſeruari uellemus: ut ſcilicet poteſtas gladio uteretur ad uindictam malorũ,atq; defendendam iuſticiam. Vnde nec milites impij dicendi ſunt,qui iuſtè militant. Nã ſi Chriſtiana diſciplina omnia bella culparet, dictũ eſſet militibus petentibus ſalutis conſilium,ut abijcerent arma,ſeq; mi-

litiæ omnino ſubtraherent. Dictum eſt autem: Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat uobis ſtipendium ueſtrum. Luc. 3. Et hoc modo nec ſanctus homicidium commiſit Moſes, quoties gladio uindicauit facinora populi Iſraelitici. Exod. 32. Nec Salomon quādo occidit Adoniam, Abiathar ſacerdotem, & Ioab malos Dauidis inimicos. 3 Reg. ca. 2. Verùm ut iuſtè punire poteſt flagitia magiſtratus, ita ualde perſpiciendum ei nè ſanguinem fundat innocentē: magnum enim eſt & graue peccatum in cœlum clamans. Geneſ. 4. Sic iniquiſſimus fuit Achab, & peſſimè egit, quando iuſtum occidit Nabath. 3 Reg. 21. Et Ieſabel diabolica beſtia meritò damnaē; quòd iniuſtè iuſtos Domini prophetas interemit. Pia igitur poteſtas contēdere debet, ut (quemadmodū Scriptura dicit) iudicet populum iuſto iudicio, non accipiens perſonam neq; munera. Deut. 17. Porrò eſt & aliud homicidium, quod lex uetat, ſpirituale ſcilicet atq; cordis, de quo Ioannes: Omnis (inquit) qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Deus equidem ſcrutator eſt cordis humani, quod ſcit illê à natura eſſe prauū. Hierem. 7. Quare etiam læſus cor atq; animū habet ad nocendum paratum, qui cùm cœpto deſiſtit, aut non poteſt opportunè ſe uindicare, aut ſuæ uitę timet. Iuſtè igitur coram Deo ut homicida iudicatur. Quare præadmonet de cordis puritate & rectitudine Ioannes, dum ait: Fratres, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, &c. 1 Ioan. 3. Et Chriſtus tradens perfectiſſimā legem Domini à Iudæis malè intellectam: Audiſtis (inquit) quia dictum eſt antiquis, Non occides, &c. Ego autem dico uobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Matt. 5. Videtur & ſub hoc precepto haud abſurdè comprehēdi detractores, & qui malitioſè famam proximi proſcindūt: quemadmodum Iudęi fecerunt Chriſto, dicentes ipſum habere dæmonium, ſeducere turbas, & helluonē eſſe: nam quicquid eiuſmodi *Ioan. 10.*
eſt, oritur ex animo latrocinio pleno. Et quomodo iudiciū noſtrum culpa carere non poteſt, quoniam (dicente Apoſtolo) Dei iudicium ſecundum ueritatem eſt, & nō hominis, Rom. 2. Nemo tamen exiſtimet omne iudiciū hic prohiberi, ſed ſolùm illud quod à priuatis et malitioſo ex animo fit, de quo dictū eſt: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Matth. 7. Hinc etiam illi nequam homines, qui libellos cudunt in proximum famoſos, quo ipſum ſi non factis, tamen uerbis contumelioſè lędant, omni condemnatione rei erunt. Quid etiam non moliuntur? quem non quoq; mouēt lapidem, quo proximū infamē atq; *Cauſa 5. q.*
cunctis exoſum faciant? Et hæc omnia idcirco ualde fugienda ſunt, quia pu- *1 ca. ſi qui.*
gnant cum præcepto charitatis: qua mandatur, ut proximū à nece defendas, *Cod. lib. 9.*
atq; ſummo ſtudio iuues, conſilio, facto & omnibus modis: ſiquidem unum *titul. de famoſ. lib.*
ſumus in Chriſto, unius Patris filij, per Chriſtum ex tartaro liberati. *Matth. 22.*

Non adulterabis.

Qvi nos creauit Deus, cognoſcit quale figmentū ſit homo, & quàm prauum ſit cor eius. Proinde non ceſſat admonere, promittere, & demum quoq; lege imperare, quo malū refugientes euitemus. Dicit ergo: Non adulterabis. Procliui ſumus omnes ad malum, non quidem ex creatione, ſed uitiata noſtra natura, propter delictū unius hominis: ex quo (ut Paulus dicit) filij iræ cōſtituti ſumus. Vix autem peccatum eſt, quod magis nos ſtimulet, quàm carnis petulantia, ut concupiſcas quamcunq; licet mulierem, qua expleas tui animi appetitum, innatum illum carnalem. Itaq; Deus ipſe modum præſcribēs naturę huic noſtrę: Vnius uiri & unius mulieris coniunctionem inſtituit, atq; uult obſeruari: Non (inquit) bonum eſt hominem eſſe ſolum, faciamus ergo ei adiutorium ſimile ſibi, & ſint duo in carne una. Et propterea uetàt adulterium ſub pœna etiam mortis. Leuit. 20. Quàm ſtrictiſſimè uerò in tranſgreſſores animaduerti uoluerit Deus, multis ſanè docemur exēplis. Num. 25. Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, & iratus Dominus dixit ad Moſen:

Sextum Præceptum. *Rom. 2.* *Geneſ. 2. & 3.*

 Tolle

Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende contra ſolem ut auertatur furor
meus ab Iſraël. Vbi etiam uideant(docente Origene)principes populorum:
non enim tantùm pro ſuis punientur delictis, ſed etiam pro ſibi ſubiectis, ſi
negligentes fuerint. Quid Beniamitis acciderit, quando abuſi ſunt uxore cu-
iuſdam Leuitæ, Scriptura minimè tacet, Iudicum 20. Filij Heli ſacerdotis, hu-
ius uitij cauſa gladio interemptos, ſcribitur 1 Regum 4. Hanc ob rem multi
iam reperiuntur, matrimonium qui abhorrent, & malunt cœlibem uiuere ui-
tam. Hic autem aliud haud minimum emergit periculum, cùm nemo conti-
Matt.19. nere poſſit, niſi Deo Domino dante. Non omnes (inquit) capiunt illud.
Quòd ſi igitur continere nõ poteſt, nubat(ait ille)in Domino. Melius eſt enĩ
nubere quàm uri, pręſertim cùm fornicari minimè liceat. 1 Corinth. 5. Epheſ. 5.
Galat. 5. ubi diuus Paulus ſeueriter intonat contra adulterium & fornicatio-
nem, ſecludens à regno Dei omnes qui iſtis uitijs dediti eſſent. Sitq; donum
gratiæ Dei caſtitas, tamen adiuuari ac promoueri eam poſſe, minimè dubium
eſſe poteſt, ieiunio uidelicet & maceratione carnis: quandoquidem Apoſto-
Epheſ 5. lus inquit, Nolite inebriari uino, in quo eſt luxuria: id quod apparet in Holo-
2 Cor. 11. ferne. Iudith 13. Item, ocium ut fugias. Ocia ſi tollas(ait) periere Cupidinis ar-
cus. Et Ezechiel oſtendere uolẽs Sodomę miſerrimam pœnam ac interitum.
Hæc fuit(inquit)iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & ocium. Cæte
rùm illud præceptum Dei, non tantùm opere, ſed etiam cogitatione transgre
di poteſt: Matth. 5. ubi Chriſtus dixit mœchari illum, qui uideat mulierem
ad concupiſcendum eam. Et quis dubitabit, & illos hoc pacto præuaricari,
Rom. 1. qui adulteria promouent quocunque modo? cùm Apoſtolus dicat: Non ſo-
lùm qui malè faciunt, digni morte ſunt, ſed etiam qui conſentiunt faciẽtibus.
Vult ergo Deus, quoniam à nobis timeri atque diligi debet, ut ſimus ſancti,
quemadmodum ipſe ſanctus eſt.

Non furtum facies.

Septimum præceptum. EST & hoc contra charitatem proximi, ſi quis rem tollat quam non poſuit,
abſq; iure uel licentia. Iſtud mandatũ habemus à Domino, ut libenter no
ſtris ex marſupijs egentibus ſubueniamus. Quo pacto igitur furtum non gra
uiter puniendum erit? Enimuerò ſeueriter Deum in fures ut animaduerterẽt
uoluiſſe, ex eo patet quòd ſcriptum eſt: Qui furatus fuerit hominem, & uendi
derit eum, morte moriatur. Exod. 21 & 2·. Furtum igitur committitur in per-
ſona, & rebus perſonarum. Ergo fur fuit Saul, quando uxorem Dauid Mi-
chol abſtulit. 1 Regum 25. Et illi fures, qui Sampſoni uxorẽ tulerunt: Iudicum
14. Nec impunè Acham pallium & ſiclos ducentos furatus eſt: ſiquidem iuſ-
ſu Ioſuæ lapidauit eum omnis Iſraël, & cuncta illius igne conſumpta ſunt. Io-
ſuæ 7. Quæ quidem ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe debent. Nam ſi iu-
ra neminem condemnarent propter furtum ad mortem, tamen pœnam ſu-
am haberent omnes fures: ſiquidem illos diuus Apoſtolus regno cœleſti ex-
cludendos dicit. 1 Corinth. 6. Et iuſtè quidem, quando lex charitatis ſanctiſſi-
ma per eos uiolatur, quæ ſola beatos facit fideles. 1 Corint. 13. Vbi uidere poſ-
ſunt militantes, qui non contenti ſtipendijs ſuis, ſed ex alienis ditantur calami
August. cõtra Fauſtũ Manich. tatibus: uiuitur ex rapto, nec ullius iuſticiæ reſpectus habetur. Item mercato-
res, & omnes uſurarij, infœliciſſimum genus hominum, dum pauperem miſe
rè expilant, & quorum uitio fit, ut fame & inedia prematur: & illud modò tam
latè ſeſe ad omnes extendit uitium, ut ferè uitium eſſe deſierit. Taxantur &
hoc loco, qui muneribus corrupti bonum dicunt eſſe malum, & tenebras lu-
cem. Eſa. 1. peruertentes iuſticiam & æquitatẽ propter ſacrum denarium. de
quibus olim Propheta: Iudices(dixit)eius lupi ſunt. Ezech. 30. Et alius: Aua-
ri & cupidi fraudulenter rapiebãt. Sopho. 3 Et iam quoq; dici poſſet: Omnes
diligunt munera, ſequuntur retributiones. Eſa. 1. Damnat & hoc præceptum
eos qui

eos qui fouent fures,& furto ablata cuſtodiũt: quos proinde Scriptura appellat ſocios furum. Eſa.1. Præterea eſt & aliud genus furum exitiale nimis, quanto bona animi pręſtantiora bonis corporum, uidelicet homines peſtiferi et uirulentiſſimi, qui fallaciter uerbum Dei ſanctiſſimum è cordibus hominum furantur. Hierem.23. Tales tempore Apoſtolorũ extitiſſe, ex Paulo liquet, dum ait ille: Pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. 2 Cor.11. Erant enim miniſtri ſatanę, peruertentes quę ab ipſis Apoſtolis docebantur, & ſeducebant multos. Ea eñ militia ineſt ſatanæ, ut nunquam non moliatur malum atq; exitium uineæ Domini. Quare etiam pientiſſimus Ieſus, fideli admonitione omnes, ut à falſis attendant prophetis, præmuniuit. Matt.7. Optimè quia nouit, quantum detrimentum ab illis accipiamus, dum non corpus, ſed animam auferunt, precioſiſſimum hominis bonum. Demum ſunt & hi fures coram Deo, qui creaturis tribuunt, aſcribentes illis ſi quæ eueniunt & ex uotis ſuccedũt bona. Ego Dominus(ait) Deus, & gloriam meam non dabo alteri. Eſa.42. Ipſe igitur ſolus erit, qui(ut ſcriptura dicit) facit uiuere & ſanat, & in cuius manu ſunt omnes fines terræ. Quapropter hoc præcepto admonemur, ne defraudemus ullo pacto proximum, ſed ut iuuemus ipſum, non tantùm conſilio, ſed etiam ope, neceſſitatem patientem. Quoniam inuicem fratres omnes ſumus, inuicem quoq; membra eius corporis, cuius caput 2 Cor.12 Chriſtus eſt, qui nos in admirabile lumen ſuum uocauit propterea quò eſſemus perpetuò uicturi.

Non falſum perhibebis teſtimonium.

QVandoquidem Dominus Deus populum habere uoluit ſanctum ac probum, quemadmodum illis dixerat Moſes, Dominus elegit te, ut ſis populus ei peculiaris, ut ſis populus ſanctus. Deuteronomij 26 cap. & proinde tot præcepta eis dedit: neceſſe fuit, ut & falſum teſtimonium non perhibendum mandaret, eò quod pernicioſiſſimum atq; exitiale malum eſt: lęditur enim hoc pacto proximus uſq; adeò, ut damnum uix recuperare poſſit. Vnde iudicibus olim à Domino ſeueriter mandatum fuit, ut iuſtè diſcernerent non ad libitum ſuum, ſed ſecundum legis decretum, nullius perſonam ſuſcipiendo, ut iuſtum iudicium feratur. Deuter.17. Atqui ut hoc fieret, non parum in teſtibus ſitum erat, quapropter uerum & nullum falſum perhiberi iubet teſtimonium. Ex falſo teſtimonio Naboth iuſtus ac probus lapidatus eſt: erant enim duo filij Belial, literis Ieſabelis ſubornati, qui dicerent: Benedixit Nabath Deum & regem. 3 Reg.21. Quod ſanctus Daniel in Babylonia leonibus diſcerpẽdus proiectus eſt, per malos ac falſos teſtes factum fuit. Daniel. 6. Et Suſanna caſtiſſima coniux in diſcrimẽ mortis incidit, eo quòd duo nequã ſenes teſtimoniũ tuliſſent, ipſam adulterium commiſiſſe. Daniel. 13. Et proinde hanc contra mendaces teſtes tulit Deus ſententiam, dicens: Cùm inueneris falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddatur ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit. Deut.19. Et diligentiſſimam perſcrutationem fieri uoluit Deus, eo quòd facilè deflecteret uel ad dextram uel ad ſiniſtram. Non ſolùm autem odit Deus mendacium, quia mendaces famam proximi proſcindunt, ipſumq; lædere ſatagũt: uerumetiã, quia ueraces eſſe uult ſuos, nam & ipſe ueritas eſt. Qui ergo ſcienter negat ueritatem, negat Deum: quòd certè permagnũ eſt, iuxta illud: Perdes omnes qui loquũtur mendaciũ. Pſal.5. Sunt tamen (Auguſtino docẽte) mendacia quædã licita, quę fiunt non ex malitia, ſed pro ſalute et commodo alicuius: quemadmodum conſtat de obſtetricibus, qui falſum dixerunt Pharaoni, propter ſaluandos Hebræorum pueros. Et quando Exod.1. Abraham Saram dixit eſſe ſuam ſororem, interrogatus ab Aegyptijs. Geneſ. 12. Item quando Dominus Ieſus Pilato interroganti quid eſſet ueritas, non reſpondit. Sic ergo mandauit Deus, ut tanquam fidelis ſeruus, ac filius Chri- Ioan.18.

Præceptum octauum.

ſti ſui, uerax ſis, & ueritatis teſtis. Cùm igitur audis uel uides falſo proſcindi fa
mam proximi tui, & eum accuſari iniuſtè, maleficium ne taceas, ſed loquere
palàm id quod uerum eſſe noſcis, quo liberes eum à malo futuro, ſitq; ſermo
noſter eſt eſt, nõ non: quemadmodum Saluator dixit, & diuus Apoſtolus iuſ-
Epheſ. 4. ſit, dicens: Loquimini ueritatem unuſquiſq; cum proximo ſuo. Vbi certè ui-
dere poterunt aſſentatores & alij qui proximũ opprimunt in iudicijs, ex odio
uel ob priuatum quoddam commodũ. Et cùm ab omnibus hoc exigatur ueri
tatis teſtimonium, tamen præcipuè apud illos eſſe debet, qui uerbum Dei an-
nunciant, à quibus mendacium procul abeſſe debet: ipſi enim à Chriſto ad id
muneris propterea uocati ſunt, ut teſtimonium dent ueritati. Ioan. 15. Etiamſi
Matth. 10. capitis periculum immineat, eis dicente Domino: Nolite timere eos qui occi
Eſa. 56. dunt corpus, &c. Idcirco ualde miſerum eſt, & peſtiferum, ſi quando ueritas
ab illis obticetur, imò impugnatur: uel quòd ſuperiores ſuos pertimeſcant,
quos proinde Scriptura canes mutos appellat: uel magis priuatę quàm publi
cæ rei incumbant, unde puluillos conſuere dicuntur. Ezech. 13. Eosq; diuus
Chryſoſtomus proditores ueritatis olim dixit. Qui igitur ueri amatores Chri
ſti atq; ueritatis ſunt, ſurſum rapti, quę ab ipſa parata conſiderãt. Et, quod Scri
ptura dicit, Exaltabitur cornu iuſti: hoc eſt, in maxima gloria erit. Et Chriſtus:
Qui facit ueritatem, uenit ad lucem. Ioan. 3.

Non concupiſcas domum proximi tui.

Præceptum nonum. VT omnino populus Dei uitijs & peccatis careret, ecce non ſolùm prohi
ber Dominus factum, ſed et ipſum faciẽdi mali affectum uel appetitum.
Etenim cor hominis prauum eſt. Hierem. 17. Et concupiſcentia inualeſcẽte, fit
Iacobi 1. cõſenſus, & ille parit peccatũ, et peccatũ generat mortẽ. Vnde benè dictũ eſt,
Non cõcupiſcas: quando ex corde promanat quicquid mali agimus, & per ſe
Matth. 9. malũ eſt, dicẽte Chriſto: Hypocritæ, quid mala cogitatis in cordibus ueſtris?
Hic Chriſtus malũ uocat, quod tamen ſolùm mente conceptũ erat. Interdicit
ergo Dominus Deus hic omne deſiderium poſſidendi aliorum bona: qua ra
tione multo magis uetat, ne quas inſidias uel ullam fraudem intendas, ut rem
excutias proximo tuo. Tradidit enim illi Deus eiuſmodi bona, quia pater e-
ius æquè atq; tuus eſt. Patris autem eſt educare ſuos filios, quod & facit Pater
noſter cœleſtis, licet differenter, quo pauperes per patientiam regno cœleſti
potiantur, & diuites propter diſpenſationem bonorum in æterna recipiantur
Ambroſius in Lucam. tabernacula. Proinde Propheta acriter increpabat, ſi quis alienæ rei cupidus
eſſet: Væ (dicens) uobis, qui coniungitis agrum ad agrum, domũ ad domum.
Eſa. 5. Et quid prodeſt ſic inhiare opibus atq; diuitijs, cùm hinc recedendum
ſit, cùm nihil certius morte, & quando moriendum nobis omnino occultum,
eo quòd nihil incertius hora mortis? Quare iuxta Euangelium diuiti illi di-
ctum fuit: Stulte, hac nocte repetunt animã tuam à te. Luc. 12. Et bene diuus
Paulus obinde locutus eſt: Nihil intulimus in mundum, haud dubium quin
1 Timot. 6. nihil auferre poſſumus. Eſt igitur uoluntas Dei, ut unuſquiſq; ſua ſorte cõten
tus ſit, quam à Domino accepit. Si illa exigua eſt, eo tutiorem acceſſum habe-
bit ad uitam: nam qui amplam habet ſubſtantiam, multisq; abundat, certè ille
maiorẽ curam habebit, quo eam ritè ac benè diſpenſet. olim de ea re rationem
redditurus. Haud igitur fruſtrà dictum eſt: Difficile eſt diuitẽ intrare regnum
cœlorum. Mat. 19. Omnes certè homines uillici ſunt Domini Dei. Quid enim
habet homo quod non acceperit? Omnes igitur manifeſtari oportet ante tri-
2 Cor. 5. bunal Chriſti, ut referat unuſquiſque prout geſſit in corpore, ſiue bonum ſiue
malum, ut ait Apoſtolus. Taxantur idcirco hic omnes illi, qui ſtudent dies no
cteſq; proximum domo pellere, & agros eius arripere, ſusq; deq; ferentes ut
uel inedia uel deſperatione pereat.

Non

Non concupiſcas uxorem eius.

PRæcedenti præcepto cauit Dominus, ne domum aut agrum, libidine habendi appeterent: iam et uxores et familias quoq; interdicit, quo intercluderetur ſatanæ omnis uia homines adeundi. Ea ſiquidem inerat Iudæis malitia, ut ſi quis alterius uxorē cœpiſſet amare, cauſam fingeret qua ſuam eijceret domo, & illam alteram ad ſe tranferret, & nonnunq; perimebantur legitimæ uxores: ob quam duritiam Moſes libellum conceſſit repudij. Hic ergo Deus reijcit atq; prohibet, ne uxorem uel familiam expetas proximi tui. Quare grauiſſimè quoq; peccant, qui propter uxores atq; uiros, eorumq; bona, alterum coniugum obijſſe uellent. Hæc de decē Decalogi præceptis, quæ ſub breuitate tranſcurrimus: quæ etiam iuxta Domini ſententiā obſeruanda ducimus, ſi modò uitam æternam ingredi uelis. Matthæi 19. Vbi certè nonnullos conqueri audio, nos ſemel liberatos per mortem Chriſti, immeritò aſtringi ad opera legis: dicente etiā Scriptura, Iuſtus ex fide uiuit. Abacuc. 2. Et Ioan. 8. Verè liberi, &c. Quibus optimè reſponſum uelim, nempe quòd fides illa ualeat, quæ certè per dilectionem operatur. Galat. 5. Et omnino neceſſe eſſe, ut per bona opera noſtram uocationem certam faciamus, dicēte Petro, 1 Pet. 1. Nam Chriſtus nos liberauit à ſeruitute diaboli, & æterna morte, ut eſſemus filij Dei, ſatisfaciens pro peccatis noſtris: ſic tamē, ut liberati à peccato, ſerui poſthac eſſemus iuſticiæ. Rom. 6. Seruientes in ſanctitate & iuſticia corā ipſo omnibus diebus uitę noſtræ. Luc. 1. Fides igitur eſt fundamentum ſalutis. & radix unde naſcantur fructus boni, per quos pius ab impio dinoſcitur. Quemadmodum non ex folijs, neq; ex floribus dinoſcit arbor bona uel mala, ſed ex fructu. Opera (ait Bernhardus) & non uerba, diſcernūt inter filios Dei & filios diffidentiæ. Ergo bonum facientes, ne deficiamus. Galat. 6. Et ne ſumamus oportet quaſi uelamē malitiæ libertatem. 1 Pet. 2. Sed aiunt illi: Et quis poteſt adimplere legē & præcepta Domini, cùm inſufficientes quidem (docente Apoſtolo) ſimus aliquid cogitare ex nobis? Quibus dici ſolet, quòd homo pręſtare id poſſit, non quidem ſuis tantùm uiribus, ſed aſſiſtente & adiuuante ſibi gratia diuina & ſpiritu illo quē accepimus omnes, ſicut ſcriptū eſt: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Rom. 5. Et iterum: Omnia poſſum in eo qui me confortat Chriſto. Porrò communi omnium conſenſu conſtat, iuxta Domini Ieſu præceptum, & diuina autoritate, quędā ſignacula ab ipſis Apoſtolis inſtituta fuiſſe, quibus (ut diuus Auguſtinus inquit) homines cōſortio colligerentur, utq; eſſent certa & efficacia ſigna gratiæ & uoluntatis Dei erga nos, quæ nos de accepta gratia certos efficerent, & fidem in nobis excitarent. Quorum certè ſacramentorū baptiſmus, meritò ut digniſſimū ratione neceſſitatis eſt, ita primo loco tractandum erit. Quemadmodum autē ab initio huius inſtituti diximus atq; oſtenſum fuit, cùm uerbū Domini ab Apoſtolis fideliter prędicaretur, non omnes ſtatim admiſſos & aſſumptos in album Chriſtianorū eſſe, ſed tantum eos qui ſatis probati eſſent. Multi ſiquidē fictè accedebant, magis animo nocendi q; rectè uiuendi. Qui igitur petebant aſſumi, rectoribus pręſentabantur, & illi tradebāt eos doctoribus, à quibus probè inſtituerent in ijs qui erant fidei articulis, qui etiam ob id Catechiſtæ, & alij catechumeni dicebantur: cumq; fidem exactiſſimè tenuiſſent, lauacro illo puro immerſi abluebantur: iuxta Dominum dicentem, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Marc. 16. In baptizandis autem illis talem modum obſeruatū inuenimus apud S. Dionyſium Areopagitam, part. 2. cap. 3. Eccleſiaſt. hierarch. Qui baptizandus erat (inquit) ducebatur ad epiſcopum, isq; gratias Deo unà cum miniſtris referebat, illis nimirum pſallentibus, propterea quòd hominem iſtum è faucibus diaboli eripere & ex gratia ſua in regnum conſtituere dignatus eſſet. Poſthæc interrogabat antiſtes

eum

Præceptum decimum.

Deut. 24.

De obseruatione legis

2. Cor. 3.

Contra ... legum.

De sacramentis.

Mar. 16.

Actor. 2.

Tripartita hiſt. lib. 11. cap. 14. in ... dus, &c.

Qui iam in fide erudiendi ... dum eſſent baptizati.

Competētes dicebanť qui in uigilia paſchæ uel pentecoſtes gratiam Dei per baptiſmum petebant.

Vide Chryſoſt. Hom. de Adam et Eua.

eum qui baptizari petebat, num mutato uitæ ſuæ inſtituto poſthac in nouitate uitę ambulare uellet. Rom. 6. In hoc enim apparuiſſe gratiam Dei Saluatoris noſtri, ut abnegatis impietate & ſecularibus deſiderijs, ſobriè piè & iuſtè uiuamus in hoc ſeculo, &c. ad Titum 2. Suntq́ ibidem plura, quæ adhuc noſtra catholica obſeruat Eccleſia: nempe quòd pontifex capiti initiandi manū imponit, & uitali ſigno crucis munit. de quo Auguſtinus præclarè ait: Ipſe Dominus crucem ſuam in eorum qui in illū crederent frontibus fixit, ut de nomine eius fides non erubeſcat. Super Ioan. tract. 53. Quod etiā illum ad occidentem ſtatuit, & ter ſatanam exufflare iubet, quemadmodum nunc loco paruulorum faciunt ſuſceptores. et idipſum bene factum Hieronymus approbat, dicens: In myſterijs primò renunciamus ei qui in Occidēte eſt, nobisq́ moritur cum peccatis: & ſic uerſi ad Orientem, pactum inimus cum Sole iuſticiæ, & ei ſeruituros nos eſſe promittimus. ſuper cap. 6. Amos. Et quòd aquas prece & inuocatione ſanctificat, cuius etiam meminit diuus Cyprianus, inquiens: Oportet mūdari & ſanctificari aquam prius à ſacerdote, ut poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis qui baptizatur abluere. Epiſtola 12. lib. 1. Item immerſione et emerſione trina baptizandum abluit, licet tantùm nunc aquæ ſuperinfuſione fiat. quod tamē idem, eiusq́ talem reddit rationē Hieronymus: Et in Patrem, &c. & in filium, & in ſpiritum ſanctum baptizamur, & ter mergimur, ut trinitatis unum appareat ſacramentum. Super 4 cap. Epheſ. Demū ipſum initiatum chriſmate ſignat, quod neceſſe eſſe D. teſtatur Cyprianus, ut ſit unctus Dei, & in ſe gratiam Chriſti habere poſſit. lib. 1. Epiſtola 12. Quæ omnia ut pia atque piè obſeruāda uidentur, ſic mirum nos habere poſſet, qua de cauſa iuſſi illi contra Occidentē ſtare, & diabolo renunciare. Hęc ut iuſtè ac ritè obſeruari debent (ſunt enim non ſine ſpiritus ſancti inſtinctu tradita, ab ijs qui nos fidem docuerunt) ita ratione hac nimirum fiunt, quòd propter peccatum primorum parentum accepit ſatanas poteſtatem in omnes homines, quando aſtu circumuenit eos, inuidens illis cœlum quem inhabitauerat, & hanc iuſto

Gene. 3. Dei iudicio accepit: quandoquidem dictum fuerat eis, Quacunq́ hora comederitis, morte moriemini, &c. Vnde nequam ille non dormit, neque ceſſat miris modis ac technis hominibus inſidiari atque illudere, tanquam leo rugiens (inquit Petrus) circuit, quærens quem deuoret. 1 Pet. 5. Quo fit etiam, ut gentes faſcinatos detineat, atq́ ad ſibi ſeruiendum exagitet, necnon alios in ſuam redigat ſeruitutē, ut ſagas & maleficos: licet enim per Chriſtum erepti ſimus de duriſſimo illius imperio, tamen indies periclitamur, in naſſam priorem facilè caſuri: quod etiam nonnunquam Deus permittit, quo boni exerceantur & meliores fiant, mali uerò puniantur. Quod ut huic inſtituto non admodum ſeruit, tamen nonnihil de hac re dicendum erit. Quæſtio autem eſt ualde intricata atque obſcura, quoniam multa atque uaria, necnon incredibilia hic accidunt, Quid hoc ſit, & unde eueniant quæ immittuntur: cui ut breuiſſimis obuiam eamus, Scriptura teſtante, permiſſione diuina, ſi quid accidit, fieri dicimus: idq́ multis ex cauſis. Ego Dominus, ſcriptum eſt, & non eſt alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem et creans malum: Ego Dominus, faciens hæc omnia. Eſa. 45. Vbi certè ſe Dominus oſtendit omnium eſſe autorē. permittit hoc autem, ut boni exerceantur, & meliores fiant, & mali puniātur, ut iam dictū fuit. Qua de re ſummè extollitur uir in terra Hus, Iob nomine, qui omni in aduerſitate ſua dixit: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt. Quantū igitur ad maleficas attinet, hinc clarū fit, quòd dęmō poteſtate à Deo accepta miris modis iuſtū tractauit Iob. Qui ut callidiſſimus tētator eſt, ita ſuos quærit miniſtros, ſuaq́ inſtrumenta: & plerunq́ uariæ ac mutabiles ſemper fœminæ ultrò, uel ob inuidiam uel infidelitatem ac deſperationem ad ſeruiendū inducuntur, quas proinde Scri-

ptura

ptura condemnat,& ait, Maleficas ne patieris uiuere. Exod. 22. Quapropter etiam fucus merus eſt,ſi quando dicunt naturaliter fieri quæ faciunt, & naturalibus medijs,utpote herbis benedictis. Hæc eſt nanq; aſtutia diaboli,quo illas potius ſeducat,quas nouit eſſe infirmas, & ex Eua hãc imbecillitatem contraxiſſe, quæ & ipſa facilè ſeducta fuit, falſa nimirum perſuaſione, ut Geneſis habet.Miſeræ igitur mulieres per ſe nihil efficiunt,licet ad ſancta iurent,ſe huius rei effectæ autores fuiſſe, omnesq; indicare poſſint rerum circunſtantias atq; euentus.Omnia ſunt eius nequiſſimi nequam: qui licet amiſerit gratiam, tamen non amiſit naturam. Non eſt(inquit Gregorius)poteſtas,quæ eius poteſtati comparari poſſit. Cùm ergo autumãt ſe in uarijs fuiſſe locis,fallacia eſt peruerſiſſimi ſeductoris,qui ſenſus illarum ſic obfuſcat,ut certò credant ſe loco motas fuiſſe. Hinc concilium Acquirenſe, omnes illas damnat, cauſa 26. Quòd igitur ſe pruinam,grandinem,& alia effeciſſe fatentur,dęmonis eſt,qui (teſte,Auguſtino)nouit uirtutes elementorũ, & adiuuando eas mulieres quaſi authores facit: idq; propter incredulitatem & apoſtaſiam in quam inciderunt. Vnde etiam aliquando aſſumit corpus ex aëre phantaſticum,& apparet uiſibiliter,uaria et mutata ſpecie circa pueros in cunis,aut alios:quò fallat,decipiat,& ſuos in errore retineat.Hinc magiſtratus ſapienter, cautè, atque ſingulis optimè exploratis,agere debet: plerunque enim probos homines infames reddere laborat,quo illi in deſperationem, cùm ſe immunes atque innoxios ſciant, facilius pertrahãtur . Quod autem infectorum à Sagis conſpiciuntur apertiſſimi morbi, graues item dolores ipſi ſentiunt:hinc fit, quod permiſſione à Deo accepta, intrat hominum corpora per poros, attrahitq;, quibus admiſceat malos humores,& inde morbos in corpore humano exagitet. Hic nonnulli conqueruntur, qui fiat ut pater pius permittat nos à ſpiritibus immundis ſic torqueri? Enimuerò, licet iudicium Dei ſit nobis ualdè occultum,ſufficiatq; ſcire iuſtum ipſum Deum,quiq; nemini faciat iniuriam: poſſũmus tamen,Scriptura nobis patrocinante,aliquas huius rei reddere rationes. Prima,ut ſcilicet probetur homo ille,quo pacto,et num ſynceriter ſuũ Deum credat,& credendo diligat. Quandoquidem plures reperiũtur inſtabiles,atque infirmi:dum quouis uento uehuntur,& facilè aſſentiunt friuolis,dummodo à malis iſtis liberentur: hiq; ſic probantur malis,ut igni aurum uel argentum. 1 Pet. 2. Quomodo Iob quum probaretur,inuentus eſt iuſtus & rectus. Dixit enim:Dominus dedit,Dominus abſtulit,&c. Secunda,ut præſeruentur à malis atq; peccatis,& permaneant in humilitate,qua nihil præſtantius,etiã Chriſto teſtante. Sic Paulus habuit angelum ſatanæ: hoc eſt, ut plerique contendunt,iliacam paſſionem, uel carnis concupiſcentiam,quibus ſubinde uexabatur.2 Cor.12. Tertia,punit aliquando Deus eo modo peccata hominum, ut caſtigati emendentur, & nõ ad perpetuos inferni cruciatus eos uenire neceſſe ſit. iuxta illud: Viſitabo in uirga iniquitates, & in uerberibus peccata eorũ, &c. Pſal. 88. Quod etiam Deus in filijs hominũ facit, ut ſint noſtra ſpecula,in quibus eluceat, quàm nihil apud Deum maneat impunitum. Si quando autem hoc in infantibus accidit innocentibus,admonemur ſtrictiſſimi Dei noſtri iudicij, & quàm graues nobis pœnæ paratæ ab illo, ſi quando fuerimus præuaricati. Fœlices ergo omnes illi,qui Patris caſtigationem benignè accipiunt. Quarta,ut manifeſtentur opera Dei, quemadmodum Chriſtus dixit de cæco nato diſcipulis ſuis,Ioan.9. Qui igitur eiuſmodi ſatanę telis confoſſi ſunt,remedijs quibuſdam uti poſſunt.Et certè ſi bene rem expendimus,in primis uerus animarum medicus per ueram contritionem quærendus eſt, qui(ut Scriptura dicit)percutit & ſanat,deducit ad inferos & reducit. 1 Reg. 2. Hoc autem ideo fieri debere perſuaſum nobis ſit, quia grauiſſimè peccamus in ipſum Deum. Ille autem nõ ſtatim æternis nos deſtinat pœnis,ſed prius medijs quibuſdã ducit ad pœ

nitentiam,

nitentiam,ut conuerſi uiuamus.Conuerſionem uerò mereri ueniam, teſtimò nio ſunt quæ Ionæ 3.& 2 Paralip.20 ſcripta habētur. Poſſunt tamen naturalia quocp adhiberi ſic infectis & laborantibus,quia medicinā in uſum hominum
Eccle.38. (dicente Scriptura)creauit altiſſimus. Quæ cùm non iuuant, neque ſanant, firmiſſimè tenendum, te nullo alio modo ſanari poſſe, imò iram Dei ſæuiſſimam in te prouocari,ſi aliquo modo uoluntati ipſius contrà nitaris. Porrò ut hæc non admodum ad inſtitutum noſtrum faciunt, ita ad ipſum negocium atque eam rem redeundum erit de qua tractauimus. Et proinde ſolennis illa
Diony.ca. ultí. Eccleſia. hierar. actio circa baptizandos olim ſic obſeruata,adultos refert,qui primùm crediderunt,& deinde baptizati ſunt. Verùm ob id nemo pius negabit,quin & omnes paruuli fuerint tincti. Nam ut uerum eſt,fidem baptizando eſſe neceſ-
Auguſtin. Epiſt.23. ſariam,ſic ſanè illi fidem habent: primùm infuſam,quæ paulatim in eis creſcit: deinde, quòd licet rem ipſa mente non annuant, tamen ipſius rei ſacramentum percipiunt, ut ait Auguſtinus. Vbi ſpiritus ſanctus ſuum officium facit, gratiam largiendo: qua proficiunt ſenſim, donec percipiant quæ credere oportet, atque demum calleant perfectè quæ ab alijs fides dicitur acquiſita: & huius teſtes ſunt uetuſtiſſimi authores, Dionyſius, Cyprianus, Origenes, & Auguſtinus copioſiſſimè. Huius autem ſacratiſſimi lauacri neceſſitatem ex
Ioan.3. Chriſto didicimus. Cùm enim ait,niſi quis renatus ſit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit regnum cœlorum: neceſſarium eſſe homini baptiſmum,oſtendit.Hoc autem idcirco eſſe putamus,quando dicente Propheta,Omnes in peccatis concipiuntur homines. Et,ut Apoſtolus dicit,Per unū hominem
Rom.5. peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, quæ in omnes pertranſijt. Quare etiam,teſte Auguſt.olim patribus circūciſio data fuit. Iam igitur ut Dominus per prophetam promiſit, Effunditur ſuper nos aqua mun
Ezech.36. da,& mundamur ab omnibus inquinamētis noſtris, diuina hic operante uirtute & ſpiritu ſancto,qui hoc modo ex filijs iræ filios Dei efficit: quemadmo
Ioan.1. dum ſcriptum eſt, Quotquot receperūt eum,dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,his qui credunt in eum,qui nō ex ſanguinibus, necp ex uoluntate carnis,
Ephe.5. necp ex uoluntate uiri,ſed ex Deo nati ſunt. Et ea de cauſa baptiſmum Apoſtolus appellat lauacrū regenerationis. Hæc autem baptiſmi uis exercēda eſt tota uita. necp enim ſufficit baptizatum eſſe te,niſi in uitæ nouitate ambules.
Tit.3. Ideo enim(ait Apoſtolus)apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri,ut abnegantes impietatem,ſobriè & iuſte & piè uiuamus in hoc ſeculo: expectantes bea
Rom 6. tam ſpem,&c.Idcp alio loco ſatis declarat,& apta ſimilitudine,dum ait,Conſepulti ſumus cum Chriſto,per baptiſmum in mortem, &c. Quaſi enim dum immergimur,cum Chriſto ſepelimur,qui peccato mortuus fuerat: & quemadmodum ille reſurrexit,amplius non moriturus,ita mors peccati nobis rurſum dominari non debet. Hic autem baptiſmus tantum efficaciæ atque uirtutis non haberet, niſi baptiſmus paſſionis Chriſti præceſsiſſet. Chriſtus
Matth.3. quidem à Iohanne in Iordanis flumine baptizatus eſt: at hic baptiſmus non fuit ad noſtrorum peccatorum remiſſionem factus,ſed propter iuſticiam adimplendam: & (quod Beda dicit) ut tactu ſuæ mundiſſimæ carnis daret uim regenerandi homines aquis, & nemo quantumlibet ſanctus baptima ſuperfluum iudicaret, ſed ſciret ſe reum iuſticiæ Dei. Eſt igitur baptiſmus ille, fons remiſſionis peccatorum omnium hominum, iuxta uerba Chriſti:
Ioan.19. Hic eſt ſanguis qui effundetur in remiſſionem peccatorum. Quando igitur ex latere Chriſti ſanguis fluxit & aqua, tota Eccleſia quæ tum cœperat ab origine mundi, regenerata atque ſanctificata eſt, omni culpa Adami reſoluta. Latus Chriſti apertum eſt quaſi uitę oſtium, unde tam ſaluberrima ſacramēta emanarent. Vnde nemo aquā illam intuetur,ſed diuinam uirtutē in ea mirabiliter operantē,& meritū ipſius paſſionis Chriſti: de quo pręclarè Ambroſius,

Aqua(inquit)utilis eſt ad lauandum, ſanguis precium eſt culpæ, ſpiritus ue-
rò innouat mentem. Porrò poſtquam homines illi iam renati, atq; è faucibus De Confirmatione
ſatanæ erepti, ad Eccleſiã Chriſti tanquam eius membra admiſſi ſunt: tum A-
poſtoli manus eis impoſuerunt, & largiebantur ipſis ſpiritum confirmationis
atq; fortitudinis, quo contra inſidias diaboli, tanquam acerrimi milites Chri-
ſti dimicarent. Quemadmodum in Samaria factum fuiſſe, Lucas commemo-
rat. Et diuum Paulum Epheſi manus multis impoſuiſſe, eosq; ſpiritum ſan- *Acto.8.*
ctum accepiſſe, ita ut loquerentur linguis & prophetarent, ex iiſdem Actis *Acto.19.*
liquet. Verùm hæc ſolùm ad adultos ſpectant: uerumq; eſt, paruulos ſumma
cum reuerentia atq; accuratiſſimè baptizatos, non item tamen confirmatos,
donec corde crederent ad iuſticiam, & cõfiterentur ore fidem ueram. Quod
equidem ex concilio Aurelianenſi apertiſſimè liquet, quandoquidem ſic di-
cit: Ieiuni ad confirmationem ueniant, & perfectæ ætatis, ut moneantur con- *Vide Aug.*
feſſionem facere, ut mundi donum ſpiritus ſancti ualeant accipere. Quod au *de Catechi*
tem ad oleum ſacratum uel chryſma attinet, quo hactenus uſi ſunt qui confir- *ſandis rudi*
mationem adminiſtrarunt, ex Dionyſio originem ſumpſit. Et ceremonia lau- *bus.*
dabilis eſt, ſi myſterium eius confirmandi exactè intelligant. Significat enim
externa illa unctio, unctionem ſpiritus ſancti internam, & inuiſibilis gratiæ.
Et quemadmodum Chriſtus, unctus dicitur Domini: ita(uult Hieronymus) *Hierony.*
omnes fideles ab eo nomen accipiunt, & Chriſtiani, hoc eſt uncti appellan- *cõtra Luci*
tur. Qui etiam deinde conſignantur ſigno crucis, ſymbolo uidelicet ſummi *ferianos.*
ducis ac principis Ieſu crucifixi, quem deinceps liberè, & citra uerecundiam
profiteãtur: ueri milites ac ſtrenui, inuictiſſimi Imperatoris. cuius exemplum
uidemus in Apoſtolo, dicente: Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri *Galat.6.*
Ieſu Chriſti. Et certè conſtat in hoc negotio olim epiſcopos fuiſſe accuratiſſi-
mos, ut homines religionem Chriſtianam deuotè ac diligenter ſuſciperent,
atque ſic à Deo docti, perfecti atque conſtantes inuenirentur: quo magis hęc
noſtra deploranda ſunt tempora, ubi religio contempta iacet, & fides titu-
bat: multi quando reperiuntur tepidi, & ignorantes quid fides ſit catholica
atq; Chriſtiana. Verùm hanc populi Chriſtiani conſignationem Ezechiel in *Ezech.9.*
ſpiritu uidiſſe uidetur, quando deſcribit abominationes, propter quas popu- *Apocal. 7.*
lus erat deſtruendus: multos autem inter illos eſſe pios, & hos ſignandos ſu-
per frontes ſigno Tau. Meminit & eius rei diuus Auguſtinus ſuper Ioannem. *Aug.cap.3.*
Cæterùm cùm homo per baptiſmum fiat ex filio iræ filius Dei & æterni regni
hæres, mirum nos habere poſſet, cur ea confirmatione opus ſit. Idcirco ſcien-
dum erit, hominem quidem purgari per lauacrum regenerationis: attamen
fomitem ex peccato originali manere in illo, id eſt concupiſcentiam ad ma-
lum, & incentiuum peccatorum, atque ardorem carnis. Proinde etiam nobis
ineſt fragilitas humani defectus, & infirmitas naturæ: ut iam non ſufficiamus
reſiſtere ſuggeſtioni hoſtili, ſed puſillanimes ac timidi inueniamur: pernicio-
ſum autem iſtum pudorem adimit confirmatio. Hinc Melchiades papa: Quia *De conſec.*
(inquit)in hoc mundo tota ætate uicturis inter inuiſibiles hoſtes & pericula *diſt.5.can.*
gradiendum eſt, in baptiſmo regeneramur ad uitam, poſt baptiſmũ uerò con *ſpiritus.*
firmamur ad pugnam. Hæc ille. Eſt igitur huius uis effectus & finis, ut intelli-
gant ac credant homines, ſe accepiſſe ſpiritum ſanctum, quo ſolo in uia ſalutis
progredi, perſeuerare, & tentationibus diabolicis, carnis quoq; & mundi, fe-
liciter reſiſtere poſſint. quemadmodum dictum eſt: Sine me nihil poteſtis fa- *Ioan.15.*
cere. Et Apoſtolus: Omnia poſſum(inquit)in eo qui me confortat. Igitur ma *Philip.4.*
gna illa uirtute, & hoc Dei munere nos indui ualde neceſſe eſt: & rogãdus no
bis Deus obnixè, ut cõfirmet quod eſt operatus in nobis, quando facilè quo-
uis uento mouemur. Quid aũt facturi, ſi graues ingruerẽt perſecutiones, hoc
equidem certis aſſequi poteſt coniecturis. Porrò ut una omnium fideliũ fides

eſſe debet, quemadmodum unus eſt Chriſtus, ita ſanè et omnes illi unum cum Chriſto tanquam capite huius corporis myſtici membra fiunt, per uerbum, fidem & ſymbola. Proinde ut Apoſtoli acceperũt à Domino corporis & ſanguinis myſterium, ſic demandarunt ut ſinguli ſacratiſſimã Synaxin ſumerent. Hinc igitur conueniebant, ut ex Paulo docetur, in unum, & (iuxta Chriſti inſtitutum) cibum atque potum longè auguſtiſſimum ore percipiebant. Quó autem ritu id factum fuerit, atq; celebratum, fortaſſe non abs re erit hic referre: idq; prout S. deſcribit Dionyſius, primùm (ait) pontifex ſupra ſacroſanctum & diuinum altare orat, deinde Pſalmos cum Eccleſiaſticis ordinibus canit. Sacrarum ſcripturarum lectio recitatur. Poſt quæ catechumeni apoſtatæ, energumeni & pœnitentes, extra templum agunt, intus illis manentibus qui diuina uidere merentur atque percipere. Omnium catholica laus, & ſymboli fidei confeſſio canitur. Miniſtrorum præcipui cum ſacerdotibus ſanctum panem et benedictionis calicem ſanctis altaribus imponunt. Pontifex omnibus pacem nunciat. Poſtea myſtica piorum ſanctorum recitatio fit. Pontifex & ſacerdotes manus abluunt. Pontifex poſt diuinorum munerum laudes, ſanctiſſimum conficit ſacramentum: in conſpectum agit, diuinarum operationum munera reuerenter oſtendens. Communicat, reliquósque ad ſanctiſſimam & conſummantem communionem adhortatur. Gratias agens, finem ſanctis myſterijs imponit. Hæc ille. Eiuſmodi uerò euchariſtiæ celebrationem ſuo tempore quotidie factã in aliquibus locis, in alijs uerò ſolùm Dominico die, ſanctus teſtatur Auguſtinus. Quare de hoc diuiniſſimo myſterio libet piorum uirorum explicationes audire. Veteris Teſtamenti pontifex ſingulis annis (quemadmodum diuus Paulus ad Hebræos 9. declarat) pro peccato ſuo & totius populi, in feſto expiationis, ſolenni ritu intrabat ſacratius aditum templi, Sanctorum ſanctum appellatum, cum ſanguine hirci & uitulæ, quem aſpergebat contra fores tabernaculi: quæ omnia latiſſimè tractantur capitibus 16. & 19. libri Leuitici. Ritus autem ille atque mos, arguebant populi & ſacerdotum ſummam immundiciam & peccata: & quàm iniquè egiſſent in primo parente. Hinc Propheta, Factæ ſunt (dixit) omnes iuſticiæ noſtræ tanq; pannus menſtruatæ mulieris. Eſa. 64. Concluſi erant omnes ſub peccato, unde nil iuuabat expiare, ſed ſingulis annis iterare expiationem oportebat. Sic enim mandauerat Dominus dicens: Et hoc habebunt filij Iſraël iure perpetuo ſanctum. Quare perpetuo? nõ certè propter illum animaliũ ſanguinem, ſed quia futurus eſſet pontifex & mediator, qui ſemetipſum offerret expiationis tempore, pro peccatis omnium populorum. Idem pontifex & hoſtia: ſummus equidem ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, qui fuit ſummi Dei ſacerdos, Geneſis 14. Protulit ille Abrahæ panem & uinum, figurans filium Dei, uerum iuſticiæ regem, ac pacis, qui uerè dicere potuit: Pacem meam do uobis. Nam cùm non eſſet hoſtia ad expiandum ſufficiens, uiſum eſt Patri miſericordiarum, unigenitum dare ſuum, ut is eſſet hoſtia ſalutaris & placans iram ſummi Patris. Chriſtus Ieſus igitur uera uitula fuit ætatis integræ, quando mactandus in ara crucis uenit: ſuper quem etiam non fuit iugum impoſitum: ſed potius iniquitati ſubiugatos liberauit, & uincula eorũ diſrupit. Sine macula, ſiquidem peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui etiam (dicente Apoſtolo) extra caſtra immolatus eſt in conſpectu totius populi: & introiuit non per ſanguinem hircorum, ſed proprium ſanguinem, ut populum ſuum ſanctificaret. Hic attendere debemus ſublimitatem ac dignitatem Chriſti. Omnes enim pontifices uncti ſunt: ſed unxit hunc Pater ſpiritu ſancto, & uirtutis atq; lætitiæ oleo præ omnibus alijs: unde & ſpecioſus forma præ filijs hominum, habẽs labia redundantia gratiã ſupra gratiam. Quod unguentum nõ tantum à capite, id eſt à uerbo Dei Chriſto uenit in barbã Aaron, id eſt ad

Margin notes: De Eucharistia sac. — Parte 2. ca. 3. Eccleſiaſt. hierarch. — Leuit. 24. — Ioan. 14. Ambr. lib. 4. de ſacramentis. — Exod. 40.

Apoſtolos:ſed etiam in oram ueſtimenti,hoc eſt extremum quenq; fidelium, *Hieronym.*
qui propriè ora ueſtimenti eius dicũtur. Nec etiam parua dignitas eſſe poteſt *ſuper Pſal.*
huius pontificis,quoniam aſſiſtit ſemper Deo, non modò ut interpellat, ſicut *132.*
dicit Ioannes:Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum,et *1 Ioan 2.*
ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Interpellat aũt hoc modo,ut oret Pa-
trem pro nobis,dicens:Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo , quos dediſti mi *Ioan.17*
hi:ſed etiam ut nobis lapſis & periclitãtibus auxilietur . Vnde nemo(dicit)ue
nit ad patrem,niſi per me.Talis profectò mediator nequaquam Veteris teſtã
menti ille põtifex fuit,cùm & ipſe circundatus eſſet peccati infirmitate.Hebr.
5. Deniq; hinc ſumma iſtius emicat pontificis dignitas,quod ipſe templũ non
manufactum obſecraturus intrauit,ſed amplum & perfectiſſimum cœlum,u- *Heb.12.*
tiq; futura nobis bona acquirens , præſentis ſcilicet iuſticiæ & æternæ beatitu
dinis:cui nemo fuit unquam alius,aut eſſe potuit idoneus. Aſperſio ſanguinis
eius,melior quàm Abelis.nam ſanguis eius ultionẽ clamauit: Chriſti uerò ſan *Gene.4.*
guis remiſſionem clamitat peccatorum. oſtendit enim Patri cicatrices uulne-
rum,& ait:Pater reſpice in faciem Chriſti tui . Et ideo noui Teſtamenti medi-
atot eſt,æterna redemptione inuenta. Vetus Teſtamentum ex illo erat fœde- *Heb.9.*
re, quod cum Abraham pepigerat Deus , dicens : Sic erit ſemen tuum , &c.
Hinc lex data eſt,hinc etiam oracula prophetarum audita ſunt . Sed omnia eò *Gene.22.*
(ut uult Chryſoſt.)quo prompti redderẽtur ad quærendum filium Dei,& ue *Chryſoſto.*
rum Saluatorem . ob quam rem quoque Moſes librum & omnem populum *in Epiſt.ad*
aſperſit,dicens:Hic eſt ſanguis Teſtamenti,&c. innuens alio quodam ſangui *Galat.as.*
ne eos purificandos,nempe Chriſti.Chriſtus igitur ut nos puriores redderet, *Heb.9.*
mortem propter peccata ſubiuit,factus inter nos & Patrem mediator, conci-
lians nobis Patrem,qui propter peccata nobis erat infenſus. Inſuper quod nò *Eſa.53.*
bis ferendum , ipſe ultrò pertulit in corpore ſuo , mortem eapropter turpiſſi-
mam patiens,& hoc pacto æternam redemptionem amiſſam propter pecca-
tum , atque hæreditatem recuperauit. Hoc eſt fratres teſtamentum & fœdus *Vide Eraſ-*
nouum Dei cum hominibus,cuius Chriſtus per mortem confirmator eſt. Te *mũ in ſym-*
ſtamentum enim firmatur morte teſtatoris: non enim ualet,dum uiuit qui te- *bolum apo*
ſtatus eſt . Cuius equidem teſtes ſunt hi quibus dictũ eſt: Et eritis mihi teſtes *ſtolorum.*
in Hieruſalem , & uſque ad ultimum terræ. Actorum primo.quando iam abi-
turus ad Patrem ipſos conuocauit apoſtolos ad montem Olĩueti:poſt quæ e-
tiam uerba,uidentibus illis eleuatus fuit.Eſtq; huius teſtamenti teſtis ſpiritus
ſanctus , quo ipſi ſuperabundanter repleti fuerunt . Sed quibus teſtatum ſit,
nec immeritò nũc quæritur.Equidem omnes huius teſtamenti hæredes ſunt,
qui cognoſcũt ſolum Deum uerum, & quem miſit ipſe Ieſum Chriſtum. qui-
bus proinde dictum eſt: Gaudete & exultate,quoniam merces ueſtra copio- *Matth 5.*
ſa eſt in cœlis . Quia ergo filius Dei Ieſus Chriſtus corpus aſſumptum ablatu-
rus erat ab oculis diſcipulorum, & illaturus ſideribus,tempore exigẽte, iuxta
diuinam diſpoſitionem (exiuit enim à Patre,& uenit in mundum : iterum re-
liquit mundum , & iuit ad Patrem)teſtamentum fecit precioſiſſimum pignus
futuræ gloriæ.Eiuſmodi uerò,prout nobis tradunt ſanctiſſimi duces & euan- *Mat 26.*
geliſtę.Cœnantibus iam eis,accepit Ieſus panẽ,& benedixit ac fregit,deditq; *Mar.14.*
diſcipulis ſuis,& ait : Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum . Et accipi- *Luc.22.*
ens calicem, gratias egit, & dedit illis,dicens : Bibite ex hoc omnes, hic eſt e-
nim ſanguis meus noui Teſtamẽti, qui pro multis effundetur in remiſſionem
peccatorum. Quæ quidem uerba quid ſibi uelint,Cyprianus,Hilarius,Chry-
ſoſtomus, & alij complures tot retro ſeculis Eccleſiaſtici proceres nos quàm
optimè docebunt.Panis iſte,inquit Cyprianus,quẽ Dominus diſcipulis por-
rigebat,non effigie,ſed natura mutatus,omnipotentia uerbi factus eſt caro:et
ſicut in perſona Chriſti humanitas uidebatur, & latebat diuinitas:ita ſacramẽ-

to uiſibili ineffabiliter diuina ſe infudit eſſentia, ut eſſet religioni circa ſacramenta deuotio. Hęc Cyprianus. Et non tantum factum Apoſtolis fatetur, ſed uſque hodie (ait) Dominus hoc ueraciſſimum & ſanctiſſimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit, & piè ſumentibus diuidit. Hilarius uerò: De ueritate carnis (dicit) & ſanguinis, non relictus eſt ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, uerè caro eſt, & uerè ſanguis eſt. Et hæc ſufficiant. Qui enim plura cupit, apud illos nõ tam pios quàm doctos uiros inueniet. Quum autem ille Dei filius Ieſus Chriſtus hoc teſtamentum tradiderit, redemptionis operatæ in ara crucis monimentum: uult ipſe, ut in ſui memoriam hæc omnia peragantur atque fiant: ut ſcilicet diuiniſſima hæc ſumentes myſteria, ſimus memores ſacratiſſimæ paſſionis ſuæ, &
Exod.12. inflammemur, nunquam ab eo receſſuri. Et quare mors tam precioſiſſima à nobis iugiter coli & recordari non deberet? cùm filij Iſrael eam qua ex Aegypto liberati ſunt, liberationem perpetua memoria dignam iudicarint: Chriſtus autem ſua innocentiſſima morte nos redemerit de diabolica poteſtate atque damnatione perpetua. Cogitemus itaque maius in uniuerſo mundo miraculum non haberi, ſimulàc excellentius Dei munus. Quod memoriam fecit mirabilium ſuorum Deus, ut ait ille, et eſcam dedit timentibus ſe, quis comprehendet? quis, quæſo, perſcrutabitur hoc profundiſſimum Dei opus? O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Porrò qualis debeat eſſe iugis illa apud nos memoria paſſionis & mortis Ieſu, quoties ſacratiſſimum hoc ce-
1 Cor.11. lebramus myſterium, Apoſtolus nos docet, cùm inquit: Quotieſcunque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec ueniat. Erunt itaque uerba Chriſti nobis exactiſſimè perpendenda, quibus diſcipulis ſuis ſic loquutus eſt: Tempus apud mundum, chariſſimi fratres ac diſcipuli, requirebat aduentum meum, ut morerer pro humani generis ſalute: ueni ego mortem turpiſſimam ſubiturus, & hoc breui fiet: uolo igitur huius inæſtimabilis facti ut memoriam habeatis ſempiternam, conſiderantes ex animo quòd in ara crucis pro uobis & multis immolatum noueritis. Hæc ipſe Chriſtus. Vnde hæc commemoratio leuis eſſe non poterit, ſed grauis, ardua, atque prægnans. In primis ergo ſummè decet, ut collectis animi uiribus extra hominem, tu pie Chriſti cultor rapiaris, & ſpiritu ueharis ad locum, ubi tuus Chriſtus & unicus Saluator mortem tulit, apertiſque oculis contemplans dolores atque pœnam, ab ipſis Iudæis perfidis alijſque Chriſto illatam, cum eo quo decet animi dolore enumeres incomparabilem dilectionẽ ſummi patris, qua motus dedit unigenitum ſuum nobis miſeris peccatoribus, dicente Apoſto-
1 Ioan.4. lo: In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit in mundum, ut uiuamus per eum. Hinc quoque animo uoluendam filij obedientiam arbitramur, qua calicem paſſionis bibit lubentiſſimè, factus obediens uſque ad mortem crucis grauiſſimam, iuxta quod definitum à patre, & ua-
Eſa.53. ticinatum fuerat ab Eſaia propheta dicente: Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe nõ aperiet os ſuum. Demum excutiendum nobis ſummo ſtudio, quàm miſerrimi quique extiterint, æternis cruciatibus & pœnis deſtinati. Quid autem miſerius, quàm nunquam deſituros dolores habere? Et ut uerba Domini uolunt, ignem inextinguibilem pati, atque
Eſa.66. cordis habere uermem, qui non moriatur: ex quibus nos, ut hoc myſterio docemur, ærumnis, Chriſtus ſua innocentiſſima morte liberauit: mortem enim deſtruxit, & uitam reuocauit. Cùm enim impoſſibile erat ſanguine hircorum auferri peccata, ingrediens mundum filius Dei dixit: Ecce pater, uenio ut faciam uoluntatem tuam. Heb.10. Id exigit ſacratiſſimi myſterij huius ſumptio. Hęc eſt uera illius diuiniſſimę rei commemoratio. O conſilium Dei. O nunquam ſatis laudandũ myſterium. O diuitias ſuperabundantes patris altiſſimi. Quàm
incom-

incomprehenſibilia ſunt hæc omnia? Crede igitur pie homo, confide, & lætare in ſpiritu ſancto: leua mentem, eamq; in cœlum tolle: procide pronus in terram, & adora ſalutem totius mundi. Mirum profectò eſſe poterit, ſi homo ijs intimè ſecum uolutatis, non totus ferueat dilectione ſinceriſſima erga Chriſtum. Cor certè lapide durius habebit, qui non contremiſcit atq; exhorreat de tam tremendis myſterijs. Cæterùm hęc pia admodum commemoratio conſolatur perturbatos omnium animos. Aſcendamus nanque ad Dominũ in cruce pendentem, & oſculemur eius uulnera, unde mira redundat in mentes dulcedo, & dicamus alijs: Venite, moriamur cum illo: & addet animo uires, omnemq; procul expellet horrorem atq; timorem. Quia uerò mortem Domini annunciare iubemur, operęprecium erit & cauſam mortis altius indagare. Prodeant ergo in lucem Adamus & Eua parentes noſtri, ut confiteantur delictũ ſuum infeliciſſimum, & dicant: Qui peccatum non fecit, peccatoribus adiudicatus eſt. Deus etenim poſuit in eo iniquitates noſtras, & ipſe uulneratus eſt propter delicta noſtra. Eſa. 53. Quæ uerba ſi quis bene expendit, profectò inueniet Prophetam diuinitus inſpiratum, expreſſiſſe, quicquid uſquã miſeriæ eſſe potuiſſet, & eo excellentiorem facit Dei benignitatẽ erga nos. Vnde nobis quoq; conſiderandũ erit peccati malum, cùm ſolus Dei filius Chriſtus illud expiare potuerit. Et quod nos minimè digni, ut hominis tantum morte reconciliaremur. Quæ cùm ritè examinamus, efficiunt ut deinceps peccata uitemus. Ad quod certè ut neceſſariũ homini Chriſtiano hortantur Apoſtoli dicentes: In hoc apparuit benignitas atq; humanitas ſaluatoris noſtri, ut abnegãtes impietatẽ, ſobriè, piè ac iuſtè uiuamus in hoc ſeculo. Et Petrus: Chriſtus (inquit) pro nobis paſſus eſt, ut ſequamur ueſtigia eius. Et alibi, Melius eſſet uiã ueritatis non cognouiſſe, &c. Hæc autem ſumma atq; eximia cõmemoratio, certos nos facit redemptionis per Chriſtũ factæ, ut non amplius timendũ ſit nobis, ne rapiat nos inferni hiatus atque uorago, ſed cœlis apertis pateat aditus atq; acceſſus ad Patrẽ noſtrum, qui in æternũ nos foueat. Eſt igitur uenerabile ſacramentum ſolennis commemoratio ſanctiſſimæ mortis Chriſti & teſtimoniũ ſempiternæ ſalutis, omnibus fidelibus per ipſum acquiſitæ, quemadmodum ex Apoſtolo didicimus, dicente: Quotieſcunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortẽ Domini annunciabitis, donec ueniat. Oportet igitur accedentem conſiderare magnitudinẽ propoſitorum, ne indignus accedens, pœnam haud minimã incurrat. Quam ob rem cum terrore & magna uehementia Paulus Corinthijs ut dignè participarent, uel (ut uocant) cõmunicarent, iniunxit, ſic dicens: Quicunque manducauerit panẽ hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Primùm neminẽ offendat quod ait, Panem, &c. ſpecies enim & uocabula illarũ rerum ſunt, quæ ante conſecrationem fuerunt, uidelicet panis & uini. Hæc etiam uerba profectò contemnenda non ſunt: non enĩ ſunt Apoſtoli, ſed Chriſti, à quo ipſe Apoſtolus ea accepit. Et fortius manet quod inquit: Reus erit corporis & ſanguinis Domini. Quòd ſi enim tantùm panis eſſet, quemadmodum uoluerunt Meſſaliani: Euchariſtiam, dicentes, nec obeſſe, nec prodeſſe poſſe: certè immunis eſſet homo ab omni eo quod hic intenditur. Præclarè igitur diuus Ambroſius: Non ſecus (inquit) ſceleri erit obſtrictus indignè cõmunicans, quàm ſi ſanguinem ipſum Domini fudiſſet. Quemadmodũ iudicium ſumere, eſt in ſe prouocare ſtrictiſſimũ illud iudicium, quod Chriſtus proferet ſuper omnes impios in nouiſſimo die, dicendo: Ite maledicti in ignẽ æternum, &c. Matth. 25. Verùm hoc non fit ob myſterij naturã, quippe quæ uitã in ſe habet et largitur, quoniã ibi continetur ſummum illud bonũ, quod quicunq; guſtauerit, mortem ſentire non poterit: ſed ob adeuntiũ indignitatẽ (ut ita loquar) non equidem aliter, quàm Sol per ſe puriſſimus, nocet oculorũ ua

Gen. 3. *Heb. 10.* *Tit. 2.* *1 Pet. 2.* *2 Pet. 2.* *1 Cor. 11.* *1 Cor. 11.* *Ambroſius in Paulum.*

letudine laborantibus, quem proinde nemo iuſtè incuſabit. Proinde, ut probet ſe prius homo, uult Apoſtolus, fideliſſimũ ſe doctorem eſſe inſinuans. ſic enim incutit terrorem, ut interim tamen modum euitandi mali oſtentet. Probet, ait: id eſt, habeat homo ſui diſcuſſionem: potuiſſent opponere Corinthij, quòd ſi tantùm hic periculi ſubeſt, et nobis pręſentiſſima mors animę inde uenit, abſtinebimus ergo, &c. Quod ut æquè malum fuiſſet, ſic enim tranſgreſſores fuiſſent præcepti Domini, & puniendi. Non enim leue dictum eſt, Hoc facite. Non abſtinendum eſſe oſtendit, ſed prius benè probata ac purgata conſcientia accedendum. de quo ſic ſcribit Chryſoſtomus: Neminem tibi in iudicem proponit Deus, pręter teipſum: tua examinetur conſcientia, iudica quicquid in te eſt. Hæc ille. Cùm autem duobus potiſſimùm conſtet uera religio, fide uidelicet, & dilectione: explorandus eſt uniuſcuiuſque animus, quo pacto de his ſentiat, & quantum illa creatori ſuo præſtet. Fides equidem in hoc ſacratiſſimo myſterio in primis requiritur. Eam autem dico quæ certo fidit uerbo Dei, & promiſſis ipſius: omnes tenens articulos, quos ſacræ crediderunt literæ, necnon authoritas Apoſtolica. In hoc noſtra ſalus ſita eſt omnis, qui Chriſtum in carne nec uidimus, nec audiuimus docentem: de quibus proin-
Ioan.20. de ipſe ſic dixit: Beati qui non uiderunt, et crediderunt. Et per Apoſtolum: Im-
Heb.11. poſſibile eſt ut quis ſine fide placeat Deo. Habemus autem certa quędam dogmata literis ſacris expreſſa, in quibus unanimi conſenſu figere pedem oportet: unde & Paulus Corinthios reprehendebat, quia diſſidia inter eos erant.
Galat.5. Quoniam hæc demum uera fides eſſe dicitur, quæ operatur per dilectionem: culpa nunquam carebit, qui maximis peccatis obnoxius, ſanctiſſima illa menſa frui non formidat. Multi exiſtimare poſſent, ſe purificari hoc cibo & potu. diſcant illi, nihil ad emundationem proficere ſibi, dicente Propheta: Carnes ſanctæ non auferent impietatem tuam: Hierem. cap.11. Igitur non fruſtrà dictum eſt, Non dijudicans corpus Domini: id eſt (docente Hieronymo) non diſcernens à cibo communi ac potu, corpus & ſanguinem Chriſti. Quis autem poteſt dicere, purus ſum à peccato, & mundum eſt cor meum? Prouerb.
Proue.24. 20. Tam deprauata eſt enim hominis natura, ut dicatur iuſtus cadere ſepties in die, leuia ſcilicet committendo. Si dixerimus, ait ille, Quia peccatũ non habemus, ſeducimus noſmetipſos, & ueritas in nobis non eſt. 1 Ioan.1. Hanc miſeriam deplorauit & ipſe Paulus, quando dixit: Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius? Condelectabatur quidem legi Dei ſecundũ interiorem hominem: at aliam uidebat legem in membris ſuis, repugnantem legi mentis, &c. Rom.7. Ergo probet ſe homo, ſentiet quàm miſer ſit, cùm diuexetur miris ac multis malis. Habet eñ tres hoſtes ſibi inſidiantes, carnem ſcilicet, ſatanam & mundum. Hinc itaque ſollicitatur ira ex alia impatientia, & mirum in modum ſubinde in uitia prolabitur. Terretur igitur conſpectu mortis, frangiturque animo, nec ullo pacto quietus eſſe poteſt. Siquidẽ iuſtum nouit Deum, qui reddit omnibus iuxta opera, quæ geſſit unuſquiſque in corpore ſuo, ſiue bona ſint, ſiue mala. 2 Corinth.5. Quid igitur conſultius eſſe poterit,
1 Ioan.1. quàm ut ſinguli accedamus ad thronum miſericordiæ Dei? Si confitemur (inquit Ioannes) peccata noſtra, fidelis eſt, ut ea nobis remittat, & emundet nos ab omni iniquitate noſtra. Non enim uult mortem noſtram, ſed uitam: quoniam ad hoc ab illo uocati ſumus, ut uitam habeamus per ipſum. In hoc equi-
Luc 22. dem Petrum reſpexit in atrio, & latronem ſuſcepit in cruce. Oportet autem
& 23. ut coram Deo ingenti cum gemitu de noſtra conqueramur miſeria, & ut nobis reſipiſcentibus peccatum uſque adeò diſpliceat, quòd uellemus nos omnino non peccaſſe. Tunc enim licebit tutò accedere, ubi accipias ſummam cõſolationem, gratiam & uitam æternam. Nunquã enim dignus fies tam excellentiſſimi theſauri bono. Sed neceſſe eſt cognoſcere, te eſſe infirmum, & egere

gere medicina: & ut licet nihil tibi conſcius ſis, tamen in hoc te non iuſtifica-
tum. Vnde optimè dixit Ambroſius: Qui uulnus habet, medicinam requi- *Ambroſ. de*
rit: uulnus eſt peccatum, medicina eſt uenerabile ſacramentũ. Quotieſcunq; *ſacramen-*
igitur ſanguis Chriſti effunditur, in remiſſionem peccatorũ effunditur: debeo *tis.*
igitur illum accipere, ut mihi peccata dimittantur. Quod autem Apoſtolus di
cit: Igitur inter uos multi infirmi, &c. imaginem iudicij in eos oſtendit, qui in-
dignè acceſſiſſent, non inultum ſciens manſurum, & eum quẽ hic pœna diſtu
lerit grauius quiddam paſſurum, nempe pœnas mortis. Quod autem reuera
corpus atq; ſanguinem Chriſti ſub myſterijs iſtis ſumamus, fortius probãt uer
ba quæ Chriſtus ad ſuos locutus eſt, dicens: Caro mea uerè eſt cibus, & ſan- *Ioan. 6.*
guis meus uerè eſt potus. Quæ quidem uerba tametſi potiſſimum de ſpiritua
li dicta ſint manducatione, quæ nihil aliud eſt quàm credere in Ieſum Chri-
ſtum: Qui credit in panem uiuum, mãducat panem uiuum inuiſibiliter, à quo
etiam ſaginatur inuiſibiliter: & renaſcitur, tamen (ut ex diuo Auguſtino liqui-
dò apparet) eadem uerba referri poſſunt ad illam ueram ſumptionem. Nam
idem Auguſtinus ſuper hunc locum ſic ait: Cum cibo & potu id appetant hó
mines, ut non eſuriant neq; ſitiant, hoc ueraciter non præſtat, niſi iſte cibus et
potus, qui eos à quibus ſumitur immortales & incorruptibiles facit. Hæc Au
guſtinus. Vnde ſumendũ, quid iam fructus, ex participatione huius ſacramen
ti uel ueniat uel accedat ſingulis. Quamuis enim dictum ſit, indignè mandu-
cantem reum fieri corporis & ſanguinis Domini: è diuerſo tamen Chriſtus
ait, Qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in eo. Quod adeò *Ioan. 6.*
uerum eſſe aſſerimus, nempe multum fructus & utilitatis dignè ſumpturo e-
uenturum. ut planè condemnatos iudicemus Meſſalianos impiè docentes, di *Euſeb li. 7.*
uinum hunc cibum & potum nihil nec prodeſſe, nec obeſſe. Hoc cibo ad- *cap. 11.*
monemur, atq; potu, quòd Chriſtus eſt caput corporis ſui, hoc eſt eccleſię, cu
ius nos omnes membra ſumus. Per hanc igitur ſumptionem capiti noſtro af- *Ephes. 5.*
figimur, idq; per gratiam qua replet nos, qua inhabitat nos, ut ſua templa.
2 Corin. 6. Vnde haud immeritò Chryſoſtomus dixit: Cogita quali ſis inſigni
tus honore, quali menſa fruaris: quod angeli uidentes horreſcunt, neq; liberè *In ſerm. de*
audent intueri, propter emicantem inde ſplendorem: hoc nos paſcimur, huic *Euchari-*
nos unimur, & facti ſumus unum Chriſti corpus, & una caro. Hæc ille. Quod *ſtia.*
etiam Apoſtolus haud celauit, dixit enim: Vnus panis & unum corpus ſu- *1. Cor. 10.*
mus, omnes quidem de uno pane & uno calice participamus. Non itaq; im- *Auguſt. in*
meritò iſtud ſacramẽtum ab Auguſtino pietatis ſignum dicitur, necnon uni- *Ioannem.*
tatis, & uinculum charitatis. Hoc enim cibo ac potu Chriſtus in unum colli-
git ſuos fratres, ut unum ſint cum ipſo: ut quemadmodum is nobis per cha-
ritatem coniungitur, ſic & nos inuicem ſimus conglutinati in dilectione, &
ſit uera ſanctorum communio. Ob quam rem, Auguſtino docente, Chriſtus
ſuum corpus & ſanguinem in ijs rebus commendauit, quæ ad unum aliquid
rediguntur: ut quomodo idem ſunt, ita & nos in ſpiritu in unum quoddam
cum Chriſto redigamur. Vt ergo fructum ſalutiferum inde conſequamur, po
tiſſimùm requiritur charitas. Nam Chriſtus poſtquam ſatis piè inſtruxiſſet ſu-
os, quos de mundo elegerat, Apoſtolos, nouum mandatum dedit dicẽs: Hoc *Ioan. 14.*
mandatum do uobis, ut diligatis inuicem. Cui dicto, ut plurimis alijs, obe- *2 Cor. 11.*
diens Paulus dixit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Memor nimirum
ipſius adamantini uinculi, & firmiſſimę inter nos coniunctionis. Non ergo di
gnè ſumit hoc ſacramentum, qui ullo modo ſeſe ab hac unitate ſeparat, & in
corpore illo eſſe contemnit. Nec minimus profectò fructus eſt, quem ex hoc
ſacratiſſimo ſacramento capimus, quòd ſcilicet hinc certiores reddimur, Chri
ſtum pro nobis ſatisfeciſſe. Norunt enim omnes, quàm impijs ſceleribus
omnes commaculati, & proinde damnationi æternæ adiudicati fuerint, di-

Geneſ.2. cente Scriptura: Quamprimùm comederitis, &c. morte moriemini. Venit ergo
Heb.10.& go filius Dei, & factus eſt hoſtia et propitiatio, et redemit totum genus huma
1 Ioan.2. num. Fit ergo firmior noſtra fides in hunc crucifixum Chriſtum ex huius ſacramenti uſu: cùm ibi conſpicimns corpus & ſanguinem in ara crucis pro nobis oblata. Nullæ iam cogitationes uanæ locum habent apud uerè Chriſtianos, quaſi non Chriſtus, ſed alius quidam mortem crucis ſuſtinuerit: uel quod ipſe putatiuè mortuus ſit, qui nūquam uerum corpus ex Maria uirgine aſſum
Vide Theophilactum in Ioannē. Lib.3. cap. 18. ptum habuerit, ſed per eam tantùm quaſi canalem in hunc mundum ſit progreſſus: quemadmodum olim impij homines à ſatana docti uoluerunt. Refert Ireneus, Baſilidem eius impiæ opinionis fuiſſe, nempe Ieſum Simonis Cyrenæi accepiſſe formam, & Simonem fuiſſe trāsfixum. Sed pius homo obtundit aures, ne tantam audiat blaſphemiam. Dehinc Marcion impiè blaſphe-
1 Cor.2. mans, aſſeruit Chriſtum putatiuè paſſum. Cerdoniani cùm id crederēt, nec natum ex fœmina, nec habuiſſe carnem dixerunt. Veram autem de Chriſto crucifixo fidem & beatificare ualentem nunquam non iactarunt, alijsq́ tenendam inculcarunt ſancti uiri. Non iudicaui, dixit Paulus, me aliquid ſcire inter uos, niſi Chriſtum Ieſum et hunc crucifixum. Certè quòd ſi Chriſtus uerè mortuus non eſſet, mors ipſa non eſſet deuicta. Adhuc igitur eſſemus in peccatis
Superiori loco. noſtris, filij iræ, & æternæ damnationis. Diuus Irenæus certè certiſſimis probat rationibus, pro ſalute noſtra Ieſum Chriſtum incarnatum & mortuum
Dan.9. & Eſa.53. fuiſſe, iuxta uaticinia omnium prophetarum. Hoc igitur uiſibili ſigno certi reddimur, Chriſtum hòc corpus quod ſumpturi, & hunc ſanguinem quem bibituri pro nobis uerè tradidiſſe, ſicut quoque uerba ſonant: Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur. &: Hic eſt ſanguis meus qui pro uobis effundetur. Hac fiducia freti læti accedimus, dicentes cum Propheta: O quàm miſeri olim fuimus, oēs enim quaſi oues errauimus: & tu pijſſime Pater poſuiſti in filio tuo Chriſto iniquitates noſtrorum omnium. Vere languores noſtros
Eſa.53. ipſe tulit, & dolores portauit noſtros, tradens in mortem animam ſuam. Erubeſcāt omnes itaque hæretici, affirmantes per filium Dei noſtra peccata non eſſe ſublata. Quoniam hic Propheta, omnium facile diuiniſſimus apertiſſimo teſtimonio noſtrum Chriſtum paſſum approbat, cui ſatis quidem fideliter a-
Hierony. in Eſaiam. ſtipulatur diuus Hieronymus, quando inquit, quòd nos noſtris debebamus ſceleribus ſuſtinere, ille pro nobis paſſus eſt, pacificans per ſanguinem crucis ſuæ, ſiue quæ in terra, ſiue quæ in cœlis ſunt. Hæc igitur paſſio eſt ſalus, iuſticia, pax & gaudium: quod hoc ſymbolum nobis certiſſime exhibet, unde ut fideles & uere credentes inueniamur. Vnde iam fides noſtra cōfirmatur, ut ſentiamus uere pro nobis traditū corpus Chriſti, & uere pro noſtris peccatis ſanguinem ipſius fuſum. Quemadmodum Ioannes indicat, dicens: Aduocatum habemus apud Patrē Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Quę uerba cùm interpretaretur Auguſtin. ſacrificatorem (dixit)
1 Ioan.2. ipſe ſacrificauit pro peccatis noſtris, qui cùm aliam hoſtiam quam puram uolebat, non inueniret, ſeipſum obtulit: Sumentes igitur hoc diuiniſſimum ſacramentum, in mentem reuocare debemus immenſam illam dilectionem, qua dilexit nos omnipotens Pater, & miſit filium ſuum ut propitiatorem, & ſaluato
1 Pet.1. rē, Ioan.3. et 1 Ioan.4. Et ut Petrus ſcribit: Non corruptibilibus, ueluti auro uel argēto redempti eſtis, ſed precioſo ſanguine agni, quaſi immaculati Ieſu Chriſti. Ergo corda noſtra meritò ardent et affectant unice Chriſtum diligere, eiq́ ſeruire. De quo admodū caſto ſermone ſponſæ erga ſponſum Salamon perpulchre cecinit, Lampades eius (inquiens) lampades ignis atq́ flammarū. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruēt illam. Cantic.8. Et huius charitatis magnam quoq́ conuenit eſſe curam: nam hanc Deus à nobis exigit, dū inquit, Sic Deus dilexit mundū, &c. Et, Sicut dilexit me Pater,

me Pater, & ego dilexi uos: manete in dilectione mea. In qua quidem Petrus manſit. ſic enim dicebat: Tu ſcis Domine, quia amo te. Quamuis enim ante paſſionem negarit Dominum Ieſum unquam nouiſſe: tamen modò apertè teſtatur, ſe ſuum Ieſum odio adeò minimè proſequi, ut ipſum in teſtem uocet. Ioã.21. Quid nuptijs uelit Dominus, omnes ſcire debemus. Sacramẽtum hoc magnum eſt, ait Apoſtolus, ego aũt dico in Chriſto, & eccleſia. Epheſ.5. quod amabilem, Hieronym. dicit coadunationem. Quemadmodũ enim ex Adam & uxore Eua, omne genus humanum naſcitur, ſic de Chriſto & Eccleſia omnis credentium multitudo: qui modus generationis, ineffabilibus plenus eſt ſacramẽtis. Hoc ergo ſymbolo nuptiæ illæ omnis gaudij & lætitiæ plenę confirmantur. Eſt quoqꝫ ſacramentum efficax ad retinendam fiduciam, quæ magnam habet remunerationem: patientiam quoqꝫ maximè nobis neceſſariam, ut uoluntatem Dei facientes, reportemus promiſſionem. Hebr.10. Nam cùm per fidem uideo corpus & ſanguinem Chriſti pro me in mortem oblata, immenſi iſtius beneficij recordor: & non poſſum non exhortari uiciſſim, ut pro eo uitam meam exponam, & cum gaudio quaſcunqꝫ contumelias pro nomine ipſius patiar. Neqꝫ enim, ut Chryſoſtomus ait, ſacerdotem putamus hoc facientẽ, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam imaginamur atqꝫ credimus. Sedulò hoc ſacramento ritè uſi uoluere animis debemus, quid non perpeſſus eſt malorum ſaluator noſter Chriſtus, dum in terris degeret. Nónne omnibus ludibrio ac riſui fuit? Nónne blaſphemabant, dicentes: Bene dicimus quia Samaritanus es, & dæmonium habes? dæmonibus diuiniſſima Chriſti miracula aſcribentes. Et quid non moliti ſunt? Suſtulerunt tandem lapides, ut ipſum interimerent. Vnde fit, ut & nos libenter pericula quæuis ſubeamus, dicentes: Venite, moriamur & nos cum illo: iuſtè ſiquidem contumelias patimur: nam digna factis recipimus, hic uerò nihil mali geſſit. Qualem fuiſſe enimuerò Ignatium Euſebius ſcribit, qui ſuam animi promptitudinem ac fiduciam declarans, Romam inter cætera ſic ſcripſit: O ſalutares beſtias quæ præparantur mihi, quando uenient? quando emittentur? Nunc incipio eſſe diſcipulus Chriſti. Faceſſat inuidia uel humani affectus, uel nequitiæ ſpiritalis, ut Ieſum Chriſtum merear adipiſci, etc. Hinc ergo haud fieri putamus, ut qui ſanguinem Chriſti oculis conſpicit, & ex animo conſiderat, quin animum infractum concipiat, fortemqꝫ aduerſus omnes omnium malorũ procellas. Quemadmodum uidere eſt apud diuum Cyprianum, teſtantem quemadmodum ſuo tẽpore Chriſtiani euchariſtia indies ſeſe munierint. Sic enim ſcribit: Excitamus & exhortamur ad prælium: non igitur inermes & nudos relinquamus oportet, ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamus, ut in confeſſione ſanguinis ſuum ſanguinem fundere minimè hęſitent. Hæc ille. Poſtremò reſtaurari hoc cibo & potu Chriſtianam charitatem, nemo inficias ibit. Qui autem ingẽs hic fructus eſſe non poſſet? cùm hanc maximam noſtræ ſalutis partem eſſe certiſſimũ ſit, dicente Saluatore: In hoc cognoſcent omnes quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicẽ. Ioan.13. Et diuus Paulus, nihil Deo acceptũ adqꝫ ſalutem ualere, quàm fidem per dilectionem operantẽ, teſtatur atqꝫ affirmat Gal.5. Igitur hoc ſacramento utentes, libentiſſimè præſtamus charitatem proximo noſtro, ut ſi qua in re laborat, opem feramus illi, & ipſius ſubleuemus inopiam. Hincqꝫ cadit omnis rancor & inuidia, & ſuccedit ſincerus amor, ut fideliter mutuis officijs inſeruiamus. Nil hic amplius locum habet, quod poſſit ſcindere germanam charitatem inter fratres Chriſti. Nam reuocatur in memoriam, & hæret, quod lex dixit, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Ille que homo certò ſibi præſcribit: Ego qui ſeruatorem meum ſumpſi, qui mihi ſe totum dedit, uult fratris mei ſimiliter totus ſim, ac eſſe uelim. Cæterùm diuus Chryſoſtom. Neqꝫ enim (inquit) graue aliquid,

Ioan.15. Ioan.21. Homil.60 ad populũ Antiochenum. Ioan.8. Luc.11. Luc.23. Euſeb. lib. 3. cap. 23. Epiſt. 2. ad Cornelium. 1 Cor.13. Deuter.6. Matth.22.

aliquid, ac onerosum à nobis requirit Deus, ſed ſolū ut teſtemur et fateamur
Homel. 9. beneficia ſua, & pro his gratias agamus: non quòd ipſe his opus habeat, qui
in Geneſ. nullius indiget ſed ut nos diſcamus autorem bonorum diligere, & non ingra
ti ſimus. Sic quoque ipſum ad maiórem noſtri curam prouocabimus. Hacte-
nus ille. Hæc autē uox laudis uehementior erit, ſi probè perpendas, quàm mi-
nimè res ridicula ſit, nos fuiſſe iræ & æternæ dānationis filios. Mors equidem
quæ animam à corpore ſeparat, horribiliſſima omnibus apparet: refugit eam
quantum poteſt humana natura. Vnde Ariſtoteles, omnium (aiebat) terribi-
lium terribiliſſima eſt mors: fortaſſe experientia edoctus, quoniam hoc etiam
in minutiſſimis apparet animantibus. At longè horribilius fuit, hominem æ-
ternaliter morti fuiſſe adiudicatum, ut locum illum inhabitaret, ubi ſempiter-
nus eſt horror, ubi ignis inextinguibilis. Quid enim Iob 10. terræ tenebroſæ
nomine ſignatur, niſi tetrū tartari clauſtrum, ubi damnatos tenet caligo & mi-
ſeria, fletus & ſtridor dentium: qui ignibus traditi, & in supplicijs dolorem
ſentient, & pauore ſemper ferientur? Hæc autem omnia per hunc filium ſub-
lata fuerunt, pro nobis quando dependit, iuſtus pro iniuſtis: quod tum fa-
ctum fuit, quando in cruce pendens, cum impijs reputatus eſt, mortemq́ tulit
turpiſſimam. Vnde mors ipſa deuicta & deſtructa fuit, uitaq́ reparata: ut
Rom. 6. quemadmodum ipſe uiuit iam Deo, ita & nos uiuamus per ipſum: etiam filij
Dei, et hæredes omnium bonorum cœleſtium. Quid uerò pręſtantius, uel eti
am excellentius eſſe poſſet? Excederet omnium hominum merita, ſi ſaltem è
faucibus ſatanæ erepti fuiſſent. Iam uerò & gloria & honore coronādos fecit,
Epheſ. 1 ex gratia per ſuum ſanguinem in cruce effuſum. Omnem igitur gratiarum acti
& 2. onem impende ei, qui ſic te glorificauit. Quid enim putas acturum eum, qui
tetro è carcere, ex uermium & bufonum morſibus, alijsq́ horribilibus crucia-
tibus ſit liberatus? quid impenſurum ei, à quo ſe tam benignè liberatū ſciret?
Huic autem miſeriæ infernali nulla penitus comparari poteſt: è qua Chriſtus
moriēdo te eripuit, dum mortem deſtruxit, uicit diabolum, eumq́ proſtrauit:
infernum confregit, atq́ ęternas pœnas extinxit. Inſuper tranſtulit ſuos in cœ
leſtem paradiſum, ubi nullus dolor amplius, ſed lęticia ſempiterna erit. Adde-
cet itaque, ut omnis uerè Chriſtianus ſuam ſpem atque fiduciam in nullo alio
reponat, quàm illo, cuius audit ſanguinem pro omnium peccatis effuſum:
ſummo hinc quoquo ſtudio laborat, ne ullo pacto, quoad fieri poteſt, talem
Dominum offendat: ſicq́ fortiter pugnat contra Chriſti hoſtes omnes. Dein
de quoties dignè corpore & ſanguine Chriſti uefcimur, unum idem'que cum
eo efficimur ſpiritualiter ac myſticè. Quare etiam Eccleſia corpus Chriſti di-
citur, et ipſe caput ipſius, Epheſ. 1. Et nos inuicem coadunamur. quod quidem
ex granis & botris ſimilitudo ducta docet: atque hæc coadunatio uult, ut ad
charitatem & beneficentiam inflammemur, quemadmodum membra phyſi-
Rom. 12. ci corporis ſibi mutuò ſeruiūt. Et hæc omnia ad renatos atq́ ſanctificatos ſpe
ctant. Suntq́ ueluti teſſerę, quibus ab impijs & infidelibus dinoſcuntur. & ta
les nos omnes oporteret eſſe: donec mortale hoc indueret immortalitatē. Ve-
De penitentia Galat. 5. rùm quia fomes in nobis manet peccatorum, & concupiſcentia ad malum, fit
Rom. 7. ut caro concupiſcat aduerſus ſpiritum: & uideamus cum Apoſtolo, legem
peccati repugnantē legi mentis noſtræ: nonnunquam ſpiritus uincit, & fit ut
homo recidat, unde ereptus eſt. quod quidem nobis damnoſum eſſe, diuus
Petrus oſtendit his uerbis: Melius, inquit, eſſet uiam ueritatis uel iuſticiæ non
cognoſcere, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo quod traditum
eſt illis ſancto mandato. 2 Pet. 3. Et eo peius atque periculoſius eſt, hominem
rurſum coinquinari peccatis qui illuminatus erat, & particeps factus ſpiritus
ſancti, quod impoſsibile eſt (docente Apoſtolo) eum rurſus renouari per
Heb. 6. baptiſmum. Baptiſmi enim uirtus in paſſione Chriſti cōſiſtit: Chriſtus autem
ſemel

ſemel mortuus eſt peccato, amplius non moriturus, ita & nos in baptiſmo ſe- *Rom 6.*
mel tantùm peccatis mori poſſumus. Quid igitur? nũ ergo qui prolapſus eſt,
ſtatim traditur iudicio æterno? Non equidem. Eſt enim Deus noſter, Deus
multũ miſericors, & præſtabilis ſuper malitia. Ezech. 18. & Ioël. 2. Proinde A-
poſtoli olim & eorum ſucceſſores, lapſos non ſic excommunicarunt, ut nulla *Cauſa 11. q.*
ipſis eſſet ſpes ueniæ reliqua: imò ad pœnitentiam exhortatos ſic conſolati *3. ca. nemo*
ſunt, ut indulgentiam atque remiſſionem delictorum promitterent, certò ac fir *epiſcopor.*
miter uerbis Chriſti innitentes, Non dico tibi Petre uſque ſepties, ſed uſque ſe- *Matth. 18.*
ptuagies ſepties: qua quidem oratione nullum omnino numerum poſuit, ſed
continuò atque ſemper indulgendum eſſe denotauit. Hæc Chryſoſtomus. No-
uit Deus figmentum ſuum, quo pacto igitur in ira ſua contineret miſericordi
as ſuas? Filioli (inquit Ioannes) hęc ſcribo, ut non peccetis: ſed ſi quis peccaue
rit, aduocatum habemus apud Deum, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt pro
pitiatio pro peccatis noſtris, &c. Quam conſolationem & ipſe Paulus dedit,
dum in hunc modum ſcripſit: Non habemus pontificem qui non poſſit com- *Heb. 4.*
pati infirmitatibus noſtris, etc. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratię
eius, ut miſericordiam cõſequamur. Quid autem his uerbis nobis miſeris pec
catoribus amabilius atque iucundius eſſe poſſet? quandoquidem conſcientiæ
perturbatæ mirum in modum eriguntur: quemadmodum Maria Magdalena
tranquillam recepit mentem, audiens Chriſti ſententiam omni conſolatione
plenam: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et, Remit-
tuntur tibi peccata tua, uade in pace. Quapropter etiam meritò condemnati *Luc. 7.*
ſunt Nouatiani, quia pœnitentiam dandam eſſe negauerunt. Cæterùm quem
admodum unanimis conſenſus habet Eccleſiæ, pœnitẽtia ſuos habet gradus,
ſuasque partes, quibus conſtat. Primùm enim homo peccator ſua cognoſcens
peccata, quod fit quoties Deus ipſum inſpiratione quadam percellit, ſicut fe-
cit Petro: aut cùm audit ſtrictiſſimum iudicium ſuper peccatores ferendum: *Luc. 22.*
uel miſerè laborat atque punitur, dolet ex animo, ſe Deum tã impiè offendiſſe.
Iraſcitur ſibiipſi, & quodammodo ita uindictam de ſeipſo ſumit, ut uellet ſe
natum non eſſe. Idque non facit ſolùm formidine pœnæ, ſed ex timore filiali ti-
mens ſe è domo patris eijciẽdum. Cuius euidentiſſimũ exemplum eſt filius il- *Luc. 15.*
le prodigus, qui cœpit in ſumma egeſtate cogitare apud ſe, quàm multi mer-
cenarij abundarent panibus in domo patris ſui, & Ego (dicebat) hic fame pe
reo. Luc. 15. Hanc autem contritionem tam exigit à nobis Deus, ut olim per
Prophetam clamauerit, dicens: Conuertimini ad me in toto corde ueſtro, in
ieiunio & fletu: & ſcindite corda ueſtra, hoc eſt, malas ueſtras cogitatiões, ma
laque opera, qui uerus eſt animi dolor: ſed nunquam miſericordiam conſeque- *Ioëlis 2.*
retur, qui ſolummodo dolore percuſſus grauitatem conſideraret ſuorum pec
catorum: neceſſe igitur erit, ut cum illo filio perdito Patrem adeat, ſuum deli-
ctum confeſſurus: & dicat, Pater peccaui in cœlum & coram te. Pater noſter
in cœlis eſt. hunc igitur mente accedere tantùm licet: quẽ olim accedens cor-
de cõtrito & humiliato Dauid, & ipſe peccator, miſericordiam eſt cõſecutus.
ſic enim ait: Dixi confitebor aduerſum me iniuſticiam meã, & tu remiſiſti im-
pietatem peccati mei. Pſal. 31. Et ſanctus Ioannes fidelẽ ait Deum eſſe, ſi confi *1 Ioan. 1.*
teamur peccata noſtra, ut illa nobis remittat, & emũdet nos ab omni iniquita
te. Quam certè coram Deo confeſſionẽ faciendam diuus Chryſoſtomus ſum
mè commendat, ac laudibus euehit. Et dubium non eſt, quin Deus miſera-
tor peccata ſic clamantibus nobis dimittat, dum ait: Ego ſum, & non alius,
qui deleo iniquitates tuas propter me. Eſa. 43. Quòd igitur dimittendi pecca
ta poteſtatem Eccleſiæ ſuæ contradidit, ſic docent pij patres factum, ut eſ-
ſet miniſterium ſui uerbi: quod & uerba ipſius habent, Accipite ſpiritum ſan-
ctum. Ioan. 20. Quaſi dixiſſet, uirtute ſpiritus ſancti diſcernite inter lepram

& lepram,

& lepram, & lapſos in peccata ad gremium Eccleſię ſanctę ac immaculatę recipite homines: ſiquidem in unitate fidei ueræ ac uiuæ, ſub uno capite Chriſto, & miniſtratione ſpiritus cohærentes, Eccleſiam conſtituunt, quam diuus Paulus domum Dei appellat, à qua ut ſancta ſit & ſine ruga malos ſeparari oportet, & abſcindi iudicio tanquam gladio ſpirituali, ueluti membra putrida, ne cæteri inficiantur. Quapropter patres, ſatisfactionis mentionem faciunt: quæ nihil aliud fuiſſe uidetur, quàm opus externum pœnale uoluntariè ſuſceptum. Erat autem ſolennis ſatisfactio, quæ imponebatur grauiſſimis peccatis, & durabat longo tempore. Deinde publica, quæ fiebat in conſpectu totius Eccleſiæ, propter publicum peccatum: qualem egit Theodoſius ille imperator, iubente diuo Ambroſio: eam uulgò dicunt excommunicationem, quoniam publicè criminoſi & Eccleſiæ ſcandalum à communione & ſacris arcebantur, donec reſipiſcerent. qui mos ex diuo Paulo initium ſumpſit, excommunicante eum qui cum nouerca rem habuerat. 1 Corinth. 5. Demum ſucceſſu temporis fuit & priuata: priuatim enim iniungebantur pœnitentibus ad redimenda peccata, atque ſaluandas animas, ut dignos fructus facerent pœnitentiæ: quam ob id nonnulli caſtigatoriam dixerunt. Sic enim caſtigabant ſemetipſos, ut contraria contrarijs curare ſtuderent: auarus conuertebatur ad miſericordiam et liberalitatem, ſuperbus ad humilitatem, luxurioſus uerò ad ieiunia & carnis macerationem: & ſic de reliquis, donec emendaſſe mala confidenter exiſtimarent. Hic tamen in primis ratio habebatur ſatisfactionis Chriſti, quæ miſeris ſola ſubuenit, nec quiſquam in ſuis (quamuis duris) confidebat operibus: ſed ſola paſſione & merito Chriſti, qui pro totius mundi peccatis mortuus eſt. quæ certè ut ueriſſima ſunt, ita etiam hoc ſenſu percipi debent: nimirum Chriſti ſatisfactionem eſſe efficacem, quibus applicetur: aliàs nemo condemnaretur, nec Iudas, nec alius. Applicatur autem, qui uerè peccata ſua ſentiunt, & diuinam pro illis dimittendis implorant clementiam: & ſummo tandem ſtudo laborant, ut exhibeant poſthac membra ſua ſeruire iuſticiæ in ſanctificationem, ut dicit Apoſtolus: quæ quando ſufficiant, ad Chriſtum pertinet, cui Pater omne iudicium dedit. Quemadmodum autem, teſtante Scriptura, Deus homines creauit maſculum & fœminam, Non (inquiens) bonum eſt hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Et Adam ex diuina reuelatione uidit ſic factum à Domino, ut eſſent duo in carne una: tantum amauit eam coadunationem, ut diceret, Relinquat homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ. Proinde licet, ut Acta indicant Apoſtolorum, omnia eſſent communia, cor unum & anima una omnium: tamen unius uiri atque mulieris unius, coniunctionem obſeruauerunt: & Nicolaitæ communes eſſe uxores aſſerentes, nullibi locum habuerunt: ſed ſanctiſſimum matrimonium adeò celebratū eſt, ut etiam Petrus, Philippus & Paulus fuerint mariti. Quod enim patriarchis plures conceſſæ ſunt uxores uel mulieres, ratio certa ſuberat: quā qui uolet, apud Auguſtinū atque Chryſoſtomum luculentiſſimè inueniet. Eſt enim cōmunis doctorum regula, & meo iudicio infallibilis ac uerax. Diſtingue tempora, & concordabis Scripturam. Igitur matrimonium ſemper ſolenne fuit: quòd etiam uel inde patet, quia iubente Domino Deo, ſuper hac re propria à Moſe lex conſtituta fuit. Exod. 22. Si ſeduxerit quis uirginem, & dormierit cum ea, dotabit eam, & habebit in uxorem. Item Nume. 36. Omnes uiri ducent uxores de tribu & cognatione ſua. Quæ legis fuiſſe exiſtimamus, cum Noe, Iaphet, Loth, Abraham & alij ante legem, uitam talem duxerint. Noe egreſſus eſt (ait Scriptura) et uxor eius, et filiorū ſuorum uxores: Gene. 8. Equidē et ante legem et poſt legē ſcriptā Domino Deo beneplacitū fuit, ſiquidē omnia bene facta ab ipſo fuerunt. Cùm igitur Chriſtus in carne apparuit, ut non uenerat ſoluere legem,

Cyprianus & alij. — *Rom 6.* — *Bernhard. in uita.* — *2 Ioan. 2. Rom. 3.* — *Rom. 6.* — De matrimonio — *Gene. 2.* — *Eccleſiaſt. Hiſt. lib. 3. cap. 29. ibi. ca. ſeq.* — *De doct. Chriſt. lib. 3. ca. 12 & 19. Item de bono coniugij c. 17.*

gem, ſed adimplere: ita iſtud pium inſtitutum Patris ſui minimè reiecit, imò ſuo calculo uehemēter approbauit: primùm quando nuptijs interfuit in Cana Galilææ, & miraculo edito cohoneſtauit. Ioan.2. Et quando uerbis ſuis ex Moſe deductis matrimonium confirmans, dixit: Non legiſtis, quia qui fecit ab initio, &c. Matth.19. Rectè quidem, ſiquidem peculiarem populum ſibi acquirere uolebat, ſegregatum moribus & uita ab alijs, ſanctū & iuſtum: quod diuus Petrus clarè indicat, dum ait: Obſecro uos abſtinere à carnalibus deſiderijs quæ militant aduerſus animam, conuerſationem ueſtram inter gentes habentes bonam, &c. 1 Pet.2. Itaque non ſolùm apud Apoſtolos, ſed eorum quoque ſucceſſores, matrimonium in ſumma ueneratione habitum fuit, ut etiam ſanctiſſimi atque eximij uiri uxorati fuerint, ut Dionyſius, Syluerius, Hilarius, Spiridion, Seuerus, omnes pietate & doctrina clari: nemo tamen cogebatur, unicuique liberum erat, dummodo fornicationem atq; adulterium uitarent. Sciebant enim, odiſſe Deum adulterium & ſcortationem. Deut. 23. Num.25. Sic etiam multi reperiebantur, qui ſeſe (iuxta dictum Chriſti) caſtrabant propter regnum Dei. Sicq; habebat Eccleſia uirgines ſanctas corpore & ſpiritu, ut Apoſtolus dicit, cogitantes quæ Domini ſunt. 1.Corinth.7. Erāt & uiduæ, ſed non iuniores, imò tantùm prouectæ ætatis, quæ uerè uiduæ eſſent, inſtantes orationibus aſſiduè, & ſperantes in Deum: ut Anna olim prophetiſſa. Qui autem uel adulterium, uel fornicationem perpetrabant, tamdiu arcebantur à ſacris, donec ſuper his pœnitentiam egiſſent debitam. Et uerum matrimonium ſolis Chriſtianis peculiare eſt, quia non niſi in Dei nomine & per Chriſtum contrahitur, cuius quidem benedictione & conſecratione firmatur. Quod non ita in infidelium matrimonijs obtinet, eo quòd ſint ſine ſpiritu, per quem certè ſolum omnia ſanctificantur. Vis ergo huius eſt, ut intelligant coniuges, ſe non humana, ſed diuina authoritate coniunctos, ſe gratiam accepiſſe, qua ipſis coniugalis congreſſus non imputetur ad culpam: ſed ut ſit thorus immaculatus, & honorabile coniugium propter proles ſanctas, hoc eſt Deo dicandas: quæ hoc modo ſuſcitantur iuxta mandatum Domini, dicentis, Creſcite & multiplicamini. quæ ratio primæ coniunctionis fuit: ſic enim ordinatum erat à Deo, ut homines progignerentur ſuper terram, ſuoq; tandem tempore commutarentur in uitam angelicam. Quod igitur peccauit Adam, tantum officit huic uiri ac mulieris coniunctioni, ut non ſolùm ſit in officium eis, ſed in remedium quoque carnalis concupiſcentiæ atque pruriginis: quandoquidem culpa quæ omnibus ineſt, per Chriſtū & baptiſmum ſuffertur, ita ut filij Dei nominemur ac ſimus: potiſſimùm autem quod in matrimonio requiritur, fides eſt: illa uerò per dilectionem conſeruatur. Vnde etiam Apoſtolus uiris Chriſtum proponit tanquam exemplum quod imitentur, & ait: Viri diligite uxores ueſtras, quemadmodum Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuam. Epheſ. 5. Eaq; ſic firma eſſe debent, ut non niſi morte ſeparentur. Neque enim fuerunt olim diuortia adeò facilè conceſſa, ut nunc temporis. Præceptum Pauli ſtrictè iugiterq; obſeruatum fuit, uxorem à uiro non diſcedere debere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut uiro ſuo reconciliari. 1 Cor. 7. Quòd ſi rectè omnia conſiderentur, haud puto diuortijs ullis opus fore: at quia plerique cōtrahunt explendæ tantùm uoluptatis cauſa, eos mox facti pœnitet, tumq; omnem quęrunt anſam ut ſeparentur. Quæ profectò leuitas rurſum nouos excuſcitare poſſet Manichæos & Tatianos, aſſerentes matrimonium ex diabolo eſſe. Quapropter uigilare deberent, quibus eiuſmodi negotium commiſſum eſt, quo uerus cōnſtitueretur ordo rectè uiuendi. Sed quid dico, uiuendi? quum omnes nos mori oporteat, dicentibus illis: Quis eſt homo qui uiuet, & non uidebit mortem? Et, Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. Homo equidem immortalis creatus eſt, ſed propter inobedientiam

Mat.19.
1 Tim.5.
Luc.2.
Ioan.17.
Heb.13.
Gene.1.
1 Cor 7.
Cōtra Vuiclephum.
Pſal 88.
Heb.9.

dientiam factus eſt mortalis. Quod Apoſtolus Romanis oſtendit, & ait: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. Rom. capite 5. Quòd ſiquis opponat, per Chriſtum mortem eſſe deſtructam, & mirum cur mori nos qui Chriſtum confitemur, oporteat: ſcire debet, quòd Chri-
Rom. 6. ſtus mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel (dicente Apoſtolo) & mortem æternam commutauerit in temporalem, ſiue naturalem. Et nos mori oporteat, ut mortale hoc induat immortalitatem: quamobrem S. Dauid precioſam mortem dixit ſanctorum Domini in conſpectu eius. Pſalm. 115. Vt autem nihil certius morte, ita nihil incertius eſt hora mortis, & maximè diſpar exitus ex hoc mundo, & nonnihil periculi habens: eo quòd in nobis regnet, non di-
Ioan. 5. co habitet, cogitatio & ſenſus peruerſus, lex Dei in nobis ualde oppugnatur, & carnis petulãtia ducit ſpiritum, et quodammodo ad peccandum cogit. Beati igitur mortui, qui in Domino moriuntur.

Vide D. Cyprianũ de mortalitate.

SINCERIS CHRISTIANIS ſalutem, aut ſi quid ſalute melius eſt, Renhardus Lutz.

AVTOR uitæ Chriſtus, quemadmodum euangelizauit hominibus, qui in craſſiſſimis errorum atque ignorantiæ tenebris detinebantur, ueram iuſticiæ uiam atque ad æternam ſalutem ducentem: ita iamiam abiturus ad patrem, à quo, iuxta quod definitum erat, in hunc mundum aſſumpta carne uenit, quæ nouiſſimis temporibus, & in conſummatione ſeculi eſſent uentura oſtendit, quo piorum ſuorum mentes ad cœleſtia è terrenis eleuaret, ac dixit: Antequam reſtituatur regnum Iſrael, cœleſte nimirum & perpetuò duraturum, futuros eſſe, quibus ueritas ipſa fidei atq; charitatis exciderit: idq; inde prouenturum, quia dormientibus hominibus nequiſſimus omnium nequam ſuperſeminarit zizania. Quæ ſanè uerba à pijs patribus uſque adeò haud pedibus conculcata ſunt, ut etiam magna induſtria, magniſq; ſudoribus, quemadmodum eorum monumenta teſtantur, ea explicarint. Et ni fallor, homines qui dormiunt magiſtros Eccleſiarum eſſe uolunt: & zizania, falſa ac impia dogmata, à patre omnis mendacij diabolo ſeminata. Quam quidem interpretationem ſi ut ſanam atque ueram admittimus, certè mirum neminem habere poterit, qui fiat ut tunica inconſutilis Chriſti, id eſt fides & ſanctiſſima ipſius doctrina, in tot partes ſciſſa ſit, atque adhuc ſcindatur indies. Endymionis ſiquidem dormiunt ſomnum, quorum intererat nunquam non excubias agere aduerſus infenſiſſimum hoſtem humani generis, & præſertim Chriſtiani. Dum autem dormit Petrus, profectò Iudas uigilat: hoc eſt, non dormit ſatanas, ſed ſuis copijs atq; inſtructa acie inuadit ciuitatem Dei: fit itaq; ut uincat, & in prædam ipſi fiant homines, quos ut abducit à uero tramite, ita in errores inducit, ut inſtar cæcorum hinc inde oberrent, & in foueas præcipitentur. Hinc igitur habemus hæc iurgia, haſq; diſſenſiones, ut omnes digladientur acerrimè, nec ullus ſit finis contentionum atque controuerſiarum. Quæ res profectò impoſtori impio illi ſatanæ non poteſt non eſſe gratiſſima: qui propterea nullum non mouet lapidem, quo malis mala accumulentur, reſq; ſubinde in deterius uergat, atque irreparabilem ruinam minetur. Cùm ergo ob oculos uerſantur plures quàm uellemus maligni ſpiritus impoſturæ, grauiſſimam tamen hanc poſtremò inuexit mundo, ut quidam aſſeuerent certò, mortem hanc homini cum pecudibus cæteriſque animalibus eſſe communem, parumq; hic diſtare, niſi quòd homines in nouiſſimo die reſuſcitabuntur atque reſurgent, tanquam de nouo creati: hocq; firmiſſimis ful-

ciri poſ-

ciri poſſe argumentis è ſacratiſſima Scriptura erutis ipſis uidetur. Quam ſanè opinionē callidiſſimus tentator proinde nititur hominibus perſuadere, quia nouit uel potiſſimum noſtræ religionis ſic caſurum. Quum enim animarum noſtrarum paradiſus negatur, atque animas interire perſuaſum hominibus erit, credo multos Epicureis peiores fore, quibus ſemper in ore fuit: Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla uoluptas. Quid autem deterius eſſe poſſet, quum dictum ſit nobis: In hoc apparuit gratia Dei ſaluatoris noſtri, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè, & piè, & iuſtè uiuamus in hoc ſeculo, & cætera. Quod ſi etiam hæc ſtaret opinio, incaſſum laboraſſent uiri ſancti, membra illa nobiliſſima Eccleſiæ, cuius caput Chriſtus eſt. Vbi enim fides Abrahæ, ubi tot martyrum præclara facinora? ſi non ſunt illi in requie, lucidiſſimisq́ manſionibus, ubi laudant in ſecula uiuentem. Et quomodo uiuit Chriſtus ipſiſſima uita, & caput noſtrum, ſi membra illa dormiunt, uel in nihilum ſunt redacta? Itaque omnes pij & ſinceri Chriſtiani, mera, quæ producuntur ab eis, præſtigia eſſe arbitrari debent: eius nimirum præſtigiatoris, qui diſpergit quæcunque collegit filius Dei Chriſtus. Vtcunque ergo ſacris innitantur ſcripturis, qui ad hunc hærent ſcopulum: facilè tamen perſpicuum fiet ijs, qui piorum patrum exactiſſimas ſcrutati ſunt explicationes, non eſſe niſi detortas allegationes, atque ſcripturas pſimmythio oblinitas, & proinde errorem unicuique ſalutem exoptanti obſeruandum, & ueluti præſentiſſimam peſtem fugiendum. Porrò ſi ſcripturæ creditur, nullo modo donec ſeculum finiatur, aberunt huiuſmodi periculoſiſſimæ incantationes. Noſtram ſiquidem exoptatiſſimam ſalutem nunquam deſinent impedire, qui Plutoni militant. Hic ergo cordatos omnes ſinceros Chriſtianos atque fortes eſſe oportet, ne quouis uento moueantur, atque deorſum à fide uera atque ſincera decidant. Qui dixit hæc præſtò eſt, ſemperq́ erit ſuo ſpiritu atque doctore, quemadmodum pollicitus eſt, dicens: Ecce ego ſum uobiſcum uſque ad cōſummationem ſeculi. Quod autem tot implicamur erroribus, nemo iuſtè in ipſum Chriſtum transferet culpam, ſed noſmetipſos, qui potius diligimus tenebras quàm lucem, & libentius indulgentes genio, obaudimus quæcunque hoſtis ille noſter perpetuus iubet atque inculcat, quàm piiſſima monita ſaluatoris noſtri. Amœniſſimum atque dulciſſimum potum ducimus eſſe, quem propinat dæmon, cùm ſit toxicon, ac uenenum melle mixtum. Tu itaque Chriſte ſolus is eſſe potes, qui nos è malis omnibus eripiat atque liberet, qui nos defendat ab impuriſſimo dæmone, ne recidamus eò ubi olim deliteſcebamus miſeri, & omnibus miſerijs deſtinati. Fiat itaque tuo præſidio, ut deſtructis aduerſitatibus et erroribus uniuerſis, ſecura tibi ac libera mente ſeruire queamus: ut cùm apparebis in gloria maieſtatis tuæ, redditurus unicuique ſecundum quod hic ſe geſſit, accipiamus quod promiſiſti uerè diligentibus te, hoc eſt læticiam ſempiternam. Valete, Seletſtadij.

CONFVTATIO ERRORIS NVPER NATI, EORVM QVI SCRIPTVRA SAcra comprobare contendunt, animas hominum poſt mortem uel euaneſcere, uel dormire uſque ad extremum iudicium. Vnde etiam Dormitãtes, uel Somniatores à nõnullis appellantur, autore Renhardo Lutz Erythropolitano.

Geneſ.1. OMnibus in cõfeſſo eſt, quod dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudiuẽ noſtram. Quę quidem uerba de *Lactãt. lib. a cap. 5.* corpore humano nullo modo accipi poſſunt. Non enim corporeus eſt Deus, quemadmodum uoluerunt Anthropomorphitæ, ſed ſpiritus & mens libera, ſegregataq́ ab omni cõcretione mortali, omnia ſentiẽs, omniaq́ mouens, per uim ſuam *Ambr. lib. 6. Hex. capite 8.* illis infuſam: ſecundũ igitur animam intelligendũ erit, quæ libera eſt, & diffuſis cogitationibus atq́ conſilijs huc atq́ illuc uagatur, quę conſiderando ſpectat omnia. Cõſtat igitur homo anima et corpore. Corpore quidẽ, de quo ſcriptum eſt: Formauit Deus hominẽ de limo terræ. de ſpiritu autẽ uel anima: Et *Geneſ.2. Hilar. in pſal. 63.* inſpirauit in faciẽ eius ſpiraculum uitæ. Sic eñ intellexerunt Moſen Hilarius atq́ alij. nam ait ille: Qui prædicabit animæ cum corpore occaſum, audiet animam nõ eſſe terrenam, ſed ex afflatu Dei ortam. Quemadmodũ aũt dixit De*Geneſ.3.*us homini, Puluis es, & in puluerem reuerteris: nõ iam de anima dictũ eſſe poterit, eo quòd ſit anima rationalis alia q̃ brutorum, quæ unà cũ corpore naſcitur, ſimulq́ interit: illa uerò ſubſtãtia à corpore diſtincta eſt, ita ut corpore qui*Vide Aug. de orig. an. ad Renat.*eſcente, imò ſeparata à corpore, tamẽ ſuis officijs fungiť, id eſt intelligit, uult, deliberat, &c. Quam opinionẽ atq́ ſententiam Plato omniũ philoſophorum princeps cõtra multos defendit: Animam dicẽs eſſe eſſentiã uel ſubſtantiam intelligibilem, & incorporeã, quę ſeipſam primò moueat, atq́ ideo immortalem. At quid eius teſtimonio opus nobis eſt, qui ſacris innitimur ſcripturis, & ad eas tanquã ſacram ancoram, nobis recurrendũ eſſe ſcimus? quid uerò illæ aliud docẽt, perſpicueq́ oſtendunt, quàm animas hominũ ab interitu corporum ſuperſtites manere, ſuisq́ officijs certis in locis fungi? Quid eñ hoc aliud eſt quod Matt. 10. hortať Chriſtus ſuos diſcipulos, ne timeãt eos qui occidunt corpus, quoniã animam occidere nequaq̃ poſſint: ſed ut potius eum timeant, qui poteſt & occidere corpus, & mittere animã in gehennam. Vbi D. Hieronym. Si, inquit, corpus occidunt, animã non poſſunt occidere, ergo anima inuiſibilis & incorporalis eſt, &c. aliud eſſe igiť animã, aliudq́ corpus, certiſſimũ ex his Chriſti uerbis euadit. Quod ſi eñ non aliquid aliud diſtinctum à corpore eſſet, animã certè occiſam dixiſſet corpore interempto: Sed animã, inquit, non poſſunt occidere. quaſi diceret, Animas habetis quæ corporib. ueſtris inſidẽt incõprehenſibiles, atq́ immortales: quas proinde nullus gladius interficit, ſed ſoli Deo reſeruãtur, qui poteſtatẽ habet eas puniendi uel glorificandi, Ipſum ſolũ igitur timete, &c. Quid quæſo clarius eſſe poſſet, animas nõ unà & ſimul cũ corporibus uel interire, uel euaneſcere? Cõuincit & errorẽ eſſe inſignẽ, ſi quis dormire animas, & nõ uiuere ſentiat, quod de Diuite & Lazaro ſcriptũ eſt, quomodo unus, poſt huius uitæ miſeriã, ab angelis portatus eſt in ſinũ Abrahæ: alter uerò, in inferno ſepultus fuit. Dicite quæſo boni uiri, quid eſt ſepultũ eſſe in inferno? haud dicere poteſtis, corpus: quoniã cõtendi*Geneſ.3.*tis, iuxta uerbũ Domini, corpus eſſe puluerẽ, & in puluerẽ redigẽdum. Quid igitur niſi anima, quæ cùm cruciaretur in flamma, clamauit ad Abraham. Videris quoniam anima à corpore ſeparata uiuit, & ſuis officijs fungitur, id eſt, intelligit atque ſentit, & quod animæ piorum atque impiorum ſegregantur ad diuerſa loca. Quod ſi uerò parabolam tantum eſſe affirmatis, ſcitote mul-

tos ue-

tos ueteres ſcripturę interpretes idipſum negare. Et ut ſit parabola, tamē om-
nis ſimilitudo, id quod docti norūt, ex ueritate ſumit. Demū cùm Deus ſit iu-
xta Chriſti doctrinam Deus uiuorū, & nō mortuorū, quemadmodū Exod. 3.
ſcriptura dicit, et Matt. 22. eſſe oportet eos quorum Deus ſe Deum facit. Cùm
igitur dixit ſe Deū eſſe Abraham, Iſaac, & Iacob, neceſſe eſt illos adhuc uiue-
re, atq; exiſtere. Quomodo aūt aliter uiuere poſſunt q̃ ſecundū animam, ſicut
ſcriptū eſt. & dixit Chriſtus: Abraham pater ueſter exultauit ut uideret diem
meū, uidit & gauiſus eſt. Ioan. 8. Et illi: Quinquaginta annos nondū habes, &
Abrahā uidiſti? quaſi uellēt dicere: iā multi ſunt lapſi anni, quòd Abraham ui-
ta functus eſt, quomodo ergo potuit te uidere? Mortuus eſt igit Abraham, et
tamē uidit Chriſtū, & ſaluatorē mundi. Hic uelim mihi bona fide reſpōdeant,
quem in modū hęc interpretāda atq; intelligenda uelint, prout Cyrillus dicit,
quādo iam in placida ſanctorū patrum requie poſitus, cognouit filiū Dei eſſe
incarnatum. Erat eīn ille dies Domini, quo carnis noſtrę ſubſtantiā pro nobis
aſſumpſit. Vellē & hoc ediſſerent, quid ſit diſſolui et eſſe cū Chriſto, quod A- *Philip. 1.*
poſtolus cupidiſſimè cupiuit? aiūt, Dormire. Sic etiā Chriſtus uobis dormiet.
quomodo ergo ſtabit, quod Apoſtolus alio loco dicit, ipſum uiuere Deo,
Rom. 6. & eſſe in gloria patris, Philip. 2. Aut, dicent, quod ueriſſimū eſt, in ſum
ma tranquillitate eſſe, & Chriſto frui: tum ſanè cadet eorū ſententia, & friuolū
eſſe quod afferūt patebit. Optamus itaq; uobis meliorē mentem, & ſaniorem
intellectū. Poſtremò omniū fortiſſimū eſt, corpus utcunq; intereat, animā ta-
mē minimè corrumpi, uel euaneſcere: quod latro audiuit, Hodie mecū eris in *Luc. 23.*
paradiſo. Hic nanq; duo potiſſimū attendere debēt. Primùm, quia Chriſtus ſe
in paradiſum iturū dixit: qui tamen de cruce depoſitus, à ſanctis uiris glorioſè
ſepultus eſt, referēte Euāgeliſta. Secundū, quod in eodē loco, id eſt paradiſo,
futurū & ipſum latronem promiſit: cui tamen fregerunt crura, ut Scriptura lo *Ioan. 19.*
quit. Quærite itaq; uobis occaſionē euadendi: aut cōfitemini cū Theophyla-
cto ſanctiſſ. pariter ac doctiſſimo uiro, poſt diſſolutionem peccatorū animas
atq; impiorū in deputatis pœnis teneri: ſanctorū aūt, licet nondū perfectè bo
nis frui, tamen iā uerſari in locis lucidis, & tabernaculis pulchris. Nec hoc ipſe
ſolus ſentit ac tenet, ſed et alij q̃ plures pij et multorū ſuffragijs recepti. ut Ter
tulianus, qui aduerſus Marcionē ſic ſcribit: Vnde apparet ſapiēti cuiq;, qui ali
quando Elyſios audierit eſſe aliquā localem determinationē, quę ſinus dicta
ſit Abrahę, ad recipiēdas animas filiorū eius, etc. Et poſt pauca: Cur nō cupiat
ſinū Abrahę dici, temporale aliquod animarum fideliū receptaculum, in quo
iam delinieť futuri imago, ac *candida quædā utriuſq; iudicij proſpiciatur. Ire *Candida pro ſpe & expectatione: & ſubſtātiuè uſurpat, pro ueſte, i qua dicti ſunt candidati. Beat. Rhenanus.*
nęus uerò: Pleniſſimè, inquit, docuit Dominus nō ſolū perſeuerare, nō de cor
pore in corpus tranſgrediētes animas, ſed & characterē corporis, in quo etiā
adaptaní, cuſtodire eundem, & meminiſſe eas operū quę egerūt hic, & à qui-
bus ceſſauerūt: in enarratiōe quę ſcribitur de diuite et de Lazaro eo, qui refri-
gerabať in ſinu Abrahę. in qua ait, diuitē cognoſcere Lazarū poſt mortem, &
Abraham aūt ſimiliter, & manere in ſuo ordine unūquenq; ipſorū. Idē ferè ha
bent Athanaſius & Chryſoſt. ſuper illud Pauli: Nondū acceperunt repromiſ- *Heb. 11.*
ſionem, &c. Quibus addēdus eſt nobis D. Aurelius Auguſtinus, uir profectò
pius, necnō ingenij felicitate prędi tus. Is inter cætera ad Laurentiū ſic ſcribit:
Tempus quod inter hominis mortē et ultimā reſurrectionem interpoſitū eſt,
animas abditis receptaculis continet, ſicut unaquæq; digna eſt uel requie uel
ærumna, pro eo quod ſortita eſt in carne, dum uiueret. Idē de ciuit. Dei lib. 13.
cap. 8. In requie, ait, ſunt animæ piorum à corpore ſeparatæ. impiorum aūt pœ
nas luūt, donec iſtarum ad æternam uitam, illarum uerò ad ęternam mortem,
quę ſecunda diciť, corpora reuiuiſcant. Et alio loco, ſuper illud uidelicet Ioan.
Lazarus amicus noſter dormit. Dormit, inquit, omnis mortuus bonus et ma-

lus:habent autem omnes animæ,cùm de ſeculo exierint,diuerſas receptiones ſuas,gaudiũ boni,& mali tormenta. Sed cùm facta fuerit reſurrectio, & bonorum gaudium amplius erit,& malorũ tormenta grauiora,quando cũ corpore torquebuntur,&c.Idem in quadam ad Hieronymũ epiſtola,fuſiſſimè uerò de Eccleſiæ dogmatibus,ubi apertè dicit animas fideliũ in cœlum aſcendere. Abeãt igitur et Dormiant Endymionis,ſi uelint, ſomnum craſſi dormientes illi. Nos enim quos diuina inſtruxit ſapientia, ne latum quidem digitum, ut dicitur,diſcedemus ab ijs uiris,qui ſincerè ſimulac reuerenter diuina tractarũt myſteria, quorum unanimis atq; uniformis in hunc uſq; diem tenuit ſentẽtia,ſuffulta & Chriſti & Apoſtolorum doctrina,non dormire, ſed uiuere animas. Et piorũ receptas quidem,adhuc tamen recipiendas, ut repromiſſionẽ accipiãt, quod de cõſummata corporis & animę reſurrectione intellexerũt, dicẽte A-
Rom.4. poſtolo: Spiritus qui ſuſcitauit Ieſum, uiuificabit & mortalia corpora ueſtra.
Rom.8. Et rurſum: Oportet mortale hoc induere immortalitatẽ, & corruptibile hoc
1 Cor.15. induere incorruptionem. Verùm quando ualidiſſimos ſe putant habere ſcripturarum arietes,quibus nos piè de animabus ſentientes oppugnant, ſuamq; cõfirment atq; ſtabiliant opiniònem,primùm audiamus eorum obiectiones, ut iuxta philoſophum,oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcãt: quas ſi, ut ſperamus,pius atq; cordatus,animo uerè percipiet explicatas,et ſana interpreta-
Apoc.20. tione dilutas: uidebit atq; intelliget, merum fucum atq; præſtigium eſſe Stygij illius draconis,qui iam ſolutus eſt, ut ſeducat uniuerſum orbem.

OBIECTIO PRIMA.

Geneſ.3. Dixit Deus ad Adam: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Hic uidere eſt hominem, licet immortalitate donatum, tamen quia in peccatum prolapſus eſt,immortalitatem ſuam perdidiſſe.

RESPONSIO.

Qui uult rem atq; ſenſum ſcripturę penitius inſpicere,haud dubiè inueniet Deum nihil aliud dixiſſe, quàm quod ſumptum è terra in terram rediturum. Nunquid autem puluis eſt imago Dei, ad quam certè anima cuiuſq; hominis creata eſt? Minimè gentium. Hoc igitur puluis eſt, atq; puluerem fieri neceſſe
Iob.10. eſt,quod factum eſt de limo terræ.quemadmodum Iob dixit: Memẽto quod ſicut lutum feceris me,& in puluerem reduces me. quibus uerbis corporis formationẽ demõſtrare uoluit. Vt autem nouerat,quomodo Deus infundendo animam dat uitam,mox ſubdit: Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & uiſitatio tua cuſtodiuit ſpiritũ meum. Quid eſt,boni uiri, Spiritũ meum,niſi res diſtinctæ ſint,corpus & anima,quam & ſpiritum hominis dicere licet. Hæc uerba Gregorius ita explicat:Memento quòd per carnem à terra uenio,& per eius interitum ad terram uado.Per carnem dicit,ſpiritus nullam mentionem faciens, quoniam nõ illum dat terra,ſed Dominus ex uirtute ſua ſecreta. Quo-
Rom.5. modo igitur uobis patrocinari poteſt hic locus:Peccaſſe hominẽ notiſſimum eſt,& æternam mortem peccando ſibi aſciuiſſe.At per Chriſtum uitæ reſtituti ſunt, quotquot recceperũt eum, quibus dedit poteſtatem filios Dei fieri, his
Ioan.1. qui credunt in nomine eius. Vnde licet mori omnibus ſtatutum ſit,atq; oporteat, nihil aliud tamen id electis eſt quàm quidã tranſitus ad immortalitatem. Mors occaſus,ait ille, carnis eſt,non interitus:qui non conſumit cõiuncta,ſed diuidit, cùm origini ſuę utrunq; reddit. Et alius:Mors eſt ianua ad ſalutẽ perpetuam. Quæ equidem, niſi planè ſtupidi ſitis,ſufficere poſſunt.

SECVNDA OBIECTIO.

Eccleſ.3. Fortiſſimè Salomon docet, nihil poſt hominis mortem ſupereſſe, quàm quandam putredinem, haud aliter quàm in pecoribus euenit, quando dicit: Vnus interitus eſt hominis & iumentorum, & æqua utriuſque conditio: ſicut moritur homo, & illa moriuntur.

Reſpon-

RESPONSIO.

Prima quidem fronte uidetur Salomon hic totum abolere hominem, ita ut poſt diſſolutionē inſtar brutorum cadat homo, abeatq́ in cinerem. At quod ſi examinatur totum caput exactius, atq́ ſingula inuicē conferuntur, haud diffi cile erit hunc ſenſum inde exerere: Vt ſcilicet inter pecudes et homines ſecun dum corporis qualitatē nihil differat, ſed ſit eadē conditio naſcendi, ſors unà moriendi. Nemo melius Hieronymo hunc nodū diſſoluit. Ait eñ, non dixiſ ſe hoc Salomonē, quaſi animā putarit cum corpore interire, uel unum beſtijs & homini pręparari locū, ſed quod ante aduentum Chriſti omnia pariter ad inferos ducerentur. Et licet aliud uideretur diſſolui, aliud reuerſari: tamē non multū intererat perire cū corpore, uel inferni tenebris detineri. Hæc ille. Qua fronte igitur producitis hunc locū de anima hominis? præſertim cùm tam di ſtinctè Salomon loquatur, Omnia pergunt ad unum locū, de terra facta ſunt, & in terrā pariter reuertentur. Profectò niſi talpa cæciores ſitis, uidebitis oc caſum carnis, ut cum Auguſtino loquamur, Salomonē tantum uoluiſſe. licet dicat enim difficillimū ſcitu eſſe de ſpiritu, quomodo ſurſum aſcēdat: ſpiritum nihilomninus tamen hominis diſcernit atq́ dijudicat à ſpiritu pecorū. Iterum trilinguis ille Heros: Inter homines, ait, & beſtias hæc ſola eſt differētia, quod ſpiritus hominis aſcendit in cœlum, & ſpiritus iumenti deſcendit in terram, et cum carne diſſoluitur. Maneant ergo uobis ueſtra ſomnia. *Hieron.*

OBIECTIO TERTIA.

Ait propheta Dauid, Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam: In il la die peribunt omnes cogitationes eorum. Quid clarius, hominem nihil ſutu rum niſi terram? Si enim remaneret anima, haud perirent cogitationes. *Pſal. 154.*

RESPONSIO.

Propheta piè admodum pios admonet, & ad laudandum Deū extimulat, ut eū, in quo ſolo ac unico ſalus hominis ſita ſit. Ne ergo in principibus huius ſeculi confidentiam quandā collocent adhortatur, quos filios dicit eſſe homi num corruptibiles, & uanos. & ait, Exibit ſpiritus eius (de homine nimirū lo cutus fuerat) hoc eſt anima quà uiuit corpus ac mouetur. Omnibus namq́ ſta tutū eſt ſemel mori. Et quis eſt homo qui uiuet, et nō uidebit mortē? Et reuer tetur in terrā ſuam. Quid reuertetur in terrā ſuam? nunquid anima? minimè, quādoquidē nō de terra ſumpta, ſed ad imaginē Dei, et ab ipſo Deo facta eſt, qui fingit ſingulatim corda omniū hominum. Reuertetur igitur in terram ſu am: hoc eſt, poſtquā exiuit ſpiritus è corpore. Corpus ipſum reuertetur in ter ram ſuā: bene ſuam, quia de limo terræ Adā pater noſter, à quo omnes deſcen dunt homines, factus eſt. Quod aūt unà pereunt cogitationes, ſic intelligi de bet, quia cum homine nihil deſcendit, nec gloria nec aliquid huius mūdi. Vbi eſt ſuperbia? ait Auguſtinus. ubi iactātia? Vidi impium exaltari ſuper cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat: & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Nihil igitur quæ hic profertis, ad animam, nobiliſſimam illam creaturam Dei, quæ ſeparatur à corpore, & ſuis officijs fungitur. intelligit, uult & delibe rat: uiuit itaq́, & non dormit, utcunq́ uobis ſtertere uideatur. *Heb ca. 9. Pſal. 88.*

OBIECTIO QVARTA.

Rurſum ait idem ille propheta Dauid: Et recordatus eſt, quia caro ſunt, ſpi ritus uadens, & non rediens. Quomodo igitur ſpiritus hominis extincto cor pore non ſimul extinguetur? &c. *Pſal. 77.*

RESPONSIO.

Pſalmus iſte docente Auguſtino ea continet, quæ in ueteri teſtamēto cum populo acta ſunt. Quo ſanè alij admoneri debeāt, ne ſint ingrati ob beneficia Deo, ſicq́ in ſe prouocēt iram ipſius, atq́ indignationē. Cùm aūt illi multa ob flagitia pœnam duriſſimam cōmeriti fuerant; recordatus eſt Deus, quia caro

ſunt, id eſt, fragiles & proni ad malum propter ueterem hominem ex Adam contractũ, qui ſemper nititur in uetitum. Quod autẽ ait, Et ſpiritus uadens, & non rediens: ſi ſpiritu Dei ducerentur, facilè agnoſcerent, quomodo anima incluſa eſt corpori tanquã carceri, nec ſemel emiſſa redit. Non enim ſemel emiſſus ſpiritus uirtute naturæ redit, ſed eum in locum uolat, ad quẽ à Deo ſuo deſtinatus eſt. Quod aũt ſpiritũ pro anima phraſis ſcripturæ uſurpet, uel hinc
Luc. 23. doceri poteſt, quod ſcriptura de Chriſto dicit: Pater in manus tuas cõmendo ſcriptũ meum. Et quomodo Stephanus eleuatis ad Chriſtum oculis depreca
Actor. 7. tus eſt, dicens: Domine, ſuſcipe ſpiritum meum. Quid ergo magis abſurdum, quàm in fidei cauſis cœlum uſq; adeò terræ commiſcere, & ex perſpicuis facere intricata atq; perplexa? ita autem aſſolet præſtigiator ille.

QVINTA OBIECTIO.

Pſal 87. Rurſum inquit propheta: Sicut interfecti dormiẽtes in ſepulchris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt. Apertè hic oſtẽditur,
Ioan. 5. homines in ſepulchris dormire, quemadmodum etiam Chriſtus dixit: Qui in monumentis ſunt, audient uocem filij hominis, &c.

RESPONSIO.

Ad primum quidẽ facilis eſt reſponſio. Si enim Hieronymo credimus, ut debemus: Pſalmus hic ſacramentũ cõtinet Dominicę paſſionis. Inducit ergo Dauid filiũ ad patrẽ loquentẽ, de ijs ferè omnibus quæ pro ſalute mundi paſſus eſt Chriſtus ille filius Dei, & ait, eum aſſimilatũ cæteris peccatoribus: multosq; exiſtimaſſe, quaſi in mortem redactus fuiſſet, ſicut peccatores & obſcœnitatibus dediti, qui à Deo non memorantur, ueluti ſeparati à uirtute ipſius. Quantum uerò ad illud, Sicut dormientes in ſepulchris, attinet, is ſenſus eſt: quod ſcripturæ phraſis mortẽ ſomnum conſueuit appellare, nõ quòd propterea anima amplius nihil ſit, aut uiuere deſinat: ſed quia, dicente Auguſtino, euigilaturos .i. reſurrecturos uult intelligi omnes, qui in pace ſepulti ſunt. cuius certiſſimũ exemplum Chriſtus dedit, quãdo ad diſcipulos dixit: Lazarus amicus noſter dormit, ſed uado ut à ſomno exuſcitem eum. Quemadmodum aũt Lazarus uoce Chriſti prodijt, ita omnes qui in monumẽtis ſunt, audita uoce archangeli reſurgent: non aũt ut uos uultis, ita ut corpus & anima denuò creentur, ſiue formentur. Nam corpora etſi corrumpi & immutari oporteat, Animæ tamẽ iuſtorum in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, ut iam ſępius dictum eſt. Quoniam Deus creauit hominẽ inexterminabilem. Quamprimùm ergo ſeparãtur à corporibus per mortẽ, ſunt in manu diuinæ miſericordiæ, per ſecuritatẽ gloriæ conſequendę. Ne aũt putetis meum figmentũ eſſe, ecce producã uobis uiros celebres, quos rejcere non poteſtis, niſi planè impij ſitis, qui hoc uolunt, hocq; ſentiunt. Mortuus quidẽ, inquit, Cyrillus, erat Lazarus, ſed Chriſto dormiebat. nullus quippe tanta facilitate poſſet aliquem à ſomno excitare, quanta Chriſtus Lazarum reſuſcitare uolebat à tumulo. Deniq; omnes defuncti, ſi potentiam Dei conſideres, à quo in nouiſſimo die ſunt reſuſcitandi, dormientes uocari poſſunt. Hæc omnia ſic accipienda erunt, ut credamus uerã corporum et carnis reſurrectionẽ. Et Chryſoſtomus: Eſt, inquit, reſurrectio diuinæ uirtutis opus, eo quod Deus impoſitæ telluri, ut diſcedat, mandabit, quemadmodũ aliquando euocauit Lazarum. Et mox: Quando uiderunt terrã motam et turbulentã, puluerem confuſum, undiq; ex æquo excitata corpora, &c. Hic eludititis ſimul excitandũ ſpiritũ, qui unà cum corpore dormierit. quòd ut falſum ſit, idẽ Chryſoſtomus, qui quaſi Achilles uobis eſt, oſtẽdit his uerbis: Iã dic mihi, utrũ facilius ſit animã à proprio corpore reſumi, an ab alieno. Dicite; quid ſibi uult, reſumi. Valeãt ergo qui fidelibus nobis imponere ſatagunt. Hęcq; faciunt, quo ſobriè quoq; intelligat illud Da
1 Theſſ. 4. nielis: Multi his qui dormiũt in puluere terrę, &c. & quod ait Apoſtolus, Nolo uos ignorare de dormientibus, &c.

OBIE-

OBIECTIO SEXTA.

Suffragatur noſtræ opinioni & illud, quod apud Eſaiam de Ezechia legimus: Quia non infernus confitebitur tibi, neq; mors laudabit te, &c. Viuens uiuens ipſe confitebitur tibi: Si mors non laudabit Deum, certè nulla anima uiuet poſt mortem. *Eſa.38.*

RESPONSIO.

Notum eſt quid ad Ezechiam dixerit propheta, & quomodo fleuit ille, uel quia deſperabat Chriſtũ de ſuo ſemine naſciturum, uel quia more aliorũ morte terrebatur, propter ignorationẽ ſententię Dei. Narrat igitur quid tempore prementis anguſtiæ cogitarit, nempe ſe ſecundum communẽ naturæ legem ad portas inferni abiturum: ipſum autem Deum eripuiſſe animã eius ne periret, quando proiecerit poſt tergũ (ſic enim legit̃) peccata eius, quia non infernus confiteat̃ Domino. Si igit̃ bene conſiderare uultis omnia, locũ illum damnatorum intellexit Ezechias, in quem detruſum fuiſſe epulonẽ oſtendit Chriſtus. Ibi certè nemo Deum laudat, nemo gratias agit, cùm ſolus horror uideatur, & omnis miſeria. Qui ergo hoc modo moriuntur, ut cũ impijs eos eſſe neceſſe ſit, nullo modo laudabunt Dominum. Sed uita atq; uiuẽtes, hoc eſt iuſti, qui dicente ſcriptura, in perpetuũ uiuent, quorum merces magna nimis apud Deum eſt. Sic laudat, quia uiuit, Abrahã Deum ſuum. ſimiliter omnes patriarchę & prophetæ, quorũ animas Chriſtus eripuit ſua innocentiſſima morte, è faucibus inferni deniq; omnes ſancti, qui Chriſti ueſtigia ſunt ſecuti, gaudent in cœlis, & laudant uiuentem in ſecula, cum angelis & archangelis omnibus. Vbi igitur ueſtra dormitio? certè euaneſcet pijs animabus in æternũ uiuentibus. Auguſtinus hunc locũ ſic interpretatus eſt, quod cùm iſta uita tranſierit, nõ reſtat niſi tributio meritorũ, quæ fortiſſimè probãt, ſanctos uita defunctos à laudibus Dei nõ ceſſare, ſed Deo frui, & bonã eius uoluntatẽ ſentire, quę uere laudis ſunt. Iam rurſum inueniunt rimulã ad effugiendũ, & aiunt infernum accipi pro ſepulchro. Hanc phraſim ſcripturæ ſic concedimus, ut interim tamen affirmemus infernum dici eum locũ in quo nulla eſt redemptio, ſed perpetua damnatio, ut ſuprà de diuite auditum eſt: eumq; Ezechiam, quia peccatorũ meminit, intellexiſſe. Vnde minimè curæ nobis eſſe poteſt, quid ſentiatis. quin potius ex animo optamus uobis ſanã doctrinam, ne cum alijs uobis contingat deſcendere in lacũ, & terram miſeriæ ac tenebrarũ. Præterea poſſe per mortẽ hic intelligi peccatum, docet atq; uult idẽ Auguſtinus: & infernum cæcitatem animi, quę peccantẽ id eſt moriẽtem excipit & inuoluit. Sicq; mortuorum nomine contineri, qui contriti à Deo in exitium abierunt. *Sap.5.*

OBIECTIO SEPTIMA.

Iob ſummã miſeriam hominis deplorans, dixit: Homo ubi mortuus fuerit, nudatus atq; conſumptus, ubi quæſo eſt? Quid aliud ſibi uolunt hęc uerba, q̃ hominẽ nihil eſſe poſt mortẽ, donec atteratur cœlum. i. ultimũ fiat iudicium?

RESPONSIO.

Qualis fuerit Iob, in cõfeſſo eſt: nec tamẽ uſq; adeò animo conſternatus fuit, quin ſemper et ſubinde ſuum agnouerit redemptorẽ. dixit enim: Credo quòd redẽptor meus uiuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, &c. Quod aũt hic dicit: Homo mortuus ubi quæſo eſt? tam candidè poteſt interpretari, ut omnes eos confundi oporteat, qui poſt mortẽ animam quaſi nihil eſſe contendunt: quoniam, teſte Gregorio, de morte carnis locutus eſt, quam, ut ſuprà oſtenſum fuit, in puluerem abire neceſſe eſt. Quod uerò de ſomno huc profertis, in hoc planè manifeſtũ fit uos more infantũ ſomniare. perplacet mortẽ noſtrã ſomnũ dici, ſic eñ reſurrectionis ſpes certiſſima inſinuat̃: quia ſicut citius homo à ſomno euigilat, ita cõcitè, ut Gregorij uerbis utamur, ad cõditoris nutũ à morte corporis reſurget. Hoc tamen nunquã concedemus, mori uel ſaltẽ *Iob. 14. & 19.* *Scio quod redẽptor, &c.* *Gregorius in Iobum.*

dormire

dormire animam,omnia hæc ad corpus uel carnem referẽtes, niſi producatis euidentiſſimas ſcripturas,puras quidem,& non detortas. Vſitatiſſimũ eſt pijs iuxta ac doctiſſimis interpretibus ſcripturæ,plerunq; addere carne mortuos, cùm de mortuis hominibus loquũtur, quo oſtendant mortẽ animabus nullo modo cõpetere.Quid igitur multis opus eſt,ut conuincantur ueſtra ſomnia? Sufficit catholica de hac re ac ſynceriſs. doctrina. Scimus,atq; ſcire debemus uafriciẽ,uerſutiam,atq; fucos antiqui ſerpentis,qui ſi hac non ſuccedit, alia ag greditꝰ uia,donec homines in errores ducat,atq; in erroribus detineat.Admo nendi itaq; ſunt omnes pij,ut omiſſis & cõculcatis eiuſmodi peſtiferis nęnijs, diuinis uſi ſcripturis,nauis inſtar,uela fidei in ſublime extendant.Hęc aũt ueri tas fidei eſt,ſpiritum hominis imaginem Dei & eſſe ęternũ,qualem nullum aliud animal accepit atq; habet:ſed animaliũ irrationalium ſpiritus,Auguſtino docente,tãdiu ſpiritus ſunt,quãdiu in corporibus uiuunt.cum carne ſua incipiunt,& cum carne uiuere deſinunt, quod non itẽ de ſpiritu uel anima hominis ſentiendũ,uel unicus ſufficere poteſt Chriſtus, qui & ipſe uerus homo, & uerè mortuus eſt,etſi rumpanꝰ ilia Codro.Quando igitur tradidit ſpiritũ,nunquid amplius nil fuit ipſius ſpiritus uel anima? quomodo igitur prędicauit iuxta Petrũ ſpiritibus,qui in carcere erant,quos nonnulli intelligunt ſanctos patres,qui redemptionẽ Chriſti expectauerant iam multis annis? Abſit ergo ut mens pia tã abſurda credat.Nobis uiuit Chriſtus,uiuunt et omnes ſancti cum eo.quod ſi itaq; uos mauultis dormire, q̃ cum illis uiuere:en dormite ſomnũ ueſtrũ fortiter, donec expergefaciat uos clangor tubæ,qui ut fur, deprehendet in tenebris dormiẽtes.Poſtremò habẽt illi & alia multa,quib.fortiſſimè inſtãt,atq; ſomnũ ſuum probare conanꝰ. Vt illud,Ego dixi dij eſtis,& filij excelſi omnes,uos aũt ſicut homines moriemini:ſuperuacaneũ tamen uidetur multum latius laboris hic inſumere. qui enim Dei ducũtur ſpiritu, his pauciſſimis cõtenti eſſe poſſunt:qui aũt phanatico quodam ſpiritu afflati ſunt,illis reſpon
Luc.16. dere poſſumus,quod Abraham diuiti illi reſpõdit: Habent Moſen & prophetas,quos ſi non audiunt,neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit credẽt.Quod ſi tamen exiſtimant Dauidẽ ſtare hic pro eorũ parte,uidere libet,an illos ipſos Dauid ſuis uerbis maximè cõfodiat.Equidẽ inducit Dauid Dominũ loquentem ad malos principes.Qui ſunt peſſimi principes? nimirũ hi qui non iudicãt re-
Ioan.17. ctum iudiciũ,ſed inuertunt Dei iudiciũ.Iudicium aũt Dei maximũ hoc eſt,rectè ſentire de fide in ipſum,& quẽ miſit Ieſum Chriſtũ . Quales igiꝰ ſint illi Iudices,qui contra catholicã fidem propria ſomnia inuehunt,facile cõijcere po
Ioan 10. teſtis.Quod deinde dicit: Vos dij eſtis, profectò non poſſunt non eſſe dij,ad
Pſal 81 quos Dei ſermo factus eſt.quoniam aũt in Chriſto omnes baptizati ſumus &
1 Pet. 2. abluti,uerè dij ſumus,regaleq; ſacerdotiũ ad offerẽdas ſpirituales hoſtias.Qui ergo peregrinas ac uarias doctrinas afferunt,non dij eſſe poſſunt , ſed illi poti
2 Timot.2. us de quibus ſcriptura loquiꝰ dicẽs:Scito quia in nouiſſimis diebus inſtabunt tẽpora periculoſa,& erunt homines ſeipſos amãtes,&c.habẽtes ſpeciẽ quidẽ pietatis,uirtutem aũt eius abnegãtes.Cùm uerò dicit,Vos aũt ſicut homines moriemini:innuit,eos qui peruerſè agũt interituros.Fecerat naq; Deus deos,
Exod. 3 hoc eſt ſibi gratos , queadmodũ Moſen deũ Pharonis: at multi ex his declinauerunt,& facti ſunt inutiles,quare ſicut Adã,ſic enim legit Hebręus,teſte Hieron. obierunt. Cùm enim ipſe nollet audire prę̨ceptũ Domini, præuaricatus eſt,& incidit mortẽ ęternã. Sic ac ſimiliter omnibus accidit trãſgreſſoribus diuinorũ mandatorum,quoniã in peccatis ſuis morianꝰ,quemadmodũ omnes
Ioan. 4. mali & indurati peccatores. Maius uerò mandatum haud habent homines à Deo, quàm ut ſanã doctrinã ſuſtineant, neq; proprijs innitanꝰ ſuis capitibus, cùm unus ſit Deus,unum baptiſma,et una fides,dicente Apoſtolo.unde cùm Phariſei titulotenus legẽ ſanctã obſeruarent , nec uerã ſalutis capeſſere uellẽt
Ioan.8. doctrinã,audiuerunt: In peccatis ueſtris moriemini. Videte ne eadem uobis narren-

narrentur, nam quod de animarum ſtatu aſſeritis, non tantum luciſdiſſimis im
probari poteſt ſcripturis, uerumetiam euidentiſſimis ſanctorũ Patrum doctri
nis, à quibus ad nos uſq;, quæ de Euangelio feruntur, demanarunt: quibus pro-
pterea meritò acceptum ferimus quòd ſcripturã habemus, & ex ea, poſt gra-
tiam, Chriſtiani ſumus. Hortamur itaq; ac obſecramus uos in Domino, nolite
eiuſmodi friuolis argutijs abduci. Manete potius in arca illa, extra quã, dicen-
te Cypriano, nemo ſaluus fieri poteſt. inſiſtite ueterũ ueſtigijs, hoc eſt, Apoſto
lorum & apoſtolicorũ uirorum: certiſſimè credentes, quòd ſi illi panẽ eum, in
quo omnis homo uiuit, nõ porrexiſſent, æternam famẽ atq; inediam nos pati
oporteret. Sacratiora ſunt ſcripturæ myſteria, q̃ ut ludum aut iocũ aliquẽ pa-
tiantur. Creditote mihi, neq; tot exantlarunt labores fruſtrà olim pijſſimi præde
ceſſores noſtri, quo uerum ſenſum ad communẽ omnium utilitatem eruerẽt.
Cæterùm quoniã diximus certò hominũ animas uiuere, certis ſuffulti doctri
nis Chriſti, & uerè Chriſtianorum non tamen proinde approbamus, quæ de
ſpectris uel animarũ deambulatione creduntur ac aſſerũtur. Scimus quidem
quomodo Apoſtoli putarũt Chriſtum phantaſma eſſe, & ſe ſpectrũ uidere: ta
mẽ longè aliter q̃ dictum ſit, nos qui ueram didicimus fidẽ, ſentire debemus.
Quod ſi Plinio crederemus, certum eſſet animas ſiue ſpiritus defunctorũ de-
ambulare. Scribit & Plutarchus de Marco Bruto, quod ad ſpectrum dixerit,
Quis hominũ aut deorum es? Quid tibi uis, &c. Sed nihil ad nos. Audiamus
itaq; de his doctiſſimorũ pariter & catholicorum hominum ſententiã. Augu
ſtinũ pleriq; omnes aſſerunt ingenij felicitate fuiſſe præditũ, quæſtionũ quoq;
difficultatibus intẽtum, nec quietum donec nodos explicuiſſet. Habet autem
ille hinc inde multa hac de re, ac uaria, præcipuè tamen in eo qui inſcribitur de
Cura pro mortuis agẽda libro, hæc quæ ſequuntur: Quid eſt quod pijſſimo re-
gi Ioſiæ pro magno beneficio promiſit Deus, quòd ſcilicet eſſet moriturus an
te, ne uideret mala uentura, quæ illi loco & populo minabantur? Ecce adducam
te, dixit Dominus, ad patres tuos, & apponêris cum pace. Ibi ergo ſunt ſpiri-
tus defunctorum, ubi non uident quæcunq; aguntur, aut eueniunt in iſta uita
hominũ. Quomodo ergo uident tumulos ſuos, aut corpora ſua, utrũ abiecta
iaceãt, an ſepulta? Quomodo interſunt miſeriæ uiuorum, cùm uel ſua ipſa ma
la patiantur, ſi talia merita contraxerunt: uel in pace requieſcunt, ſicut huic Io
ſiæ promiſſum eſt, ubi mala ulla nec patiendo nec cõpatiendo ſuſtineãt. Hæc
ille. Dixerit uerò aliquis: Si nulla eſt mortuis cura de uiuis, qui fit ut diues ille Luc. 16.
rogarit Abraham, quò mitteret Lazarum ad ſuos fratres, ne uenirent et ipſi in
eundem tormentorum locum. Ait idem: Fatendum eſt mortuos neſcire om-
nino quid hic agatur, ſed audire poſtea ab eis qui hinc ad eos moriendo per-
gunt. Non quidem omnia, ſed quæ ſinuntur indicare: & illos, quibus hæc in-
dicant, oportet audire. Poſſunt & ab angelis, qui rebus quæ hic aguntur præ-
ſtò ſunt, audire aliquid mortui. Niſi enim eſſent angeli, qui poſſunt intereſſe
& uiuorum & mortuorum locis, nõ dixiſſet Dominus Ieſus: Contigit autem
mori inopem, & ferri ab angelis in ſinum Abrahæ, &c. Porrò ut nonnulli di-
cunt, aliquos ſanctos rebus interfuiſſe humanis (dicunt enim olim Nolæ, cùm
oppugnaretur à Barbaris, ipſis hominũ aſpectibus Felicẽ apparuiſſe) ſic intel
ligendũ eſſe autumat Auguſtinus, quòd ſcilicet Deus omnipotens, qui ubiq;
præſens eſt, exaudiens ſanctorũ preces, per angelica miniſteria præbeat ſola-
tia iſta hominibus, maximeq; propter eorum memorias, quoniam hoc nouit
expedire ad ædificandam fidem Chriſti, pro cuius illi confeſsione ſunt paſsi,
ac uita defuncti. Cuius equidem gratia, peruerſiſſimus ille nequam, ſua aſtu- Idem habet de miraculis factis apud
tia, quam ab initio habuit, peruerſas mundo inuexit opiniones, conatus Mar Stephani ſe-
tyrum ac ſanctorum Chriſti obruere gloriam. Quid igitur dixit? Monachi il- pulchrum, de
lius ſum anima. Sanè hoc ipſum nõ credẽdum, ait Chryſoſtomus. ſic enim ſpe ciuit. Dei. li.
22. capite 8.

rant dęmones,ut ipſius inſeruiatur:decipiũt ergo homines.Quapropter Pau
lus ipſis tametſi uera dicentibus ſilentium impoſuit, nc ex ueris nacti occaſio
nem, poſtea admiſcerent mendacia, fidemq́ſibi conciliarent. Liquet ergo,
quod animę corpus egreſſę,non amplius hic commorantur,ſed protinus ab-
ducuntur.Nam Stephanus ait,Domine ſuſcipe ſpiritum meum.Et Paulus re-
ſolui & eſſe cum Chriſto deſiderabat.Quod uero nec peccatorum animę hic
commorari poſſint,diuitē audias,qui enixè eam rem petijt,nihil tamen impe-
trauit.Quod ſi poſſent animę hominũ hic conuerſari, ueniſſet ipſe, & ſuos de
torméntis inferni certiores feciſſet.Apertiſſimũ itaq; eſt,poſt exitum à corpo
re animas in certum locum quendam deduci,unde redire ſponte nõ poſſunt,
ſed terribilē illum iudicij diem ibi expectant,ubi gaudium habent boni,et ma
li tormēta. Cùm aũt reſurrectio facta fuerit, bonorum gaudium erit amplius,
& malorum tormenta grauiora,quoniam cum corpore torquebuntur. Cæte
rùm quod nonnulli animarum apparitiones ex Gregorio probãt,quando Di
alogorum libro ſcribit de anima Paſchaſij apertè uiſa,alijsq́ poſt obitum bal-
neatoribus factis: è contra aſſerunt plures,ſanctum atq; pium uirum eſſe de-
ceptum,aut relata ſaltem retuliſſe:quomodo enim tam grauis,tamq́ pius uir,
tales nęnias affirmare potuiſſet,cuius tanta extãt ſolidę doctrinę teſtimonia:
At ut meum non eſt de his atq; alijs iudicium ferre,ſic aliorum iudicium eſto.
Hoc tamen fateri oportet,inanes inde altercationes ſæpiſſimè ortas,dum ſpę
ctris plus q̃ par ſit tribuebant:utinam ſepeliſſent mortui ſuos mortuos.Certè
melius mihi egiſſe uidentur, qui aſſiduas fuderunt preces pro ſpiritibus mor-
tuorum:hoc enim ſuadet charitas,ratioq́ dictat. unde etiã Chryſoſtomus di-
cere audet,hæc ab Apoſtolis ſancita eſſe,ut in tremendis myſterijs defuncto-
rum agatur cõmemoratio,multumq́ illis inde contingere lucrũ, atq; utilitatē
multam. Poſtquam ergo multi falſo ſibi perſuadent animas hominũ uel dor-
mire,uel unà cum corporibus corrũpi,Satanas id in rem ſuam eſſe uidens,ſta-
tim alium errorē inducere ſatagit, quo Chriſti ſanguine redemptos in ſempi-
ternũ pertrahat exitium. Cùm aũt nouit quàm amœniſſimam uitã largiturus
ſit Chriſtus pijs hominibus,nonnullis ogganit atq; ſenſim inſtillat ueterem at
que ſepultum illum errorē Democriti & Saduceorum, nullam ſcilicet eſſe re
ſurrectionem,neq; carnis,neq; animæ:ſed poſt obitum,actum eſſe de quouis
homine:hic noſtrum eſſe ſolatium. Quam ſanè peſtiferam opinionē mentes
piæ abhorrentes,cùm ut uenenũ Crocodyli refugiunt,ita filij huius ſeculi ob-
uijs,ut aiunt,ulnis amplectuntur.quod uel inde patet,quia neq; Deum neque
homines curant,ſed inſtar brutorũ in diem uiuunt. Qui ſi ſaltē micam ſalis ha
berent,doctiſſimam Pauli doctrinam audire deberent,de noſtra omniũ olim
reſurrectione,pręſertim quod hunc errorem peſſimum ac execrandum,retro
ſeculis toties damnauerunt uiri pij iuxta ac ſolertes: omnesq́ huiuſmodi im-
piæ opinioni inhærentes,hęreticos & infideles eſſe decreuerunt.Sic dãnatus
eſt Simon magus,qui deteſtandam docuit turpitudinē, nec Deum mundum
feciſſe dixit:negauit ergo carnis reſurrectionē,& ſe eſſe Chriſtum aſſeruit.Sic
Archóntici,à principibus,hoc eſt angelis appellati, qui licet faterent̃ uniuerſi
tatem à Deo conditã,opera tamen eſſe principum,id eſt angelorũ,uoluerunt
& carnis reſurrectionē negauerunt. Item Maronini inter alios Chriſtianos et
Sarracenos diſperſi,qui cùm religioſiores cæteris uideri uolebant, ſemper ali
quid incipientes, dicebãt,In nomine Dei & trium beatorum Regum:nullam
tamen carnis reſurrectionem crediderunt. Carpocratiani ſimili morbo labo-
rantes,ſimul cum lege,humanorũ corporum reſurrectionē abiecerunt.Et Va
lētinus iuſtè pœnas dãnationis luit, qui cùm de natura rerũ multa tum impia
tum fabuloſa confinxiſſet,ultimũ adiecit, affirmans ſpiritum uel animã homi-
nis in neſcio quem Elyſium campum trãsferri, nihilq́ amplius reliquum eſſe.

Idem

Idem factum eſt Cainanis ſic appellatis, quoniam Cain honorabant, dicentes eum fortiſsimæ uirtutis fuiſſe ſimul, & Iudam traditorem extollebant, ſcelus eius beneficium putantes, unde legem & Deum legis carnis'que reſurrectionem negauerunt. Similiter & Cerdoniani anathematis gladio percuſsi ſunt, eo quòd dicebant Chriſtũ neq; natum ex fœmina, neq; carnem habuiſſe, unde nec reſurrectionem mortuorum eſſe: in hoc ipſi Paulo omnino contrarij. Et quis poſſet omnes hic recenſere, quos uſque ad ſummam perniciem Aſmodæus faſcinauit? ut Seuerianos, qui uinum non biberunt, & hominum in aliam uitam reuiuiſcentiam reſpuerunt, cum ueteri teſtamento: & Hierarchitas atque Seleucianos, qui opinati ſunt nullam reſurrectionem futuram, ſed quotidie fieri in generatione filiorum: & peſsimum ferè omnium Almaricum, cum ſuo peruerſiſsimo dogmate. docuit enim neq; infernum neq; paradiſum eſſe, ſed peccatorem omnem infernum ſuum habere, & pium ſuum paradiſum, huius'que nullam reſurrectionem credendam. Nec aliter ſenſerunt Albigenſes, qui cum multa nefanda aſſererent, tandem & hoc uoluerunt, nec baptiſmũ, nec corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum eſſe: proinde nec hominem reſurrecturum. Quos ergo fides Catholica poſt Paulum atq; alios diuinos uiros carnis reſurrectionem credendam inſtruit ac docet, nullo modo moueri poſſunt, quin eam doctrinam, ut Satanicam, explodant: præſertim cum tam euidentiſsimę extent Scripturę de reſurrectione mortuorum, ut Eſaiæ. nam ait ille: Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent: Expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere, &c. Quæ Prophetam de martyribus & omnibus ſanctis Dei dixiſſe, uult D. Hieronymus, qui euigilabunt, atq; laudabunt Deum creatorem ſuum. de quibus etiam in Daniele ſcriptum eſt: Multi dormientium in terræ puluere reſurgent, hi in uitam æternam, & hi in opprobrium, & confuſionem ſempiternam. Et quid clarius dici poſſet, quàm quod apud Ezechielem legitur: Ecce aperiam tumulos ueſtros, & educam uos de ſepulchris ueſtris, popule meus, & inducam uos in terram Iſrael. utique terram illam de qua ſcriptum eſt: Beati mites, quoniam ipſi poſsidebunt terram. Robuſtiſsimum eſt quoque quod Iob dixit: Credo quòd redemptor meus uiuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum ſaluatorem meum: quem uiſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius, repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo. Et quis non credet ipſiſsimæ ueritati, quæ ait: Venit hora, quando omnes qui in monumentis ſunt, audient uocem filij hominis, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem uitæ: qui uerò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij? Proinde rogamus atque exhortamur in Domino Ieſu fideles atque pios omnes, ne inſipientium errore traducti, excidant à propria & ſolida firmitate, uerùm creſcant in gratia & cognitione Domini noſtri Ieſu Chriſti, animis ſecum perpendentes, quàm fideliter nos admonuerint Apoſtoli, ac duces noſtri ſanctiſsimi, dicentes: In nouiſsimis temporibus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, &c. habentes ſpeciem quidem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes: & hos deuitate. Item: Fuerunt uerò pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in uobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis: cauete ab eis, ab eorum contagioſiſsimo fermento: quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.

[Margin notes: Eſa. 26. — Daniel. 12. — Ezech. 37. — Matth. 5. — Iob 19. — Gregorius legit, Scio. — Ioan. 5. — 2. Tim. 3. — 1. Pet. 2.]

BVLLA LEONIS PAPAE DECIMI, IN OCTAVA CONCILII LATEranenſis ſeſſione publicata, de Animæ immortalitate.

LEO epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam: Sacro approbante concilio, Apoſtolici regiminis ſollicitudo nos aſsiduè pulſat, ut medendis animarum languoribus, quarum nos ex alto omnipotens auctor curam habere uoluit, ſollicitam operam impendamus. Cum itaque diebus noſtris zizaniæ ſeminator, antiquus humani generis hoſtis, nonnullos pernicioſiſsimos errores, à fidelibus ſemper exploſos, in agro Domini ſuperſeminare & augere ſit auſus, de natura præſertim animæ rationalis, quòd uidelicet mortalis ſit, aut unica in cunctis hominibus: contra huiuſmodi peſtem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc ſacro approbante concilio damnamus & reprobamus, omnes aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe, aut unicam in cunctis hominibus. cum Dominus ait: Animam autem occidere non poſſunt, &c. Datum Romæ in publica ſeſsione, in Lateranenſi ſacroſancta Baſilica ſolẽniter celebrata, anno incarnatiõis Dominicę milleſimo, quingẽteſimo, tertio decimo.

Matth.10.

VARIAE DE ANIMARVM ORIGINE opiniones.

ANimam ex traduce, & corpoream, Tertullianus putauit. Animam ex transfuſione generari, dixerunt Luciferiani. Animam ex atomis eſſe, & in eaſdem poſt mortem ſolui, Lucretius ſcripſit. Animam ex ſubſtãtia Dei eſſe, Manichei aſſeruerunt: eam autem opinionem hauſerunt ex Platone, docente animam in cœlo naſci ex particula diuinæ naturæ: cui aſtipulabatur Origenes, affirmãs animas humanas omnes ſimul fuiſſe creatas, longè ante corporum formationem, & in altera uita hanc præcedente, aut ſecundum uirtutem aut uitia uictitaſſe: eas inſuper quæ rectè uixerint in angelorum dignitatem translatas: quæ uerò ſcelerum maculis ſe labefactarint, in corpora terrena, tanquam ergaſtula carceremq́ detruſas, ut præteritorum malorum meritas luant pœnas. At hunc prophanum errorem dilucidè conuincunt pij ac docti uiri, Auguſtinus, Hieronymus, & Cyrillus: & aiunt, Animam rationalem à Deo creari. iuxta illud: Qui finxit ſigillatim corda eorum. & corpori diſpoſito infundi, & cum infunditur creari, ut ne minimo quidem momento animæ creatio in ſingulis hominibus infuſionem antecedat. Quare omnium Philoſophorum figmenta abeant: eorumq́ ſomnia uſque adeò nos non perturbent, ut teneamus firmiſsimè, nos immortales factos, & poſt peccatũ ſanguine Ieſu Chriſti redemptos, ab æterna apud inferos morte, ut ſimus hæredes Dei & cohæredes Chriſti: qui reformabit corpus humilitatis noſtrę, conſiguratum corpori claritatis ſuæ: ut ubi ipſe eſt, & nos ſimus, & uiuamus perpetuò atque in ſumma fœlicitate, Amen.

Catholica doctrina de hominis anima.

AD REVERENDVM IN CHRISTO ET ILLVSTREM PRINCIPEM AC DOminum, *Melchiorem Baſilienſem Epiſcopum, Renhardi Lutz Erythropolitani, in ſuos in Iobum Commentarios Præfatio.*

QVANTVS & quàm excellens, ſiue eruditionem ſpectes ſiue eloquentiam requiras, Princeps illuſtris, fuerit D. ille Hieronymus, ſatis demonſtrãt quæ aut euoluit aut ſcripſit uolumina. Et quia in tot linguis excelluit, nihil tã abditum uariumq́; fuit, quod ipſe non uelut in numerato habuerit. Cum autem uniuerſam diuinam Scripturã ſuis eruditiſsimis illuſtrarit atq; explanarit commentarijs, egregiè tamen ſummeq́; ſudauit in Iobi hiſtoria explicanda, quòd eam uideret inuolucris & abſtruſis ſententijs inuolutam. Quod igitur litera de Iobo docet & commemorat: hoc miro artificio, pari felicitate, & abſoluta ſcientia typicè ad Chriſtum refert, ſic tamen, ut interim pio lectori difficiliora loca ſufficientiſsimè enucleẽtur. Apparet hoc luce clarius ex eius inſignis uiri uerbis. Nam ubi ſub finem in Iob libro ſcriptum eſt, Nõ ſunt autem inuentæ mulieres ſpecioſæ ſicut filiæ Iob in uniuerſa terra: ait ille, Figuram ergo ſanctus Iob manifeſtè habuit Saluatoris & in hoc, quòd ex ditiſsimo egens & pauper factus eſt.

D.Hieronymi uerba ſuper Iob.

Circa corpus eius omnem poteſtatem ſuam diabolus exercuit: ſed nihil profecit, ſicut ipſe Dominus ait: Veniet enim princeps mundi, & in me nihil inueniet. Quemadmodũ etiam beatus Iob poſt damnum filiorum infidelium, ditatus in filijs eſt: ita & Saluator poſt amiſsionem filiorum infidelium, ditatus eſt in gentibus. Per multa ergo ſanctus Iob Domini noſtri paſsionem quoq; & patientiam figurauit, numero filiorũ, & filiarum nominibus, ſeptiformẽ gratiam Spiritus ſancti, Legis & Prophetarũ atq; Euãgelij in Saluatorẽ noſtrum plenitudinem portendebat futurã. Ita habet doctiſsimi uiri typica expoſitio, quàm proinde hic uerbotenus referre uolui, ut cæteris maior adhibeatur fides: ſiquidem D. hunc Hieronymum in noſtris Commentarijs, citra tamen præiudicium & contemptum aliorum uirorum, quibus nõ defuit eruditio inſignis cum pari pietate coniuncta, potiſsimũ imitati ſumus, ita ut ipſum habeat præſentem, ſicut & Gregorium magnũ, qui hęc Commentaria ſit lecturus. Quòd autem uiſum fuit non tam pijs quàm doctis uiris iſtis, tam admirandã & à ſeculis uix auditam hiſtoriam exactius & non craſſa Minerua elaboratam in lucem dare, mihi omnium minimo perſuaſum fuit denuò edendam, ut eam cõpendioſius tanquam uiuum exemplar ob oculos poſitum intuentes multi, cognoſcerent quanta maieſtas ſit omnipotentis Dei, quàm imperueſtigabiles uię eius, quamq́; incõprehenſibilia iudicia omniũ rerum conditoris, qui propterea dicit: Ego Dominus, ego ſolus, conſiliũ meum ſtabit, & uoluntas mea fiet:

Eſaiæ 46.

utq; uiderent pleriq; uerſutum illum nequam immundũ ſpiritũ, quomodo ille in proſceniũ prodit, quomodo ſua execrabili uerſutia Chriſti Ieſu ſanguine redemptos in naſſam perfidæ apoſtaſiæ, & demum execrandę deſperationis illiciat. O' miſerum genus humanum, ô infirmam carnem, quam colluctari ſubinde oportet cum principibus tenebrarum harum, & pugnare cõtra ſpiritualia nequitiæ, ut diuinus loquitur Paulus.

Epheſ.6.

At qui ſolus dominus cuncti potens eſt, nõ ſinit illas ſupra modũ furere furias. Qui dixit illis olim, Obmuteſcite, & exite hinc: hic denuò defendit ſuos. Iuſtus (ait ille) etſi ceciderit, nõ collidetur: quia Dominus ſupponit manũ ſuam.

Pſal.36.

Quia res in hoc uiro adeò liquida eſt, ut nihil clarius. Quantumuis enim eum impetierit undiq; malis impuriſsimus dæmon, non tamen niſi fortiſsimum pugilem, athletam infractũ, & ſtre-

& ſtrenuum inuictiſsimumq; militem uidebis, & qui euaſit diuina ſe protegente clementia, ac nunquam nō aſtante ſibi Deo omniū piorum protectore. Hoc igitur inſigni & nunquam ſatis laudato uiro exemplū datur, quàm infirma, periculis uarijs expoſita, & multis obnoxia malis ſit noſtra humana natura, quæ ſi cum fiducia reſiſtit aſſultib. & horribilib. illis incurſionib. laruarū infernalium, atq; ad thronū abit miſericordiæ Dei, acclamans humiliter & ſubmiſſe: O' Domine tu es illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Tu protector meus, à quo trepidabo? Videt impium quidem exaltatū, at retrorſum ubi reſpicit tranſitq; puſillum, mox ille nuſquam apparet. Et hoc optarim ego omnibus impreſſum pectoribus, ſæuiēte nunc admodum callidiſsimo illo dæmone, quo homines illi, hunc ſanctiſsimū agoniſtam imitati, perferrent uarias illius uexationes, fortes in fide conſiſterent atq; permanerent. Videmus enim noſtris exulceratiſsimis temporibus, quàm lubricum Chriſtianorū iter, qui ſtatim ariete quodam territi deijciuntur, & ſuccumbunt. Hinc adeò fides titubat, religioq; contempta iacet, & pudor exulat omnis. Si literis doctorum uirorum creditur, fuerunt ſecula à Chriſtianæ religionis initio, in quibus magna contentione ſe quàm latiſsimè quoquò uerſus publicæ pacis ac concordiæ uitia & omnis generis mala extenderunt. Verùm hoc noſtrum ſeculū tam illis proximum puto, ut breui illa ſuperare queat. Quæ ſanè innumera Chriſtianę religionis mala, quibus nihil periculoſius, aut corruptius, & quòd minus reparari poſsit, ut multis ex argumentis luce clarius micat apparetq;, olim uidit imminere nobis D. Baſilius, uir ſanè pietate iuxtà ac eruditione clariſsimus, quum iam undiq; Orientē diſſenſiones & ſectæ, ſummis lachrymis tingendæ, infeſtarent. Sic enim ſcripſit ad Epiſcopos Galliæ, Italiæq;: Nunc
Baſili. Epiſt. 70. uerò timemus, ne quando augeſcens malum, uelut flamma quædam per ardentem materiam penetrans, ubi apprehenderit & conſumpſerit uicina, attingat quoq; ea quę procul diſtant. Depaſcitur enim hæreſis malum, & timor eſt ne ubi eccleſias noſtras exedit, deinceps ſerpat, & ſanam partem parœciæ ac cohabitationis apud uos inuadat. Si hæc non coràm uidemus, profectò talpis ipſis cæciores ſumus. Ergo cum tantus ſit earum quæ hic geruntur rerum ac temporum euripus, poſt noſtrum uirum incomparabilem, in ſtercore deflenda eſſent peccata commiſſa: amici illi falſi ac ficti reijciendi & contemnendi: uxor quoq; repudianda tanquam ſtulta, hoc eſt tota cohors ſpirituū malignorum cum mundo uerè immundo, & ſolus ſuſpiciendus Deus ille cunctorum gubernator & rector. Tum quidem fieri poſſet, ut poſt tot exantlatos labores benediceret nobis ipſe, ita ut ſubmotis erroribus, et deſtructis aduerſitatibus uniuerſis, orirentur quæ ueræ pacis ſunt, tranquillitatis exoptatæ diu, & ſalutis æternæ. Hoc faxit pius & miſericors Dominus Ieſus, quo tandē redeat regina uirgo: non pecunia quidem, quæ plus ſatis regnat, & longè la-
Eſa. 26. teq;: ſed iuſticia illa, de qua Prophetarū oracula, uniuerſaq; diuina Scriptura
Hier. 22. loquuntur: atq; uidere liceret Saturnia regna, non Ethnici illius & deliri hominis, ſed legiſlatoris optimi, principis pacis, & omnium bonorum authoris, Chriſti Ieſu uidelicet, cui tam cordi ſumus, ut pro nobis apud patrē ſuum interpellarit obnixè, dicens: Pater ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos. Deniq; ut omnibus conſtare poteſt, quantum conducat progymnaſmata habere, quibus agiliores & exercitatiores reddamur, efficiamur ad pugnandum cum eo hoſte, cum quo uelis nolis oportet deſcendere in harenam, hic liber inſtructiſsimus erit: quem idcirco omnibus Chriſti Ieſu militibus commendamus ex animo menteq; ſincera. Quòd autem hunc qualemcunque meum laborem, potiſsimùm tuæ amplitudini inſcribendum & mittendum duxi, omnis generis beneficia, quæ nobile illud atque inſigne collegium Baſilienſe, cuius tu nunc temporis Antiſtitem ſeu

Epiſco-

Epiſcopum diuina fauente gratia, & felicibus auſpicijs agis, in me olim contulit cumulatiſsimè, inſtigarunt: ut hinc ab omnibus cognoſceretur, quàm geſtiam meam affectionem declarare uiciſsim, & publicè teſtatam facere meam obſeruantiã: id mecum reputans, animi promptitudinem etiam in rebus exiguis atque minimis fieri poſſe notam atque manifeſtam. Hunc itaque precor, uiri ſancti lamentabilem, interim tamen ualde conſolatorium, præſertim mirum in modum nunc ſæuiente Cacodæmone, actum, perfunctoriè quidem, & quantum ſucciſiuis horis datum fuit conſcriptum, tua amplitudo, ut munus & ſymbolum obſequentiſsimi animi, beneuolè & clementer acceptare uelit. Cui cum me optimè commendatum cupiam, precor omnia florentiſsima, feliciſsima'que, & Neſtoreos annos. Seletſtadij,

Anno à uirgineo partu

1558.

ARGVMENTVM HVIVS LIBRI EX DIVO *Baſilio, ex Sermone: Ne rebus temporalibus affixi ſimus.*

Abſtulit ſancto uiro Iob Satanas domeſticam proſperitatem, & conſilium cœpit alternis malorum nuncijs, ipſum obruendi. Nam dum adhuc prior talem quandam cladem annunciabat, alter nuncius ueniebat, grauiorum rerum triſticiam afferens. Verùm iuſtus uelut ſcopulus in mari eminens ſtabat, tempeſtatis inſultus ſuſcipiens: & nihil eorum quæ acciderunt, lachrymis dignum duxit: ueſtem ſolùm dirupit, naturæ condolentiam oſtendens: & per factum hoc, quòd pater liberorum amans eſſet, teſtatum faciens. Poſtquam autem hoſtis uideret ſanctum uirum nullo horum conuelli poſſe, corpus eius innumeris plagis flagellatum, uermium fontes ex ſe producere fecit: & uirum ex regio throno abductum, in ſterquilinio collocauit. Ille uerò, etiam dum his afflictionibus impeteretur, immotus permanſit. Quum igitur non haberet quòd decæterò faceret Satanas, & amicorum & uxoris ipſius mente ad impiam & blaſphemam ſententiam pertracta, concutere athletam tentabat. At ille etiam hunc diaboli inſultum repulit. Quid igitur hinc conſecutum eſt? Reliquit rurſus morbus ipſum, effloruit ad ſecundam pubertatem caro, & duplicatæ diuitiæ undiquaque in domum confluxerunt: ornatus'que eſt rurſus alijs filijs & filiabus à conditore, cui gloria in ſecula, Amen.

ERAT uir in terra Hus no
mine Iob. Et erat uir ille
ſimplex & rectꝰ, ac timẽs
Deũ, & recedẽs à malo.]
Vt multi quidẽ falſò ſuſpicati ſunt, hunc uirũ de ge
Chryſoſtomꝰ dicit eum nepotẽ fuiſſe Abrahæ. *nere Eſau fuiſſe, uerũ erit Hur & Bur filios fuiſſe*
Nachor fratris Abrahæ, filij Melchæ ſororis Sa
ræ, de cuius ſtirpe Iob deſcẽderit. Cæterũ hic uir
a Eſaiæ 49. *magnus atq; egregius in terra gentiliũ habitauit,*
Felicitas Iob tẽtationis gratia uertitur in ſummam calamitatem. *bonus inter malos. Nã licet illi obligati uitijs ex-*
titerint, ſuumq; cõditorẽ ꝑrſus ignorarint: ipſe ta-
mẽ unũ coluit Deũ et redemptorẽ ſuũ, reſurrectio
nem quoq; carnis in nouiſſimo die futurã credidit,
unde ſanctũ atq; beatũ eum uolũt ſacri doctores.
Sic enim ſcribit Auguſtin. cõtra Pelagiũ: Sine fide
Auguſtinus cõtra Pelagium. *ergo incarnatiõis et mortis, et reſurrectiõis Chri*
ſti, nec antiquos iuſtos, ut iuſti eſſent, à peccatis po
tuiſſe mundari, & Dei gratia iuſtificari, ueritas
Chriſtiana nõ dubitat: ſiue in eis iuſtis quos ſacra
Scriptura cõmemorat, ſiue in eis iuſtis quos illa q-
dem nõ cõmemorat, ſed tamẽ fuiſſe credendi ſunt,
uel ante diluuiũ, uel inde uſq; ad datã legem, uel i-
pſius legis tẽpore nõ ſolũ in filijs Iſrael, ſicut fuerũt
Prophetæ: ſed etiã extra eundẽ populũ, ſicut fuit
Iob. Hæc ille. Quòd igitur dicit ſacræ hiſtoriæ
ſcriptor, ubi habitauerit, uirũ iſtũ maximè laudat.
Neq; enim ualde laudabile eſt bonũ eſſe cũ bonis,
ſed bonũ eſſe cum malis: quẽadmodũ quoq; Petrꝰ
2. Pet. 2. *magnis Loth laudib. extulit, eo quòd iuſtus inter*
reꝓbos ac nephãdos ꝑmãſit: licet de die in diẽ ani-
mã eiꝰ iniqs operib. cruciarẽt. Eodẽ ſanè modo lau
Philip. 2. *dãtur ab ipſo Paulo Philippẽſes, qa lucerẽt in me-*
dio natiõis prauæ, ſicut luminaria in mũdo. Porrò
quòd ſimplex eſſe prædicatur, ſic minimè accipi
debet, quaſi qd rectũ eſſet ignorarit: quoniã igno-
Rom. 6. *rãs ignorabitur. Vnde quidẽ D. Paulus Rom. ſcri-*
pſit: Volo uos ſapiẽtes eſſe in bono, ſimplices aũt
in malo: nimirũ ut ꝓuidi ſint ad ꝓpriã ſalutẽ et cõ-
moditatem, ſimplices aũt ad malefaciendum alijs.
Sed quòd Spiritu ſancto plenus mãſuetudini ſimpli
citatis inſeruiuerit, et cõtra culpas delinquẽtiũ ze
lo rectitudinis fuerit accẽſus. & quoniã initiũ ſapiẽ
tiæ timor Domini, timuit Deũ: hoc eſt, nihil eorũ
neglexit bonorum quæ nouit à Deo mãdata ipſiq;
multũ gratiſſima eſſe. Quoniã uerò nõ ſatis eſt ut
bona faciamꝰ, uerũ etiã ut euitemus quib. maximè
Deꝰ offenditur: bene ſubiũxit, Et recedẽs à ma-
b 1. Reg. 4. *lo. quaſi ſic addictũ Deo oſtẽdere uellet ut nec ſi-*
niſtri qd etiã cogitarit aduerſus edictũ ſui creato-
ris. quẽ imitentur oẽs neceſſe eſt, ſi modò ſibiipſis
bene cõſultũ uelint: declinent à malo, et faciãt bo-
nũ: neq; enim bona Deo accepta ſunt quæ ante e-
ius oculos malorũ admixtione maculãtur. Na-
tiq; ſunt ei ſeptẽ filij, & tres filię. Et fu-
it poſſeſſio eiꝰ ſeptẽ millia ouiũ, et tria
millia camelorũ, quingẽta quoq; iuga
boũ, et quingẽtę aſinę, ac familia mul
ta nimis. Eratq; uir ille magnus inter
oẽs Oriẽtales.] *Cũ Propheta inqt: [a] Nunqd*
mater obliuiſci poteſt infantis uteri ſui? naturaliter
fit, ut in immẽſum diligãt parẽtes dulcia ſua pigno-
ra, ut ait ille. Hinc ꝑfectò fieri ſolet, ut plerunq; ad
auariciã & cõtra æquitatẽ alliciãtur corda parẽtũ
ex ꝓlis fœcunditate. Setzẽt die ſeel ein wenig ne-
bẽt ſich, ut recõdãt liberis, quo et illi ditẽtur, et am-
plificẽtur cumulatis honoribus. Hic aũt ſic libe-
ros habuiſſe cõmemoratur, ut interim tamẽ nullo
modo à iuſticia declinauerit, retinẽs eã quã ſemꝑ ha
buerat ſanctã mentẽ. Porrò cũ ad maiorẽ dolorem
cõmoueant damna maiora, ut oſtẽdatur quãtæ uir-
tutis extiterint, multã ei ſubſtãtiã fuiſſe dicit: quæ
tamẽ rerũ abũdãtia uiri ſancti mẽtẽ à diuino timo
re ſoluere nequaquã potuit. maiores qdẽ erãt cor-
dis diuitiæ, hoc eſt uirtutes quib. pollebat, prudẽtia
ſcilicet, iuſticia, fortitudine et temperantia. Et
ibant filij eius, & faciebãt cõuiuia per
domos, unuſquiſq; in die ſuo, &c.] *Ma*
xima cura & ſollicitudo ſancti uiri erga liberos
ſuos oſtẽditur, quos ita regebat ut nõ tam ꝓ præ-
ſentib. ꝗ ꝓ occultis in corde peccatis diuinã clemẽ
tiã aſſiduis ſacrificijs exoraret. Perfectos qdẽ eſſe
in opere et ſermone docuerat: at metuebat ne for-
tè qd mali cogitare poſſent, et irã Dei in ſe ꝓuoca-
re. dixit ergo: Ne fortè peccauerint filij mei, et be
nedixerint Deo in cordib. ſuis. Quãobrẽ quãuis
cõuiuia licita ſint atq; honeſta, uix tamẽ ſine culpa
celebrari poſſunt. Vt igitur quantũ fieri poteſt cul
pa careãt, epulis interſuit Chriſtꝰ, et in facie prãdea
tur authoris. Nõ ꝓhibẽtur cõuiuia quæ in cõmuni
fiũt, ſed ne præter decorũ qd agatur, ut diſcãt gen
tiles Chriſtianos maximè eſſe, q deliciari ſciãt or
dine, & citra omnẽ immodeſtã cõmeſſationẽ. Vi-
deamꝰ quoq; inæſtimabilẽ paternæ inſtitutiõis lau
dẽ, q liberos tã diſciplinatos habuit, et maximè cõ-
cordes: diſcãt patres atq; omnes rectores, quoniã
Deus iuſtã uindictã ſumit, ubi negligẽtes eos in tali
cura et ſolicitudine cõſpexerit: ſic enim Eli ſacer-
dos pœnã luit. [b] Et Ezechiel unà cũ Paulo grauiſ-
ſimam iram Dei oſtendit, torpentibus præpoſitis.

Quadã aũt die, cum ueniſſent filij
Dei,

Dei, ut aſsiſterēt corā Domino.] *Filij
Dei ſunt electi angeli Dei, iuxta Danielē dicentē:
[a] Multa milliū miniſtrabāt ei. Et de illis per Paulū
dicitur: [b] Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritꝰ in mi
niſteriū miſſi. Quā rē ut ꝓbè intelligas, Angelica
natura lōgè alia eſt à cōditiōe noſtræ naturæ, hoc
eſt, humanæ. etſi enim illa loco circūſcribatur, ut
noſtra: tamē eius ſcientia lōgè perfectior eſt, quæ
ipſum fontē ſcientiæ cōtemplatur. ſic ergo ad nos
ueniūt angeli, ut nihilominus per internā contem
plationē diuinæ aſſiſtāt maieſtati, dicēte Chriſto:
[c] Angeli eorū ſemper uidēt faciē patris mei qui in
cœlis eſt.* Affuit inter eos Satan: cui
dixit Dominus.] *Quomodo inter angelos
fuiſſe Satanā intelligere poſſumus, cū [d] Propheta
ipſum cecidiſſe dicat, & Chriſtus: Videbā, ait, Sa-
tanā ſicut fulgur cadentē de cœlo. et alijs in locis
apertè demōſtratur, eū iā iudicatū iamq; damnatū
eſſe? Sic certè, quia & ſi beatitudinē perdidit, na-
turā tamē angelis ſimilē nō amiſit. eo itaq; intuitu
quo omnipotēs Deus cūcta ſpiritalia cōſpicit, etiā
Satanā in ordine angelicæ naturæ uidit. ait enim
Scriptura: [e] Oculi Domini cōtemplātur bonos et
malos. Nec tamē ipſe Satanas Deū uidere potuit,
quemadmodū illi qui cadūt in facies ſuas, atq; cla-
mant: [f] Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus
exercituū. ſed adfuit haud ſecus quàm cæcꝰ ſtat,
ſole ſplēdente: qui quidē ut cæteri ſolis radijs per-
funditur, at lumē quo illuſtratur nō uidet.* Vn
de uenis?] *Nō ad angelos, ſed Satanā tantū di
citur, Vnde uenis. ratio eſt: quia Deus neſcit, hoc
eſt, reprobauit Satanā: neſcire enim Dei, reproba
re eſt. [g] Sic ad Adā dixit Deus; Adā ubi es? quē ta
mē ſciebat. quid enim lateret oīa cognoſcentē, &
probantē corda et renes? Interrogat igitur quaſi
ob peccatū iā alienatū, ac iure damnatū. ita quoq;
dicturus eſt Chriſtus operarijs iniquitatū in no-
uiſſimo die, Neſcio uos: id eſt, dudū damnati et re-
iecti eſtis ab oculis meis, qui diligētes me diligo, et
noui qui mei ſunt, oues meas meā uocē audientes.
Angelorū itaq; uiæ ſemper cognitæ Deo, qui ſem
per faciūt uoluntatē ipſius, cui ſedulò ac diligēter
inſeruiūt.* Qui reſpondēs, ait: Circuiui
terrā, &c.] *Quod ait Satanas, ſe circumam-
bulaſſe terrā: maximos labores oſtēdere uult quos
exantlet, uel Siſiphi maiores. Et uerū eſt, nihil la-
borioſius Satana, quoniam nunquā dormit hæcq;
eſt pœna peccati, dū quietus eſſe noluit apud Do
minū Deū & creatorem ſuū. Rurſum Dominus
Deus:* Nunquid cōſideraſti ſeruum
meū Iob, quòd nō ſit ei ſimilis in ter-
ra, homo ſimplex & rectus, ac timens
Deū, & recedēs à malo?] *Vt uerba Domi
ni ſatis explicata eſſe putamus, quodnā uel quale
colloquiū iſtud fuerit, haudfortaſſe abſurdū erit
indagare; neq; enim uel Deus uel Satan per orga- a Dan. 7.
num gutturis uocē expreſſit more humano. Cum b Hebr. 1.
ergo Scriptura dicit, Deum locutū eſſe angelis: ſic
ſanè intelligendū eſt, quòd eorū cordibus occulta
ſua inuiſibilia oſtenderit, ut legāt quaſi in ipſa con
tēplatione quod agere debeāt. Sic quoq; uox an-
gelorū dicentiū, Dignus eſt agnus qui occiſus eſt Apoc. 5.
accipere uirtutē, & diuinitatē, & ſapientiā: nihil
aliud eſſe poterit quàm admiratio intimæ contēpla
tionis, et excitatus cū reuerētia motus cordis ſpi- c Matth. 18.
ritualis. Hoc aūt modo nequaquā Deus Satanæ lo
quitur, ſed quoties uias eius ac negocia animaduer
ſione occultæ diſtrictionis increpat. quòd nouit d Eſaiæ 14.
dæmon, quia ſcit ſuū ſtrictū iudiciū, Deum audit Lucæ 10.
quaſi loquentē: cui quoq; reſpōdet, quia nihil Deū Ioan. 16.
ipſum celare poteſt. Et ita iuxta Auguſtinum eſt
collatio præteritæ actionis. ſed ad textū redimus,
ipſamq; hiſtoriā.* Cui reſpondēs Satan
ait: Nunquid Iob fruſtra timet Deū?
Non'ne tu uallaſti eū, ac domū eius,
uniuerſamq; ſubſtantiam eius per cir e 2. Paral. 16.
cuitū? Operib. manuū eius benedixi
ſti, & poſſeſsio eius creuit in terra.]
*Rectè ſcriptū eſt: Proiectus eſt accuſator fratrū Apoc. 12.
noſtrorū, qui accuſabat illos ante conſpectū Dei. f Eſaiæ 6.
Nā licet Satan ſanctū uirū Iob, & uerè innocen
tem, ſciret iuſtū ac rectū, utcunq; ex uoto omnia
proſperè ſucceſſiſſent: reprobare eum tamen ten
tat. ait ergo: Quid mirum? quid hoc magni eſt?
quòd te colit Iob, tibiq; deuinctiſſimus uult eſſe
(ſic enim malignus ſecū cogitabat ſpiritus) cum g Geneſ. 3.
tot bona abs te receperit, poſſideatq;, & cuncta ei
ſuccedāt ex ſentētia. Hoc magnū uirū oſtendet, ſi
bonus ac pius inter aduerſa permanebit atq; perſi
ſtet. Voluit aūt oſtēdere: quòd nō amore Domini,
ſed propter temporalem proſperitatē innocuè ha
ctenꝰ Iob uixiſſet, more illorū qui beneuolos atq;
liberaliſſimos Dominos habēt, quos Paulus uocat
ad oculū ſeruientes. Vires igitur beati Iob neſciēs,
ſciēs aūt unumquemq; aduerſis probari:* Ex-
tende, inquit, paululū manū tuā.] *Sata
nas uires feriendi ſibi non tribuit: quia ſcit ſe nihil
poſſe niſi à Deo poteſtate conceſſa. ut ergo Sata-
næ uolūtas ſemper iniqua eſt, ita nunquā poteſtas
iniuſta erit. Habet enim à ſemetipſo uoluntatē, ſed
à Domino poteſtatē. Quapropter etiā ſi ſubinde
iniquè agere, & mala hominib. inferre appetat dæ
mō: hoc tamē Deus fieri nō niſi iuſtè pmittit. For-
midari ergo nō debet, qui nihil niſi pmiſſus ualet.
Nemo pius timet, niſi ſolā uim illā quæ hoſtem ſer
uire permittit. Vnde redi cū Deo in gratiā, & ſi*

 ipſe

ipſe tecũ erit, profectò nec portæ inferorũ aduer
ſum te prævalebũt: quemadmodũ ſi eum iratũ ha
bebis, nihil te defendet, nec montes ipſi te abſcon
dere poterũt. Quò quæſo ibis à ſpiritu furoris &
indignationis Dei? Quod aũt dicit: Tange
cuncta quæ poſsidet.] Exiſtimat ſubtra-
ctis bonis omnib. et ablatis quib. delectaretur re-
bus, Iobum fore impatientiſsimũ, & planè maledi
cturũ Deo: hoc enim uolũt uerba, Niſi in fa
ciem benedixerit tibi.] Hoc eſt, maledixe
rit: ſolet enim ſacra Scriptura, per oppoſitum bla
ſphemiã exprimere, propter horrorẽ blaſphemiæ
diuini nominis. Rurſum Deus inquit:
Ecce uniuerſa quæ habet, in manu
tua ſunt.] Nequaquã Deus callida petitione Sa
tanæ uictus, hoc dicit: ſed ad ipſius deceptionẽ cõ
cedit hæc, utq; ſanctus uir inclareſcat, & nomen
laudeſq; eius maneãt, donec ſeculũ finiatur. Et ſe-
quitur: Tantum in eum ne extendas
manũ tuã.] Fortẽ quidẽ pugnatorẽ Dominus
nouerat Iob fore, & infractũ, qui nullis Satanæ
aſſultib. succũberet: ſed tamen nõ ſimul ad omnia
relaxat hoſtẽ, ne undiq; Iob laceſsitus fortè frãga
tur. nã licet ſpiritus utcunq; prõptus ſit, ſemper ta
mẽ caro manet infirma: utq; maiorẽ laudẽ Iob me-
reatur, ſi ſæpius uicerit ſuum hoſtem. ubi & nos
cõſiderare oportet ſanctã Dei pietatẽ & fidelita
tem, ut eius qui nõ patitur nos tẽtari ultra id quod
poſſumus: quin hoſtẽ noſtrũ permittit quidẽ, ſed re
tinet, ut ſuſtinere queamus. Et egreſſus eſt
Satan à facie Domini.] Cum Deus ubiq;
ſit cœlũ ac terrã adimplens, etiã ſi deſcẽdas ad in-
fernũ adeſt: ſic egreſſus eſt Satanas, ut permiſſus
ſit ad exercendum ſuæ maliciæ appetitum. ſemper
enim ſtat ille corã Deo, quamdiu nõ dimittitur à
diuinæ maieſtatis potẽtia ad malũ inferendũ alijs
creaturis. Quadã aũt die cũ filij et filiæ
eius comederẽt & biberẽt uinum in
domo fratris ſui primogeniti.] Occa-
Exod.23. ſionẽ inuenit, ſicut in filijs Iſrael, cũ ad adorãdum
uitulũ eos alliceret. etſi enim exporrigerẽt frontẽ
filiæ & filij Iob, iuxta monita atq; præcepta pa-
tris: tamẽ ut exiſtimãt pacem eſſe et ſecuritatem,
mox repentinus eorũ uenit interitus. Videbimus
ergo quàm ferè ſemper extrema gaudij luctus oc
cupet: et cũ proſperè ſuccedit, ut infortunij & ma
lorum futurorũ nõ obliuiſcamur. Piè quamobrem
1.Pet.5. monet Petrus apoſtolus, uigilare & ſobrios eſſe:
quia incautis & nihil tale cogitantibus facilè im-
ponit præſtigiator ille nequiſsimus, cuius mirã cal
liditatẽ atq; aſtutiã iam audiemus. Nuncius
uenit ad Iob, qui diceret: Boues ara-
bant, & aſinæ paſcebãtur iuxta eos: et
irruerũt Sabæi, tuleruntq; omnia, &
pueros percuſſerunt gladio: & euaſi
ego ſolus, ut nunciarem tibi. Cumq;
adhuc ille loqueretur, uenit alter, &
dixit.] Ecce Satan nõ tã iactura rerũ quàm ipſo
ordine nunciorũ ſancti uiri pietatẽ & patientiam
rumpere nititur. Primũ aufert magnã ſubſtantiã,
boues ſcilicet arantes & aſinas per Sabæos: pue-
roſq; percuſſos gladio. Mox ut eo magis aduerſa
animũ feriãt, quomodo ut multa ſunt ſubitò nun-
ciantur, alius uenit, & ait: Ignis cecidit de
cœlo, & cunctas oues pueroſq; con-
ſumpſit: & effugi ego ſolus, ut nũcia-
rem tibi. Sed adhuc illo loquẽte, ue-
nit alius, & dixit: Chaldæi fecerũt tres
turmas, & inuaſerũt camelos, & tule-
runt eos: nec non & pueros percuſſe-
runt gladio, & ego fugi ſolus, ut nun-
ciarẽ tibi. Adhuc loquebatur ille, &
ecce alius intrauit, & dixit: Filijs tuis
& filiabus ueſcentib. & bibentib. ui-
num in domo fratris ſui primogeniti,
repentè uentus uehemens irruit à re-
gione deſerti, & cõcuſsit quatuor an
gulos domus, quæ corruẽs oppreſsit
liberos tuos, & mortui ſunt: & effugi
ego ſolus, ut nunciarẽ tibi.] Ignis, inquit,
Dei. ac ſi dicere uellet: flere illius animaduerſio-
nẽ ſuſtines, quẽ tot hoſtijs placare uoluiſti? Ille ti-
bi iraſcitur, cui quotidie ſeruiebas. Ita certè uerſu-
tus hoſtis, ac uerſipellis nequã ratus eſt ſe piã men
tẽ frãgere poſſe, ut cogitaret quẽ incaſſum ac fru
ſtra coluiſſet Deum. Verùm nemo miretur Sata-
nam etiam elementa cõcutere poſſe, ſi permiſerit
Deus: nã abſq; ſupremo nutu elementa moueri nõ
poſſunt. Quod igitur de ſagis fertur, ſolius Sata-
næ opus eſt, qui poteſtate à Domino accepta ele-
mẽta cõturbat, unde tũ homines tũ fruges & alia
lædãtur, & inficiãtur. Sed omittamus iſta tanquã
ſuo loco ſeruãda. Cùm igitur hæc quæ receſuimus
dãna nihil mouerẽt ſanctũ & conſtantẽ uirũ, alia
ipſum Satã aggreditur uia. nam liberos opprimit,
dulcia pignora parẽtus: en grauiſsimũ oculũ dam-
num. Erant enim unicum ſolatium pij ac iuſti uiri.

Tunc ſurrexit Iob.] Audiuimus modò,
quãtis iaculis percuſſus ſit uir Dei: iã audituri ſu-
mus, q̃ in medio tribulationum & calamitatũ nul
lo modo deflexerit ille de uia recta & pietatis.
Fuère nõnulli, qui quaſi inſenſibiles nullis mouebã
tur rerũ pturbationib. quòd ſanè nõ admodũ pro-
bãt emũctioris naſi homines. nec enim ueræ uir-

tutis

tutis eſſe poteſt, cum homo ſit homo, hoc eſt, caro infirma. quemadmodũ rurſum uirtutẽ uerã nõ habent, quorũ corda dolorẽ ſentiũt iuxta carnẽ, ſed nimia afflictione tanguntur, ita ut ad impatientiã cõtumelias uſq; excutientur, ut bene dictum ſit per Prophetã de illis, In miſerijs nõ ſubſiſtẽt: hoc eſt, aduerſa nequaquã æquanimiter tolerare poterũt. Beatus itaq; Iob meritò laudandus uenit, qui mira quadã arte æquitatẽ ſeruauit, ita ut dolorẽ ſenſerit quidẽ propter ablata bona, liberoſq; amiſſos: nõ tamen ultra modũ, quin ſimul cõſideraret uerum iudiciũ Dei, qui iniquus minimè eſt, neminiq; iniuriã facit. **Scidit ueſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terrã, adorauit, & dixit.**] Vt oſtẽderet ſe de ſubitanea & improuiſa morte ſuorũ liberorũ, quos ualde dilexerat ut pios utiq; morigeros, maximo dolore affici: uerùm ne dolore illo uictus ſui Dei obliuiſceretur, poſtquã more ueterũ capillos abſcidit, corruit in terrã, et adorauit Deũ, à quo omnia prouenire credebat. Imitẽtur quiq; iuſtũ uirũ. [a] Volo, inquit Apoſtolus, ut nõ cõtriſtemini ſicut et cæteri, qui ſpem nõ habent. Omnino nõ contriſtari quũ ingruũt uariæ tẽpeſtates, nõ hominis eſt, ſed ſaxorũ: ſic tamẽ cõtriſtari debemus, ut ſpes ſuperet deliniatq; dolorem: quoniã nõ ſunt cõdignæ paſſiones ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Surgit aũt quaſi cõtra tentationẽ fortiſſimè dimicaturus, & reuerenter ſuũ intuetur adiutorem Deũ, in quo quicquid eſt mouetur ac uiuit, nec ullũ dereliquit in ſe confidentẽ. & ait: **Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ.**] Secundũ conſuetudinem luctum fecit, & ſtatim cõſolatus loquitur, Nudꝰ egreſſus ſum. ubi facilè intelligitur quàm alti cõſilij fuerit ille: & quàm uerùm ſit, [b] Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. [c] Item, Initiũ ſapientiæ timor Domini. quomodo enim maiorẽ uir ſanctus potuiſſet oſtendere ſapientiã, quàm quòd non ſuæ ſubſtantiæ ſuorumq; liberorũ recordatur, ſed diei natiuitatis ſuæ, qua nudus & ſine ulla re in hunc mundũ prodijt. hoc maximè potuit mitigare ingẽtem hominis dolorẽ: quomodo cogitabat ſe nõ propria, ſed ex benignitate Dei cõceſſa poſſediſſe.

Nudus reuertar illuc.] Quemadmodũ naſcitur pauper, ita etiam diues, ita moritur omnis homo: hic nulla eſt diſtinctio. Non enim deſcẽdit cũ potẽte gloria, aut aliquid huiuſmodi: ſed nudus abit unuſquiſq;. Nihil, inquit Apoſtolus, [d] intulimus in mundũ, certũ eſt quòd nihil auferre poterimus. Studeat itaq; qui bene ſibi conſultũ uelit, nõ gloriari in diuitijs, nec ullis huius mũdi rebus: ſed ut ſecum auferat uitã bene atq; innocẽter actam. Opera enim illorum, ait Ioannes, ſequuntur illos. [Apoc.14.] Quod aũt ait Iob, Nudus reuertar illuc: nõ de materno utero dictũ eſt, ſed de terra quæ omniũ hominũ mater. iuxta illud: Graue iugum ſuper filios [Eccle.14.] Adam, à die exitus de uentre matris eorũ uſq; in diem ſepulturæ in matrẽ eorũ omniũ. **Dominus dedit, Dominus abſtulit.**] Voluit dicere beatus ille homo: Cum nihil unquã habuerim niſi acceptũ à Domino Deo, quid igitur multũ cõtriſtari oportet? Dominus ex mera et ſola gratia, mihi ea omnia largitus eſt: ergo ſua erãt. ſi quid igitur ablatũ eſt, Dominus abſtulit, nõ meũ, ſed ſua propria dona ac munera ſiue data, quibus uti tantum ad tempus licuit. Fortaſſe erat dolendũ, ſi Satan hoſtis meus infenſiſſimus abſtuliſſet à Deo data: at quoniã nõ niſi ipſe qui dedit abſtulit, boni ac æqui ferendũ eſt. **Sicut Domino placuit, ita factum eſt.**] Cum nemo bonus niſi ſolus Deus, nemo iuſtus quàm ipſe, quiq; uidet ac diligit quod æquũ eſt: bene dixit beatus Iob, Sicut Domino placuit. quaſi dicere uoluiſſet: Qui omnia ordinat [a 1 Theſ.4.] ac diſponit uniuerſa, quiq; iniuſtũ nõ uult, & cui niſi iuſtũ placet, hoc fecit. Ipſo ſic uolente, hæc acciderũt. Quomodo aũt nõ imitandus erit uir tã pius, ut & nos ad Deũ uoluntatem noſtrã inclinemus, quoties nobis res aduerſæ cõtingunt, cum nihil patiamur, quàm quòd ille immiſit per angelos malos? & propterea ualde iniuſtũ ac malũ, ſi impatientes cõtra Dominũ murmuremus. Egregiũ exẽplũ cuiuis eſſe debet, cũ Agabus propheta dixerat uincula parata Paulo eſſe. Flentibus aũt diſcipulis [Actor.21.] Paulus dixit: Quid facitis flẽtes, et affligẽtes cor meũ? quaſi diceret: Quòd ſi Domino Deo ſic uiſum fuerit, quid opus eſt ueſtra triſticia et eiuſmodi mœrore. cui equidem illi acquieſcẽtes, dixerũt: [b Prou.28.] Domini uoluntas fiat. [c Pſal.110.] Ergo utcũq; cadat alea, nemo pius indignabitur quaſi impiũ uel iniuſtũ aliquid fiat: imò omniũ rerũ rectorẽ potẽtiſſimũ laudabit, dicẽs: Pater cœleſtis fiat uolũtas tua. Cæterùm nõ ſatis erat dixiſſe hoc. quin ſanctus uir adderet: **Sit nomẽ Dñi benedictũ.**] Ecce uirum incõparabilem qui in carne hac uixit præter carnẽ, nulla calamitate ac miſeria cõcuſſus: ſed tanquã fortiſſimus athleta ſuũ benedicit Deum, oſtẽdẽs ſe nec ullis iactari poſſe fluctibus, adeò ut deſinat à ſuo omniũ amãtiſſimo creatore. Idem igitur eſt ac ſi diceret: Quis me ſepararet à charitate eius cuꝰ ſum quãtus ſum? equidẽ nulla creatura, [d 1.Tim.6.] nihil prorſus in uniuerſo orbe. Vade ergo retrò Satana, & erubeſcas: tu enim in beatitudine Domino Deo maledixiſti. Etſi plura pati oportebit, non tñ Deũ meũ negabo: quin potiꝰ benedic ãĩa mea Dño,

&

& omnia quæ intra me ſunt nomini eius. **In omnib. his nõ peccauit Iob labijs ſuis, neq; ſtultũ quid cõtra Deũ locutus eſt.]** *Erubeſcãt oportet, qui cum rebus fruũtur à Deo datis, ingrati tamẽ manẽt, nullũ hymnũ gloriæ dicẽtes ei, à quo quicquid harũ eſt rerũ habẽt. Inſuper ingrueſcentibus uel quoad probationẽ uel iniuſtã uindictã rebus aduerſis in cœlũ os ſuũ ponere haud uerẽtur, quaſi iniquus ſit Deus, et præter omnẽ æquitatem ipſe nobiſcũ agat: nec ulla ratione moueri poſſunt ad patienter ferenda quibus uexãtur mala. Hunc uirũ inſpicere ergo debemus, qui licet iam obrutus undiq; malis, nec tamen uerbo uel cogitatione praua in Deũ peccauit. Non enim ait: Quid ego innocentiſſimus cõmerui? quod ſtultum fuiſſet. nemo enim mundus, nec infans unius diei: nemo etiã iuſtus, ſi diſtrictè iudicetur. Quicquid igitur cõtigerit, cogitandum erit nobis, quia ſiue uiuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Et quoniam non ſunt condignæ paſſiones ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.*

CAPVT SECVNDVM.

Iob in corpore percutitur, & ab uxore moleſtatur.

FActũ eſt quadã die, cũ ueniſſẽt filij Dei, & ſtarẽt coram Domino, ueniſſet quoq; Satan inter eos, & ſtaret in cõſpectu eius, ut diceret Dominus ad Satan: Vnde uenis? Qui reſpõdens, ait: Circuiui terrã, & perambulaui eam. Et dixit Dominus ad Satan: Nunquid cõſideraſti ſeruũ meũ Iob, quòd nõ ſit ei ſimilis in terra, uir ſimplex & rectus, ac timẽs Deũ, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiã?] *Verba Dei ad Satanã ſuprà explicata fuerũt fuſius, quẽadmodũ et alia. Igitur hæc modò relinquẽtes, ad alia maximè neceſſaria tranſgrediemur.*

a Tantum ergo dicit Satã.

Cũ ergo quaſi Satanã irridendũ, quòd ſe contra omniũ authorẽ erexiſſet, qui tamẽ ne carnalẽ uitã uincere poſſet, interrogat Deus: rurſum producit ſuũ ſeruũ Iob, eumq́; mirè laudib. euehit, ut fortẽ, ut conſtantẽ, utcunq; impeteretur calamitatibus: quamq́; glorioſè ſeruaſſet ſuã innocẽtiam, ut oſtẽderet. tunc ait: **Tu aũt cõmouiſti me aduerſus eum, ut affligerẽ eũ fruſtra.]** *Vt ſtetit in conſpectu Dei Satanas, Deus cognouit cogitationes atq; nequitiæ eius meditationes: ita quoq; ad ipſum locutus eſt, id eſt, occultè increpauit atq; cõfutauit eas peſſimas cogitationes. Verùm quis exiſtimabit Deũ inſtigari à Satana poſſe, ut mala hominib. immittẽda permittat? ergo ad nos noſtrumq; captũ deſcẽdit Scriptura: quia nos ferire, niſi cõmoti, neſcimus. Et hoc ſæpiſſimè fieri ſolet in ſacris literis, quo plenius atq; perfectiꝰ omnia capiamus Dei facta. ita iraſci aliquãdo Deũ legimus, in quẽ tamẽ nullũ cadit accidẽs, ut immutabilem, et apud quẽ nulla eſt trãſmutatio, nec uiciſſitudinis obumbratio. Sic quidem ille creator omnium Deus omnib. præſidet, ut tamẽ nunquã deficiat: ſic ſuſtẽtat cuncta, ut tamẽ nullũ laborẽ ſentiat: ſic deniq; regit, ut minimè occupetur. Hic aũt ait:* **Cõmouiſti me, ut affligerẽ eum fruſtra.]** *Quod inquit Fruſtra, nõ ſic accipias nolo, quaſi quid actum ſit Deo nolente: aut quòd Iob reſtiterit nõ tantũ Satanæ tentãti, ſed etiam Deo pmittẽti. hoc enim ualde abſurdũ eſſet. Hoc enim fruſtra factũ dici ſolet, cuius non ſequitur finis intentus: ut fruſtra medicinæ potionẽ ſumptã dicimus, quãdo nihil operata eſt, & nullã inde homo conſecutus eſt ſanitatẽ. Sed quòd in Iob nullũ peccatũ ſit admiſſum: erat enim homo iuſtus, rectus, ac timẽs Deũ. Idem eſt igitur, ac ſi apertè diceret Deus: Ecce hominẽ innocentẽ & nihil mali cõmeritũ tradidi tibi affligendum. tu enim exiſtimabas eum propter res ſecundas ſaltẽ timoratũ ac iuſtũ: uides aũt quàm ſinceri animi ſit homo ille, ſpurciſſime nequã. Et nequaquã tamen hoc fruſtra factũ fuit, quandoquidẽ hoc modo tua maleuolẽtia decepta eſt peſſima, & uirtus ſancti uiri creuit: quiq; mihi ſoli cognitus erat, iam quoque innotuit alijs, quãta uirtute polleat: planeq́; proditum eſt, ipſum rebus tum ſecundis tum aduerſis idẽ eſſe.* **Cui Satan, Pellem pro pelle, reſpondet: et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua.]** *Nequiſſimus dæmon, cũ intelligeret Iobũ Deo placere, ut & innocentẽ, qui impetum magnũ cõſtãter ſuſtinuiſſet, et immobilis perſtitiſſet, meditatur aliã maliciã, qua ipſum adoriretur ac deijceret. cogitauit ergo, Quid magni hoc eſt, quòd uinci nõ potuit?[a] Tã chara eſt homini ſalubritas atq; uita, ut obliuiſcatur quorũcunq; malorũ, dummodo illa conſeruentur. Cum igitur homo uniuerſa quæ habet daturus eſt ut uitã conſeruet, haud equidẽ Iob cõcutietur prius, quàm uideat corpus malo morborũ genere undiq; infectũ.*

Mitte igitur manũ tuã, & tange os eius, & carnẽ: & tũc uidebis quod in faciẽ benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad Satã.] *Ego nemini nocere poſſum, niſi ex tuo permiſſu. cõcede itaq;, ulcere peſſimo ut percutiã eum: & tum uidebis, qualẽ habeas ſeruũ: nũ incõcuſſum, num cõſtanter et patiẽter ferentẽ quæ acciderũt.* **Ecce in manu tua eſt: uerun tamẽ animã illius ſerua.]** *Fortẽ quidẽ pugnatorẽ nouit Dominus Iob fore, unde eũ permittit*

mittit Satanæ libidini atq; maliciæ: & ut ſciebat infractũ eum, qui nullis ſuccũberet Satanæ aſſultibus: Ecce, inquit, in manu tua eſt. Falleris dæmõ: nõ enim iuxta tuã exiſtimationẽ Iob uiuit. uerum eſſe experire, quod dixi ego: Quia nõ eſt ſimilis ei ſuper terrã. Si quid potes: tantummodo ne unquã tangas ipſius animã. Hebræus uſum rationis intelligit: quo ſano, naturã homo uincere poſſit. Vtcũq; igitur affligendũ accepit Satanas externũ hominem, nihil tamẽ promouit: ratio, quia interior homo cõſeruabatur à Deo. et bene quidẽ hoc factũ fuit à Domino. Si enim totũ Iob tradidiſſet in poteſtatẽ tanti aduerſarij, homo quid fuiſſet? quãdo aũt retentus eſt intus, utcunq; foris ſæuiente hoſte, potuit in certamine cum hoſte omniũ ſæuiſſimo pſiſtere, eumq́; proſtrare. Et hæc potiſſima ratio eſt, quare tã intrepidi ſancti homines quæcũq; genera tormentorũ ſubierũt. Veriſſimũ quare eſſe oportet, quod dixit Dauid: [a] Iuſtus etſi ceciderit, tamẽ nõ collidetur, quia Dominus ſupponit manũ.

Egreſſus igitur Satan à facie Domini, percuſsit Iob ulcere peſsimo, à plãta pedis uſq; ad uerticẽ eius: qui teſta ſaniẽ radebat, ſedens in ſterquilinio.] Scriptor hiſtoriæ rem ualde exaggerat, maximũ oſtendens morbũ, & unde uehemẽtiſſimos acerbiſſimosq́; cruciatus ſenſerit uir pius atq; iuſtus. Et quis nõ moueretur ad cõdolendũ tanto uiro, et iuſto? Scriptura dicit, nullã pacẽ eſſe impijs: et peccatorib. dat Deus [b] afflictionẽ, iuxta eandẽ. Ecce optimatẽ & ditiſſimũ uirũ quondã, iam uerò Codro quodã pauperiorẽ. Hæc ut luctus et mœroris plena ſunt, tamẽ ferri potuiſſent: at diu noctuq; ac ſine intermiſſione diſcruciari doloribus, hic labor, hoc onus. Quis enim morbo tali nõ excruciaretur, ubi tantus ardor, ut ſinguli concutiantur nerui? hoc plus quàm miſerrimũ eſt, et hic nullis fouetur ac mitigatur fomentis, nec aliquid adhibetur quo dolor tam uehemẽs leniretur, cũ teſta saniẽ radat: nõ in lecto, neq; in loco infirmis & peſſimè laborantib. cõuenienti, ſed fœdo quodã ſedet loco, ubi ſtercora iumentorũ depoſita iacẽt. Haud igitur immeritò quæritur, quo pacto tam miſerè permittat Deus ſuos electos à mala beſtia affligi. Enimuerò omnia, inquit Apoſtolus, [c] diligentib. Deũ cooperãtur in bonũ: omnia quantũuis ardua uideantur, & aſpera. Multæ, ut Propheta dicit, [d] quidẽ tribulationes iuſtorũ in his terris: ſed de his omnib. liberat eos Domin⁹. His enim malis, adeoq́; periculis & afflictionib. Deus in cómmodũ afflictorũ fideliũ utitur: quoniã per ignem & aquã, ut idem [e] dicit, deducit eos in refrigeriũ. Vnde etiam nec filius Dei Ieſus Chriſtus in ſe multis perpeſſis malis, in ſuã intrauit gloriã. Iam aũt nõ eſt diſcipulus ſupra magiſtrũ. quamobrẽ rectè dixit Petrus: Chriſtus paſſus eſt pro uobis, exemplũ relinquẽs 1. Pet. 2. ut ſequamini ueſtigia eius. Hic quoq; facilè cõijcere poſſumus, qd illic ſint paſſuri reprobi, aut quales pœnæ eos maneãt, ſi hic ſic cruciat Deus, ſic premit quos amat ut iuſtos, ut rectos: hoc equidẽ nouit Deus.

Dixit illi uxor ſua.] Dixit Deus, ut in Geneſi legimus: Nõ eſt bonũ, hominẽ Geneſ. 2. eſſe ſolum: faciamus ei ſimile ſibi, &c. Ecce ſimile ſibi, ecce duo in carne una. quid triſtius eſſe potuiſſet homini miſeria miſeriori, quãdo nũc quoq; affligitur ab ipſa propria cõiuge, quæ debebat uiro cõmiſereri, ac ſolatio eſſe: & quantũ ualeret, eximere dolorẽ? Hæc inquã afflictio addit afflictionem, dolorem ſuper dolorẽ.

Adhuc, inquit, tu permanes in ſimplicitate tua?] Permanes in ſimplicitate tua: ô duriſſima uerba. Vitio a Pſal. 36. uertit uiro, ob quod maximè laudandus erat. quid enim præſtãtius homine ſimplici, q nec Deũ nec hominẽ offendit? quid mirũ, ſi nõ diuina gratia cõſeruaſſet uirũ ſanctũ, quòd præ nimia triſticia & dolore ſuũ exhalaſſet ſpiritũ? Vide etiã humaniſſime lector, immundiſſimi ſpiritus maliciã. Nã primùm aufert ſubſtantiã maximis ſudorib. partã, & unde uitæ ſuſtẽtatio. mox ut fortius eum diuexet, & miſerè interficit liberos, chariſſima parentũ pignora. Verùm ut nihil hac ſe ueſania efficere poſſe uidet, cogitat nũ corporis ualetudinẽ bonã, qua b Eſaiæ 57. uix aliquid precioſi⁹ homini eſſe ſolet, inficere ac cõſumere queat: & illud permiſſum eſt. ſed qa nec eo modo beatũ uirũ uincere poteſt, poſtremò alia, & omniũ ut exiſtimabat fortiſſima uia ipſum aggreditur: occupat enim mentẽ animáq; cõiugis eius, ut et ipſa malũ infligat. malũ enim haud paruũ eſſe poteſt, ab eo iniuriã pati, qui ſocius pœnarũ ac malorum eſſe deberet. hocq́; ab ipſa Eua ſumpſit dæmon, quæ aſtu ſuo circumuẽta, totũ genus humanũ in ſempiternũ exitiũ cõiecit. Et quia minus feriũt quæ commeruimus mala, ut in ipſius Ioſeph fratrib. uidere eſt: dixerũt enim, iam undiq; preſſi Geneſ. 42. iuſtè hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrũ: & maximè dolori ſunt quæ præter meritũ eueniũt, per uxorẽ dicit: Adhuc permanes in inno c Rom. 8. cẽtia tua? Quid laudas eũ, à quo tã iniuſtè affect⁹ es omni miſeria?

Benedic Deo, & morere. Qui ait ad illã.] d Pſal. 33. Pone os tuũ in cœlũ, maledictis ipſum Deũ ꝓuoca, et dabit his malis finẽ. Mori ſati⁹ eſt, q̃ tam dira pati. Sic callidiſſim⁹ Satã confidebat, hoc fortiſſimo ariete ſe poſſe hãc arcẽ munitiſſimã expugnare: at fefellit eum ſua opinio. e Pſal. 65.

nam

nam Marpeſia cautes nullis frangitur inundationibus atq; procellis: ſiquidem Iob in alto mentem ſuam fixerat, & potiſſima pars hominis erat integra, atq; ſana. fruſtra igitur & incaſſum fuêre omnes maligni ſpiritus machinationes. Hac aũt peſſi
a Epheſ. 6.
ma atq; inhumaniſſima uxore docemur, cum corda noſtra dæmonis perſuaſione nõ ſubruũt, quòd per alios nos tentet deijcere, ac in exitiũ ſuũ præcipitare, ita ut ſæpius neceſſe ſit à proximo ſuo
b Eſaiæ 6.
quiſq; ut ſe cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non ha
Hier. 9.
beat fiduciã, dicente Propheta. Vt igitur Satanas ſpe ſua fruſtratus, & repulſam paſſus, maximè alios, & potiſſimũ familiares inſtigat ad nobis im
1. Ioan. 4.
ponendum: fatendũ eſt, quòd piè Apoſtolus conſulit: Nolite, dicẽs, credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus num ex Deo ſint. Sequitur: Quaſi una ex ſtultis mulieribus locuta es.] *Seduxit per Euam Adamũ diabolus: iam & hunc Adam quoq; per mulierẽ ad impatientiã cõmouendum putat. At fallitur impurus dæmon: ipſe enim ubiq; frangitur, ubiq; ſuperatur à ſancto uiro. Quoniã etſi foris miſerrim⁹ apparet, ac omni ope deſtitutus: non tamen niſi fortiſſimus eſt diuina ſe protegẽte gratia, quæ & in ſanctis martyrib. omnem tyrannidẽ uicit, tam animoſos eos reddẽs, ut omnia genera tormentorũ ſuperarent: hic eſt tantus theſaurus, ut omni Crœſo ditior ſit, quiſquis hunc habet. Dixiſſe cõmemorant quendã philoſophum, in maxima conflagratione interrogãti ſe, quare nõ cũ cæteris emigraret? Omnia mea mecũ porto. ſcientiã hauddubiè ſignificãs, & bona animi. Nihil itaq; precioſius erit quàm animus, quem Spiritus ſanctus illuſtrauit ac inhabitat.* Si bona, *inquit*, ſuſcepimus de manu Domini, mala quare nõ ſuſtineamus?] *Bona ſcilicet dona Dei. & perinde eſt ac ſi diceret: Quid habet homo quod nõ acceperit ab eo, à quo omne datũ optimũ, & omne donũ perfectũ? Cum aũt ipſe Dominus format lucẽ & creat tenebras, pacẽ facit & creat malũ, & nõ ſit malũ quod nõ fecerit Dominus, idq; haud malũ eſſe poſſit. iuſtus eſt enim Deus, quia omnia benefacit: & cum fla*
c Maledicit Iob tẽpori natiuitatis ſuæ.
gellat, nõ niſi ad noſtrã ſalutẽ hoc facit, tanquã filios nos caſtigat: quare more impiorum hominum murmurare deberẽ, eiq; maledicere? Abſit. Deus totus eſt cœli & terræ Dominus, huic tu maledicebas, dicẽs: Exaltabo ſoliũ meũ, & ſimilis ero altiſſimo. nõ ſic impiè, nõ ſic. abi retro Satana: ſuſtinenda ſunt omnia patienter, quæ immittuntur per angelos illos malos. In ipſo enim qui mundũ fecit Deo uiuimus, mouemur ac ſumus. Infigamus hæc paulo altius mentib. noſtris: magna enim cõſolatio eſſe poteſt aduerſa patientibus, in memoriã ſi reuocãt creatoris ſui bonitatẽ, benignitatẽ atq; uaria ipſius dona: interim quoq; cõſiderantes, quãta nobis colluctatio aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarũ harũ, ut diuinus docet Paulus.[a] In omnib. his nõ peccauit Iob labijs ſuis.] *Hic nõ peccat labijs ſuis, qui nõ ſolũ nõ dicenda retinet, uerumetiã nõ tacenda profert. Si enim tacere culpa careret, nequaq̃ dixiſſet Propheta: [b] Væ mihi quia tacui. Itaq; Iob ut nihil ſiniſtri ne cogitauit quidẽ contra ferientẽ ſe: ita cõtra mala ſuadentẽ ſe fortiter opponens, redarguebat ſtultã ac malã mulierẽ impia loquentẽ.* Audientes tres amici Iob omne malũ quod accidiſſet ei, uenerunt ſinguli de loco ſuo, Eliphas Themanites, & Baldath Suites, & Sophar Naamathites. Cõdixerãt enim, ut pariter uenientes uiſitarẽt eum, & cõſolarẽtur. Cumq; eleuaſſent procul oculos ſuos, nõ cognouerũt eum. Et exclamãtes plorauerũt, ſciſsiſq; ueſtib. ſparſerunt puluerẽ ſuper caput ſuũ in cœlũ. Et ſederunt cũ eo in terra, ſeptẽ diebus & ſeptẽ noctibus, & nemo loquebatur ei uerbũ. Videbãt enim dolorẽ eſſe uehementẽ.] *Qui nunquã nõ excubias agit ut hominẽ in ſempiternũ exitium trahat, alias iam ſubornat atq; molitur inſidias. Fruſtra enim tentatis uarijs, nũc robuſtũ pectus beati uiri amicorũ illorũ cõtumelioſis uerbis infringere conatur. Quamuis enim bono ſtudio & recta intẽtione primũ acceſſerunt, tanquã ueri amici, qui nõ niſi neceſſitate probãtur (donec, dixit ille, eris felix, multos numerabis amicos) tamẽ poſtea uerbis duriorib. ipſum cõpellantes, magis tædio ac faſtidio q̃ ſolatio eſſe potuiſſent uiro non cõfirmato diuina protectione. Quòd igitur ſciſſis ueſtimẽtis miſerũ quẽ uidẽt amicũ uiſuãt, nõ niſi ſinceræ amicitiæ indiciũ fuit, præſertim quòd cum eo in ſterquilinio ſedere uel terra non abhorruerunt.*

CAPVT TERTIVM.

POſt hęc [c] aperuit Iob os ſuũ, et maledixit diei ſuo, & locutus eſt: Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, cõceptus eſt homo.] *Quid hoc eſt quòd ſanctũ uirum audimus maledicere diei natiuitatis ſuæ? num à rectitudine ſinceritatis deiectũ? Nequaquã (ut piè docẽt hoc Hieronymus et Gregorius) Factũ fuiſſet hoc poti⁹, quãdo peſtifera eius uxor innocentiã improperabat: et nõ modò nulla occaſione data cũ cõſolandi gratia amici,*

amici ad eum uenêre, qui poſſet uir pius deijci à rectitudine ſuæ ſinceritatis modò: qui tam magna inter damna rerum, mortem filiorum, item uulnera corporis, & mala uerba uxoris, magna præconia reddit Deo ſummo & cunctipotenti. Quid ergo, quàm quòd deteſtatur præuaricationem Adæ, & totius humani generis miſeriam: & dein ſpiritu prophetico plenus, ſtatum & conditionem futuram hominum ita depingit, ut quaſi iam omnia acta atque tranſacta uidiſſet. Aliud igitur eſt maledicere propter iuſticiam, aliud ex liuore uindictæ & animo contribulato. Sic quoq; Deum dixiſſe legimus: Maledicta ſit terra propter te. Perinde eſt ac ſi dixiſſet: Tu es cauſa tuorum malorum Adam, ex peccato tuo omnis in omnes omniáq; dimanabit miſeria atq; calamitas. Quòd ergo ait Iob, Pereat dies, &c. nihil aliud eſſe poteſt, quàm deploratio humanæ miſeriæ aſtu diaboli introductæ. Ita ſanè per diem natiuitatis tēpus hoc totum noſtræ mortalitatis intelligi debet, & cauſa totius generis humani, quam beatus Iob in dolore proprio defleuit. Nam cōſiderauit originem culpæ, & hominē unde & quò cecidiſſet: quòd ſcilicet ille ad imaginem creatoris ſui factus, in amœniſſima uoluptatis paradiſo omnium iucundiſſimam uitam uiuens, mox corruiſſet: & in tātam delapſus eſſet miſeriam, ut iam nihil miſerius homine eſſe poßit. Nam iuxta Domini ſententiam, adiudicatum morti uidit omnem hominē. Adhæc quando dictū eſſet, [a] In ſudore uultus tui ueſcêris pane: item, Multiplicabo ærumnas tuas: exactè liberauit, quàm uita hæc non ſolùm laborioſa, ſed etiam uolucris & pendula, quæ inſtar turbinis moueatur, & ubiq; lachrymæ rerum. Non igitur eſt, ut diximus, ſermo perturbati hominis, ſed ſinceri uiri ac pij doctrina, qua docere uoluit ſuos amicos ipſam ueræ pietatis uiam. Vidit enim eos more aliorum nimium perturbatos, & attētiores ad rem quàm par eſſet, & quòd affectus eorum ſolùm humani erant: flentes enim credebant eum aduerſitate iam fractum: id quoniam non erat, cordatum uirum concionantem ac docentem audiunt. **Et dies illa uertatur in tenebras.**] Dies cum ſua nocte iuxta D. Hieronymum, diabolus & mortalitas poſſunt intelligi: nō quia dies ſit Satanas, ſed quia fuerit quando permanebat cum Deo, Scriptura dicēte: [b] Quomodo cecidiſti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Vt ergo Iob plenus Spiritu Dei, apoſtrophē facit ad Satan, malorū illorum omnium autorem: & quoniam uidit in ſpiritu, humanum genus olim redemptoris aduentu ad lucem ueram iterum reducendum, ex quo dictum eſſet ſerpenti, Ipſa conteret caput tuum, &c. apoſtatam autem angelum nulla ſpe ueniæ reuocari poſſe: ſubiungit dicens, **Non requirat eum Deus deſuper, & non illuſtretur lumine.**] Quare hoc? quia angelus ſua malitia cecidit, nihil infirmum habens à quo impelleretur. Homo autem præter infirmam carnem, aliena malitia proſtratus eſt. Bene quamobrem Dauid dixit, Recordatus eſt quia Pſal.45. caro ſunt: id eſt, Deus noluit culpas hominis diſtrictius punire: ſed eius ideo miſertus eſt Deus, quia cum caro eſſet, ex infirmitate peccauit. **Obſcurent eum tenebræ, & umbra mortis. Occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine.**] Sic eum erroris ſui cæcitas obruat, ut nullo modo ad illam ueram lucem perueniat: ſed in æterno gehennæ cruciatu ſit, ubi ſine fine inuoluetur amaritudine. **Noctem illam tenebroſus turbo poſsideat.**] Spiritum tenebrarum, ut diximus, intelligit, qui cum receßit à Deo, nox factus eſt: quem turbo tenebroſus ſiue tempeſtas ualida rapiet, quādo dicente Propheta: Deus noſter Ieſus Chri Pſal.49. ſtus manifeſtè ueniet, redditurus cuiq; ſecundum opera eius, audient illi qui à ſiniſtris erunt: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. tunc enim magno cum impetu & eiulatu rapientur damnati cum dæmonibus ad æterna ſupplicia, ad locū ubi umbra mortis & ſempiternus horror habitat. **Non computetur** a Geneſ.3. **in diebus anni, nec numeretur in menſibus.**] Cum ſcriptum ſit: Spiritus Domi- Eſaiæ 61. ni ſuper me, propterea quòd unxit me, &c. Prædicare annum Domini acceptū, & diem retributionis: haud ineptè per annum multitudo redemptorum accipi poteſt. Fuit enim exoptatißimus annus Domini, cum plebs pia ueritatis lumine illuſtrata eſt: ſic per menſes ſingulorum mentes intelliguntur. uel deſignant Eccleſias, quæ catholicam eccleſiam conſtituunt. **Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna.**] Vidit uir ſanctus magnam illam, de qua ſuprà, ſeparationē: & quomodo ſublatis electis, æternis gehennæ cruciatibus deſtinatus ſit ſpurciſſimus dæmon: ipſum igitur ſolitarium reſpectu aliorum uocat, nec laude amplius dignum, quemadmodum olim laudatus eſſet, quando homines errorum tenebris preßi i- b. Eſaiæ 14. dolis ſeruiebant: quod certè erat laudare peßima Satanæ facta. Nam fore cognouit Iob, ut homines idolorum ueneratiom ſubtraherentur, & uerum Deum adorarent: quod equidem tum demum factum uidemus, Apoſtolorum quando ſonus &

Marc.ult. prædicatio in omnem terram, & in fines orbis uniuerſi exiuit, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis: quod uel ſola de Bartholomæo Apoſtolo fide digna docet hiſtoria, commemorans dæmonē confeſſum quomodo hucuſq; homines ludificaſſet. Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan.] Quandoquidem Luciferum uir ſanctus ut iuſtè ac meritò condemnatum uidit, uel etiam prophetico ex ſpiritu prædicere potuit, quomodo, ut & Apocalypſis habet,
Apoc.12. ligatus iam Satanas ſoluendus ſit, ut ſeducat uniuerſum orbē, qui quoq; angeli per quos ſoluetur, nunc eum commouent uel ad malorum pœnam, uel ad bonorum probationem & utilitatem. Quo pacto autem ei maledicant electi ſpiritus, facilè intelligit, qui ſcit Michaelem cum dracone illo pugnaſſe, & eum proieciſſe, eo quòd ſuperbiens poſt ſe ad interitum legiones ſpirituum traxiſſet. Obtenebrentur ſtellę caligine eius.] Vt in ſacris literis ſtellæ dicuntur ſancti, qui in huius mundi tenebris fulgent ut ſtellæ in firmamento, ſicut apud Danielem uidere eſt, dicētem: Qui
Dan.12. autem docti fuerint, fulgebūt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Et Paulus, cum fidem ſolidam
Philip.2. & conuerſionem piam Philippenſium ſummè laudibus uehere uellet, eodem modo dicendi uſus eſt, dicens: Omnia facite ſine reprehenſione in medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quas lucetis ſicut luminaria in mundo. Hic tamen deſignantur membra Satanæ obſcuranda caligine caliginoſi ſpiritus. Si Satanas lucifer dictus fuit, quomodo impij ſtellæ dici non poſſent? Et ut omnes impios hic intelligere poſſumus, potiſſimùm tamen hypocritæ ſignificantur, quorum opera quia à mundo corde non procedunt: meritò obſcurantur ut non uideat illa pater cœleſtis, qui unicuiq; reddit ſecūdum opera eius. Expectet lucem, & nō uideat.] Hoc eſt, nō ſolùm ſpiritus ille nequam cum ſuis complicibus in denſiſsimis manebit inferorum tenebris: uerùm etiam omnes impij qui male egerunt, & gloriati ſunt in rebus peſsimis. Etſi enim Chriſtus dixerit, ſe eſſe mūdi lucem ueram ad illuminandum omnem hominem in hunc mundum uenientem, fruſtra tamen eum expectabunt illi tanquam operum retributorem. Nam licet di-
Matth.7. cturi ſint: Domine, non'ne in nomine tuo prophetauimus & eiecimus dæmonia? audient tamē, nūquam noui uos, &c. Et hoc uidit atq; intellexit ſanctus uir, plenus ſpiritus prophetici. Nec ortum ſurgentis auroræ.] Aurora Eccleſia eſt fidelium, & in Chriſto renatorum, quæ tum uerè ſurget, cum uidebit ſolem iuſticiæ appropinquare: id eſt, filiū hominis in ſede maieſtatis ſuæ. Hanc autem impij non uidebunt, hoc eſt, inter electos Dei reprobi non recenſentur: ſeparabit enim Chriſtus congregatos ante ſe ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. Tuncq; aſpectu eius ut diſtricti iudicis rapientur impij, & malorum ſuorum pondere preſsi, ad nunquam deſituras tenebras pertrahentur. ſicut ſcriptum eſt: Tollatur impius, ne uideat gloriam Dei. Quia non concluſit oſtia uentris qui portauit me, nec abſtulit mala ab oculis meis.] Quare malignus ſpiritus perpetuò damnandus eſt? quia aperuit paradiſum uoluptatis, & homini multa mala intulit. Quod enim unicuique homini uenter eſt, hoc uniuerſo generi humano paradiſus fuit: cuius uentris oſtia aperta fuerunt, quando callida perſuaſione mandatum cœleſte in corde hominis diſſolutum eſt, & inde homo in omnem miſeriam tum corporis tum animæ præcipitatus. Quare non in uulua mortuus ſum? quare egreſſus ex utero non ſtatim perij? Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus? Abſit ut abortiuum ſe optet interijſſe. Vt ergo ſub ſua perſona humani generis plangit miſerias, per uuluam primam illius dæmonis ſuggeſtionem intellexit. Perinde eſt itaque ac ſi diceret, cum dæmon ſuaderet falſò, ex eſu illo nos fore perſimiles dijs, & cognituros bonum & malum, quare non fortiter nos illi oppoſuimus, cogitantes Deum dixiſſe ipſam ueritatem: Quamprimùm comederitis ex eo, morte moriemini. & homo hoc modo mortuus eſſet in ipſa ſuggeſtione, ſi ſe moriturum cognouiſſet? Et quid genua, niſi cuncti ſenſus hominis, quibus ſubiecto ſpiritu carni natus eſt? homo genibus exceptus eſt, id eſt, conſummatum fuit peccatum: qui mox lactatus uberib. ſtatim enim ſubſecuta ſunt quæ natam in peccato animam uirulenta lacte nutriuerunt. Hinc nanq; mali affectus, excuſatio in peccatis, cæcitas mentis: qua fit, ut aſpera mortis ſupplicia quaſi nihil ducant homines, donec repentinus uenit interitus: &, ut alibi dicitur, ducūt in bonis dies ſuos, & in puncto deſcēdunt in infernum. Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem.] Quid quæſo miſerius eſſe poſſet, quàm quòd homo mandatum creatoris ſui tranſgreſſus, in tantas incidit ærumnas: & quod maius eſt, ſumma illa quiete & tranquillitate priuatus fuit? Hominem enim in paradiſum locauerat Deus, ut ſi in innocentia illa qua conditus erat, permaneret, ad

ret, ad cœleſtem patriam tempore conſtituto immortalis tranſiret, ubi ſumma potiretur iucunditate, requie ac tranquillitate. Quid enim mali eſſe poſſet, ubi ſummum bonum habitat Deus? quamprimùm autem homo præuaricatus eſt, ea omnia perdidit, & uitam morte commutauit. Ita nunc quidem nihil homo habet amplius quàm continuum bellum, dum caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & econtrà ſpiritus aduerſus carnem: nec uictus hic minimus eſt, quemadmodum in Paulo uidere licet, ſummam hanc miſeriam deplorante, ubi inquit:[a] Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, &c. Cum regibus & conſulibus terræ.] Vbi fuiſſet illud ſummũ gaudium, iucunditas infinita, & æterna requies? utiq; in cœlo, ubi Deo millia millium angelorum miniſtrant, quem laudant ac dicunt: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sebaoth: Gloria, honor, uirtus & gratiarum actio Deo noſtro in ſecula. Hos autem haud ineptè reges dicit ſanctus uir. Nam licet cunctorum conditor Deus omnibus præſideat, & cuncta ſuſtentet ac regat: tamen utitur miniſterio ſuorum angelorum, illos mittens, ut diuinus aſſerit Paulus, [b] in miniſterium eorum, qui accepturi ſunt ſalutis hæreditatem. & idem docet Dionyſius de cœleſti Hierarchia. Cum regib. igitur ac angelis ſumma quiete frueretur homo, ſi mala ſuadentis diaboli non accepiſſet, peſtiferum ſerpentem ſequi noluiſſet: quod quia non fecit, iam diuerſum experitur. Et iidem angeli aptiſſimè conſules appellari poſſunt, quia ipſis ſubinde nunciantibus uoluntatem conditoris noſtri agnoſcamus: quod olim Ethnici ſuis genijs tribuebant. Magnam angelorum circa homines cuſtodiam ex Chriſto diſcere licet:[c] dixit enim ille, neminem quamlibet puſillum contemnendum, quandoquidem angeli eorum ſemper uideant faciem patris qui in cœlis eſt: unuſquiſque enim ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui angelum delegatum habet. Qui ædificant ſibi ſolitudines, aut cum principib. qui poſſident aurum, & replent domos ſuas argento.] Studium tranquillæ mentis intelligit: conſidera enim unde homo ceciderit, qui ſi permanſiſſet in eo quo conditus erat ſtatu, liber à cunctis rerum turbis, in magna mentis trãquillitate, tanquam ſolitudine quadam, fuiſſet abſconditus, ut angeli cœli ciues, qui purè Deum in cœlo cernunt, ubi neq; luctus, neq; clamor, nec ullus dolor, ſed inæſtimabile gaudium: quare etiam per aurum atque argentum ſummam gloriam in cœlis & ſempiternas diuitias accipere poſſumus: excedunt enim cœleſtia quæcunque alia uiſibilia & huius mundi bona, Apoſtolo dicẽte: Oculus non (1.Cor.2.) uidit, auris non audiuit, nec in cor hominis deſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe: quæ ut ſanctus Dauid animo conceperat, ad Dominum Deum dicebat: Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion, propter retributionẽ. Et Chriſtus ſuos diſcipulos, adeoq; omnes homines docuit theſaurizare in cœlo, eo quòd nihil perpetuum (Matth.6.) quàm uita ſempiterna, quæ eſt ſempiterni Dei uiſio, iuxta illud: Satiabor cum apparuerit gloria (Pſal.16.) (a Rom.7.) tua. Et Chriſtus: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. (Matth.5.) Aut ſicut abortiuũ abſcõditum non ſubſiſterem, uel qui concepti non uiderunt lucẽ.] Vt Propheta agit beatus Iob, & ſpiritu ſancto inſpirati Prophetæ loquuntur. hoc dixit ille de patribus, qui redemptorem morte præuenti non uiderunt: ut Abel, Seth, Enoch, Noe, Abraham, Moſes, Dauid, ac demum omnes Prophetæ ueteris inſtrumenti. Ipſi quidem omnes in matre Eccleſia concepti ſunt, quando paterfamilias eos omnes in uineam ſuam uocauit: at non uiderunt lucem, quia non uixerunt tempore illo plenitudinis, quando (b Hebr.1.) miſit Deus filium ſuum unigenitum factum ex muliere, (Galat.4.) (Ioan.1.) lucem ueram, quæ illuminaret omnem hominem uenientem in hunc mundum. Hinc eſt quod Chriſtus diſcipulis ſuis dixit: Beati oculi qui uidẽt (Lucæ 10.) quæ uos uidetis. Dico enim uobis, quòd multi reges & Prophetæ uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt: audire quæ uos auditis, & non audierunt: quia prius hos mors inueniens rapuit, quàm ego manifeſta ueritas mundum illuſtrarem. Vidit tamen Abraham diem Chriſti, & gauiſus eſt: quia præuidit uenturum Saluatorem. (c Matth.18.) & non ſolùm ipſe gauiſus eſt, ſed & omnes pij & iuſti homines, ſicut Dauid dicit: Hæc eſt dies quã (Pſal.117.) fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Ibi impij ceſſauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt feſſi robore.] Mediatoris aduentum patres apertis Prophetarum uocibus excitati diu præſtolati ſunt, uerùm oculis eum cernere nequaquam potuerunt: in pace igitur recepti ſunt. Cum autem miſit Deus filium ſuum mundi Saluatorem, in propriam uenit ille, at ſui (Ioan.1.) eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, ſcribente Euangeliſta, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. alijs uerò dictum eſt: In peccato ueſtro moriemini. Poſtquam igitur Iudæi uerbum (Ibid.8.) Dei repulerunt, indignos ſe iudicantes æternæ uitæ, ſalus ad gentes fuit translata. Et hoc uidit in

ſpiritu beatus hic noſter Propheta. dixit ergo, Ceſ ſauerunt à tumultu: id eſt, gentes impiæ ad uitæ ſuæ requiem redemptorem inuenerunt, & ueritate cognita, laborioſa huius mundi mala ac deſide-
a 2.Cor.5. *ria fugerunt: & à uana conuerſatione conuerſi, quietem in æternitate deſiderauerunt. id factum fuit, quamprimùm illis dictum eſt:* Hoc dicit Chri-
b Pſal.119. *ſtus Ieſus, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos, & inuenietis requiem animabus ueſtris.* Et quondam uincti pariter ſine moleſtia.] *In ciuitate Dei, quæ eſt Eccleſia Chriſti, in qua non tantùm ſunt Iudæi propter promiſſiones patribus factas, ſed etiam gentes, ibi honorant patrem, & quẽ miſit Ieſum Chriſtum ex miſericordia. Qui quondã uincti fuerant, cum erant ſub poteſtate Satanæ, qui captiuum tenebat omnem hominem, præcipuè uerò eos qui idola uenerabantur, mutantes gloriã incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis cor-*
Rom.1. *ruptibilis hominis, dicente Apoſtolo.* Non exaudierunt uocem exactoris.] *Exactor nemo alius eſſe poteſt, quàm importunus ille ſpiritus, qui in paradiſo homini pecuniam deceptionis commodauit, quod mortis debitum expetere nunquã deſtitit, donec Chriſtus deleuit quod*
Coloſ.2. *aduerſum nos erat chirographum decreti. Huius autem exactoris non eſt ſuggeſtio illius callida, qua homines tentat: quam quidem uocem non exaudierunt iuſti, quia ei conſentire noluerunt.*

Paruus & magnus ibi ſunt.] *Quia in hac uita eſt diſcretio operũ: ut aliud opus eſt martyris, aliud uerò iuſti ac timorati cuiuſdam Simeonis, qui in pace dimittitur: erit in illa proculdubio diſcretio dignitatum. quod & Chriſtus docet, di-*
Ioan.14. *cens: In domo patris mei manſiones multæ ſunt. erit tamen una cunctis beatitudo læticiæ, æquè cũ-*
Matth.20. *cti denarium ſortiemur, ut eſt in Euangelio.*
Ibi ſeruus & liber à Domino ſuo.] *Quamdiu homo peccat, ſeruus peccati dicitur: & cũ eſt in hac uita, nõ poteſt homo liber à peccato*
1.Ioan.1. *eſſe. Si enim dixerimus, inquit Iohannes, quia peccatum non habemus, ſeducimus noſmetipſos, & ueritas in nobis non eſt: tantummodo in æterna beatitudine ueri liberi erunt. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Erit etiam liber is quem Chriſtus liberauit de tyrannide ac diaboli-*
Rom.6. *ca poteſtate, ut Apoſtolus inquit: Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſticiæ.* Quare data eſt miſero lux, & uita his qui in amaritudine animæ ſunt?] *Lux miſeris datur, quando impij homines ſublimia contemplantes, cognoſcũt ſe in hac peregrinatione miſeros eſſe: & in amaritudine animæ ſunt, quia peccata ſua ſentiunt ac deflent. Nemo enim mundus à ſorde, uel quod peregrinante à Domino mœrore afficiuntur, & ingemiſcunt, habitationem quæ de cœlo eſt ſuperindui cupientes, quemadmodum*[a] *Apoſtolus loquitur.* Qui expectant mortem, & non inueniunt.] *Etiamſi ſancti Dei homines cum Dauid ſurſum clamant,*[b] *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cũ habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea: & ita cupiunt diſſolui, & eſſe cum Chriſto: occulto tamen Dei iudicio detinentur in hoc mundo, ut alijs proſint, & inde locupletiores ad cœleſtem patriam ſurgant. Sic Paulus & alij diu in miſerijs huius mundi conſeruati fuerunt, ut diu Euangelium promouerent. quod ut optimè nouit Paulus, ad Philippenſes ſcribens, primo capite dixit: Mihi uiuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quòd ſi uiuere in carne hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro: coarctor autẽ è duobus, deſiderium habens diſſolui & eſſe cum Chriſto, multo magis melius: permanere autem in carne neceſſarium, propter uos. Quibus uerbis Paulus oſtendit, ſuam cum Chriſto conuerſationem differri, propter eorum commoditatem.*

Quaſi effodientes theſaurum.] *Qui theſauros effodere uolunt, quanto propinquius ſe illis eſſe æſtimant, tanto enixius laborant: ſimiliter ſe gerunt pij atque electi. multo inſtantius operantur opera pietatis, quum ſe ſciunt uiciniores fini & ultimæ lineæ rerũ, & alacres hoc faciunt: nam conſiderant iam præmia propinquiora.*

Gaudentq́ue uehementer cum inuenerit ſepulchrum.] *Sicut ſepulchrum corpus humanum abſcondit: ita diuina contẽplatio quodam ſepulchrum eſt mẽtis. Sancti igitur uiri dum ſurſum erecti quæ in cœlis ſunt cogitant, poſthabitis quæ ſuper terram, ut Apoſtolus ad Coloſſenſes tertio capite docet, nullo mouentur tumultu, neque ulla cura rerum temporalium perturbantur: ſed ſunt prorſus mundo demortui, ante faciem quaſi ſepulti & abſconditi eſſe uidentur. qualis profectò fuit diuus Apoſtolus, quando dixit ille ad Galatas ſexto cap. Mihi crucifixus eſt mundus, & ego mundo. Et plerique omnes ſancti Dei martyres. Quod & nunc quoq; fieri poteſt, quorum piorum mentes in amorem Chriſti Ieſu raptæ, nulla externa perturbatione mouentur, quin ſuam uoluntatem ſub Dei uoluntatem redigunt.* Viro cuius abſcondita eſt uita.] *De ſe hoc dicit, inquit Hieronymus, ac perinde quaſi diceret: Incedebam in mandatis Dei, credens,*

dens, quòd mihi fructus iuſticiæ meæ reſponderet: ſed abſconditum eſt meritum uitæ meæ, & pro hoc pœnarum tenebris circundatus ſum, ita ut illud bonum mihi ſubtractum ſit, hoc appoſitũ malum. ô igitur altitudo ſcientiæ Dei, quàm abyſſus multa & incõprehenſibilia iudicia Dei. Quis ſcit quomodo æſtimet iudex uerus opera noſtra atq; uitam? ſæpe uidet uir pius opera damnationis eſſe, quæ putabantur eſſe uirtutis. quod & Salomonẽ credidiſſe legimus, cum inquit ille: [a] Eſt uia quæ uidetur hominu iuſta, recta, nouiſſima autem eius ducunt ad mortem. Hinc profectò ſancti uiri etſi mala ſuperent euitentq;, inſuper bona operentur: non tamen in operibus ſuis hypocritarum more efferuntur, quinetiam metuant, & ſua bene geſta formidẽt: perpendũt enim quòd in conſpectu [b] Dei non iuſtificabitur omnis uiuens. Et quòd alio in loco idem David Propheta dicit: [c] Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Et quid aliud Chriſtus dixit: [d] Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt uobis, dicite ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus? Et circumdedit eum Deus tenebris.] Vt Iobum iuſtum, licet mala & dolores circumdederunt, ita plerunq; omnibus timentibus Deum accidere ſolet, ut propterea ueriſſimè Propheta dixerit: [e] Multæ tribulationes iuſtorum. Deinde per tenebras ignorantia eorum accipitur. quamuis enim cœleſti deſiderio ferueant, ignorant tamen regulam extremi examinis. unde cum ſancto David miſericordia Domini innituntur, ac dicũt: Domine [f] ne in furore tuo arguas me. Antequam comedam ſuſpiro, & quaſi inundantes aquę, ſic rugitus meus.] Scribit D. Hieronymus ſuper hunc locum, ſanctum uirum inter cæteros cruciatus & hunc quoq; habuiſſe, quem medici Bulimiodes appellant, qui talem habet pœnam, ut ante cibum torqueatur ægrotus, & ſint ei poſt cibum indeſinẽtes dolores. Sed quia diximus Iobum prophetam eſſe, eaq; uaticinari quæ alijs cùm acciderunt, tũ accidere poſſunt: comedunt itaq; electi, quoties mens illorum ſupernæ lucis contemplatione paſcitur, donec ad ſuperna gaudia recipiantur. tunc enim demum uerè paſcentur, dicente Propheta: [g] Satiabor cũ apparuerit gloria tua. Et proinde Chriſtus quoq; dixit: [h] Ego ſum panis uiuus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Suſpirant autem, quia cum fletu poculum miſcẽt, & cum Propheta ſunt ipſis lachrymæ illorum panes [i] die ac nocte. conſiderant enim diuina iudicia, & quòd etiam ſub potenti manu Dei dæmones contremiſcunt. Et tales eorum rugitus & lamentationes uocat. Iacob.2.

Quia timor quem timebam, euenit mihi: & quod uerebar, accidit.] Iuſti deflent & pauent, & magnis ſe lamentis cruciant: & quod plerunq; quod timent euenit, ex Dei diſpoſitione, quam mente nemo comprehẽdere poteſt. Quis enim nouit poteſtatem iræ eius? Pſal.89.

Non'ne diſsimulaui? non'ne ſilui?] Beatus Iob, quanquam huius mundi rebus abundaret, nunquam tamẽ cor ſuum appoſuit: ſed repreſſit, diſſimulans eam poteſtatem atque gloriam, ne extolleretur. Idem faciunt omnes uiri ſancti: quanto enim maiores ſunt, tanto magis in omnib. ſeſe humiliant. Deinde: Non'ne ſilui? inquit, hoc eſt, quia uir linguoſus non dirigetur in terra, linguam ab immoderata locutione reſtrinxi & cohibui. a Prouerb.14.

Et quieui.] Sedatam habui mentem terrenorum deſideriorum, tumultui nullo modo perturbatam. Nequaquam enim mens curarum tumultibus continuè occupata, quieta & tranquilla eſſe poteſt, atque ad ſuperna attolli. Sic quoque omnes electi Dei homines quieſcunt, cum refugiunt curis præſentis uitæ immoderatius occupari. Nam praui homines, & qui ſupra modum his rebus inhiant, nec per noctem mente quieſcunt, ut uerè de illis dixerit quidam: Auri ſacra fames quid non mortalia pectora cogis? Cæterùm licet iuſti ac timorati homines in omnibus circumſpectè & prudenter ſeſe gerant: tamen paterna flagella nonnunquam ſentiunt, ut tanto perfectiores perueniant ad concupitam ſalutis hæreditatem Sequitur. b Pſal.142. c Pſal.129. d Lucæ 17. e Pſal.33.

Et uenit ſuper me indignatio.] Nemo igitur in aliquo glorietur, nec ullus in ſuis quantumlibet pijs confidat operibus: imò ut cogitemus oportet, quia ſæpe iuſticia noſtra ad examen diuinæ iuſticiæ deducta, iniuſticia eſt: quin & ipſa perfectio culpa non caret: mihi ſeuerus iudex Deus hanc penſet, ſecundum magnam atque immenſam miſericordiam ſuam. Et conſiderare poterunt qui in diem uiuentes, neque Deum neque hominem curant, quæ ſupplicia maneant poſtmodum peccatores, ſi iuſti hic tam dira patiuntur, eoſq; tam ualida flagella caſtigant. f Pſal.6.

CAPVT QVARTVM.

g Pſal.16.

RESpondens autem Eliphas Themanites, dixit.] Vt amici piè conſolaturi ſanctum uirum uenerunt iſti, quod illorum affectus ſatis oſtendunt. At quia non niſi pro iniquitate eum percuſſum credunt, uerba proferunt nõ niſi contentioſa & contumelioſa: & ita pij illo-

h Ioan.6.

Eliphas arguit Iob ut flagellis dignum.

i Pſal.14.

rum affectus uitiantur. uitio enim nõ carent quæ
dicunt. præſertum quòd ex anteacta uita Iob æſti
mandus erat, & ipſius uerba perpendenda. Si
cœperimus loqui tibi, forſitan mole-
ſtè accipies. Sed conceptum ſermo-
nẽ tenere quis poterit? Ecce docuiſti
multos, & manus laſſas roboraſti. Va
cillãtes cõfirmauerunt ſermones tui,
& genua tremẽtia confortaſti.] Quia
perperam, ut diximus, omnia intelligũt, irridet Eli
phas iuſtum uirum, ut docet Hieronymus, eumq́;
ſumma iniuria atq; contumelia afficit, quando di-
cit nil boni operatum eſſe, hincq́; in hæc tanta ma
la, ad exemplum mortalium, incidiſſe. Non'ne &
hæc grauiſsima tentatio fuit? Nunc autem
uenit ſuper te plaga, & defeciſti: teti-
git te, & cõturbatus es. Vbi eſt timor
tuus fortitudo tua, patientia tua, &
perfectio uiarum tuarum? Maxima ob-
iurgatio eius, qui ſub ſpecie pietatis uenerat: ſic e-
nim boni uiri uitam impetit, ut praua eum dixiſſe
aſſerat, & recta non ſeruaſſe: omnia ergo ſimul
interijſſe, timorem ſcilicet, fortitudinem, patien-
tiam, & uiarum perfectionem. Recordare,
obſecro te: quis enim unquam inno-
cens perijt? aut quando recti deleti
ſunt?] Peruerſus peruerſa loquitur. nõ'ne iuſtus
Geneſ. 4. & innocens Abel erat, & tamen à ſuo fratre oc-
Ibid. 20. ciſus fuit? Et quid de Abrahã Scriptura dicit, utiq;
eum ſummè periclitatũ propter uxorem fuiſſe. un
de non ſemper impij, ſed & inſontes ac iuſti pe
reunt aliquando, & hoc iuſto Dei iudicio. unde
Eſa. 57. Scriptura dicit: Iuſtus perit, & nemo eſt qui reco
Sapien. 4. gitet. Item: Raptus eſt, ne malitia mutaret intelle-
1. Pet. 4. ctum illius. Et dicit D. Petrus: Tẽpus eſt, inquit,
ut iudiciũ incipiat à domo Dei. Et tamen iuſti ne-
a 1. Reg. 28. quaquam pereunt, quia ad æternã gloriam ſeruan
Sapien. 3. tur, Scriptura dicẽte: Iuſtorũ animæ in manu Dei
ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi
ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pa
ce. Quin potius uidi eos qui operã
tur iniquitatem, & ſeminãt dolores,
& metunt eos, flante Deo periſſe, &
ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos.] Do-
lores ſeminant, qui peruerſa faciunt: & dolores
metunt, cum de iiſdem peruerſis actis puniuntur:
& hoc flante Deo, id eſt, ſtatim animaduertente,
& arguente in furore omnẽ iniquitatem. & hoc
dicit ſpiritum iræ Dei. bene quidẽ: iraſcitur enim
Deus cum iuſtam de impijs uindictam ſumit. Hinc
Pſal. 6. eſt quod Dauid dixit: Domine ne in furore tuo ar
guas me, neque in ira tua corripias me. Porrò hoc

ipſum facit Deus miro exactiſsimoq́; iudicio. Ali-
quando enim iniuſtos celeriter trucidat, ut inno-
centium corda cõfirmet. Et ſæpe diu tolerat, quos
in perpetuum damnat: per quos & iuſtorum uita
mũdius purgetur. Ita certè iudicium fore impijs o-
ſtendit Deus, & ſe res humanas maximè curare.
Rugitus leonis & uox leænæ, & den
tes catulorum leonum contriti ſunt.
Tigris perijt, eo quòd non haberet
prędã, & catuli leonis diſsipati ſunt.]
Beatum Iob malitioſè taxat, quum nomine tygri-
dis & leonis quaſi ſeuerum atq; rapacẽ notaret.
per leænam coniugem Iobo ſimilem, & loquaciſ-
ſimam dicit. per dentes uerò catulorum, deſtructã
ſignat filiorum audaciam & edacitatem: quia filij
conniuentes extincti ſunt. Porrò ad me
dictum uerbum abſconditũ, & quaſi
furtiuè ſuſcepit auris mea uenas ſuſur
rij eius. In horrore uiſionis nocturnę,
quando ſolet ſopor occupare homi-
nes, pauor tenuit me, & tremor, & o-
mnia oſſa mea perterrita ſunt. Et cum
ſpiritus me præſente tranſiret, inhor-
ruerunt pili carnis meę. Stetit quidã,
cuius non agnoſcebam uultum, ima-
go coram oculis meis, & uocem qua-
ſi auræ lenis audiui.] Eliphas ad ſuum pro-
poſitum inducit quandam uiſionem. Et cùm multa
tum uaria tractantur de uiſionibus atq; ſomnijs:
unicum tamen audire libet Auguſtinũ, quem con-
ſtat quæſtionum difficultatibus intentiſsimum ſtu
dioſiſsimumq́; fuiſſe. Viſiones, inquit ille, aliquan-
do non per fallaciam illudentium dæmonum, ſed
per aliquam reuelationem diuinam fieri concedi-
mus: diſcretionem tamen dicimus eſſe difficilimã,
cum ſpiritus malignus quaſi tranquillus agit, &
transfigurat ſe, a ſicut ſcriptum eſt, in angelũ lu-
cis. & quod poteſt, dicit quandoq; uera & utilia:
ut cum illi in manifeſtis creditum fuerit, educat
ad ſua. Neceſſe ergo erit, ut uiſiones diuino adiuto
rio plenius reuelentur. Hæc Auguſtinus. Verùm
quantum ad ſomnia attinet, nec omnia erũt præ-
ſtigiatoris uel complexionis humanæ, quemad-
modum nec omnia diuinorũ ſpirituum. Niſi enim
multum ab occulto hoſte per illuſionem fierent,
nequaquam dixiſſet ille: Multos errare fecerunt
ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis. Quòd ſi
uerò nulla orirentur ſomnia & myſteria reuela-
tionis, falſa ac ficta oporteret eſſe ea omnia quæ
de Ioſeph ſponſo Mariæ, & Magis Perſicis refe-
runtur. Oportet itaque, inquit Gregorius, accu-
ratius perpendere, quid à bono, uel quid ab illuſo-
re pa-

repatiamur. Nunquid homo Dei comparatione iuſtificabitur?] *Suprà abundè ſatis declaratum fuit, quomodo humana iuſticia, diuinæ iuſticiæ comparata, iniuſticia ſit, & quòd in conſpectu Dei non iuſtificabitur omnis uiuẽs. Quantumlibet enim, inquit Auguſtinus, rectus mihi uidear, producis tu de theſauro tuo regulam, coaptas me ad eam, & prauus inuenior. unde etiã Chriſtus ſuos Apoſtolos orare iuſsit, ac docuit, Mathæi ſexto: Dimitte nobis, pater cœleſtis, debita noſtra. Et quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum?* Aut factore ſuo purior erit uir?] *Quia nullus hominum coram Deo, ſi diſtrictè iudicetur, innocens atque iuſtus erit, nemo unquam purior Deo eſſe poterit: eſſet autem homo, ſi malum innocentem pateretur & iniuria. Quia uerò iuſtus Deus nemini iniuriam facit, quiſquis rectè factorem ſuum conſiderat, intelligit nullum factum immeritò infligere ipſum. Et iuſtus maximè ſit homo, tamen bonum eſt quòd patitur malum: quia magnum inde conſequetur præmium, dicente Iacobo, primo: Beatus uir qui ſuffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam repromiſit Deus his qui diligunt eum.* Ecce qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in angelis ſuis reperit prauitatem: quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentũ?] *Comparatio eſt hominis ad angelum, qui eſt ſubſtantia purè ſpiritualis, & Deo adhærens: tamen quia creatura eſt, mutabilis erit in ſui natura. unde dicitur diabolo, quia quondam ſanctus angelus fuit, & quòd in ueritate non ſteterit. Si ergo in angelis Deus reperit prauitatem, quid de carne infirma & prona ad malum, ut ſequitur: Quanto magis qui luteas habitant domos? Luteas domos uocat humana corpora: homo enim ex limo terræ factus eſt, unde tota poſteritas. Hinc quoque Apoſtolus ait, ſecunda ad Corinthios, quinto: Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus.* Conſumentur uelut à tinea.] *Tinea ueſtem, ex qua naſcitur, corrumpit: & caro eſt quaſi ueſtis animæ, quæ à tinea corrumpitur: hoc eſt, carnali tentatione. Scriptura enim dicit Geneſ. nono capite: Senſus & cogitatio hominis prona ſunt ad malum. Et hãc peſtiferam tineam Iacobus primo capite deſcripſit. dixit enim: Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, quæ cum conceperit, parit peccatum: peccatum uerò cum conſummatum fuerit, generat mortem.* De mane uſque ad ueſperam ſuccidentur.] *In uno die, inquit Hieronymus, totam uitam hominum demonſtrauit, quæ in mundo uernat, & poſtremò in decrepita ſenectute conficitur, quam hic ueſperam appellauit. Et ut omnes ſenſim tendimus in mortem, & ſuccidimur? Tempora labuntur, tacitiſq; ſeneſcimus annis. Præcipuè tamen hoc accidere ſolet reprobis, quos ſuccidit Deus tamdiu, donec ſucciſi ruunt in profundum inferni: & ut dicitur Eccleſiaſtici undecimo, Lignum ubi ceciderit ibi maneat.* Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt.] *Non ſentiunt illi tam præſentem interitum, quia bonis huius mundi utuntur ad uoluptatem: nec intelligũt mortis horam, quia (iuxta Sapientem) amara eſt memoria illius hominibus iſtis. Nihil ergo minus ipſis cogitantibus, ſicut dolor in utero, repentinus uenit interitus: quemadmodum Chriſtus docet, quando exempli gratia diuitem introduxit mirè in diuitijs gloriantem, qui tamen non uſque ad alterum diem ſuperfuit, alienis relinquens diuitias ſuas.* Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis.] *Interpoſitio eſt, quomodo Deus deſpectos huius ſeculi eligat atque eripiat de medio impiorum: ſicut Loth ereptus fuit, & ſublatus è peccatis Sodomorum, Geneſ. decimonono cap. Et Chriſtus ad ſuos diſcipulos dixit Iohannis decimoquinto: Vos elegi de mundo, quis de mundo non eſtis, &c.* Morientur & non in ſapientia.] *Redit unde digreſſus erat. Nam qui morientur ut ſtulti et inſipientes? nimirum qui non intelligunt interitum ſuarum animarum. Hi profectò non'ne ſunt inſipidiſsimi? Nam inſipiens dicit in corde ſuo: Non eſt Deus qui res humanas curet. Morientur ergo: quia uidi impium exaltatum ſicut cedros Libani: & tranſiui, & ecce non erat: quia ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereunt peccatores à facie Dei.*

Eccleſ. 41.

Lucæ 12.

CAPVT QVINTVM.

Eliphas iniqua hæc uerba dixit, æſtimans Iob reprehenſibilem & iniquum: quare ſtatim irridet eum, ac inquit: Voca ergo, ſi eſt qui tibi reſpondeat: & ad aliquem ſanctorum conuertere.] *Fieri poteſt, ut qui Deum admonentem audire non uult, rebus ex uoto ſuccedentibus, ut legem diuinam obſeruet, ut hic poſtmodum perturbatus non exaudiatur, ſed oratio eius ſit execrabilis: qui aurẽ ſuam auertebat, ut nõ audiret legẽ Dei. Ideo Eliphas ad Iobũ dicit: Quia propter malitiam Deus non exaudiet uocem tuam, aliquem uirum ſanctum interpella,*

Deus ſuperbos humiliat, & pauperes exaltat.

ut ipſe pro te Deum oret, & intercedat. Vt autem hoc malè ſancto uiro impingit, ita tamen oratio iuſti aſſidua multum ualet apud Deum. *Hinc do-*
Iacob.5. *cet nos Apoſtolus, ac inquit: Orate pro inuicem,*
a Pſal.48. *ut ſaluemini.* Virum ſtultum interficit iracundia.] *Iram deteſtati ſunt omnes uerè ſapientes: per iram enim ſapiētia perditur. quicquid quo've ordine agendum ſit, irati planè ignorant. Verùm aliud eſt iraſci & exaſperari ex impatientia, aliud uerò ex zelo iuſticiæ: hæc enim ira non tā æqua quàm neceſſaria eſt. Hinc Moſes alioquin mitiſſimus, commouebatur ira in idololatras illos* Exod.22. *Hanc iram ſi Heli habuiſſet, hauddubiè diuinam ultionem non ſenſiſſet: oportet enim aliorum erratibus iraſci. unde Scriptura dicit: Me-*
Eccleſ.7. *lior eſt ira riſu, quia triſti & irato uultu delinquētes corriguntur. Quapropter etiam Chriſtum cū*
Matth.21. *ſumma indignatione ementes & uendentes expu*
1.Tim.4. *liſſe legimus. Sic quoq; Paulum ſuum* Timotheum *docuiſſe, inſtare opportunè importunè, & malos corām & publicè arguere, ut cæteri timorem habeant. Igitur probantur quidem, qui cum lenitate uitia carpunt: tamen ut ſeueritatis & acrimoniæ non obliuiſcantur, ſaucio homini infudit Samaritanus uinum & oleum. qua de re conſulendi tibi erunt ſacri literarum diuinarum interpretes.*

Et paruulum occidit inuidia.] *Inuidere non poſſumus, niſi eis quos nobis in aliquo meliores putamus. idq; ueteres dixère: Sola miſeria inuidia caret. Inuidus igitur paruulus dicitur reſpectu eius cui inuidet. Sic Satan quia immortalem hominem uidebat, inuidere cœpit: hincq; ſurripuit homini immortalitatem, & illam ſummam beatitu-*
Gen.4. *dinem. Et quòd Cain fratrem ſuum Abel occidit, inuidia fecit: quia deſpecto ſuo ſacrificio, hoſtiam*
1.Reg.23. *fratris Deo cognouit acceptā fuiſſe. Et Saul eam ob rem perſecutus eſt Dauidem. At duos illos occidit inuidia tam in corpore quàm in anima, quod et omnib. inuidis ac rabidis accidere poteſt. quàm enim noceat homini inuidia, uel ipſi poetæ ſatis o-*
Vergilius. *ſtendunt. aiunt enim: Liuor tabificum malis exedit medullas. Et alius: Siculi, inquit, tyranni non*
Horatius. *inuenere maius tormentum inuidia. Sed multo fortius eam impugnat Chriſtus, utq; eam euitemus*
Matth.18. *& fugiamus monet, cum inquit: Dimittite & dimittetur uobis: Amen dico uobis, ſic faciet uobis pater meus cœleſtis, ſi non remiſeritis unuſquiſq; fratri ſuo de cordibus ueſtris.* Ego uidi ſtultum firma radice.] *Homines terrenis deſiderijs capti, quando temporali proſperitate fulciuntur, meritò ſtulti appellari poſſunt: quia incertis & mox perituris fidunt, poſthabitis quæ nunquam deficient, nec auferētur. Vnde ad illum in Euangelio dictum eſt, Lucæ duodecimo capite: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ paraſti cuius erunt?* Non, *inquit* Propheta, [a] *deſcendet cum diuite gloria eius.* Et maledixit pulchritudini eius ſtatim.] *Quia eius gloriam damnatam iudicaui, & eo atrociora tormenta paſſurum conſideraui, eam utcunque iucundam atque amœnam alijs uiſam maledixi. Et addit:* Statim.] *Nonnulli enim quorundam opulentiam, gloriam & honorem uidentes delectantur, ac magnum quiddam æſtimant, utq; & ipſi talia acquirant optant: haud conſiderantes quàm uana illa, quàm tranſitoria. Quod mors ipſa docet, omnium quæ pulſat fores æquo pede, ut ſcribit* Horatius, *Pauperum tabernas, regumq; turres. Miſta ſenum ac iuuenum denſantur funera, nullū Sæua caput Proſerpina fugit. Inde natum prouerbium eſt: Ecce quàm nihil eſt homo, & nil niſi bulla, uel uapor modicum parens, ut Iacobus dicit quarto capite. Ergo rectè faciemus ſi cogitemus, cum homo adhuc gloria ſplendet, repentinum eius interitum, & tranſeuntem potentiam, & quia Omnia præter eunt præter amare Deum. Vbi enim Hector Troiæ fortiſſimus? ubi Alexander? ubi Pompeius?* Filij ſtultorum.] *Hoc eſt, potentum ſi ij in ambitione huius ſeculi ex parentum imitatione educantur ac uiuunt: qui profectò à ſalute tanto longius ac remotius ſunt, quanto magis ſuperbiunt, ac impunè nequitiam exercent & operantur, dicēte Propheta Pſalmo centeſimo decimooctauo: Longè à peccatoribus ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt. Quid autem fiet?* Contereantur, *inquit,* in porta.] *Porta hæc dies eſt iudicij extremi. Nam ſicut per portam urbem ingredimur, ita ab illo die omnes electi ad cœleſtis gloriæ patriam intrabunt.* Et non erit qui eripiat.] *Quia non erit locus miſericordiæ, ſed iuſticiæ tantùm: amplius nō proderit clamare, Pater Abraham: &, Domine domine. Tunc enim, ut Apoſtolus inquit 2. Corinth. 5. Recipiet unuſquiſque prout geſſit in corpore ſuo, ſiue bonum ſiue malum. Et Chriſtus ait Ioan. 5. Qui bona fecerūt, ibūt in reſurrectionē uitæ: qui uerò mala egerūt, in reſurrectionē iudicij.* Cuius meſſem.] *Per meſſē intelligit Gregorius dona uaria à Deo homini conceſſa. quoniam Chriſtus dixit, contradita eſſe talenta hominibus, quibus operentur, donec ueniat ipſe, Matthæi 25. Et apoſtolus Paulus dixit: Bonum facientes non deficiamus. tempore enim ſuo metemus, non deficientes.*

conſentiens

cōſentiens Apoſtolus [a] *Chriſto, quando ex Pro-*
pheta deducit, hominem metere quicquid ſemina-
uerit. Quod ergo inquit Eliphas : **Et fameli**
cus comedet.] *De omni iuſto locutus eſt, qui*
ueram iuſticiam eſurit. Hic quia ad Deum ſanctis
deſiderijs anhelat, de bonis ac donis omnibus fru-
ctū accipit. unde etiam à Chriſto dicitur: [b] *Tolli*
te ab eo talentum, & date ei qui habet talenta.
Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei au-
tem qui non habet, & quod uidetur habere aufe-
retur ab eo. **Et ipſum rapiet armatus.**]
Armatus ille, princeps huius mūdi eſt, [c] *qui omnes*
iniquos ac in diuinis operibus deſides rapiet, quan
do dicet Chriſtus: [d] *Ite maledicti in ignem æter-*
num, qui paratus eſt diabolo et angelis eius. Et
ibunt illi in ſupplicium æternum. **Et bibent**
ſitientes diuitias eius.] *Diuitiæ non ſunt*
aurum & argentum, quia non manent, & poſſidē
tem decipiunt: unde meritò appellātur diuitiæ fal-
laces : ſed cor purum, & conſcientia bona, timor
Domini, & obſeruatio mandatorum eius. Qui er
go noluerit cū Chriſto hic pauper eſſe, alibi ſum-
mam cum epulone patietur inediam. Et ſitientes
aquā illam uiuam, de qua Chriſtus [e] *locutus eſt,*
iuſti ac pij, idē dicente: [f] *Beati qui eſuritis, quia ſa-*
turabimini. Et illi modò hauriunt aquas de fonte
Saluatoris, qui Spiritus ſancti conſolatione fruun
tur, ut in ipſis fons fiat aquæ ſalientis in uitam æ-
ternam. Ad hanc uiuam aquam olim Dauid deſi-
derauit. dixit enim: [g] *Quemadmodū deſiderat cer*
uus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea
ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum uiuum,
&c. **Nihil in terra ſine cauſa fit, &**
de humo non egreditur dolor.] *Om-*
nium quæ ſiunt, cauſam aliquam eſſe oportere, o-
ſtendit Eliphas : nec ex elementis huius mundi eſ-
ſe, ſed nobis ipſis cauſam, quare meritò flagelle-
mur. Vtitur enim Deus ſuis medijs. quare audie-
bāt olim [h] *Iudæi percutiente peſte & febri, &c.*
Et ut poeta teſtatur : Numina conqueſta ſunt ſe
iniuſtè incuſari, quaſi fontē cauſamq; malorum,
cum ſua pereant homines ob facta nephanda.
Homo naſcitur ad laborem, & auis
ad uolatum.] *Vt quiſque ſibi uictum quærat,*
laborare omnem hominem oportet. Sic enim di-
xit Deus Geneſeos tertio capite: In ſudore uultus
tui ueſcēris pane tuo. Verùm ſi mala innumera hu
ius mundi conſiderare uelis, hic nihil amplius niſi
labor & dolor, ut proinde diuus Apoſtolus inge-
miſcens ad Rom. ſeptimo cap. dixerit: Quis me mi
ſerum & infelicem hominem liberabit de corpo-
re mortis huius? Præter enim labores, preſſuras
atq; pericula, habebat ille legem repugnantem le- a Galat. 6.
gi ſuæ mentis. Et quid non expertus eſt malorum
pius ille homo? Quid igitur alios manet?
Quamobrē ait ille, ego deprecabor
Dominum, & ad Deum ponam elo-
quium meum.] *Quia nihil tam minimum,*
quin fiat permittente Deo, atq; ex ipſius prouiden b Matth. 25.
tia diuina, & habeat ſuam cauſam determinatam,
quare fiat. Idcirco deprecandus eſt Deus, ut qui
ſolus cuncta poteſt, dirigat noſtros actus, cogita-
tionesq; noſtras in lege ſua, in operibus mandato- c Vide Theo-
rum ſuorū. **Qui facit magna, & inſcru** phylactum.
tabilia, & mirabilia abſque numero.
Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ, d Matth. 25.
& irrigat aquis uniuerſa.] *Verè magna et*
inſcrutabilia: quis enim omnipotentis Dei mirabi
lia perſcrutari ſufficiet? quòd ſcilicet cuncta ex ni
hilo creauit ipſe ſolus ante omnem creaturam.
Quodq; tam mira uirtute atq; potentia ipſam mun
di fabricam diſpoſuit atque ordinauit, ut cœlum
ſuſpenſum ſit ſuper aera, & ſuper abyſſum terra
libretur. ſic enim inquit Gregorius: Et elementa
mundi ſua tam ſtrenuè faciant officia, nec machi-
na diſſoluatur aut deficiant quæcunque in firma- e Lucæ 16.
menti diſpoſitione conſpiciuntur. Quis hæc exa Ioan. 4.
ctius explicabit? nemo hominum credo. ſed ut di- f Matth. 5.
cat oportet cum Socrate illo obinde facilè ſapien-
tū principe: Quæ ſupra nos, nihil ad nos. Quòd ſi
autem ultrò progredimur, quid mirabilius homi-
nis formatione eſſe uidebitur, ut qui ſpiritu & lu- g Pſal. 41.
to conſtet? Quem item non afficient uariæ ac
mirificæ creaturarum proprietates? utpote florū,
herbarum, auium, & omnium in uniuerſitate hac
exiſtentium. ut bene ſit dictum ad Romanos pri-
mo capite : Ex creaturis potuiſſent cognoſcere
creatorem. Itaq; diuina miracula ſemper ſtudioſè
conſideranda ſunt, at nunquam ſenſibus & intel-
lectu curioſius diſcutienda. **Qui ponit hu-**
miles in ſublimi, & mœrētes erigit ſo h Deut. 28.
ſpitate.] *Vera dicit, quia Deus ſuperbis reſi-*
ſtit, humilibus autem dat gratiam. Hinc quoque
dixit Chriſtus diſcipulis ſuis : Vos qui ſecuti eſtis Matth. 19.
me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duo
decim tribus Iſrael. Et : Nunc quidem triſticiam Ioan. 16.
habetis, ſed triſticia ueſtra uertetur in gaudium.
Soſpitate autem mœrentes Dominus erigit : quia
pro ſe afflictos in his terris uera conſolatur ſalu-
te. **Qui diſſipat cogitationes mali-**
gnorū, ne poſſint implere manus eo-
rū, quod cœperāt.] *Reprobi mente ſemper*
peruerſis cogitationib. inuigilāt, ſed plerūq; diuina
diſpoſitio eis obuiat: quia iuxta Scripturam, nō eſt
pruden-

prudentia, non ſapientia, non conſilium contra
Dominum,& eorum uires infringit,ne contra bo
Pſal.124. nos præualeant, ſicut Propheta inquit, dicens:
Non relinques uirgam peccatorum ſuper ſortem
iuſtorum, ut non extendant iuſti ad iniquitates
manus ſuas. Igitur impiorum prauis conſilijs ple-
runq; obſiſtit diuina poteſtas, ut opere complere
a Pſal.71. non poſsint,quod impijſsimè cogitarunt. Qui
apprehendit ſapientes in aſtutia eo-
rum, & conſilium prauorũ diſsipat.]
Sapientes dicit,qui ſibi admodum ſapere uideri uo
b 2.Cor.8. lunt. Hi plerunq; contra torrentem, iuxta prouer
bium,nitẽtes, in hoc ipſo,quòd diuinæ diſpoſitio-
c Ioan.19. ni reſiſtere uolunt, Dei cõſilijs maximè ſeruiunt.
Sic fratres ipſius Ioſeph in ipſa ſua aſtutia compre
henſi fuerunt. Nam ideo uenditus erat ab eis, ne
adoraretur: ſed inde eſt adoratus, quia uenditus:
d Rom.6. & ita diuino iudicio, quod declinare conati ſunt,
Gen. 45. maximè ſeruierunt. ſicut ille dixit: Nolite pauere,
neq; uobis durum eſſe uideatur, quòd uendidiſtis
me in his regionibus: pro ſalute enim ueſtra miſit
me Deus ante uos in Aegyptum. Eodem modo Iu
dæi malitioſè Chriſtum extinguere uolentes, ſunt
capti & apprehenſi. Cum enim inuidiæ facibus
accenſi, cõmunicatis conſilijs, decreuiſſent Chri-
ſtum hominem perimendũ, potius quàm tota gens
Ioãn.11. pereat, idipſum promouerunt, quod ad pietatem
eamq; ſalutem quam Chriſtus inſtituebat potiſsi-
Rom.4. mùm fecit. Ipſe enim Apoſtolus ſcribit: Mortuus
eſt pro peccatis, propter delicta noſtra, & lauit
Apoc.1. nos,ut alius dicit, in ſanguine ſuo. Hinc profectò
quem neci deſtinatum penitus extingui poſſe exi-
ſtimauerunt, ſic mirum in modum glorificatum
omnes nationes cognouerunt. Iam demum Chri-
ſtus glorioſè ac ſplendidè illuceſcere cœpit in toto
terrarum orbe, quemadmodum dictum erat per
Malac.1. Malachiã dicentẽ: Ab ortu ſolis uſq; ad occaſum
Eſa.49. magnũ eſt nomẽ meum in gentib. Et Eſaias dixit:
Poſui te in lucẽ gentiũ, ut ſis in ſalutẽ uſq; ad ex-
tremũ terræ. Quicquid igitur agimus, uoluntatẽ
eius ingrere oportet, qui omnia quæcũq; uoluit fe-
cit in cœlo & in terra, & in omnib. abyſsis, hoc
e Hebr.12. eſt, Dei opt. max. ut eam tanquã ducẽ noſtri itine
ris, noſtrarũq; actionũ ſequamur. Per diem
incurrent tenebras, & quaſi in nocte,
ſic palpabunt in meridie.] Oſtendit quòd
ueritatis præſentia perfidi errore occæcantur. ut
Hier.15. iuxta Prophetã, Sol ipſis occidat, cum adhuc dies
eſt. Tales puto fuiſſe Scribas & Phariſæos: quia
etſi diuinæ uirtutis miracula cernerent, tamen de
Chriſti Ieſu diuinitate dubitauerũt. Dixerunt er
Ioan.10. go: Quouſq; tollis animam noſtram? ſi tu es Chri
ſtus, dic nobis palàm? O cæci & duces cæcorũ,
quos dicere oportebat, impegimus meridie quaſi
in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui. Por-
rò ſaluum faciet egenũ à gladio oris
eorum, & de manu uiolenti pauperẽ.
Et erit egeno ſpes: iniquitas aũt con-
trahet os ſuum.] Idem dicit quod apud Daui
dem legimus: [a] Deus pauperum à potente liberat
pauperem, cui non erat adiutor. Haud abſurdè ta-
men hoc quod dixit, ad Chriſtum referri poteſt,
qui propter nos egenus factus eſt, ut nos diuites
eſſemus in illo, ſicut [b] Apoſtolus inquit. Et ipſum
quidem Deus pater de gladio oris Iudæorũ, quan
do ipſi clamauerũt, [c] Crucifige crucifige eum, &
de manu uiolenti ſaluum fecit: quia Chriſtus non
manſit in morte, ſed ex diuinitatis ſuæ potẽtia re-
ſurrexit ad uitam perennẽ, & immortalitatis glo
riam, dicente Apoſtolo: [d] Chriſtus reſurgens ex
mortuis, amplius non moritur, mors illi non ultrà
dominabitur. Quod enim mortuus eſt, peccato
mortuus eſt: quod autem uiuit, uiuit Deo. Sic quo-
que quæ ſequuntur interpretari poſſunt: uidelicet
poſtquam Chriſtus mortem moriendo deſtruxit,
& uitam reſurgendo reparauit, quòd egenus po-
pulus ſpem concepit futuræ iuſtificationis, & fi-
delis quiſq; cõualuit ad æternæ uitæ fiduciam. Sic
enim inquit Gregorius: Vnde os ſuum iniquitas
contradixit? deſinebant enim contumelijs laceſſe-
re Chriſtum, quotquot ad fidem conuerſi erant.
Beatus homo qui corripitur à Domi
no.] Prima uirtus eſt, inquit Gregorius, peccata
uitare: altera uerò, quoniam lubricum eſt humanæ
uitæ iter, & uix peccata uitari poſſunt, ſaltẽ per-
petrata corrigere. Sed non ſolùm non uitant homi
nes plerunque peccata, uerùm etiam nec commiſ-
ſa agnoſcunt: quin potius excæcantur, & mens
illorum in denſiſsimis tenebris iacet. Fit igitur &
diuini muneris largitate, ut culpam pœna ſequa-
tur, & flagellis oculi eorum, qui ita in uitijs ſecu-
rè uiuunt, aperiantur, ut uideant atque conſide-
rent, quàm miſeri, & ubi iaceant afflicti. Et eſt
hæc pij patris paterna correctio. ſic enim inquit
Apoſtolus: [e] Fili, noli negligere diſciplinã Domi-
ni, neq; fatigeris dũ ab eo argueris. Quẽ enim dili
git Dominus, caſtigat. Flagellat aũt omnẽ filium,
quẽ recipit. Increpationẽ ergo Domini
ne reprobes.] Vt maximè Deus punit hic pec
cata, quo emẽdẽtur, & aſperitate flagelli corrigã
tur: plerũq; fieri poteſt, ut ꝑ culpa ꝑcuſsi aduerſus
Dominũ murmurẽt, & impatiẽtiſsimi fiant, quaſi
hæc iniuſtè patiãtur. Illi ergo dicũtur increpatio-
nẽ Domini reꝓbare. Quòd aũt rariſsimè Iobum in
patien-

patientia imitantur, ratio eſt, quia ut Saluator di-
xit: Spiritus quidem promptus eſt, ſed caro infir-
ma. Inſuper Satana mirum in modum ſæuiente in
carnem, facilè ſuccumbit, niſi ſpiritu fortitudinis
& gratiæ fulciatur. Quia ipſe uulnerat,
& medetur: percutit, & manus eius
ſanabunt.] Quos omnipotens Deus ad ſalutē
reducere instituit, uel exterius affligit, ut interius
uiuant. de quo illud dictum eſſe uidetur: [a] Ego oc-
cidam, & ego uiuere faciam: percutiam, & ego
ſanabo. [b] Sic ſanè Nabuchodonoſor ſimilis iumē-
tis inſipientibus factus eſt, ut ad meliorē mentem
reuocaretur. Aut ut nulla uideantur foris flagel-
la, tamen aculeos infigit diuinæ inſpirationis ſuæ
Deus mentibus illorum, & terret reuocatq; ex
duritia animorum eos, ad deſiderium & ſenſum
rectiſſimæ uitæ & conuerſationis, & ut ad ſu-
pernā patriam tendant. In ſex tribulatio-
nibus liberabit te, & in ſeptima non
non tanget te malum.] Sicut Moſes ſcri-
bit, [c] Deus ſex diebus compleuit opus ſuum quod
fecerat, & requieuit die ſeptimo ab uniuerſo ope-
re quod patrarat: idcirco præſentis uitæ labores
ac moleſtiæ ſiue calamitates his uerbis deſignatæ
ſunt. Et ſeptimus dies, ut eſt Sabbati, ita quidē re-
quiem & retributionem in æterna uita oſtendit.
Increpationem igitur dicit patienter ferendam:
quandoquidem Deus poſt uarios caſus & multa
pericula daturus ſit ſuis electis ſempiterna gau-
dia: quod quidē omnino fiet. Nam pios ipſos mo
do ex paternæ pietatis eruditione atterit, ut in iu-
dicio extremo transferantur ad regnum illud in
cœlis perpetuò daturum. Vnde Apoſtolis dictum
fuit: [d] Cū perſecuti uos fuerint, & dixerint omne
malum aduerſum uos, mentientes propter me, gau
dete & exultate, quoniam merces copioſa eſt in
cœlis. In fame eruet te de morte.]
Quando corpori ſuum debitum ſubtrahitur ali-
mentū, fames fit: ita ſanè fames mentis eſt, ſubtra
ctio diuini uerbi. Sic enim Propheta inquit: [e] E-
mittet Dominus famem in terram, non famem pa
nis, ſed audiendi uerbum Domini. Igitur ſi caret,
ſi deſtituitur omnino uerbo Dei, homo mortem
animæ uix euadet, niſi Dominus ſupponat manū.
unde dicebat Chriſtus tētatori ſuo: [f] Non in ſolo
pane uiuit homo: ſed in omni uerbo quod procedit
de ore Dei. Et in bello de manu gla-
dij.] Bellū patimur ſatis graue, cum à carnis no-
ſtræ tentationibus impugnamur. Sicut ergo re-
probi uerbo carentes diuino, deficiunt & oppu-
gnantur à uitijs & dæmoniorum monſtris: ita
electos ſuos Dominus uerbi ſui pabulo refectos
contra uarias tentationes fortiſſimos quaſi athle-
tas producit in arenam. Talem fecit Deus Dauid. Pſal.139.
dixit enim ille: Obūbraſti caput meum in die bel-
li. A' flagello linguæ abſconderis.]
Flagellum linguæ illatam contumeliam intellige-
re poſſumus, qua impij bonos infeſtant & perſe-
quuntur. Dauid hanc uocat linguam doloſam. Et Pſal.108. & 90.
alibi, cum uidet Deum protectorem ſuum, ait: Ipſe
liberabit me de laqueo uenantium, & à uerbo a- a Deut.32.
ſpero: id eſt, ab inſidijs & irriſionum probris. Nō
enim aduerſarius noſter Satanas niſi uarijs modis b Dan.4.
nos impugnare ſolet, donec à recta intentione nos
retrahat. Et non timebis calamitatē,
cum uenerit.] Quia ſancti uiri minimè igno-
rant Satanæ aſtutiam, ac multiformem aſſultum,
optimè ſeſe parant atq; accingunt certamini, ut i-
pſos non inermes ac deſides, ſed probè inſtructos
ac uigiles, cum uenerit, inueniat. Et iuxta Apoſto Epheſ. 6.
lum dimicant ſtrenuè, & tanquam Chriſti fortiſ-
ſimi milites cum Propheta dicunt: Dominus illu- Pſal. 26.
minatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Domi- c Gen. 2.
nus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Idcirco
ualde pia ſunt hæc Eliphæ uerba hoc ſenſu intel-
lecta. In uaſtitate & fame ridebis.]
Summa uaſtitas ac fames erit, quam patientur im
pij, cum in extremo iudicio ab æterni patris uiſio
ne ac gloria ſeparabuntur. ſicut ſcriptum eſt: Tol-
latur impius ne uideat gloriam Dei. Et quomodo
maior uaſtitas eſſe poſſet, quando cœli, ut Petrus
dicit, magno impetu tranſient, elementa uerò ca- 2. Pet. 3.
lore ſoluentur, terra autem & omnia quæ in ipſa
ſunt opera exurentur? Et quia in gehenna non e-
rit niſi fletus & ſtridor dentium: & ſummam fa-
mem atq; inediam ut patiantur neceſſe erit, quan- d Matth.5.
do illis ſuam faciem abſcondet, qui dicit: Ego ſum Ioan.6.
panis uiuus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis mandu-
cauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et hinc ri-
debunt iuſti, quia alijs abeuntibus in ignem æ-
ternum, ipſi ridebunt & lætabuntur, quia a-
deſt redemptio eorum. Videbunt iuſti, ait ſan- e Amos 8.
ctus Dauid, & ſuper eos ridebunt, & dicent: Pſal.51.
Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem
ſuum, ſed præualuit in uanitate ſua. Ridebunt,
quia audient: Venite benedicti patris mei, poſſi- Matth.25.
dete regnum uobis paratum ab origine mundi: f Matth.4.
uitam æternam & gloriam dignæ retributio-
nis. Et illi quoniam Deum timent, hic illius per-
petuæ ſecuritatis bona deguſtant: unde fit, ut
nec Satanam metuant, nec uiolentos eius impe-
tus pertimeſcant. Bene quare ſequitur: Et
beſtias terræ non formidabis.] Be-
ſtiæ dæmones ſunt, qui magna cum crudelitate
ac uiolen-

ac uiolentia rapient homines, quaſi peccare non admodum referat, deceperunt. Hinc eſt quod Pſalmiſta exorabat Dominum, dicẽs: Domine Deus meus libera me, ne quando ut leo rapiat animam meam, Pſalmo 7. Sed cum lapidibus regionum pactum tuum.] Iuxta Hieronymum, Lapides per metaphoram homines dixit ſtabiles & quietos in iuſticia & ſanctitate. Hi namq; inſtar lapidum firmi in Deo ſunt, per regiones uarias conſtituti. Sic ille. Et certè Eccleſiæ Chriſti electos lapides dici, docet Petrus ipſe, cum inquit: Vos autem tanquam lapides uiui ſuperædificamini, &c. 1. Pet. 2. Et beſtiæ terrę pacificæ erunt tibi.] Hoc eſt, malignorũ ſpirituum
a Pſal. 45. impugnationes, quas Deus ſua uirtute reprimit,
ne noceãt pijs, ipſisq; electis. Ait enim Chriſtus:
b Pſal. 131. In mundo preſſuram habebitis, in me uerò pacẽ.
c Apoc. 14. Ioan. 16. Confidite, ego uici mundum. Vel equidem mali
Rom. 7. motus carnis, quos Apoſtolus ſentiens aiebat: Video aliam legem in membris meis, repugnantem
1. Cor. 5. legi mentis meæ. Et rurſum alio loco: Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus. Etſi igitur illi motus plenè ac prorſus non edomantur, tamen uirtute ſpiritus ſancti rediguntur in ſeruitutem, ut pij non ſecundum carnem, ſed ſpiritum uiuant.
Et ſcies quòd pacem habeat taberna-
d Iob extremã illam miſeriam nõ commeruit peccatis ſuis. culum tuum.] Tabernaculum uniuſcuiuſque eſt ipſum corpus: quoniam illud inhabitat anima, menſq; diuini quoddã. Et hoc in pace eſt, cum iux-
Pſal. 4. ta Dauidem dormit ac requieſcit. Hanc pacẽ expe-
Lucæ 2. tiuit Simeon ille iuſtus, ubi dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum uerbum tuum in pace. Cupiebat enim diſſolui, & eſſe cum bonis patribus, expectantib. redemptionem à Deo promiſſam, quorum tabernacula, hoc eſt, corpora iam in pace ſepulta erant. Et uiſitans ſpeciem tuam, non peccabis.] Rectè ſpecies noſtra eſt proximus noſter: quia in illo cernimus quod ipſi ſumus. Nuncq; uiſitamus, cum eum adiuuamus ope & conſilio: uel cum ex affectu cordis ſince-
1. Cor. 9. ro, uel optima illi precamur. Talis uiſitator erat
2. Cor. 11. Paulus. ait enim: Omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrarer. Et quis infirmatur, & ego non infirmor? Et ſcies quoniam multiplex erit ſemen tuũ, & progenies tua quaſi herba terræ.] Dicit Hieronymus: Eliphas uidetur quaſi conſilium dans Iob, dicere uelle, ſi conuerſus ad Deum fueris, ita ut te tuorum operum antiquorum pœniteat, cordis tui uirtutibus uelut ſeminibus abundabis: ita ut progenies operum tuorum multitudini herbarum uireſcentium comparetur. Ingredieris in abundantia ſepulchrũ, ſicut infert aceruus tritici in tempore ſuo.] Conſummatis annis, inquit Hieronymus, profectæ ætatis, plenusq; dierũ in tumulum poſitus requieſces: ut in tempore iuſti iudicij Dei, à ſordibus peccatorum minimis & leuibus purgatus, inueniaris uelut triticum quod coaceruatur in aream. Et ualde apta eſt hæc comparatio. Frumentum enim antequam ad aream ueniat, ſolis patitur ardorem, pluuias & imbres indeſinentes percipit, uentis concutitur & tandem ad aream deductum trituratur. Haud aliter quoq; euenit hominibus in ſeculo pijs, quoniam uarias tribulationes & perſecutiones tam à ſiniſtris quàm à dextris patiuntur, donec præmia patriæ cœleſtis inueniant, ut uerè cum Propheta dicere poſſint: [a] Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Sicq; ſepulchrum æterna requies eſſe poteſt, ut idem dicit: [b] Hæc requies mea in ſeculũ ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Tunc enim, iuxta [c] Iohannem, beatis dicetur, ut requieſcant à laboribus ſuis. Ecce hoc, ut inueſtigauimus, ita eſt, quod auditum mente pertractat.] Hoc dicit, dicente Hieronymo: Quæcunque à me tibi dicta ſunt, diligenter inueſtigata noueris, quæ ipſe ad emendationem tuam debes corde percipere.

CAPVT SEXTVM.

RESpondẽs autem Iob, dixit: [d] Vtinam appenderentur peccata mea, quibus irã merui: & calamitas, quã patior, in ſtatera quaſi arena maris: hæc grauior appareret.] Exiſtimabant illi falſò, calamitatem hanc à Deo inflictam, propter mala quibus Deum offendiſſet. Quod igitur ait, Vtinam appenderentur, & cætera, perinde eſt ac ſi diceret. Putatis me peccatis meis facientibus iſta pati. propter quod uelim, ut peccata contra calamitatem hanc quam patior, penſarentur: & uideretis, quia hæc ipſa calamitas uelut arena maris ſupra horum peccatorum commerita ponderaret. Quòd ſi ergo ſolùm propter peccata hominem puniret Deus, certè fieret iſtud ſecundum quandam æqualitatem. Videmus autem ſceleratiſſimos uel nihil uel parum puniri: unde manifeſtum euadit, aliquos mala pati, exercitio patientiæ, & ut maiorem mercedem percipiant. Vnde & uerba mea dolore ſunt plena.] Non prout uos exiſtimatis, quaſi impatientiſſimus calamitatis, uerba locutus ſum illa: ſed ut oſtẽderem, maius præmium mihi paratum. & ut in hac uita nihil iucundum exiſtimo, ad aliam illam me anhe-

me anhelare. Quia ſagittæ Domini in me ſunt, quarũ indignatio ebibit ſpiritum meum.] *Animaduerſionem intelligit diuinam erga omnes homines, cum nemo mundus à ſorde, ita ut etiã iuſtus ſepties in die cadat. Eiuſmodi ſagittæ ebibunt ſpiritum hominis, quia uſq; ad intima penetrant: fitq;, ut transfixa mens perſent unde & quò lapſus ſit homo, à quanta beatitudine, ad quæ corruptionis ſuæ tormenta, donec diuinæ miſerationis medicamine uulnera ſanentur.* Et terrores Domini militant cõtra me.] *Non ſolũ Iob metuit expaueſcitq;, uidens Domini animaduerſionem, quin etiam grauiora perferenda pertimeſcat, ne ſcilicet cum exilium relinquitur, mors æterna ſubſequatur. Potuit & per terrores dæmones ipſos intelligere, qui certè acriter contra ipſum dimicarunt.* Nunquid rugiet onager, cũ habuerit herbam: aut mugiet bos, cùm ante præſepe plenũ ſteterit? Aut poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditũ? Aut poteſt aliquis guſtare, quòd guſtatum affert mortem? Animæ enim eſurienti etiam amara dulcia eſſe uidentur.] *Sicut animalia illa, inquit Hieronymus, cum uel abundant pabulis nullam querelarũ uocem emittunt, ut pabuli inopiam proteſtentur: ita ego ſi pacem et quietem haberem potius quàm bellum in membris meis, nullum ſermonem aſperum proferrẽ. Et quæ ſequuntur oſtendunt, quàm perfectus ubiq; iuſtus ac timens Deum fuerit. Sicut enim nemo cibo inſulſo delectatur, quin ipſum ſemoueat, nauſeans ſuper eo: ita ſanè beatus uir omnem abominatus eſt maliciã, & nihil impium & quod non ſummæ pietatis ſale conditum eſſet, operatus eſt. Et ut nemo, quod nouit præſentiſſimã mortem afferre, facilè guſtat: ſic Iob peccatũ animæ uenenum nunquam non pertimeſcens abhorruit.* Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.] *Hieronymus hæc uerba in hunc ferè modum interpretatus eſt: Nunc uerbis, inquit, paſcor aſperis & amaris, quæ meo ex ore repromere timebam, quando in ſanctitate et iuſticia cum pace quietè uiuebam: ita ut amicorum ſuorũ reprehenderit calumniam, & uerba iniurioſa.* Quis det, ut ueniat petitio mea: & quod expectatio, tribuat mihi Deus: et qui cœpit, ipſe me conterat? Soluat manum ſuam, & ſuccindat me?] *Vt finem pœnæ uel cruciatuum meorum remedia obtineam, ipſam ſcilicet mortem, quæ eſt ultima linea rerũ. Hoc ſolus ipſe Deus poteſt, qui uitæ & mortis poteſtatem habet: quod alibi Scriptura oſtendit, dicens: Ipſe uiuificat & mortificat, deducit ad inferos, & reducit.* 1.Reg.2. *Cumq; deſideraſſet cõteri à Deo, & ſuccidi uelut arbor de hac uita per manum ipſius, mox adiecit.* Et hęc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore, non parcat.] *Quia hic quibuſdam parcit Deus ut eos in perpetuum feriat, ideo exopto me hic feriat nõ parcendo, ut in perpetuum parcat. Ex hac afflictione cõſolor, hincq; ad ſpem ſalutis rapior. Scio enim poſt nubila Phœbum futurum, hanc triſticiam uertendam in incomparabile gaudium, quod nemo à me tollet.* Nec contradicam ſermonibus ſancti.] *Sanctus ſanctorum Deus eſt. dicit ergo: Domini uoluntas fiat, qui iuſtus ac rectus eſt, ſummeq; bonus. Hic faciat quod bonũ uideatur coram oculis ſuis, cuius equidem factis nullo modo contradicere, & de eius percuſſionibus murmurare uolo. Et ſi autem hoc facerem, certè non tam peſſimi animi eſſet, ſed fragilitatis humanæ atq; imbecillitatis noſtrorum omnium.*

Quæ eſt enim fortitudo mea, ut ſuſtineã: aut quis finis meus, ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt.] *Caro ſum infirma, etiamſi promptiſſimus ſit ſpiritus meus. Sciendum eſt, inquit Gregorius, quòd alia eſt fortitudo iuſtorum, atq; alia reproborũ. Iuſtorum hæc eſt, ut carnem uincant, & uoluptatibus proprijs non obtemperent ſiue conſentiant, delectationem huius mundi atq; præſentis uitæ illecebras extinguant, planeq; contemnant, æterna tantum amantes præmia. quibus proinde per Prophetam dicitur: Viriliter agite, & confortetur cor* Pſal.26. *ueſtrum, omnes qui ſperatis in Domino. Fortitudo uerò impiorum eſt, contra flagella conditoris perdurare pertinaciter, ab amore rerum temporalium nec aduerſitate amoueri poſſe. Ait igitur uir ſanctus: Infirmus ſum prorſus ad perferendas huius mundi illecebras, quia nihil mihi cum huius mundi delicijs: abeat mundus, & concupiſcentia eius.* Ecce non eſt auxilium mihi in me.] *Patet ex his equidem uerbis, ad cuius ſpem percuſſi Iob animus recurrat. Dixit enim carnem ſuam ſanie ac putredine uulnerum corrumpi, ſeq; maximos ſentire dolores, non tamen obinde iam dicit uinci ſpiritum ſuum. Et ſi, inquit, in me nullum mihi ſit auxilium, Deum tamen intueor ut protectorem meum, à quo tanquam omnium rerum authore dependeo: auferat qui dedit, factum eſt enim ut placuit ei.*

Et neceſſarij mei quoq; receſſerũt à me.] Magis neceſſarius amicus, dixit Plutarch⁹, quàm ignis et aqua: unde amicos ſuos Iob neceſſarios uocat, eosq; officijs amicorum haud functos oſtẽdit, eo quòd miſer ipſe ab illis inſequeretur, à quibus felix ſine cõparatione fuiſſet cultus.
Eccle.12. Ergo donec eris felix ualde incertum, ut ille dixit:
non agnoſcitur in bonis amicus, & non abſcondi-
a Iob 12. tur in malis inimicus. **Qui tollit ab amico ſuo amicitiam, timorem Domini derelinquit.**] Nouit ille amicitiam & dilectionem Deo gratam, quoniam inuicem fratres ac membra ſumus: & uerùm eſt. dixit enim Chri-
b Pſal.88. ſtus: Hoc eſt primum & magnum mandatum,
Matth.22. Diliges Dominum Deum tuum, &c. & alterum
huic ſimile: Et proximũ tuum ſicut teipſum. Quo circa nemo timet Deum, qui amicum in aduerſitate contempſerit. Miſericordia eſt (ait Hieronymus) ad miſerias eorum qui tribulantur cõpatien-
c Eccle.12. do mœrore cordis deflectu: hanc uos dum amico non impenditis, timorem Domini derelinquitis.

Fratres mei præterierunt me, ſicut torrens qui raptim tranſit in conuallibus.] Quos dixit neceſſarios, iam fratres appellat. Et bene quidem. nam omnes homines fratres ſunt, dicente Scriptura: Nunquid non pater unus omnium? Malachiæ 2. Et Eſaias unam omniũ eſſe carnem docet, cum inquit: Frange eſurienti pa-
d Pſal.36. nem tuum, & carnẽ tuam ne deſpexeris. At multi fraternitatem illam atq; charitatem non obſeruant: qui proinde haud ineptè torrenti prætereunti comparantur. Torrens namq; ex montanis ad ima defluit, ita prauorum mentes dum terrenis nimium inhiant, ſpem ſupernæ patriæ deſerunt, et eorum quæ ſurſum ſunt obliti, quaſi de montibus deſcendentes ualles petunt, & deſtituunt ope eos quos ut fraternitate ſibi iunctos nunquam derelinquere debebant. Rectè quoq; fratres uocantur, qui ex uno matris gremio per fidem prodeunt. Sed quid fit? hoc nimirum, ut licet eandem fidem retineamus, eiuſdem religionis unitate contineamur: ſimus tamen nihil minus quàm fratres.

e Pſal.48. **Qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix.**] Oſtendit uir ſanctus, eos qui ob tẽpo-
f Matth.25. ralium damnorum metum ueritatem ſeu iuſticiã
g Pſal.125. uel cæteras uirtutes prætermittunt, cœleſtis iræ
uindictam incurrere. Ergo ueritatem quiſq; liberè
Matth.10. fateri debet. ait enim Chriſtus: Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Ita quoq; qui timent ſubuenire in neceſſitate conſtitutis, ne elargitis eleemoſynis ipſi egeant, & ita epulonem illum imitantur crudelem, tandem ad æternam inediam atq; inopiam redigẽtur. Iudicium erit illi abſq; miſericordia, ait Iacobus, qui miſericordiã alteri non exhibuit atq; fecit. quam miſeriam ipſe diuitibus oſtendens, inter cætera ſic ait: Agite nunc diuites, plorate ululantes in miſerijs quæ aduenient uobis. Epulati eſtis ſuper terram, & in luxurijs enutriſtis corda ueſtra. In die occiſionis adduxiſtis, & occidiſtis iuſtum, & non reſtitit uobis. a Hoc autem modò reprehendit Iob falſos ſuos atq; fictos amicos.

Tẽpore quo fuerint diſsipati, peribunt.] Tempus illud, tempus mortis eſt, quia illa oẽs diſsipat. Quis eſt enim homo, dicit Propheta, b qui uiuet, & non uidebit mortem? Ergo fraudulenti homines illi atq; immiſericordes cum moriuntur, pereũt: quia Deus dat unicuiq; ſecundum opera eius. Sic perijt poſt mortem in æternum diues ille, quia Lazarus tantum cupiebat ſaturari de micis menſarum, & nemo illi dabat. Hinc Salomonem audiamus dicentem: c Si multis annis uixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum: qui cum uenerint, uanitatis arguẽtur præterita. **Et ut incaluerint, ſoluentur de loco ſuo.**] Metaphora eſt. ſicut enim pruina et nix à ſole irradiante diſſoluuntur: ſic illi praui homines tangente eos diuini iudicij calore ſoluuntur: id eſt, bonis his priuantur, & abripiuntur, ut nullus ſit amplius eorũ locus, dicente Propheta: d Vidi impium exaltatum, tranſiui, & ecce non erat.

Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuũ eorum.] Quia etſi deuicta una nequitia pedem leuant: regnante tamen altera, hunc in ea etiam quã deuicerant, implicant. Deinde cum culpa culpæ adiungitur, & peccata peccatis accumulantur, nihil aliud eſſe poteſt quàm greſſuum implicatio & inuolutio. **Ambulabunt in uacuum, & peribunt.**] In uacuum quidem ambulant perverſi, quia nihil ſecum de fructu operis portant. Iam alius adipiſcendis honoribus exudat, alius uerò multiplicandis facultatibus æſtuat: ſed quiſq; moriens cuncta hæc deſerit. Non enim, inquit e Propheta, deſcendet cum eo gloria ipſius: igitur in uanum laborauit. hocq; docet perapté parabola illa de f Virginibus fatuis. De iuſtis enim tantummodo ſcriptum eſt: g Venientes autem uenient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

Cõſiderate ſemitas Theman, itinera Saba, & expectate paulisper.] Vt dixit uir pius atq; ſanct⁹ amicorũ ſe cõſolatione deſtitutũ, potuiſſent obijcere illi: Nunquid nõ hic ſumus adeſſe tibi perturbato, ac nimiũ conſternato?

Idcirco

Idcirco alios alloquitur, & ait: Expectate pauliſper, ſi putatis hos adeſſe ut me miſerum ſolentur: mox uidebitis certè eos adueniſſe non alio quàm calumniandi animo, & ad increpandum, utq; duris obiurgationibus animum meum labefactarent.

Confuſi ſunt, quia ſperaui.] *Id eſt, dum à Satana inſtigati, me ſtultis increpationib. ad deſperationem flectere nequeunt, ipſi temeritatis ſuæ inſania confunduntur.* Venerunt quoqꝫ uſqꝫ ad me, & pudore cooperti ſunt. Nunc ueniſtis.] *Videntes corporis uulnera, ſed mentis conſtantiam ignorantes, increpauerunt me de iniuſticia. At pudefacti ſunt, quia ſtare animũ fortiter inter aduerſa deprehendunt. Et quoniam typum geſſit Iob omnium iuſtorum, amici ipſius erunt, iuxta* Hieronymum, *hæretici, adeoq; omnes impij, qui ſub nomine Chriſti, Chriſtum blaſphemant atq; impugnant. Sed puſillum adhuc, inquit* Propheta, [a] *& non erit peccator. quia, ut alius dicit:* [b] Omnis caro fœnum. *& omnis gloria eius ſicut flos agri. Confundentur autem & pudeſcent, quando exurget Deus in iudicio, ut diſſipentur inimici ſui. Cæterùm ſunt nonnulli qui timere Deum neſciunt, niſi cum uel in ſe experta, uel in alijs cognita aduerſitate terrentur: ex quorum ſcilicet numero amicos ſuos eſſe beatus Iob oſtendit, cum inquit:* Et modò uidentes plagam meam timetis?] *Deum meum timui, cum omnia proſperè & ex uoto ſuccedebant, & nulla ſentirem flagellorum incommoda: uos autem modò tantum formidatis eum, quia uidetis meam plagam, iſta uulnera & uerbera.* Nunquid dixi: Afferte mihi, & de ſubſtantia ueſtra donate mihi, uel liberate me de manu hoſtis, & de manu robuſtorum eruite me?] *Etſi ſumma inopia preſſus hic ſedeo, non tamen aliquid bonorum ueſtrorum peto. Manum autem hoſtis Satanæ fortitudinem uocat, & manum robuſtorum uires malignorum ſpirituum. Sunt enim illi robuſtiſſimi, quando carnis infirmitatem nullam ſibi adiunctam habent, utpote purè ſpirituales.* Docete me, & ego tacebo: & ſi quid fortè ignoraui, inſtruite me.] *Beatus Iob in amicis dura loquentibus non tantum ſubſtantiam & uires, uerumetiam ſapientiam deſpicit: ſciebat enim ſapientiam huius mundi ſtulticiam eſſe apud Deum.* Quare detraxiſtis ſermonib. ueritatis, cum è uobis nullus ſit, qui poſsit arguere me?] *Quare reprehenditis me? quæ hæc eſt ueſtra temeritas, quòd uos omni reprehẽſione digni, me inſontẽ increpatis? Quæſo quid profertis aduerſus me tam dura, ama a, et acerba uerba, cum prorſus ignoretis cauſas miſeriæ ac calamitatis meæ!* Ad increpandũ tantum eloquia cõcinnatis, & in uentum uerba profertis. Super pupillum irruitis, & ſubuertere nitimini amicũ ueſtrũ. Veruntamen quod cœpiſtis, explete. Præbete autem, & uidete an mentiar. Reſpondete obſecro abſqꝫ cõtentione: & loquentes, id quod iuſtum eſt, iudicate. Et nõ inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis ſtulticia ꝑſonabit.] *Sunt nonnulli importuni ualde, & noxij, qui etiam abſurda & peruerſa ſemper laudare conſueuerunt. Sunt deinde, qui etiam rectiſſima corripere ſolent. Et tales certè fuere illi: nam etiam haud uerentur omnem reprehendere uiri conſtantiam atq; ſanctitatem. Vnde multa uerba in uentum, id eſt, fruſtra protulerunt. Igitur rectè dictum eſt, Sapiẽs tacet uſq; ad tempus. Eſt enim tacendi, & eſt tempus loquendi. Nec enim fruſtra dixit ille: Væ mihi, quia tacui. Et ut oſtenderet Iob ſe iniuſtè ab eis malam increpationem eam pati, amicum ſe dicit eorum. Deinde ut inſinuaret ſe patientiſſimum laboris et moleſtiarum eſſe, iubet ſi quid cœperint, explere. Et ut probè ipſius uerba percipiantur, monet quo non nil lati ac timidi contendant, ſed loquentes iuſta, hoc ipſum quod iuſtum eſt iudicent: tum quidem fieri, ut nihil horum eſſe conſpiciant quæ improperauerint ei. Et non inuenietis, inquit, in lingua mea iniquitatem & ſtulticiam.*

a Pſal. 36.
b Eſaiæ 40.
Eccle. 3.
Eſaiæ 6.

CAPVT SEPTIMVM.

Militia eſt uita hominis ſuper terram.] *Veriſſimũ eſt hoc. nam continuũ bellum gerimus, quamdiu ſumus in hoc corpore: caro enim, dicente Apoſtolo, cõcupiſcit aduerſus ſpiritũ, et econtrà. Hinc de ſeipſo dicit: Video aliã legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c. Deinde, ut idem dicit, eſt nobis colluctandum aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, cõtra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Et ſicut dies mercenarij dies eius.] *Dies ſuos citiꝰ euolui mercenarius exoptat, ut laboris ſui præmiũ accipiat: ſic quoque pij ac iuſti, quia ſapiunt uera & æterna, cupiunt adeſſe finem laborum ſuorum: cupiunt diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Scimus, inquit Apoſtolus, quoniã ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domũ non manu factã, ſed æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiſcimus habi-*

Homo bulla, ideo pœnitendum de peccatis.
Galat. 5.
Rom. 7.
2. Cor. 5.

tationem noſtram quæ de cœlo eſt, ſuperindui cu pientes. Et rectè piorum dies diebus mercenarij comparantur. Nam ut mercenarius exit ad laborandũ à mane uſq; ad ueſperam ſpe mercedis ſuæ:

a 1 Theſ.4. ita ſanè pij nunquam ceſſant operari bonum, pro-

Galat.6. pter promiſſam uitam æternam. Bonum facietes, dicit Apoſtolus, nõ deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes. Et ut alios ad operandũ

2.Tim.4. extimularet, ad Timotheũ ſcribẽs, ſic dixit: Curſum conſummaui, iam autem repoſita eſt mihi corona iuſticiæ, quam reddet mihi iuſtus iudex: nõ ſolum autem mihi, ſed & ijs qui diligunt aduentũ eius. Hic ergo ex conſcientia bonæ uitæ, ſancti uiri confidenter expectant præmium retributionis æternæ. quare etiam grauiſſima ferunt, dicen-

Pſal.43. tes: Domine Deus, propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus uelut oues occiſionis. Sicut ceruus deſiderat umbrã.] Ceruus in æſtu, & maximè ſolis caloribus, umbram nactus reſpirat ac refocillatur: ſic quoq; poſt hanc uitam ſerui iuſticiæ ſub æterni refrigerij umbra

Pſal.41. reficiuntur. Hinc dixit Propheta: Sitiuit anima mea ad Deum fontem: quando ueniam, & apparebo ante faciem Domini? Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Et ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui: ſic & ego habui menſes uacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi.] Vt modò dictum eſt, merces laborẽ mitigat, & quod graue eſt ex opere leue fit, extremum ratione: ita quoq; dum mundi huius aduerſa ſancti Dei homines patiuntur, certè grauiſſima ipſis eſſe ſentiunt: quis enim malis non afficeretur? ſed quàm primum ad finem mentis oculos attollunt, non impatienter ſed cum gaudio ſuſtinent. Sic ergo ſcriptum

Actor.5. eſt de Apoſtolis, quòd gaudentes iuerint à conſpectu concilij: quoniam digni habiti eſſent contumeliam pati pro nomine Ieſu. Et Apoſtolus omnes uerè Chriſtianos inſtruens ac docens: Ipſe ſpiritus, dicit, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd

Rom.8. ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut conglorificemur. Cæterùm oſtendit uir pius, ſe mercedem illam copioſam hactenus præſtolatum, & propterea nec per noctem quietum fuiſſe. Per hæc quoq; uerba animus dolentis exprimitur, quomodo ſcilicet per diuerſos motus deſiderij mœſticia impellente uariatur.

b Ioan.9. Si dormiero, dicam quando conſurgam, & rurſum expectabo ueſperam, & replebor doloribus uſque ad tenebras.] Maximos dicit ſuos cruciatus. Niſi enim grauiſſimæ ipſius fuiſſent afflictiones, tantus uir non extitiſſet. Poſſunt & hæc de dormitione omnium hominum intelligi, qui utiq; conſurgent: unde dormientes eos Apoſtolus uocat [a]: & ueſpera erit uita æterna, ubi omnes denarium accipient, & ſinguli. Et iam replentur doloribus, quia bonorum uita ſemper interna externaq; afflictione plena eſt, uſq; ad tenebras, id eſt, mortem: ſiquidem illa omnia ſoluit: unde eam poeta dicit ultimam lineam rerum. Iuſti autem poſt has tenebras lucem habent, hoc eſt, ſalutis ſecuritatẽ.

Induta eſt caro mea putredine, & ſordibus pulueris: cutis mea aruit, & contracta eſt.] Hoc etiam, ait Hieronymus, pertinebat ad tormentorum dolorem, ut ſanies quæ de putredine feruentium uulnerũ diflue bat, ſordibus infuſa puluer is cutem eius exiccaret atq; contraheret. Dies mei uelocius tranſierunt, quàm à texente tela ſucciditur.] Congrua ſimilitudine hominem bullam, ut dicitur, eſſe oſtendit: quia ſicut tela filis, ſic uita mortalis diebus ſingulis proficit: & ut ſtatim ſuccidit ur quod magno labore effectũ eſt, ita homo dicto citius cadit. Veteres, ut apud poetas uidere eſt, uitæ hominum tres deas præeſſe, & nendo eam ducere uoluerunt: Atropon, Clothon, & Lacheſin: quarum Atropos immutabilis dicitur, & inexorabilis, eo quòd humanam finiat uitam.

Et conſumpti ſunt abſq; ulla ſpe.] Sanè uita indeſinenter labitur, nec ulla ſpes redeundi eſſe poteſt: ſicut fluit aqua, & non reuertitur, ita tempora labuntur, tacitiſq; ſeneſcimus annis. Memento, quia uentus eſt uita mea.] Hi etenim qui uitam hanc quaſi permanentẽ diligunt, quanta ſit æternitas, quantũq; bonum in cœlis non attendunt: putant igitur exilium patriam, & tenebras lucem eſſe. Pij autem homines ad æterna corda eleuantes, quàm breue ſit huius uitæ tempus perpendunt. Idcirco beatus Iob apoſtrophen facit ad creatorem ſuum & authorem uitæ, ac dicit: Tranſeuntem uitam uelociter benignus reſpice ô Deus, foue me tua gratia ac miſeratione: quid enim aliud eſt uita mea quàm uapor, quàm motus mox nullubi apparens? Et non reuertetur oculus meus, ut uideat bona.] Ad uidenda bona extincti oculus non reuertitur, quia ad exhibenda recta opera anima exuta carne non redit. Venit nox, inquit Chriſtus, quãdo nemo operari poteſt.[b] Hinc certè diues ille quem inferni flãma cruciabat, & ſi petijt ut poſſet redire ad fratres ſuos, quib. indicaret mores in melius eſſe mutãdos: nõ tamẽ hoc ipſum impetrauit.

impetrauit. Ergo Salomonis conſilio acquieſcendum erit: [a] *Quod manus tua, ait, poteſt, inſtanter operare: quia nec opus nec ratio, nec ſcientia nec ſapientia erit apud inferos, quò tu properas.*

Nec aſpiciet me uiſus hominis.] *Viſos fuiſſe uita functos mortuo iam Chriſto, Euangeliſta Matthæus* [b] *ſcribit. At miraculoſè id factũ eſſe uolunt ad futuræ reſurrectionis indicium, & ut oſtenderent Dominum reſurgentem. Iam autẽ nullibi uideri poſſunt ſpiritus defunctorum, quia in ſuis reſeruãtur locis, unde ſponte redire nõ poſſunt, ſed expectãt terribilẽ illum diem iudicij. Sic enim docẽt ac uolunt Chryſoſtomus* [c] *atq; Aug. Poteſt etiã uiſus hominis miſericordia redemptoris eſſe. Vir igitur ſanctus humani generis damna conſiderans, quòd à præſenti ſeculo ſine redemptoris cognitione ſubtraherentur in nunquam deſituras pœnas: Non aſpiciet, dicit, me uiſus hominis.* **Oculi tui in me, & nõ ſubſiſtã.**] *Intuetur potentiam magnitudinis diuinæ, conſiderans quòd etiam qui ſancti uidentur, magno reatu propriæ infirmitatis conſtructi ſunt, & perituri, ſi remota pietate iudicentur.* **Sicut conſumitur nubes, & pertranſit: ſic qui deſcendit ad inferos, non aſcendet, nec reuertetur ultrà in domum ſuam, nec cognoſcet eum amplius locus eius.**] *Nubes uento ad pertranſeundum impellitur, calore quoq; ſolis dißipatur, & euaneſcit: ita impij tolluntur atq; traduntur ultricibus flammis, nec reuocantur ut ad ædes ſuas ueniant: quia in inferno nulla eſt redemptio. In inferno, inquit Dauid,* [d] *quis confitebitur? oſtendens damnatorum ſempiternos cruciatus: quos quia culpa ad interitũ pertraxit, miſericordia ad ueniam nunquam reducat. Neq; cognoſcet impium locus eius, quia ipſe conditor diſtrictusq; arbiter ad iudiciũ ueniens, in iniquitatib. obduratis dicturus eſt* [e]*: Neſcio uos unde ſitis.* **Quapropter & ego non parcã ori meo.**] *Ori ſuo non parcit, qui malum quod fecit, cõfiteri non erubeſcit. Qui, inquit Salomon,* [f] *abſcondet ſcelera ſua, nõ dirigetur: qui autẽ confeſſus fuerit, & dereliquerit ea, miſericordiam cõſequetur.* [g] *Et diuus Apoſtolus: Si noſmetipſos, ait, iudicaremus, nõ utiq; iudicaremur.* **Loquar in tribulatione ſpiritus mei.**] *Sæpe etiã impij peccata ſua confitentur,* [h] *ut Cain qui dixit: Maior eſt iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. pœnituit quidem ipſum fratricidij, ſed non uerè et ex animo.* [i] *Et Iudas protectus in templum triginta argenteis, liberè faſſus eſt ſe ſanguinem tradidiſſe iuſtum. At ut ficta ac deſperationi proxima fuit ipſius pœnitentia: ita abijt, & laqueo ſe ſuſpendit. Meritò itaq; ac rectè dicit uir ſanctus, Loquar in tribulatione ſpiritus mei: oſtendens, ſe propter peccata tribulari, & culpas ſuas deflere, ea ſpe ut ueniam & miſericordiam conſequi poßit: ſiquidem cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet.*

a Eccl.9.

Confabulabor cum amaritudine animæ meæ.] *Afflicta mens, & ſua ſollicitè uitæ damna cogitans, occulta ſe increpatione dilaniat: quia Deus ſtat ad oſtium, ut in Apocalypſi ſcriptum eſt, atq; pulſat: id eſt, diuina inſpiratione ſua cor hominis percellit: & afflictus animus reputat ſecum uaria dona Dei, nec non quàm gratus homo ipſi Deo, pro ijs acceptis eſſe deberet. Verùm hoc uſq; adeò non præſtari, ut etiam Dominum Deum ſuum malis operibus, & innumeris peccatis offendat.*

b Matth.27.

Apoc.3.

c Vide Chryſoſtomum de diuite & Lazaro.

Nunquid mare ego ſum, aut cetus, quia circumdediſti me carcere?] *Per mare nil uerius intellexit, quàm corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuoſa: & ceti nomine hoſtem antiquum, qui dum mentes hominum penetrat, quaſi in eorum lubrica cogitatione natat. Ait ergo ſanctus uir: Ah Domine mi, iniqui, eorũq; author malignus ſpiritus, qui effrenari ad ſolam perpetrandæ iniquitatis licentiam appetunt, rectè pœnæ ſuæ carcere conſtringuntur. Ego autem cur premor carcere corruptionis, qui æternitatis tuæ libertatem deſidero, & arcana cœleſtium bonorum, ad quæ quotidie ſummo animi ardore anhelo, ibi iam planè ſatiari concupiſcens? Quod tamen nec à iuſtis ſuperbè requiritur, quia faciunt hoc amore ueritatis accenſi. Verùm differt hæc Deus electorum ſuorum aliquando uota, ut cruciatibus purgati, quod deſiderant percipiant melius atq; perfectius.*

d Pſal.6.

Si dixero, Conſolabitur me lectulus meus, & teleuabor loquens mecum in ſtratu meo: terrebis me per ſomnia, & per uiſiones horrore concuties.] *Lectulus ſecretũ cordis eſt. Hinc de iuſtis per Pſalmiſtam dicitur: Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis: hoc eſt, cum mala fugiunt, ſecuri intra mentium ſecreta gloriantur. Quid uerò hoc loco ſomnia uel uiſiones ſunt? Imagines ſcilicet ultimi diſtrictiq; iudicij. Sancti igitur uiri ad cordis ſecreta, ut diximus, ſemper redeunt, utcunq; alea cadat: ſed dum quibuſdam imaginationibus cogitationum quàm ſint ſubtilia diuina iudicia conſpiciunt, quaſi in ipſa ſtratus requie ſomnij uiſione turbantur. Nam penſant, quantum ſit in conſpectu angelorum & archangelorum confundi. Item*

e Matth.7. & 25.

Pſal.149.

f Prou.28.

g 2.Cor.11.

h Geneſ.4.

i Matth.27.

qui poſt confuſionem cruciatus maneant, ubi, ut ſcriptum eſt, Vermis eorum non morietur, & indeſinenter deſinentem carnem gehenna conſuma
a Rom. 13. *bit. Diuus Hieronymus putat hoc de dæmonibus intelligendum eſſe, qui ei toruis uultibus, & minacibus ſine dubio apparuerint in ſomnis, ut inſolitæ uiſionis horrore excuteretur.* Quamobrem elegit ſuſpendium anima mea, et mortem oſſa mea.] *Sancti uiri certiſſimè ſciunt, quia in hac uita requiem nequaquam habere poſſunt: idcirco ſuſpendium eligunt, quia deſi*
b 3. Reg. 11. *deria terrena deferentes ad alta & cœleſtia animum tollunt, ubi uera eſt ſalus, & in æternum requies ſanctorum. Hunc in modum animam ſuam*
Philip. 3. *ſuſpendit Paulus. dixit enim: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt, unde etiam Saluatorem expectamus*
c 2. Cor. 12. *Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.*
d Galat. 6. *Et oſſibus mortem exoptat, ut qui ſciret oſſa requiem habitura, donec in illa ſpiritũ mittat Deus ut reuiuiſcant.* Deſperaui. nequaquã ultrà iam uiuam.] *Abſit ut uir ſanctus de diuinæ miſericordiæ largitate deſperet. Deſperauit ergo, quia præſentis uitæ bona æternitatis electione deſeruit, & dum in rebus temporalibus fiduciam nullam habuit, ſed terrenis omnino abdicauit uoluptatibus, mãſura quæſiuit. Et talem deſperationem exigit Chriſtus ab omnibus diſcipu*
Lucæ 14. *lis. dicit enim: Niſi quis renunciauerit omnib. quæ poßidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quomodo autem illi ultrò non uiuant, docet Paulus, cum*
Galat. 2. *inquit: Viuo autem iam non ego, uiuit uerò in me*
Coloſ. 3. *Chriſtus. Et alio loco: Mortui eſtis, dicit, & uita ueſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*

Parce mihi Domine: nihil enim ſunt dies mei.] *Tanquã ſi diceret: In hoc tempore pœnitentem ſuſcipe, & obſecranti pro hoc delicto eſto placabilis, ſubtrahendo me de præſenti miſeria, nihil enim ſunt dies mei.* Quid eſt homo, quia magnificas eum?] *Magni*
Pſal. 8. *ficatur homo ſpirituali munere. Minuiſti, inquit Propheta, eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Poſtquam autem tranſgreſſus eſt Dei ſui legem, factus eſt caro, hoc eſt*
e Matth. 6. *fragilis: ſpiritus uadens, & non rediens. Vnde et*
f 2. Cor. 6. *nunc quoq; omnes homines à natura proni ſunt ad malum. Quid igitur ait?* Aut quid apponis erga eum cor tuum?] *Quia poſt dona iudicium exeris uitam, ac opera uehementer examinas, tanto diſtrictius ab eo pòſt pœnas exacturus, quanto largius huic munera impendiſti.*

Viſitas eũ diluculo, & ſubitò probas illum.] *Cum corda hominum iuſticiæ fulgor illuminat, noctis diluculum dicitur. De hoc loquitur Paulus, cum ait:*[a] *Nox præceßit, dies aũt appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis. Fit igitur, ut erroris noſtri tenebræ luce diuinæ cognitionis illuſtrentur. Sed ſubitò probat eas uerus ille illuſtrator hominum. Nam ut accendens corda hominum ad uirtutes prouehit, ita recedit, & hominem tentatione concuti permittit: ut uidere eſt in Salomone,*[b] *qui poſt diuinitùs acceptam ſapientiam turpium mulierum certamina pertulit, & minimè tentatus perſtitit, quia amore illarũ deceptus Moloch dæmonium ueneratus eſt. Et Paulus in tertium cœlum rapitur quidem, at mox datur ei ſtimulus carnis: pro quo ut rogat, audit,*[c] *Sufficit tibi gratia mea. Itaq; uicit, & ſic quidem, ut liberè dixerit ille:*[d] *Mihi crucifixus eſt mundus, & ego mundo.*

Vſquequò non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam ſaliuam meã?] *Hoc eſt, quare non me ad perfectionem tuæ contemplationis admittis, ut claritatem tuam uideam? Quare non permittis, ut ſaporem diuinæ dulcedinis guſtem, et illa ſatiar in regno beatitudinis tuæ? Cupio diſſolui, & rapi in ſinum Abrahæ, Iſaac et Iacob, piiſſimorum parentum meorum.* Peccaui: quid faciam tibi, ô cuſtos hominum?] *Fatetur malũ quod fecit, ſed bonũ quod Deo in recompenſationem debeat offerre non inuenit: quia ad abluendam culpam quælibet humanæ actionis uirtus infirma eſt, niſi hanc miſericordia parcentis foueat, ut non iuſticia rectè iudicantis premat: uel certè oſtendit, quòd hæc ipſa bona quæ agere debemus, non Deo, ſed nobis proſunt: quoniam iuxta Dauidem, Deus bonorum noſtrorũ non eget. Rectè aũt Deum hominũ cuſtodem uocat: quia niſi ipſe nos cuſtodierit, noſtra ſollicitudine hoſtis inſidias haud effugimus. Idcirco dixit ille: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilat qui cuſtodit eam.* Quare me poſuiſti contrariũ tibi?] *Tunc ſibi cõtrarium Deus poſuit hominem, cum homo peccãdo Deum dereliquit: ſerpentis quippe perſuaſione captus, hoſtis factus eſt Dei, cuius præcepta contempſit. Hinc Chriſtus apertiſſimè dixit:*[e] *Nemo poteſt duob. Dominis ſeruire. Et Paulus:*[f] *Nulla, inquit, eſt conuentio Chriſti ad Belial.* Et factus ſum mihimetipſi grauis.] *Repulſus homo, & in carne & in mẽte grauiſſimũ põdus portat, undiq; languorib. premitur, undiq; infirmitatibus urgetur. quod malũ hominis cũ contẽplaretur*

Sapiens,

Sapiens,dixit [a]:*Graue iugum ſuper filios Adam,à die exitus de uentre matris eorum, uſq; ad diem ſepulturæ in matrem omnium. Et beatus Iob non iuſticiam arguit, ſed miſericordiam inquirit ipſius Dei, qui non uult ut homo pereat,ſed ueniat ad agnitionem ueritatis,& fiat ſaluus.* Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?] *Tu Domine Deus patrum noſtrorum,Abraham dixiſti,In ſemine tuo benedicentur omnes gentes:ergo omnes propter peccata maledicti ſumus. cur igitur non mittis illud ſemen benedictum, ad auferenda peccata noſtra? Et quis eſt qui faciat bonum,quum omnium iuſticiæ ſint tanquam pannus menſtruatæ mulieris, & impoſsibile ſit taurorum et hircorum ſanguine peccata auferri: nemo erit quàm redemptor ille,quem miſſurus es. Hic eſt autem Chriſtus Ieſus, quem digito demonſtrans ſanctus uir ille Ioannes,dixit [c]: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: uel certè ab humano genere peccatum tum plenè tollitur, cum per incorruptionis gloriam noſtra corruptio permutatur. Eſſe nanq; à culpa liberi nequaquam poſſumus, quamdiu in corpore mortis tenemur.* Ecce nunc in puluere dormiam, & ſi mane me quæſieris,non ſubſiſtam.] *Peccanti primo homini dictum eſt:Puluis es [d], & in puluerem reuerteris.perinde eſt igitur ac ſi diceret: Mortē carnis pati neceſſe eſt iuxta omnium hominum unam eandemq; conditionem: omnibus ſiquidem hominibus ſtatutum eſt ſemel mori. Verùm cum in die iudicij quæſieris me, id eſt, diſtrictè diſcutiendo iudicabis,certè non ſubſiſtam: quantalibet enim iuſticia polleat homo,nequaquam tamen ſufficit,ſi diſtrictè requiratur. Quamobrem optimè dictum eſt: [e] Beatus uir qui timet Dominum, in mandatis eius uolet nimis. Et, [f] Beati immaculati in uia,qui ambulant in lege Domini.*

CAPVT OCTAVVM.

Reſpondens autem [g] Baldath Suites dixit: Vſquequò loqueris talia, & ſpiritus multiplex ſermonis oris tui? Nunquid Deus ſupplantat iudicium? aut omnipotens ſubuertit, quod eſt iuſtum?] *Quales ſint proceres & iniuſti, hic apertè uidere eſt.Nam iactanter illi uerba proferunt,ut docti uideantur:& diuinæ iuſticiæ rectitudinem laudant, cum ſe conſpiciunt rerum proſperitate perfrui, alios autem aduerſitate fatigari,peruerſè agunt,tamen ſe rectos arbitrantur,eoq; colligunt,quòd Deus iniuſtè non iudicat,quòd quaſi iuſtos ſe aduerſitas nulla contriſtat. Sed ut arundines ſunt hinc inde mouendi,ita pulſati protinus conſilium diuini examinis increpant: de quorum ficta ac uana iactantia propterea rectè dictum eſt, Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Etiamſi filij tui peccauerunt ei,& dimiſit eos in manu iniquitatis ſuæ:tu tamen ſi diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, ſi mūdus & rectus inceſſeris,ſtatim euigilabit ad te.] *Filij tui,inquit,facientes mala dimiſſi ſunt à Deo, et perierunt: tu uerò iam iacens in ſtulticiæ cæcitate, ſi in agnitionem diuinæ iuſticiæ conſurrexeris, & pro tuis erroribus & delictis Deum qui omnia poteſt concedere,fueris deprecatus, ſi mundus & rectus inceſſeris, in cognitione uidelicet & in opere: Deus, qui quaſi modò dormire uidetur,non audiendo tuas deprecationes,nec uidendo te,quia nunc tribulationibus tuis uirtutem protectionis ſuæ non exerit, confeſtim euigilabit ad te,& ad præparandam felicitatem tuam inſtabit.*

Et pacatum reddet habitaculū iuſticiæ tuæ, in tantum, ut ſi priora tua fuerint parua, & nouiſsima tua multiplicentur nimis.] *Id eſt, præſentis uitæ cōtrarietates amouebit,& præbebit ſummam tranquillitatem,in tantum,ut ſi priora tua fuerint parua,nouiſsima tua multiplicentur nimis. Si ad Deū conuerſus fueris ab iniquitatibus, propter quas nunc pœnas pateris: tanta continuò eius erit gratia, ut ad comparationem nouiſsimorum bonorū tuorum,quæ tibi ſubitò poterit compenſare,priora ſatis parua et minima reputentur.Et quòd Deus peccatoribus reſipiſcentibus & conuerſis gratiā atq; bona exhibeat, benignè parabola illa de filio prodigo doceri poterit,quē pater obuijs ulnis excipiens reſtituit loco ſuo.* Interroga enim generationem priſtinam, & diligenter inueſtiga patrum memoriam. Heſterni quippe ſumus: & ignoramus, quoniam ſicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terrā,ipſi docebunt te. Loquentur tibi, & de corde ſuo proferent eloquia.] *Admonet intuendam antiquorum patrum exempla, ad inſinuandam huius uitæ inſtabilitatem. Igitur hoc eſt dicere: Quia nos heſterni ſumus,interroga antiquos,& inuenies alios in diluuio, alios in Sodoma ſiue in diuerſis locis pro peccatis ſuis diuerſas accepiſſe ſententias.* Nunqd uiuere poteſt ſcirpus abſque humore, aut creſcere carectum ſine aqua? Cum adhuc ſit in flore, nec carpa-

a Eccl.40.
Pſal.42.
b Gen.22.
c Ioan.1.
d Geneſ.3.
Lucæ 15.
e Pſal.111.
f Pſal.118.
g Obliuiſcentes Deum, flagella non euadent.
Gen.7.& 19.

tur manu, ante omnes herbas areſcit:
ſic uiæ omniũ qui obliuiſcuntur Deũ,
& ſpes hypocritæ peribit.] *Mira quædã
& fortia dicit: ſed hæc ſtultis, non ſapienti, prauis,
& non recto. Signat autem hypocritarum uitam.
Quemadmodũ enim iuſtorum bona quia ex cor-
de incipiunt, uſq; ad præſentis uitæ terminum cre
ſcunt: ita hypocritarum citò ſiccantur. Nam &
ſi omnium hominum opera cum carnis uita defi-*
Ioan.9. *ciunt, dicente Chriſto: ipſorum tamen opera ci-*
Pſal.128. *tiſſimè creſcunt. dicit enim Pſalmiſta: Fiant ſicut
fœnum, quòd priuſquam euellatur exaruit. Quid
enim hypocritæ, et omnes qui obliuiſcuntur Deũ,
in cunctis operibus ſuis ſperãt, quàm honoris re-
uerentiam, laudis gloriam mereri, & omnino au-
ram popularem captare, & ab omnibus ſanctus
uocari? At hæc omnia dicto citius euaneſcunt, &
finem uerum non conſequuntur, ipſa ueritate di-*
Matth.6. *cente: Amen dico uobis, receperunt mercedem
ſuam.* Non ei placebit uecordia ſua.]
*Qui pro uirtute quam agit, humanos fauores de-
ſiderat, rem magnam uili precio uendit: quia mer-
cedem illam copioſam in cœlis non accipiet. Hinc
certè, cũ tempus retributionis aduenit, hæc quæ
modò placet uecordia, inſania ipſi uidebitur, et di-*
a Matth.7. *ſplicebit. Sapientiæ.5.* Sicut tela aranearũ
fiducia eius.] *Tela ab araneis ſtudioſè texi-*
b 2.Cor.1. *tur, ſed ſubitò uenti flatu diſſipatur: ſic quicquid
hypocrita cum labore peragit, aura humani fauo*
c Matth.5. *ris tollit.* Innitetur ſuper domũ ſuam,
& non ſtabit.] *Domus noſtræ cogitationes
ſunt, et res quæ à nobis quæruntur ac diliguntur:
omne quippe quod diligimus, quaſi in hoc quieſcen
tes habitamus. Vnde diuus Apoſtolus, quia in ſu-
pernis cor ſuum fixerat, etſi in terris uerſaretur,*
Philip.3. *tamen dicebat: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.*
d Ezech.36. *Qui ergo in his rebus cõfidunt, non ſtabunt qui-
dem, quia cum uita hac prætereunt: cadet enim
omnis ſuperbia, quia omnis caro fœnum.* Ful-
ciet eam, & non conſurget.] *Cum mali
ac impij hypocritæ conſpicient uitam ſuam in ex-
tremo iudicio labefactari, operum enumeratione
eam tanquam domum fulcire contendent: at fru-*
Matth.7. *ſtra. Sic enim dicit Dominus: Multi dicturi ſunt
mihi in illa die, Domine Domine, non'ne in nomi-
ne tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, &
multas uirtutes fecimus? & tunc confitebor illis,
quia nunquam noui uos. Diſcedite à me omnes qui
operamini iniquitatem.* Humectus uide-
tur antequam ueniat ſol.] *Per ſolem nõ-
nunquam Deum ipſum intelligimus, ut in Mala-*
Malac.4. *chia, ubi dicitur: Vobis autem qui timetis nomen
Domini, orietur Sol iuſtitiæ: id eſt Chriſtus. Modò igitur iniuſti quodammodo uirent. nam ut iuſti æſtimati honoris locum obtinent, & à cunctis uenerantur, ſed cum diſtrictus iudex apparebit, tum certè manifeſtum fiet, quàm iniqui fuerint. Tunc enim manifeſta erunt abſcondita cordis.* Et in horto ſuo germẽ eius egredietur.] *Felicitatem dicit proſperantis hominis, ut diuus aſſerit Hieronymus, qui cum æſtu tribulationis fuerit percuſſus, aduerſitatibus frangitur, & omnis uigor priſtinæ eius lætitiæ conſumptus triſtitia exiccatur. Cum exorti fuerint peccatores, dicit Propheta. ac perinde eſt ac ſi diceret: In principio felicitatis ſuæ peccatores proſperè agere uidentur, ſed non permanent, quemadmodum nec emerſæ herbæ adueniente caumate.* Super aceruum petrarum radices eius denſabuntur.] *Radices ſunt latentes cogitationes, quæ in occulto prodeunt, ſed in oſtenſione operũ apertè ſurgunt. Quòd igitur Propheta dicit, Quod ſaluatum fuerit de domo Iuda, & quòd reliquum eſt, mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum: de ſanctis ac pijs hominibus intelligi poterit, quorum cogitationes bonæ in abditis multiplicantur, & rectè cogitata per efficaciam operis oſtendũtur. Hinc Dominus* [a] *docens bonũ operari: Neſciat, inqt, ſiniſtra tua quid faciat dextra tua. Et Apoſtol' dicit* [b]*: Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Quòd autem alio loco Chriſtus noſtra opera bona uult uideri ab hominibus, ſequentia uerba explanant, nimirum ut cæteri glorificent patrem qui in cœlis eſt.* Et inter lapides cõmorabitur.] *Metaphoricôs lapides homines duri & infideles intelligi poſſunt, quemadmodum & apud Prophetam habemus, ubi dicit in perſona Dei: Auferam à uobis cor lapideum, & dabo uobis cor carneum. Inter illos autem homines hypocrita commoratur, ſiquidem uitæ ſimilitudine ipſis coæqualis eſt, qui Deum ſicut ſtolida metalla, ſic enim loquitur Hieronymus, non ſentiunt.* Si abſorbuerit eum de loco ſuo, negabit eum, & dicet: Non noui te.] *De loco ſuo impius hypocrita abſorbetur, cũ à præſentis uitæ delicijs morte ſeparatur. Quia hominis locus, ut Hieronymus ſcribit, dici poteſt qualitas conuerſationis, ubi uel uitæ genere, uel mente ipſe conſiſtit: id eſt, diſciplina uel gratia (hæc enim ſunt uerba Hieronymi) quam accepit aut elegit ſectari. Et quis abſorbebit eum? Nimirum is qui probat corda & renes, & coram cuius oculis omnia nuda et aperta ſunt. Et ille indignus conſpectu Dei negabitur, id eſt,*

ad loca

ad loca ſqualida inferorum trans feretur. Hæc eſt enim lęticia eius uitę, ut rurſum de terra alij germinentur.] Ironicôs dictum uidetur Hieronymo, ac ſi dixiſſet: Dum uixit, gaudio perfuſus eſt ſummo: iam autē ad ærumnas perpetuas ueniet, Sapien. 5. Non ſolùm autem ob propriam torquebitur iniquitatem, uerumetiam quia alijs interfuit malis & peruerſis operibus.

Deus non projciet ſimplicem, nec porriget manum malignis.][a] Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, dixit Chriſtus diſcipulis ſuis. ergo nō projcientur qui in innocentia & ſimplicitate ambulāt, à conſpectu Dei: imò ipſorum eſt regnum cœlorum. Malignus autem non porriget Deus manum, quia in imo eos derelinquet. Sic enim Scriptura de diuite illo[b] teſtatur, quòd clamarit quidē, Pater Abraham: at reſponſum acceperit, Eſt magnū chaos inter nos & uos, &c. Donec impleatur os tuum riſu, & labia tua iubilo.] Os iuſtorum riſu replebitur, cum eorum corda, finitis peregrinationum fletibus, æternæ læticiæ exultatione ſatiabuntur, de quo nimirum Apoſtolis dictum eſt: [c] Mundus gaudebit, uos autem contriſtabimini: ſed triſticia ueſtra uertetur in gaudium. In riſu, ait Hieronymus, lætitiam cordis intellige, in iubilo uocem exultantis aduerte.

Qui oderunt te, induentur confuſione.] Quanta confuſio omnium damnatorū ſit futura, uel ipſe Sapiens[d] ſatis docet. Videbūt enim illi eum à cuius facie abſcondi poſſe uellent. unde et dicent, ut in Apocalypſi[e] ſcribitur, montibus & petris: Cadite ſuper nos, et abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, et ab ira agni, &c.

Et tabernaculum impiorum non ſubſiſtet.] Iniuſti quanto longius ab æternæ patriæ hæreditate diuiſi ſunt, tanto in terra altius fundamēta figunt. ut diues ille, qui dicebat: Habes anima, multa bona repoſita in annos multos, ede, bibe, &c. at ſtatim dictum fuit illi: Stulte, hac nocte repetent abs te animam tuam, quæ autem congregaſti cuius erunt? Sic impiorum gloria & diuitiæ cadunt.

CAPVT NONVM.

RESpondens Iob, ait: Verè ſcio quòd ita ſit, & quòd non iuſtificetur homo cōpoſitus.[f] Deo Si uoluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unū pro mille.] Noli exiſtimare, quòd ego cogitarim unquam Deum ſupplantare iudiciū, & ſubuertere quod iuſtū eſt. Hoc aūt dico, quòd creatura creatori ſuo in nullo poſſit penitus cōparari: & ſi uoluerit de diuina iuſticia cōtendere, quis eum planè inſanū eſſe negabit? quia minimi quidē, quod facit Deus, rationē nō reddet. Sapiens corde eſt, & fortis robore.] Quis eſt, ait ille, ſicut Deus noſter? quaſi diceret, nemo: cuius ſapientiæ dum numerus nullus eſt, à nobis nec falli nec uitari poteſt. Quis reſtitit ei, & pacem habuit? Qui trāſtulit montes, & neſcierunt hi quos ſubuertit in furore ſuo. Qui commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius cōcutiuntur. Qui præcipit ſoli, & nō oritur: & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo. Qui extēdit cœlos ſolus, & graditur ſup fluctus maris. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora auſtri.

a Matth. 10.

Qui facit magna, & incōprehenſibilia, & mirabilia quorū nō eſt numerus. Si uenerit ad me, nō uidebo eum: ſi abierit, nō intelligam. Si repentè interroget, quis reſpondebit ei? Vel quis dicere ei poteſt, cur ita facis?] Bellum (ueteres dixere) geritur, ut pax acquiratur. Qui autem cœlo bellum infert, nunquam quietus erit. Ita enim accidiſſe ſpiritibus præclariſſimis, quis ignorat? Quia enim rebelles fuere, in infernum detruſi ſunt, ubi nulla pax, ſed ſempiternus horror inhabitat. Deus cuius iræ nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curuātur qui portant orbem.] Sanctus Dominus Deus Sabaoth, facit magna & incomprehēſibilia. Et nemo poteſt dicere, Cur ita facis? cuius diuinitatis celſitudinem angeli ſubleuati quamuis uideant, plenè tamen maieſtatis potentiā minimè comprehendunt.

b Lucæ 16.

c Ioan. 16.

Eſaiæ 13.

d Sapien. 5.

e Apocal. 6.

Quantus ergo ego ſum (inquit) ut reſpondeam ei, & loquar uerbis meis cum eo?] Quo pacto puluis ego ac cinis, loquar cum Domino meo, cuius fortitudini ſe uirtutes angelicæ inclinant?

Qui etiam ſi habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor.] Sæpe dictū eſt, quòd omnis humana iuſticia iniuſticia eſſe conuincitur, ſi diſtrictè iudicetur. precibus itaq; innitēdum eſſe docet, quum recta agimus, ut humiliem⁹ nos ſub potenti manu Dei: & ut Petrus dicit, exaltemur in die uiſitationis.

1. Pet. 5.

f Potētiſſimo Deo nemo reſiſtere poteſt.

Et cum inuocantem me exaudierit, non credo quòd audierit uocem meam.] Mens cuiuſq; hominis ex ipſa mutabilitate trepida eſt: & quòd nolens patitur, repulſam ſe abiectamq; ſuſpicatur: et uſque adeò trepidat for-

trepidat formidatq; ut omnino ſit cōſternata, quia terrorem iudicis in nouiſsimo die conſiderat, cui omnem rem inſufficientem arbitratur. unde adiungit, dicens: **In turbine enim conteret me.**] *Turbo, iuxta Hieronymum, Satanas eſt, qui uelut turbo uehemens Iobum regyrauit,*
a 1.Pet.4. *ut eum uaſtaret penitus. Gregorius autem extremam iudicij ſeueritatem intelligit, quia poſt elementorum commotionem horribilem, reuelabitur*
Pſal.49. *ille iudex. Sic enim Propheta dixit: Deus noſter*
b Prouerb.1. *manifeſtè ueniet, ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas ualida. hic ait:* **Et multiplicabit uulnera mea, etiam ſine cauſa.**] *Vnum hominum uulnus eſt, corruptibiliter naſci: alterum uerò, carnaliter emori. At quia poſt mortem naturalem mors quoq; æterna ſequitur, occulto eodem'que iuſto iudicio Dei uulnera multiplicantur, quandoquidem in perpetuos cru-*
Ioan.3. *ciatus detruduntur. Hinc Saluator noſter: Niſi quis, inquit, renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnū Dei. Ergo damnantur etiam, qui propria uoluntate nihil peccauerunt. uideamus ergo, ſi ex ſolo originis reatu cōdemnantur homines, quid illis euenturum, qui poſt ſanctificationem illam liberè peccauerūt. Melius,*
2.Pet.2. *ait Petrus, eſſet uiā ueritatis nō cognouiſſe, quàm pòſt retrorſum conuerti.* **Non concedet conquieſcere ſpiritum meum, & implet me amaritudinibus.**] *Sæpe iuſtis exercitium uirtutis eſt, exterius aduerſis tentari. At ut illi certamine plenæ probationis erudiantur, nonnunquam in mente quoque uexantur, & alias*
c 2.Cor.2. *experiuntur tentationes atq; moleſtias. Quod & huic uiro ſancto euenit, quem Satanas lacerabat corpore, & grauiſsimas incutiebat animo tentationes.* **Si fortitudo quæritur, robu-**
d Lucæ 18. **ſtiſsimus eſt: Si æquitas iudicij, nemo audet pro me teſtimonium dicere: Si iuſtificare me uoluero, os meum condemnabit me: Si innocentem oſtendero, prauum me cōprobat. Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, & tædebit me uitę meę.**]
e Lucæ 10. *Ille quippe uitæ cauſas examinat, qui has per alienum teſtimonium non explorat. qui propterea dicit: Ego ſum iudex & teſtis. unde ſi iuſtificare me uoluero, os meum cōdemnabit me: etiamſi ſimplex fuero hoc ipſum ignorabit anima mea. Enimuerò conditoris Dei iudicia tam uaria ac multa ſunt, ut non niſi temerè homo ſeipſum ſit iudicaturus ſimplicem: tanta enim eſt infirmitatis caligo humanæ. Quamobrem iuſtos quoq; nonnunquā uiuere tædet, eo quòd uitæ ſuæ meritum non poſſunt inuenire, etiāſi operando gnauiter uitā ſemper quærant.* **Vnum eſt quòd locutus ſum, & innocentem & impium ipſe conſumit.**] *Diuinum iudicium nec peccator nec iuſtus effugiet. utrumq; enim conſumit. præclarè quamobrem Petrus dixit:* [a] *Si iuſtus uix ſaluabitur, ubi impius peccator apparebit?* **Si flagellat, occidat ſemel: & nō de pœnis innocentum rideat.**] *Ridere Dei eſt, humanæ nolle afflictioni miſereri. ſic enim in* [b] *Salomone dicit Deus: Ego in interitu ueſtro ridebo. id eſt, afflictioni ueſtræ nulla pietate compatiar. Hoc ergo optaſſe ſanctum uirum exiſtimamus, ut quandoquidem quotidie homines flagello uindictæ propter culpam atteruntur, ueniat qui ſemel pro nobis ſine culpa moriatur, ut de innocentum pœnis Deus ultrà non rideat. Et uidit eum. Chriſtus enim, dicente Apoſtolo, ſemel pro peccatis mortuus eſt, ut nos iuſtitia Dei efficeremur in ipſo: & iam uiuit Deo, ultrà non moriturus.* **Terra data eſt in manus impij, uultum iudicium eius operit. Quòd ſi non ille eſt, quis ergo eſt?**] *Terram dicit ipſam carnē. quia ſcriptum eſt, Formauit Deus hominem de limo terræ: impium uerò, Satanam. Demonſtrat ergo ſe datum in poteſtatem Satanæ, à quo tanta calamitas & afflictio. Nos de Chriſto haud ineptè intelligere poſſumus, quando Satanas Chriſti carnem exitinxit in ſuis membris, Pilato, pontificibus: quorū uultum ipſe operuit, quando corda eorum maliciæ nubilo uelauit, ne authorem uitæ agnoſcerent. Si agnouiſſent, inquit Paulus,* [c] *nunquā regem gloriæ crucifixiſſent.* **Dies mei uelociores fuerunt curſore: fugerunt, & non uiderūt bonum.**] *Summum bonum ipſe Deus eſt: &, ut Chriſtus dixit,* [d] *Nemo bonus niſi ſolus Deus. dolet itaq; dies ſuos finiri, priuſquam Deus mundo in carne monſtretur. Nec ipſe ſolus de hoc conqueritur, uerumetiam antiqui non pauci clamauerunt: Vtinam cœlum rumperes, & deſcenderes. Abraham quidem exultauit ut uideret redemptoris diem, uidit quidem ipſum mundi Saluatorē: ſed in ſpiritu, et gauiſus eſt. quapropter beatos* [e] *Chriſtus ſuos pronuncians Apoſtolos, hanc infert cauſam, quia uiderint nō uiſa à multis regibus et Prophetis.* **Pertranſierunt quaſi naues poma portantes.**] *Qui alijs poma aduehunt, odore tantum fructuum fruuntur. Quid igitur antiqui & ſancti patres, niſi naues portantes poma fuere, qui diuinæ incarnationis myſteriū prophetantes, ipſi quidem ſpei odore potiti ſunt, ſed nobis*

fructum

fructum de eiuſmodi ſpei perfectione detulerunt? Quòd enim illi expectando odorati ſunt, hoc nos percipiendo ſatiamur. Sicut aquila uolans ad eſcam.] *Aquila quamuis ad alta euolet, ita ut radios ſolis aſpiciat, tamen pro ſumendis carnibus terram petit. Sic ueteres & noſtri ſolum creatoris lucem erecta mente contemplati ſunt, mox autem quaſi à ſolis radijs ad terram oculos deflexerunt. talis aquila*[a] *Eſaias fuit. Primum intuetur ipſum redemptorem, & ait: Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. mox autem ab alto ad terram deſcendit. dicit enim: Et liuore eius ſanati ſumus.* Cum dixero, nequaquam ita loquar, cõmuto faciem meã, & dolore torqueor.] *Grauius plerunq; affliguntur homines, cum quaſi per conſolationis ſtudium afflictionis inflictæ mala conãtur lenire. Dominus enim eſt, dicebat*[b] *Eli: faciat quod bonũ eſt in oculis ſuis.*[c] *Et nos docemur orare cœleſtem patrem: Fiat uoluntas tua.* Verebar omnia opera mea.] *Satis ex ſcripta hac hiſtoria liquet, quæ opera beatus Iob exercuerit, præſertim quòd euidẽti teſtimonio Dominus eum declarauit, ac dixit ſimilem ei non eſſe ſuper terram. Quid eſt ergo quòd hæc ipſa ueretur, niſi quod nemo hominũ de ſuis bonis operibus præſumere ac gloriari debeat? Etſi enim omnia fecerimus quæ facere iure debebamus, tamen (ut Chriſtus palàm dixit)*[d] *ſerui inutiles ſumus. Deinde ſcriptura: Maledictus, inquit,*[e] *qui facit opus Dei negligenter. Qui ſolus iuſtus eſt, unumquemq; ubi & quando uult iuſtificat. Modus igitur uere diligẽtis hic eſt, ſuamq; innocentiam cuſtodientis: ſemper ſcilicet timere ne aliquid iniuſtum faciat. Sed quare uerebar opera mea?* Sciens quòd, non parceres delinquenti: ſi autem & ſic impius ſum, quare fruſtra laboraui?] *Si delinquenti non parcitur, quis quæſo eripietur à maledicto, cũ nemo ſit mundus à ſorde, nec infans unius diei? Omnes concluſit Scriptura ſub peccato. Verum eſt: delinquenti non parcit Deus, ſed pœnitenti. Peccatores multos ac uarios ſacra Scriptura commemorat, eosq; non omnes punitos edicit.*[f] *Ita Manaſſes impius miſericordiam conſecutus eſt, eo quòd pœniteret ipſum facti, diuinamq; deprecaretur clementiam:*[g] *quemadmodum Saul nunquã nõ peruerſè agens, à Domino reprobatus fuit. Sic Petrus quia ſuum delictum agnoſcens fleuit amarè, audiuit:*[h] *Dicite diſcipulis eius, et Petro, quia præcedet uos in Galilæam. ſic enim dicebant mulieribus angeli apud ſepulchrum Ieſu, iam per potentiam diuinam à morte excitati. Etſi nullum alium ſcriptura oſtenderet peccatorem, diuinam miſericordiam adeptum, ſatis eſſet Dauidis hiſtoria, quæ primùm ob oculos ponit grauiſſimum peccatorem, non adulterum tantum, ſed homicidam quoque: deinde uerò uirum ſecundum cor Domini. Ipſe enim audiens Prophetam concionantem, ſupra modum peccatum ſuum deteſtatus eſt: Quodcunq; admiſſum peccaui, inquit, Domino. & mox eum compellat, qui ſolus hominibus peccata dimittit, ac inquit: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Quoniam iniquitatem meam cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Huic ut innitamur ſemper conſolationi, Chriſtus egregiam in medium adduxit parabolam de filio dilapidante paternam ſubſtantiam, quem reuerſum ac dicentem: Pater peccaui in cœlum & coram te, & non ſum dignus uocari filius tuus: ipſe pater oſculatus ſit, & reſtituerit in locum ſuum priſtinum. Ita facit Deus omnibus uerè conuerſis & pœnitentibus, à quibus iniquitatum maculas tergit, nec uult ipſas in eis in perpetuum uindicare. Quam peccatorum mundationem Chriſtus non ſolum uerbo docuit, dicens: Petre, non ſepties ignoſcas fratri, ſed ſeptuagies ſepties: uerumetiam pedum lotione illa demonſtrauit. Qui mundus eſt, dicebat, non indiget niſi ut pedes lauet. pedes autem lauant, qui, ut Ioannes ſcribit, confitentur peccata, & rogãt fidelem Deum: & ipſe remittit eis peccata, emundans eos ab omni iniquitate, ita ut pedes mundentur, & manus amplius non ſint plenæ ſanguine, dicente Propheta.*

2.Reg.12. a Eſaiæ 9. & 53. Pſal.50. Lucæ 15. b 1.Reg.3. c Matth.6. Matth.18. Ioan.3. d Lucæ 17. e Hier.48. 1.Ioan.1.

Si lotus fuero quaſi aquis niuis, & fulſerint uelut mundiſsimæ manus meæ: tamen ſordibus intinges me.] *In tua, inquit, mundicia uideo, quia mundus non ſum. adhuc enim corruptibilis caro animam meã diuerberat. Hoc ipſum conqueſtũ Dauidem quoque legimus. et propterea dixit: Domine ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens.*

Pſal.142.

Et abominabuntur me ueſtimenta mea. Neq; enim uiro qui ſimilis mei eſt, reſpondebo: nec qui mecum in iudicio ex æquo poſsit audiri.] *Hominis ueſtimentum ipſum corpus eſt, quo induta anima tegitur. Hinc Sapiens: Omni tempore, inquit, ſint ueſtimenta tua candida: id eſt, membra corporis tui à ſordidis actibus, quibus homines commaculati coram Deo abominabiles fiunt. Quam ueſtimentorum abominationem ſenſiſſe uidetur Paulus, cum Rom. 7. dixit: Video aliam*

f 2.Par.33. g 1.Reg.16. Eccle.9. h Mar.16.

Rom.7. *legem repugnantem legi mentis meæ, et captiuum me ducentem in lege peccati.* Non eſt qui utrumque ualeat arguere, & ponere manum ſuam in ambobus. Auferat à
b Lucæ 1. me uirgam ſuam, & pauor eius nõ me terreat: Loquar, & non timebo eum. Nec enim poſſum metuens reſpondere.] *Vnus fuit qui hoc potuit, nimirum Chri-*
1.Tim.2. *ſtus, qui factus eſt mediator Dei & hominum, dicente Apoſtolo. Porrò loquar, inquit, non metuẽs eum. Et quare timeret, cum uidet ipſum humani generis redemptorem mitiſsimum uenturum? Abijt omnis timor: perfecta charitas foràs mittat timorem. Audiamus ipſum*[a] *Zachariam: Iuſiurandum, inquit, iurauit dominus Abrahæ patri noſtro, daturum ſe nobis: ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus ei.*

ANNOTATIONVM IN IOB
LIBER SECVNDVS.
Caput X.

Hæc eſt paraphraſtica interpretatio.

CONDITORIS *dulcedinem quoniam Iob intelligit, idcirco tædet ipſum præſentis uitæ: quapropter exoptat dimitti, utq; ire poſſet ad patres ſuos Abrahã, Iſaac & Iacob. Quanto autẽ plus mente Deo appropinquat, tanto magis ſe accuſat. uidet enim iram Dei aduerſus*
a Gen.1.2. *omnes peccatores, & quòd ipſe delinquenti non parcit. Verùm cognouit ſimul, quòd iram illam amara pœnitentia extinguat. Et hoc docebũt præ-*
1.Reg.12. *clara illa exempla, Dauid, Manaſsis, Niniuitarũ,*
2.Par.33. *Mariæ Magdalenæ, et aliorum. Cæterùm Deus*
Ionæ 3. *aliquando hominem hic ita malis affligit, ut poſt*
Lucæ 7. *modum in æternum quoque puniat. Hoc accidiſſe*
Actor.12. *Herodi illi putamus, qui conſumptus à uermibus expirauit ut in æternum puniretur. Iudicantur uerò nonnulli, hoc eſt puniuntur à Deo, ut à ſupplicio æterno defendantur. Quare D. Apoſtolus:*
1.Cor.11. *Cum iudicamur, inquit, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Ergo obnixè precandus Deus, ut per flagella hic ſecuri reddamur ad iudicium. Hic urat ſecetq; Deus (quod S. optauit ſibi Auguſtinus) ut non in æternũ puniat. Deũ appellamus patrem noſtrum: quomodo igitur nos*
b 1.Ioan.3. *condemnabit, quos ſe gratuitò feciſſe recordatur? Sunt autem impij maligni ſpiritus, qui cum redire ad uitam non poſſunt, ad mortem quærunt ſibi ſocios. Quorum impium conſilium non ſemper ad-*
c Lucæ 15. *iuuatur: quia fidelis eſt Deus, & non patitur nos*
1.Cor.10. *tentari, ut Apoſtolus dicit, ſupra id quod poſſum*[9]*:*
d Hebr.4. *ſed facit cum tentatione prouentum, ut poſsimus ſuſtinere. Præterea homo oculos ſuos claudit at-*
e Ezech.18. *que aperit quidem: tamen tanquam homo uentura nullatenus cognoſcit. Longè autem aliud eſt, ſi de Deo loquamur. Deus enim quia æternus eſt, ſic omnia nuda & aperta ſunt coram oculis eius, ut e-*
Pſal.7. *tiam corda et renes, ut Scriptura loquitur, ſcrutetur. Quamobrem Iob ſummam eam æternitatem implorat, diuinamq; clementiam, et precatur quò parcere uelit potentiſsimus Deus, de cuius manu nemo poſsit eruere. Porrò cum manus Dei audimus quibus fecerit hominem, dignitatem humanæ conditionis intelligere debemus, quamuis & per coæternum Dei uerbum omnia creata ſunt, quantum tamen cunctis animalibus præferatur homo, uel inde docemur, quia non dixit Deus*[a]*, ut de cæteris, Fiat homo: ſed, Faciamus hominem ad imaginem et ſimilitudinem noſtram: ubi diuinum nobis inſinuatur conſilium, & quòd non facilè hominẽ deſpiciat Deus, quem tãta dignitate cõdiderit. Eſt quidem nobiliſsima creaturarum humana, & dignior propter imaginem illam Dei ad quam facta eſt: tamen quia ſpiritus miſcetur pulueri, infirma ualde fit iſthæc hominis natura. Sedulò itaq; Deũ deprecari debemus, ut infirmitatem hanc carnis conſiderans, det ueniam, & relaxet reatum noſtrum, Amen. Quia uerò tam imbecilles & procliues ad malum ſumus, debemus primùm in mente noſtra ſolerter diſcernere, ne ulla in cogitatiõe culpa perduret, & deinde praua opera reſecare: quod tum fiet, cum facies noſtras per ſtudium orationis lauabimus, animum attollentes, quo corda noſtra, dicente*[b] *Apoſtolo, nos nõ reprehendant. Quando autem hominem cor ſuum reprehendit? quum meminit ſe reſiſtere præceptis eius, quem poſtulat. qua in re hoc ſaluberrimum erit, ut cum filio prodigo*[c] *quiſq; ſe ex memoria culpæ reprehẽdat, ac tum patrem rogaturus accedat ad thronũ miſericordiæ, et cum fiducia, docente*[d] *Apoſtolo: & proculdubio miſericordiam præſtabit ille, qui dicit:*[e] *Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur et uiuat. Qui ſe ita emendare uoluerint, ab ijs dolores et miſeriæ tam citò diſcedunt, quàm aquæ in momento & ictu oculi ad alia loca dilabũtur. Chriſtum enim nouimus uerũ Abrahæ ſemen, cui promiſsiones ampliſsimæ ſunt factæ. Hic*

Chriſtus

Chriſtus cum uerus ſit ſol ille iuſticiæ, qui exor-
tus eſt in tenebris & umbra mortis ſedentibus, [a]
& factus propitiatio pro peccatis totius mundi: tã
fidelis eſt, ut remittat nobis peccata noſtra, & e-
mundet nos ab omni iniquitate noſtra, ſcribente
Euangel. Ioan. Bene quamobrẽ Scriptura alio loco
dicit: [b] Timenti Deũ bene erit etiam in extremis.
tam benignꝰ eſt Deus noſter et præſtabilis ſuper
malitia hominis. Hinc quoq; iuſti, etſi nonnunquã
in huius uitæ certamine ſe cõſumptos arbitrẽtur:
mox tamẽ hac ſpe et fiducia de benignitate Dei e-
rigũtur, ita ut cũ Apoſtolo dicãt: [c] Licet is qui fo-
ris eſt, noſter homo corrumpatur, tamẽ is qui in-
tus eſt renouatur de die in diem: id enim quod in
præſenti eſt leue et momentaneũ tribulationis no
ſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.
Et hæc eſt quidem uera & gratioſa uiſitatio Dei,
ut poſtquam uitam, hoc eſt animam tribuit ex a-
bundanti miſericordiarum theſauro hominem ui-
ſitet, cum multa bona largitur ac uaria exhibet be
neficia omniſcius, licet aliquando diſſimulet. Om-
nia, ait [d] Apoſtolus, ſunt nuda et aperta coram o-
culis eius, uniuerſorũ memoriã habet et recorda-
tur. Impius uæ habet, iuſtus miſeriam: quia æter-
na damnatio reprobum ſequitur, electus uerò do-
loribus multis huius miſerrimæ uitæ expiatur. Et
quia tota intentione Deo ſeruiũt iuſti, idcirco car-
nis impugnatione concutiuntur, ne mens eorum
ſecura eleuetur & ſuperbiat, ſed pulſata trepidet,
& in ſolius Dei adiutorio ſpem figat, ut non dere
linquantur. nam quos Deus deſerit, obdureſcunt,
ita ut planè nulla ſuperna concupiſcant, nec me-
tuant ſupplicia ſubſecutura, ut euidẽtiſſimè uidetur
in Pharaone atq; Iudæis. At ubi reuertitur ad eos
Deus, quod fit cum illi afflatu Spiritus ſancti tan-
guntur, tum euigilant, conſiderantes præſentiſſi-
mam perditionem. Vnde omnipotens Deus men-
tem noſtram uiſitans, ſic nos ad amorem ſui in-
flammat, ut per lachrymas aliaſ' que graues affli-
ctiones ad ipſum conuertamur. Quemadmodum
Dauid, Manaſſes & Petrus, de quo ſcriptum eſt:
[e] Reſpexit Dominꝰ Petrũ, et fleuit amarè. [f] Hinc
ſanctus uir de humana conqueritur miſeria, quæ
nihil habet præter caſtigationes & pœnas, cer-
tiſſimos teſtes diuinæ iuſticiæ. Poteſt autem, in-
quit Hieronymus, ira Dei diabolus intelligi, cuius
miniſterio Iob acerbos dolores patiebatur. Quã
quidem calamitatem ipſe conſiderans, præſentem
uitã nihil eſſe diſertè admonet. Egregiè dixit qui-
dam, quòd Omnia ſunt hominũ tenui pendentia fi-
lo: cui appoſitè adiungitur quod ab ipſo Salomo-
ne [g] dictum fuit: Si annis multis uixerit homo, &
in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet te-
nebroſi temporis, & dierum malorum, qui cum   a 1. Ioan. 1.
uenerint, arguentur præteritæ uanitatis: cuncta
enim quæ ſub ſole ſunt, uanitatis arguentur. Ergo
pœnitentia opus eſt. Vera autem pœnitentia non
niſi coram Deo, & ex intimis cordis fit receſſi-
bus. Quare nec Cain nec Iudas pœnitentiam ege   b Ecclеſ. 1.
runt, ſed alij qui Dominum obnixè deprecati ſunt
pro compunctione cordis, lachrymarumq; fonte,
ut iuxta Prophetam, plangerent dolores ſuos ma-   Hier. 4.
ximos, ne dimiſſi ad tartara pergant: ad quem in-
ferni locum detruduntur, qui hic peccata deflere   c 2. Cor. 4.
neglexerunt, dicente Propheta: Portauerunt igno
miniam ſuam cum his qui deſcendunt in lacũ. Inde   Ezec. 16.
nequaquã ultrà miſericordia Dei liberat, quos
ipſius iuſticia ſemel ad loca pœnalia damnauit. I-
bi terra eſt miſeriæ & tenebrarum: maximus u-
tique dolor, & denſiſſimæ nebularum offuſiones,
teterrimus carcer: in quem impij peccatores, qui
lucem odio habuerunt, detrudentur, ubi umbra
mortis, id eſt, pœna nunquam deſitura. Vermis e-   Eſaiæ ult.
nim eorum, ait propheta, non morietur, & ignis   d Hebr. 4.
non extinguetur. abſque ullo ordine potentes, iux
ta ſcripturam, potenter tormenta patientur: &   Sapien. 6.
fortioribus in nequitia, fortior inſtabit cruciatio:
quantum exaltauit ſe quiſque in malo obſtinatus,
tantum tormentũ dabitur illi, tantusq; luctus. V-
na quidem eadem' que gehenna excipiet omnes,
unus tamen alio atrocius torquebitur & crucia-
bitur. Inſpiciamus diuitem illum miſerè crucia-
tum in flammis, & cognoſcemus quanta ſit confu
ſio, quàm atrociſſimum quod damnatorum mentes
patiuntur, quantus ibi horror. ſiquidem inferni
ignibus traditi, & æternis ſupplicijs, præ doloris
anguſtia contremiſcunt, & ingenti pauore con-
cutiuntur. Quibus propterea omni miſeria miſe-
rioribus, mors ſine morte erit, & ſine fine: quia
apud illos mors ſemper uiuit, & finis ſemper in-
cipit. Sint hæc nobis curæ & cordi, ut iuxta Sa-
pientem, inſtanter operemur quodcunque poteſt   Eccle. 9.
manus noſtra: & ut quæramus Dominum, dum
inueniri poteſt. Nunc tempus acceptabile, inquit   e Matth. 26.
Apoſtolus, nunc dies ſalutis. Hæc autem pia   f Lucæ 22. 2. Cor. 6.
iuſti uiri uerba rurſum ſiniſtrè ab illis fictis ami-
cis interpretantur. Nam praui nihil rectum niſi
quod ipſi ſenſerint putant: & iuſtorum uerba eo
ocioſa æſtimant, quòd ſuis hæc ſenſibus inueniũt
diuerſa. Nec omnes iniuſti, qui multa loquuntur.
Quod enim quidam dixit, In multiloquio non dee-   Prouerb. 10.
rit peccatum: ſtatim alius inquit, Væ mihi quia ta-   Eſaiæ 5.
cui. Quamobrem ſapienter à Sapiente dictum pu   Ecclеſ. 3.
to: eſſe ſcilicet tempus tacendi, et tempus loquẽdi.   g Ecclеſ. 11.

Cæterùm duplicia nobis demonſtrantur opera ſa
a Ezech.36. pientis Dei, publica ſcilicet & ſecreta. Publicum
opus eſt, regere uniuerſa mundi, & multa bona
largiri: ſecretum uerò, iudicium illud eius abditum
& remotum, quo hunc ſaluat, illum autem con-
demnat. Hoc enim ſibi ſoli reſeruat. Quis enim,
Rom.11. ut Apoſtoli uerbis utamur, conſiliarius eius fuit?
aut quis cognouit ſenſum ipſius? Quisq; ſcrutabi-
tur unquã, quòd cui uult miſeretur, & quẽ uult in-
b Hebr.4. durat? Nemo quidẽ, ſed omnes proni in terrã dice-
mus: O' altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ
Dei, quàm incõprehenſibilia ſunt iudicia eius: &
inueſtigabiles uiæ eius. Hic uerè mirabilis Deus
dedit nobis legem multiplicem, charitatem ipſam,
1.Cor.13. quam multifariam eſſe dicit Apoſtolus: Charitas,
inquit, patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non
inflatur, nõ eſt ambitioſa, nõ quærit quæ ſua ſunt,
&c. Hanc legem, ſi homo ſollicite perpendit atq;
penſat, quantũ quotidie delinquat facilè inueniet:
ſi autem culpas cõſiderat, haud iniquè tolerabit fla
gella: ſic tamen, ut ſemper uideat benignitatẽ Dei,
ueſtigia gratioſæ illius uiſitationis, quam rectè nos
prouocat ut progrediamur in ſalutis uia: tum qui-
dem maximè, cũ ipſius ſpiritus afflatu tangimur,
& per amorem cognoſcimus contemplandam au
c Malac.4. thoris noſtri ſpeciem quam ſequamur. Veſtigia il-
Pſal.62.& 41. la comprehendit is qui dixit: Adhæſit anima mea
d Pſal.125. poſt te. Item: Sitiuit anima mea ad Deum uiuum,
quando ueniam & apparebo ante faciem Domi-
Lucæ 22. ni. Et Petrus, ubi dixit: Domine, paratus ſum
tecum & in carcerem & in mortem ire. Porrò
ipſe Deus ſemper manet abſconditus. diligitur
quidem à ſuis, attamen humanæ ſimul & angeli-
cæ ſubtilitati, altitudine ſuæ naturæ imperueſtiga-
e 2.Tim.4. bilis nunquam non erit: tanta eſt eius profunditas
Pſal.138. atque excellentia. Si aſcendero, ait ille, in cœlum,
tu illic es: & ſi deſcendero ad infernum, ades. Cre
dimus itaque Deum ubique eſſe, et quòd intra eum
omnia ab ipſo creata contineantur. quamobrem
oportet maximam hominum uanitatem eſſe, ſi ipſi
Deo conferantur, præſertim ob tam miſerè uitia-
tam & fœdè lapſam naturam: quamobrem fit, ut
uitare uolentes Charybdim, in Scyllã incidant ho
mines, & in omnem labantur nequitiam. multis
exemplo ſunt ſatis euidenti Iſraelitæ, quibus non
f 1.Tim.6. ſatis erat gulæ operam dediſſe, quin inſuper lu-
g Prouerb.12. derent, & maximum cõmitterent nephas. Quia
Pſal.38. autem uniuerſa uanitas, ut quidam dixit, homo
eſt, fieri ſolet ut plerumque inſoleſcant uiri uani,
ſicut Pharao, Roboã atq; alij impij, qui ſemper in
uetitum niſi ſunt, cupieruntque negata. Ha-
bent enim corda obdurata & pertinacia, diuinæ
haudquaquam ſubiacentia correctioni. Hinc
Deus ſuam gratiam Iſraelitis promittens: [a] Au-
feram, inquit, à uobis cor lapideum, & dabo uo-
bis cor carneum. Inſinuans, quàm dura corda ha-
berent, & quòd eſſent quaſi ſine ſenſu: ſe autem da
turum eis gratiam emolleſcentem, ut ſentiãt qua-
lis ſit ipſe Deus. Tum autem fieri ſolet, ut ſanctam
habentes conſcientiã, erecta deprecentur Deum
facie, & cum multa fiducia, prout docent apo-
ſtoli Paulus & Iacobus, dicentes: [b] Adeamus cum
fiducia ad thronum gratiæ eius, ut miſericordiam
conſequamur, & gratiam inueniamus in auxi-
lio opportuno. Si quis ueſtrûm, inquit alter, indiget
ſapientia, poſtulet à Deo qui dat omnibus afflu-
ter: poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. Illis e-
uenire ſolet quod in fluminibus uidemus, quorum
aquæ intra momentum ad alia loca dilabuntur, i-
ta concitè ab ipſis diſcedunt miſeriarum dolores.
Et plerunque ita ſeſe gerunt, qui ſpem haud exi-
guam conceperunt de benedicto ſemine illo Abra
hæ, uidelicet Chriſto, quos conſolatur ipſius pro-
miſsio illa de mercede copioſa in cœlis, & quòd
non ſunt condignæ paſsiones ad futuram gloriam
quæ reuelabitur nobis. Hic Chriſtus dabit finem
his quoque malis, ut poſt mortem reſurgant in
gloria, ſicut ſcriptum eſt [c]: Vobis credentibus et
timentibus nomen meum orietur ſol iuſticiæ. Et
ut adimpleatur quod dixit Dauid, [d] Euntes ibant
& flebant, mittentes ſemina ſua: uenientes au-
tem uenient cum exultatione, portantes manipu-
los ſuos. Quare pij non timent mori: credunt e-
nim certiſsimam reſurrectionem. Licet ergo poſt
mortem defodiantur in terram, tamen ut certi de
incorruptibilitate, & in ſpe certa fidei conſtituti,
ſecurè dormitum eunt. [e] Videamus unum qui mo-
ri cupiuerit, Paulum ipſum: Ego iam delibor, in-
quit, & tempus reſolutionis meæ inſtat: Bonum
certamen certaui, &c. Et alibi: Cupio, ait, diſſol-
ui, et eſſe cũ Chriſto. O' felices illos homines, qui
ſic in cogitatione & auiditate in illa æterna pa-
tria conuerſantur: quàm quietam ac tranquillam
illi agunt uitam, cum alij qui ſemper ad lucra in-
hiant, damnum ac detrimentum pertimeſcant: un
de fit etiam, ut mens eorum nec per noctem quie-
ſcat. Quapropter haud ineptè auaricia ab Apoſto
lo [f] radix omnium malorum nuncupatur. Quis
autem exterrebit iuſtum, cum ſcriptum ſit: [g] Non
contriſtabit iuſtum, quicquid acciderit ei. cum e-
nim ſemper præ oculis habeat æternitatis gaudiũ,
nec proſperitate attollitur, nec aduerſitate quaſ-
ſatur. Apoſtolum audiunt ſancti piè concionan-
tem: Certus ſum, quia neq; mors, neq; uita, neq; in-
ſtantia,

ſtantia, neq; futura, imò nihil omnino ſeparet nos à charitate Chriſti[a]: Quicunq; igitur ſanæ mentis ſunt, & uel micam, ut dicitur, ſalis habent, exoptabunt ut dicere poßint cum Propheta: [b] Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium: & propterea preces fundent aßiduas ad ipſum Deum, qui deducit ad inferos & reducit, mortificat & uiuificat. Impij autem æternis ſupplicijs et tartareis cruciatibus deſtinati, omnes refugiunt tribulationes, habentes quibus immerſi ſunt delectamenta multa: at citius dicto euaneſcunt tranſitoria, poſtquam mori oportet. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum, inquit Propheta: [c] & ſpes illorum abominatio animæ. Qui enim dixerunt, Venite fruamur bonis, ubique relinquamus ſigna lætitiæ: mox cum diuite illo clamant, O quàm cruciamur in his flammis nos miſeri, qui æſtimabamus aliorum uitam inſaniam. Et proinde uirum habemus ineffabilem, & uerè ſanctum, magna diſcretione ſuperbientium amicorum inſolentiam reprimentē, & ſingulari quadam modeſtia, qua oſtendit ſibi atq; alijs quoque ineſſe ſapientiam. Eſt mihi cor, inquit: hoc eſt, & ego ſcio legem diuinam. In corde meo abſcondi eloquia Domini. Quis ignorat ea quæ à uobis in medium adducuntur? Tota ſpes figenda in authorem rerum uniuerſarum, & inter irriſionum conuicia ſolus interior rectus implorandus: qui ut nouit abſcondita cordis, ita iuſtus eſt iudex, & rectum iudicium ipſius. Quem idcirco [d] Suſanna caſtißima coniunx, cum adulterij falſò accuſaretur, implorauit. Sic enim ſcriptum eſt: Exclamauit Suſanna magna uoce, ac dixit: Deꝰ æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequā fiant. Hac precatione quid impetrarit, omnino cōſtat: quando illa utiq; fuit iuſta ſimplicitas, quæ uera diligit, falſa deuitat, bona gratis & libenter exhibet, mala tolerat, & nullā iniuriæ ultionē quærit, ſed relinquit eam Deo dicenti: [e] Mihi uindictā, et ego retribuā: utcunq; à filijs ſeculi huius derideatur, haud ſecus quàm Chriſtus ab impio Herode deriſus eſt. Habent enim pij lampadē in corde ardentem, magnæ fidei et bonorum operum oleo intrinſecus fulgentem. Quales nos omnes uult eſſe Chriſtus, [f] cum inquit: Sic lux ueſtra luceat, ut uideāt homines bona opera ueſtra, et glorificēt patrem qui in cœlis eſt. Horum operum ſtatutum tempus eſt, extremi iudicij prædeſtinatꝰ dies, quo iuſtus quiſq; qui nūc deſpicitur, quantū fulgeat demonſtrabitur. Ita enim Salomon ait: [g] Fulgebunt iuſti, et tanquā ſcintillæ in arundineto diſcurrent: iudicabūt nationes, et dominabūtur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum. Quare autem lapidibus comparantur iuſti homines? nimirum quia illuminauit eos lux uera, illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum. Chriſtus ipſe, qui nobis uera lux fuit, quādo tenebroſis noſtris mentibus lucem ueritatis infudit per uiſcera miſericordiæ ſuæ, in quibus uiſitauit nos oriens ex alto. Omnes nunc iudicat Chriſtus, ſed occulto modo: cum autem acceperit tempus, iuxta Pſalmographum, iuſticias uerè certißiméq; iudicabit: tunc enim unicuiq; redditurus eſt ſecundum opera eius. Dum autem uerſamur in hoc ſeculo, infeſtant nos prædones & infenſißimi hoſtes, hocq; iuſtißimus iudex fieri permittit. Nam hoc modo purgantur pij homines, opprimuntur ab eo uim patientes: impij autem multo grauiorē incidunt pœnam & flagella. At ipſa inſtrumenta quibus ad hoc uſus Deus, tandem quoque in ignem proijcit, ut uidere eſt in multis Iudæorum perſecutoribus, impijs Chriſtianorum tyrannis, ut Herode, nec non multis alijs. Te igitur oramus Domine, ſic caſtiga, ut non in æternum punias. Deum eſſe primam cauſam omnium rerum, quis ignorat? quem ſaltem diuinus ille ſpiritus, doctor ueritatis afflarit. Si ergo ab ipſo omnes factæ creaturæ, in ipſius utique manu anima omnis uiuentis, & ſpiritus uniuerſæ carnis erunt: & quòd omnia ad Dei prouidentiam pertineant, & gubernationem, etiam irrationabilia atque inſenſibilia, quadam ratione ueritatis interrogata reſpondent, ubi rectius examinamus tum ſacras tum prophanas literas & hiſtorias, quibus longior uita fuit, rerumq; experientia, & ſapientes & prudentes extiterunt. & eorum ueſtigijs utcunque eſſet inſiſtendum, prout dixerunt quidam: Viue moribus præteritis, & loquere uerbis præſentibus: uera tamen ac ſolida eſt apud Deum ſapientia, conſilium rectum, et fortitudo magna, cui nemo reſiſtere poteſt. qui proinde dicit: Ego occidam, et ego uiuere faciam. Conſidera, inquit Salomon, opera Dei, qui cum conſilium & intelligentiam habeat, qua diſponit ſua & cognoſcit noſtra, & uidebis quòd nemo poßit corrigere quem ipſe deſpexerit. Itaq; in ipſo omne ac totum ſitum erit, ut uerißimè idcirco dixerit Dauid: Niſi Dominus ædificauerit domum, inuanum laborauerunt qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilant qui cuſtodiunt eam. Itaque utcunque homines plantent atque rigent, fruſtra fit, niſi Deus det incrementum. Hic nonnunquam includit hominem, id eſt in maliciæ ſuæ cæcitate eum relinquit, quomodo reliquit illum nebulonem, regem

a Rom.8.
b Pſal.65.
Pſal.47.
c Pſal.145.
d Daniel.13.
e Deut.32.
Eccleſ.7.
f Matth.5.
Pſal.126.
g Sapien.3.
Vide Exod.

ſcilicet Aegypti, quem propterea nulla miracula
Num.26. commouere potuerunt. Sic quoq; incluſit Dathan
& Abyron, & omnes impios: quibus clauſtra in-
2.Pet.2. ferni nemo aperiet, ſed, ut D. ait Petrus, qui ange-
lis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus in-
ferni detractos in tartarum tradidit cruciandos,
in iudicium reſeruari, nouit de tentatione pios eri-
a Eſaiæ 29. pere, iniquos uerò in diem iudicij reſeruare cru-
ciandos. Tanta enim eſt ipſius poteſtas Dei, ut o-
b 1.Cor.1. mnes coram eius potenti throno contremiſcant.
Iratus iuſtè olim, ut ſecundum ſcripturarum fidem
minimè dubitamus, cataclyſmo omnem deleuit
Gen.6.& 7. carnem. Hic quoque continuit aquas, ita ut non
c Dan.4.& 5. plueret annos tres, & menſes ſex. Ochoſiam re-
3.Reg 17.
4.Reg.1. gem eo quòd conſuluiſſet Beelzebub, in infirmita-
Eſaiæ 38. te ſua extinxit, & Ezechiam ſeruauit, ex animo
d 3.Reg.1. Deum ſuum cognoſcentem ac implorantem. Ita
e 2.Par.33. qui que certum eſt hominum corda areſieri, ſi de-
traxerit Deus hominibus ſuam aquam uiuam, de
Hier.2. qua Hieremias ſcribit, & Chriſtus dixit in Euan
Ioan.4. gelio: nihil poteſt eſſe pernicioſius. Sin autem e-
miſerit aquam ſuam, hoc eſt, uerbum ſuum gra-
tiam'que Spiritus ſancti, fiunt in homine aquæ a-
bundantiſſimæ, et ſaliẽtes in uitam æternam. Hoc
f 1.Theſ.2. enim ſpiritu agitatus homo, de uia mala ſe conuer-
tit ad illum Dominum, in quo ſe uiuere, moueri, ac
eſſe optimè nouit. Sumamus pro exemplo ipſum
Actor.9. Paulum. Acceptis ipſe contra Chriſtianos epi-
ſtolis, Damaſcum uſque pergebat, ut ſi quos inue-
niſſet huius uiæ uiros ac mulieres, uinctos perdu-
ceret in Hieruſalem: at ſubitò mutatus ab illo He-
ctore, ab illa ſua crudelitate mutatus eſt, ut etiam
poſtmodum pro Chriſto multa ac dira ſit paſſus:
& qui prius fuerat blaſphemus & perſecutor
Chriſtianæ religionis, deinde inſignis ſit factus
ebuccinator, et acerrimus propugnator fidei Chri
ſti ſanctiſſimæ, iam Chriſtum uitam ſuam æſti-
mans, & pro ipſo mori lucrum: qui arbitrabatur
antè, occidendo diſcipulos Chriſti ſe obſequium
præſtare Deo. Hinc ſanè cognoſcitur abſtruſa et
nobis omnino occulta præſcientia Dei, qui non
tam præſentia quàm futura nouit, & quicquid fit
uel agitur. Sic nouit iuſtum Abel & impium eius
Geneſ.4. fratrem Cain, utrunque in ſuo ordine. Cain enim
ſic uidit, ut priora eius mala conſpiceret, & hunc
iuſto iudicio in alia mala delabi permitteret: quo-
modo non permittit cadere iuſtum, ſed ut ſic pur-
getur, ac prouehatur ad meliora, ſicut ſcriptum
Pſal.36. eſt: Iuſtus cum ceciderit, non collidetur, quia Do-
Iacobi 1. minus ſupponit manum ſuam. D. Iacobo nimirum
beatus homo uidetur, qui multas ſuſtinet tenta-
tiones: quia, inquit, cum probatus fuerit, accipiet
coronam uitæ, quam repromiſit Deus his qui dili-
gunt eum. Nec ullius hominis conſilium curat:
Non enim eſt conſilium contra Dominum. Con-
ſiliarios illos in ſtultum finem adducit: quia ipſis
ſuam ſubtrahit gratiam, qua ſubtracta ſenſus eo-
rum obnubilantur, & conſilia eorum inuertun-
tur, ut intelligendo nihil intelligant, & conſequan
tur contrarium finem. Quamobrẽ inquit Deus: [a]
Sapientiam ſapientum perdam, & conſilium ini-
quorum reprobabo. [b] Mala illorum hominum eſt
intentio, quum, ut Gregorius ait, ad ſola tempora-
lia tendant. idcirco ut dignum eſt, atque iuſtum,
cum iudices eſſe uolunt conterrentur, & obſtu-
peſcunt. ſic [c] Nabuchodonoſor in amentiam uer-
ſus eſt, & Baltaſar timore percuſſus: quorum
regna diſſoluta poſtquam fuere, non aliud uiſum
eſt, quàm quòd ignominia plenum eſſet. quod & [d]
Sedechiæ, & [e] Manaſſi, alijsq; contigit regibus ſu
pra modum diſcolis. Vſque adeò autem iuſtus &
rectus eſt Deus, ut licet dicat, Nolite tangere
Chriſtos meos, quos hoc loci ſacris initiatos in-
telligere poſſumus: ipſis tamen, cum delinquunt, nõ
parcat. Magna ſacerdotum gloria eſt, ſubditorum
pia uita & recta conuerſatio, ſicut ex Apoſtolo
diſcimus, dicente [f]: Quæ eſt ueſtra ſpes, & glo-
ria atque gaudium? non ne uos ante Dominum? i-
ta cum per negligentiam illorum hominum mali-
cia ſuperabundat, iram Dei iuſtam in ſe prouocant,
quibus dicturus eſt olim: O' paſtores, uoſmetipſos
paſtis: ecce ego requiram ſanguinem ouium uo-
bis commiſſarum de manibus ueſtris. Iam non am
plius licet uillicare: eoſq; amouet & deponit ut in-
iuſtos & iniquos, alioſq; in locum eorum ſurro-
gat ſubſtituitq;, quorum labia non commiſcentur,
ſed cœleſtia prædicando ueraces ſint, & ad ter-
rena minimè corruant, et loquantur placentia, ue-
ritatem obticentes, imò opponant ſe murum pro
domo Dei. Hinc quoque interdum ſenum doctri-
na tollitur: quia præcepta prædeceſſorum ſuorum
minimè ſequuntur, ſed tantum ea quæ ipſis uſui
& utilia fore uidentur: fit igitur, ut omnibus ſint
contemptui, & quos perdere iniuſtè uoluerunt,
ad ſummum honoris apicem uideant euectos. Et
multa alia conſpiciuntur, quæ omnia declarant
magnitudinem diuinæ potentiæ, et profunditatem
ſapientiæ, & certitudinem conſilij: quod nunquã
falli poteſt, cum principes populi fallant & falli
poſſint, ita ut ueluti cæci palpent, & quaſi e-
brioſi oberrent, neſcientes quò tendant. Quocir-
ca homo in primis miſericordiam Dei depreca-
ri debet, facta ſua diſcutere atque inquirere ue-
ritatis iuſticiam. Non enim mendax eſt Deus, ſed
ſumma

ſumma ueritas, quæ haudquaquã falſum patitur,
ſed mendaces omnes inſipientes & peruerſorum
dogmatum authores reijcit atq; condemnat. Solus
ille iudex iuſtus: quapropter maleuolentiam eo-
rum nunimè tolerat, qui authoritatem iudicij ſibi
ſumunt. præter Deum nemo ſibi hanc ſumat au-
thoritatem, occulta iudicandi. ad ipſum ſolum ſpe
ctat. [a] Quare Paulus uehemẽs olim in Romanos
erat: Tu quis es, dicens, qui iudicas alium? Iudiciũ
Dei eſt ſecundũ ueritatẽ. Vtiq; ipſe enim ſcrutatur
corda & renes, ipſe ſolus futura pariter & præ-
terita nouit. Hæc eſt gloria ipſius, quam non dat
alteri, quemadmodum ipſe dixit [b]. Idcirco ſtulti
ac inſipientes filij hominum, quorum memoria ri-
tè recteq; cineri comparatur, quia non permanet,
ſed euaneſcit: [c] Mundus, inquit Ioannes, tranſit, et
concupiſcentia eius. Beatus autem ille eſt, qui, ut
ex Pſalmo [d] docemur, non abijt in conſiliũ impio-
rum, & in uia peccatorũ non ſtetit, ſed in lege Do
mini uoluntas eius. Quia non ſic impij, non ſic,
ſed tanquam puluis quem proijcit uentus à facie
terræ. Sicut enim in memoria æterna iuſti ſunt,
ita iniuſtorum & iniquorum hominum ceruices
confringuntur: reprimitur enim illorũ ſuperbia, et
in putredinem & cinerem abit, dicente ſcriptura:
[e] Memento quòd puluis es, & in puluerẽ reuerte-
ris. Hoc quàm uerum ſit, monumenta monarcha-
rum magnorumq; principum apertè demonſtrãt.
non ne ibi una eademq; mortis imago? quam qui ui
dent, dicant: Ecce ipſi erant qui gloria & honore
celebres & illuſtriſſimi præminebant, & aſperna
bantur cæteros, modò autem deſpecti iacent, in
putredinem & cinerem redacti. Hæc licet uera
& ſolida ſint, & mentis ſiue ſpiritus: à multis ta-
men non percipiuntur. quia, ut Apoſtolus ſcribit:
[f] Carnalis homo nõ percipit ea quæ ſunt ſpiritus.
[g] Cũ aũt ſcriptũ ſit: [h] Multæ tribulationes iuſto-
rum, et de omnibus ijs liberabit eos Dominus: pij
homines cruciatib. diris torquentur nonnunquã,
ita ut deficiant, & animam quaſi efflare uelle ui-
deantur: ſemper tamen ipſi Deo cõfidunt, in ipſum
ſperantes. Vaſa figuli, ſcriptũ eſt, [i] probat fornax:
et uirũ iuſtũ tentatio. Veriſſimũ hoc. nunquã enim
patientia cum ex uoto nobis ſuccedit, conſpicitur
& inclareſcit. [k] Confitebitur tibi, inquit Pſalmo-
graphus, cum benefeceris ei. In hoc itaq; mens iu
ſta ab iniuſta diſcernitur, quòd illa licet aduerſis
atteratur, nunquam tamen à ſpei rectitudine di-
ſcedit. inſuper omnipotentis Dei laudem & inter
aduerſa confitetur. hæc autem non item: ſuccum-
bit enim, & cum rebus ipſis perituris frangitur.
Electi culpis ſuis nunquam parcunt, & poſſunt iu
dicem culparum placatum inuenire. ita Dauid di-
cebat: Quoniam iniquitatem meam agnoſco, & Pſal.50.
peccatum meum contra me eſt ſemper. Nec Pau-
lus malè docuit et locutus eſt: Si noſmetipſos iudi- 1.Cor.11.
caremus, non utiq; iudicaremur. Arguant itaque
omnes coram Chriſto ſcelera & delicta ſua, &
ipſum habebunt abſque dubio optimum Saluato-
rem. Dixit enim: Venite ad me omnes qui labo- a Rom.2.
ratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Iuſti Matth.11.
& uenturi iudicis diſtrictum ſemper contemplan
dum iudicium. reducenda ad memoriam pecca-
ta, & uenia deprecanda eſt, ab eo qui ſolus dimit-
tit peccata. Stemus ergo cum publicano illo in cõ- Lucæ 18.
ſpectu Dei, ut poſt confeſſionem iuſtos ipſe nos b Eſaiæ 42.
pronunciet, ut non ſimus phariſæi & hypocritæ,
qui dum ſe ſanctos eſſe autumant, nihil uel parum c 1.Ioan.2.
cogitant de malè perpetratis. Hos autem non no- d Pſal.1.
uit Deus: non enim nouit illum glorioſum phari-
ſæum in templo multa quidem iactantem opera,
quem alij imitati in nouiſſimo die æquè repulſam
patientur, quibus dicturus eſt Chriſtus: Abite uos
operarij iniquitatis, ego enim neſcio uos. Optimum
quidẽ et cõſultiſſimũ erit, ut nobis ſemper iniqui-
tatem tribuamus, & nos eſſe ſummos peccatores
cognoſcamus, quos ſolus purget omnipotẽs Deus,
reosq; ex gratia iuſtificet. Erant omnium iuſticiæ, Eſaiæ 64.
dicente Propheta, tanquam pannus menſtruatæ e Geneſ.3.
mulieris: mundati autem ſunt, et iuſtificati, ut Pau
lus inquit, gratis per Chriſtum, ita ut Eccleſia iam Epheſ.5.
ſit ſancta & immaculata, non habens maculam
neque rugam, lota ſanguine ipſius. Qui in eum
credunt, non habent manus plenas ſanguine, ſed
ipſis apertè dicitur: Vos eſtis gens ſancta, regale
ſacerdotium, & populus acquiſitionis. Hoc tamen f Animalis ho-
nihilominus inconcuſſum & ueriſſimum manet: mo.
quia lubricum humanæ uitæ iter, & iuſtus, iuxta g 1.Cor.5. h Pſal.33.
Scripturam, ſepties in die cadit, nemine in hac ui- Prouerb.24.
ta prorſus ab omni peccato innocente. propterea 1.Ioan.1.
Ioannes auſus dicere fuit: Si dixerimus, quia pec-
catum non habemus, ſeducimus noſmetipſos, &
non eſt in nobis ueritas. tacitis itaque conſumi-
mur peccatis, ſemper accuſatricem conſcientiam i Eccleſ.2.
habentes, urentem mentem, & cor inquietum.
Hinc certè rogandus ipſe Deus, ut duram percuſ-
ſionem à nobis tollat, & formidinem deterrentẽ. k Pſal.42.
Et ipſe admodum, fidelis eſt, ut nunquam nos de-
ſtituat ſua ope, ſuoq; auxilio. Accedamus modò ad
thronum gratiæ ipſius, leuantes oculos noſtros, et
dicamus: Cur faciẽ ô Domine tuã abſcõdis? Tuus
clemẽtiſſime Deus propheta dixit: Aperiẽte te ma Pſal.144.
num tuã omnia implebuntur bonitate, auertente
aũt te faciẽ tuã omnia in puluerẽ ſuũ reuertentur.

Ne igitur, obnixè precamur, auertas faciem tuam à nobis, & ne declines in ira à ſeruis tuis: hoc eſt, ne dimittas nos ut pœnæ tradas, quin potius fiat quod olim factum legimus, quomodo tu ſcilicet Exod.3. *Moiſi dilecto ſeruo tuo apparuiſti, ac dixiſti: Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui. Quid enim ſumus nos quàm folia quæ ab arbore uitæ in paradiſo cecidimus, qui tentationis uento rapimur, & deſideriorum flatibus leuamur? Ne tangat nos manus tua, quos tam infirmos eſſe cognoſcis. Et cum ſcripta tua maneāt: quia enim ſcripſiſti, Terra es & in terram reuerteris homo: licet unigenitus filius tuus mortē moriendo deſtru-* a Pſal.142. *xerit, tamen hæc ſentētia de morte carnis noſtræ non mutatur. Quis eſt enim homo qui uiuit, & nō* b Pſal.50. *uidebit mortem? Quæſumus omnipotens pater, et miſericors Domine, ne ſcribas contra nos amaritudines: hoc eſt, ne ſuper nos diu perdurent afflictiones, perturbationes, & calamitates immiſſæ. Adoleſcentiam noſtrā aptam bonis operibus & actibus ſcimus quidem: at quis noſtrûm qui non iuſtè in memoriam reuocare debeat delicta iuuentutis ſuæ, & ignorantias? lubricum eſt humanæ uitæ, & adoleſcentia in primis uicina lapſibus, unde uix fieri poteſt ut recta ſemper incedat, & pro-* c Epheſ.5. *pterea ſemper monitore & rectore opus habens. Noſtras ô Deus omnes obſeruas ſemitas. Tu enim corda & renes ſcrutaris, actus cogitationesq́;* d Ioan.1. *noſtras: quamobrem reddituri ſumus in illo die rationem de uerbis etiam ocioſis. Beati eſſent itaq́; qui te timentes ſemperq́; pauentes ambularent in lege tua Domine. Quid enim aliud ſumus quàm putredo conſumenda, quam in ſemetipſo omnis habet homo, quemadmodum ueſtimentum tineam, à* Eccleſ.10. *qua comeditur? Quid igitur ſuperbis terra & cinis? ait ille: utinam ô ſi omnes nouiſſima illa memorarentur. Hæc communis lex eſt, à qua nemo hominum exemptus erit. licet totum mundum lucra-* e Eſaiæ 38. *retur homo, tamen nihil eum à morte defendere & liberare poteſt. Optimè dixiſſe mihi ille uide-* Lactan. *tur:* Nihil nobiſcum ferre poſſumus, quàm uitam bene atq; innocenter actam. *Si res humanas bene conſideramus, q̄d quæſo ubiq; inuenies quàm ſummam miſeriam, dum homo multis ac uarijs diuexatur malis? Multa cautela, inquit Gregorius, cuſtoditur corporis ſalus, & amiſſa cum graui labore reparatur: nonne autem miſeria eſt, tantis* Ecclef.2. *tamq; uarijs grauari curis, ut nec per noctem, ut* f Epheſ.2. *ille inquit, mens ipſa conquieſcat? Quid proinde nati homines in mundo quàm quidam flores agrorum, qui poſtquam floruerunt areſcunt, decidunt & putreſcunt, nec fixū ſtatum habent in hoc mundo: quia hoc ipſum uiuere omnium hominum quotidie uelut umbra fugit, tranſimus omni quaſi momento, fugimus & morti appropinquamus. Mens quoque noſtra ſemper ad aliud impellitur, quàm eſt ipſa: & eſt mutabilis ſemper, ut cum ad meliora tendat, quaſi contra torrentem nitatur. Quocirca quiſque* Dei *omnipotentiam & ſuam ipſius infirmitatem conſiderare deberet. Quid creatura ad creatorem, quid homo Deo comparatus? muſca ad elephantem. Orandus itaq; ſemper eſt Altiſſimus, ut oculos ſuos ſuper nos nō aperiat, id eſt, iudicia nō exerceat puniatq́;: ſed clauſis oculis nos regat, hoc eſt, parcat peccatis noſtris. quòd quidē Dauid fecit, ubi dixit,* [a] *Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia nō iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens: ſed potius,* [b] Miſerere mei ſecundū *magnam miſericordiam tuam. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis peperit me mater mea. Ergo omnes immundi ſumus: quis igitur faciet nos mundos de immundo conceptos ſemine? Equidem ſolus Deus uerus ille purificator mentium coinquinatarum prauis affectibus: ſanctus enim ſanctorum eſt. Qui hoc de filio Dei Chriſto intelligere uolunt, non ineptè faciūt, cum de Spirituſancto conceptus ſit, & natus ex uirgine, & propterea mundiſſimus,* [c] *à quo ſolo mundi facti et ſanctificati ſumus, et ſubinde mundamur, quoties dimittit nobis delicta noſtra, & emundat nos ab omni inquinamento & iniquitate.* [d] *Vita aūt omniū hominum eſt uapor modicū parēs: quia tanta uelocitate dies hominis tranſcurrunt, ut qui centū annos uixerit, unū diē uixiſſe uideatur. Et cum nihil in hoc mundo abſq; occulto omnipotentis Dei iudicio ueniat, præſcientis & diſponentis tam uiſibilia q̄ inuiſibilia, ita quoq; homo quilibet ſixū uitæ terminū habet. Quod ergo Ezechiæ dixit pphetа, Diſpone domui tuæ, quia morieris: & tamen adhuc quindecim annos addidit Deus, nec mendax fuit Propheta, nec cōuulſa ſtatuta Dei,* [e] *q̄a ut implorāti Ezechiæ uita extenderetur præfixū fuit. Qui igitur ſanæ mētis ſunt, petūt ut flagella ceſſent, deſinatq́; ferire ipſos De⁹, quo liceat requieſcere donec optatā mercedē, hoc eſt æternam uitā in recōpenſationē laborū accipiant. Hāc enim ſpem habemus nos in Chriſto, qui nos de maledicto legis, cui omnes propter peccatū eramus obnoxij, amiſſa iuſticia & ueſte innocentiæ, & ut Paulus ait,* [f] *Filij iræ et æternæ damnationis, liberās iuſticiæ reſtituit, et ſanctificationi, ita ut iā ſimus hæredes Dei in regno cœlorū. Dicit enim pater filij illius prodigi, Afferte primam ſtolam citò: hoc eſt, innocentiam quam homo à ſerpente*

perſuaſus

perſuaſus perdidit in paradiſo. Hoc autem non fiet
ante nouiſſimum diem: non enim dormientes reſur
gent donec atteratur cœlum. Niſi mundi huius fi-
nis aduenerit, humanum genus à ſomno mortis
ad uitam perpetuò duraturam non euigilabit. O-
portet primùm, inquit Apoſtolus, mortale hoc in-
duere immortalitatem, & corruptibile hoc in-
duere incorruptionem: tunc fiet ſermo, Audient
enim omnes uocem filij. & ſicut citius homo à
ſomno euigilat, ita concitè ad conditoris nutum à
morte corporis reſurgent: & qui bona fecerunt,
procedent in reſurrectionem uitæ, qui uerò mala
egerunt in reſurrectionem iudicij: Ioan. 5. Quis
autem nobis tribuet ut in inferno, hoc eſt ſepul-
chro (ſic enim multi docti uiri legunt) protega-
mur? uel, cum omnis homo quamuis mundæ &
probatæ uitæ locum illum damnatorum, in quo
epulo clamauit ad Abraham, ſit ingreſſurus, niſi
habeat defendentē & liberantem ſe. Certum eſt,
ſanctum uirum myſterium incarnationis filij Dei
uidiſſe, adeoq; ipſum uenturum mediatorem, &
redemptorem. Chriſtus itaq; eſt atq; erit prote-
ctor noſter, noſq; abſcondet, donec pertranſeat
furor omnipotentis Dei, quo operarios iniquita-
tis dignis deſtinabit ſupplicijs. Olim tranſiuit Do
minus filios Iſrael, percutiens Aegyptios: & nunc
quoq; propter meritum paſſionis filij ſui Ieſu Chri
ſti electos pertrāſijt. uidet enim ſanguinem ipſius,
et non ſinet percuſſorem ingredi ad illos: imò, Vo
lo, inquit Chriſtus, pater, ut mecum ſint quos de-
diſti mihi. Et hæc eſt illa plenitudo temporis cuius
Apoſtolus meminit, tempus omnium temporum
longè gratioſiſſimum, quo Deus noſtrā uidens af-
flictionem & calamitatem, noſtri miſertus eſt, et
miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis no-
ſtris. Verùm putas'ne mortuus homo rurſum ui-
uat? [a] Vtiq;, & dubio procul, cum dixit Deus: O'
mors ero mors tua, morſus tuus ero inferne. &
Danielem mirimè reijciemus, dicentem: [b] Qui
dormiunt in puluere terræ, euigilabunt, alij in uitā
æternam, & alij in opprobrium, ut uideant ſem-
per. Vbi ergo uiri iuſti ſunt, cunctis diebus quibus
hic militant, magno cum deſiderio expectant im-
mutationem ſuam, & ut uiuere poſt hanc uitam
poſſint in cœlis cum gaudio perenni. De qua qui-
dem immutatione egregiè ſcribit D. Apoſtolus di
cens: [c] Scimus quoniam ſi terreſtris domus iſta
diſſoluatur, quòd ædificationē ex Deo habemus,
domum non manufactam, ſed æternam in cœlis.
Et licet creditu difficile ſit, cum omnes uideamus
abire in cineres, & putredinem: eſt tamen certiſ-
ſima hæc de reſurrectiōe doctrina ſancti uiri. Vo
cabuntur ergo omnes mortui in nouiſſimo die uo-
ce archangeli, dicente Chriſto, atq; tuba Dei de Matth. 24.
tumulis excitabuntur, reſpondebuntq; uniuerſi
cum ad uerbum maieſtatis potentiſſimæ cineres
humanorum corporum uiuificabuntur, & exur-
gent ex mortuis incorrupti: cuius euidentiſſimū
exemplum exhibere uoluit Chriſtus, cum quatri-
duanum Lazarum è monumento ualida uocauit Ioan. 11.
uoce: ſimili enim modo omnib. porriget dexterā,
ut corruptibilis creatura ad incorruptionem re-
deat: manu illa potenti erigentur ex corruptione,
ut ad incorruptionis gloriā perueniāt, eamq; reti-
neāt, qui filij Dei precioſo redēpti ſunt ſanguine.
Cū aūt nemo ſit qui dicere queat, Iuſtus ſum et mū
dum eſt cor meū: meritò atq; ſeriò Dominū Deū
deprecabūtur homines, dicētes: Cum tu pijſſime
pater greſſus noſtros dinumeres, ſingula quæq; o-
pera noſtra ſignes. Quid enim te latet, corā cuius
oculis oīa nuda & aperta ſunt? ideo rogamus, ut
parcas peccatis noſtris. Adiuua nos Deus ſaluta-
ris noſter, & ꝓpter gloriā noīs tui Domine libera
nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter no-
mē ſanctū tuū. Hoc quidē fieri debet exēplo pijſſi
morū hominū per pœnitentiā. Signātur enim qua-
ſi in ſacco delicta noſtra: quia niſi ea ieiunio &
fletu diluamus, in ſecreto iudiciorū Dei ſeruātur,
donec in publico iudicentur. Ita enim olim dixit
Deus: Non'ne hæc cōgregata ſunt apud me, & Deut. 32.
ſignata in theſauris meis? In die ultionis reddā il-
lis. Cōſiderare uaria hic oportet, quomodo mōtes
magni defluūt, utq; celſæ turres grauiori decidūt
caſu. Equidē mōs aliꝰ erat Dauid, cū in regnū aſci
ſceretur: quid poſtea uerò, cum Natan eū increpa 1. Reg. 12.
ret nō tā de adulterio quàm homicidio perpetrato?
miſerrimus, immerſuſq; adeò malis, ut ad Dom. nū
de profundis malorū clamaret: Si iniquitates obſer
uaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Hoc fi- [a] Oſeæ 13.
liū ipſū Salomonē adeò nō reddidit cautū, fortiſſi-
mum quidē ſeu prægrandē lapidē, ut etiā peiora in 2. Reg. 11.
Deū cōmiſerit. aquæ uitiorū hūc lapidē excauaue [b] Dan. 12.
re, ut ex immodico mulierū uſu eò productꝰ ſit, ut
uiuū & uerum Deum linquens, non ſit cunctatus
cum deteſtanda meretrice adorare Deos alienos,
ipſiſq; ſtruere templū: qui prius, ut literæ ſacræ te- 3. Reg. 8.
ſtantur, domū alterum miraculū mundi Deo fece
rat Hieroſolymis. Vigilate itaq;, ait Chriſtus: &
Apoſtoli monēt nos fideliter, ut attendamus nobis [c] 2. Cor. 5.
ab ipſis impuris ſpiritibus. Semper memoranda Matth. 24.
noſtra nouiſſima, quòd ſcilicet homo non ſic in ni Epheſ. 6.
hilum redigitur quemadmodum bruta & beſtiæ: 1. Pet. 5.
ſed tranſit ubi uel ſemper gaudeat, uel ſempiter-
na ſupplicia habeat. Et quòd pallida mors æquo

pede pulſat pauperum tuguria, & regum domos.
Omnes ab his mundi rebus recedunt, ſiue nobiles
a Rom.14. ſiue ignobiles fuerint, & ignorant cui bona congregarint
ſua: non enim intelligunt quid hic agatur. neſciunt uita functi omnino, mores & actus
ſeu opera in terris degentium, quorum caro dolet,
& anima luget, quia uita hominis multis miſerijs
eſt ſubiecta: pij autem propterea ingemiſcunt,
2.Cor.5. quòd dicente Apoſtolo, libenter uellent ſuperueſtiri,
& ut abſorberetur quod mortale eſt à uita.
b Ioan.8. quemadmodum Dauid ex animo uoluit atq; opta
Pſal.41. uit, cum dixit: Quemadmodum deſiderat ceruus
ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te
Deus. Sitiuit anima mea ad Deũ fontẽ uiuũ, quando
ueniam & apparebo ante faciem Domini? Bo
c Lucæ.12. & 16. ni ac probi homines quanto magis finem uitæ ſuæ
in foribus eſſe cognoſcunt, tanto ſemetipſos ſeuerius
diſcruciant, habentq; ſpiritum attenuatum,
cor contritum & humiliatum, dum etiam malarum
cogitationum pœnitet, quibus certè uix carere
poſſunt. Impij autem nullo modo ita ſe gerunt.
d Pſal.48. Neſtoreos eos enim ſe poſſe uiuere annos confi-
Sapien.5. dentes, dicunt in cordibus ſuis: non eſt Deus. Rurſum
pij nihil huius mundi appetunt, quum omnib.
illis iamdudum contradixerint, ueluti uerè mundo
mortui. Qualis quidem fuit D. Apoſtolus, quia
Galat.6. dixit: Mihi crucifixus eſt mundus, & ego mundo.
Hinc ſanè pfecta uita eſt mortis imaginatio,
quòd ſola ſepulchra nobis ſuperſint. Nec mirum
nos habere debet, iuſtos ipſo Deo flagellari, uel
etiam ut nobis uidetur, ultra condignum: quem e-
Hebr.12. nim diligit Deus, inquit Scriptura, flagellat. Triſticiam
quidem habent, ſed quæ uertetur in gaudium,
quod nemo ab eius auferet. Quapropter affla
ti ſpiritu diuino, non ceſſant clamare ad Dominũ,
ac dicere: Libera nos Domine. Si tu noſter eris
protector, & liberator: ſi tu pro nobis, quis con-
Matth.16. tra nos? Nos ſumus Eccleſia tua Ieſu, cõtra quam
e Galat.6. dixiſti etiam inferorum portas non præualituras.
Non timemus igitur ſæuientem mundum atq; Sa
nam, quia tu nobiſcum es, à te munimur atq; defen
f Matth.5. dimur. Secus autem faciunt reprobi, quia etſi cor
pora eorum ſub diſciplina ſint & puniantur: corda
tamen ſeſe nunquam demittunt, quin contradi
Lucæ 23. cunt iuſto iudicio Dei. Exemplo ſit latro ille à ſini
ſtris Ieſu ſuſpenſus patibulo: is enim non peccata
& ſcelera ſua repetit, & ſe meritò tantam ob flagitia
pœnam pati cõſiderat, ſed blaſphemat ipſum
g Eſaiæ 5. Deum & inſontem Chriſtum: & propterea non
exaltabuntur, ſed deponuntur, & deijciuntur. Au
1.Pet.5. diamus itaq; Petrum dicentem: Humiliemus nos
h Matth.11. ſub potenti manu Dei, ut exaltet nos in die uiſitationis.

Quare rebelles illi? Nunquid figmentũ dicet
ei qui ſe finxit, quare me ſic finxiſti? Siue uiui
mus, inquit Paulus, [a] ſiue morimur, Domini ſum[a].
Ab ipſo ſolo itaq; dependeamus, & in ſolijs ſedebi
mus beatorum: ſpes noſtra Chriſtus ſit, & ipſe
erit merces noſtra nimis & copioſa. Multa quoq;
Satan pollicetur ſocijs ſuis ac filijs, omnibus ſcilicet
iniquis ac perditis hominibus, quos pro filijs
agnoſcit ipſe, quia de eius praua perſuaſione in ma
licia generantur: quales Iudæi fuerũt, quibus proinde
dixit Chriſtus: [b] Vos ex patre diabolo eſtis.
promittit ergo eis diuitias, potentiam, honores, &
quicquid eſt harum caducarum rerum: ſed fallit
eos, quia nihil ſecum auferunt, & illic in inferno
fiunt miſerrimi, & pauperiores Codro. ita falſus
eſt diues ille apud Lucam, [c] quia horrea ſua uolebat
maiora facere, requieſcere, bibere & epulari:
et alius quoq; apud eundem, qui induebatur purpu
ra & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Hi
aũt omnes defecerunt & deficient, quia Scriptura
atteſtante, nõ deſcendet cum impio gloria eius:
ſed ut Sapiens ille dixit, dicẽt [d] iam in gloria appa
rente, & maieſtate ſumma, filio Dei Chriſto:
Quid profuit nobis ſuperbia, aut diuitiarum iactantia
quid contulit nobis? Melius itaq; ac rectius
faciunt qui theſaurizant ſibi in cœlo, quos
uidebũt impij, atq; dicent: Hi ſunt quos habuimus
aliquando in deriſum: nos inſenſati, uitam illorũ
æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore:
Ecce quomodo computati ſunt inter filios
Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. propterea
quamdiu in uiuis eſt iuſtus, tenebit uiam ſuam, ita
ut quicquid acciderit ei, mundis manibus fortis
perſiſtat ac deuotus, indignationem omnem flocci
faciat: quandoquidem ad ſola bona cœleſtia mentem
erexit, quæ ſibi cum malis communia eſſe nõ
poſſunt. Habent enim hypocritæ gloriam & honorem
ſuũ. unde D. Paulus: Mihi, dicebat, [e] abſit
gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.
Et non ſolùm ille, uerùm quoq; alij Apoſtoli martyreſq;
leuabant oculos in ſuſpenſum & crucifixum
Chriſtum, quia dixiſſet eis: [f] Gaudete &
exultate, quoniam merces ueſtra copioſa eſt in
cœlis. Igitur uos omnes conuertimini, & perpendite
ſummam illam æternitatem, conuerſi fide ue-
nite opere. Et licet nullus uerè ſit ſapiens: ſapientia
namq; uera apud altiſſimum habitat, quæ confundit
alios, qui ſibi uidentur admodum ſapientes,
ſicut ſcriptum eſt: [g] Væ uobis qui ſapientes eſtis
in oculis ueſtris. Et Chriſtus ipſe ſacra myſteria
non ſapientibus, [h] ſed paruulis reuelata eſſe dicit:
tamen ſecundum Deum, ſapientum ſapientiſſimi
eſſe

eſſe poſſunt, quo rectius mihi ille dixiſſe uidetur: Scire Chriſtum, optima eſt ſcientia. Sic ſapientes omni tempore tranquilli & quieti ſunt, ex omnipotentis gratia: ipſorum enim cogitationes ſtatim diſſipantur. & ut aliquando tempora ſint nubila licet, nihilominus tamen apud illos uerißimum eſt quod dicitur, Poſt nubila Phœbus. Nam certò confidunt ac ſperant, aduerſa tranſire, & proſpera illuceſcere, atq; poſt noctem præſentis uitæ æternum lumen ſiue ſolem illum iuſticiæ, qui orietur omnibus piè credentibus & uiuentibus. Nec mouere eos poteſt, quòd domus multorum infernus eſt. Etſi enim ante aduentum Chriſti in hunc mundum, atq; ipſius mortem, etiam perfectißimi iniuſticiæ operibus ex corporibus egreßi, ad cœleſtem patriam nullo modo peruenire potuerint: tamen per Chriſtum aperta eſt ſic ianua regni cœlorum, ut qui prius erant in ſinu Abrahæ iuſti, ubi requiem habebant, inſuper quoq; ſedebant in tenebris, quia ſaluatorem multis retrò ſeculis expectatum non uidebant: iam publicato Euangelio, poſt deuictam mortem gaudeant in cœlis, & per Chriſti gratiam redempti omnes electi, uita functi ad cœleſtia regna ducantur. Cuius cum certi eſſent Stephanus atq; Paulus, unus inter ſaxa ſuſpiciens dixit, [a] Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum: [b] Alter uerò, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Quid igitur nocet, putredinem patrem eſſe noſtrum, & uermes matrem atq; ſorores noſtras? Mortalitas hæc per peccatum facta eſt atque uenit, cui ineſt corruptio, & corruptioni putredo. Adam enim ſi permanſiſſet in ſtatu innocentiæ, nullam unquam ſenſiſſet corruptionem. At quamprimùm præuaricatus eſt, mors fuit ſecuta, non tantum corporis, ſed etiam animæ. quemadmodum egregiè docet diuus Paulus: Per unum hominem, inquit, peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita mors in omnes pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. Quis eſt igitur homo qui uiuet, & non uidebit mortem? Sunt quoq; noſtri uermes mali atq; peruerſi concupiſcentiæ ſtimuli, qui ſubinde ex praua hominis natura generati, animum hominis mordent, unde homo tabidus fit, magisq; ſqualidus quouis leproſo: ubi eſt ergo præſtolatio noſtra? non certè in felicitate quam nobis pleriq; promittunt: ſed ſolus iuſtus & iuſtificans Deus hæc præſtolatio noſtra erit, qui idcirco ad pœnas humani generis deſcendit, ut captiuos mortis iuſticiæ ſuæ uirtute liberaret. Quem uiri iuſti uſque adeò præſtolati ſunt, ut obnixè ſunt precati, atque ipſum cœlum diſrumpi exoptarint, quo deſcenderet qui liberaturus eſſet populum ſuum à peccatis eorum. Iſta perpendere fideles debent, atque cum Paulo apoſtolo deſiderium habere diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Redempti enim ab inferis, ad ſuperna reuocantur. Quare etiam pij in carne poſiti fortes ſe in cruciatibus manifeſtant, propter retributionem. Quo pacto & Apoſtoli iniurias patienter ſuſtulerunt. Ita enim Iacobus ſcribit: Beatus uir qui ſuffert tentationem, quia cum pro- Iacobi 1.
batus fuerit accipiet coronam uitæ, quam repromiſit Deus his qui diligunt illum. Hic uidemus quorundam præſumptuoſam temeritatem, ubi audiunt humani generis redemptionem, quaſi iam amplius nihil periculi ſit. Diſcamus ergo nos uenturum iudicem expaueſcere. Qui enim dixit: Sic dilexit Deus mundum, ut unigenitum ſuum Ioan.3.
daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam: hic quoque dicturus eſt, Proijcite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Item qui dicit, Ego Matth.22.
ſum reſurrectio, & uita, &c. is idem ait: Non qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in re- Ioan.11.
gnum cœlorum, ſed qui facit uoluntatem patris Matth.7.
mei qui in cœlis eſt. Porrò ut uir ſanctus uidet ſe ab omnibus deſtitutum, oſtendit grauitatem ſuæ afflictionis, cum conſumptam dicit a Actor.7.
carnem ſuam ab ulceribus & doloribus, ac in- b Philip.1.
quit: O' uos omni lapide duriora corda habentes amici mei, quare me contumelijs afficitis? non ſatis eſt uobis, quòd Deus me afflixit? Inſpicite me miſerum, ut ad condolendum commoueamini. Non Satanas me ut impium percußit hoc ulcere peßimo, ſed Dominus Deus iuſtus iudex, cuius iudicia abyſſus multa. In tanta autem miſeria & afflictione uir Spiritu ſancto plenus, cor atque mentem eleuat ad ſempiterna illa bona, quæ erunt in futuro ſeculo. Vtinam, inquit, ſermones mei duris inſculpantur lapidibus, ut in ſecula ſeculorum permaneant. Quid tum quòd tam dira patior, cum pro his malis bona ſim recepturus inæſtimabilia? Scio enim, quòd redemptor meus uiuit, qui poſtquam omnia creauit, ut nos de captiuitate redimeret, inter nos incarnatus apparuit, ſuáque paßione nos à perpetua morte liberauit. Nec fuit detentus à morte redemptor ille Chriſtus: reſurrexit à mortuis, & uiuit, & eam reſurrectionem in nobis etiam quandoque facturus eſt. Et hoc firmißimè credo. in illa reſurrectionis gloria rurſum circundabor pelle mea, corpus recipiam ſubtile per effectum ſpiritalis potentiæ, ſed palpabile per ueritatem naturæ.

Et

Et licet hic modò ſedeam in ſtercore, & totus
uulnerum ſanie computreſcam: tamen uidebo De-
um Saluatorem meum, poſtquam hæc caro in re-
ſurrectione futura glorificabitur. Hæc eſt ſpes
mea: nihil certius credo, nihil firmius teneo. At-
tendamus hanc egregiam de carnis noſtræ reſur-
rectione prophetiam, ut credamus, quòd ſicut
a Actor.9. Chriſtus reſurrexit à mortuis, ueramq; carnem
habuit, quam iam in cœlo eſſe confitemur: fore ut
noſtra corpora configurata corpori claritatis
ſuæ, in cœlum quoque inferantur. Vnde etiam
b Gen.49. Chriſtus dubitantibus de ſua reſurrectione diſci-
c Apoc.5. pulis, oſtendit manus & latus, ac dixit: Palpate
Lucæ ult. & uidete, quia ſpiritus carnem & oſſa non ha-
bet, ſicut uidetis me habere. Hinc equidem ſem-
per nouiſſima memoranda erunt, atq; nobis cogi-
tandum quod Chriſtus dixit: Venit hora, quando
omnes qui in monumentis ſunt, audient uocem fi-
Ioan.5. lij Dei, & procedent qui bona fecerunt in reſur-
rectionem uitæ, qui uerò mala egerunt, in reſur-
rectionem iudicij. Et ut piè admodum nos docet
uir ſanctus, fugere debemus à facie gladij: hoc eſt,
formidare futuri iudicij ſententiã. Fugiunt autem
eum gladium, qui precibus ſubinde Deum placãt,
d Pſal.65. dicentes: Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo,
quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis ui-
uens. Docet autem, cum inquit, Scitote eſſe iudi-
e Lucæ 9. cium, maturè Deum placandum precibus, ut
eum qui prauorum facta iam quaſi neſcius ac taci
tus ſuſtinet, in illo uerè tremendo examine omnia
Soph.1. reddet iratus, & placari iam non poterit. Vnde
dies illa, dies iræ & calamitatis, & ualde amara
dicitur, in qua ultor iniquitatum diſtrictà animad-
uerſionis ſententia procedet. Hæc ſententia &
potentia æquiſſimi iudicis, quia uerenda omni mo
f Actor.9. do, ait Iob: Quoniam ubiq; amaritudine circumda
tum me eſſe ſentio, conſultiſſimum eſſe uideo, ut
me totum ad Deum ipſum conuertam, cum con-
ſcientiæ meæ fiducia. Quis mihi tribuat, ut per fi-
g 1.Reg.3. dem eum perfectè cognoſcam, quem ſcio eſſe ſum-
mum atq; uerum bonum? Et nos illum imitari de-
Lucæ 17. bemus, atq; cum diſcipulis dicere, Domine adau-
Eſaiæ 55. ge nobis fidem: & qui ait, Quærite me dum inue-
niri poſſum, inuocate me dum propè ſum, præſtò
Hebr.4. erit. Et diuus Paulus iubet, ut cum fiducia acceda
mus ad thronum gratiæ Dei, ubi aſtant qui di-
Eſaiæ 6. cunt: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus
Zebaoth. Oportet autem mentem eleuare ad i-
Lucæ 15. pſum Deum, ut exactè iudicium ipſius contem-
plemur, & ut ad cognitionem noſtrarũ actionum
reuocati, increpemus noſmetipſos, & dolentes
h Actor.17. nos Deum offendiſſe, dicamus cum illo: Pater pec

caui in cœlum, & coram te: Tu qui omnia uides, hominum corda ſcrutaris, ante cuius tribunal nos omnes manifeſtari oportet, ut referat unuſquiſq; propria corporis prout geſſit, ſiue bonum ſiue ma lum, dele benigniſſime pater omnes iniquitates noſtras. Nam ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? ferre nequaquam fortitudinem tuam poſſumus, [a] imò cum Paulo protinus cadimus in terram. Ergo æquitatem petimus: æquitas eſt filius tuus, mediator inter te pium Deum, & nos miſeros mortales, qui factus eſt nobis ſapientia & iuſticia, [b] ac triumphans ille leo de tribu Iuda, [c] qui potenter uicit infernum, diabolum & mortem: ut iam non ſimus amplius filij iræ ac mortis, ſed gratiæ Dei, & uitæ æternæ. Tu ubiq; es, omnia ultra temetipſum habens: cernẽs cuncta, et nemo te cernit: ſpiritus es enim, & incircumſcriptus. Tu ſcis, ut omniſcius, omnes actus cogitationesq; noſtras, de quibus quid decernas nemo hominum nouit. Cæterùm quemadmodum aurum igni probatur atq; clarum redditur: ita quoq; iuſtorum animæ exuſtione tribulationis purgantur, & clariſſimæ fiunt: per quæ hunc ignem tranſeuntes, educuntur in refrigerium, dicente Propheta. [d] Hoc autem operatur ipſe Deus, qui bonos atq; malos, iuſtos & iniuſtos diſponit & regit. Ipſe præceſſit Chriſtus, & propterea dixit: [e] Qui uult uenire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Nos itaq; uirtutẽ pietatis eius intueri debemus, et eam intuentes imitari contendere. Sed ô durum uerbum, quàm difficilè præſtatur quod nobis præceptum eſt. Sumus nos quidem famuli Dei: quemadmodum autem obſequentes famuli dominorum ſuorum uultibus intendunt, atq; dependũt ab illorum ſemper ore, ut audiant & iuſſa capeſſant: [f] ſic nos oporteret ac deceret cogitatione & auiditate omnipotenti Deo aſſiſtere, & dicere cum Paulo: Domine, quid nos facere uis? Et cum alio: Loquere Domine, quia audiũt ſerui tui. [g] Cum autem loquatur nobis Deus in Scripturis ſanctis, primũ conueniret frequenter audire uerbum Dei, ac deinde cuſtodire illud. Cuſtodiunt autem, qui quòd fideli animo conceperunt, utuntur ad gloriã ſummi patris, & commodum proximi: quemadmodũ ſi quis theſaurũ reſeruat, quẽ in uſus uarios ſi opus ſit, expendat. Et quomodo nõ ſumma ueneratione dignus eſſet ille Deus, cum ſolus ſit in quo cuncta ſubſiſtũt, à quo creata ſunt: quemadmodũ D. Paulus cum Athenis ſuperſtitioſam impietatem, & impiam ſuperſtitionem iurè reprehenderet, unum [h] dixit eſſe Deum, in quo uiuamus, moueamur, & ſimus?

ſimus? qui det omnibus uitam, & inſpirationem. Bene itaq; dixit Gregorius: Cunctorum eſſentia ad nihilum tenderet, niſi hic author omnium eam manu retineret. Quòd ipſe ſolus ſit, & quòd nemo auertere poſsit cogitationem eius, uel hoc potiſsimùm docetur, quod ad Moſen dixit: [a] Ego ſum q̃ ſum, et in manu potẽti et brachio excelſo eduxi Iſrael. Meritò dicemus: Tu es Deus, & quis reſiſtet tibi? cuius cogitationes nemo auertere poteſt. Quod enim Scriptura dicit de Niniuitis: Et uidit Deus opera illorum, quia conuerſi ſunt de uia ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper maliciam quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit, propterea non auerſæ fuerunt cogitationes Dei, ſed mutatis illis, mutauit & ipſe quoq; ſuam ſententiam, ut uerba uolunt: ita anima eius, hoc eſt, uis ipſa et uoluntas omnia penetrat, cunctaq; diſponit: cui equidem uoluntati nec illa obſiſtunt, quæ contra illam fieri uidentur. Nam & ſi angeli apoſtatæ peruerſè agant, & peſsimè uelint: uoluntas tamen eorum à Deo mirabiliter ordinatur, ut illorum quoq; inſidiæ utilitati bonorum ſeruiant. quos purgant dum tentant. Dicamus ergo, Domine fiat uoluntas tua. quam in nos utcunq; expleat Deus, & conturbet nos: nec tamen faciem mentis noſtræ infidelitas uel abnegatio Dei excæcare debet. habemus enim teſtimonium firmum, quòd omnium noſtrûm pater ſit, atque eſſe uelit. Et ad hoc data eſt nobis ſacra Scriptura uerbum Dei, ueluti lucerna pedibus noſtris, quæ certè ſuper caput Eccleſiæ ſplenduit, quando uerbum Chriſti mentium tenebras irradiat. Quam rem pij Apoſtoli minimè tacent, eamq; gratiam haud ſatis prædicare poſſunt: Epheſ. 6. Actor. 26. 1. Ioan. 2. Mira res, cum iam in omnem terram exiuit ſonus Apoſtolorum, & omnes homines nomen dederunt Chriſto, tunc erat anima una, & cor unum. Et erant ipſi fideles uiua templa Spiritus ſancti, in quibus habitabat per ſuam gratiam. Et nunc quoque habitat in omnibus ijs qui uerbum Dei audiunt, & cuſtodiunt illud. Nam ſic dixit Chriſtus: [b] Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Hos lauat Deus, cum ſolerti cura & doctrinæ ſtudio eos requirit, & infuſionem ſancti Spiritus eis miniſtrat, uerum ac ſalutiferum butyrum, quo illiniuntur & ſanantur omnia uulnera. cui haud ineptè conuenit quod dixit Chriſtus, [c] Samaritanum ſaucio homini illi infudiſſe uinum & oleum. de ſeipſo locutus eſt Chriſtus, qui uera illa petra, unde unctionis Sacramenta, quæ ſunt uaria dona Spiritus ſancti, nobis fluxerunt. de qua quidem pinguedine in Pſalmis dicitur: Sicut unguentum in capite, quòd deſcendit in barbam Aaron, & in oram ueſtimenti eius. Hoc unguentum, hoc inquam ſacroſanctum Euangelium, non occultum fuit, ſed à ſolis ortu uſq; ad occaſum magnum nomen Dei factum eſt in gentibus, dicente Propheta, & uſq; ad ultimum terræ. Non ſolum enim exaltauit ſuos doctores Chriſtus, ut annunciarent laudationes ipſius in portis filiæ Sion, ſed in omnibus finibus terræ: ſiquidem pater ad filium ſic locutus fuerat, Tu es filius meus, ego hodie genui te, poſtula à me, & dabo tibi terminos terræ. Hic filius, ut Paulus inquit, acquiſiuit ſibi glorioſam Eccleſiam, omni honore & reuerentia dignam. Omnis ſexus, omniſq; nationis homines ad gratiam illam percipiendam uocati ſunt, neque ullus reſpectus perſonarum fuit, quin omnes unum fuerunt in Domino, quos hincinde Apoſtoli collegerunt: quando tuba Euangelij inſonuit, omnes principes ceſſarunt, omnes dominatores gloriam Deo dederunt. Ita Romanum imperium poſt Syriam atque Aſiam Chriſto ſubiectum fuit: ſic Africa, Europæ aliæ partes, Aegyptus & India, ut adimpleretur quod dictum erat, omnis terra adoret te Deus, pſalmos dicat nomini tuo altiſsime. Primùm fecit hoc mulier quædam, dicens ad Ieſum: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ ſuxiſti. quam deinceps imitati fideles, gloriam dederunt Deo, ac dixerunt: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia uiſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Quoniam ipſi Apoſtoli reddebant teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti, & quòd is conſtitutus eſſet iudex uiuorum & mortuorum. Hinc noſtri martyres, id eſt teſtes, qui ſanguine fuſo teſtati ſunt hunc Ieſum eſſe Saluatorem mundi, idq; propter magnæ miſericordiæ opera, quæ omnia perfectiſsimè & abundanter ſancta præſtitit religio pauperibus ſpiritu, regnum æternum promittens clamantibus: Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Et hi pupilli quidem, quoniam omnes à natura erant filij iræ, quibus nemo hominum opem ferre ualebat. Omnes namq; erant facti inutiles, & conſtituti peccatores coram Deo: iuſtificati autem ſunt gratis per ſanguinem ipſius Chriſti, ut iam ſint filij adoptionis, & hæredes æternorum bonorum. Antequam lux uera orta eſt, Chriſtus ſcilicet, cæci erant omnes homines, & in denſiſſimis ſedebant tenebris: præcipuè uerò gentes idololatræ, ac impij uarijſq; erroribus obuoluti. Iudæi autem uidebant partim, quia tanquam uiſum legem

a Exod. 3.
Malach. 1.
Pſal. 2.
Epheſ. 5.
Lucæ 11.
b Ioan. 14.
c Lucæ. 10.

a Eſaiæ 55. *legem habebant, ſecundum uoluntatem Dei eos*
dirigentem. At claudicabant, quia in ea greſſum
recti operis non obſeruabant. De utriſq; Scriptu-
Eſaiæ 9. *ra ſic dicit: Populus qui ſedebat in tenebris, uidit*
Pſal. 17. *lucem magnam, &c. Et iterum: Filij alieni mentiti*
ſunt mihi, & claudicauerunt à ſemitis ſuis. Sed pu
b Matth. 11. *blicato Euangelio, & fide firmata, cæci illumina-*
ti ſunt, & claudi ambulauerunt, quemadmodum
per Prophetam dictum erat: Illuminare his qui in
c Epheſ. 1. *tenebris & umbra mortis ſedent, ad dirigendos*
Lucæ 1. *pedes noſtros in uiam pacis. Ita ſanè Chriſtus è*
dentibus diaboli eripuit prædam, quando ex erro
ris morſu animas uerbo & Euangelio ſancto re-
duxit. Talis præda Paulus fuit, cum ad fidem con
uerſus, cœpit annunciare ipſum Chriſtum, quem
prius fuerat perſecutus, eſſe ſalutem totius mun-
d Hebr. 4. *di. Nemo autem uerius iniquus eſt quàm Satanas,*
cuius molæ ſunt inſidiæ occultæ. Has confrege-
runt uiri ſancti, quando conſtanter ipſius nequi-
tiæ reſtiterunt. Et nunc quoq; ex ore ipſius præ-
dæ eripiuntur, cum omnes ueri ac fortes Chriſtia
ni omnes illius inſultus nihili pendunt, quin dicũt:
Tu Domine es protector noſter. atque cogitant
Matth. 16. *quòd dixerit Chriſtus: Super hanc petram ædifi-*
cabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non
e 2. Tim. 4. *præualebunt aduerſus eam. Demonſtratur ergo,*
quòd ſancta Eccleſia ſemper filios ſuos enutrit, &
Pſal. 83. *conſeruabit. Etenim iuxta Prophetam, paſſer in-*
ueniet ſibi domum, et turtur nidum ubi ponat pul
los ſuos: hoc eſt, ſponſa Chriſti Eccleſia in ea per-
durabit fide ſancta, quam redemptor ipſe prius
quàm reciperetur in cœlum conſtruxit, donec fi-
lios filiorum, quaſi pullos excubatos, et charitatis
gremio calefactos, ſurſum ubi Chriſtus eſt mit-
tat. Iſta ſancta Eccleſia difficulter ad fidem uenit
pacatiſſimam radicesq; egit firmas: at eo diutius
durabit. Nam ad finem ſeculi erit regnum Chri-
ſti, & poſt hunc iam demum glorioſius. Quoniã
radix illa Deus ipſe eſt, quando, dicente Prophe-
ta, ueritas de terra orta eſt, & iuſticia de cœlo
proſpexit. Gloriam itaq; Eccleſiæ ſubinde inno-
uatam omnes fateri neceſſe eſt. Illuceſcit Euan-
gelium in toto terrarum orbe: & iuxta Prophetã
Pſal. 7. *arcum ſuum Deus tetendit, & parauit illum: hoc*
eſt, cunctis peccatoribus per ſacram Scripturam
minatus eſt, eos tanquam incorrigibiles damnans.
f Tit. 1. *Fuerunt namq; Apoſtoli ſtrenui tanquam milites,*
qui ſacram Scripturam in manu tenentes, fortiter
Cantic. 3. *contra Satanam dimicauerūt, omnes, ut Salomon*
g Lucæ 18. *dicit, tenentes gladios, & ad bellum doctiſſimi. Fa*
ctum eſt autem, ut ſicut pluuiam uerbũ Dei exce
h Ioan. 16. *perint homines: quemadmodum uaticinatus fue-*

rat ille Propheta, & Dominus Deus dixit:[a] Sicut imber & nix inebriant terrã, & germinare eam faciunt: ſic erit uerbum meum, quod egreditur de ore meo. Ergo ut illi pij uiri docuerunt, ſitientes ueniamꝰ ad aquas, et aqua uina dabitur nobis abſq; argento. Huc uocat nos quoq; Chriſtus, cum inquit:[b] Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, et ego reficiam uos. In primis Chriſtus, ut Scriptura dicit, omnia operatur ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ.[c] Aduentus idcirco eius pijs omnibus gratiſſimus fuit, ita ut nihil eo prius neq; acceptius haberent, ipſumq; pro rege agnoſcerẽt, in quorum cordibus per gratiam regnabat, eosq; conſolabatur amicè. Hunc igitur conſolatorẽ noſtrum uſq; adeò decet ſuſpicere, ut adeamus cum fiducia ad thronum miſericordiæ ipſius. Et abſq; dubio, ut Apoſtolus ait,[d] inueniemus auxilium in tempore opportuno. Inquit enim Chriſtus: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum, & oſtendam illi ſalutare meum. Verùm cum multi ſint uocati, pauci uerò electi: ſanctum Euangelium à reprobis publicè irridetur, donec finiatur ſeculum: quibus creſcentibus in opprobriũ uertetur fides, & ueritas in crimen, & praui ſuis atq; nephandis moribus fugient illud: uel fiet, ut Apoſtolus præmonuit,[e] ut ſanam doctrinam amplius non ferant. Hoc factum eſt illi S. Stephano, imò ipſi Chriſto, cui dicebãt: Recede à nobis, ſciẽtiam uiarum tuarum nolumus. At propterea non obticetur ueritas. ſemper dicent præordinati ad uitam: Væ nobis, ſi tacuerimus: annunciabimus populis ſcelera eorum, ut liberemus animas noſtras. Dolet enim Eccleſia ſuuerti infirmos, prauorum non ſolum falſò dogmate, ſed etiam inſolenti uita: cui pro muro ſemper erit Saluator, & ipſe opponet ſe, ne maligni ſpiritus ad omnium corda uſq; ueniant, eosq; perdant. fit tamen, quòd Eccleſia Chriſti gemens conqueritur, ut unitas fidei ſinceritasq; ab ijs qui pernicioſes ſectas & perditiones introducunt, rumpatur, uel ſcindatur: et eo potiſſimum tempore, quando ſolutus eſt Satanas, ut ſeducat uniuerſum orbem. Cumq; ſic inſtigante dæmone fides in cordibus hominum prauorum, et diſciplina ſoluetur, cuncta bona opera cedent, & quæcunq; pia quantum in ipſis eſt ad nihilum redigentur. Confitebuntur quidem, ut Apoſtolus dicit,[f] ſe noſſe Deum, factis autem omnino negabunt. Quam ſanè prægrãdem miſeriam Chriſtus uidens, dixit:[g] Cum uenerit filius hominis, putas'ne inueniet fidem in terra? Interea multæ erunt tribulationes iuſtorum, ſed de his omnibus liberabit eos Dominꝰ.[h] In mũdo, dixit Chriſtus,

preſſuram

preſſuram [a] habebitis, in me uerò pacem. Nunc ergo bonis tempus afflictionis eſt, ut ſequatur illud ſummum gaudium, & timenti Deum bene ſit in extremis. Quid hoc ſeculum aliud quàm nox tribulationum? & opera malignorum, opera tenebrarum ſunt. Malignos uerò non ſolùm homines, uerùm etiam, & potius ſpiritus malos Scriptura dicit. D. enim Paulus piè admodum monet, [b] ut induamus armaturam Dei, quo ſtare poſſimus aduerſus inſidias diaboli: quoniam non eſt, inquit, nobis colluctatio aduerſus carnem et ſanguinem: ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Aduerſus eiuſmodi aſtutos inſidiatores fidei ſtat ſancta Eccleſia, induta charitatis ueſtimento, exq; intimis uiſceribus clamat ad eum qui ſolus auxilium & ſuppetias ferre poteſt, Chriſtum. Et ubi uidet uota differri, tamen non deficit, imò occulto omnipotentis Dei conſilio remittit. Et nouerunt pij illud egregium Iacobi dictum: [c] Beatus uir qui ſuffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam repromiſit Deus his qui diligunt eum. Quanquam afflictiones noſtræ ac inflictæ calamitates etiam propter peccata (quia in multis offendimus omnes) ab irato Deo, qui iuſtè pro peccatis noſtris iraſcitur, ueniunt. Nam, ut Petrus inquit: [d] Si angelis peccantibus non pepercit, ſed in tartarum tradidit cruciandos: ſi diluuio impium mundum deleuit, ſi Sodomam igni combuſſit: quo pacto parceret nobis indies peccantibus? Porrò cùm omnibus ſtatutum ſit ſemel mori, ſolatur ſe Eccleſia Chriſti in medijs tribulationum fluctibus mortis conſideratione, ac dicunt pij omnes cum Paulo: [e] Scimus, quòd ſi domus noſtra hæc terreſtris diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, ſed æternam in cœlis. Quia enim confidunt ſe reconciliatos Deo in Chriſto, non timent ab auditione mala, & ſe in perpetuam conſumptionem uenturos: ſed ira tantùm tribulatos, ut per ignem & aquam abeant in perpetuum refrigerium. Nec deſperant propterea quòd in peccata relapſi inueniuntur: quis eſt enim qui non peccet? Si dixerimus, inquit Iohanes, [f] quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt. Sciunt quoque, quomodo Chriſtus manu pietatis ſuæ alleuet omnes qui corruunt, & pœnitentes ſaluet: fidelis & iuſtus eſt, ſi confiteamur peccata noſtra, ut remittat nobis illa, & emundet nos ab omni iniquitate. Ipſe enim non uult mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur & uiuat. Venit enim ille quærere & ſaluum facere quod perierat. Oportet ergo afflictos eos eſſe atque humiliatos nimis, & cum gemitu dicere: O Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut quos delictorum cathena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſoluat. Et iuſtè Chriſtus de hominum impietate conqueritur, ſemper expectat ab illis bona: ſed ueniunt mala, quia diligunt homines plus tenebras quàm lucem. Ita ad conſummationem ſeculi uſque mali bonis commixti ſunt atque erunt, & ſemper iuſticia cum iniquitate uidebitur. Hinc Dominus ad Prophetam Ezechielē dixit: Filij increduli & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas. Et laudi ducitur quidem, ut pius inter impios uiuat, quorum illecebris irritari poſſet. ita ſuos Paulus laudat Philippenſes, quòd in medio nationis prauæ lucerent, ſicut luminaria in mundo, uerbum uitæ continentes. Verùm peruerſi admodum ſeparant ſe à communione iuſtorum hominum, &, ut Propheta ait, obſcuratur aurum, & color mutatur optimus, atrocius contra ueros & ſinceros in fide ſæuiunt: tunc pia quidem lamentatur Eccleſia, ac cum Hieremia ad Dominum clamat: Quis dabit capiti meo aquam, ut ſatis plangam mala quæ euenerunt? Hunc clamorem audiens Chriſtus: Cum ipſa ſum, inquit, in tribulatione, eripiam illam, glorificabo eam, longitudine dierum replebo ipſam.

a Ioan.16. b Epheſ.6. Ezech.2. Philip.2. c Iaco.1. Hierem.4. Ibid.9. d 2.Pet.2.

CAPVT XL.

RESpōdens autem Dominus Iob de turbine, dixit: Accinge ſicut uir lumbos tuos.] Scribit D. Iacobus omnibus pijs & electis de inuictæ patientiæ maieſtate, & ait: Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes uarias incideritis, ſcientes quòd probatio fidei ueſtræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Quæ quàm uera ſint, ex ſubſequentibus patebit. Poſtquam enim ſupra modum Iobum à Satana tentari Dominus permiſit, ipſe uerò tanquā Marpeſia cautes immobilis & infractus perſtitit: audit Dominum non tam protectorem quàm remuneratorem. Conſolatur itaq; Deus totius conſolationis, qui ſuos ſolet cōſolari in omni tribulatione ipſorum, uirum ſanctum & iuſtum, fortiſſimumq; athletam ſuum, & ait: Tu uir es, uias enim meas fortiter ambulaſti, uiriliter egiſti, cum undique circumdatus eſſes grauiſſimis infeſtationibus. Accinge ergo te itineri, mox eripiam te è tam

Deus etiā dominatur Behemoth & Leuiathan. Iacob.1. e 2.Cor.5. f 1.Ioan.1.

uaſto tribulationum lacu, ut glorioſum te faciam coram cunctis populis. Interrogabo te, & reſponde mihi.] Interrogatione illa uoluit Deus mentem eius erigere, quò ſuperna & cœlitùs permiſſa plenius ac perfectius conſideraret: Iob enim non plenè cognouit tam diræ perſecutionis cauſam. Nunquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, ut tu iuſtificeris?] Iudicia Dei omnibus hominibus occulta ſunt & incognita, at propterea non iniuſta. Quòd ergo uirũ innocentem, iuſtum & inſontem tradidit in manus impij, iuſto atq; optimo iudicio Dei factum fuit: ut ſcilicet in toto terrarum orbe inclareſceret, quantus ac qualis Domini ſeruus Iob ille fuiſſet. Et ſi habes brachium ſicut Deus, & ſi uoce ſimili tonas.] Similitudo eſt: non enim corporeus eſt Deus, ut Anthropomorphitæ uoluerunt. Quòd ergo dicitur habere brachia Deus, ſignificare nobis Scriptura uidetur, quòd omnia tangat cõprehendatq;, & quòd nemo de eius poſſit eruere manibus. Quemadmodum quoq; dicit ipſum habere oculos, ut innuat nihil eſſe in uniuerſo mundo, quod non cernat ipſe: omnia nuda & a-
Hebr. 4. perta, ut Apoſtolus inquit, coram eo. Nunc uerò quia Chriſtus uerus Deus & uerus homo eſt, Deus quoq; membra habet. Hinc Thomas ubi uidit ac tetigit manus & latus Chriſti, exclamauit
Ioan. 20. dicens: Dominus meus, & Deus meus. Et hinc Deo noſtro nulla unquam creatura ſimilis erit, ſimili uoce tonabit: Ipſe ſolus habet fortitudinem, uirtutem, potentiam, imperium, maieſtatẽ & gloriam, proinde dicens: Ego ſum Deus, ego ſolus, & gloriam meam non do alteri. Circunda tibi decorem, & in ſublime erigere, & eſto glorioſus, & ſpecioſis induere ueſtibus. Diſperge ſuperbos in furore tuo, & cõfunde eos: & reſpiciens, omnem arrogantem humilia. Reſpice cũctos ſuperbos, & cõfunde eos, & contere impios in loco ſuo. Abſcõde eos in puluere ſimul, & facies eorũ demerge in foueam: & ego confitebor, quòd ſaluare te poſsit dextera tua.] Iam aperit Dominus rem ipſam, totumq; negocium, oſtendens ſe ſolum eſſe, qui poſſit & expugnare & diſpergere omnem uim infernalem, eos impuros dæmones, in quibus hactenus miſerè fuiſſet Iob diuexatus. Iam inquit, triſticia tua uertetur in gaudium, poſt nubila uidebis Phœ-
a Gen. 3. bum. Viderunt te non habentem ſpeciem neque decorem homines ſtulti, & fuiſti eis ludibrio:

percuſsi te, nunc autem rurſum ſanabo: decorem indues, & eris glorioſus. Diſperges omnes ſuperbos, & arrogantes & impios. Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet. Fortitudo eius in lumbis eius, & uirtus illius in umbilico uẽtris eius. Stringit caudam ſuam quaſi cedrum, nerui teſticulorum eius perplexi ſunt.] Apertè dicit Dominus Deus, dæmones horum malorum cauſam eſſe. Behemoth, inquit, is eſt, ſerue bone, à quo tam miſerè fuiſti afflictus: inimicus ille capitalis totius generis humani, qui poteſtate à me accepta, ſubſtantiam & facultates tuas deuorauit. Ipſe ſtringit caudam ſuam: nunquam enim ad me redibit, quia nunquam ſuperbus & impius pœnitebit: ſed in nouiſsimis temporibus exaltatus ut cedrus conſtringetur. Oſſa eius uelut fiſtulę æris, & cartilago illius quaſi laminæ ferreæ.] His membrorum nominibus indicatur, quòd diabolus cum ſuis durus ſit, rigidus, pertinax & inflexibilis. In oſſibus namque & cartilagine intus & foris, in cogitatione uidelicet & opere perfecta eius demõſtratur malitia. Ipſe eſt principium uiarum Dei.] Idcirco tam fortis eſt, quia inter cæteras creaturas primus eſt conditus, ad uias Dei ambulandas, & præcepta Dominica obſeruanda, & prior Dei ſui cognitionem accepit. Quum fecit eum, applicauit gladium eius, huic montes herbas ferunt. Omnes beſtiæ agri ludent ibi, ſub umbra dormit in ſecreto calami, in locis humentibus. Protegunt umbræ umbram eius, circumdabũt eum ſalices torrentis. Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciã, quòd influat Iordanis in os eius. In oculis eius quaſi hamo capiet eũ, & in ſudibus perforabit nares eius.] Gladius Behemoth eſt nocendi malitia, quæ diuina diſpenſatione cohibetur, ne quantum uult mentes hominum feriat, ac prorſus interimat: Quòd igitur multum ualet aduerſum nos, ex principio magnæ conditionis eſt: quòd uerò à multis uincitur, Dei poteſtas eſt, quæ, ut diuinus docet Paulus 1. Corinth. 10. non ſinit ſuos tentari ultra id quod poſſunt: ſed facit unà prouentum, ut uincere poſſint. An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?] Verba ſunt quæ illam priorem ſpirant conſolationẽ in paradiſo datam: [a] Et ipſum ſemen conteret caput tuum. Perindeq; di-

ctum eſt: Nemo hominum uincet illam beſtiam atq; antiquum ſerpentem, niſi ego, qui proprium meum filium miſſurus ſum, quem incarnatum cæteris mortalib. conſpiciet atq; iudicabit ſimilem, nec immortalitatis potentiam uidens quaſi hamũ deglutiet, & capietur & occidetur. Nunquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius?] Hoc eſt, neq; tu neq; alius aſtutiã diaboli, per quã humani generis fragilitatem explorat & odoratur, ſedare poteris: ſed ego ſolus omnipotens iudicij mei poteſtate, ut nec tantum capiat quantum appetit. Nunquid multiplicabit ad te preces, & loquetur tibi mollia?] Soli Deo, inquit Hieronymus, cuius creaturam ſe eſſe cognoſcit, ſubditus eſt Satanas. Hinc [a] Iacobus, Dæmones, ait, credũt & contremiſcunt: atque ei tantum quem ipſa conſcientia pauet, animus eius ſuperbus adducitur. Vnde etiã dæmonia ad Chriſtum dicebãt: [b] Tu es filius Dei, uenisti ante tempus torquere nos. Nunquid fieret tecũ, & accipias eum ſeruum ſempiternũ? Nunquid illudes ei quaſi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?] Licet ſit rebellis & nimium tumidus: cogitur tamen atq; compellitur, ut Dominum creatorem ſuum ſaltẽ ut ſeruus malus eſſe fateatur. Sic ergo princeps huius mundi eſſe dicitur, ut nihilominus ſub poteſtate Dei ſit. Hoc autem nulla uoluntate animi facit, ſed diuinæ poteſtatis imperio: quare etiam ſeruus ſempiternus erit, quia adoptionem filiorum Dei, ſiue primatum illum angelicæ dignitatis nunquã conſequentur & recipient. Concident eum amici, diuident illum negociatores. Nunquid implebit ſagenas pelle eius, & gurguſtium piſcium capite illius?] Amici & negociatores iſti ſancti, intelligẽdi ſunt omnes ueritatis prædicatores, ait Hieronymus: qui ſancto Euangelio caput draconis conterant. Quare Chriſtus Apoſtolis ſuis dixit: [c] Ecce dedi uobis amicis meis poteſtatẽ calcandi ſuper ſerpentes & dracones, & ſuper omnem uirtutem inimici. Et illi fuerunt ueri negociatores, qui regnũ Dei & æternæ uitæ præmium, ueluti precioſiſſimam margaritam in uenalibus propoſuerũt mundo. Pones ſuper eum manũ tuam.] Vinces eum mea uirtute ſemper, utcunque crudelis ſit, inq; te ſæuiat, modò confidas me tibi fidelẽ ac præſtò eſſe. Omnes qui confidunt in me, non confundentur. Memento belli, nec ultrà addas loqui.] Qua de cauſa illati, ut ſciliceт glorioſus miles & inſignis uictor acciperes coronam eam uitæ, quam promiſi omnibus ſincerè diligentibus me, & in tentationibus permanentibus: iam dabo finem his quoq; malis. Ecce ſpes eius fruſtrabitur eum, & uidẽtibus cunctis præcipitabitur.] Solutus eſt iam Satanas, ut ſeducat uniuerſum orbem: circuniit tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret. At cum erit dies iræ & calamitatis, in conſpectu angelorum ſanctorum, & innumerabilis multitudinis beatorum hominum, præcipitabitur in ignem æternum: & caſſa atq; inania cogitans, in irritum deducetur. Hoc cùm partim factum ſit, tamen tum uerè fiet, ubi dicturus eſt Chriſtus: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.

Matth. 25.

CAPVT XLI.

a Iacob. 2.

Deſcribitur Behemoth iuxta mẽbra ſua.

NOn quaſi crudelis ſuſcitabo eum.] Quòd Deus in ditionem dæmonis dat homines, ab ipſo ut affligantur, iuſtiſſimo ſuo facit iudicio, ad exercitationẽ probationemq; ſanctorum, aut ad iniquorum pœnam: ita Saulem malus exagitauit ſpiritus. Quis enim reſiſtere poteſt uultui meo?] Omnia quippe cedunt diuinæ maieſtati, ipſamq; tremunt impia tartara. Quapropter bene monuit D. Petrus, humiliari nos ſub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore uiſitationis. Et quis antè dedit mihi, ut reddam ei? Omnia quæ ſub cœlo ſunt, mea ſunt.] Non à quoquã, ait, accepi poteſtatem, cum ſim creator totius mũdi, & ante me non ſit ullus Deus: qui cœlum & terram adimpleo. Cui igitur pro accepto beneficio agam gratias? Dicamus ergo cum D. Paulo: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inperueſtigabiles uiæ eius? Quis prior dedit illi, & tribuetur ei? Hic Deus noſter mundũ fecit, & omnia quæ in eo ſunt, rector potens, omnibus dat uitam & inſpirationem. Non parcam, ait, eius uerbis potentib. & ad deprecandũ cõpoſitis.] Dæmones etſi credũt & contremiſcũt, ſemper tamẽ manẽt rebelles & cõtumaces: at cũ bellũ cœlo inferãt, obſtinata ea uolũtate nihil efficiunt, oportet ut ſuum tremẽtes ſentiant iudicẽ. cui obinde aliquãdo dixerunt: O Ieſu Nazarene tu es ille ſanctus Dei, uenisti ad perdẽdũ nos. Quis reuelabit faciem indumẽti eius?] Cũ Satanas poſſit ſe trãſfigurare in angelũ lucis, indumẽtũ eius ſunt nequitiarũ artes, quib. aſtutus ac uerſutus ille circũuenit homines: & eas multas ac uarias eſſe, nemo eſt q ambigat.

b Matth. 4. Marci 5.

1. Reg. 16.

Rom. 11.

c Lucæ 10.

Matth. 4. Marc. 3.

Quamobrem S. David adiutorium altiſſimi omnibus pijs proponit: cui ſi innitantur, Non timebũt, inquit, in die à timore nocturno, neq; à ſagitta uolante in die, neq; à negocio perambulante in tenebris, neq; ab incurſu & dæmonio meridiano. Nec refert occultas eſſe pijs inſidias dæmonum, ſatis eſt eas noſſe Deum, cui omne cor patet, et omnis uoluntas loquitur, ipſum non decipiet. Ait ergo: Confidite filij, quia ego uici mũdum. In me unum conijcite oculos: & qui tangit uos, tanget pupillã oculi mei.

Pſal. 90.
Ioan. 14.
Zach. 2.

Et in medium oris eius quis intrabit?] Hic os diaboli, inquit Hieronymus, indeſinens blaſphemia eius poteſt intelligi, quod obſtruendum eſt à Deo, atq; oppilandũ, cum uerbo Domini fuerit penetratum. Vel medium oris infernus eſt, ad quem Saluator deſcendit noſter Chriſtus. Ipſe quidem poſtquam immeritò mortem turpiſſimam tulit, morte deuicta, euerſoq; tartareo regno, deſcendit ad infernum, & deuoratos à diabolo liberauit. Deinde aſcendens in altum, captiuam ſecum duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus.

a 1. Pet. 5.

Portas uultus eius quis aperiet? Per gyrum dentium eius formido, corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementib. Vna uni coniungitur, & ne ſpiraculũ quidẽ recedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenẽtes ſe nequaquam ſeparabuntur. Sternutatio eius ſplẽdor ignis, & oculi eius ut palpebræ diluculi.] Depingit latius Dominus Satanam, atque oſtendit quanta ſit illius fortitudo atq; aſtutia decipiendi hominem. Et primùm dicit, abditam fortitudinem diaboli ſe patefacturum. Id factum eſt, ut diximus, in paſſione & morte Chriſti, quando ipſe leo de tribu Iuda uicit draconem, & uictor rediens cœlum conſcendit. Dicit quoque eum eſſe rapaciſſimam beſtiam, quæ dentibus omnia conſumat.

b Eſaiæ 44.

c Iob recuperatis cum fœnore amiſſis, tandem moritur.

De ore eius lampades procedunt ſicut tedæ ignis accenſæ: de naribus eius procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ atque feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius precedit egeſtas. Membra carnium eius cohærentia ſibi. Mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur. Cor eius indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus. Cum ſublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur. Cum apprehenderit eum gladius, ſubſiſtere non poterit neq; haſta, neque thorax. Reputabit enim quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs. Non fugabit eum uir ſagittarius, in ſtipulam uerſi ſunt ei lapides fundæ. Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit uibrantem haſtam. Sub ipſo erunt radij ſolijs, & ſternet ſibi aurum quaſi lutum. Feruеſcere faciet quaſi ollam profundum maris, & ponet quaſi cum unguenta bulliunt. Poſt eum lucebit ſemita, æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem.] Oſtendit Deus horribilẽ faciem diaboli, & quàm formidabilis & timendus, hoc eſt, cauendus. Sobrij itaq; ſimus oportet, monẽte Petro,[a] & uigilemus, quando ipſe tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret. Non eſt poteſtas ſuper terram quę comparetur ei: qui factus eſt, ut nullum timeret. Omne ſublime uidet, ipſe eſt rex ſuper uniuerſos filios ſuperbiæ.] Potentiſſimum dominum omnes nos ipſum Deum eſſe confitemur, in quo uiuimus, mouemur atque ſumus: nihilominus Satanas ipſe ex ſui natura magnæ & potentiæ & poteſtatis eſt, ubi frena illi laxantur: ita ut, Hieronymo dicente, nulla creatura ſit tantæ potentiæ, ſine creatrix creatura tantæ malitiæ, qui factus eſt ut nullum timeret: id eſt, ſui malitia deprauatus, ut nec ipſum Dominum me creatorem ſuum timeret: eò enim ueſaniæ uenit, ut in cœlum os ſuum poneret,[b] & ſimilis altiſſimo mihi eſſe uellet. Ideoq; princeps & caput eſt omnium ſuperborũ.

CAPVT XLII.

REſpondens autem Iob[c] Domino, dixit: Scio quia omnia potes.] Confitetur immenſam potentiam Dei, qui diabolum, quoties uult, humiliare poteſt. Et nulla latet te cogitatio. Quis eſt iſte qui celat conſilium abſq; ſcientia? Ideò inſipienter locutus ſum, & quæ ultra modũ excedũt ſcientiã meam.] Scrutatorẽ cordis & rerũ quomodo aliquid latere poſſet? & nemo poteſt abſcõdere cõſiliũ ab eo. Ideo, inquit Iob, inſipiẽter locutus ſum. Omnis humana ſapiẽtia, utcũq; polleat, diuinæ tamẽ ſapiẽtiæ cõparata, inſipientia eſt. Quapropter etſi Iob hominib. ſapienter locutus ſit, tamẽ diuinas ſentẽtias cognoſcẽs, inſipiẽter ſe locutũ eſſe dicit et fatetur. Audi, & ego loquar: interrogabo te, & reſponde mihi.] O Domine, pro tua clementia

mētia, uerba mea auribus percipe, deſideria mea, ut hæc tua pietas adiuuet me, & uota mea multiplicentur. Auditu auris audiui te, nūc autem oculus meus uidet te.] *Audire Deum uel uidere, qui eſt inuiſibilis & incomprehenſibilis, non iſtorum oculorum uel iſtarum aurium, inquit Hieron. ſed potius mentis & cordis, propter quod beati mundo corde, quo Deus uidetur.* Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Poſtquam autem locutus eſt Dominus uerba hęc ad Iob, dixit ad Eliphas Themaniten.] *Hoc eſt, ideo deſpexi memet ipſum, & diſtabui, & æſtimaui me terram & cinerem. Cæterùm quòd in iniuriam ſancti Iob, amici eius non rectè locuti fuerint, hic apertè Domino eis imputante monſtratur. Ait enim ad Eliphas Themaniten:* Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniā non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob.] *Ex quibus certè Domini uerbis manifeſtum euadit, quantum humanū iudicium abſit ab ipſo Dei iudicio. Ecce enim amici Iobum æſtimant uirum iniuſtum & peccatorem: Dei autem ſententia pronunciat eum probum & iuſtum. Atque omnino ſibi conſtat Deus, quòd nunc eum rectum dicit, quem prius ad Satanam locutus ſic extulerat, ut non ſimilem ipſi ſuper terrā eſſe diceret.* Sumite ergo uobis ſeptē tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruū meum Iob, & offerte holocauſtū pro uobis: Iob autem ſeruus meus orabit pro uobis. Faciem eius ſuſcipiā, ut nō uobis imputetur ſtulticia. Neq; enim locuti eſtis coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob. Abierunt ergo Eliphas Themanites, & Baldath Suites, & Sophar Naamathites: & fecerūt ſicut locutus fuerat Dominus ad eos, & ſuſcepit Dominus faciē Iob.] *Quòd peccatum illud exprobrationis eis non poſſe remitti Dominus dixit, niſi beatus Iob pro illis orauerit, & holocauſtum propitiationis obtulerit: aduertimus, quòd ſacerdotis officio beatus Iob functus fuerit, inquit Hieron.* Dominus autem ſuſcepit faciem Iob. Dominus quoq; conuerſus eſt ad pœnitentiam Iob, cum oraret pro amicis ſuis. [*Quòd abierūt illi, & fecerūt ut fuerāt iuſsi, exemplū eſt, quàm diuinæ inſpirationi et exhortationi, cū peccauimus, obedientes eſſe debeamus, & offerre hoſtias ſpirituales, preces ſcilicet & cōpunctionem cordis, ut Propheta dicit: Deus qui benignus eſt, præſtabilis erit ſuper malitia noſtra. Et uirum incomparabilem, qui plus Dominum ſuum ſuſcipit, quàm uel calumniam uel miſeriam ſuam, oblitus eorum quæ ab amicis erat perpeſſus, pro eorum ſalute deprecatur.* Et addidit Dominus omnia quæcunq; fuerant Iob duplicia.] *Iam demum Deus, ut iuſtus retributor omnium bonorum, ſuum pro patientia & magna in fide conſtantia, remunerat athletam, & dilectum ſeruum.* Venerunt autem ad eum omnes fratres ſui, & uniuerſæ ſorores ſuæ, & cūcti qui nouerāt eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius.] *Ecce mundum immundum. quàm uerè cecinit Ouidius libro primo Triſtium, Elegia octaua: Donec eris felix, multos numerabis amicos: Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris. Sanctum uirum in primis omnes ſuſpiciebant ac uenerabantur, ut uerè dicere potuiſſent: En ego non paucis quondam munitus amicis, Dum flauit uelis aura ſecunda meis. Quamprimùm autē uiderunt illi eum ad ſummam redactum miſeriam, ipſum ceu peſtem refugiunt, & quaſi multa mala cōmeritum calumniantur. Quamobrem rectius dixiſſet: Vt fera nimboſo tumuerunt æquora uēto, In medijs lacera naue relinquor aquis.* Et mouerunt ſuper eum caput, & conſolati ſunt eum ſuper omni malo, quod intulerat Dominus ſuper eum.] *Scitè admodū dicitur, Euripus homo, ut nihil ſit homine incōſtantius. Quia enim illi ſecundam auram Iob afflaſſe uident, quaſi nunquam ab eo defecerint, ſic ſeſe gerūt, gratiam & amicitiam ambientes. Quid uerò eſt quod eum conſolantur? indiciū certum inconſtantiæ & mutabilitatis ipſorum. Quid enim opus erat nunc conſolari eum, quem conſtabat ab ipſo Deo totius conſolationis iam egregiè conſolatum & glorificatum? Ita autem ſolent homines uafri & uerſipelles.* Et dederunt ei unuſquiſq; ouem unam, & inaurē auream unam.] *Iam credunt ſe poſſe cum eo redire in gratiam munerib. oblatis. Sciunt enim homines muneribus placari, nec cogitant uirum tam fortē atq; ſincerum nulla re iniuſta moueri poſſe, ſed ultrò ſequi quod rectū ac iuſtū eſt.* Dominus autem benedixit nouiſsimis Iob, magis quàm principio eius. Et facta ſunt ei quatuordecim millia ouium, & ſex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille aſinæ: & fuerunt ei ſeptem filij, & tres filiæ.

Et uocauit nomē unius Diem, & nomen ſecundæ Caſsiam, & nomen tertiæ Cornuſtibij. Non ſunt autem inuentæ mulieres ſpecioſæ, ſicut filiæ Iob, in uniuerſa terra. Dedit'que eis pater ſuus hæreditatem inter fratres earum. Vixit autem Iob poſt flagella hæc centum quadraginta annis: & uidit filios ſuos, & filios filiorum ſuorū, uſq; ad quartam generationē: & mortuus eſt ſenex, & plenus dierum.]

Hic uir nobis exemplum ſit patientiæ, ut docet
Iacob. 1. *D. Iacobus: Dominus Deus quem diligit, caſtigat, flagellat quoq; eum quē recipit, dicente Scriptura. Ex fine autem illo uidere eſt, quòd miſericors Dominus eſt, & miſerator: cui proinde meritò totis uiſceribus adhærere debemus, utcunq; alea cadat. Qui in eum confidunt, nunquam confundentur. Vaſa figuli probat fornax, ſic iuſtos tentatio: qui poſtquam probati ſunt, accipiunt coronam uitæ æternæ, ac confitebuntur laudem nomini eius, dicentes: Domine, tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium: Tibi laus, tibi gratiarumactio, honor, uirtus & fortitudo in ſecula ſeculorum, Amen.*

ANNOTATIONVM IN HIſtoriam Iobi FINIS.

HIERONYMVS.

Iob, qui dolens uel magnus interpretatur, figurā Chriſti portauit. Amici uerò eius figurā hæreticorū tenēt, qui ſub nomine Chriſti Chriſtum blaſphemāt & impugnāt. Hæc ille in Procemio.

S. AVGVSTINVS DEFENdit eum à blaſphemia, in 103. Pſal.

Inter illa omnia, inquit, quæ dixit, nunquam lapſus eſt. Quòd multi in illis uerbis non intelligunt, & quædam ibi ſic accipiunt, quaſi aliquid durum dixerit Iob in Deum. Nam inter multa etiam hæc dixit: Si bona percepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus? uelut ſtomachans aduerſus Deum. Ille autem geſtabat perſonam magnam magnæ prophetiæ, &c. Auguſtin.

D. CHRYSOSTOMVS HOM. 5. de Patientia Iob.

Data mihi pace, ait, oportet dicere, quoniam etſi non maior Apoſtolis, minor beatus ille non fuit. Hos enim, eadem pro Chriſto pati ſolabatur: ille autem hoc ſolatio deſtitutus, quodq; maius, multis in delicijs educatus, nequaquam de piſcatoribus & colonis, atq; ex his qui tenuiter uiuunt: ſed tot honoribus dignus effectus, paſſus eſt omnia. Hæc Chryſoſtomus.

S. AMBROSIVS LIBRO 1. Officiorum.

Pleriq; putant iudicium Dei nequaquam iuſtum uideri, quando peccatores diuitijs abundare uident, gaudere honoribus, ſanitate, liberis: contrà autem iuſtos, inopes degere inhonoros, ſine liberis, infirmos corpore, luctu frequenti. Nec mediocris ea quæſtio: quandoquidem tres illi reges amici Iob propterea eum peccatorem pronunciabant, quia inopem factum ex diuite, exaratum uulneribus à capite uſque ad pedes uidebant. Quibus hanc ſanctus Iob proponit aſſertionem: Si ego propter peccata mea hæc patior, cur impij uiuunt?

FINIS.

IN REINHARDI LVTZII HARMONIAM, POSTILLAM, ET RELIQVA OPVSCVLA, INDEX.

A

Abbreuiatio dierum ultimi temporis prædicitur 229
Abel 226.499 à Caino occiſus 295
Abelis munera à Deo accepta 295
Abelis ſanguinẽ cur à Iudęis requirendũ minet̃ Chriſtꝰ 295
Abelis tempus uſq; ad Noe horæ primæ adumbratum 305
Abiathar pontifex 88
ablui ſæpiſſ. ſolitos eſſe Iudæos 39
abnegare ſemetipſum quid ſit. 136
abnegatio ſuijpſius Chriſtiano neceſſaria 97 quibus rebus conſtet. 135.415
abnegantib. Chriſtum quæ pœnæ præparatæ 96
abolitio templi Hieroſolymitani & Iudaicæ religionis à Chriſto prædicitur 227.228
abominatio deſolationis quomodo & de quib. intelligenda 229
Abraham, Dauid, & reliqui patriarchæ, Chriſtum quomodo uiderint 157.320.366
Abraham cur pater multarum gentium 299 à Deo cur tentatus 320
Abrahę tẽpora uſq; ad Moyſen horæ ſextæ aſsimilata 306
Abrahæ promiſsio ſeminis benedicti data 500 eius cur mentio fiat in genealogia Chriſti 15 in fide conſtantia 155.394 cum Deo fœdus 298 filij qui 204.387 poſteri qui 155 uera poſteritas quæ 14 ſemen uerum qui ſint 28 ſinus 192.330
in Abundantia uitã nõ eſſe conſtitutam Chriſtus docet 177
ex Abundantia cordis os loqui 67.68
accumbere cum Chriſto in cœlo quid 369
Aceldemach ager ſanguinis. 430
acetum uulneratis mortem accelerat 274
aceto & felle temperatum uinum Chriſto exhibitum 271.273
Achaz Oziæ regis Iuda filius 434. Leuitarum perſecutor 435. ab Iſaia edoctus regnum Iudææ non euertendum 17
Achaz regis impietas 435
ſub Achab rege fames extitit 51. populus Iſraeliticus in duas partes diuiſus 315
actiones hominum quò dirigendæ 417. ab oratione cur auſpicandæ 431
actionum omnium Deum eſſe inſpectorem & iudicem 430
actuale peccatum 511
acumen ingenij humani quantum ad Dei noticiã mira caligo 424
Adæ pactum cum Deo 314 lapſus 499
adoleſcens diues Chriſtum de acquirenda uita æterna interrogat 198.199
adoleſcẽs ſindone amictꝰ Chriſtum negat 252
de adoleſcẽte à Chriſto in horto profugo Theophylacti iudicium 258
adoptio 415.414
per Adoptionem filij Dei effecti adoptione ſola regni cœleſtis hęredes ſumus 414.415
adoptati à Domino cur ſimus 415
adorandum quomodo 46
de Adorãdo Deo mouetur quęſtio à Samaritana 47
adoratores Dei quales eſſe debeant 46.47
adulter qui 58.190
adulteri notati 341
adultera mulier Chriſto ſtatuitur, & liberatur 151
adulteras lapidandas, Moyſis lex 151.152
adulterium prohibitum 430
adulterij pœna à Deo conſtituta 361
adulti an tantũ in eccleſiæ Chriſti initio ſint baptizati 332
aduentus Chriſti duplex 43
aduentus Chriſti ſecundus 227. qualis futurus 137.486 quibus acceptus, & quibus ſit futurus horrendus 322.398
aduentus Chriſti hora nemini niſi ſoli Deo nota 230.231.232
aduentus Chriſti ultimi forma qualis futura 398
aduentus Chriſti in mundum cauſa 42.43
aduentum Chriſti primum ad animarum, ſecũdum ad corporum reformationem tendere 403
aduentũ Chriſti ſigna quæ præceſſura 227
Ægyptus typus mundi 401
Ægyptiorum magi digitũ Dei in Moyſe confeſsi 315
Ægyptiaca liberatio typus ſpiritualis liberationis 401
Ænon 166
Æternitas Chriſti 412
affectus mentis peruerſi quomodo amputandi 142.381
affectuum ſedes 222.450
affectus malos refrenandos 59.64
afflicti beati pronunciati 56
afflictiones quib. miniſtri ſint afficiendi enarrantur 93.94
afflictiones cur momentaneæ dictæ 452. cur immittantur pijs 135.136
afflictionum finis 514
afflictiones pijs expectãdæ 21
afflictionibus omnes electi obnoxij 358
in Afflictionib. quomodo affectos eſſe deceat electos 212. quomodo uiuendum 197. non deſperandum 272
afflictis non inſultandum 272
Agar mons Arabiæ, monti Sina uicinus 433
Agar Abrahæ ancilla & concubina 433
Agar & Sara duę matres typus terrenæ & cœleſtis Hieruſalem 433
ager in ſepulturam peregrinorum pro argenteis à Iuda in templum proiectis emptus 262
ager ſanguinis 262
agnus paſchalis 235. typus Chriſti 321.437
agnus paſchalis cur, quomodo & quando immolari ſolitus 37.321
agnus cur Chriſtus appellatus 37

agno paſchali os confringere prohibitum 276
agricolis miniſtri aſsimilati 217
agro mundus comparatus 113. 114
alabaſtro Chriſti caput à muliere peccatrice iounctum 103
alapa Chriſto à ſacerdotis miniſtro impacta 261
Alcoran 507
Alexandriæ primus euangelij preco Marcus Euangeliſta 25
Alexãdrinorum ſynagoga 412
Alphæus pater Matthęi Euangeliſtæ 14
ambitio notatur 224. malorum omnium cauſa 469
ambitio diſcipulorũ Chriſti reprehenditur 141.142
Ambroſius à Iuſtina perſecutus 390
amici Chriſti 249.399
amici de mãmona iniquitatis quomodo conciliandi 189. 190
amor ſui 222
Anabaptiſtæ taxati & refutati 337.382
Anabaptiſtarum ſomnia fanatica taxantur 16
anathema Paulus pro ſuis perſecutoribus fieri petit 390
ancilla Petrum pro diſcipulo Chriſto agnoſcit & accuſat 260
Andabatarum ignorantia 493
Andreas frater Simonis Petri, diſcipulus Chriſti factus 36. 52
Andreas Oſiander harmoniæ Euangelicæ ſcriptor 5
angelus cuiuis homo pro miniſtro datus 143
angelus prædicit naſciturũ Ioannem baptiſtam 7. apparet Ioſepho 15. item paſtorib. & natiuitatem Chriſti annũciat 17. turbat aquã in piſcina probatica Hieroſolymis 81. Chriſtum in horto orantẽ confortat 255. de monumento Chriſti lapidem reuoluit 277. eiuſdem forma qualis. ibid. 278. mulieribus Chriſti corpus unctum uenientib. apparet, eaſdemq́ꝫ conſolatur 278
angelus reſurrectionis Chriſti præco 278
angeli tranſitus in Ægypto 235
angeli adminiſtratorij ſpiritus dicti 8.31.32.145.192.475
angeli meſſorib. comparati 113. quando creati 497
angeli corpora cur aſſumãt, eademq́ꝫ rurſus deponant 498
angeli Chriſto nato hymnũ canunt 294
angeli reſurrectionis Chriſti primi nuncij 279.294
angeli in quẽ finem creati 382
angelorum lingua ſpiritualis 426
angelorum canticum in natiuitate Chriſti 17. lapſus 498
angelorum munus pręcipuum 498. officium quod 475. poteſtas 136. præſtantia 411
angelos exitio hominum condolere 343
angelos lapſos aliquando ſaluãdos, Origenis error 400
angelos lapſos non ſaluandos 294
angelos nullos eſſe, Sadducęorum opinio 221
anima Deo committenda 413
anima quomodo dicatur mori & occidi 96
animæ cibus 30.31.286.320. 311.352.377
animæ medicina 47.377.387. nobilitas & præſtantia 386. præſtantia & dignitas 143. 275
animæ mors 167
animæ detrimentum grauiſſimum quod 354
animæ immortalitas aſſeritur 96.192.221.378
animæ mundiciem præferendam corporis mundiciei 176
animæ morbus pluris quàm corporis habendus 386
animæ maiorem curam habendam quàm corporis 63
animam ſuam amare & odiſſe quid 212.362. occidere & ſeruare quid 90
animam à corpore ſeparatam, nõ amplius in terris uerſari 74
animam qui perdant, & qui inueniant 135.195.211
animæ iuſtorum in manu Dei 50.95.96
animarum poſt mortem conditio qualis 274
animarum oppreſſores phariſæi dicti 176
de Animarũ ſtatu poſt hanc uitam, ſententia Auguſtini 385
pro Animabus commiſsis reddenda ratiõ 307.355.419
animas hominum unà cum corporib. interire, error quorundam in Arabia 393. item Sadducæorum hæreſis 378
animas hominum poſt mortem non oberrare in terris 283
animalis hominis natura 522
animantia omnia an inſenſibilia 305
animantia uiliſsima Deo curæ eſſe 95.96
animus tranquillus oranti neceſſarius 359
animorum libertas 154
Anna propheteſſa commendatur 298
Annæ propheteſſæ cõfeſsio de Chriſto in templo Hieroſolymitano, & eius uita 20.21
Annas Caiphæ ſocer 258
annũciatio conceptionis Ioannis Baptiſtæ per angelum 7
ad Annunciationem euangelij quibus rebus opus 8
annus Iubilæus oerus 51
Antichriſtus 196.229. eius aduentus à Daniele prædictus. ibid. & 230. ex tribu Dan naſcendus 484
Antichriſti aduentus prænunciatus 316.396
Antichriſtum in Babylone naſcendum ab Hieronymo creditum 396
Antichriſtiani notantur 301
Antidicomariani taxati 273
Antiochia patria Lucæ euangeliſtæ 7
Antropomorphitæ de Deo quid ſenſerint 496
Apocalypſis Ioannis ubi conſcripta 32
Apollinarius hæreticus 372. notatur 380.402. eius error. ibid.
Apoſtoli qui 226
Apoſtoli duodecim à Chriſto eliguntur 91
Apoſtoli fundatores Eccleſiæ 307. legati Chriſti. ibid. ſeminatores. ibid. ſapientes & ſcribæ à Chriſto dicti 295. meſſoribus aſsimilati 49. item ouibus 94
Apoſtoli iudices futuri in extremo iudicio 200
Apoſtoli cur duos in medium producant, alium in locum Iudæ ſubſtituentes 410
Apoſtoli à Chriſto emiſsi ad annunciandum Euangeliũ 92

Apoſtoli

Apoſtoli linguis diuerſis loquuntur 447
Apoſtoli primùm ad Iudæos, dein ad gentes ad euangelizandum cur miſsi 92. qua in re prophetis excellant 111. quibus uirtutibus à Christo ornati 93. quibus uirib. orbem ad Euangelij agnitionem perduxerint 53
Apoſtolorum Chriſti ruditas notatur 245. eorundem error ootatus & coufutatus 371
Apoſtolorum doctrinæ efficacacia 292. nomina 91. proprium officium 462
Apoſtulorum ſalutatio 93. uirtutes 289
apoſtolatus dignitas 323
apparitiones murtuorum coo futantur 193
aqua in uinum uerſa 39. 303
aqua in probatica piſcina Hieroſolymis ab angelo turbata 81.82
aqua baptiſmatis qualia 82
aqua ſpiritualis 122
aqua uiua Chriſtos 46. 149
aquæ inambulat Chriſtus 119
ex Aquæ mentione mulier Samaritana ad cognitionẽ gratiæ adducta 48.49
ex Aqua & ſpiritu ſancto quomodo renaſcendum 41
aquarum inundatioois uomine quid intelligendum 202
aquilis ſancti ſimiles 397
in Arabia extitiſſe animæ immortalitatis impugnatores, tempore Euſebij 393
aræ imperatoribus à Romanis extructæ 268
archiſynagogus Chriſto indignatur propter mulierẽ ſpiritũ infirmitatis laborãtem, ſanatam 181
archiſynagogæ Iudæorum qui 395
arena hæreticorum doctrinę aſſimilatur 68 69
Arethas rex Paulo inſidiatur 423
argentei triginta à Iuda in templum proiecti 262
argenteis triginta Iudas Chriſtum tradere paciſcitur 235
arioloa & magos conſulentes correpti 515
arida manus ſanata 89
Ariſtobulus rex Iudæorum 315
Ariani confutantur 46
Arius taxatur 39.233.299.325. 372.402
Arij error 317.336
Arij miſerabilis exitus 333
arma iuſticiæ 428.487
arma contra diabolum 315. 451
arma militiæ Chriſtianę qualia 53
armatura militis Chriſtiani 479
armis contra diabolum quibus utendum 311.330
arrogantia quid 420. Chriſtianis indigna 420
arrogantiæ ingenium. ibid.
arundo Chriſto uice ſceptri data 267
arundo inconſtantiæ ſymbolũ 100
aſcenſio Chriſti ad cœlos 289. 331.504
aſcenſio Chriſti in cœlum deſcripta 444.445
aſſumptionis Mariæ Euangelium allegoricè explicatum 166 364.365
athletas certamina inituros ieiunare ſolitos 422
athletis fideles ſimiles. ibid.
auaricia prohibetur 177. taxatur 190.198.199.322. 308.314.341.432
auaricia phariſęorũ taxata 175. miniſtria prohibita 93. radix multorum malorum 64
auaricia idolulatria cur appellata 275
auariciæ effectus 235
auari hydropicis cur comparati 275. cur idololatræ dicti 432. plerunq; miſeri 308
nõ Auditores, ſed factores uerbi laudantur 175.442
auditores uerbi qui beati 110. 316
auditores tepidi taxantur 353
auditorum genera diuerſa 21. 110
audituri uerbum Dei quomodo debeãt eſſe affecti 54. 72
D. Auguſtini iudiciũ de baptiſmo Chriſti 46
Auguſtus Cæſar Antonij deuictor 18
Aurelius Alexander Imperator 67. eius dictum & ſymbolum. ibid.
aurum Chriſto à magis oblatũ quid ſignificet 22.301
Auſtriæ regina 108.109
authoritas docendi, miniſtris in ſolo nomine & uerbo Dñi datur 446
auxilium in neceſsitatib. à quo petendum 312.363
azyma 437
Azymorum feſtum 235.301

B

Baal ſub Achab rege cultus 315
Baalitæ ab Helia confuſi 384
Babylonica captiuitas 502
Babylonicus calix 202
Balaac rex Moabitarum 300
Balaam magus Moabitarum inſignis 300
Baptiſmus 287.511
Baptiſmus in aqua piſcinæ probaticæ præfiguratus 82
Baptiſmus quid conferat 337
Baptiſmi inſtitutio 287.337. effectus 362
Baptiſmus infantum aſſeritur 199.289.332.337
Baptiſmus Ioannis 215.408
Baptiſmum loco circumciſionis inſtitutum 19. reſurrectionis eſſe imaginẽ 456
de Baptiſmo Chriſti & Ioannis exorta diſputatio 45
de Baptiſmo infantum Auguſtini ſententia 337
in Baptiſmo quomodo deleantur peccata 31
baptiſmate adumbrata mors Chriſti 180
baptizat Ioannes, & pœnitentiam docet 25
Barachias filius Ioiadæ 295
Barrabas latro ſeditioſus 266. liberari à populo petitur 266
Bartholomeus apoſtolus Chriſti 91.92
Baſilides hæreticus 315
beatũ ab omni parte nihil 235. 236
beati qui à Deo pronunciati 175
beati uulgò qui habeantur 55. & ſeq.
beatorum habitatio horreo cõparata 29
beatitudo abſoluta qoando euentura 55
beatitudo uera & perfecta quæ 394. in quo conſiſtat 55
beatitudo ęterna nuptijs & cœnæ magnæ aſsimilata 340
beatitudinis nomine quid cõprehendatur 179
beatitudines octo enarrantur 54
beatitudiuum octo interpretatio 394

à Beda

à Beda ſepulchrũ Chriſti deſcriptum 322
Beelzebub 95.314. ab Ochozia rege in morbo cõſultus 363. à Palæſtinis cultus 95
Beelzebub habere dicitur Chriſtus 105.175
Beelzebub edidiſſe miracula 95
Belo ſtatua à Nino rege Aſſyriæ conſecrata 314
bellom perpetuũ pijs cum principib. tenebrarum 370
beoedicere qoid 454
benedicere, ſacerdotũ olim officium 297
benedictio diuina 353
benedictio uera à Deo 414. per Adamum amiſſa 308
benedictionem ueram neminem poſſe hic aſſequi 454
benefaciẽdum quomodo, quibus & cur 184.227.344
beneſioentia erga quos præcipuè exercenda 317.381
beneficentia cõmendat 28.29. 55.199.227.238.317.356.377
beoeficia omnia ſoli Deo accepta ferenda 8.9
ad Beneficia Dei ſanctos quomodo deceat eſſe affectos 73
beneficiorum Chriſti erga nos profunditaté ooo poſſe à nobis perſpici 471
benigni beati proooonciati 55
benignitaté Dei cupienti, quid potiſsimùm præſtandũ 454
Bethabara 166
in Bethabara baptizat Ioannes 34
Bethania caſtellum 170.206
io Bethlebem Chriſtum oaſciturum prædicitur 21
Bethphage 208
io Bethſaida cioitaté Chriſtua inuehitur 101.102
blaſphemiæ Chriſtus falſò arguitur à Iudæis 383
blaſphemia io ſpiritũ ſanctum quæ 106. in Chriſtũ 314
blaſphemare 76.382
blaſphemator Chriſtus à ſacerdote ſummo dicitur 259
blaſphemi inter Iudæos quomodo puoiri ſoliti 320
bona omnia à Deo 441
bona opera io quem finem facieoda 381
butyro ac melle Chriſtum ueſcitorum prædictum 435
brabium electis pro poſitum 306.422
brachiom Dei 315
M. Bruto ſpectrum fuiſſe locutum 119

C

Cabilionenſe concilium 325
cæcus à Chriſto ſanatus 132. 158.203
cæcus per illuſtrationem nominis Dei 158. de Ieſu quid ſentiret à phariſæis interrogatur 158.159. à Iudæis é ſynagoga eiectus 160. filium Dei ſibi demonſtrari poſtulat 161
cæci oati pareotes à phariſæis uocati 159
cæci duo à Chriſto ſanati 79. 206
cæcorum duces phariſæi 127 224
cæcorum nomine in ſacris literis quid intelligendum 50. 51
cæcitas homana taxatur 33. 42
cæmentarij arida manos ſanata 89
Cęphas uocatur Petrus à Chriſto 36.38
cæremonię an & qoatenus otiles 363. quatenos ſancitæ 57
cæremoniarũ curioſi obſeruatores phariſæi 225
cæremonias ab Euangelica religione non debere diſſentire 363
cæremonias libertati Chriſtianæ ooo debere eſſe cootrarias 364
cæremooijs quibus oraodom 363
cæremonijs Chriſtus in ſaoandis ægrotis cur ſæpe uſus 364
Cæſar Aoguſtus primus cenſendi autor 17
Cæſaris imago in templũ Hieroſolymit. illata 229
Cæſari an tributum peodere liceat 220
Cham parentis irriſor 302
Cain fratricida 226.295.351. 499
Caioi ſacrificia à Deo reiecta 295
Caiphas pontifex Iodæorum ſummus 235. oaticinatur de morte Chriſti 173
Caiphæ ſeruos à Petro auricula priuatus 258
de Calamitatib. aliorum qoid & quomodo ſtatuendó 180
caloariæ ocus Hieroſolymæ 268.270
in Caluariæ loco cur Chriſtus crucifigi uoluerit 271
calicis oomine quid iotelligendum 202.357
calumniatores reprehenſi 66
camelos 198
Cana oppidum 129.302
in Cana Galileæ reguli filius ſanatur 52
Cananæa molier 312. typus gentium omniom 312. pro filia ſua iotercedit. ibid.
cancro morbo hæreſes comparatæ 369
canes miſericordia erga Lazarum commoti 339. ciua ulcera liogentes, miſericordiam oſtendont 192
canes hominib. prophanis cõparari 49.66
canibus gentes comparati 129. 312
canticum angelorum in natiuitate Chriſti 17. Simeonis 19.308.
Capernaum 70. emporium freqoentiſsimum 53. ciuitas Chriſti cur dicta 76
in Capernaum habitat Chriſtus 52. in eaodem Chriſtus inuehitur 101
Capernaitarum beoeoolentia erga Chriſtum 72
capillis pedes Chriſti terſi 103
captioũ aliquem dimittendi paſchatis feſto, mos Iudęorum 266
captiuitas Ægyptiaca typos ſpiritualis aoimarum captiuitatis 401
captum excedentia oon ſcrupuloſè inquirenda 338
caput Ioãnis in diſco Herodiadi allatum 115
carmina amatoria prohibita 432
caro Chriſti qoomodo uiuificet 125
caro Chriſti cibus animæ 362
caro quomodo crucifigenda 452. refrenaoda 78.79
carnis reſurrectio aſſerit 274. 511
carnis reſurrectio ut difficilis, ita neceſſaria creditu 406
carnis oomine quid ſignificetur 440
carnis reliquias hærere in electia 237
carnem ſuam comedendam & ſanguinem ſuum bibendum docet

docet Chriſtus 113
carnē rebellare Deo, ſpiritum econtrà 256
iuxta Carnē uiuere qui dicantur 458
carnalis diſcipulorū de regno Chriſti opinio taxatur 357
carnalis affectus turbæ à Chriſto damnatus 121
carnalem ſecuritatem de regno Meſsiæ Iudæos ſibi imaginaſſe 97
carnales quomodo affecti 41. 45. à Deo quid petant 357
carbones in hoſtium Chriſtianorū capita quomodo congerantur 421
caſtigatio pijs quid commodi adferat 428
caſtitas mandatur 430
caſu turris multi homines oppreſsi 180
catechizare quid 469
catechumeni qui 310
cathedra Moyſis 223
Cedron torrens 254
Cerinthus & Ebionitæ hæretici 32.228.300.314.325
Cerinthi error 297
Celeſtij error confutatur 308
cenſura in homines quibus conueniat 66
cenſus à Chriſto ſolutus 140
Centurio Chriſtum crucifigēs conuertitur ad Deū, & Chriſtum confitetur 273
Centurionis ſeruus paralyticus à Chriſto ſanatur 304. eius puer ſanatus 69. eiuſdem fides commendatur 52.69
certamini uita præſens ſimilis 415
charitas Dei erga hoīes 43.448
charitas ex Deo oritur 449. inculcatur 243. omnium uirtutū præſtantiſsima 427. legis conſummatio quomodo dicta 419
charitas ſimulata 419
charitatis Chriſtianæ modus quis 450. effectus & fructus 426. natura 425. præſtantia 446
charitatis Dei primaria cauſa 448. erga proximū cōmendatur 28.29.143.144.222
charitatis officia in immenſum extendi 446
charitatem finem nunquam habiturā 426. ultimis tēporib. defecturā 229. maxima perficere miracula 426
Abſq; Charitate Deo neminem placere 352
chirographum decreti per Chriſtum deletum 388
chlamyde purpurea à militib. Chriſtus induitur 267
in Chorazim ciuitatem Chriſtus inuehitur 101.102
Chryſoſtomus in exilium relegatus 390
D. Chryſoſtomi laus 344. eiuſdem iudicium de ſtella à Magis uiſa 22
CHRISTVS 506
Chriſtus aduocatus & mediator apud Deum 362. angelus conſilij 483. brachiū & manus patris 315. caput Eccleſiæ 45. conditor omnium 410. cordium inſpector 40. cur cornu 13. Dei ſeruus 185. Dauidis filius 353.372.379. Emanuel 16.435. fons ſalutis 162.163. fons aquę uitæ 46 149.150. uerus homo 255. 256. lux mundi 151.416. mediator hoīm apud Deum patrem 252. medicus uerus 377. mortis Dominus 52. omniſcius 141. panis cœleſtis 121.122. paſtor ſummus 294.324. petra 423. pōtifex ſummus & aduocatus 328.434. primogenitus 293.364. principium omnium rerum 153. 154. reſurrectio & uita 170. rex gratiæ 210. ſacrificiū unicum propitiatoriū 438. ſemen Abrahæ promiſſum 464. ſermo Dei 410. ſol iuſticiæ 14.273.416. ſponſus Eccleſiæ ſuæ 45. 178.217.332. uerbum Dei quomodo 33.379.380. ueritas 330. uita æterna. ibid. uitæ & mortis Dominus 80.137. uitis uera 248. unigenitus cur 411
Chriſtus diſcipulis abitum ex hoc mundo prædicit 325
adiuratur per Deum, an ſit Chriſtus filius Dei 259
aduentum ultimum ſacerdotibus prædicit 259.260.
ad Annam ducitur 258
Apoſtolos & diſcipulos in totum mūdum emittit 287.
aromatibus conditus & ſindone munda inuolutus ſepelitur 276. aridā manum ſanat 89. aſſeclis ſuis quas opes promittat 438
aſcendit ad cœlos 289
Chriſtus baptizat 45.
baptizatur 503.
per Beelzebub dæmonia eijcere dicitur 175. ad Caipham ligatus mittitur 261
Chriſtus Cananææ mulieris filiam liberat dæmonio 129.
cæcum natum ſanat 158. 132. cæcum ſanat 203. cæcos duos ſanat 79.206. Centurionis puerum ſanat 69. cibum operari iubet qui permanet in uitam æternam 120. circunciditur 19.299. in ciuitates inuehitur 101. ut clarificetur à patre orat 253. conſpuitur, & colaphis cæditur 259. conſtantem nominis ſui cōfeſsionem à diſcipulis exigit 95.96. cōtriſtatur uſq; ad mortem 212. 255. corona ſpinea coronatur 267. crucem propriam baiulat 268. crucifigitur 270. in cruce patri animam commendat 273. pro crucifigentibus ſe orat 270. in cruce pendens illuditur, ſubſannatur & conuicijs proſcinditur 272. ſe cupientem ſequi repellit 166.167
Chriſtus dęmonium habere dicitur 147.148. dæmonium eijcit 79.80. dæmoniacum ſanat 105. dæmonium eijcit 70.175. Deitatem cur ſæpe celauerit 317. ad dextram patris quomodo ſedeat 332. à diabolo tentatur 310. didrachma ſoluit 140. diſcipulorum pedes lauat 236. illorum taxat incredulitatem 289. diſcipulis corpus ſuum edendum, & ſanguinem ſuum bibendum dat 240. diſcipulis Emaum euntib. apparet 281. diſcipulis ſe manifeſtat poſt reſurrectionem 285
poſt reſurrectionem congregatis apparet 283.289.
diſcipulos ex occaſione cibi ad Euangelizandi ſtudium prouocat 48.
diſcipulos docet orare 61.
ſeptuaginta diſcipulos eligit, & ad Euangelizandū emittit

mittit 167.168.
diſcipulos ad futura mala animat 228.
paſcha paratum mittit 236.
dormit 304.305.
docturus cur mootem aſcenderit 54
Chriſtus qoomodo Eccleſiam ſuam io terris plantauerit 3.4.
pro Eoangelij reoelatione patri gratias agit 168.
ementes & ueodentes templo eijcit 209
Chriſtus à fermento phariſæorum caoeodum eſſe docet 132.
ficui iofrugiferæ maledicit 215.
filium unicum matris uiduę à mortuis reſuſcitat 98.
ſe filium Dei eſſe phariſæis demonſtrat 154.
flagellatur 267
Chriſtus à Galilæis exceptus 51
Chriſtus Hieroſulymitanũ excidium prædicit 195.209.227. ad Herodem mittitur 183.265.
hydropicum ſabbatho ſanat 183.
hymoum cum diſcipulis canit 246
Chriſtus ieiunat, tentaturq; à diabolo 30.310.
illotus cum phariſæis prandet 176.
ab immuodis ſpiritibus adorari ſe non patitur 90.
pro inimicis orat 271.
Ioannem cur præ cæteris diſcipulis dilexerit 296.
à Ioanoe io Iordane baptizatur 28.
Iudæis ſignum mortis & reſurrectionis ſuæ dat 40.
de ſe cum Iudæis diſputat 147.148.149.150.&c.
Chriſtus lachrymatur 171.
à legiſperito teotatur 168.222. leproſos decem mundat 69.194.
lunaticum ſanat 139
Chriſtus à Magis adoratur 21.301.
Malcbo auriculam reſtituit 258.
in mari ambulat 118.
ex Maria naſciturus prædicitur 9.
à Maria & ſorore eios Martha boſpitio excipitur 173.
matri cur dorios reſponderit 39.
mentis eſſe inops à cognatis ſuis exiſtimatur 105.106.
morbos uarios ſanat 80.
moritur 273.
mortem cur adeò exhorruerit 387.
mortem ſuam prædicit 212
mulierem ſanguinis profluuio laborantem ſanat 79.181. à mulieribus defletur, & adoratur 268.269.
in muodum cur uenerit 30.31. 71. 77. 141. 163. 179. 180.204. muodum quomodo relinquat 329.
naſcitur 17.503.
numularios è templo eijcit 40.
nuptijs in Cana Galileæ intereſt 39
Chriſtus obſcurè cur ſæpe locutus 315.
omnis generis morbos ſanat 53. orat in munte 118.119.174.255
Chriſtus paralijticum ſanat, & ei peccata remittit 76.81.
paruulos ad ſe adduci iubet 198.
manos illis imponit. ibid.
de paſsione ſua diſcipulis prædicit 140.183.
paſsiooem ſuam à precibus auſpicatur 253.
patri ſe coæqualem eſſe docet 245. à patre quomodo exierit 253.329.
cum peccatoribus & publicanis cibum ſumit 77.
Petri negationem prædicit 255. Petro oues paſcendas committit 286. apud phariſæum prandet 175. diſcũbit 103. à phariſæis propter cõmercium publicanorum & peccatorum reprę henditur 77.78.377.
à phariſæis tentatur 190.
ad Pilatum ducitur 262
ad pœniteotiam hortatur 180.
ſe poteſtatem remittẽdi peccata habere, probat phariſæis 76.
item animam ponẽdi, & eandem recipiendi 163.164.
præſeotiam ſuam omnibus pijs promittit 289.
proditorem ſuum prædicit 238.
eidem oboiã procedit 257.
pſeudoprophetas uitari iubet 67.68.
Chriſtus quid ſignificet 15.
quibus ſit in ſignum poſitus 21
Chriſtus rebellionis accuſatur 173.174.
rex Iudæorũ ſalutatur 267.
pòſt reſurrectiooem apparet & comedit 279.283.286. quibus ſe reuelet 38. quibus ruina & petra ſcandali 21. quib. item uita. ibid.
Chriſtus ſabbathi contemptor à phariſæis criminatus 148.
ſabbatho cibum cum phariſæis capit 183.
ſanguioem ſudat 255
à Samaritanis boſpitio excipitur 48. ſathanæ teſtimonium cur oolnerit recipere 71. in ſignum cui contradicatur qoomodo cõſtitutus 298. à Simeone & Anna prophetiſſa in templo Hieroſolymitano laodator 21. ſpiritum ſaoctũ diſcipulis promittit 245.246.250. ſpiritu infremuit & exultat 168.171.
ſpiritu turbatur 238. ex ſpiritu ſancto quomodo conceptus dicatur 9. ſurdum & mutum ſanat 130.
ſeductioois & affectati regni criminis accuſatur 264.
io ſynagoga docet 50.53.70.181
Chriſtus tempeſtatibus imperat 73. in templo ſiſtitur 19.308
in templo docet 147.148.151.
transfiguratus in monte 136.
de tributo Cæſari ſolueodo tentatur 390
Chriſtus ueſte purpurea iodui tur 267. uiridi ligno ſe comparat 270.
uoigenitum Dei filium patri per omoia æqoalem ſe eſſe probat 83.84.85.
unguento perfunditur à muliere 206. à uolgo qui habitus. 134. uulnera manuum & pedũ poſt reſurrectionẽ cur retinuerit 284
Zachæum uocat 203.
Chriſtus grano frumenti comparatus 361. homioi diuiti 355. patriſamiliâs 180. ſeminanti 113.

ſeminatori 307 ſerpenti 42 ſeruo 341 ſponſo 77 uinitori 180
Chriſti aduentus ultimus deſcribitur 230.231
Chriſti aduentus duplex 43
Chriſti agon in horto 256
amor erga Lazarum, Mariã & Martham 170
Chriſti caro quomodo manducanda 125 circumciſio 299
Chriſti corpus templo aſsimilatum 40
Chriſti crura non fractã 275
Chriſti doctrina & facundia qualis 90.292 facies qualis 77.78 fuga in deſertum 174 fratres qui 108
Chriſti genealogia 14.273
Chriſti generatio duplex 15
Chriſti generatio inenarrabilis 312.372
Chriſti gloria 410 humilitas 19.130.341.435 maieſtas 35.36 manſuetudo erga Phariſæos 90
Chriſti mãſio in terris duplex 247
Chriſti miracula dæmoni à Iudæis aſcripta 314
Chriſti mors, glorificatio, regnum, exaltatio 213 ex mortuis reſurrectio 277
Chriſti latus lancea aperit miles 275
Chriſti loco alium interfectũ, Alcorani hæreſis 507
Chriſti diuina maieſtas in docendo 68 natiuitas 293 paſsio & reſurrectio prædicta 308.309 pax 323 regnum 357 teſtimonium de Ioanne 99.100 cum Samaritana muliere colloquiũ 46. eius ultima in Iudæam profectio 166
Chriſtũ confitetur Ioannes 29
Chriſtum confitentes, à Iudęis excluſi 158
Chriſtum dæmonium habere cur exiſtimarint Iudæi 320
Chriſtum in diuinis, & eſſentia à patre diſtingui, error Arij 336
Chriſtum non poſſe à ſe quicquam facere, quomodo intelligendum 84
Chriſtũ in gloria, iam non eſſe amplius creaturã, error quorundam 275
Chriſtum eſſe Deum & hominem 32.33
Chriſtũ hodierno die qui crucifigant 307 infirmitatib. fuiſſe obnoxium 46
Chriſtum Iudæi lapidare uolunt 164
Chriſtum in precibus pernoctaſſe 62.91 Chriſtum nõ recipientibus quæ mala incumbant 8
Chriſtum in membris ſuis coli 234
Chriſtum ante Mariã non fuiſſe, Cerinthi & Ebionitarũ hæreſis 32
Chriſtum patri coæternum 35 non ex ſemine Ioſeph, ſed ex Spiritu ſancto conceptũ 16
Chriſtum qui uerè uideant 20 qui audiant 138 qui ſuſcipiant 381
ad Chriſtum quo animi affectu accedendum 38.69
ad Chriſtum quomodo perueniatur 245
in Chriſtum falſa teſtimonia prolata 259
Chriſtũ ſolum de cœlo deſcendiſſe, eundẽq; aſcendiſſe 42
Chriſto infantes oblati 198 omne iudicium à patre datum 45.83
Chriſto quæ operationes tribuantur in Scripturis 326
Chriſto qui inſiti 248
Chriſto teſtimonium qui perhibeant 438
abſq; Chriſto ad patrem non perueniri 244
cum Chriſto commori quomodo dicamur 456
de Chriſto qui nunquam audierunt, an damnati, ex Auguſtino 393
de Chriſto quid ſenſerit Herodes 349 quid item uulgus Iudæorum 349
ſine Chriſto nihil præſtari poſſe 248
Chriſtiani duplices 232
Chriſtiani infantib. ſimiles eſſe iubentur 199 quomodo dicantur perfecti 61
Chriſtianorum genus uirginibus aſsimilatum 232
Chriſtianorum & gentiliũ religionis diſsimilitudo 4
Chriſtianorum iuſticia qualis 58 paſcha Chriſtus 437
Chriſtianis an proprietas rerũ ſit conceſſa 29
Chriſtianos magiſtratui politico an ſubeſſe iuſtum 391
Chriſtiana & uera libertas quę. ibid.
Chriſtianæ libertatis abuſores taxati 362.440
Chriſtianę profeſsioni nullam æquari aliam poſſe 4
cibus Chriſti 48.49
cibus animæ 286.352
cibum ſpiritualem eſſe quærendum 121
cibos hominem non coinquinare 128
cibis quomodo utendum 317
M.T. Cicero, Romanæ eloquẽtiæ fons uberrimus 292
Cilices populi 102
cilicium ueſtis genus lugubre 102
circũſtantiæ ab Euãgeliſtis cur ſæpe diligẽter notentur 125
circumciſio 147.148
circumciſio Chriſti 19.299
circũciſio cur inſtituta 224.299
circumciſionem non eſſe repetendam probatur 19
ciuitas cœleſtis 514
ciuitas Dei quæ 330
in Ciuitates Chriſtus inuehitur 101
clauis ſcientiæ 176
claues Eccleſiæ datæ ad remiſſionem peccatorum nobis impartiendam 383
claues Eccleſiæ 511
claues Petro à Chriſto traditæ 350
claues regni cœlorum 133. 344.350
clauium nomine quid intelligendum 383
clauium poteſtas 134.143
clauium poteſtas quouſq; extendatur 350 quomodo Petro data, ex Ambroſio 383
de Clauium poteſtate ſancti Patres quid ſenſerint 350
Cleopas Chriſti diſcipulus 281
Cletus 504
ad Cœleſtem patriam aſpirandum 440
cœleſtia quærenda 369
cœleſtibus ſemper ſtudendum 333
cœlibatus 191
cœlites gaudere ſuper pœnitentes 187
cœlum 289
cœlum apertum Stephano apparet 412
cœlum cur ſolitudini comparatum 342
cœlum & terra quomodo prętaritura ſint 232
cœli & terræ ſubſtantiam in fine mundi non abolendam,

ſed figuram mutandá 404
cœli in baptiſmo Chriſti aperti 30
cœlo ſereno tonaſſe 108
de Cœlo tertio D. Hieronymi ſententia 424
cœlorum appellatione uaria ſignificari 520
cœlorum uirtutes 230.231
cœna,æterna beatitudo appellata 185
cœna magna quæ. ibid.
cœna ultima Chriſti cum diſcipulis deſcribitur 236.237
cœnę Dominicę inſtitutio 240
cogitationes coinquinare hominem 127
cogitationes hominū ſoli Deo notæ 383 impuræ damnantur 59
cogitationes mundę quos deceant 125
cogitationum noxiarum fons 128
cogitationes prauæ pro peccatis à Phariſæis non habitæ 351
cogitationibus terrenis obnoxios non ſincerè orare poſſe 359
cognatio ſpiritualis quæ 344
cognoſcere quos dicatur Chriſtus 163
ad Cognitionem Dei quomodo perueniatur 123
columba innocentiæ ſymbolum 30
in Colūbæ ſpecie Spiritus ſanctus apparet 29.30
commoriendum eſſe Chriſto 337.362
communia omnia eſſe debere, Eſſæorum error 378
compatiendum alijs 382
compunctionis ſpiritus 312
conatus hominum qui felices 371.372
concordia commendatur 336. 352
concordię Ecclesiaſtarum 144
concionatoris officium 49.131
concupiſcentia quid 467
concupiſcentiæ nomine quid intelligendum 415
ad Condonandum hominibus exhortatio Chriſti 57
non Condonantiū,pœna 145
confeſsio Euangelij mandatur 95
confeſsio fidei ueræ adiuncta 487
confeſsio in ſacris literis quid ſignificet 102
confeſsio oris parū ualet abſq; cordis ſincera fide 389.390
confeſsio peccatorum quàm neceſſaria ad ſalutem 46.47
confeſsio uera quæ 134
confeſsio ueritatis à Chriſto mandatur 95
ad Confeſsionem ueritatis animantur diſcipuli 95
confidentia notatur 255
in Congregatione piorum manere Chriſtum per gratiam 464
in Coniugali ſtatu homines ſaluari non poſſe, Tatianorum & Marcianorum error 341
coniugium à Deo ſanctificatū 341 cur inſtitutum 430 cur & quomodo contrahendum 302.303
coniugium in futura uita nullum 221
coniugij commendatio 185
coniugij contemptores notati 341
coniugij inſtitutio 190.302. 361
cōiugij ſocietas quæ à Deo eſt diſſoluta, libidine non eſt cōſpurcanda 430
coniugij uinculum 191
coniugum fides & dilectio ſincera eſſe debet 303
cōiunctione animę & corporis nulla maior 395
conſcientia mala 142
conſcientiarum pax quæ 293. 492
de Conſcientijs hominum nemo iudicare poteſt 490
conſequentiæ neceſsitas 381
conſilium contra Deum nullū 301
conſolari propriū Spiritus ſancti opus 336
Conſtantinopolitana ſynodus contra Macedonium cōgregata 333
conſummatio ſeculi 227.229
conſummationis ſeculi indicia & ſigna 231
contemptorum uerbi ingeniū 126
contentionis mater ſuperbia 368
contriti corde qui dicantur 50
contumeliam pro Chriſto cum gaudio ferunt Apoſtoli 394
conuerſatio fidelium in cœlis 481
cōuerſionis ad Deum quæ cauſa efficiens 8
ad Conuiuium qui uocādi 184
cor durū petrę cōparatū 307
cor hominis prauum 55
cor hominis uiæ aſsimilatum 307
cor innumeris cogitationibus obnoxium 307
cor induratum 214
cordis humani prauitas 315 immundicia 58.59
corda hominum nouiſſe Chriſtum 38
corda hominum domui comparata 343
cordium inſpector Deus 388
cordium præputia circumcidenda 299
corona iuſticiæ 311.512
corona iuſticię miniſtris Euangelij promiſſa 94
corona de ſpinis Chriſti capiti impoſita 267.268
corona uitæ 358
corpus Chriſti 240 poſt reſurrectionem quale 283
corpus phantaſticum Chriſto ab Eutyche & Valentino attributum 380
corpora Chriſtianorum Deo quomodo offerenda 417
corporis cibus 311
corporis morbi unde originē trahant 82.83
corporis uitia ex animi uitijs naſci 158
corpora poſt reſurrectionem qualia futura 323.369
Corinthij à Paulo correpti 423 item ob ſceleroſum non punitum notati 437 à pſeudodoctoribus peruerſi 424
apud Corinthios Paulus pro miniſtris intercedit 314
Crates Thebanus 200
creatorem Deum ex creaturis cognoſci poſſe 316
creatura triplex 497
creaturas Dei bonas eſſe 317
creaturas in uniuerſum omnes creatorem ſuum ſentire 305
creaturas ipſas finē mundi expectare 452
credendum quibus & quatenus 317
credentes à qua morte liberati 157
credentes in Chriſtum ſaluari 41
credentium fructus 289
credentibus quæ & quanta bona expectanda 4 uita æterna promiſſa 83

crimina maiora apud ueteres qoomodo puniri ſolita 142
crudelitas prohibetur 145
crura io eruce pendentibus frangere, mos Indæorum 275
crux ſamoſiſsimorum nebulonum olim ſupplicium 267
crux Chriſti ooſtra gloria 471
crueis Chriſti inimici 481. 525
crucis Chriſti effieacia 439
crucis nomioe quid intelligendum 135.136
crucis ſcandalo multos offendi 436
ad Crucem adhortatur Chriſtus 135
crucem æquo animo cuiq; ſereodam 94.439
crucem manere electos Dei 21. 439
crucem propriam Chriſtus baiulat 268
in Cruce quamdiu Chriſtus pependerit 273
culieum exeolatores Phariſæi 225
cultus Dei uerus ubi primùm cœperit 464
cultus diuinos quantum Chriſti temporibos Hieroſolymis fuerit corruptus 40
cultus qui approbetur Deo 88.89
cuſtodes monumenti, Chriſtũ reſurrexiſſe Phariſæis nunciant 281
cuſtodes ſepolchri Chriſti exanimati per angelom de cœlo deſcendentem 277
D. Cypriaous martyr 394
Cypriani ad Fidom de baptiſmo inſantum epiſtola 199
Cyrenenſium ſynagoga 412
Cyreniuſ Syriæ præſes 17.18. 293
Cyrus Perſarum rex 294
Iudæorum liberator 386

D

Dæmon hoſtis bumani generis 399
dæmones aliqoando ſaloandos, Origenis error 400
dæmones cœli uolucribus cōparati 307
dęmones duo in monumentis cur habitarint 75
dæmooes poteſtatem maximè io homines olim habuiſſe 314
dæmooes qui ieiuoio & preeibus eijciantur 140
dæmoues uera quoq; dicere 71
dæmonum fides qoalis 513
dæmoniacus à Chriſto ſanatur 70.79.80. 105
dæmooium habere dicitur Chriſtus 147.148. 156
dæmooium eijcitur 72.129. 139.175
dæmooia à diſcipulis eijciuntur 168
Damaſcus 423
damnationis uaſa qui 392
dandum quomodo 227. 419
dantis animum, oon donum à Deo reſpici 227
dator bilaris 227
Dauid 218 Chriſtum quomodo Domioum ooeet 222.379 panes propoſitionis edit 88 ueſtimenta ſeindit 260
Dauidis filius Chriſtus 15.18
Dauidis monarchia cum Goliatb, typos conflictus Chriſti cum Sathana 310
Dauidi cur tantæ promiſsiones à Deo factæ 13
Dauidi ſemen benedictũ promiſſum 298
debita homioom 145
Deealogus à Phariſæis in membranas ſcriptus, & eircumlatus 224
deeem millia peritiſsimorum artificum in templo Hieroſolymitano ſub Herode extruendo, oecupati 228
decimæ ſaeerdotibos & Leuitis deſtinatæ 225
dedicatiooes templi Hieroſolymitani à quibus factæ 164
de Doois à Deo acceptis reddendam rationem 355
defunctis humanitatem etiam deberi 98
Deus ad iram impœnitentia non prouocandus 359
bona ſua cur largiatur hominibos 189 cur ab Auguſtino fidelis dictus 459
cur inuocari uelit 328
cur Pater appellari uelit 519
ex creaturis quomodo cognoſeatur 33 fons omnis boni 448 in bomine quomodo ſit 166
Deus immotabilis 441
Deus iuxta humanam imbeeillitatem non metiendus 316
Deus ooo mortuorum, ſed uiuentium Deus 221
Deus pater sgricolæ aſsimilatur 248 quomodo affectus ſit erga ſuos 459
quomodo eognoſeatur eſſe noſter, & nos illius 466
quomodo diligendus 222
qoomodo in ſuis hie regnet 105 quomodo occæcet & induret 214
quomodo paſcatur 177
quomodo ubiq; 410
quos exaudiat 144.159
quibus ioexorabilis 160
Deus regi ouptias filio facienti comparatus 219
Deus ſanguinis innoxij inquiſitor 176
Deus, uioentium Deus 378
Dei benignitas 145 eios facta non omnia ſcrupuloſe rimanda 364
Dei filij qui 157
Dei definitio 496 longanimitas 116 miſericordia 352
Dei oomen olim à Romanis Imperatoribus datum 268
Dei omnipotentia 319
Dei patris & filij eandem eſſe diuinitatem & poteſtatẽ 84
Dei ooluntas quæ 49
Deo curæ eſſe pios 22.23
ei nihil impoſsibile 9
Deo quæ ſua ſuut danda 220
Deo quomodo ſeruieodum 13.61
Deũ habere membra, Aothropomorphitarum error 496
Deum iouoeantes ſe exaodire 175
Deum uoo eſſe teutandum 31. 32
Deum qui nouerint 149
qui eootemnant 98
Deum quomodo ulderint patriarchæ 35
Deum ſeelera ulciſci 27
Deum ſequi quid 376
Deum ſolom adorandum 311
à Deo quid & quomodo petendum 303
à Deo qoi trahantur 123.126
à Deo quomodo proceſſerit Chriſtus 155
de Deo & eius uerbo irreuerenter nõ loquendum 442
ex Deo qui'nam ſint, & qui minimè 319. 320
Dij 165
Dij gentilium 520
Deitatem Chriſtus cur ſæpe celauerit 317

Deitatem nullus humauus intellectus capit 330
deierationes damnantur 60
delicta condonanda 144
Demoſthenes artis dicendi peritiſsimus 292
deprecationes mutuę in Eccleſia neceſſariæ 363
derelictus à Deo Chriſtus quomodo dicatur 273.274
in Deſerto uiuere quid 326
deſperandum nemini 307. 330.343
deſperatio quid 343
deuoratores domuum uiduarum 225
dextra Dei 357
ad Dextram patris Chriſtus quomodo ſedeat 289.332. 333.411
diabolus ab initio quomodo peccet 155
diabolus homicida 153
diabolus non conſulendus 363 quomodo princeps mundi 32 quomodo tentet pios 31 tentat Chriſtũ io deſerto 30
diaboli arma quæ 315 oatura 311 poteſtas 312 tela cõtra homines 318 uis 139 eius imperium per quem & quomodo diſsipatum 371
diabolo quibus armis reſiſtendum 330
diadematis loco ſpinea corona Chriſto impoſita 269
didrachma Chriſto ſolnit 140
dies 158.170.182
dies ultimus prædicitur 195
dies ſalutis & gratiæ 210.428
dies ultionis 229
diei opera 428
diei uita præſens cõparata 355
in Die operandum 428
diffidentia reprehenditur 133
diffidentia diſcipulorum Chriſti taxatur 282.283
digitus Dei quid 106.315. 364
digito Chriſtus ſalnator mundi eſſe oſtenditur 36
dignitas Apoſtolatus 323
dilectio quid 378
dilectio Chriſti perfectiſſ. 236
dilectio Dei erga homines iu quo potiſsimùm appareat 41.35
dilectio proximi commendator 60.242.378 pijs quàm neceſſaria 335 totius Scripturæ compendium 67
dilectio omnium functionum humanarum amuſsis 421
dilectionis ſignum pręcipuum 335 laus 344
dilectionem Chriſtus cur tam ſæpe iuculcarit diſcipulis 392
ad Dilectionem proximi quid excitare nos debeat 449
dilectione ſola Chriſti diſcipuli diſcernuntur 335.520
abſque Dilectione fidem uon conſtare 392 nullaque bona opera Deo probari 352
diligenti & pio homini ſemper aliquid ſupereſſe, dictũ Hieronymi 55
diligentibus Chriſtum quæ bona promiſſa 246
diluuium 195.499
diſcendi ſtudiũ quomodo excitetur 305
diſcipuli Chriſti ueri 142.154. 153.182.185.212.243
diſcipuli Chriſti clancularij 214
diſcipuli aſinam Chriſto adducunt 208 ad patientiam animantur 55.56 Chriſtũ dehortantur à profectione in Iudæam 170 corpus Chriſti comedendũ, eiusq; ſanguinem bibendũ accipiunt 240 à Chriſto fugiunt 258 ſabbatho ſpicas uellunt 88 quomodo maiora miracula quàm ipſe, fecerint 331
lxxij Diſcipuli à Chriſto emiſsi 167 Zebedæis fratribus iraſcuntur 202 ad Euangelizandum à Chriſto in totum terrarum orbem emiſsi 289.332 ad futuras perſecutiones animantur 228. 250
diſcipuli Ioannis ad Chriſtum miſsi 99
diſcipuli infantes ad Chriſtum allatos prohibere uolunt 198 ignem de cœlo cupiunt in Samaritanos demitti 166
diſcipuli multi à Chriſto deſciſcunt 124 patrem Chriſti uidere cupiunt 244 ad perſeuerantiam in fide admonentur 249 poteſtatem à Chriſto remittendi peccata accipiunt 284 tempeſtate uexantur 118 uiam quò Chriſtus uadat, ſcire petunt 244 in horto Chriſto orante præ triſtitia dormiunt 255
diſcipulorum ambitio & inuidia notatur 203 item carnalia de regno Chriſti perſuaſio 140.142.242. 368 item diffidentia 133 incredulitas 140.289 eorum puſillanimitas reprehenditur 73 tarditas & inſcitia 128 timiditas & diffidentia 305
diſcipulorum contentio quis illorum maior eſſet 141.242
diſcipulorum quæſtio ad Chriſtum, cur non potuerint lunaticum ſanare 140.145. 146
diſcipulorum Chriſti & latronis in cruce fides coſertur 273
diſcipulis Chriſtus dat poteſtatem ſpirituũ immundorum 91
diſcipulis tribus Chriſti maieſtas in monte demonſtratur 137
diſcipulis poteſtas datur cõtra ſpiritus & omnia mala 168
inter Diſcipulos Chriſti cõtentio orta de primatu 368
à Diſcipulis ſuis quid exigat Chriſtus 53
diſcipulos quales Chriſtus ſibi eligat. ibid.
diſcordia regnorum pernicies 315
diſcordiæ ſupplicia 144
diſpenſator bonus 178 infidelis 189
diſpenſator iniquus quomodo à Deo laudatur 189
diſpenſatoris perfidi pœna 179
diſpenſatores omnes homines à Deo conſtituti 355
ad Diſpenſandum, non poſsidendum opes hominibus largitæ 356.446
diſperſio diſcipulorum Chriſti prædicitur 251
diſputatores importuni & pertinaces taxati 326
diſputatio inter Ioannis diſcipulos & Iudæos 45
diſcretionis iudiciũ quod 403
dies ultimos in memoriã ſemper reuocandus 527
diuinæ naturæ in Chriſto argumenta 83.84.85
diuinitas Chriſti aſſeritur 304. 305.310.315.325.328.364.372. 379.383

diuinitatis myſteria inſcrutabilia 372
diuinitatis Chriſti uaria teſtimonia 410
diuinitatem & humanitatem Chriſti impugnantes, confutati 436
diuinitatem Chriſti ex humilitate eius inclaruiſſe 411
de Diuinitate Chriſti qui impiè ſenſerint 315
diues iubetur uendere bona, & in pauperes erogare 198
diues ægrè ſeruatur. ibid.
diues auarus 192
diuitis auari mors, & ſepultura 192. 339
diuites difficulter ſaluari 339. quibus malis obnoxij 341. 371 quomodo dneeodi 339. 440
diuitum mores qui 64. officium. ibid.
diuitibus uæ imprecatur Chriſtus 339
diuitiæ an à Deo petendæ 348. cur iniquè dictæ 190
diuitiæ impedimentum ad ſalutem multis 307. 339
diuitiæ ſpinis comparatæ 307 quatenus bonæ, quatenus itetu malæ 64. 178. 199. 339 quatenus damnabiles 371
diuitiæ quæ noxiæ 111
diuitiarum non domini, ſed diſpenſatores, opulenti à Deo conſtituti 189
diuitiarum abuſus 199 inſtabilitas 307. 308
diuitiarum contemptores 200 ſerui qui 65
diuitijs cor non apponendum 339
diuitijs homines non per ſe, ſed Dei beneficio renunciare poſſunt 198. 199
diuitijs quomodo utendum 189. 193. 339. 461
diuitijs ſeruire quid 371
in Diuitijs uitæ præſidium nõ eſſe ponendum 177
diteſcendum quomodo 339
diuortium 190
diuortij formula Iudæis oſitata qualis 191
diuortia quateoos facienda 59
diuortia Phariſæorum taxat Chriſtus 191
in Diuortijs faciendis nimia Iudæorum licentia damnatur 59
doctorũ Euãgelij ſcopus quò tendere debeat 53
in Doctoribus Euãgelij requiri Spiritum ſanctum 40
doctrina Chriſti qualia 90. 147
doctrina miniſtrorũ qualis eſ. ſe debeat 56
doctrinæ falſæ exitus quis 128
doctrinæ hæreticæ natura 133
ex Doctrina æſtimari doctorem 68
docturus, qua methodo oti debeat 33
domeſticis fidei præcipuè benefaciendum eſſe 317
dominandi libido quàm perniciosa 341. 368
in Domino obdormire 413
dominicus dies cur diuino cultui deſtinatus 275
dominis duobus quomodo inſeruire impoſsibile 63. 371
Domitianus Imperator 32. eius tyrannis in Chriſtianos 297
dona Dei etiam optima quando cedant hominibus in malum 425
dona Dei uaria 417. 418. 460
dona Spiritus ſancti bene collocanda 205. 446
donorum Dei quomodo participes fiamus 52
donis Dei qui abutantur 355
dormire mortui cur dicantur 80. 413
dormientibus mortui aſsimilati 274
Donatus hæreticus 315. eius error 397
donec uocabuli, in ſacris Scripturis ſignificatio 17. 318
Dydimus Alexandrinus Marcionis hæretici impugnator 415

E

Ebion hæreticus 325. 372
Ebionitæ taxati 300
ebrietas prohibita 478. 488
Eccleſia 144
Eccleſia Chriſti qualis 304
Eccleſia ſancta catholica 510
Eccleſia ouile Chriſti 162
Eccleſia, regnum Chriſti 134
Eccleſia Chriſti columna ueritatis 386 qua ratione in his terris plantetur 3. 4. ſponſæ aſsimilata 77
ſuper quam petram extructa 69. 134 quo pacto ædificetur 473
unde primum cœperit 464
quomodo inuiſibilis 510
Eccleſia oi ne æ comparata 201. 248. 305
Eccleſiæ caput Chriſtus 45. 386
Eccleſiæ claues 383
Eccleſiæ doctores luci adumbrati 56
Eccleſiæ fundamentum Chriſtus 307
humilitas 485
Eccleſiæ cum Chriſto indiuidua coniunctio 303
Eccleſiæ preces pro Petro in carcere detento 455
Eccleſiæ perturbationes unde 383
Eccleſiæ primitiuę mos in conferendis opibus ad ſanctos uſus 227
Eccleſiæ ſuæ præſens Chriſtus 248
Eccleſiæ ſucceſſus & progreſſus oſtenditur 348. 349
Eccleſiæ ſpiritualia cum diabolo pugna & triumphus 475
Eccleſiæ ueræ dignoſcendæ ratio 510
Eccleſiæ malos eſſe cõmixtos. ibid.
pro Eccleſiæ ſtatu orandũ eſſe 328. 329
Eccleſiam eſſe corpus Chriſti 475
Eccleſiam ſuam Chriſtus Petro commendat 296
Eccleſiam ex malis & bonis permixtam eſſe 510
nullum finem eſſe uoquam habituram 471
in Eccleſia quomodo orãdum 62
Eccleſias ſingulis annis uiſitati debere, in concilio Cabilonenſi ſtatutum 325
electio Dei 226. 219. 220
electionis ſcopus uitæ ſanctimonia 414
electionem non à noſtro meritò, ſed à diuini beneplaciti propoſito proficiſci 414
in Electione operibus uel præteritis uel futuris nullum eſſe locum. ibid.
de Electione Dei quid & quomodo ſentiendum 306

ex Electione non capienda occaſio peccandi 414
electi in Chriſto quomodo ſimus. ibid.
electi, per Spiritum ſanctum regenerati, ipſius ductu aguntur ac gubernantur. ibid.
electorum officium. ibid.
electos uix à ſeductione ſeruandos ultimis temporib. 230
electos eſſe paucos, quomodo intelligendum 306
eleemoſyna præcipitur 175. 176
eleemoſyna quomodo pręſtanda 61.344.381 quomodo largienda 190
eleemoſynæ quales damnatæ 61
eleemoſynarum dignitas 426
eleemoſynis peccata quomodo redimantur 388
eleemoſynas dandas 356. 357
Elias Theſbites 138 diſcipulis & Chriſto in monte apparet 137 idololatriæ acerrimus impugnator 8 ignē de cœlo in hoſtes euocauit 166.167 ad Sareptam miſſus 51
Eliæ tempora fuiſſe corruptiſſima 8
Eliæ Ioannes cur comparatus 99
Eliam à Chriſto in cruce uocatum, à militibus Rom. creditum 274 ante Chriſti aduentum uenturum, à Iudæis creditum 407 Meſsiæ aduentum præceſſurum 137. 138
Elizabeth uxor Zacharię ſacerdotis 7.345 concipit Ioannem 8 uiſitatur à uirgine Maria 10 Spiritu ſancto repleta benedicit Mariæ. ibid.
Elymas magus à Paulo correptus 351
Emmaus 281
Emmanuel dictus Chriſtus 16
Eraſmus à Limpurg epiſcopus Argentinenſis 291
Eraſmi libellus de inſtitutione puerorum quàm utilis 386
ethnico magiſtratui an & quatenus obediendum 440
ethnici canes à Chriſto cur appellati 129
pro Ethnicis qui habendi 144
Enoch naſcitur 499
Enoch & Helias quomodo ſublati ex hac uita 297
Encænia feſtum 164
ependytes, ueſtis piſcatoribus in Phœnicia & Syria uſitata 285
Epheſus Aſię metropolis 413
Epheſum D. Paulus ab idololatria liberauit. ibid.
Ephraim ciuitas 174
Epicurei notati 371.512
epicureorum uox 313
epicureiſmus notatur 184. 326.346
Epiphanij teſtimonium de nō adoranda uirgine Maria 10. eiuſdem de Marco euangeliſta iudicium 25
Epiſcoporum pompa taxatur 287
Eſau cur ſic appellatus 299
Eſaias propheta diſſectus 295 à Manaſſe rege necatus 369
Eſaię locus explicatur à Chriſto in ſynagoga 50
Eſſęorum ſecta 378
eſuriendi & ſitiendi uocabulis in Scripturis quid intelligatur 55
Eua omnis mali initium 318
Euę maledictum à Deo 294.
Euangelium quid 6 289. quibus annunciandum 66.92 quomodo docendum 131 quid potiſsimum doceat 4. 5.6 à quibus & quomodo legendum 5 grano ſynapis comparatum 112
Euangeliū propter corruptos miniſtrorum mores non cōtemnendum 223
Euangelium cur lex libertatis dictum 391
Euangelium ſecundum Matthiam, Nazaręos & Nicodemum improbatur 7
Euangelium miniſterium iuſticiæ 463
Euangelium cur uia pacis appellatur 14 an ſeditiones moueat 97 non tumultu, ſed tolerantia defendi 479
Euangelium quibus reueletur 168
Euangelij annunciatio quæ 186
Euágelij idonei auditores qui 102. eius auditores quadruplices 111. item contemptores triplices 185
Euangelij contemptoribus minatur Chriſtus 215
Euangelij doctrina reti aſsimilata 348
Euangelij doctrinam non nouam, ſed eſſe omnium antiquiſsimam, probatur 53 eius gloriam eſſe excellentiſsimam 463
Euágelij miniſterio meſsis collata 48.49
ex Euangelij libertate peccandi occaſio non arripienda 415
Euangelio credentibus quę & quanta bona promiſſa 4
Euangelium annunciantes, ex eo debere uiuere 93
Euangelium nunquam poſſe excindi 229
Euangelium non damnare magiſtratus ordinationes, neq; euertere politias 57
Euangelium non recipientib. minatus Chriſtus 92
Euangelium reliquis diuinis ſcriptis omnibus præſtare & excellere 6
per Euangelium qualis libertas conferatur 57
ab Euangelio qui non prohibendi 146
Euangelia multos ſcripſiſſe 6
Euangeliorum Dominicalium enarrationes ab authore cur in lucem editæ 291
Euangelicus ſpiritus 167
Euágelica doctrina luce adumbrata 56
Euangelicæ doctrinæ certitudo aſſeritur 42
Euangelicę libertatis abuſores taxati 78.186
Euangelicæ hiſtorię maieſtas & authoritas 4 pręſtantia & finis 72.102 eius autoritas commendatur 18
Euangelicæ prædicationi qui idonei 79
Euangelicam harmoniam qui conſcripſerint 4.5
Euangelicam ueritatem conſtanter confiteri, à Chriſto mandatum 95
Euangeliſtarum quatuor conſenſus 6
ut Euágelizet, Chriſtus miſſus 50
ad Euangelizandi ſtudium diſcipuli Chriſti adhortantur 49

49
eunuchi 190
euoucborum genera tria 191
Eunomius hęreticus 315
Eutyches hæreticus 372. 380 eius error confutatur. ibid.
Euchitę taxati & confutati 371
exaltatio Chriſti 213
exaltaotes ſe bumiliari 197. 198
excæcatio Iudæorum taxatur 110
excidium Hieroſolymitanum prædicitur 270
excommunicatio 511. quando & cur inſtituta 334
excommunicatio in ecclesia primitiua uſitatiſsima 383

EXEMPLA.

exemplum amoris erga filios 312 beoeficentiæ in pauperes 204.382.386
exemplum ciuilitatis 199. coofeſsionis ueræ 126. cōſtantis Euangeli profeſsionis 35. 49. item conſtantiæ io ſubeunda morte pro nomioe Chriſti 97. conſtantiæ & perſeuerātię in orādo 204 cōſtantiæ io perferendis afflictionibus 413. charitatis perfectiſsimæ in Chriſto 287
exemplum fidei firmiſsimæ 40. 69. 70. 79. 80.129.304. 312 fiduciæ firmæ in Deū 203.204 infirmæ fidei 41
exemplum gratitudinis erga Deum 118.194.247. 353
exemplū humanitatis & charitatis erga proximum 230 humilitatis 70.194.237. 242
exemplum humilitatis 302. 304.313.319
exemplum inſtitutioois piæ liberorum 386 inobedientiæ punitæ 196
exemplum manſuetudiois 25. 261.424 miſericordiæ 188. 352
exemplum obedientiæ promptiſsimæ erga parentes 25. 302 obſequij fidelis erga Deum 54
exemplum paſtoris 286.287. 296 patientiæ 308.382. patieotiæ & conſtantiæ in perſecutionibus 394 patientię ſingularis in Chriſto 60 pietatis parentum in liberoa 52
exemplum pœnitentiæ ſerię 103.278.359.370.388.389
exemplum precationis, & iouocatiōis indeſeſſę ad Deū 52.199.256 prudeotię 70
exemplum ſecuritatis ponitę 195 ſimplicitatis & candoris 22 ſtudij ſeruentis audiendi uerbum Dei 347
exemplum tolerantiæ & patientiæ 260
exemplum zeli pij in audiendo oerbo Dei 352
exitium hominis oullius Deo imputandum 339
expiatioois ſacrificium quala 203
extremus diea cuiuſuis hominis quis 179
Ezechias Iudææ Rex idolorū deſtructor 311 ueſtes diſrumpit 260 mortem quomodo exhorruerit 387. 394 quomodo ſanatus 363
Ezechiæ uita cur prorogata 517
Ezechiel propheta uirginitatis Mariæ propugnator 318. Iudæos corripit 296

F

Faciem ſuam confirmat Chriſtus 166
falſus teſtis quis 259
falſi teſtes duo cootra Chriſtū conducti 259
falſa ſanctimoniæ oſtentatio Phariſæorum taxatur 226
fames uerbi Dei 188
inter Famem & ieiunium quid diſcriminis 424
præ Fame diſcipuli Chriſti ſabbatho uelluot ſpicas 88
faſtus notatur 214
fatuæ uirgines 232
fauo mellis Chriſtus poſt reſurrectiooem ueſcitur 282. 283
fax ardens in manibus credentium, quę 279
felicitas uera quę 43.55
fermentum Iudaicom 437
fermeotum malicię. ibi.
fermeotū Phariſęorum cauendum 132
fermenti nomine in ſcripturis quid ſignificetur 113. 437
fermenti uis 133
feſta Iudęorum pręcipua tria 301
ficus arefacta 215
ficui aridę aſsimilati Iudęi 180. 216
ficorum maſſa Ezechias rex ſanatus 363
fides 316 baptiſmo cur pręferatur 332 abſque charitate eſſe non poteſt 306
fides commeodatur 215. 216
fidea, donum Dei gratuitum 194
fides fuodameotum ſalutis humanę 327
fides hiſtorica quę 306.513 mortua 355. 450 ocioſa 306
fides qualis eſſe debeat 119
fides radix omnis boni 44
fides uera quę 354
pro Fidei auctione orandum 139.194
fidei beoeficium 122 effectus 70 efficacia 140. 193.194
fidei nihil impoſsibile 387
ad Fidei robur qui non peruenerint, quàm ſollicitus pro illis fuerit Paulus 422
fidei ſcutom 311
fidei ſyncerę exemplum 30
fidei uis 215. 216
fidem ſibi adaugeri petunt Apoſtoli 193
fidem abſque charitate non cōſtare, & econtrà 437
per Fidem filios Dei effici 395
fidem nudam nihil prodeſſe 219
per Fidem obuenire ſalotem 42
fidem ueram confeſsionem ſequi 19
fidelitas 189
fidelitatem in ſeruo requiri 179
fiducia in Deum commeodatur 133
fiducia dioitiarum notatur 199
fiducia in operibus boois nulla poneoda 382. 394
fideles athletis aſsimilati 422 ouibus comparati 162

figura mundi 417
filius Dei brachium & manus patris cur dicatur 315 quo pacto à patre miſſus ſit 464 ſecundum humanitatem patre minor. ibid.
filius gehennæ, & perditionis 225
filius hominis cur Chriſtus appellari uoluerit 74 ad iudiciũ quomodo dicatur uẽturus 85
filius unicus matris uiduæ à Chriſto reſuſcitatur 98
filij Abrahæ qui 155.204
filij Dei 221.303.519
filij Dei duplices 188
filij Dei à mundi filijs quomodo differant 334
filij diaboli qui 155 iræ 304 huius ſeculi qui 189.221 lucis 189.211.432
filij qui ſenectutis baculus 274
filiorum huius ſeculi prudentia 356
fimbriæ ueſtimenti Chriſti attactu mulier ſanata 80.395
fimbriã ueſtimenti Chriſti tangentes ſanati 119
fimus cibi loco in Hieroſolymitana obſidione 358
finis hominum incertus 356
firmamentum à D. Hieronymo in tres cœlos diuiſum 522
flere 394
fluctuum nomine quid intelligendum 305.347
fodere quid 356
fœnum in obſidione Hieroſolymitana ab hominibus cõſumptum 358
fons aquæ uiuæ Chriſtus 46
fontem fluxiſſe largiſsimo riuo oleum 18
per Fores clauſas Chriſtus intrat, & diſcipulis apparet 283
in Forma Dei eſſe quid 435
formica exemplum induſtriæ 371
fornicatio Deo quàm abominabilis 429
ob Fornicationem diuortium facere licet 190
ob Fornicationem hominum uigintiquatuor millia occiſa 429
fornicatores notati 341
fortunarum iactura tolerabilior quàm uitæ 230
in Fractione panis Chriſtus diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem ſe manifeſtat 281
fragmentorum panis ſeptem ſportæ ex ſeptem panibus collectæ 131
fraternitas Chriſtiana 440
fratres Chriſti qui ſint 108.399
fratres Chriſtum hortantur ut ad feſtum eat 145
fratres omnes Chriſtiani 419
fratres ſeptem uni uxori nubunt 221
fratrum nomine in ſcripturis qui intelligantur 39.40
fratres Chriſtus uocat diſcipulos 281
à Fratribus falſis Paulus multa paſſus 424
fremitus & turbationis in Chriſto cauſa 172
fructus electorum 248
fructibus opera fidei aſsimilata 248
fructificare per Chriſtum ſancti quomodo dicantur 248
fugam Chriſtus conſulit Hieroſolymitanis obſeſsis 230
fundamentũ credentium quod 134
fundamentum Eccleſiæ Chriſtus 307
fundamentum ſalutis humanę quod 327.371
fur 162
furioſi duo ſanati 73
furioſis curatores dari, Romanis uſitatum 415

G

Gabriel angelus 382 ad Mariam mittitur 317.318 nunciat natiuitatem Ioannis Baptiſtæ 7.8 item Chriſti natiuitatem 9
galea ſalutis 311
in Galilæa Chriſtus poſt reſurrectionẽ diſcipulis apparet 281
Galilæus Chriſtus per cõtemptum appellatus 261
Galilæi Chriſtum excipiunt 51 à Pilato inter ſacrificandum crudeliter obtruncati 180
galliciniũ Petrũ negati Chriſti admonet 260.261
gallinæ ſtudium in pullis educandis 183.295
gaudium Chriſtianorum quale 251.491.358
gaudij terreni & cœleſtis diſcrimen 251
gaudia mundana momentanea 326
gaudia quæ licita 420
cum Gaudentibus quomodo gaudendum 420
gazophylacium 226
in Gazophylacium ſacerdotes argenteos xxx à Iuda illis redditos, mittere nolũt 263
gazophylacij Hieroſolymit. uſus à Deo inſtitutus 227
gehennæ filius 225
per Gehennæ incendium quale ſuppliciũ intelligatur 58
gehenna locus in ualle Hinnom 58
Geylerus concionator 386
genealogia Chriſti 14.273
in Genealogijs contexendis, quem morem ſeruarint Hebræi 15
generatio Chriſti duplex 15. 295
generatio Chriſti inenarrabilis 312.380
generatio fidelium 231
Geneſar regio 312
genu omne flecti in nomine Chriſti 436
gentem nullam tot diuinis uatibus ornatã præter Iudæos 410
gentes canibus cõparatæ 129. 312 item ocioſis 306 cur Chriſto ſeruituræ ſint 454
in Gentium uiam diſcipulis abire cur prohibitum 332
gentium uocatio uaticinijs antè prædicta 22.70.163.341. 416
Gentium uocatio aſſeritur 183. 185. 188. 201. 215. 219. 300. 304. 325. 384
ad Gentes & Samaritanos diſcipuli ire cur prohibiti 313
gentiles Hieroſolymis Chriſtũ uidere cupiunt 210
gentiles Samaritanis adumbrati 369
genus humanũ ficui ſterili cõparatum 180
generis prærogatiuam nihil facere ad ſalutem 28
Geraſeni Chriſtum à ſe diſcedere iubent 73.74.75
Getarum immanitas 516
Gethſemani uilla 255
gladius pro dolore 298
gladius ſpiritus 330.311
gladio qui perituri 258
gladio uerbum Dei comparatur 347
gladiũ Chriſtus quomodo uenerit miſſurus 97.336
gloria Dei 416
gloria humana non magnifacienda 367 uapori aſsimilata

milata 377
gloria omnis Deo debetur 194
gloria uera quæ 308
gloriæ comes inuidia 46
gloriæ Dei nullum eſſe finem 471
gloriæ mundanæ inexplebilis Phariſæorum ſitis taxatur 175.176
gloriam Patris Chriſtus quomodo quæſiuerit 320
gloriandum in quibus rebus 424
glorificatio Chriſti 212
Golgatha locus Hieroſolymis 268
Goliath Philiſtinorum dux à Dauide interfectus 310
Gott germanico idiomate cur ſic dictus 496
Græci Chriſtũ uidere cupiunt 210.211
granum frumenti 211
granum ſynapis 112.140.193
grano frumenti Chriſtus comparatus 361
gratia Dei ad quos pertineat 78
gratia omnis Deo accepta ferenda 394
gratiæ nomine quid ſignificetur 35
gratiæ thronus 328 tempus 358
gratiam non ſecundum operũ merita dari 392
gratiam dari credentibus iuxta menſuram 473 nulli denegari 464
gratia Dei eſſe quicquid in operibus noſtris laudem mereretur 392
à Gratia nemo excludendus 199
ex Gratia Dei occaſio peccandi non ſumenda 392
gratias Deo agendas eſſe ſemper pro omnibus bonis 478
gratitudo commendatur 370
gratitudinem ab omnibus requiri 194
Gregorij querela de corruptis ſui temporis Eccleſiaſticorũ moribus 314
guſtare mortem quid 136
gutta aquæ diuiti in inferno negata 193

H

Habenti dandum 205
Hadriani ſtatua in Sanctũ ſanctorum collocata 229
Hebræi unde ſic dicti 500
Hebræorum mos, in genealogijs contexendis per uirorũ enumerationem 15
hæredes Dei qui effecti 415
hæreditatis æternæ poſſeſsio quòmodo contingat 458
hæreditatem partiri Chriſtus rogatur 177
hæreſis Sadducæorum 221
hæreſes cui potiſsimùm imputandæ 328 (369
hæreſes morbo cancro ſimiles
hæreſes & ſchiſmata à Deo cur permittantur eſſe 386.349
hæretici, portæ inferorum 134. zizanijs comparati 114
hęreticorum aſtutia 114 natura 68
hęreſiarchas omnes eſſe Antichriſti membra 397
hęſitare piè, ſatius quàm temere quid affirmare 315
Harmoniam Euangelicam cõſcribendi quę occaſio fuerit autori 4.5
Heber filius Seth 501
Heinricus Petri autori cõmentaria in epiſtolas Dominicales cõſcribendi occaſio 409
Heli ob filiorum inſtitutionem neglectam punitus 386
Helias 315 an in fine mundi uenturus, & omnia ſit reſtituturus 332 ignem de cœlo prouocat cõtra Baalitas 384
Heluidius hæreticus 470 ab Hieronymo conuictus 17 eius error taxatur 293
Heluidiani notati 273
herbam ad omnes languores curandos efficacem naſci ad ſtatuam Chriſti 80
Herodes tetrarcha Galilęæ 25. 26 à Ioanne correptus propter Herodiadem 49 Chriſtum ueſte alba indutũ Pilato remittit 265
Herodes hypocritarum omniũ repræſentator 300 Ioannem B. trucidat 115 eundẽ reſurrexiſſe ex mortuis credit 120
Herodes propter diuinum honorem ſibi uendicatum punitur 382
Herodes & Pilatus reconciliati 265
Herodes quid de Chriſto ſenſerit 349 rex Iudææ ab Auguſto conſtitutus 18 ſacerdotes cõgregat 21 templum Hieroſolymitanum de nouo extruit 228 uidendi Chriſti cupidus 265 uulpes à Chriſto appellatur 182
Herodis conuiuium 116
Herodis hypocriticus animus 265
Herodis immanitas in trucidandis infantibus 22 mens ſacrilega 300 ſimulatio impia 22
Herodias adultera Herodis tetarchæ 49.116
Herodiadis inſidiæ Ioanni ſtructæ 49
Herodiani cum Phariſæorum diſcipulis ad Chriſtum capiendum miſsi 220 de perdendo Ieſu conſilium ineũt 89
Herodianorũ fermentũ cauendum eſſe docet Chriſtus 132
Hieremias propheta in lacum luti coniectus 219 lapidatus in Aegypto 369
Hiericho ciuitas 203.204. 310
Hiero tyrannus 493
Hieroboã deſertor Dei reprehenſus 27
D. Hieronymus uirginitatis Mariæ ſtrenuus aſſertor 17 eiuſdẽ de Euangeliſta Marco iudicium 25 item de regulo 52
D. Hieronymi & Heluidij certamẽ de ſignificatione uocabuli Donec 17
Hieroſolyma cœleſtis 295. 401 ſpiritualis 416
Hieroſolyma cur ſancta appellata :2
Hieruſalem prophetarum perſecutrix 226
Hieroſolymæ excidium prędicitur 182.195.209.227.270. 359
Hieroſolymam Chriſtus deflet 295.358
Hieroſolymis Euangeliũ prędicari cœptum 289
Hieroſolymitę docentur & baptizantur à Ioanne 26
Hieroſolymitanũ templũ cur Deus uoluerit extrui 40 ab Herode renouatum & amplificatum 228
Hieroſolymitani gratię & uiſitationis tempus quomodo ſpreuerint 358.359
Hieroſolymitanę mulieres Chriſtum deflent 270
Hieroſolymitanorũ clades in ult. obſidione à Ioſepho deſcripta 358

Hircanus Iudæorum rex 315
hirundinum ſtercore excæcatus Tobias 382
hiſtoriarum utilitas 3
hiſtorias cõſcribendi quid primùm doctis uiris occaſionẽ dederit. ibid.
hiſtorica fides 513
hodie, aduerbij in ſacris literis uis 411
hœdis impij ſimiles 398
holerũ uilium decimę per Phariſæos exactæ 225
holocauſtum nullum peccata delere 309
homicida qui 90.450
homicidam quẽ dixerint phariſæi 58
homicidium duplex 351
homicidij pœna 351
homicidiorum ultor Deus 227
homo cur conditus 391 quãtum à Deo receſſerit 300
hominis filius Chriſtus cur dictus 413
hominis natiuitas duplex 40
hominem ad imaginem Dei eſſe creatum quid ſit 476
hominem duabus partibus cõſtare 96 præſtare animantibus omnibus 90
hominem ueterẽ eſſe occiſum 456
homines Deo curæ eſſe 63. 64.65
homines à Deo quid potiſsimùm abſtrahat 185
2400 Hominum in deſerto ob fornicationẽ proſtrata 429
97000 Hominum Hieroſolymis capti 210
hominum tria millia uno die ad fidem Chriſti à Petro cõuerſa 336
hominum falſa de regno Chriſti perſuaſio notatur 205
hominum genera tria in quib. uerbum Dei non fructificat 111
hominum nemo bonus 199
hominum, ſine gratia Spiritus ſancti impotentia 13
hominum à ſalute aberrãtium genera tria 185
hominibus quatenus placendum 420
honorem omnem Deo deberi 168
hora cœnæ 185
horæ uocationis explicatæ 201
horarum diei allegorica interpretatio 305
horreo beatorum ſedes collata 29
horror mortis Chriſtum inuadit 255
in Horto cur ante paſsionem Chriſtus orarit 255
pro Hortulano Chriſtus à Maria habitus 279
Hoſanna 208.209
hoſpitalitas comendatur 419. 446
hoſtes Chriſti quales 95.367
hoſtes Dei omnes homines extitiſſe 414
hoſtes Dei non timendos 96
hoſtiæ Deo gratæ quæ
humana infirmitas quanta 328
humana ſapientia impotens contra Deum 221
humanum genus cęco comparatum 310 item leproſo 304 oui perditæ 342
humani generis conditio 309
humanarum traditionũ aſſertores Phariſæi 128
humanitas Chriſti aſſeritur 304. 305. 310. 363. 378. 379. 410. 435
humiles qui 55.168 Deo accepti 294
humiliari qui dicantur 450
humilitas Chriſti 19.454
humilitas Chriſti Phariſæos & populum offendit 148
humilitas 197.198
humilitas commendatur 141. 202. 203. 208. 209. 223. 238. 276. 319. 349. 368. 378. 420. 450
humilitas omnium officiorum fundamentum 478
humilitate ſalus parta 294
humiliantes ſe exaltari 184. 197.198
humiliationem ad pœnitentiã requiri 26
hyacinthinas fimbrias in ueſtibus fieri cur Moyſes mandarit 224
hydriæ lapideæ Iudæorũ quales fuerint 39
hydriæ, purificationi Iudæorũ deſtinatæ 303
hydrops morbus 275 eius curatio 184
hydropicus ſanatur 275.183
hydropicis auari comparati 275
hyems afflictionibus aſsimilata 397
hyems iter facientibus incommoda 230
hymnũ Chriſtus cum diſcipulis canit 246
hypocriſis phariſæorũ notatur 131.132.176.216.224.345
hypocriſis Iudæorum notatur 131.132.216.345
hypocriſeos oſor Deus 145
hypocrita legiſperitus Chriſtum tentat 168.169
hypocritæ notati 275
hypocritæ qui dicantur 61
hypocritarũ eleemoſynæ quales. ibid.
hypocritarum natura 390

I

Iacob patriarcha unde Iſraelis nomen acceperit 13.273
Iacobi habitatio iuxta montẽ Garizim 46 eius prophetia de tempore aduẽtus Meſsiæ 300
Iacobus Iunior & Alphęi filius, Apoſtoli à Chriſto electi 92
Iacobus Apoſtolus ſub Herode necatus 54.455.295. à Chriſto Apoſtolus uocatur 91.92
Iacobus Zebedæus & Ioannes frater eius uocantur à Chriſto 52
Iacobus Zebedæi martyrio ab Herode ornatus 203
Iayrus archiſynagoga adorat Chriſtum, et pro filia ſua deprecatur 79
idololatria quid 432 auaricia cur dicta. ibid.
Ieconias rex Iſraelitarum 295
ieiunare in anno integrũ menſem mos Saracenorum 525
ieiunandum quomodo 61.62. 63
ieiunium à ueteribus primùm cur excogitatum 63
ieiunium Chriſtianorum quale 446 uerum quod, & quale 64
ieiunium duplex 446
ieiuuij commendatio 64
ieiunij & famis differentia 424
ieiunij uitia taxantur 63
de Ieiunio diſcipulorũ Ioannis & Chriſti quæſtio mouetur à Phariſæis 78
de Ieiunio iudicium Baſilij 64
ieiunio Paulus maceratus 424
ieiunia publica olim inſtituta 64
ieiunia quatenus bona 79
Ieremias propheta lapidibus obrutus 295
Ieſu nomen nulli alij conuenire quàm Chriſto 299 ab ange-

angelo in utero matris ei inditum 16.17.294.299
de Ieſu quis'nam eſſet uariæ apud Iudæos opiniones 349
Ieſus filius Nauæ 506
Ieſſe ſtirps 273
ignauiæ origo 179
ignis à Babylonijs adoratus 500 de cœlo ab Helia prouocatus 384 uerbo Dei comparatus 180
ignis & uermis nomine quid ſignificetur 29.114.142.143
ignoſcentiæ Chriſtianę nullus præſcriptus numerus 144
illiterati & ſimplices homines à Chriſto in Apoſtolos cur electi 400
illotis manibus non comedere ſoliti Iudæi 127
immaculatus qui 413
cum Imbecillibus quomodo conuerſandum 488
immortalitas animarum aſſerta 96.221.273
immundicia cordis prohibetur 59
immundicia uera unde 128, 129
immundiciei nomine quid ſignificetur 432
immundos omnes eſſe homines 370
Imperatoribus à Romanis Dei nomen datum 268
impij paleis collati 29 quomodo affecti 43
impiorum cōditio qualis poſt hanc uitam 43.83.84.85
impiorum generatio quæ 295. eorū reſurrectio qualis futura 171
de Impiorum induratiōe quomodo ſentiendum 306
impœnitentia taxatur 101. 359
impœnitentia hominum angelos contriſtari 389
impœnitentiæ pœna 116
impœnitentibus minatur Chriſtus 101.179.180
imprecandum, malè nemini 351
impudici Deo exoſi 430
impudicitię remedium, coniugium 429
inauditum nullum condemnandum 150.151
incantationes prohibitæ 386
incarnatio Chriſti ab angelo prædicta 9. eadem nuptijs aſsimilata 384
incarnationis Chriſti myſteriū principi huius mundi incognitum 318 quatenus perſcrutandum 319 quibus reuelatum 10
in Incarnatione Chriſti quid ſpectandum 35
incredulitas 132 omnis mali fons 44
incredulitatis crimen Iudæis improperatur 386
incredulitatis fructus 317 pœna 216
increpatio fraterna commendatur 66
indicta cauſa nemo condemnandus 264
induratio 214
induſtria humana abſq; benedictione diuina irrita 371
inepta fieri non debent 77
infantes Chriſto offeruntur 198 Deo curæ. ibid.
infantum baptiſmus aſſertus 199.289.332.337.382
de Infantum baptiſmo ſententia D. Auguſtini 332
ex Infantium ore laudem ſibi Deus perficit 209
infantibus à Chriſto benedictum 198.199 ijſdem regnum cœlorum promiſſum 198
infantibus ſimiles eſſe iubentur Chriſtiani 199
infantes fide non carere 289
infantes non baptizatos, poſt hanc uitam puniri, Auguſtini opinio 337
infantia immunis à multis uitijs 142
infantia qualis deceat pios 380
infantia ſimplicitatis, innocentiæ & humilitatis exemplū 142.380
infantiæ laus 142
inferni pœnas perpetuas, nullamq; inde liberationē ſperandam 340
cum Infidelibus non participandum 371
infidelitas quale peccatum 327
infidelitatis mundū argui per Spiritum ſanctum 327
infidelitatis fructus 317
infirmi ſanantur 71
infirmos non offendendos 141.142.143
infirmitatibus aliorum compatiendum 329
ingenium humanum rerū multarum auidum 292
ingenij humani imbecillitas 283 prauitas 49.50
ingratitudinis uitium abominabile 370.439
inimici ſpirituales 311
inimicis ſpiritualibus quibus armis reſiſtendum 330
inimicos diligendos eſſe 59 pro ijſdem orandum 271. 421
de Iniquis diuitijs quomodo faciendi amici 190
iniquitatis merces 431
innocentia commendatur 380
innocentiæ ſtudendum 439. 440.451
intellectus humanus, in rebus diuinis cæcus 424
intercesſio mutua apud Deū neceſſaria in Eccleſia 363. 520
intercesſione alterius apud Deum an gratiā homo conſequi poſsit 382
inteſtina bella quàm periculoſa 106
inuidia Deo exoſa 351
inuidia gloriæ comes 46 item uirtutis 412
inuitū neminem à Deo trahi 123
inuitatos & inuitātes quid deceat 184
inuocantium preces exaudiri 69.256
inobedientiæ filij qui 432
inſufflando Spiritum ſanctum diſcipulis Chriſtus quid ſignificarit 284
Iohanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis 104
Ioannes Baptiſta 503 cur Angelus dictus 405 diſcipulos ſuos ad Chriſtum mittit 99.404 Eliæ comparatus 26.27.99 decollatur ab Herode 115 à Iudæis quis'nam ſit interrogatur 34 incarceratur ab Herode 49 Meſsiam ſe eſſe negat 45 pro Meſsia creditus 407 pœnitentiam docet & baptizat turbas 25 prophetis omnibus qua in re præſtantior 405 reſuſcitatus eſſe ab Herode creditur 349 ſanctus, iuſtus, & Propheta ab Herode habitus 49
Ioannis Baptiſtæ authoritas apud Iudæos 87 Baptiſmus 215 eius conceptio nunciatur per angelum 7

Ioannis

Ioannis diſcipuli Chriſto inuident 45.46 inter eiuſdem diſcipulos & Iudęos diſceptatio 45

Ioannis Baptiſtæ exultatio in utero matris 10 natiuitas 346 præconium 99.100 ſanctitas & uitæ innocentia 14.27.346 teſtimonium à Chriſto ei datū 405 uictus & uita 25.26

de Ioanne Baptiſta quid ſenſerit Herodes 349

Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta 296 cur præ cæteris à Chriſto dilectus 296 à Domitiano relegatus 297

Ioannes Euangeliſta euāgeliū ſuum conſcripturus, cur ieiunium indixerit 6 ab exilio reuocatur 297

Ioannes Euangeliſta Marcionis & Cerinthi errorum cōfutator & impugnator acerrimus 297 cur martyr dictus 297 matri Ieſu commendatur 271 cur ſuper pectus recubuerit 296.297 qua occaſione ſuum Euangelium conſcripſerit 32 in ſinu Chriſti recūbens de proditore quęrit 241 Romam captiuus mittitur 32 in inſulam Pathmos relegatur. ib.

Ioannis tempore quæ ſectę floruerint 27

Ioannis Euangeliſtæ profectio cum Petro in Samariam 32 eiuſdē uita, & res geſtæ 257 mors & patria 32

Ioannem non moriturum, à diſcipulis Chriſti creditum 287

Ioannes Zebedęi & frater eius à Chriſto uocati 52.92.203

Iob patientiæ exemplum 394

Ioiadas ſacerdos 295

Ionas propheta 132 Chriſti typus 321.361 teſtimonium reſurrectionis 462 ſorte ducta in mare pręcipitatus 431

Ionę prophetę ſignum Phariſęis datum 108.131

Ionathā mel guſtaſſe, ſorte deprehenſum 431

in Iordane baptizat Ioannes 26

Ioſaphat regis oratio ad Deum 515.517

Ioſeph Arimathęus diſcipulus Chriſti occultus 275 Chriſti corpus ſepeliendum à Pilato impetrat. ibid. in Chriſti necē non conſentit. ibid.

in Ioſephi monumento nouo Chriſtus ſepelitur 276

Ioſeph Barſabas, aliàs Iuſtus 430.431

Ioſeph quomodo Marię uir dicatur 273

Ioſephi induſtria commendata 371 eiuſdem cum Maria in Iudęam profectio 17 eius nomen cur genealogię Chriſti inſertum 15

Ioſepho apparet angelus 15 ex Ioſeph quomodo dicatur Chriſtus natus. ibid.

Ioſue 294

per Iota & apicem quid intelligendum 57

ira Dei igni conſumenti ſimilis 427

ira & iudicium Dei Phariſæis denunciantur 226

ira Dei quomodo placāda 180

iræ Dei exempla 432

ira quid 351.476

ira quæ prohibita 442 quæ permiſſa 351

iræ filij qui 303.304.347

iræ incendium quomodo extinguendum 390

iraſcendum quibus, & quomodo 351

iris in fœderis ſignum inſtituitur 499

Iſaac cur ſic dictus 273 typus Hieroſolymæ cœleſtis 365 itē noui teſtamēti 433

Iſaaci & Iſmaelis allegorica expoſitio, ex Ambroſio. ibid.

In Iſaac Abrahamo cur ſemen promiſſum. ibid. (92

Iſachar Hebręis quid ſignificet

Iſaias propheta à Iudæis occiſus 219

Iſmael filius Abrahæ, typus Hieroſolymæ terrenæ 364.433

Iſrael cur ſic dictus 500

Iſraelitæ à Deo quo pane ſuſtentati 310 perditis ouibus comparati 92

Iſraelitæ ueri qui 20.301.401

Iubilęus annus uerus qui 51

Iudas Gallilæus 390

Iudas Iſcariotes fur 206.235 in Apoſtolum à Chriſto eligitur 91.92

Iudas auaricię ſeruus 248.249 Chriſtū prodere paciſcitur 235.257 contra Chriſtum unguento perfuſum murmurat 206.207 à Chriſto taxatus 126 cur Iſcariothes cognominatus 92 laqueo uitam finit 262 perditionis filius 253

Iudæ deſperatio 383 eius ingratitudo à Chriſto redarguitur 238 eius pœna. ibi.

in Iudæ locum alius ſubſtituitur Apoſtolus 430

Iudæ ſignum Iudæis de capiendo Ieſu datum 257 eidem loculi commiſsi 207 uæ denunciatum 238

Iudam ſatanas intrat 235

Iudam pœnitet 262

Iudas Lebbæus 246.247

Iudas Thaddęus, Apoſtolus Chriſti 91.92

Iudęi Chriſti tempore, à uero Dei cultu quantum receſſerint 358 ijdem Chriſti ſanguinis ultionem in ſe recidere cupiunt 268

Iudęi Chriſtum, an ſit Meſsias interrogant 164 eum lapidare uolunt. ibid.

Iudęi filijs aſsimilati 129 item ficui aridę 216 ouibus perditis 312 filij regni quomodo dicti 70

Iudęi & gentiles quibus argumentis conuinci poſsint, ut credant Chriſtū eſſe Deū 3

Iudęi gens ſancta, populus acquiſitionis 304

Iudæi cur extirpati 358 de Ieſu necādo cōſpirant 235 Ioannem Baptiſtam interrogant quis ſit 34 à Ioanne baptizantur 26

Iudæi impatientes uocationis gentiū 188.189 legatos ad Ioannem mittūt, quæſitū an ſit Meſsias 407 per magū decipiūtur 230 miracula Chriſti dæmoni aſcribūt 314 in prætoriū ingredi nolunt 263 ſignū à Chriſto petunt 40.121 quos Samaritanos appellarint 320 ſepulchrū Chriſti militibus cuſtodiūt 276 ſibijpſis excidiū & repudiū prędicūt 218 titulo cruci Ieſu affixo offendūtur 271

Iudęorū ambitio reprehēditur 87.88 eorūdē cæcitas taxatur 33.42 carnalis Scripturæ interpretatio reprehēditur 13 itē carnalis de Meſsiæ regno opinio 195 cōfidentia quòd eſſent filij Abrahę 28

Iudæorũ diſperſio prædicitur 227.228. extirpatio 359. excæcatio & incredulitas 214.314
Iudęorum falſa perſuaſio, quòd Chriſtus legem ſubuerteret, damnatur 57. item inanis gloria 308. incredulitas 70.122. cæcitas 214 ignorantia 123. ingratitudo 26.341. eorum licentia impia in iurãdo damnatur 59.60
Iudæorum mandatum de prodendo Ieſu 201.202. mos ungendi reges & ſacerdotes 15. item mos in abluendo 39. oſtentatio carnalis 155
Iudæorum reiectio & reprobatio præſignificata 185. 217. 219.201.304.390.
Iudæorũ cum Samaritanis odium & diſſenſio 46.166
Iudæorum ſacerdotibus, Chriſti reſurrectio à militib. annunciata 281
Iudęos ipſos reprobationis ſuę cauſam eſſe 487
Iudæis Chriſtus minatur excidium & uaſtationẽ 215.216. illis cur primò Euangelium annunciari Chriſtus uoluerit 92.155
Iudæis Euangelium prius annunciandum fuiſſe 362. ijſdem incredulitatis crimẽ improperatur 386. item ingratitudo 183
Iudæis necis uitæq; poteſtas à Romanis adempta 264
Iudæis ſuppliciũ minatur Chriſtus 219
ex Iudęis ſalutem eſſe Chriſtus ait 46
Iudæa Romanis tributaria eſſecta 140.386
Iudaica gens ficui infrugiferæ aſsimilata 180
iudicare, ordinatis iudicib. conceſſum 66
iudicandum quomodo 147. 344
iudicandum non eſſe alios 65
iudicãtes falſè, cæcis comparati 344
iudęx iniquus 196.197
iudex litium & arbiter facultatum Chriſtus eſſe detrectat 177
iudices quales eſſe debeant 66
iudices populo Iſraelitico à Deo conſtituti 259
iudicium Dei imperſcrutabile 313.447
iudicium Chriſti in terris 402. 403
iudicium quod corruptum 153
iudiciũ diſcretionis quod 403
iudicium duplex 403
iudicium futurum aſſeritur 135. 136
iudicium apud Iudæos quàm corruptũ fuerit Chriſti tempore 259
iudiciũ mundi peruerſum 213. 344
iudicium phariſæis denunciatum 224
iudiciũ priuatũ ꝓhibetur 344
iudicium peruerſum phariſæorum notatur 225
iudicium uniuerſale 403
iudicium Dei Chriſtus phariſæis denunciat 27.28.217. 218 226
iudicium Domini neminẽ poſſe ſubterfugere 224
iudicium qui ſinteuaſuri 85
de Iudicio mundum arguendũ prædicitur 327
iudicij ultimi forma deſcribitur 230.231.233.234
iudicij ultimi tẽpore reſipiſcentiæ locus nullus 428
de Iudicio mundũ à Spiritu ſancto arguendum 251
in Iudicio omnes homines ſiſtendos 398
iudicia Dei inſcrutabilia 306. 338
iudicialis lex quid 57
Iudith oratio cõtra exercitum Holofernis 515
iugum Chriſti 401
Iulianus apoſtata 405. acerrimus paganiſmi propugnator 97
Iulius Obſequẽs prodigiorum ante Chriſtum factorum deſcriptor 403
iuramentum in altari, in hoſtiis, in templo, &c. 255
iuramenta duplicia 60
iuramenta inania prohibentur 59
iuramenta magiſtratui præſtanda eſſe licita, probatur 60
de Iuramentis D. Auguſtini iudicium 60
iuſtificationem non operib. ſed fide in Chriſtũ conſtare 464
iuſtitia Dei 350.447
iuſtitia Chriſtianorũ qualis 58
iuſtitia duplex 55
iuſtitia falſa taxatur 197
iuſtitia humana qualis 367
iuſtitia humana 350. panno menſtruatæ mulieris cõparata 309.402
iuſtitia phariſaica cõdemnatur 57
iuſtitia uera & falſa quæ 327. 350.371
iuſtitiæ corona miniſtris Euangelij promiſſa 94
iuſtitiæ miniſterium eſſe legem 463
iuſtitiæ opera pręcipua quę 61. ſerui qui 13
de Iuſtitia mundus quomodo arguendus 251
iuſtitiarij notati 377
iuſtum iudicium iudicandum 147.148
iuſto nõ eſſe legem poſitã 468
iuſtorum generatio quæ 295
iuſtos quos Chriſtus non uenerit uocatum 77.78.377

L

Laborandum 371
laborandum non eſſe, error Euchitarum. ibid.
labores hominum abſq; diuina benedictione eſſe irritos 314. 348.353.371
lac ſpirituale 416
lachrymis Chriſti pedes rigantur 103
lachrymationis Chriſti cauſa 172
lactantibus uæ denunciatum 397
lampades Chriſtianorum quales 232
lancea Chriſti latus apertum 275
lapis angularis Chriſtus 217. 490. ab ædificantib. reiectus 217
lapes offendiculi 218
lapidandi mos apud Iudæos 413
laſciui taxantur 362
ex Latere Chriſti ſanguinem & aquam profluxiſſe 275
latro Chriſtũ in cruce blaſphemans ab altero latronẽ increpatur 272
latronis cõuerſi in cruce fides quanta 272.273
latrones duo cum Chriſto crucifixi 270
latronum cum Chriſto crucifixorum crura fracta 275
latronum nomine quid intelligendum 162.367
laudis ſacrificium Deo gratiſsimum 417
Lazarus Marię frater 169.206.

cum Chriſto in Simonis leproſi domo cõuiuatur 206. 207. in uitam à Chriſto reuocatur 170.171
Lazaro à Iudæis ſtructæ inſidię 206.207
Lazarus mendicus 192
Lazari mendici mors & ſepultura 192.319
legati Chriſti 307
legatio Iudæorum ad Ioannem Baptiſtam facta 35
legatione Chriſti qui fungantur 98
lepra animi 194
lepra corporalis 370. ſpiritualis. ibid.
lepræ nomine Scriptura quid innuat 369
lepræ ꝓbatores ſacerdotes 194
leproſus ad ſacerdotes cur miſſus 70. Chriſtum adorans mundatur 69.303
leproſo humanum genus adumbratum 69.303.304
leproſi decem mundati 194
leproſorum decē ingratitudo. ibid.
leproſis munera ſacerdotib. offerre mandatum 304
de Leproſis leges uariæ per Moyſen latæ 69.70
Leuita 169
Leuitarum manus in fratrum cædem armatæ 351
Leuitis in officio negligentib. minatur Deus 26
lex quid ſit 57. cur data 303. 327.465. à Chriſto adimpleta 308. digito Dei quomodo ſcripta 315
lex & Euangelium inter ſe comparantur 185
lex ianua ad Chriſtum 177. inſtar ſpeculi 391. quibus poſita. ibid. quatenus utilis 327. ſæpi adumbrata 217. ſecundum literę tenorem à Iudæis obſeruata 58
lex triplex 57
legis externo cortici non inhærendum 190
legis finis Chriſtus 465. eius genuinus ſenſus quis ſit 57.58
legis mandatũ maximũ quod 222
legis obſeruatio cõmandatur 57
legis neceſſitas 391. eius perfectio Chriſtus 348
legis trãſgreſſor Chriſtus à phariſæis habitus 147.148
legis uſus 391
à Legis onere quomodo liberati ſimus. ibid.
legem per Chriſtum eſſe impletam 57. eandem eſſe miniſteriũ condẽnationis 463
legem fuiſſe implendam 57. iuſto poſitam non eſſe 468 non opus tantum, ſed internos affectus requirere 57.58
legem & promiſſionẽ ſibi mutuò non aduerſari 465
legem quomodo obſeruarint phariſæi 57
legem ſe ſeruaſſe gloriatur adoleſcens diues 199
à Lege quomodo liberati ſimus 308.366.415
legum bonarum finis 128
legis doctor Chriſtum tentat 168.222
legiſperitis uæ à Chriſto denũciatum 176
liberalitas quomodo exercenda 419
liberalitas commendatur 28. 29.317
libertas animorum 154
libertas Chriſtiana quouſq; ſe extendat 391 440
libertas Chriſtiana, obedientię politici magiſtratus nihil derogat 440
libertas qualis per Euãgelium conferatur 57
libertas Chriſtianorũ uera quæ. 391
libertatis Chriſtianæ abuſus taxatur. ibid.
libertatis prætextu multi Dei obedientiam excutiũt. ibid.
liberum arbitriũ 513. quale aſſerendum 295.296
liberi uerè quinam & quatenus ſint 467
Libertinorum ſynagoga 412
ligãdi & ſoluendi poteſtas quibus tradita 350
ligno uiridi Chriſtus comparatur 270
lilia agri hominibus cõſideranda proponuntur 63
lilia, flores agri, & uolatilia Deo curæ eſſe 63.64.65
lingua mentem non præcurrat 441
linguæ moderatio præcipitur 59.419.441
per Linguam non omnia proferri & dici poſſe 10
linguæ igneæ diſſectæ in Apoſtolis uiſæ quid ſignificarint 447
linguis loqui quid 428
linguas uarias noſſe multũ ad ſacrorum uoluminũ cognitionem conducere 460
Linus 504
lippientes hypocritis comparati 64
Liſtris Lycaoniæ ciuitate Paulus lapidatus 484
literæ cur Moſi datæ 463
lites in Chriſti Eccleſia unde potiſſ. proueniant 376
Lithoſtrotos locus Hieroſolymis 268
liuor quid 439
locuſtę, Ioan. Baptiſtę cibus 26
lolium 114
loquacitas condemnatur 448
Lothi tempora ꝓfligatiſſima & corruptiſſima 195
lotionis pedum myſteriũ 238
Lucas Euangeliſta indiuiduus Pauli Apoſtoli comes 7. elogio à Tertulliano ornatus. ibid.
Lucifer cum ſuis cur è cœlo deiectus 166.168.376
lugentes 54.55.394
lugentes conſolandi 54
lumbis præcinctos eſſe iubet Chriſtus 179
Lunam obſcurandam 230
lunaticus ſanatus 139
lupi rapaces pſeudoprophetis aſsimilati 68
luporum nomine qui intelligã tur 324.325
lupis impij & tyranni comparati 94. item ſathanas & hæretici 324.325
luto factu Chriſtus cæcum ſanat 158 159
lux gentium Chriſtus 332
lux mundi 54.213
lux uera 400
lucis arma quæ 488. filij qui 218
lucis nomine quid intelligendum 305
luce Eccleſiæ doctores adumbrati 56
lucem qui oderint 41.44
in Luce quomodo uiuendum 432
in Luce ambulare qd 151.488.
luxus reprehenditur. 192 232.371

M

contra Macedonium conſtantinopolitana ſynodus congregata 333
Magdalenæ peccata à Chriſto remiſſa

remiſſa 103.104
Magi Bethleem ueniuot, Chriſtum adorant, eiq; munera offerunt 21.300 ab Herode falſi 22. in ſomnis per angelum admoniti, de ingredienda alia uia 21
Magi apud Perſas qui 300
Magi non conſulendi 363
Magorum dona quæ myſteria repreſentarint 301
Magorum quondam autoritas in Perſia 22
Magorum probitas & perſeuerantia 22
Magiæ Ioanoes à phariſæis inſimulatus 101
magiſtratus diuinitùs cooſtitutus 344.351.368.391
magiſtratus officium 29.391. 419.466
magiſtratus munus ſuperuaeaneum inter Chriſtianos quidam malè putant 391
magiſtratum ab initio mundi non ſtatim extitiſſe. ibid.
magiſtratui an & quatenus obediendum 391.440
magiſtratui oon reſiſtendum 391.520
magiſtratui politico Iudæi cur ſubijci noluerint 391
magiſtratuũ functio an legitima 390.391
magiſtri titulus cui conueniat 224
magnificentiæ Dei nullum eſſe finem 475
maieſtas Chriſti diſcipulis in moute apparet 136 eadem Stephano lapidando manifeſtata 412.413
Malchus ſeruus principis ſacerdotum 257. à Petro auricula priuatus, & rurſus à Chriſto ſanatus 258
malum nullum impunitum manere 340
mala à Deo cur immittantur 363.382
à malorum conſortio abſtinendum 342
maledictio ab Adamo in mundum introducta 308
maledictiones & calumnias omnis generis eſſe prohibitas 454
Mammon nox Syriaca 371
mammonæ & Deo nemioem poſſe ſimul ſeruire 64
Mammonis appellatione quid iotelligendum 371
mandatum io lege præcipuum quod 222
mandatorum Dei obſeruatio uia ad uitam æternam 199
Manaſſes rex Iſraelitarum 295. Prophetæ occiſor 369
Manichæus 405
Manichæorum error taxatur & refutatur 19.109.299.317. 354.365.406
Manna 310. typus Euchariſtiæ 122. 422
manſiones multas in cœlo quomodo electis paratæ 244
manſuetudo Chriſti erga hoſtes ſuos 90
exemplum Manſuetudinis 147
manus operationis ſymbolum 133
manus dextra ſymbolum boni operis 61
io Manũ Domini incidere melius quàm in eius conſpectu peccare 50
Marcion hæreticus 507
Marcionis & Cerinthi hæreſis notatur 109.297.299. 415
Marcus Antonius 17
Marci Euangeliſtæ uita 25 obitus. ibid.
mare in ſacris literis quid ſignificet 304
maris rubri tranſitus 235
margaritæ porcis non proijciendæ 65.66.307
Maria Cleophe 271
Maria Magdalena 104.169. 271
Maria Magdalena Chriſtum è monumento ſublatum Petro conqueritur 277. reſurrectionem Chriſti diſcipulis annunciat 279.280. unguento perfundit 206
Maria & Martha ſorores Chriſtum hoſpitio excipiunt 173
Maria Magdalena, & Iacobi & Salome, Chriſtũ ſummo manè ueniunt unctum 277
Mariæ Magd. Chriſtum in monumẽto quęrenti angeli duo apparent 278
Mariæ factum à Chriſto defenditur 207
Maria uirgo & mater Chriſti beata à muliere pronunciata 175. cur ſępe coninnx dicatur 318. uiſitat Eliſabetham grauidam 10. an cũ dolore pepererit 294. quomodo gratia plena eſſe dicatur 318.470
Mariæ uirginis canticum 10. purificatio 308. ſtudium pietatis 173
Mariæ uirginitas aſſeritur 293. 317.318.365
Mariæ Chriſti matri cur duriter reſponſum 303
Mariam cur deſponſatam eſſe Deus uoluerit 273.317.318. eam ante & poſt partum uirginem manſiſſe probatur 17. eandem non eſſe adorandam probatur ex Epiphanio 10
ad Mariam Gabriel mittitur 9.318
Martha 206. ſoror Mariæ 170
Marthæ ſolicitudo nimia reprehenditur à Chriſto 173
martyres omnes cootra mortem quid animarit 362
ad Martyrũ monumenta morbi curati 516
Martianus & Tatianus nuptiarum cootemptores refutantur 39.302.345
mater filiorum Zebedæi apud Chriſtum pro filijs intercedit 202
matri durum reſponſum Chriſtus cur dederit 303
matrimonium remedium impudicitiæ 429. à Deo benedictum 302
matrimonij ioſtitutio 190. 191.202 uinculum 191
Matthæus Apoſtolus Chriſti 92. uocatur 77.377
Matthæi Euangelion hebraicè conſcriptum 14
Matthæi Euangeliſtæ conſilium & ſcopus io ſcribendo Euangelio ſuo 15
Matthias in numerum Apoſtolorum aſcitus 430
maxillam percutienti, obuertendam alteram, quomodo intelligendum 60.261
mediator unus inter Deum & homines 328.434.435
medicus animarum Chriſtus 130.131
medico Chriſtus aſsimilat 377
medicina animæ uera quæ. ibi.
medicina non contemnenda 387. in hominum utilitatẽ creata à Deo 363
Melchiſedech ſacerdos ſummus 240

membra Chriſti qui 125
mēbra corporis offendētia quomodo amputāda 59.142.381
membra hominis quomodo mortificanda 362.381
ex Mēbrorū hoīs ſimilitudine ad cōcordiā adhortatio 418
Menenius Agrippa ſeditionem Romæ exortā quomodo ſedarit 368
mendacij princeps diabolꝰ 155
mendicandum omnibus in hac uita 356
ad Menſam Chriſti quomodo accedendum 131
menſuram implere quid 226
menſuram patrū ſuorum Iudæi quomodo adimpleuerit 295
mentis præſtantia 519
mentis puritate Deum colendum & adorandū 46.47.48
merces iniquitatis 430
merces bonis operib. quomodo promittatur 394
mercenarius paſtor 163.324
Meſsias cur in mūdum miſſus 50. cur Dauidis filius in ſcripturis appellētur 15
Meſsiæ regnū æternū 195.213
de Meſsiæ regno carnalis Iudæorum imaginatio 97.99
Meſsiam mūdo eſſe præſtitum probatur 34.35.36.99.195
Meſsiā ſe eſſe negat Ioānes 45
de Meſsia diſſenſio inter populum & phariſæos 149.150
pro Meſsia multos Iudæos ſe uenditaſſe 228
meſsis 112.113.167. miniſterio Euangelij comparata 49.91
meſſoribus Apoſtoli aſsimilati. ibid.
metaphoris Chriſtus in concionibus cur ſæpenumero uſus 324
micæ panis Lazaro negatę 193.339
Michaël archangelus 380.382
Mileuentana ſynodus 480
Mileſius, hiſtoriarum primus conſcriptor à Græcis habitus 3
miles Chriſti latus lanceā aperit 275
milites à Iudæorum ſacerdotibus reſurrectionem Chriſti negantes conducti 281
milites à Ioan. Baptiſta docentur 28
milites mercenarij taxantur 29
militum erga Chriſtum crudelitas 267
militū Iuliani Imperatoris conſtantia in ueritate 97
militia quatenus probanda 29
militia uita hominis 311.326.498
militiæ Chriſtianæ arma qualia 53
minæ ſeruis ad negociandum diſtributæ ab homine nobili 205
minimi regni Chriſti qui 399
miniſtri Euangelij patrifamiliâs prudenti aſsimilati. 115. item ciuitate in edito mōte ſitæ 56. ſali 54
miniſtri uerbi adhortantur 307 ab auaricia deterrentur 314 inſtruuntur 178. negligentes taxantur 55.56
miniſtri Eccleſię olim ex ęrario communi ſuſtentati 314
miniſtri qualem uitā agere debeant 428
miniſtri à phariſæis ad capiendum Chriſtum miſsi 149
miniſtri perſecutionib. potiſsimū in hac uita obnoxij 326
miniſtrorum afflictiones & perſecutiones narrantur 94.95.96. illorum autoritas quomodo minuatur 56
miniſtrorum Dei contemptores quib. pœnis afficiendi 93
miniſtrorū indignitate non minui autoritatē miniſterij 92
miniſtrorum nimia uictus ſolicitudo damnatur 93
miniſtrorum officium 56.93.286.287.352.419
miniſtrorum uerbi ſcopus quò dirigendus 53
per Miniſtrorum uitam diſſolutam miniſteriū cōtemni 428
miniſtris auaricia prohibet 93
miniſtris ueris quæ mala expectanda 275
miniſtris inſidias hoſtium ſuorum uitare & fugere, eſſe licitum 90
miniſtros Euangelij idoneos à Deo petendos 91
miniſtros idoneos cœlitùs dari. ibid.
erga Miniſtros mūdus quomodo affectus 275
miniſtros perſecutionib. & afflictionib. fore obnoxios, docet Chriſtus 55.56
miniſterium Euangelij piſcaturæ aſsimilatum 115. item torculari 217
miniſteriū uerbi in quē finem ſit à Domino cōſtitutū 473
miniſterij uerbi Dei dignitas 98. magnitudo 313.323
miniſteria in Eccleſia eſſe uaria 460
miracula Chriſti ſupernaturalia 283
miracula Chriſti diuinitatis teſtimonium 302. quomodo penſanda 369. dæmoni à Iudæis aſcripta 314
miracula ſanctorum à Chriſti miraculis quomodo diſcrepent 383
miracula faciens quidam à diſcipulis Chriſti prohibitus 146
miracula cur edantur 51.71. cur doctrinæ addi ſolita 54.313
miracula pſeudoprophetarum uirtute diaboli perfici 397
miraculorum uis Apoſtolis data 289
miracula Chriſto iuxta diuinā naturam competere 303
miracula hoc tempore cur nulla fieri neceſſarium 386
miraculis neceſſariò opus fuiſſe in Eccleſiæ initio 332
in Miraculis Chriſti q̄d ſpectandum 35
miſeri coram mundo qui habeantur 56
miſeria humanæ uitæ deſcribitur 326
miſereri, proprium Dei 358
miſericordia Dei 188.206.312.352.376
miſericordia cōmendatur 28.29.178.225.344
miſericordia Dei quib. denegetur 377
miſericordię Dei non menſura nec tēpus præſcribendū 383
miſericordiæ Dei quomodo participes fiamus 53
miſericordiæ opera 190. uaſa 392
miſericordiæ poſt hanc uitam locus nullus 340
miſericordiam pluris fieri apud Deū quàm ſacrificiū 77.78
de Miſericordia Dei nō eſſe deſperandum 104.322.343.382
miſericordia Deum delectari, non ſacrificio 89
miſericordib. miſericordia promiſſa 394
mites beati pronunciati 55
mites Auguſtino qui. ibid.
myrrha Chriſto à Magis oblata quid ſignificarit 22
mœrorem ſomnum accelerare 256

morbi corporis unde originē trahant 83. cur immittantur 383
Moloch idolo Iudæi liberos ſacrificaſſe 58
monachus unde dictus 346
monomachia Chriſti cum diabolo in deſerto 30
mons Domini 295
montis nomine quid intelligēdum 140
ad Montes cōfugere quid 230
in Monumento nouo Chriſtus cur poni uoluerit 277
monumenta in morte Chriſti aperta 273
monumentis phariſæi comparati 176
moralis lex quid ſit 57
mores Chriſtianorum profeſſioni congruere decet 440
mors quid 395
mors Chriſti qualis 213.242.273.274.503
mors Chriſti baptiſmate adumbrata 180
mors Chriſtianorum quæ bona ſecum adferat 395 396
mors duplex 74.156.167
mors impijs acerba 193. in mundum quomodo intrauerit 326. quomodo contemnenda 387. quorum deflenda 270. quomodo euitanda 124. quibus horrenda 20
mors ſomnus dicitur 80
mors ſanctorum 274
mors ſpiritualis 320
mors à ſapientibus deſiderata 167
mors temporalis ianua ad uitā immortalem 387. tranſmutatio corruptibilis in incorruptibile 392
mortis Chriſti effectus 274.281.361.362. fructus 275
mortis dominus, Chriſtus 80
mortis hora nihil incertius 274
mortis imperium à Chriſto deſtructum 124
mortis memoria omnibus horribilis 387.395. eius memoria nūquam abijcienda 274
mortis & reſurrectionis ſignū Iudæis datum 40
ad Mortis contemptum exhortatio 396
mortem æternā, diaboli eſſe ſtipendium 457
mortem guſtare quid 136
mortem natura cur adeò horreat 395
mortem non metuendam 96
eam qui non ſint uiſuri 156
mortem ſomnum appellare, uſitatum Scripturæ 170
mortem timere humanū 256
ante Mortem benefaciendum 317
morte nihil certius 274
in Morte Chriſti quid ſpectandum 35
in Morte qui maneant 450
mori quibus horribile, & quib. minus 396
moriendum omnib. ſemel 193.232.357.362
morientes ſiti plerunq; premi 274
mortificare & uiuificare ſolius Dei proprium 320
mortificatio hominis ueteris quàm neceſſaria 362.452
mortui dormientes cur à Paulo dicti 274.277
mortui quomodo plangendi 274.395
mortui in ſcripturis qui appellentur 74
mortuorum animas non amplius in terris uerſari 75
mortuorum reſurrectio 508
mortuorū reſuſcitatio duplex 274
mortuos excitare, ſolius Dei proprium eſſe 84
mortuos honorificè ſepeliendos 274
mortuos plangendi mos apud ueteres 395
Moyſes 147.148.219. cur ſic dictus 299. afflictioni & perſecutioni obnoxius 56. extractus ex aqua 500. hiſtoriarum primus conſcriptor 3. ob incredulitatē à Deo punitus 317. rubo ardenti appropinquans calceamenta exuere cur iuſſus 361. ab Iſraelitis defletus 374. Iſraelitarum ſaluator quomodo 294
Moyſis & Chriſti ſacerdotij diſcrimen 434
Moyſis cathedra 223
Moyſis & Eliæ apparitio 136
Moyſis tempora uſq; ad Chriſtū horæ nonæ cōparata 306
Moyſi ſcripta probantur 86
Moyſi terrā Canaan quare non permiſſum ingredi 317
Moyſem Iudæos eſſe iudicaturum 88
à Moyſe cur repudium conceſſum 191
Moſaicæ legis umbras impletas 274
mulier Cananæa Chriſtum adorat 129
mulier adultera Chriſto ſtatuitur 151
mulier cur non de terra, ſed uiri latere ſumpta 191
mulier Chriſti pedes lachrymis rigat 103. Chriſtū in media turba beatū ꝓclamat 175
mulier Mariam Chriſti matrem beatam proclamat 316
mulier xviij. annis ſpiritu infirmitatis laborans à Chriſto ſanatur 181. item ſanguinis fluxu laborans ſanatur 79
mulieres Chriſtum poſt reſurrectionem adorant 280
mulierum beneficentia & liberalitate Chriſtum uixiſſe 48
mulierum in partu dolor unde promanarit 326
mulierib. ad Chriſtū ungēdum uenietib. angel9 apparet 277
mulierib. & uiris orandi ritus in templo à Paulo præſcriptus 359
à Mulieribus Chriſtus ſuſtentatur 104.105
ob Multiloquium ſe exaudiri credere, gentilitium 62
Mundus 213.246. agro collatus 113. per Chriſtum deuictus 437. à Chriſto ſuperatus 213. per Chriſtum quomodo arguatur 249.250
mundus in poſtremis temporib. qualis futurus 196. erga opera Dei quomodo affectus 173
mūdus quos oderit 254. quibus delectetur 55. quib. armis uincatur 437
mundi cæcitas quanta 33. deſcriptio 32
mūdi dies ultimus prędicit 227
mūdi figura 417. finis 227.228
mundi finis horæ xj. comparatur 306
mundi materia 497
mundi nomine quid intelligatur 43.443
mundana pax 323.336
mundi princeps diabolus 32.213.311
mundi regnum quale 134
mūdo renunciandum 212.316
mundi retia 401
mundū electos Dei odiſſe 249

ad Mundum non condemnandum Chriſtus quomodo uenerit 385
de Mundo eſſe quid 249.253.392
mundi corde 56.125.394
mundos corde Deum uiſuros 54
mundicies interna commendatur à Chriſto 175.176
mundicies uera quæ 224
munera Chriſto offeruntur à Magis 301
mutus à Chriſto ſanatur 79.80.314.363
Mydas tyrannus Phrygię 275. eius auaricia & optio. ibid.
myrrha Chriſto oblata quid repreſentarit 301
myrrhatum uinum Chriſto in cruce oblatum 270
myſteria diuina noſſe quib.datum 42.110.288.294
myſteriorum Dei diſpenſatores miniſtri dicti 490

N

Naaman Syrus impatientiæ typus 312. ab Eliſæo curatus & mundatus 50
Nabuchodonoſor in amentiam uerſus, fœnu more beſtiarum ueſcitur 382. ob ſuperbiam punitus 376
Naim ciuitas Galileæ 98.274
nardum 207
natalis dies Herodis celebratur 115.116
Nathanael à Chriſto in diſcipulum uocatus 36.285
natiuitas Chriſti deſcribitur 17.18.293. eiuſdem humilitas 18. utilitas. ibid.
natiuitas hominis duplex 337
natura diuina in Chriſto aſſeritur 83.84.85
naturæ hominis nobilitas 382
naturæ in Chriſto duæ, & una hypoſtaſis 406.407
in Naui Chriſtus docet 109.110
nauicula Chriſti 304
nauiculæ Chriſti tempeſtatib. uexatæ allegorica interpretatio 305
in Nazareth ciuitate Chriſtus naſciturus prædicitur 9
Nazarethani Chriſtum urbe eijciunt, & præcipitare eum de monte uolunt 50. ijdem in Chriſto ſcandalizantur. ibid.
neceſsitas conſequentiæ 381
neceſsitas triplex 295
in neceſsitatib. ad ſolum Deum confugiendum 363
negociatori Euangelium comparatum 113
Nehemiæ docendi modū Chriſtus imitatus 50
Nero 504
Petri Apoſtoli interfector 229.287
Neronis crudelitas 368
Nerua Imperator 297
Neſcire quos dicatur Deus. 163
Neſtorius hæreticus 380. eiuſdem error notatur 380.402
Nicodemus diſcipulus Chriſti clancularius 276. Chriſtum defunctum aromatibus condit & ſepelit 41.276. phariſaicæ ſectæ præcipuus aſſecla 150.151.337.338
Niniuitæ 108. exemplum pœnitentiæ 359
Ninus rex Aſſyriæ Belo ſtatuā conſecrat 314
Niſan menſis Iudæorum 321
Noe Deo cur acceptus 499
Noe tempora uſque ad Abraham horæ tertiæ comparata 195.306
nocendi ſtudiū damnatur 59.60
nolentes non ſaluari 306
nomen Dei 523. quomodo dehoneſtet 524.525. quomodo glorificetur 525
nomina olim ex quibus cauſis imponi ſolita 299
Non fuit Romanus dignus, ut Chriſti martyr appellaretur: iuuenis Romani animoſum dictum 97
Nouati error deſtruitur 105
Nouatiani confutati 347.511
nouiſsima dies quæ 123
nouiſsima ſemper memoranda 356
nouiſsimi futuri primi, & primi nouiſsimi 200
noui teſtamēti ſanguis 240
nox 158.170.182
futuro ſęculo aſsimilata 355. legi aſsimilata 488
noctis appellatione quid ſignificetur 305
in Nube cādida Chriſtus in cœlum ſublatus 445
nuces relinquere, prouerbium 380
numiſma Chriſto oblatum 220
numularij è templo Hieroſolymis per Chriſtum pelluntur 40.209.359
nuptiæ cœleſtes 376
nuptiæ incæſtæ Herodis à Ioanne taxatæ 49
nuptiæ uitæ æternæ comparatæ 219.276
nuptiarum ritus apud Iudæos qualis 232
nuptijs in Cana Galilæa intereſt Chriſtus 39.302
nuptias apud ueteres noctu celebrari ſolitas 178
nuptiæ non damnandæ, iuxta errorem Tatiani 302
nuptialis ueſtis 219.306.307.384.397.399

O

Obedientia cōmendatur 349
obiurgationes fraternæ nō ꝓhibitæ 66
oblatio Chriſti in tēplo deſcribitur 308
oblationis lex cur inſtituta 308
de Obſcuris & cognitu utilib. interrogandum 325
obſequia mutua exercenda 488.489
occaſio carnis quo pacto uitanda 467
Ochozias rex Samariæ 363. ob Beelzebub cōſultum necatur 515
Octauianus Auguſt. totius orbis dominus habitus 17. cur cenſum totius orbis indixerit 293. cur Auguſtus appellatus. ibid.
oculus corporis affectib. animi aſsimilatus 64
oculus dexter ꝓ bono affectu uſurpatus, & contrà 61
oculus nequam 200.201
oculis carneis Deum non uideri poſſe 331
odor ſuauitatis 432
odium quod conceſſum 390
odio qui proſequendi 390
offendiculum præbentib. minatur Chriſtus 142
offendiculi lapis 218
offendicula futura in mundo 141.142
offenſas proximo condonandas 344.352
offenſiones cauendæ 142.143
officium diuitum 64. Eccleſiæ Dei paſtorum 19

officis pietatis & miſericordiæ à Deo recompeoſari 340
oleum 232.412
oleum in S. Scriptura quid ſignificet 93
oleo Apoſtolos unxiſſe. ibid.
oleo exultatiouis Chriſtus unctus 412
oliuarum rami Chriſto Hieroſolymam intranti cur ſubſtrati 321
Olíueti mons 208.227
in Olıueti mốte orst Chriſtus 151
Olympici curſores 422
omnipotentis Dei 505
de Omnipotentia Dei quomodo ſentiendum 306
opera bona commendantur 29.306
opera bona non mereri retributionem 361
opera bona aliorum non profutura alijs 233
opera Chriſti 164.165
opera hominum nulla, quantumuis bona, perfecta ſunt 351.360
opera nulla æternam uitá promereri 199
opera tenebrarũ & noctis 428
operum bonorum meritum aliquod an ſtatuendum 394
operibus ſanctorum nulla merita tribuenda 234
ad Opera bona præſtãda qoomodo acceodamur 4
operibus neminem iuſtificari 361
ex Operibus & fructibus hominem dijudicari 106.107
in Operibus bonis non fidendum neq; gloriandum 197.234.360. in ijſdẽ non ſuperbiendum 194.306
operandum in bac uita 356
operarij 167.168
operarij Eccleſiæ miniſtris cõparati 91
opes homini cur conceſſæ 357
opes quæ Chriſti cultoribus promiſſæ 438. quomodo parandæ 190
opum abuſores reprehenſi 192
opum congerendarũ ſtudium multis uitijs obnoxium 199
opum inſtabilitas 64. earundem ſtudiũ prohibetur 275
orandi modus à Chriſto præſcriptus 61.62
orandi perſeuerantia præcipitur 91
orandũ in nomine Chriſti 252
orandum pro inuicem 304.382
orandum quomodo & quibus affectibus 61.62.215.328.359.363.517
orandum ſemper 143.174.175.196.310
orantes condonare debent offenſam proximi 216
orantes exaudiri 196.197.215.216.310.360
orantes ſæpe mala petere, & ideo non exaudiri 66.67
oratio quid 215.513
oratio Dominica 513
oratio mandsta 66
oratio uera quæ 359
orationis fundamentum miſericordis Dei 206. eius impedimenta uaria 206. neceſſitas 517. perſeuerantia 175.419
orationis phariſaicæ uitia taxantur 62
orationis prolixitas qnę Deo probetur 62
orationis uirtutes quæ 328
orationi quod pręmium paratum 62
orationem citra dilectioné frigere. ibid.
orationem iuſtam plos ualere quàm exquiſitiſsimam impiorum armaturam 455
orationem perſeuerantem & forté requiri ab hominib 66
orationem piorum eſſe efficaciſsimam 455
ad Orationem pios quę impellant 513
ab Oratione actiones omnes auſpicandas 431
sb Oratione quę abeſſe debeát 518
in Oratione perſeuerandum 360.445.446
in Oratione quando peccetur 518
orator facundus qui 292
ordinem ubiuis requiri 351
Origenes ab Auguſtino confutatus 400
Origenes animarũ immortalitatis impugnatores conuertit 393
Origeniſtarum error 400
originale peccatum 511
originali peccato omnes homines obnoxij 337
orphanorum nomine qui intelligantur 443
in Os quod intrat, nõ coinquinat bominem 127
Oſanna 321
oſculum reuerentiæ ſignũ 257
oſculo Chriſtus proditus 257
oſtentatio damnatur 72
oſtentatores uani taxati 424
oſtiarius 162
oſtium ouinm Chriſtus 161
ocium uitandum 419
ouis perditæ allegorica expoſitio 186.187
oni perditæ humanum genus aſsimilatum 342
oues Chriſti 162.164.165. Petro paſcendę traduntur 286. eædem quomodo paſcendę 287.314.353
ouium Chriſti natura 162. paſcua. ibid.
ouium rationem Chriſtus habet. ibid.
ouibus homines compsrati 37.398
ad Oues perditas Iſraelis Chriſtus quomodo miſſus 119
oues ſuas cogooſcit Chriſtus 162.163. eaſdem Petrũ Chriſtus paſcere iubet 296
ouile unum 162.163.325

P

Palęſtina cultrix Beelzebub 95
Palęſtinis & Syris parabolæ uſitatę 144
Palęſtinorum ritus in unctionibus 64
paleis impij aſsimilati 29.112
palma uictorię ſignum 209.311
palmarum natura 321
palmarum rami Chriſto Hieroſolymá iogredienti ſubſtrati 208
palmites in Chriſto fructũ nõ ferentes abſcindendos 248
psnis animę 240. cœleſtis 310. materialis 352. terrenus 310.
panis uerbi diuini 352
panis uitę Chriſtus 121.123
panem Chriſtus proditori porrigit 240
paoem in regno Dei comedere quid 184
panum ſeptem allegorica expoſitio 353
panibus quinque, & piſcibus duobus hominum 5000. ſatiati 117
panibus ſepté & piſciculis paucis hominum 4000 ſsturati 131
parabola de ędificsnte turrim 186
parabola de amico petente panem noctu ab alio 174. de cœna magna 184.185.340
parabola de colonis, ſeruos &

filium Domini uineę occidentibus 217. de debitoribus 103.104. de diſpenſatore prudente 178. de diſpenſatore iniquo 189.355. de diuite auaro, & Lazaro 192. 339. de diuite horrea ſua amplificante 177. de drachma perdita 186.343. de eo qui inter latrones ceciderat 367. 368. de fermento 112. de ficu infrugifera 180. de filio perdito 187. de duobus filijs à patre in uineam ad laborandum exire iuſsis 216. de grano ſinapis 112. de homine inimico & zizanijs 112. de homine qui inter latrones inciderat 168.169. de homine nobili minas ad negociandum ſeruis ſuis tradente 205. de homine uineam ſuam colonis elocante 217. de inuitatis ad nuptias 183.184. de iudice impio & uidua 196. de muliere pariente 251. de nuptijs 384. de oue perdita 141.142. 143.186.342. de ouibus, paſtore, mercenario & ouili 162. de patrefamiliâs, operarios conducente in uineã ſuam 200.305. de phariſæo & publicano in templo orãtibus 196.360. de rege, filio ſuo nuptias faciente 218. 219. de rege rationes cum ſeruis ſuis ponente 143. de ſeminatore & ſemine 109.307. de uerbi Dei auditoribus 68. de uirginibus decem ſponſam expectantibus 232
parabolę quatenus inquirendę 356
parabolarum utilitas 356
parabolis Chriſtus ut plurimũ cur uſus 110.113.305
paracletus ſpiritus diſcipulis Chriſti promittitur 245. 246.250
paralyticus Hieroſolymis ſanatur 76.81. per tectum ad Chriſtum demittitur, & ſanatur 382
paralytico peccata remittuntur à Chriſto 76
paradiſus 255.273
in Paradiſum raptus Paulus 424
parẽtes quomodo amore proſequendi 97. honorandi 127.128.302.308
parentes non ſupra Deum diligendi 166.167
parẽtum erga liberos officium 24.386
parentibus pro filijs malè educatis reddendam rationem. ibid.
parentibus quatenus & in quibus morigerandum 302.401
paruuli Chriſto oblati 198
paruulorũ innocẽtia diſcipulis Chriſti commẽdata 380
parochias uiſitari debere in cõcilio Cabilionenſi ſtatutum 325
parricidia Phariſæorum taxantur 176
paſcha quid 201.432
paſcha Chriſtus cum diſcipulis celebrat 236. Hieroſolymis tantùm celebrari ſolitũ 202. 236.237
paſcha nouum 297. ſpirituale 238.239. typicum 240
paſchæ feſtum 202.235.301
ad Paſchæ feſtum quomodo præparauerint ſe Iudęi 202
paſchæ inſtitutio 235.437. ſolennitas 322
paſchatis & azymorum allegorica expoſitio 437
paſchalis agnus quomodo typum Chriſti geſſerit 37
paſcua ouium Chriſti 162
paſsionẽ Chriſtus à precibus auſpicatur 253
paſſeres Deo curę 95
paſtor bonus Chriſtus 162.163. 324
paſtor qualis à Prophetis promiſſus 162
paſtoris boni officium 163.324
paſtores ab angelis animati 294
paſtores Eccleſiæ quales eſſe debeant 162.286. ueri q. 325
paſtorum in Bethlehem profectio 18.19
paſtorum Eccleſiæ Chriſti officium 19.56.286.352
paſtoribus annunciatur natiuitas Chriſti 17.294
pater filio Chriſto quomodo uitam dicatur dediſſe 85
pater in filio, & filius in patre eſſe quomodo dicatur 165
pater quomodo maior Chriſto 247.336
patris cœleſtis & terreni inter ſe comparatio 66.67
patris uox de cœlo teſtificans de filio Chriſto audita 137.138
patrum affectus 371
patrum & Prophetarũ nomen iucundum Hebræis 410
patria cœleſtis 439.440
ad Patriam cœleſtem anhelandum. ibid.
patriarchæ Deum quomodo uiderint 35
patrifamiliâs Deus comparatus 201.217.305
patrifamiliâs prudenti miniſtri comparati 115
patientia cõmendatur 60.143
patientia uera quæ 308
paucos ſaluari 182
Paulus apoſtolus triennio Epheſi docuit 229.413. gentium doctor cõſtitutus 295. Lyſtris lapidatus 424. ſub Nerone occiſus 295
Paulus quæ & quanta propter Euangelium paſſus 424. in tertium cœlum raptus 423
Pauli cura pro Eccleſia 424. miracula 245. uita & res geſtæ in Actis Apoſtolorũ deſcripta 424
Pauli Oroſij de ſolis defectu ſub Chriſti morte facto iudicium 273
pauperem qui paſcit, Deum paſcit 177
pauperes ſpiritu qui 54.339. 357.393
pauperum fraudatores reprehenſi 178
pax commendatur 336.352
pax Chriſti 323.246.247. conſcientiarum 293. mundi 323
pax quæ pernicioſa 336
pax ſpiritualis quæ. ibid. 394.
pax hominibus per angelos annunciata 18. cum quibus & quatenus ſeruanda 390
pax tecum, Apoſtolorum ſalutatio 93
paci ſtudendum 420
pacem impijs nullam 294.453
pacem qualẽ Chriſtus det 97
ad Pacẽ & concordiam exhortatio 57 58
pace quomodo Chriſtianis utendum 21
pacifici 56.394. filij Dei uocati 54
peccatum animæ mors 188. per Adam in mundum intrauit 314
peccatum Chriſtus pro nobis factus 438.439
peccatum cauſa omnium malorum 363.382. duplex 511
peccatum omne mortale 388
peccatum cum morte Chriſti deuictum

deniĉtum 367.466
peccatum ſiliquis aſsimilatum 188
peccatum in Spiritum ſanĉtū quid 105.106.107.314
peccatum ab uno in omnes homines permanaſſe 402
peccati contagione omnea eſſe infectos, quicunq; ab impuro ſemine deſcendunt 381.382.388
peccati expers nemo 319.320
peccati fructus quis 457. eius finia mors. ibid.
peccati natura 188
peccati ſeruum eſſe quid 153. 457
à Peccati ſeruitute quomodo ſimus liberati 391
peccato & morti omnes obnoxij 360
de peccato mūdus quomodo arguatur 250.251.327
peccata cur debita appellentur 388
peccata effugiendi uia qnę 153. 154
peccata eleemoſynia quomodo redimenda 388
peccata excuſandi quàm ſimus oculati 385
peccata omnia credentibus in Chriſtum condonata eſſe 486
peccata remittere folius Dei proprium 361.383
peccatorum confeſsio quàm neceſſaria & ſalutaris 47
peccatorum remiſsionem annunciat Ioannes 26
peccanti nenia danda 143
peccatores quando connertantur 261. qui exaudiantur 160
peccatores ad ſe Chriſtus uocat 101.102.103
peccatorū animæ quali in ſtatu poſt mortem ſint 274
cum Peccatorib. Chriſtus quomodo uerſatus ſit 103.342. 377. cum ijſdem cibum ſumit 77
peccatores Deus non exaudit 159.160
peccatorea quos ſaluandos nenerit Chriſtus 41.385
peccare, & peccato ſeruire differunt 456
peccandi occaſio non ſumenda ex prædeſtinatione 414
peccantes arguendi 344
peccatrix Chriſto pedes coluit 103
in Pecunijs confidentes difficulter ſaluari 198
pedea Cbriſti lachrymis rigati 103
pedes quomodo alijs lauandi 238
perditio hominum Deo non aſcribenda 378
perditionis filiua 497
perfectos eſſe Chriſtianos quomodo deceat 60.61
perfectio 198. in hac uita nulla 366.426
ad Perfectionē exbortatio 60
perfidiæ pœna 216
Pelagius hæreticus 325. eiuſdem & Celeſtij error notatur 396.308.346
Pella oppid. trans Iordanē 230
Pentecoſte Iudæorum feſtum 301
peregrini & aduenę omnes homines 371.440
peregrinatio uita temporalis dicta 352
pergendum alacriter in ſemel agnita neritate 167
pericula pro Chriſti confeſsione nulla defugienda 330
in Periculis quomodo nerſandum. ibid.
peritura relinquentibus propter Euangelium æterna retribui 200.201
in Petitione rerum corporaliū quomodo peccetur 518
petituris omnia ſe largiturum Chriſtus promittit 246
Perſarum magi qnales 300
perſecutio duplex 394
perſecutio quibus potiſsimùm in hac uita expectanda 326. 375.378.394.
perſecutionem patientibus regnum Dei promittitur 54. 394
perſecutiones pro iuſticia qnid commodi ſecum ferát. ibid.
contra Perſecutiones animantur diſcipuli 327
perſecntionibns pios non carere 304
perſecutores ueritatis non timendi 95
perſecntorib. miniſtrorū quæ ſupplicia parata. ibid.
perſenerantia in docédo commendatur 94. item in fide 227.228.369. in orando 91.359
fecūdum Perſonæ qnalitatem non iudicandum 148
perſonarum acceptio apnd Deum nulla 203.304.518
peſtilentiæ lues qnatenus uitanda 387
petra Eccleſiæ Chriſti 134.422
petra rulnæ 218
petra ſnpra quam ædificetur Eccleſia Chriſti, qualis 349. 350
petrę durum cor aſsimilatum 307
petrę diſruptę 273
Petrus animam ſe pro Chriſto poſiturum dicit 242
Petrus Chriſtum negat, abiurat, & execrationibus ſeipſum deuouet 260.261
Petrus Cbriſtum filium Dei eſſe confitetur 133. Chriſtum confitetur 124
Petrus à Chriſto Satanaa apellstus 133.134
Petrus ſuper mare ambulat 118
Petrus Iudęorum doctor conſtitutus 295
Petrus Malcho anriculam ampntat 257. martyrio coronatur 229.
Petrus à Nerone trūcatur 287
Petrus Nathanaeli Chriſtum demonſtrat 36.
Petrua peculiaris Iudęorum apoſtolus 441. pedes à Chriſto ſibi lauari renuit 236. primua Chriſti intrepidua confeſſor 96. pœnitudine propter negatum Chriſtum ducitur 260. è uinculis quomodo liberatus 359.363
Petri ardens erga Chriſtum amor 241
Petri cōfeſaio de Chriſto 126. 349.
Petri confidentia 243.255
Petri & Iudę pœnitentia diſsimilis 263
Petri quæſtio de condonanda iniuria proximi 143
Petri negatio 244.261
Petri ſocrns ſanatur à febri 70. 71
ex Petri umbra ægroti ſanati 331
Petro Chriſtus oues paſcendas committit 286
Petro cur Chriſti reſurrectio primo omninm nunciari iuſſa 278.322
Petro cur Chriſtū negare permiſſum 329
Petro mortis genus prędictū 287.297

pro

pro Petro Chriſtus orat 243
phantaſmata carne & oſsib. carent 282
Pharao 163. eius induratio 301
pharetra Dei, idem quod prouidentia 453
phariſæus Chriſtum conniuio excipit 103.175. operib. ſuis & iuſticiæ propriæ confidens, orat 197
phariſæi auariciæ, crudelitatis & impietatis à Chriſto arguti 89.90. Chriſti diſcipulos accuſant, quòd manus non abluant 127. Chriſtũ dæmonia per Beelzebub eijcere calumniantur 80. eundem qua poteſtate doceat, quærunt 215. Chriſtum lapidare conantur 156. eum tentant 190. ijdem à Chriſto confutati & reprehenſi 77.88.101.147.148.220
phariſæi culicum excolatores 225. externæ mũdiciei obſeruatores 175
phariſæi monnmentis comparati 101.176
phariſæi Moyſis diſcipnli 160. conciliũ de perdendo Chriſto cogunt 163. à Ioanne reprehenſi 26. ſepulchris dealbatis aſsimilati 225. itẽ ſerpentibus 226. ſigna à Chriſto petunt 108.131. ijdem cũ Herodianis de perdendo Ieſu conſilium capiunt 89. hypocritæ, generatio praua & adultera appellati à Chriſto 105.131. Lazarum óccidere cogitant 207. legem quomodo obſeruarint 58. diaboli filij 155. prophetarum occiſores 225. ad Ioannem Baptiſtam mittunt legatos 34
phariſæorum auaricia inſatiabilis notatur & reprehenditur 224.225.276. eorundem blaſphemia taxata 76. item cæcitas 161. conſuetudo ſtulta in ablutione manuum & pedom 175.176. diuortia 191. homicidia eorum in prophetas cõmiſſa 226.227. ieiunia 63. iuſticia hypocritica 190.350. inuidia 175.176. legis externa obſeruatio 88.89. mos iurandi peruerſus 225. ſabbathi ſuperſtitioſa obſeruatio 225.226.275. ſanctimoniæ falſa oſtentatio 226. ſuperbia 176.276.306. tyrannis 175.176
phariſæorum doctrina qualis 132. diuortia 191. eorundem, & Sadducæorum inter ſe diſſenſio 134. errores 58. fermentũ 132. hæreſis 378. mos in abluendis manibus 127.176. quæſtio de adultera muliere 151. item quæſtio de coniugio, & de regni Dei aduentu 195
phariſæos cauẽdos docet Chriſtus 223
phariſeos menſuram patrũ implere iubet Chriſtus 226
eos in peccatis ſuis morituros docet Chriſtus 157
phariſaica iuſticia impugnatur 57
phariſaicæ orationis uitia taxãtur 62
phaſe 235.437
Philippus apoſtol' Chriſti 36.91.92. patrem ſibi oſtendi à Chriſto petit 245.331
Philippus Herodis frater 49.116
Philippus tetrarcha Itureæ & Traconitidis 25
Phocas rex Iſraël 435
Phœnicia regio maritima 129
Photinus hæreticus 315.372
Phylacterium 223
Pilatus Cæſaris imaginem in templum Hieroſolymitanũ infert 229. Chriſtum innocentem liberare conatur 265. eundem uirgis cædit 267. ad crucem condemnat 268. Chriſtum examinat 263. lauans manus, innocens uideri cupit 267. titulum cruci Chriſti ſuperſcribit 270.271
Pilati crudele facinus in obtrũcandis Galilæis inter ſacrificandum 180. eiuſdem miſerabilis exitus 268
Pilatũ uxor à Chriſti condemnatione deterret 266
pilis camelorum Ioannem Baptiſtã pro ueſtimentis uſum 25.26
pietas ſimulata reprehenditur 67.68
pietas omnibus reb. anteferenda 349
pietas erga parentes poſthabẽda pietati erga Deum 97
pietatis pręmia quæ 415
ad Pietatem animãtur diſcipuli Chriſti 56
pij à mundi filijs quomodo diſcrepent 233.326. quomodo & cur tententur 31
pij tritico collati 29
piorum poſt hanc uitam cõditio & fœlicitas qualis 83.84.85.273.326.444. eorum ingenium 44
pios Deo curæ eſſe 50
cliij. Piſces uno tractu à Petro capti 285
piſcium captura allegoricè explicata 348.349
piſcium multitudo magna iuſſu Chriſti capta 348
piſcibus homines ad Euangelij cognitionem peruenientes aſsimilati 348
piſcator hominum futurus pręditur Petrus 72.73
piſcatores hominum qui 53
piſcatores hominum diſcipuli Chriſti dicti 52
piſcina probatica Hieroſolymis 81
plagarũ numerus certus apud Iudæos delinquentibus cõſtitutus 424
plenitudo gentium 296
plenitudo tẽporis quæ 317.415
pluraliter cur Chriſtus de ſe ſæpe loquatur 42
poculi nomine quid intelligendum 357
poculo eodem bibere quid. ibi.
pœnæ quæ maneant impios poſt hanc uitam 444
pœnitentia quid 26
pœnitentia commendatur 359. mandatur 186
pœnitentia quomodo agenda 26.182. quàm neceſſaria 346
pœnitentia uera 511
pœnitentiæ fructus requiruntur à Ioanne 25.26
pœnitentiæ locus nullus poſt hanc uitam 219.233
pœnitentiam lapſis negãdam, error Nouatianorum 347
pœnitentiam prædicat Chriſt' 52.180
pœnitentibus congaudere angelos 187.343. ijſdem ueniam contingere 353.359
pœnitentium natura 188
à Pœnitentibus quid requiratur 152
Polydorus Vrbinas 386

politias

politias non ut euertat, ſed cōfirmet, uenit Chriſtus 391
pontifex ſolus cur ſemel in anno ſanctumſanctorũ ingredi ſolitus 434
pontifices ſummi taxati 26
porcus olim immundiciei figura 317
porci appellatione in Scripturis quid ſignificetur 188
porcis impuris homines comparati 66
porta ad uitam æternam anguſta 66.306.354
per portam anguſtam intrandum 182
portę inferorum 134
poſſeſsio æternę hęreditatis quomodo contingat 458
poſſeſsiones temporales propter Chriſti nomē relinquētibus, æterna uita promiſſa 200.201
poſteri Abrahę ueri qui 14.154
potentiam noſtram ex Deo eſſe 463
potentiam nullā contra Deum ualere 455
potentiſsimos quoſq; maximè regnare 203.204
poteſtas omnis & in cœlo & in terra Chriſto tradita 288
poteſtas omnis cœlitùs 268
poteſtas tenebrarum 258
præcurſor Chriſti à Malachia pręnunciatur 427
prędeſtinatio 414
prædeſtinationem eſſe impermutabilem Dei bonam uoluntatem 466
prędeſtinationem nō à noſtro merito, ſed à diuinę prouidētię propoſito proficiſci 414
prędeſtinatione peccandi occaſio non arripienda. ibid.
in Prędeſtinatione operib. uel prętéritis uel futuris nullũ eſſe locum. ibid.
prędeſtinatorum officium. ib.
pręgnantibus Chriſtus minatur 230
pręmia quę pios maneant 415
prępoſitis obediendum 355
pręrogatiuam generis nullum momentum ad ſalutem habere 28
pręſides Romanorum cur ſic dicti 263
pręſidium Hieroſolymā à Pilato collocatum ad Iudęorum ſeditionē compeſcendā 269
ad Pręſidia humana nō confugiendum 419
pręſumptio notatur 329.330
prętérita & futura Hebręorum eadem uoce proferri 319
prętorium 263
precandi ratio à Chriſto tradita 62
precari ſacerdotum officium 8
precaturis, quid & quomodo petendum 303
preces publicæ in Eccleſia q̄ utiles & neceſſarię 62.359
preces fidelium Deo curę 8
primitię ſpiritus 452
primogenitus Chriſtus cur dictus 17.293
primogenitorum priuilegium apud Iſraelitas 411
primogenitorum nomine in ſacris literis quid intelligendum 17
primogenitos Deo cōſecrari, mandatum in lege 308
primogenita Aegypti percuſſa. ibid.
princeps ſacerdotũ ueſtimenta ſcindit 259
principes exemplar uirtutum eſſe debere ſubditis 49
principum luxus taxatur 381
principum uirorũ ſcelera à miniſtris Euangelij eſſe taxanda 49
principibus prophanis an tributum ſit ſoluendum 220
Priſcillianiſtarum error confutatus 303
probatica piſcina 81
procellę pro perſecutionibus acceptę 305
prodigia in morte Chriſti facta 274
progenies uiperarum ſacerdotes & phariſęi appellati 26.105
promiſsionē & legem ſibi mutuò non aduerſari 465
promiſsiones nominis Dei cōfeſſoribus datæ 96
promiſsiones orationi additæ 66
propheta quis 14.68
propheta falſus unde dignoſcatur 67
prophetę merces quę 98. officia 14
prophetam in patria non eſſe acceptum 50.51
prophetam ſe eſſe negat Ioannes 35
prophetę falſi qui 354
prophetę quantis perſecutionibus fuerint obnoxij 56. ſeminatoribus aſsimilati 49
prophetarũ cōtemptores 219. eorundem occiſores Phariſęi 225.226
prophetarum uerorum proprietas 354
prophetas eſſe ſagittas Dei 453
propheria de aduētu Antichriſti 229.230.396. de baptiſmo 332. de Chriſti proditore 238. de Chriſti oſsibus non frangendis 275. de Chriſto aceto potādo 274. de Chriſto naſcēdo in Bethlehem 21. de diſperſione Iudæorum, & templi excidio & deuaſtatione 229. de diſperſione diſcipulorum à Chriſto 255. de eiectione Iudęorum per Chriſtum è templo 40. de Elia aduentum Meſsiæ præceſſuro 138. de Iohanne Baptiſta pręceſſuro Meſsię aduentum 25. 99.100.408.427. de loco Meſsiæ naſcituri 293. de miraculis à Chriſto patrandis 314. de morte Chriſti in cruce 338.339. de morte & paſsione Chriſti 309. de natiuitate Meſsiæ 293. de nomine Chriſti 300. de Phariſæorum & Iudęorum hypocriſi 127. de pontifice & rege ſummo 50. de potando Chriſto aceto & felle 271. de reſurrectione Chriſti tertia die 279.322. de reſurrectione mortuorum 84. 85.231. de ſignis aduentus Chriſti 132.
prophetia de ſorte ſuper Chriſti ueſtibus mittenda 271
prophetia de tempore naſcendi Chriſti 18
prophetia de uocatione gentium 21
prophetię genus duplex 419
prophetias de reſurrectione ſua Chriſtus diſcipulis aperit 282
proprietas rerum an Chriſtianis conceſſa 29
proſelyti qui 225.447
prouerbia plerunque eſſe uera 95
prouidentia Dei aſſeritur 95. 96.371
de Prouidentia diuina multos dubitaſſe 496
proximus qui 168.367. quomodo diligendus 60.222. 378.449.520. quomodo reprehendendus 345

proximum errantem in uiam reducendum 143 144
prudentia miniſtris commendatur 94
pſeudoapoſtoli à Paulo taxati 423
pſeudodoctores latrones & ſures appellati 162
pſeudodoctores fuiſſe. & ad finem uſque mundi futuros 227.354
pſeudomeſsias aduentũ Chriſti ultimum præceſſuros 228
pſeudoprophetæ qui 68. quomodo agnoſcendi 354. lupis rapacibus comparati 68
pſeudoprophetę ſigna aduentus Chriſti ultimi 228
pſeudoprophetarum gloria in quo conſiſtat 68. proprium quod 354
pſeudoprophetis ſupplicium Chriſtus minatur 68
pſeudoprophetas aduenturos prædicitur 195. eoſdem ſigna quoq; edituros 229
pſeudoprophetas uitandos eſſe docet Chriſtus 67
Ptolemęus aſtronomus 303
publicanus quomodo exauditus 160. 197. eius oratio in templo 361
publicani apud Iudęos infames 204.376
publicani olim qui fuerint 29
publicani à Ioanne erudiũtur 28
publicanis & peccatorib. Chriſtus conuerſatur 342
publicanis omnes homines ſimiles 377
publicanos & meretrices præceſſuros eſſe pharisęos in regno Dei 215
in Publico an orandum 359
puella ſaltans caput Iohannis petit 116
pueri innocentes in Bethlehẽ & eius finibus trucidantur per Herodem 22
puerorũ uera educatio quàm neceſſaria 386
pupilli Deo curæ 274
pupillis tutores dari, apud Romanos ſancitum 415
purgatio uera quę 176
purgationis dies in lege cur mandati 308
puritas interna commendatur 175.176.219
purificatio Marię 308
purificationis lex à Maria impleta 20
purpurea ueſte Chriſtus indutus
puſillus grex Eccleſia Chriſti cur dicta 178
Pythagorę opinio de animarũ tranſmigratione 120

Q.

Quęrendum eſſe regnum Dei ante omnia, docetur 66
quęrentes Chriſtum qui recipiantur 38
quęſtio de Chriſto & Ioannis baptiſmo exorta 45. de loco adorandi Deum à Samaritana muliere mouetur 47
quęſtio diſcipulorum Chriſti, quis in regno cœlorum eſſet maximus 141. itẽ Phariſęorũ de cẽſu Cęſari dãdo 220. Sadducęorũ, de fratrib. ſeptem, uxorẽ unam uiduam ſine ſemine relinquentibus 221.
quęſtiones inutiles & ſpinoſę ad ædificationem nihil momenti habentes, abijciendę 416
quies uęra ubi inuenienda 179
quinquies in die orare mos Saracenorum 525
Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris, ſymbolum Aurelij Alexãdri Imperatoris 67

R

Racha dicens fratri, obnoxius perhibetur concilio 57
racha uocabulũ Hebręia quid ſignificet 58
radix Ieſſæ 489
rami inſititij Iudęi cur appellati 359
rapina quid 435
Raſin Syrię rex. ibid.
ratio homini cur data 188
rationem omnium Deo reddendam 189
reatus 308
rectè agentibus non inuidendum 485
redẽptio Chriſtianorum 414
redẽptionis ſacramentũ cũctis nationib. innotuiſſe 464
regeneratio ad ſalutem quàm neceſſaria 41. 42.332.337
regeneratio pro mortuorũ reſurrectione accepta 200.201
regenerationis tempus 244
regula diſcernẽdi ſpiritus ab Apoſtolis quæ'nã tradita 460
regnum Dei 195. nuptijs aſsimilatum 178.179. in quo cõſiſtat 68
regnum Dei quęrendũ 63.372
regnum Dei ſecundum diſpenſationem duplex 444
regnum Dei diſcipulis mãdat Chriſtus predicare 93
regnum Dei à Iudæis auferendum Chriſtus docet 218
ad Regnum Dei qui & quomodo compellantur 185.186
ad Regnum cœleſte quicquid impedit abijciendum 141
regnum cœlorum 12
regnum cœlorum non dantis, ſed accipientis eſt 203
regnum cœlorũ quibus rebus cõparatũ 111.112.113.218.219
regnum Chriſti quale 106.118. 202. 205. 208. 264. 318. 357. quib. armis cõſtituatur 208. in quo conſiſtat 369
regnum Meſsię quale 105
regnum mundi 264
regnum à Iudæis ablatũ, ſignũ aduentus Meſsiæ 407
regnum nullũ perpetuum, niſi ſolius Chriſti 315
regni Chriſti & mũdani diſcrimen 248
regni Chriſti ciues quales 106
regni cœlorũ porta anguſta 182
regno cœlorum qui excludantur 348
regno Dei qui apti 166.167
in Regno cœlorum quis maximus 148
regnorum pernicies præcipua quæ 315
regna & imperia quid euertat 102
rex ſalutatur Chriſtus 269
regũ Iſraelitarũ catalogus 508
reges ungendi mos 506
regulus à Chriſto duriter allocutus 51. cum tota familia ad Deum cõuerſus 52. pro puero ſuo apud Chriſtum intercedit 51.52
religio neceſsitudini generis anteferenda 167
religionem Chriſtianam cultoribus ſuis opes amplas non promittere 438
religionem Iudæis uænalem fuiſſe 225
reliquię carnis quomodo mortificandæ 238
remiſsio ſimulata offenſionũ damnatur 389
remiſsio peccatorum quomodo obtineatur. ibid.
remiſsionis gratuitæ peccatorum exempla plurima. ibid.
remiſsionem peccatorum reſipiſcentiam ſequi debere 388
remiſ-

remiſsionem peccatorum ſanguinis effuſione nō potuiſſe carere 241
remiſsionem peccatorū iubet Chriſtus diſcipulos prędicare 289
remittenda debita aliorū 389
renaſcendum ex aqua & Spiritu ſancto 41
non Renati non intelligūt myſteria Dei 42
renunciandū terrenis 185.397
repudium Iudæis cur conceſſum in ueteri teſtamēto 191
repudij formula Iudæis uſitata qualis fuerit. ibid.
repudij una cauſa adulterium 190
repudiorum nimia licentia in Iudæis damnatur 59
requies peccatoribus ad Chriſtum uenientib. promiſſa 103
rerum temporalium nimia ſollicitudo prohibetur 63
rerum temporariarum uſum non damnandum 39
rerum terrenarum inſtabilitas 347 uiciſsitudo 328
in Rebus deſperatis ad ſolum Deum confugiendum 388
reſpicere Dei 376
reſurrectio carnis ſiue mortuorū aſſeritur 83.171.200.201.219.221.231.274.323.378.398
reſurrectio carnis à Saducæis negata 378 item à Phariſæis 132
reſurrectio Chriſti deſcribitur 277.504
reſurrectio Chriſti etiam ab eius hoſtibus aſſerta 281
reſurrectio mortuorum, ſpes Chriſtianorum 396
reſurrectionis corporum impugnatores confutati 85.221
reſurrectionis Chriſti ſignum Iudæis datum 40
reſurrectionis myſteriū Chriſtus diſcipulis Emauntem euntibus explicat 282
reſurrectionis pignus eſſe baptiſmum 456
reſurrectionem mortuorū credere, Euangelicæ doctrinæ præcipua pars 462
propter Reſurrectionē ſolam beſtijs homines feliciores 392
reſuſcitatio mortuorū duplex 274
reti doctrina Euangelij comparata 348
retis mundi 401
reuelationes Paulo factæ 424
rideotibus uæ deounciatū 54
Roboā rex inuaſor regni Iſraelitici 368
Romę è taberna meritoria ſoo tem toto die, largiſsimo olei riuo fluxiſſe 18
Romani cuiuſdam iuueois ſactum laudatiſsimum 97
Romani, Iudæorum ſuppliciū 219
Romanorum milites pręſidiarij quales fuerint 29
Romana reſpublica ſub Auguſto quomodo diuiſa 17
ruinæ petra 218

S

Sabbathum à Deo cur inſtitutum 88.89 à ſuperſtitione Iudaica repurgatum 89 pro integra hebdomada uſurpatum 197 quomodo ſanctificandum 181.275
ſabbathum ſpirituale 275
ſabbathi duplex diuiſio 89
ſabbathi inſtitutio 181 religio 148 ſolennitas 322
ſabbathi lex à Chriſto expoſita 88
ſabbathi ſanctificatio quomodo tranſgrediatur 275
ſabbathi uiolator à Iudęis Chriſtus appellatur 83.84.159
ſabbatho beneſaciendum 89.181.183.184
ſabbatho curare, Phariſæis pro peccato habitum 275
ſabbatho diſcipuli Chriſti ſpicas uellunt 88
ſabbathis iter facere Iudęis nephas 230
Sabellianorum error taxatus & confutatus 319
Sadducæi à Chriſto confutati 221.378 à Ioanne baptiſta reprebenſi 26 reſurrectionis impugnatores 221
Sadducæorum hæreſis 378 ſecta 221
ſacra Scriptura in quem finem hominibus contradita 293
ſacramentum baptiſmi omnibus ad ſalutem neceſſarium 337
ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti inſtitutū 240
ſacrificium Chriſtianorū 417
ſacrificium laudis. ibid.
ſacrificium propitiatoriū Chriſtus 432
ſacrificia quæ Deo grata 377.416
ſacrificis ueteris legis qualis 434
ſacerdos ſummus Chriſtū per Deum adiurat, an ſit Chriſtus 259
ſacerdos ſummus Chriſtus 434
ſacerdotes in ueteri Teſtamento laborantes ſabbatho, non peccaſſe 88
ſacerdotes olim in Veteri teſtamento per uices ſacris miniſtraſſe. 8. & populo benedixiſſe 297
ſacerdotes olim in totius populi conſpectu eligi conſuetum 431
ſacerdotum Hieroſolymitanorum auaricia notatur 210
ſacerdotum officiom 8
ſacerdotium uenale quo tempore redimi ſolitum 174
ſacerdotib. lepra iudicari mandata 303
ſacerdotium Chriſti cum ſacerdotio Leuitico collatū 434 in ueteribus ſacerdotijs adumbratum 434
ſacerdotium Chriſti æternum, perfectiſsimum 213.434
ſacerdotium regale, Chriſtiani 432.434
ſagena 115
ſal 141.142
ſal terræ miniſtri appellantur 54 item lux mundi. ibid.
ſalis natura 56
in Salis ſtatuam uxor Loth cur conuerſa 196
ſaliuā Chriſtus in ſanando cæco cur adhibuerit 364
Salomlach uox Syrorum 93
Salomon 164 parabolarum mirus artifex 305
Salomonis porticus Hieroſolymis 164
ſalus quærenda 168.169
ſalus ex Iudæis 46
ſalutis humanę præcipua cauſa quæ 296
ſalutem per fidem obtingere 42 ad gentes quoque pertinere 489
ſalutem hominum eſurit Chriſtus 49
ſalutē ex humanis meritis non aſſecutam 448
ad Salutem omnibus adſpirandum 182
ad Salutē peruenire homines an cogantur 341.342
ſalutatio angeli ad Mariam facta, & prædictio de conceptione Chriſti 9

Samuel propheta quantis perſecutionib. fuerit obnoxius 56
Samaritanus Chriſtus appellatur 156.320
Samaritani allegoria 169
Samaritani à lepra curati gratitudo 194
Samaritano Chriſtus ſeipſum comparat 367
Samaritani Chriſtũ nolunt recipere 166 eundem ad ſe inuitant 48
Samaritani Iudæis inuiſi 156. 320 quando ad agnitionẽ Dei acceſſerint 46
Samaritanis gentiles adombrati 369
Samaritanorum odium contra Iudæos 46
Samaritanos Meſsiam promiſſum etiam expectaſſe 48 in monte Garizim adorare ſolitos 166
Samaritana mulier conciuib. ſuis Meſsiam Chriſtum annunciat 47.48
Samaritanæ mulieris cũ Chriſto colloquium 46
Samoſateni error taxatur 85
ſanctus qui 413
ſanctũ canibus dari uetatur 66
ſanctum ſanctorum 434
ſancti à prophanis quomodo diſtent 392
ſancti an & quomodo honorãdi 346.365 366 quomodo imitandi 8.365 quomodo iuſti dicantur 351 quomodo puri 56 in terris quomodo dicantur beati & felices 55
ſanctorum corpora in Chriſti morte reſurgunt 274
ſanctorum humilitas 234
ſanctorum imitatores quomodo eſſe deceat 393
ſanctorum memoria in Eccleſia cur inſtituta 393
ſanctorum mors qualis 274
ſanctorũ operibus merita nulla tribuenda 234
ſanctorum uirtutes quatenus nobis utiles 365
ſanctos non eſſe inuocandos neq; adorandos 365.516
ſanctitas hypocritica taxatur 414
ſanctitas uera 414
ſanctitati ſtudendum 346. 440
ſanctimonia falſa ſpecie inſtructi pſeudodoctores 230
in Sanctificatione & honore cuiq; uas ſuum poſsidendũ 430
ſanguis Chriſti 240
ſanguis & aqua ex Chriſti latere fluunt 275
ſanguis Galilæorum cum ſacrificijs ſuis mixtus 180
ſanguis noui Teſtamenti 240 item ueteris. ibid.
ſanguis ueteri Teſtamenti typus Chriſti ſanguinis fundendi 434
ſanguinis ager 262
ſanguinis innoxiè effuſi ultor Deus 227
ſanguinis innoxij uindictã Iudæi in ſe recipiunt 268
ſanguinis profluuium ſiſtitur à Chriſto 79
ſanguinem animarum per negligentiam paſtorum pereuntium è manu ipſorum requiri 49.434
per Sanguinem Chriſti redemptio facta 414
ſanguine Chriſti peccata purgari 35.36
ſapere quomodo deceat 417
ſapientes qui 226
ſapientes uirgines 232
ſapientibus coram mundo Euangelium non reuelari 168
ſapientia à Deo petenda 341
ſapientia mundana 294.254
Sara, typus Hieruſalem cœleſtis 433
Sara Raguelis filia, uxor Thobiæ iunioris 303
Sarai nomen in Saram mutatũ 273
Saraceni quàm ſtrictè religionem ſuam obſeruent 525
ſatan mundi princeps 213 Iudã intrat 235
ſatan mendacij parens cur appelletur 475
ſatanas ſatanam non eijcit 105
ſathanæ quantum in homines affligendos permiſſum 181 in tentationibus ei quomodo reſiſtendum 31
ſub Satanæ imperium homines quomodo peruenerint 314
cõtra Satanã quomodo inſtructum eſſe deceat 31
à Satana quomodo pij liberati 31
ſaturis uæ denunciatum 54
Saulus prophetico ſpiritu correptus 320
Saulus, qui & Paulus, in mortẽ Stephani conſentit 412
ſaxo ad collum ligato in profundum demergi, ſupplicij genus apud ueteres. ibid.
ſcandalum 141.142.381
ſcandalum acceptum 381
ſcandala quomodo differant 381 quæ uitanda, & quæ minus 381
ſcandalizantiũ pœna quæ 142
ſcandalizantibus uæ denũciatum 381
ſcelera hominum ſubinde creſcere 228
ſcelerati unius exemplum totum inficere cœtum 437
Scenopegia, feſtum Iudæorum 145
ſceptrum Chriſti 412
ſceptri loco arundo Chriſto data 269
ſchiſma inter Iudæos propter Chriſtum exortum 158
ſchiſmata in Eccleſia Chriſti undè proueniant 376
ſcortatio prohibita 430
ſcortationis ſpecies 432
ſcortatores à Deo puniendi 430
ſcriba non ſincerus petit fieri diſcipulus Ieſu 75
ſcribæ qui 226
ſcriptura margaritis comparata 114.115
ſcripturæ ſacræ utilitas 293. 315.488
ſcripturæ iuxta ſpiritum interpretandæ 397
ſcripturas detorquere iuxta placitum, indiciũ doctrinæ falſæ 354
ſcripturas interpretari, prophetiæ genus 419
ſcripturas ſcrutandas 86
ſcutum fidei 330.331
ſeculum poſtremũ quod 459
ſeculi conſummatio 113.114
ſeculi ultimi tẽpora qualia 196
ſecuritas damnatur 65.232. 256.126.195.196
ſedis nomine excellentem honorem ſignificari 201
ſeditio Romę cõtra Magiſtratũ exorta, quomodo ſopita 368
ſeductionis Chriſtus accuſatur 264
ſemen Abrahæ qui 396
ſemen benedictum 297
ſemen fratri ſuſcitandum, lex Iudæis data 221
ſemini bono pij collati 113
ſemini uerbum Dei aſsimilatũ 101.111.307

ſemina

ſemina Dei nutu creſcere & multiplicicari ad hominum uſus 461
ſeminare quid 307
ſeminare Apoſtolorum, incrementum dare Dei eſt 392
ſeminatoris parabola 109
ſeminatori Chriſtus aſsimilatur 307
ſeminatorib. conferuntur prophetæ 49
ſemidei à gentilib. confićti 268
ſenatores olim patres dićti 520
ſepulchrum Chriſti à Beda deſcriptum 322 à Iudæis cur cuſtoditum & obſignatum 277
ſepultura mortuorum honorificè facienda 274
ſepulturæ Chriſti fructus 276
ſepeliendi mos apud Iudæos & priſcos qualis 98.276
ſermo Chriſti qualis 453
ſerpens æneus à Moyſe in deſerto erectus, typus Chriſti 42.338
ſerpenti Chriſtus cōparatus 42
ſerpentes læꝉiferi populo Iudaico cur immiſsi. ibid.
ſeruitus Aegyptiaca typus ſpiritualis ſeruitutis 402
ſeruitus uera quæ 154.155
ſeruus peccati 194.248.153
ſerui conditionem non potiorem eſſe Domini 250
ſerui forma à Chriſto quomodo aſſumpta 435
ſeruo Chriſtus cōparatus 341
in Seruo quid requiratur 179
ſerui Dei 219 diuitiarum qui 64.65
ſeruorū officiū 179.439.440
ſeruorum inertium natura 179
ſeruile opus ſabbatho fieri prohibitum 159
ſeruire peccato quid 456
ſeſsio ſuper thronos in cœlo quomodo intelligenda 369
Seth naſcitur 499
Sibyllæ de Chriſto quid ſenſerint 524
Sichar metropolis ſub monte Garizim ſita 45.46
Sichus Hebræus 236
ſignum petitur à Chriſto per Iudæos 40.108.121.175
ſigna diem ultimū præceſſura 227.403.528
ſigna quærentes taxantur 315
ſigna hoc tempore nulla petenda 386
Siloe piſcina ſeu fons ad radices montis Sion, certis horis ebulliens 159.180
Siloe turris caſu homines oppreſsi 180
Simeon Chriſtū ulnis excipit, eiq; benedicit 297.308
Simeō quomodo iuſtus dictus 377.378
Simeonis benedictio Mariæ & Ioſepho data 20 eius canticum in templo 19.308
Simeoni promiſsio data de uidendo Chriſto 20
Simon Cananæus Apoſtolus Chriſti 91.92
Simon Cyrenæus, Alexandri & Rufi pater 268
Simoni Cyrenæo Chriſti crux imponitur 269.270
Simon leproſus Chriſtum cōuiuio excipit 206
Simon magus 314
Simon, qui & Petrus, à Chriſto uocatur 36.52
Simon Petrus & frater eius Andreas in Apoſtolos à Chriſto electi 91.92
Simonidis reſponſum Hieroni tyranno datum, de inueſtigatione diuinitatis 439
ſimplicitas miniſtris Euangelij commendatur 94
ſimplicitatis natura 238
ſimulata pietas taxatur 67.68
Sin ſolitudo 301
ſiniſter oculus pro affectu malo uſurpatus 61
ſiniſtra Dei 357
neſciat Siniſtra tua quod facit dextra, prouerb. 61
ſiniſtræ nomine in ſcripturis quid ſignificetur 61.289
ſinus Abrahæ 192.330
in Sinu patris eſſe, quid ſit 35
ſitis iuſticiæ 394
ſitientes ad Chriſtū uenire iubentur 149
ſoboles illegitima apud ueteres maximè infamis 317
ſobrietas & uigilantia cōmendantur 232.330
ſocordia taxatur 356
Socrates Philoſophus 200
Socratis dictum 303
Sodomitæ cur puniti 358 taxati 341
Sodomitarum excidium 195
ſol 152
ſol obſcuratur 230.273
ſol iuſticiæ 416
ſolis defectus in Chriſti morte factus præternaturalis 273
ſolicitudo nimia rerum temporalium culpatur 63
ſolicitudo omnis in Deum cōijcienda 450
ſolicitudo quæ prohibita, quæ item licita 371
ſomnus 138
ſomnia duplicia eſſe 16
ſontes plectendi mos apud ueteres qualis 116
ſortem ducere in ſacerdotum electione, mos Hebræorum 431
pro Spectro Chriſtus à diſcipulis habitus 283
ſpectra cur hominibus obueniant 119
ſpes Chriſtianorum eſt reſurrectio mortuorum 396
ſpes in quo collocanda 353
ſpicas ſabbatho diſcipuli Chriſti uellunt 88
ſpinæ ſolicitudinib. & diuitijs mundanis aſsimilatæ 307
ſpinea corona Chriſto impoſita 268
Spiritus ſanctus Apoſtoils ꝓmittitur 94.287 mittitur 447
Spiritus ſanctus à carne diſtinguitur 125.126
Spiritus ſanctus cur digitus Dei 315 electorum arrabo 188
ſpiritus Euangelicus 167
Spiritus ſanctus cur poſt glorificationem Chriſti miſſus 150
ſpiritus ſeruilis quid 458
ſpiritus ueritatis 333
Spiritus ſancti in baptiſmo Chriſti apparitio 28
Spiritus ſancti donis quomodo utendum 179
Spiritus ſancti qui non capaces 246
Spiritus ſancti opera 527 tēpla 321
Spiritu ſancto quæ operationes tribuantur in ſcripturis 326
ſpiritum Chriſtus patri commendat 274
Spiritum ſanctum qui non accipiant 245
in Spiritū ſanctū peccatū 105
ſpiritu ambulare quid 467
in Spiritu & ueritate adorandum 46
ex Spiritu ſancto Chriſtus concipiendus prædicitur 9
ſpiritus hominibus quomodo appareant 283
ſpiritus diſcipulis Chriſti ſubijciuntur 168

ſpiritus diſcernendi & proban di ratiu 354.460
ſpiritibus excitatis nou creden dum 193
ſpiritualis natiuitas homini ne ceſſaria 41
ſpiritualis circũciſio quæ 299
ſpirituales & curporales filij inter ſe comparantur 66
ſpirituales qũo affecti 41.45
ſpiritualia putius quàm carnalia à Deu petenda 357
ſpiritualiter eſſe renaſcendũ 41
ſpongia aeetu impleta Chriſto in cruce ſitienti ublata 274
ſpunſo Chriſtus aſsimilatus 45.219.232
ſponſa Chriſti 178.304
per Sportam Paulus è muro ciuitatis demiſſus 423
ſputu cur uſus Chriſtus ad conficiendum lutum, quo cæcũ ſanauit 159
ſtare Dei 412.413
ſtater in ore piſcis inuentus, & à Petro pro didrachmate nu meratus 140
ſtatua à muliere Chriſto facta 80
ſtatus electorum in futura uita qualis 378
ſtatus hominis ante lapſum qualis 360
ſtella Chriſtum natum oſtendit Magis 21.300
de Stella à Magis uiſa, iudiciũ Chryſoſtomi 22
ſtellas de cœlu caſuras 230
Stephanus prutomartyr 295. 412.413 à Iudæis lapidatus 295.412
Stephani uratio pro ſe & inimicis ad Deum 412
Stephanum miraculis claruiſſe 412
de Stimulo Paulo impoſito, Hierunymi ſententia 425
ſtipendium diaboli eſſe mortẽ æternam 457
ſtirpa Ieſſe 273
ſtola ueſtis genus apud ueteres 188
ſtridore dentium quid in Scriptura denotatur 70
ſtudium diuinarum literarum cummendatur 293.307
ſtultiluquium prubibitum 432
ſubſtantia Chriſti duplex 317
ſudarium Chriſti in mouumento relictum 279
ſudur Chriſti ſanguineus 255
ſufficientiã noſtrã ex Deo eſſẽ 463
Sum uerbum, Deo propriè cõuenire 157
ſuperbi Deo exoſi 376
ſuperbis Deum reſiſtere 294
ſuperbia 223 taxatur 197. 224.238.341
ſuperbia initium omnis peccati 276 ſalutis amiſſæ cauſa 294 mater contentionis 368
ſupernaturalia quatenus ab humine comprebeudi poſſint 317
ſuperſtitioſi leproſis comparati 369
ſupplicia damnatorum aliquãdu finienda, Origenis error 400
ſurdus & mutus à Chriſto ſanatus 130
Suſanna, miniſtra Chriſti 104
ſuſpicioni uon obnoxia charitas 426
Sydon ciuitas 130.312
ſymbolum Apoſtolicum 505
Symonides poeta 493
ſynagogã ingreditur Chriſtus 50
in Synagoga docet Chriſtus 70
è Synagoga eijci, inſame apud Iudæus 159.334
Synodus Milenentana 480
Syrophœniſſa mulier 129

T

Tabernaculum Muſaicum cum ſpirituali & cœleſti tabernaculo collatum 434
tabernaculorum feſtum 145. 209 eius inſtitutio 6.301
tabernaculũ figere quid 137.138
talenti numine quid denutetur 388
Tatianus & Martianus refutãtur 39.302
Tatiani notati 341
in Tectis prædicare quid 96
tela ignea diaboli 315
ex Telonio Matthæus uocatur 377
templum Dei 15.491
templum Hieroſulymitanum 217 cur diuinitùs extrui mandatum 40 à Salomone cur conſtructum 359
templum maius anro, quod à templo ſanctificatur 225
templum Spiritus ſancti 321. 365.427
templi Hieroſol. uaſtatio prædicitur 296
templi uelum ſciſſum 273
templo Chriſti corpus aſsimilatum 40.259
templorũ prophanatores qui dicendi 359
in Templis prophana nou tractanda 359
tempeſtates in Eccleſia ſemper orituras 74
tempeſtatibus maris imperat Chriſtus 73
tempus acceptabile quod 428
temporis nouiſsimi hora umnibus abſcondita 404
de Tempure aduentus Magorũ in Betblehem, iudicium Epiphanij & Euſebij 22
temporalia à Deu quatenus petenda 328.518 quatenus 371
temporalia cum æternis collata 136
tenebræ 152.211.273
tenebrarum filij 212
tenebrarum nomine in Scripturis quid ueniat intelligendũ 43.70.488
tenebrarum opera 487
puteſtas 482
teuebrarum princeps diabolus 71.370
in Tenebris nõ ambulandũ 316
in Tenebris ambulare quid 213.488
tentare Deum quid 311.459
tentari quid 31
tentatio 256
tentatio duplex 31
tentatio Chriſti triplex deſcribitur 310
tentatio, fidei exercitium 305
tentatiunibus diaboli omnes pij ubnoxij 30.31.256.304. 305
in Tentationibus orandũ 256
in Tentationibus quumudo affectum eſſe deceat Chriſtianum 326
terminus Deo nullus præſcribendus 505
terra promiſſa typus ſabbathi cœleſtis 276
terra uiuentium 163.365
terræ bouæ ueri anditores uerbi comparantur 308
terrenis renunciandum eſſe 333.369
terræmotus extremum diem præceſſuri 227
terræmutus facti ſub Chriſti morte & reſurrectione 273. 277
teſtamenti nomine quid in ſacris literis intelligendũ 13
teſtamẽtũ Chriſti ultimũ 240

teſtamentum utrunq; duobus filijs Abrahæ cõparatũ 401
teſtimoniũ falſum contra Chriſtum quæſitum 259
teſtis ueri & boni officium 287
Theodoſius Imperator ab Ambroſio excõmunicatus 334. 511
Theophylacti ſententia de carnis Chriſti manducatione 125 eiuſdem iudicium de muliere peccatrice Chriſti pedes ungente 103.104
de Theophilo, cui Acta Apoſtolorum dedicata ſunt, uariæ opiniones 444
theſaurus cœleſtis 198.199
theſauro Euãgelium collatum 113
theſauri ueri qui 64
theſauri Chriſto à Magis oblati quid ſignificarint 301
theſaorizandum quomodo 63
Theſſalonicenſes à Paulo cor laudati 429
Theudas & Iudas tributũ nullum ſoluendũ aſſerunt 220
Thomas Didymus Chriſti apoſtolus 92.283.406 cum Chriſto mori petit 170 eius incredulitas 283. 284.406
Thomę Chriſtus ſe manifeſtat 283.323
thorus immaculatus coniugij Deo probatur 430
thus Chriſto oblatum quid ſignificet 22.301
thus Deo adoleri olim ſolitum 301
Tiberius Cæſar 25.26
tibiæ in plangendis mortuis olim adhibitæ 395
timor Dei officiorum omnium fundamentum 478
titulus Chriſti cruci affixus 271
Tobias hirundinũ ſtercore excæcatus 382
Tobias iunior caſtitatis & obedientiæ exemplum 303.386
tonitrua mugijſſe ſub Samuela propheta 315
torcular 217
torculari miniſterium comparatum 217
traditiones Phariſæorum quales 128 à Chriſto reprehenduntur 127
traditionum contemptores diſcipuli à Phariſęis habiti 128
transformatio Chriſti in monta quomodo facta ſit 137
tranſitus 235
ad Tribunal Chriſti tam pios quàm impios ſiſtendos 234
tribulationum calicem omnibus electis propinari 358
in Tribulationibus auxilium à quo petendum 396
ex Tribu & cognatione ſua quemlibet uxorem ducere Iudæis uſitatum 273
tributum à Chriſto ſolutum 140.141.380
tributum an Cæſari dandum, Phariſæorum quæſtio 220
Trinitas ſacroſancta aſſerit 337
trinitatis myſteriũ imperſcrutabile 338
trinitatis myſterium quomodo intelligendum 509.510
trinitatis nomine cur baptizandum 289
trinitatis reuelatio 29.30.503
de Trinitata quid & quomodo ſentiendum 338
triſticia Chriſtianorum qualis 251.323
triſticiæ piorum & impiorum differentia 252
triſticiæ & tribulationes piorũ momentaneæ 326
tritico comparati pij 29
tropis ſacra Scriptura referta 379
tuba 231
tuba canere, prouerbium 61
tumultus ruſticorum quomodo exortus 381
tunica Chriſti inconſutilis 271
turba Chriſtum captum uenire, unico Chriſti uerbo in terram corruit . 257
turba Chriſto Hieroſolymam ingrediente obuiam procedit, eumq; excipit 208. 209
in Turba diſſẽſio propter Chriſtum 149
turbę à Chriſto ex nauicula docentur 72.91
turpiloqoia Deo exoſa 442
turtures in lege quando & cur offerri ſolitum 308
Tyberiadis lacus 285
tyranni & perſecutores miniſtrorum lupis collati 94
Tyrus ciuitas 130.312
Tyrus & Sydon ciuitates Iſraelitis tributariæ factæ 312

V

Væ particula Prophetis uſitatiſsima 225 quid denotet. ibid.
Væ ciuitatibus quibuſdam denunciatum 101.102 item Phariſæis & ſacerdotibus 175.224.295 item paſtorib. in Iſrael 94
Valentinus hæreticus taxatur 19.315.386.299.380
Valerius Publicola 264
ualetudinis quatenus ratio habenda 387
uapori hominum uita & gloria comparata 377
uaſa iræ qui 392
uelum templi ſciſſum 273
uęnia delinquenti danda 144. 304 (28
de Venia non eſſe deſperandũ
ueneficarum ſomnia inania 16
uentus contrarius diabolo aſsimilatur 304
uentis imperat Chriſtus 74.75
uerbum Dei audituro quomodo deceat eſſe affectos 54. 68 (animæ 31
uerbum Dei quomodo cibus
uerbum Dei qui cuſtodiát 175
uerbum Dei aſsimilatum igni 180 item ſemini 29.110.111. 307
uerbũ Dei ex perſona loquente non æſtimandum 307
uerbum cur non in omnium hominum pectoribus fructum ferat 111
uerbum patris Chriſtus 410
uerbi autoritas quomodo minuatur 56
uerbi Dei certitudo 231 effectus 179.180 uis 113.114
uerbi contemptores reprehenſi 27 eius auditores ueri qui 110
uerba Chriſti uiuifica 126
uerba ocioſa quæ 107
de Verbis omnibus reddendã eſſe rationem 105
ueritas quid 154.264
ueritas umbræ opponitur 47
ueritas quomodo cõfitẽda 390
ad Veritatis cognitionem qui perueniant 302
ueritatis regnum 264 ſpiritus 245.249.333
à Veritate agnita relabi quàm periculoſum 316
uermis pro mala cõſciẽtia 142
Veſpaſianus à Nerone contra Iudęos eum exercitu miſſus 229
ueſtis nuptialis 218.219
ueſtitus curá nimiá abijciendá 63 64.65 (uiſa 271
ueſtimẽta Chriſti à militib. diuiſa
ad uitam æternam quę 154. 199.330.354

uia iniuſticiæ 516
uiæ Dei imperſcrutabiles 448
uiæ duæ à gentilibus excogitatæ, una uitiorum, altera uirtutum 66.67
uiaticum in uitam futuram cõparandum 232
uictoria abſq; certamine oulla 311
uictoria mundi 437
uictoriam Chriſti ecceleſiæ eſſe uictoriam 475
uictus curam & ſollicitudioẽ nimiam abijcieodam 63. 64.65
uidere Chriſtum quid 366
uidere Dei 376.400
uidentes Chriſtum qui beati 366
uidua iniquum iudicem precibus fatigàs auditur 196.197
uidua paupercula Hieroſolymis in templo offert 226
uiduæ filius excitatur 98.274
à Vidua Elias exceptus 51
uiduæ Deo curæ 274
uigilantia commendatur 178. 179.228.230.232.256
uigilia uaria 179
uillicus malus quatenus à Chriſto laudatus 356
uindicta Dei Iudæis denunciata 28
uindicta Deo cõmittenda 438. 439
uindicta prohibita 59.60.143. 144.166.167.240.258
uiodictæ charitas oon appetẽs 426
uindictam Iudæis propter ſanguinẽ iniuſtè effuſum Chriſtus minatur 295
uinea Chriſti 217 iuſticiæ 201
uioeæ Eccleſia comparata 201. 248.305
uinum in Scripturis quid ſignificet 367
uinum ex aqua factum 303
uinum myrrhatum Chriſto datum 270
uir ſapiens cui rei comparetur 68
uirgis ter cæſus Paulus 423
uirgis cædi apud Romanos ſceleroſi ſoliti 267
Virgilius martyr Eutychis hæretici impugnator 137
uirginẽ decem ſponſum expectantium, parabola 189.232
uirginitas Mariæ aſſerta 17. 273.293.317.318.365.435.506
uirginitatis donum oon omnibus datum 191
uirtus Dei quanta 9
uirtus ſine hoſte nulla 311
uirtutis comes inuidia 412
uirtutis uia deſcribitur 67
uirtutem in infirmitate perfici 423
uirtutes & opera noſtra nulla, eſſe gratiarum actione digna 485
uirtutibus quantis Apoſtoli à Chriſto fuerio t ornati 4
uiribus humanis nihil fidendũ 194.243
uiſcerũ nomine quid in ſacris literis intelligeodum ueniat 14.450
uiſio Dei, pro beata uita 55
uiſitare Hebræis quid ſignificet 13
uiſitatio Eccleſiarum in coocilio Cabiliooenſi mandata 325
uiſitationis tempus quod 209. 358
uita æterna 124.253.302.512
uita æterna ante omnia quærenda 169 ouptijs comparata 219 quomodo poſsideatur 298
uita per Chriſtum nobis parta 43
uita hominis io quo conſiſtat 177
uita humana militia 311 quàm plena miſerijs 326 quomodo ioueniatur & perdatur 136
uita mioiſtrorũ qualis eſſe debeat 56
uita longæua à Deo quatenus petenda 387
uita præſens diei comparata 355
uita temporalis poſthabenda æternæ 212
uitæ æternæ oſtium 162 paſcua 163
uitæ Dominus Chriſtus 80
uitæ corona quibus promiſſa 358
uitæ humanæ miſeria 394
uitæ terminus cuiq; conſtitutus 387
uitam qui amittant, & qui retioeant 97.98
uitam æternam ex obſeruatione mandatorum dari quid 198
uitam hominis ooo in pane ſolo conſiſtere 310
in Vita æterna diuerſas futuras dignitates 330
in Vita hac non dormitandum 232
uitis uera Chriſtus 248
uitia facilius eſt imitari quàm uirtutes 67
uitiorum uia qualis. ibid.
uiuificatio unde 125
uitulus ſagioatus quid ſigoificarit 188
ultio priuata prohibita 144. 419
ultionis dies 229
ultimus dies prædicitur 195
uoctio Chriſti 379
unctio ſpiritnalis 353
unguento Chriſtus perfuoditur 206
ungeodi reges & ſacerdotes mos Iudæorum 15
uniuerſale iudicium 403
uocare quid 466
uocatio 219.220
uocatio multiplex 201
uocatio quomodo per bona opera certa facienda 392
de Vocatiooe geotium prophetia 22
io Vocatione ſua omoib. Deo ſeruiendum 371.376
uocati qui 306
uocatorum à Deo officiũ 377
uoluntas Dei quæ 49.121 295 in quo conſiſtat 68 eadem uarijs modis reuelata 410
uolũtas in Chriſto duplex 456
uoluntati Dei ubiq; morigerandum 456
uoluntati Dei quomodo reſiſtatur 295
uoluntatis ſedes 222
uoluntatẽ Dei ooo cognoſcentes, quomodo & cur puniantur 179
uoluotatem deſtinatam reputari apud Deum pro ipſo facto 450
de Voluntate Dei erga oos quid ſeotiendum 31.306
uoluptuarij beati à mundo habentur 55 ijdem reprehenduntur 185
uox clamantis Ioaoues 34.35. 408
uox de cœlo Chriſto perhibet teſtimonium 136.137
urbanitas ſcurrilis ꝓhibita 432
ab Vrſis Heliſei deriſores deuorati 386
uulgi opiniones uariæ de Chriſto 149 (182
uulpẽ uocat Chriſtus Herodẽ
uxor Pilati noctu terribili uiſiooe propter Chriſtum uexatur 266

uxor quam ob cauſam repudianda 190
uxorem ex aliena tribu ducere apud Iudæos illicitum 273
uxorem unam ducendá, & nó plures ſimul 191
uxores ducendi de tribu ſua, Hebræorum mos 15
uxores non ducendas, Eſſæorum error 378
uxores quomodo tractandæ 430

Z

Zachæus ad Chriſtum conuertitur 203
Zacharias propheta 176.226. eius mors 218.226
Zacharias ſacerdos 7.226.227. 345 ab Herode obtruncatus in templo. ibid.227 mutus redditur propter incredulitatem 8 quomodo iuſtus fuerit pronunciatus. ibid.
Zachariæ ſacerdoti per angelú nunciata natiuitas Ioannis Baptiſtæ: item eius uita 7
de Zacharia inter templum & altare occiſo, patrum diuerſæ ſententiæ 226
Zebedæi fratres à Chriſto in Apoſtolos electi 52.53. 92
Zebedæorum mater pro principatu filiorum ſuorum rogat 202.357
zelus Chriſti 40.226
zelus Pauli erga Chriſti Eccleſiam 424
zizaniorum parabola explicatur 112.113.114
zona pellicea Ioannis quid ſignificarit 26.346
in Zona æs geſtare an miniſtris ſit conceſſum 93

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA [illegible] [illegible], ANNO SALVTIS HVMANAE M. D. LXI. Menſe Auguſto.